www.e-rara.ch

Gisberti Voeti theologiae in acad. Ultraiectina professoris selectarum disputationum theologicarum, pars prima [-quarta]

Voet, Gijsbert

Ultrajecti, 1648-1667

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rm 303 & Rm 303: a-ac

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-22314

Pars tertia

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

Rm. 303 al.

GISBERTI VOETII

Theologiæ in Acad. ULTRAJECTINA Professoris

SELECTARUM DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM,

PARS TERTIA.



Sum Joh. Hündy

ULTRAJECTI,
Ex Officinâ JOHANNIS à WAESBERGE,
Anno clɔ Iɔ C LIX.

BIBLIOTHEK
DER
CANTONAL=
LEHR=
ANSTALTEN
ZU
ZÜRICH.

Reverendis & Clarissimis Viris,

D. JOHANNI HOORNBEEK, antehâc in Acad. Ultrajectinâ, nunc in Lugduno-Batavâ,

D. ANDREÆ ESSENIO, } in Academiâ
D. MATHIÆ NETHENO, } Ultrajectinâ

S. S. Theologiæ Professoribus:

Fratribus, Amicis, & Collegis honorandis.

REverendi & Clarissimi Viri, Fratres, Amici, Collegæ honorandi, *quod sapientissimus regum de triplici funiculo non facile rumpendo in parabolis suis promittit, id ego singulari Dei nostri benedictione hic expertus sum. Simulac enim mihi, soli aliquamdiu in Theologicis operato, primus Collega datus esset D.* Meinardus Schotanus ὁ μακαρίτης, *& paucis annis post utrique nostrum tertius D.* Carolus de Maets ὁ μακαρίτης; *non minimam partem felicitatis & meæ & publicæ in eo ponebam, quod trium Professorum paribus animis & studiis semina orthodoxæ Theologiæ in juventutem sacris destinatam spargi, consilia, judicia, responsa Theologica quâvis occasione, nomine facultatis concipi, reliquaque negotia publicam Academiæ & consequenter Ecclesiarum salutem concernentia curari & expediri viderem. Imprimis autem fastigium hujus felicitatis mihi hactenus attigisse visus sum, quod nullus Collegarum hinc ad vitam meliorem, aut ad aliam messem*

traductus sit, quin ab Ampliss. & Prudentiss. Academiæ ephoris ii substituerentur, à quorum eruditione, zelo, fide, prudentiâ, æquabilis in hoc studio decurrendo animorum ac studiorum conspiratio exspectanda erat. Hinc factum, ut nullæ intentiarum in dogmaticis aut practicis distractiones, nullæ opinionum collisiones, nulla studiorum ac consiliorum in discipulis informandis, rebusque Academiæ curandis divortia, nullæ exercitia lectionum & disputationum, sive privata, sive publica, nedum scripta Theologica adversis frontibus concurrentia, usque in hunc diem hic audita aut visa sint. Quantum hoc pondus ad novæ Academiæ & rei Theologicæ in eâ incrementum attulerit, discipulis nostris tum popularibus, tum exteris, dicendum relinquo. Neque enim dubito, quin ὁμονοίας à Præceptoribus hic data exempla ad ingenuam confessionem, & ad seriam in sacris functionibus suis eorundem imitationem eos exstimulatura sint. Quidquid fiat aut futurum sit, ego saltem obligatum me sentio, ut coram Deo & hominibus publicè profitear, quanto inter tot labores & molestias hoc mihi solatio fuerit; insuper hâc occasione in Collegis meis tum viventibus, tum μακαρίταις, singularem Dei gratiam prædicem, quæ tales eos fecit, quales ego & Academia non sine gaudio & fructu tot annis experta est. Hæc ergo præcipua hujusce publicæ allocutionis causa: ut arctissimam animorum nostrorum in causa Dei promovendâ, asserendâ, conjunctionem omnibus testatam facerem; atque una trium τῶν μακαρίτων (Collegarum D. Schotani, D. De Maets, & D. Gualtheri de Bruyn (primo professionis suæ anno immaturè eheu nobis erepti) grattissimam

mam memoriam quasi verbulo hic consignarem; quorum vita & obitus publicis orationibus in hâc Academiâ, à me D. Schotani, à te D. Hoornbeek, D. Caroli de Maets, à te D. Essenii, D. Gualtheri de Bruyn, antehac meritò celebrata sunt. Accipite ergo hoc qualecunque gratitudinis meæ erga vos perpetuæque amicitiæ nostræ μνημόσυνον; & Deum mecum orate, ut me jam septuagenarium, vosque in ἀκμῇ adhuc constitutos magno hoc ὁμονοίας beneficio, inter tot ingeniorum vertigines, usque ad finem beare; aut, si aliter ipsius paterna providentia disposuerit, invictæ constantiæ clypeo adversus quoscunque casus & insultus, præsertim δειλίας & ἀνθρωπαρεσκείας, munire dignetur. Ultrajecti XII. *Kal. Maji.* CIↃ IↃC LIX.

Vester in Domino

GISBERTUS VOETIUS.

Ad Benevolum

LECTOREM.

TErtiam hanc Selectarum Disputationum partem destinaveram solis & omnibus illis, quæ ad Prolegomena generalia de bonis Operibus, & ad explicationem prioris tabulæ Decalogi pertinebant: reservatis peculiari & quartæ parti omnibus ad posterioris tabulæ explicationem facientibus. Sed dum opus sub manu in majorem molem, quam putaveram, excresceret, coactus fui quasdam Diatribas antehâc editas, ex propriis cujusque sedibus avulsas aliò rejicere. Erunt forte qui malint omnes materias aut quæstiones practicas, ad Prolegomena & priorem Decalogi tabulam pertinentes, hâc occasione à me pertractatas fuisse. Quibus respondeo, otii nostri hactenus non fuisse, ut farraginem illam quæstionum, quas discipuli nostri in collegio Decalogico antehâc exceperunt, ad incudem revocarem, & accurato autorum indicio locupletarem. Alterius & peculiaris operæ atque operis hoc erit; ut & editio Asceticæ, discipulis nostris antehâc dictatæ; nec non secunda editio problematum prioris partis Theologiæ, cum indicio autorum & responsis ad omnia illa quæ explicanda, aut per distinctionem determinanda indicantur, aliquoties à discipulorum diligentiâ privatim ex ore meo exceptis.

ceptis. Quod ad farraginem citationum, quæ præsenti operi intertextæ, denuò rationem nullam dicam; cum satis superque in præfat. ad primam Selectarum Disputationum partem me expediverim. Quod si aliquibus ex odio aut livore candorem & diligentiam nostram hâc in parte sycophanticè visum fuerit traducere, ii sciant se sine autoribus scripturientes aut scriptiones suas ex proprio suo cerebro vanè jactantes, aliorum φιλομαθῶν & πολυμαθῶν judicio à nobis relinqui. Pariter de multiplicibus atque indignis calumniis tum realibus, tum personalibus, quæ antehâc laboribus nostris in hanc Academiam & Ecclesiam impensis structę sunt, & si quæ in posterum strui possent, Deo veritatis & justitiæ vindici, atque Ecclesiæ ipsius judicium committimus, & antehâc commisimus: nos ipsos non vindicantes, sed omnibus, qui etiamnum superstites sunt, ex animo injurias condonantes, & Dei misericordiam pro iisdem implorantes. Si qui ex illis opinentur se ad nullam scandali, imprimis per personales & quæsitas calumnias publicè dati emendationem, ad nullam atrociſſimæ injuriæ proximo illatæ, vel leviſſimam restitutionem coram Deo in foro conscientiæ teneri; ego in præsentiarum judicium de talibus conscientiis mihi non sumam; contentus solummodo declarasse, me contra scientiam & conscientiam meam apertis mendaciis, & inique in me fabricatis, ac voce aut scripto publicatis calumniis, nec directè, nec indirectè unquam assensurum, aut quidquam facturum,

quo

quo aliquos, qui calumniis manifestè tenentur, quocunq; schemate ex luto illo per calumniam ad propriam innocentis infamiam extraham, aut conscientiam eorum à debitâ restitutione liberare videar: etiamsi vel totus mundus calumniis assentiretur, quin & honores ac præmia pro iisdem autoribus eorum decerneret. Hæc est mearum tota summa summarum. Reales & doctrinales calumnias æqui lectores, si oculis suis credant, ex ipso verborum meorum contextu, & uberioribus expositionibus postea submissis & porrò datâ occasione, submittendis, satis absterſas videbunt. Et semper minus de iis laboravi: cum talium aggressorum accuratum judicium, aut bonum animum ab erudlitis & piis viris ex illis æstimandum, una cum aliis spectatoribus, haut gravate relinquere possim. De personalibus categoriis aliàs monui, nec hic repeto.

IN-

INDEX DISPUTATIONUM.

1. Disput. de Theologiâ Practicâ. Pag. 1.
2. Ejusdem Pars Secunda. 11.
3. Ejusdem Pars Tertia. 21.
4. Ejusdem Pars Quarta. 31.
5. Ejusdem Pars Quinta. 42.
6. Ejusdem Pars Sexta. 51.
7. De Præcisitate ad Illustrationem Quæst. Catecheticar. XCIV, CXIII, CXV. 59.
8. De Amore Dei. 79.
9. De Superstitione. 91.
10. Additamenta quædam. 126.
11. Appendix Historico-Theologica de Sternutatione. 132.
12. Ad Disputationem de Superstitione, ubi de Genuflexione ad nomen Iesu & ad Mensam seu Altare. 139.
13. Pars Secunda. 163.
14. Pars Tertia. 179.
15. Pars Quarta. 201.
16. Pars Quinta. 214.
17. De Cabala. 226.
18. De Idololatriâ Indirectâ & Participatâ. 234.
19. Ejusdem Pars Secunda. 245.
20. Appendicula de Precatione ad Orientem. 269.
21. Ejusdem Pars Tertia. 278.
22. Appendix. 317.
23. Quæstio proposita à Classe Gorinchemensi Facultati Theologicæ Vltrajectinæ. 358.
24. Albaspinæi Notæ & Observationes in Can. II, III, IV, XI, LV, LVI, LIX. Concilii Eliberini. 368.
25. De Canonizatione Sanctorum. 386.
26. Ejusdem Pars Secunda. 393.

* *

27. Ejus-

27. *Ejusdem Pars Tertia.* 400.
28. *De Patronatibus, Tutelis, & Præfecturis Sanctorum.* 415.
29. *Ejusdem Pars Secunda.* 426.
30. *Ejusdem Pars Tertia.* 436.
31. *Ejusdem partis Tertiæ, Sectio Altera.* 456.
32. *De Divis seu Sanctis quibusdam Chimæricis prima, quæ est de Vrsula, &c.* 472.
33. *Ejusdem Primæ Pars Secunda.* 482.
34. *Ejusdem Primæ Pars Tertia.* 492.
35. *Indicium Sanctorum Chimæricorum.* 503.
36. *Ejusdem Pars Tertia.* 509.
37. *Appendix ad Disputationes de Superstitione & Idololatriâ.* 532.
38. *De Magiâ.* 539.
39. *Ejusdem Pars Altera.* 562.
40. *Appendix Prima.* 612.
41. *Secunda.* 623.
42. *De Ignorantiâ.* 632.
43. *Ejusdem Pars Secunda.* 642.
44. *Ejusdem Pars Tertia.* 652.
45. *De Doctâ Ignorantiâ.* 668.
46. *Ejusdem Pars Altera.* 681.
47. *De Errore & Hæresi.* 692.
48. *Ejusdem Pars Secunda.* 703.
49. *Ejusdem Pars Tertia.* 713.
50. *Ejusdem Pars Quarta.* 722.
51. *Ejusdem Pars Quinta.* 736.
52. *Ejusdem Pars Sexta.* 750.
53. *Ejusdem Pars Septima.* 768.
54. *Ejusdem Pars Octava.* 791.
55. *Notitia Latentis & Serpentis Hæresios Antitrinitariæ.* 809.
56. *De Fide, Conscientiâ, Theologiâ Dubitante.* 825.
57. *Ejusdem Pars Secunda.* 834.
58. *Appendix de Dubitatione Philosophicâ.* 847.
59. *Quæstio Status Inficialis de Adoratione Imaginum in Papatu.* 870.

60. *De Staurolatriâ sive Cultu & Abusu Crucis.* 884.
61. *Ejusdem Pars Secunda.* 893.
62. *Ejusdem Pars Tertia.* 906.
63. *Mantisa ad Disputationes de Staurolatriâ & Idololatriâ indirectâ* 931.
64. *De Agnis Dei.* 934.
65. *De Pseudo-Mortificationibus Papatus.* 946.
66. *De Processionibus.* 960.
67. *De Peregrinationibus Compostellanis.* 987.
68. *Appendicula prima de Peregrinationibus Hierosolymitanis.* 999.
69. *Appendicula Secunda de Reliquiis.* 1002.
70. *Appendicula Tertia de Peregrinationibus ad Sanguinem Boxtelensem.* 1003.
71. *De Pseudo-precationibus, Rosariis, Litaniis, Horis Canonicis, & Officiis Ecclesiæ Romanæ* 1013.
72. *De Globulis Precatoriis.* 1023.
73. *De Pseudoprecationibus, &c. Pars Secunda.* 1037.
74. *De Litaniis.* 1049.
75. *De Pseudo-Precationibus, &c. Pars Tertia.* 1056.
76. *Appendix de Officio, seu Horis Canonicis B. Mariæ.* 1068.
77. *De Benedictionibus, Consecrationibus & Sacramentalibus.* 1076.
78. *Appendix aliquot Problematum,* 1090.
79. *De Iuramento Religionis.* 1100.
80. *Ejusdem Pars Secunda.* 1113.
81. *Ejusdem Pars Tertia.* 1123.
82. *De Exorcismo.* 1135.
83. *Ejusdem Pars Altera.* 1150.
84. *Appendix de Exorcismo Infantum Baptizandorum.* 1173.
85. *Appendix Secunda.* 1188.
86. *De Sortis aliisq. e Divini Nominis Abusibus.* 1194.
87. *De Provocatione ad Iudicium Dei.* 1201.
88. *De Verbis & Factis Otiosis.* 1215.

92. *Appendicula de Poculis Salutis & boni Ominis.* 1219.
93. *De Sabbatho & Festis.* 1227.
94. *Ejusdem Pars Altera.* 1252.
95. *Appendix de Gentilium Kalendis Ianuariis, Natalitiis, Feriis Civilibus.* 1281.
96. *Appendix de Festis & quasi Festis extra Papatum observatis.* 1314.
97. *Appendicula de Computo Ecclesiastico, & Gregorianâ Kalendarii Correctione.* 1346.
98. *De Iubileo.* 1354.
99. *Appendicula de Iubileo Iesuitico.* 1381.
100. *De Quadragesimâ & Bacchanalibus.* 1383.
101. *Addenda.* 1397.

DE THEOLOGIA PRACTICA.

Resp. JOANNE CUYPIO Ultrajectino. *Ad diem 21. Februarii 1646.*

THeologia practica latè accepta notare 1.
potest omnem Theologiam quæcunque secundum sacras literas aut ex iis traditur sive in commentariis ad scripturam, sive in locis communibus, & catechezibus: quia omnis Theologia viatorum suo genere est disciplina practica, nec potest ulla ejus pars ritè ac plenè tractari, quæ non practicè tractetur, hoc est, applicatè ad praxin resipiscentiæ, fidei, spei, caritatis; seu ad usum consolationis aut adhortationis. Uti hoc docetur in *loco communi de Theologiâ*: idque hic præsupponimus tantum, non ulterius ventilamus. Confer *disp. de Theologiâ.* Strictius accepta notat. 1. Delineationem praxios seu usuum practicorum à theticâ seu didacticâ, aut didactico-polemica explicatione locorum theologicorum avulsam, & seorsim atque ex professo traditam. Quod fit *titulo theologiæ practicæ, aut Casuisticæ; aut tit. praxios fidei, spei caritatis; aut tit. resipiscentiæ, seu emendationis vitæ*, aut alio quocunque. Quâ ratione non multiplicatur ipsa Theologia, aut peregrina & nova theologiæ addimenta & epilagmata introducuntur, sed tantum diversa methodus seu ordo ac modus eam discendi aut docendi excogitatur pro vario captu & ingenio hominum. Hinc à nonnullis (inter quos eximius Theologus *Henricus Altingius*) quadruplex *Theologia* tradita fuit, *didactica* (quæ & usus practicos comprehendebat), *Elenctica, problematica, historica*, Ab *Ioh. Henr. Alstedio* distincta fuit in *Theologiam naturalem, Didactico-polemicam, Catecheticam, Practicam* seu *Casuisticam, Propheticam.* Qui idem postea seorsim edidit *libellos de Theologicis distinctionibus, regulis, definitionibus, quæstionibus: Logicam theologicam: Triumphum biblicum*, hoc est, collectionem & explicationem omnium eorum quæ in scripturâ alias quascunque disciplinas & scientias attingunt, aut iis affinia sunt. Quod idem alii titulis philosophicis extra & præter locos communes theologicos præstiterunt, ut *Danæus in Physicâ, Ethicâ, Politicâ Christianâ*: alii titulis theologicis & ipsâ locorum communium explicatione, *Zanchius de Operibus*

Creationis & in decalogum, Aretius in problematis, Polanus in syntagmat: alii in commentariis ad scripturam, ut *Martyr*, qui imprimis Ethica, politica, œconomica, & nonnulla juridica illustravit. Sunt qui seorsim & extra locos communes politiam ecclesiasticam explicant, inter quos *Franciscus Iunius in suo ecclesiastico, & Zepperus in politiâ ecclesiasticâ*. Omnia ila aut saltem pleraque hactenus recensita uno titulo & volumine, una methodo complectuntur illi, qui plenius locos communes explicant, ut *Calvinus in Institutionibus, Melanthon, Musculus, Martyr in locis communibus*, (qui ex commentariis ipsius collecti sunt) *Polanus in syntagmate*. Didactico-polemicam conjunxerunt compendiosius quidem, *Tilenus in syntagmate, Professores Leidenses in Synopsi, VVendelinus in suâ Theologiâ*, sed fusissimè *Iohannes Gerardus in locis Communibus*. *Macovii Theses* pleræque sunt elenchicæ. *Gomari* quondam præceptoris nostri *Theses* quædam accuratissimè explicant Theologiam merè positivam; quædam merè elenchicam: quædam utramque. Cum pro captu lectorum, & libertate suâ quisque autorum modo dictorum theologiæ tradendæ diversas has methodos adhibuerunt, ut nec sibi mutuò aut aliis quidquam præjudicatum voluerunt, sic nec ab aliis, quod sciam, saltem non ab æquis & candidis rerum æstimatoribus, labores eorum improbati sunt. II. Notat propriam atque uberiorem explicationem illius partis theologiæ, quæ parti priori, de fide seu de dogmatis fidei contra distinguitur. Quæ aliquando, theologia *moralis*, aliquando & synecdochicè Casuistica dicitur. Eaque rursum aut latè, aut strictè accipitur. *Priori modo* accepta complectitur omnes locos & titulos theologiæ, exceptis solis illis qui ad fidem & credenda pertinent, quales sunt de Scriptura, de Deo, de operibus Dei, de Redemptione per Christum, ubi de persona Christi, de officiis, de impetratione & applicatione salutis, aliique, quos in *priori parte problematum* indicavimus. *Posteriori* modo accepta complectitur solam explicationem decalogi, seu theologiæ moralis & casuum conscientię ad singula decalogi præcepta, cum prolegomenis. Atque ita distinguuntur ab ea peculiares explicationes exercitiorum pietatis, quæ nomine *Ascetica* veniunt, & Politica Ecclesiastica. Quamvis hæ duæ sectiones à multis locorum communium scriptoribus, aut decalogi interpretibus, aut Casuistis morali seu casuisticæ theologiæ immiscentur. Nos cum prælectiones locorum communium & hebdomadales disputationes à primis professionis nostræ in hac Academia exordiis ordine instituissemus ad confessionem Belgicam, tertiam partem Catecheseos, liturgiam, & canones ecclesiasticos: partiti tunc sumus posteriorem partem theologiæ (quam practicam appellamus) in tres sectiones, quarum

prima

prima continebat theologiam moralem & casuisticam jam inde à tertia parte catechesios usque ad tit. de precatione : *secunda asceticam*, h. e. exercitia pietatis seu praxin devotionis, ad tit. catechesios de precatione, usque ad finem : *tertia* politicam ecclesiasticam, ad nostram liturgiam Belgicam, constitutiones ecclesiasticas, & tit. de clavibus regni cœlorum seu disciplina ecclesiastica ex secunda parte catechesios huc tractum. Ad tertiam hanc sectionem reducimus etiam theologiam, quam alii vocant propheticam, seu theologiam practicam concionatoriam. Ordinem illum & modum tractandi theologiam, ac distribuendi ita sequi tunc visum est, partim ut ad publicas formulas modo dictas nostra accommodarem, & studiosos nostros assuefacerem ; partim ut ingenio & memoriæ ipsorum tanto melius consulerem ; partim ut ad legendos bonos autores, & conficiendos indices materiarum, ac dispositiones locorum communium, omniaque lecta, audita ad suos quæque titulos ac subtitulos referenda manuducerem, & quamvis non tantum studiosis, sed & nonnullis doctis ac piis ecclesiarum pastoribus hæc tumultuaria opera nostra non displicuerit, ita tamen isti ordini, ac distributioni me non adstrinxi, ut aliis meliora adferentibus velim quidquam præjudicare, aut ipse putem à me aut aliis cum tempore accuratiora & limatoria adferri non posse. Docebunt hoc forte, si Deus volet, aliquando discipulis nostris, aliisque benevolis φιλομάθεσι communicanda.

His ita præcognitis, & relicto sui cuique judicio circa ordinem ac rationem tractandi, ut & distributionem theologiæ practicæ ; modo maneat nobis praxis theologiæ & pietatis : accedamus ad examen problematis unius atque alterius. *Prius Probl.* An reformati theologi versati sint in theologia practica, eamque tradant : an vero theologia eorum sit merè speculativa. *Resp.* Nos *pr. aff.* & *post. Neg.* contra Remonstrantes & Pontificios : quorum illi calumniantur nostram theologiam esse merè speculativam, *Apolog. fol.* 17. *Petrus Bertius* nec textualis, nec dogmaticus, nec practicus theologus, qui cum illotis manibus ad theologiam docendam provolasset, cujus fundamenta nunquam jecerat, tam facile ab ejus professione primò ad Remonstrantismum quinquarticulanum, postea ad Papismum sæculi typho ac typhone ita ferente prolapsus est, quam eam profiteri ausus fuerat. Verba autem ejus sunt in oratione apostatica habita Lutetiæ Parisiorum in Collegio Berodiano 6. Non. Octobr. 1620. edit. Antwerpianæ apud Joannem Cnobbarum in 8. 1621. pag. 26. *Pietatis vero exercitia ita fuerint seria* (in Romana scil. ecclesia,) *ut quamvis totum illud quod est de moribus & de conscientiæ examine negligant in scholis suis novatores Theologi, tamen quoties in templis aliquid ad populum hac de re dicendum* 2.

est, non aliunde quam à nostris petant argumenta, quibus auditores ad dilectionem Dei & proximi excitare possunt. Utrorumque calumniam hanc satis abstergit ipsa lux factorum: cum conciones præstantiorum inter nostros concionatorum, & infinita ferè reformatorum scripta (quorum aliqua in nostra *Bibliotheca theologica* indicavimus) meram praxin spirent: ita ut nostri instar Socratis theologiam è cœlis in terram deduxisse, seu mavis è terra & pulvere scholastico in Cœlum subduxisse dicendi sint. Quam hic emicuerint scriptores Angli, jam indè à *Perkinso* (ex quo ceu fonte perenni &c.) infra tribus verbis indicabimus. Et quod si sub titulis practicis peculiares libri editi non essent (uti sunt quam plurimi:) certè primi *locorum communium scriptores* modo *cit.* & *commentatores*, & vel unus *Calvinus*, tam abundè practicæ theologiæ semina, regulas, applicationes spargentes, adversarios confundere possent. Quam etiam practica sit reformatorum theologia in illis capitibus quæ maximè arida & speculativè sterilia videntur Remonstrantibus, ostendimus peculiari *Tract.* nostro *contra Tilenum* vulgari lingua edito, & in *dispp. de Dei simplicitate, de ejusdem scientiâ, de necessitate & utilitate doctrinæ de Trinitate.* Contra quam vacua sit ab omni praxi atque ad eandem inepta, theologia Remonstrantica & Sociniana, & quomodo illa tandem in mera moralia Platonis, Aristotelis, Theophrasti, Xenophontis, Senecę, Plutarchi, aliorumque, ut & Mahumetistarum, Judæorum, desinat, *tract.* illo *cit.* ex parte ostensum, & nuperrimè graviter ac eruditè de eo monuit *Abrah. Heidanus in Causa Dei c. Episcopium* vernaculo sermone editâ. Sed ubi in tanta libellorum Remonstranticorum turba, quibus Belgium impleverunt, comparent scripta practica? ubi theologia moralis? ubi casuum conscientiæ explicatio? ubi justi commentarii in decalogum? Ubi exercitiorum pietatis umbra aut nomen? Ubi institutiones spirituales? Nisi forte *Henr. Slatii* paricidæ *libellum de precatione*, & *Poppii conciones quasdam* tit. *Portæ angustæ*, cum *libello de præceptis Christi, & consolatione ægrotantium; & scripta nonnulla Diederici Raph. Camphuysen*: & quidni *scripta Diederici Cornherti* aut *Ethicam Crellii* Sociniani, nobis commonstrare velint. Sed quid de tali practica ἀπροκλήτῳ, verè ἄργῳ λόγῳ, deque miserâ illa & conditionata consolatione (vera metus & doloris carnificina aut desperabunda præsumtione) censendum sit, à nostris abundè indicatum est. Pontificios quod attinet, libens fateor aliquam theologiam practicam in scholis eorum & auditoriis theologicis excoli, & quamplurimis scriptis certatim tradi: ut ex *Bellarmino de scriptoribus ecclesiasticis*, *Possevini bibliothecâ selectâ*, *Philippi Alegambe bibliothecâ scriptorum Soc. Iesu*, *Valerii Desselii Bibliotheca Belgica &c.* Satis superque cuilibet istarum rerum curioso constare poterit: adeo ut scri-

scriptoribus Remonstranticis circa Socinianas, Pelagianas aliasque profanas & semi-scepticas rhetoricationes ac contentiones languentibus longè præstent hâc in parte. Dissimulanda tamen non sunt vitia, quibus theologia moralis seu casuistica (de Asceticâ & Politicâ ecclesiastica seorsim & alibi dicemus) apud ipsos laborat. Quæ ad tres classes revocamus. I. *est, in excessu*: cum tamen minutim, & curiosè usque ad sectiones in pulverem nonnulla excutiunt & operosè adolescentibus aut juvenibus proponunt in scholis & monasteriis suis; præsertim ea quæ pertinent ad septimum decalogi præceptum. Quod in ipso Papatu in Jesuitis præsertim detestati sunt Theologi Sorbonæ Parisienses. Notavit hoc *Rivetus in comment. ad 7. præc. decalogi*, & nos *in Desper. Causâ Papat. lib. 2. sect. 2. cap. 2.* Et cum tam operosè consectantur casus canonisticos suos, & casus monasticos (videat, cui vacat spissum volumen *Roderici de regularibus*, & *Mirandæ manuale prælatorum regularium*) non ex regulis juris divini ortos, nec ad eas reductos aut determinatos, sed ut plurimum ad vanas hominum traditiones & consuetudines. II. Est *in defectu*: cum medullam & nucleum theologiæ practicæ, praxin scil. fidei salvificæ, & salutaris resipiscentiæ, cum scholâ tentationum ac desertionum spiritualium, & solidâ consolatione in vitâ & morte, & casibus, quæstionibus, ac dubiis huc propriè spectantibus, aut plerumque prætereant, aut negligenter habeant. Causa autem hujus defectus alibi quærenda non est, quam in defectu & corruptione ipsorum theologiæ dogmaticæ, seu explicatione articulorum fidei, imprimis circa impetrationem salutis per solum meritum Christi, & applicationem ejusdem per gratuitam justificationem & gratiam efficaciter regenerantem ac convertentem. III. Est in determinatione multarum quæstionum & casuum, aut apertè falsa & perversa, aut ambigua, dubia, periculosa. Catalogum eorum dederunt ex nostris nonnulli cit. in *disp. de Atheismo. part. 4. §. 3. pag. 192.* Et nos in *prælectionibus locor. commun.* & in *disspp. quibusdam ad decalogum* publicè editis cœpimus ex autoribus eorum suis quæque locis hæc indicare. Causę hujus corruptionis sunt *tum generales*, 1. Scripturæ scil. ignorantia. 2. Fidei currentis & consuetudinis receptæ & sensus atque affectus mundani (præsertim in magnatibus ecclesiasticis & politicis) servilis affectatio. 3. Contentiones cum æmulis cathedris aut sectis scholarum, cum aliis monachorum ordinibus, cum aliis membris hierarchiæ Papalis, cum aliis nationibus, aut factionibus politicis ex. gr. Gallorum cum Hispanis & Austriacis, & vice versa. Speciales causæ sunt. 1. Falsa Doctrina de Meritis operum, de peccata mortali, & veniali: deque motibus primo primis. 2. De confessione auriculari & absolutione, & quidem absentis per procuratorem,

etiam inviti. 3. De opere operante & operato deque attentione virtuali, in precibus & hymnis. 4. De præceptis & consiliis. 5. De satisfactionibus humanis, & indulgentiis, deque liberatione & auxilio animarum post hanc vitam. 6. De indultis & dispensationibus Papalibus, & tota taxa ac practica pœnitentiariæ ac cancellariæ apostolicæ. De sordibus illis aliquid monuimus in *disp. de Indulgentiis.* De dispensationibus passim in ipso Papatu jam sæculis aliquot prudentiores graviter conquesti sunt. Ut antiquiores veritatis testes nunc præteream, videantur *Cajetanus*, *Sylvester*, *I. de Graffiis*, *in suis Casuisticis*; *Tapperus* imprimis *in orat. theolog.* 10.: „ubi ait, omnes studere avaritiæ, atque per dispensationes super beneficiorum pluralitate, & super aliis plurimis, super quibus nec ipse Christus dispensare posset &c. omnia esse venalia &c. Defendunt tamen Papales dispensationes *Andradius in defens. concil. Trident. fol.* 166. *Bellarminus lib.* 1. *de Pontifice c.* 12. *& lib.* 3. *cap.* 5. *& lib.* 2. *de Antichristo cap.* 14. *Canus in locis theol. cap.* 18. Hæ causæ sunt, quod instar nasi cerei tam multa ad conscientiam pertinentia ibi flectant ac trahant, in quamcunque partem humani eorum affectus, & mundi ventus, hominumque favores, odia, studia impulerint: quod Pharisaico more sæpè camelos deglutiant, culices excolent: quod quodlibeticis & pugnantibus disputationibus, conscientiæ circa non pauca quæsita ibi dividantur, non instruantur; perturbatiores evadant, non doctiores aut meliores; & tandem ad profanam securitatem, aut scepticam ἐποχὴν deveniant, tam certæ scil. in negotio pietatis, ac in applicatione fidei justificantis. Cætera, his defectibus notatis & evitatis, usum non contemnendum agnoscimus præstantiorum Casuistarum in Papatu, ut & *scriptorum ad Thomæ* 1. & 2. 2. Confer quæ diximus in *disp. de Theologiâ Scholasticâ.* De usu asceticorum seu libellorum piorum (uti vocant), seu devotionis, ut & politicorum Ecclesiasticorum, seu Canonistarum, alibi dicendum est.

3. *Alterum problema est:* An Theologia practica sit necessaria, eaque utiliter in ecclesiis & scholis suâ cuique conveniente methodo doceatur, & ad studium ejus ministerii candidati excitandi ac manuducendi sint? *Resp. Aff.* contra quoscunque, si qui aut hostes pietatis, aut moribus minimè practici, aut vanitate ingenii sui luxuriantes, aut ignaviæ & ignorantiæ consecranei, hanc studii theologici partem minus curant; quin & in æstu contentionis ejus partes ac determinationes aliquot juxta τὸ ἀκριβές in scripturis revelatum, vitilitigationis, μωροσοφίας, præcisitatis, puritanismi, pharisaismi, anabaptismi, monachatus, papismi, superstitionis, legalis & anti-euangelicæ theologiæ, odiosis nominibus traducunt. Sed forte absterrebunt quem ab operosæ hujus theologiæ studio variæ illæ appellationes,

Theo-

Theologiæ *Casuisticæ*, seu *moralis*, *Patristicæ* seu *historicæ*, *Ascetica*, *Scholasticæ*, *Politiæ ecclesiasticæ*. In vocibus faciles esse debemus, modo in re conveniat. Si titulares illæ appellationes apud nostros theologos ante hac usitatæ non fuissent, nihil tamen novi adfertur in theologiam, modo constet res illis titulis nunc designari solitas, antehac à præstantissimis theologis nostris, Luthero, Melanthone, Calvino, Beza, Martyre, Hyperio, Danæo, Aretio, Fr. Junio, Zanchio, Lavatero &c. sparsim in scriptis eorum traditas esse; quæ postea à recentioribus quasi ad signa sua sub illis titulis revocatæ fuerunt. *Casuistica*, illo nomine nota fuit Perkinso, Amesio, Balduino, Alstedio, & consequenter sonuit hoc nomen in Academiis & ecclesiis reformatis: & appellatione synonymâ *Ethicæ ac politicæ Christianæ Danæo*; *Philosophiæ sobriæ tom.* 3. *Meisnero*; *Commentariis in decalogum*, *Riveto*, *Thummio*, *Danhauvvero*, *Zanchio*, *&c.* *Patristica*; nomine synonymo *Theologiæ historicæ* cum laude tradita fuit in Academ. Groninganâ ab eximio Theologo *Henrico Altingio*. Eandem dedit *Perkinsus* tit. *Problematis Catholici*. Simile quid intenderunt *Polanus* tit. *Symphonia Catholicæ Christoph. Pelargus* tit. *compendii theologici*, *ex scripturâ*, *patribus*, *Luthero*. *Henr. Erkhardus* tit. *compendii theologiæ patrum*; *Gerhardus Ioh. Vossius in variis thesibus suis* tit. *disput. historico ecclesiasticarum*, seu *historico theologicarum*. Ut nihil dicam de prolixioribus scriptis, *bibliothecâ studii theologici* Genevę à Crispino edita, *Sculteti medullâ patrum*; *Ioh. Forbesii* à *Corse Institutionibus historico-theologicis* &c. *Ascetica*, titulo synonymo *gymnasiæ* seu *gymnasticæ*, *exercitii* seu *praxeos*, seu *exercitiorum pietatis* notissima est pietatis amatoribus, ex libellis practicis *Iohannis Gerardi*, & *Ludovici Bayllii*: quorum posterior ex anglico in Gallicum, Belgicum, Germanicum idioma (forte & Hungaricum; saltem opus inchoatum puto) traductus, omnibus fere reformatis ecclesiis innotuit. Alios scriptores Anglos, & nostrates Belgas, nec non Pontificios, nunc volens prætereo. Vox græca *Ascetica* (quam brevitatis causâ adhibere soleo) nihil magis peregrini sonat, quam voces græcæ theologię *didactica*, *elenctica*, *polemica*, *problematica*; aut voces *Enzoia* & *Euthanasiæ*; quæ postremæ *Perkinsii* aliorumque tractatibus, ac disputationibus ex theologia practica decerptis præpositę sunt; aut quam græcæ voces *syntagmatis*, *systematis*, *methodi*, *synopsios*, *enchiridii*, quibus frontispicia quorundam locorum communium insignata videas. Sed omni exceptione majus est, quod vox *asceseos* & *gymnasiæ* 1. exercitii, ex scripturæ fontibus, hausta sit. Vide *Actor.* 24. vers. 16. In hoc ipse ἀσκῶ &c. 1 *Timoth.* 4. vers. 7. γύμναζε ἢ σαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν, & vers. 8 σωματικὴ γυμνασία. *Scholastica* inaudita non fuit *Danæo in commentariis ad Lombardum*, nec *Trelcatio* juniori *in Institutionibus locor. communium methodo scholasticâ* &c.

(uti

(uti habet titulus): nec eruditissimo & subtilissimo *Ferrio*, *in Scholastico-orthodoxo*. Confer *disp. nostram de Theologiâ scholasticâ*. Omnia hæc pro arbitrio & captu cujusque seorsim & synopticè ita tradi possunt: aut simul & conjunctim in ordinaria explicatione & prælectione locorum communium: aut saltem ut in nonnullis locis commun., si non in plerisq; breviter attingantur & φιλομάθησι gustus eorum aliquis detur, expleturis aliquando famem, ubi otium & occasio obtigerit. Quæ cum ita fiunt, non est metuendum ne dividatur aut nimium multiplicetur theologia: aut simplicitas ejus corrumpatur; aut studium locorum communium, aut controversiarum, aut theologiæ textualis, explicantis scil. textum scripturæ, negligatur. Minime: quod ut pateat, hac occasione candidè aperiemus rationem tradendi illam partem theologiæ, quæ practica appellatur, & cujus terminos supra designavimus, quam in hac Academia servamus: nihil aliorum methodis, moribus, & judiciis hac in parte præjudicantes. Professores theologi per Dei gratiam in omnibus ἰσόψυχοι in suis quique collegiis tum concionantium, tum repetentium conciones publicè habitas, theologiam practicam concionatoriam pro re nata inculcant, & textus practicos (præter dogmaticos, & elenctico) tractandos præscribunt, præstantissimos autores indicant, quorum opera studiosi hic juvari possint, Prælectionibus textualibus ad scripturam præter usus practicos, digressiones ad capita practica, & ad casus conscientiæ ac quæstiones morales admiscent. Prælectiones locorum communium ita instituunt, ut non tantum praxis articulorum fidei explicetur & (ubi opus) contra adversarios defendatur; sed ut etiam peculiariter & ex professo omnes & singuli tituli ac subtituli secundæ partis theologiæ, quæ moralia per totum decalogum, & exercitia pietatis, ac politiam ecclesiasticam complectitur, aut per theticas explicationes, & delineationes, aut per quæstiones earumque determinationes, aut per utrasque pertractentur; modò prolixius modò brevius: prout rei aut auditorum necessitas hoc postulat. His adduntur collegia privata examinantium *ad Casus conscientiæ Amesii*. Præter collegia locorum communium: quæ *ad synopsin Profess. Leidensium*, *Maccovii locos comm.*, *Clutonis ideam*, *Catechesin Vrsino-Pareanam*, *Mellificium Diestii*, *VVollebii synopsin*, *Amesii medullam*, *Gomari locos comm.*, *Altingii didacticam & elencticam*, *VVendelini theologiam*, & subinde ad nudos titulos haberi solent: etiam ad *syllabum problematum* per totam theologię *partem priorem*, antehac à me editum. Seorsim etiam collegia habentur elenctica ad scripta adversariorum e. gr. ad *Becani manuale*, ad ejusdem *theologiæ scholasticæ*, aut ipsius *summæ Thomæ*, aut *synopsios Alagonæ* partem aliquam; ad *catechesin Remonstrantium*, *ad eorundem apologiam*; ad Socinianam aliquam synopsin;

ad

ad omnes hodie agitatas controversias quas in *summam* suam collegit & quasi in tabellâ exhibuit amicus noster & nuper collega *D. Johannes Hoornbeeck*. Ubi *ad Commentaria catechetica*, aut *ad Amesii medullam* collegia haberi contingit: major occasio se offert ad plures theologiæ practicæ titulos & quæstiones excurrendi. Quidquid autem hic brevius explicatur aut omnino præteritur, supplent collegia ad *Amesii casus conscientiæ*. Occasionem etiam aliquam practicam theologiæ amplius illustrandæ suppeditant collegia scripturaria seu textualia, in quibus examen instituitur super scripturę textibus, quæ ab adversariis detorquentur, aut super V. & N. T. historia sacra, aut super integris quibusdam scripturę libris, aut super selectis textibus ad analysin cum annotatione doctrinarum & usuum propositis. Accedunt etiam collegia, ubi scribendis meditationibus, precationibus, adhortationibus, consolationibus, consiliis theologicis & ecclesiasticis, casuum determinationibus studiosi exercentur: ut sic paulatim ad praxin & pragmaticam ecclesiasticam manuducantur. Nec prætereundum, quod tota politia ecclesiastica cum quæstionibus & casibus eò pertinentibus, non tantum publicis prælectionibus in cursu locorum communium, sed & privatis exercitiis collegialibus percurritur. Quid, quod collegia Ethica & Politica sub professoribus philosophis, & philosophico-theologica sub professoribus theologis (de quibus vide *disp. de philosophiâ sacra*) plurimum theologię practicæ ancillentur. Cum his exercitiis conjungunt studiosi theologiæ, auditiones catechizationum, quæ publicè aut privato-publicè hic habentur satis frequentes: ubi ad tertiam partem catecheseos, item ad formulam administrationis cœnæ (quæ exstat in *liturgiâ belgica*) & ad nudum titulum de religioso jejunio (occasione publicorum jejuniorum), nec non ad fundamentales historias scripturę, de Creatione scil., de lapsu, de diluvio, de plagis Ægypti, de Christi nativitate, ejusdem vitâ & tota historia Euangelica, imprimis de passione, resurrectione, ascensione, Spir. S., missione, practica maximè necessaria populariter pro captu catechumenorum & auditorum tractantur.

Necessitatem Theologiæ practicæ, & utilitatem studii ejus instituendi probamus. 1. Ex scriptura 1 *Timoth.* 6. *v.* 3. *Tit.* 1. *v.* 1. *Actor.* 24. 16. 1 *Timoth. v.* 7. ubi tota Theologia vocatur veritas & doctrina secundum pietatem & *asceſis*. Cum ergo praxin pietatis, seu fidei, resipiscentiæ, conscientiæ, & usus practicos excitationum, consolationum, adhortationum, per totam theologiam (imprimis ubi loci communes sunt & dicuntur peculiari ratione practici) commonstramus, aut seorsim à locis communibus quasi in tabella ob oculos ponimus (utroque enim modo & methodo hoc 4.

fieri diximus :) à ſcriptura & munere theologi non diſcedimus. Non diducemus hoc argumentum, ſed ſtudioſos noſtros ad lectionem *orationis Ameſii*, quam *Caſibus* ſuis ſubjunxit, remittimus. 11. Ex neceſſitate & utilitate perfectæ legis divinæ, 1. ad vitæ informationem ac directionem, 2. ad convictionem de peccato, gratiæ deſiderium, humiliationem coram Deo, & ſalutarem deſperationem in nobis ipſis. De quibus videatur *Catecheſis quæſt.* 3. & 115. & *ſcriptores locor. commun.* ubi contra Antinomos: inter alios *Melanthonem & Polanum*; qui mihi nunc occurrunt. Poſt primam hujus diſput. editionem prodiit *Summa controverſiarum D. Iohannis Hoornbeeck* tunc noſtri collegæ, ubi hodierni antinomiſmi venenum abundè detegit. Sequitur ergo legem illam, uſque ad ſingulas virtutes, & vitia, uſque ad infimos & minimos conſcientiæ caſus (ſaltem quorum determinatione eccleſiæ & communis hominum vita illic indiget), idque ex præſcripto verbi Dei à Profeſſoribus, & verbi miniſtris pro concione & in inſtitutionibus catecheticis explicandam: niſi minimi velint haberi in regno cœlorum, *Matth.* 5. 19. Confer infra *diſp. de præciſitate.* Atqui hæc explicatio legis maximam theologiæ practicæ partem facit. 111. Ex multiplici fructu, quem primum ſtudioſi theologiæ, poſtea in ipſis & per ipſos eccleſiæ percipiunt. Hac ratione homines expeditè & evidenter ad fidei & reſipiſcentiæ praxin adducuntur, ad conſcientiæ atque integritatis ſtudium arctamque cuſtodiam exiſtimulantur; adhæc idololatræ & ſectarii felicius convincuntur aut confunduntur, imprimis illi, qui exprobrant nobis defectum theologię practicæ. Sed quia forte otioſa videretur hujus argumenti operoſior deductio, conſcientiis omnium piorum illud cogitandum reliquimus. 1v. Ex exemplis præſtantiſſimorum theologorum: quos ſupra *theſi* 2. & in *Bibliotheca noſtra lib.* 2. *ſect.* 2. *c.* indicavimus. Supra omnes nationes reformatas in excolenda & perficienda hac theologia halcyoniis ſuis, (ſuppreſſo quippe Papiſmo aliiſque ſectis excluſis) fruentes, ſudarunt Angli; imprimis jam inde à *Perkinſo* practicorum Anglorum Homero uſque in hunc diem. Ex Belgis noſtris quamplurimi non ſegniter eos ſecuti ſunt, excitati jam ante inſigni tract. *Taffini* ſui de *Emendatione vitæ.* Catalogum autorum hic non texam. In *Bibliothecâ* concionum ſcriptores & alios practicos indicavi, qui abundè probant, quod dixi. Si quis cum iis contulerit *Repertoria ſynodorum*, imprimis *Hollandicarum*, videbit quam acuratè in caſibus quàm plurimis decidendis verſati ſint noſtri. Quorum indicium & defenſionem, ubi opus fuerit, nos data occaſione in diſputationibus noſtris moliemur. v. Ex perpetuis votis & poſtulatis Eccleſiarum, Claſſium & Synodorum noſtri Belgii. Obverſantur mihi nunc petitiones & inſtantiæ Synodorum Hollandicarum jam ab anno 1619.

no 1619. & aliquot deinceps, apud Nobiliſſ. & ampliſſ. DD. Curatores & Cl. DD. Profeſſores Acad. Lugduno-Batavæ, ut peculiaris Profeſſor theologiæ practicę conſtitueretur: quibus à DD. Profeſſoribus promiſſum, ſe theologiam practicè & ad praxin tradituros: uti ex actis ſynodicis conſtat. Exceperunt hanc promiſſionem inter alia utiliſſimi in hoc genere labores *D. Riveti* in Academia Leidenſi, & *D. Ameſii* in Acad. Franequerana; quorum ille *Commentarium ad decalogum*, iſte *Caſus conſcientiæ* Eccleſiis impartitus eſt. Juſtum aliquod opus & collegium de caſibus conſcientię meditabatur *D. Maccovius*; cujus ſpecimen titulo *diſputationum ad decalogum* nunc editum, morte præventus pertexere non potuit. Nuperrimè ſynodus Noordt-Hollandica anno 1645. Harlemi habita (uti conſtat ex actis ejuſdem artic. 34.) renovavit petitionem, ut in Academia Leidenſi caſus conſcientiæ prælegerentur. Ibidem refertur unum ex Cl. DD. Profeſſoribus Leidenſibus jam promiſiſſe ſe acturum cum collegis ſuis, ut Synodo & ſtudioſis hic ſatisfieri poſſet. Quin & Galli, Hungari, Tranſylvani, Germani, Helvetii, præter Belgas noſtros ſuavitate & præſtantia medullaris hujus theologię percepta, libris practicis ex Anglico idiomate transferendis certatim hujus theologiæ, vexillum efferunt. In quem finem tam cupidè plurimi ſtudioſi Hungari, Tranſylvani, Belgæ, Germani, Helvetii ſive domi ſive in Anglia idioma Anglorum addiſcunt & practicos eorum libros ſibi comparant. VI. Accedit ſenſus & conſenſus Eccleſiarum noſtrarum in Belgio, ſaltem quod ad meliores partes, quæ miniſtros ex intima praxi ſecundum ſcripturas ad conſcientiam propius & efficacius loquentes ſtudioſè quærunt, affectantur, mirantur; non ſine aliquo pietatis proventu. Unde ſtudioſi noſtri vident, ſtudii hujus practici magnam neceſſitatem ſibi impoſitam.

DE THEOLOGIA PRACTICA
PARS SECUNDA.

Reſp. JACOBO PRICQUIO Enchuſa-Weſt-Friſ. *Ad diem* 28. *Febr.* 1646.

Diluamus nunc, quæ ſubinde contra utilitatem ſtudii hujus ab imperitis aut ignavis proferri ſolent.

ESSE novitatem. *Reſp.* pro noſtrâ, quam commendamus, proque omni aliâ quàcunque methodo & modo tradi ſolitâ (modo cum ſcripturis conveniat) ſic reſpondemus. 1. De novitate, quid in genere reſponderi ſoleat vulgari præjudicio 1.

Pontificiorum videndum est apud *Whittakerum alioſque Antagoniſtas Bellarmini de Notis eccleſiæ.* 2. Novitas est vel in modo & forma tradendi praxin theologię vel in ipsa materia. De illa non est laborandum, antiqua sit an nova, absolutè nova an huic illive nova, qui ei non adsuevit: modo sit commoda & captui discentium accommodata. De ista respondemus, novitatem contra scripturam, in cujuscunque Theologia Practica, aut etiam quacunque theologia aut philosophia occurrat, merito esse improbandam. Et supra *part.* 1. ostendimus vitia casuisticæ Papalis. De pseudopraxi, seu potius ἀπραξίᾳ theologiæ Remonstranticæ ante complures annos ex professo scripsimus *contra blasphemum libellum Danielis Tileni* vernaculo sermone ex gallico hic in Belgio editum. Quod ad praxin & casuisticam quæ communiter in ecclesiis & Academiis reformatis traditur, illa antiqua est & scripturaria, promotioni pietatis & morum reformationi unicè inserviens. Quod si illa aliquibus in sententiis Pontificiorum aut Remonstrantium, aut Anabaptistarum, aut etiam Lutheranorum (vide *Eckhardi Fasciculum, Meisneri philosophiam sobriam, Kesleri casus*) palato non sapit, aut aliquorum ex reformatæ ecclesiæ sive membris sive auditoribus, privatis moribus & placitis non ita congruit: utique ipsis nova videntur, interim revera non sunt. Experiuntur passim concionatores nostri in fœderato Belgio, sectis, Papistarum, Anabaptistarum, Remonstrantium, præterea Epicureis, Libertinis, neutralibus, mere naturalibus & civiliter honestis hominibus, infesto, se novi & hyperbolici ausus ab aliquibus sectariorum, aut etiam & imprimis à carnalibus quibusdam auditoribus suis argui quotiescunque gladium verbi ex professo strinxerunt contra divini nominis abusus; sabbathi profanationes, choreas & ballettas; spectacula & actiones scenicias; usuras mordaces publicè grassantes, & artem trapeziticam; capillorum, faciei & totius corporis immodicum ornatum; duella, & quamcunque vindictam privatam, ac vim vi repulsam; comessationes & ebrietates, earumque conciliationes per signacula & artificia compellentium santearum & poculorum encyclicon; aleas & fritillos; prætensa jura patronatus; violationem disciplinę, libertatis, & potestatis ecclesiasticę per prætensam Magistratuum & honoratorum in negotiis & causis ecclesiasticis potestatem; Multiplices bonorum ecclesiasticorum abusus; reliquias hierarchiæ Papalis in catachresticis titulis capitulorum, canonicorum, scholasticorum, archidiaconorum, vicariorum &c.; reliquias aut saltem speciem Papalium superstitionum in vanis observationibus pinguium festorum, aliarumque consuetudinum ac rituum in funeribus, nuptiis, confraternatibus &c. & in retinendis ac usurpandis instrumentis idololatricis ex. gr. crucium in templis, cœmiteriis, sepulcris; crimina peculatus, sacrile-

crilegii, simoniæ. Hæ paræneses, & redargutiones piorum concionatorum si non repugnent, sed bene conveniant scripturæ, antiquis conciliis & patribus, communi doctrinę & intentę praxi ecclesiarum nostrarum, decretis nostratium synodorum, judiciis præstantissimorum theologorum, profanæ novitatis condemnari non debent, sed potius illi qui secundum veterem hominem judicantes eas antiquari vellent & non renovari, saltem non tam sæpe, aut non tanto, uti putant, cum strepitu, & acrimoniâ. Quæ autem in captibus modo recensitis veritas, antiquitas, utilitas sit, practicæ theologiæ reformatorum, quam nos sectari profitemur, ostendunt *disputationes, ad secundam partem theologiæ*, & ad *politiam ecclesiasticam* hactenus editę.

11. Theologia practica & Casuistica circa minutias languere videtur, 2.
& pertinaciter magnos circa illas scrupulos movere, & urgere. *Resp.* 1. Non quæritur primo de quantitate, sed de qualitate actionum; an scil. sint bonæ aut licitæ? Ubi constiterit esse illicitas, tum demum à genuinis Casuistis quæritur, quam magnum sit ibi malum, & quousque ac quomodo tolerandum, cum tolli non potest. Sed per elenchum sophisticum carnalium, aut dolosorum hominum hæc perpetuo confunduntur. Dolosus enim non bene distinguit; ideo nec bene discit aut docet: sed semper in generalibus versari gaudet. 2. *Parva* mala cum Casuistę secundum legem Dei discernunt & ad abstinentiam ab iis conscientias ligant (juxta *Matth.* 5. *vers.* 19.), non tamen majora aut maxima negligunt; sed tantò fortius ac felicius cum illis belligerantur. Illud faciendum, & hoc non omittendum docet servator *Matth.* 23. 23. Quod si per minutias adiaphora & licita intelliguntur: utique in talibus minutiis urgendis magnum peccatum à theologo practico committi diceremus, ubi constiterit tale quid ab aliquo factum. 3. Calumnia est, quod à reformatis Theologis (quos Calvinistas, Puritanos &c. indigitant) circa minutias, grandes scrupuli moveri dicuntur. Moventur minores aut majores, analogicè secundum gradus peccatorum. Sic ex. gr. major scrupulus movetur circa fornicationem aut adulterium, quam circa choream aut comœdiam; circa homicidium, aut duellum armatorum, quam cum nudis verbis, aut pugnis contenditur. Circa utrumque tamen movetur. 4. *Nec tamen* tam facile sub minutiarum titulo negligenda tam multa, quibus amori & honori Dei nostri, conscientiarum tranquillitati, ac professionis nostræ integritati præjudicatur. Parvum peccatum materialiter consideratum, ratione materiæ, formaliter tamen quod ad inobedientiam magnum est, si objectum in quod peccamus, Deum nostrum, si subjectum quod peccat, hominem scil. redemptum Christi sanguine, insignitum ejus spiritu, si principia, fon-

tes, causas, & motiva, effecta ac fructus peccatorum penitus consideremus. Malim ego audire aut legere Malum summi mali h. e. turpitudinem turpissimam peccati mortalis Jesuitæ Drexelii, & quidquid practici ad exaggerationem peccati secundum rhetoricam divinam depromere solent, quam periculosos illos Sirenum cantus de *Minutiis*, seu *peccadiliis*, ut Hispani loquuntur, deque nodo in scirpo. Quamvis peccata non sint paria, consistit tamen generica & communis difformitas eorum in puncto indivisibili. Quod parvum est materiâ, non est parvum formâ. Quod parvum in se, magnum potest esse in consequentiâ. Quod parvum in principio, fit tandem magnum in fine, si negligatur: haut aliter ac unica favilla domum & minima rima navem perdit. 5. *Ambiguè* nimis & periculosè larvæ illæ de minutiis objiciuntur. Facile est inventis aliquid addere. Posset hic excogitari infinitum potentiâ. Quis tandem finis esset scruporum & minutiarum. An unum minutum minutissimo alicui malo e. gr. vanitatis capillaris, aut syncretismi seu symbolizationis cum superstitione, aliarumque parvarum, uti vocari solent, vanitatum, faciet illud ilico magnum malum, quod ad conscientiam & animum revocandum. Si negatur, jam rursum quæret alter de secundo minuto superaddito, & tertius de tertio, quartus de quarto, & sic deinceps, & discent gestare hoc onus conscientiæ sine scrupulo, non minus quam Milo Crotoniates suum vitulum, factum tandem bovem. Sin affirmatur: jam petet alter, ut te accingas ad probationem, & accuratè determines in omnibus illis externis τὸ *maximum quod sic*, & τὸ *minimum quod sic*, definitè scil. ac specificè. Insuper ut ostendas, ubi tandem statura sit hæc exceptio, & an non omnia evacuatura tanquam minutias minimè aut parum ad conscientiam pertinentes, quæ politicam infamiam non inurunt, aut quæ saltem ecclesiasticæ tolerantiæ terminos non transcendunt? An etiam pars peccatorum, quæ recenset formula Belgica administrationis Cœnæ, (ex. gr. avaritię, aleæ, fœnoris) nomine minutiarum venire non debeat? Et an duellatores, aleatores, bibones, πλήκται, concubinarii, fœneratores, mendaces, sordidè avari, reductivè pertineant ad prædicamentum minutiarum? Determinetur hoc ex verbo Dei, & decretis synodorum, formulis liturgicis, constitutionibus ecclesiasticis. 6. Nec careret calumniâ, si diceretur, reformatos concionatores (cum quibus nos facimus) ita mordicus inhærere designatis illis minutiis, scil. externis denominationibus, dierum & planetarum proferendis, poculis convivalibus in alterius saniratem non bibendis, tonsis supra auriculam capillis habendis, collaribus duobus digitis brevioribus, quam vulgi fert consuetudo, gestandis, aliisque mundi excelsis tollendis, ut totam theologiam practicam, aut saltem ejus præcipuam partem in iis collocent,

aut

aut proram & puppim pietatis in iis constituant, aut vanitates, quæ vulgò circa ista committi possunt ac solent, semper & quotidiè in omnibus lectionibus, concionibus (talibus enim fabellis deludi & oblectari volunt nonnulli) catechizationibus exagitent, & fortius & frequentius reformationem hic urgeant, imò pari zelo & labore reformationem istorum moliantur, quo aliorum peccatorum longè majorum, quæ in ecclesiis nostris grassantur. Istarum fabularum somniis & fumis de Præcisistis, Puritanis, Rotundis capitibus, seu Curticomis, Morosophis, ἀχαριστίαις, Morosis Humoristis, Melancholicis capititibus, Sabbatistis, ἀγροικοῖς & incivilibus, auribus Batavis, salsis & acribus Zelandis, grallatoribus &c. non raro pasci solent, nonnulli sive imprudentiores, sive ordini ministrorum & disciplinæ ecclesiasticæ minus æqui. *Mundus vult decipi, & ideo ego sum hic*: fertur quodam Monachus pro concione dixisse. Quid nostri sentiant, de vestibus, deque mundi excelsis, de encæniis & bacchanalibus, de crucibus, de nominibus & instrumentis idololatricis, & similibus distinctè pro viribus indicavimus in *disp. de Excelsis mundi, de Ebrietate, de Abusu sortis, de Idololatria indirecta, de Staurolatriâ, de Superstitione &c.* Sic tamen ut distingui velimus, & distinguamus inter sensum seu veritatis cognitionem; & inter praxin seu inter consilium prudentiæ in applicatione: inter peccata directa, & inter speciem peccati cum scandalo; inter illicitum, & inter intolerandum; inter certum, & inter magis probabile, seu tutius: inter principale, & accessorium; inter necessarium & problematicum. Ita ut malè conscientiæ & existimationi candoris ac veracitatis suæ consulant, quicunque nostrorum doctrinam hâc in parte sycophanticè torquent & sophisticè confundunt, & nescio quas fabellas aut ipsi fabricant, aut ab aliis fabricatas avidè recipiunt.

111. Minutias illas ad pietatem nihil aut parum facientes dum inculcat theologia, & homines ad eas accuratius, quam alii, attendunt, negligi videtur ipsa medulla pietatis: quomodo Pharisæi culices colabant, & camelos deglutiebant. *Resp.* 1. Quod ad facta dictorum Puritanorum & præcisistarum quæ satyricis libellis & scenis formalistæ & petulantes aulici, præsertim in Angliâ, exagitare solent, ea aut ipsis autoribus, siquidem vera narrantur, aut poëtis, siquidem ab iliis ficta sunt, relinquimus. 2. Quod ad jus, seu doctrinam, optimè occurrit huic fallaciæ accidentis servator *Matth.* 23. v. 23. Nulla reformatorum theologia practica docet solidam pietatem negligere cum adversus minimam peccatorum speciem, occasionem, participationem conscientias præmunit. Choreas, & comœdias, luxum & vanitatem in vestibus, in fucandâ facie, capillis ornandis cum dissuadet, non concedit adulterium aut scortationes; nec ebrietatem,

cum

cum ab irritamentis ejus avocat; nec ſtaurolatriam Papatus, cum ab otioſo, ſcandaloſo & periculoſo crucium in templis & cœmiteriis uſu an abuſu dehortatur. Magnum & craſſum peccatum pathetice aliquando exaggeratur, ut minora & ſubtiliora excuſentur; & contra magno zelo minora civilis honeſtatis officia urgentur atque oſtentantur, ut ſolidæ pietatis praxis negligatur. Conſueta hæc ſunt Satanæ & hæreticorum βαθη & ſtratagemata, ut fidem depreſſuri ac corrupturi, opera extollant, & viceverſa: opera primæ tabulæ excuſſuri, unicè commendent opera ſecundæ tabulæ, & vice verſa. Pari artificio quis Pelagianus veritatem catholicam depreſſurus rhetoricaretur, Ecquid enim ad pietatem juvat gratiam univerſalem aut ſufficientem, aut reſiſtibilem aut amiſſibilem oppugnare, ſi fide careas & verâ reſipiſcentia? Sic Enthuſiaſtæ & Libertini internam metamorphoſin ac ſanctitatem deprædicant, ut omnes actus religionis, juſtitiæ, modeſtiæ externos deprimant. Et grallatores, aliique aulici Euſebii, aut cenſuræ eccleſiaſticæ ſubjecti, Magiſtratus autoritatem, ejuſque violationem ſtentorea voce proclamant, ut licentiam & ἀπαξίας introducant, omnemque eccleſiaſticam poteſtatem ac diſciplinam proſcribant. 3. Qualeſcunque dicantur iſtæ minutiæ & culices, ſaltem non probabitur approbationem, conceſſionem, & praxin eorum ad pietatem facere, aut à peccato quovis quam longiſſimè abducere, aut ſcandali occaſionem tollere, aut conſcientiam non polluere, aut cordis ſanctitatem & caritatem erga Deum & proximum per eos melius ac tutius promoveri. IV. Majora prius bene tradenda & reformanda eſſent in eccleſiis: quibus peractis tum demum de minutiis reformandis deſpiciendum. *Reſp.* 1. *Confunditur* hic theologia practica, cum ipſa praxi, quæ illius theologiæ effectum eſt. Poſſunt enim & debent uno in ſyſtemate, theologiæ practicæ, aut in uno commentario decalogico, omnia ad ſpecialia quoque vitia & oppoſitas virtutes pertinentia, exactè & fideliter tradi; quamvis eccleſiaſticè quod ad corpus populi convertendi aut jam converſi in executionem non ſemper aut pariter deduci poſſint. 2. *Videtur* præſupponi aut tacitè innui eſſe magna & plurima peccata in eccleſ. noſtris graſſantia, quorum reformationem concionatores non urgent, aut ſi urgeant, hactenus nihil effecerunt. Dicendum eſſet, quænam illa ſint. Hyperaſpiſtes cauſæ trapeziticæ eccleſiar. & ſynodorum Belgicarum communi conſenſu damnatæ ſimilem rhetoricam adhibet, à trapezitis, uti arbitror, aut procuratoribus eorum ſuggeſtam: ipſe enim conciones miniſtrorum in Belgio nec viderat unquam nec audiverat. 3. Miſera theologia, quæ ignorat perfectionem partium in genuina reſipiſcentia & nova obedientia ſaltem requiri; & de ſucceſſione partium non eſſe accipiendum, quod de ſucceſſivo incremento graduum intelligendum eſt. Neque enim

verè

verè resipiscit, qui cursum peccatorum non abrumpit, sed ut annos successivè numerat, sic suboleſcentes in se virtutes. Fuerunt olim theologi, sed turbantes & ab eccleſiis noſtris apoſtaturientes, de quibus ſemper dubitabamus, an revera crederent, omne mendacium esſe peccatum. Quid ſi illi τὸ ſucceſſivum, & paulatim prætexendo, reſpondiſſent, ſe à primo præcepto incipiendo nondum perveniſſe tunc ad praxin noni præcepti?

v. Puriorem quandam puritatem ſupra communem & receptam reformationem videntur velle introducere, qui practicam theologiam & praxin tantoperè urgent. *Reſp.* 1. *Synonymiam* credo quæri dicti Puritaniſmi Anglicani. Quid ille ſit diſcendum eſt ex *libro Anonymi ed.t.de Puritaniſmo Anglicano* & ex *Didoclavii Altari Damaſceno*, aliiſquè alibi indicatis. Quod ſi per Puritaniſmum intelligatur genuinæ theologiæ practicæ, & praxeos ac puritatis cordis & conſcientiæ ſtudium: certè beati hoc nomine verè appellari poſſunt ſiqui hoc agunt, juxta illud Matth. 5. v. *Beati mundi corde.* Et 1 Cor. 5. ἐκκαθάρατε *expurgate vetus fermentum.* Confer 2 *Corinth.* 7. *v.* 1. & 11. *v.* 2. 1 *Ioh.* 3. *v.* 3. *Iudæ v.* 23. Primus uſus & abuſus hujus appellationis fuit in Anglia: ſed tantum reſpiciebat illos qui reliquias qualdam ceremoniarum & hierarchiæ eccleſiaſticæ iſtic expurgari optabant. Poſtea traducta eſt hæc appellatio ad omnes alias eccleſias extra Angliam, quibus non viſum fuit ceremonias & hierarchiam retinere. Videatur *Tileni paræneſis ad Scotos diſciplinæ Genevenſis zelotas*; imprimis *Rich. Montacutii apparatum*, ubi reformatos & reformatores titulo *Puritanorum Genevenſium*, & *novatorum* inſignit. Huic aliquid circa quæſtionem de Feſtis reſpondere conati ſumus in *diſp. de Tempore nativitatis Chriſti.* Tandem integritas & ἀκρίβεια tum in fide tum in obſervantia, quam omnes pii urgere & affectare tenentur, ad odioſum Puritaniſmum à nonnullis relegata eſt. Quod ad fidei & doctrinæ puritatem, conſtat *Remonſtrantes in libellis vernaculis* etiam in *apologiâ*, & novatores illos qui in Anglia errores Remonſtranticos poſt habitam Synodum Dordracenam anno 1619. ſpargere cœperant, orthodoxos hac in parte odioſo, uti arbitrantur, Catharorum ſeu Puritanorum nomine traduxiſſe: quod ſcil. zelarent pro puritate & orthodoxia doctrinæ de omnimoda Dei gratia contra antiquas & recentiores Pelagianæ pravitatis reliquias. Quod ad obſervantiam & mores, teſtatur *Ludovicus Baily* epiſcopus Bangorienſis in pervulgato & celebri libro cui tit. *Praxis Pietatis*, nomine Puritaniſmi paſſim denigratam fuiſſe pietatem. Cum ergo nomen hoc à Pontificiis, uti fertur, in Anglia primùm excogitatum & invectum, ceremoniarum & regiminis eccleſiaſtici ſimplicitati, doctrinæ reformatæ integritati ac puritati, bonorum operum ſtudio & praxi pro variis quorundam judiciis applicari videamus; quærendum ex theologiæ practicæ igna- 4.

ris, aut fortè hostibus, cui ex tribus Puritanismum imponere velint. Hoc ubi factum, seriò examinandus est dictus ille Puritanismus, an cum verbo Dei conveniat, nec ne: alioquin merè umbraticum & nominale certanen certatur. Quod ad observantiam & praxin pietatis, quam reformati hominibus inculcant, & nos cum illis, eam verbo Dei repugnare, non memini hactenus à quoquam probatum. VI. Theologia ista practica & casuistica, videtur mera præcisitas, & theologi tales præcisistæ. *Resp.* 1. Idem passim theologiæ orthodoxæ & orthodoxiæ zelotis objicere solent Renonstrantes: ut scil. per laxam suam prophetandi, quam vocant, libertatem, & moderationem, errores suos tutò introducant. Quod illis respondemus in *disp. de Articulis & erroribus fundamentalibus, de Libertate prophetandi, de Moderatione & tolerantiâ*, idem hic anti-præcisistis in theologiæ praxi reponderi posset. Ut verbo absolvamus, uni scripturæ non hominum voluntati aut consuetudini, τὸ dictum *præcisum* sistatur, & si ei conveniat recipiatur, sin minus rejiciatur. Conferatur *quæst. Catechetica.* 115. 2. Quæ sit præcisitas & ἀκρίβεια tum doctrinæ, tum praxios seu observantiæ à Deo requisitæ, & quomodo illa urgenda sit, ostendimus in *disp. de Præcisitate.* Ibi dicta hic non repetimus.

5. VII. Erunt forte qui dicturi sint, studium theologiæ practicæ otiosè in Academiis urgeri, quod fidei & resipiscentiæ doctrina & praxis omnia complectatur. *Resp.* 1. *Ad fidem* & resipiscentiam tota theologia dogmatica & practica, seu *didactica, elenctica, historica, problematica,* reduci potest; & implicitè in duobus illis locis communibus omnia continentur. Et hoc sensu coincidunt praxis fidei & resipiscentiæ cum theologia practica. 2. *Sed* explicitè duo illi loci communes omnia non habent quæ ad eruditionem theologicam & concionatoriam requiruntur: ideoque non sufficiunt, saltem non ut in thesibus Academicis, aut compendiis locorum communium loci illi pertractantur. Quin immo si addas omnes alios locos communes, prout ibi tractantur; non tamen Casuistica, & quæcumque alia Practica Theologia, quæ per varios libros, præsertim vernaculos, sparsa à reformatis theologis traditur, à theologiæ candidatis, & piis ac doctis ministris supervacanea plane, & inutilis, nedum noxia, judicabitur. Provoco ad ipsorum judicia. Imo ad omnium synodorum & classium, quæ unquam pium suum erga hanc theologiæ partem seu methodum hanc theologicam affectum *declararunt.* 3. *Eodem* hoc argumento, si obtineat, facile quis studium philologiæ & criticæ sacræ, antiquitatum sacrarum, physicæ & totius philosophiæ sacræ, historiæ ecclesiasticæ, aliarum omnium disciplinarum & linguarum græcę & orientalium, theologiæ studiosis dissuadeat.

VIII. Quia

VIII. Quia hæc ratio tradendi theologiam periculosa & noxia est : quia homines ad Pharisaismum & hypocrisin ducit. *Resp.* 1. Doctrinam Pharisaicam ex catalogis hæreticorum, & historia euangelica repetitam velim praxi fidei, resipiscentiæ, caritatis (quam nos cum reformatis ecclesiis tradendam docemus) applicari, in aliquot capitibus, aut saltem in uno. Quod cum nemo hactenus fecerit, nec in æternum facturus sit, non magis Pharisaismi & hypocrisios bombos metuere debet theologia practica, quam si Mahumedismum, aut Manichaismum, aut Sociniſmum pietati Christianæ quis impingeret. 2. Si mores Pharisæorum descripti *Matth.* 23. respiciuntur, utique ex iis theologia conformiter scripturis, & consiliis ac decretis synodorum nostratium à nobis tradita, inde condemnari non debet. Summam & arcem omnium vitiorum esse hypocrisin libenter fatemur. Sed quæ sit genuina hypocrisis, quæ non sit theticè docuimus in *disp. de Simplicitate & hypocrisi.* Applicentur omnia in hypothesi ad *Theologos Practisistas* (quos ita vocant), & judicetur an & quæ ipsis revera conveniant. IX. Sunt aliquando, qui suspicentur, ἀκεβεία theologiæ practicæ introduci Anabaptismum. *Resp.* 1. Doctrina Anabaptistica si intelligitur, unum caput, aut punctum commonstrandum esset, in quo symbolizet theologia practica, cum Anabaptistis. Quod quamdiu non fit, in λόγοις & λήροις numerentur istę objectiones. 2. Mores quidam mali Anabaptistarum si intelliguntur verbo Dei & perpetua ac communi ecclesiarum Belgicarum sententia *notati* ac improbati : signatè illi enumerentur & subjecto applicentur. 3. Dato, factum aliquod symbolizans cum moribus Anabaptisticis indicari posse, malè tamen inde inferretur theologiam esse Anabaptisticam. Neque enim illi vitia hominum imputanda sunt. X. Via sternitur ad opera supererogationis ; quin immo metuendum est ne hac via totus Papismus introducatur : si sola theologia practica, studio didacticæ & elencticæ eliminato, tum in scholis tum in ecclesiis inculcetur. *Resp.* 1. Probari debet vel uno in capite aut articulo theologiæ practicæ, cujus studium reformati Doctores, cum quibus nos facimus, commendant, probetur, inquam, papisticum opus supererogationis. Ponantur aliquot capita theologiæ practicæ seu Casuisticæ, e. gr. de usuris trapeziticis ; de confraternitatibus sub nomine sanctorum erigendis, aut interpolandis ; de mundanis vanitatibus capillaribus ; de vocatione ministrorum & jure patronatus ; de potestate Magistratus circa sacra ; de profligando aut præveniendo vitio ebrietatis & de poculis votivis ac conditionatis (quæ vulgo *Santeas* vocant) sub sigillo magnorum nominum, & invocationis divinę pari convivarum jure evacuandis ; de lusu aleæ, aliisque sortibus ludicris : de reliquiis abusuum & excelsorum Papisticorum e. gr. crucium in templis, cœmiteriis, sepul-

cris: de bacchanalibus, encæniis, aliisque pinguibus festis Baaliticis. Probetur quæso ex scriptura & ex decretis synodicis, aut ex judiciis Academiarum per unum ex illis secundum theologiam reformatorum communem (quam præcisisticam vocat) explicatum, introduci opus supererogatorium. 2. *Exemplum* eorum, qui ante paucos ann. in Angliâ reductionem Papismi moliebantur, à nonnullis allegatum contra theologię practicæ & casuisticæ commendatum studium, ad hanc rem non facit. Discat, lector φιλομαχὴς ex rebus nuper in Angliâ gestis, & ex scriptis quamplurimis ab anno 1641. usque in hunc diem editis, fuisse & esse theologos practicos & Præcisistas in doctrina, moribus, & disciplina ecclesiastica, qui nominatim in quæstionibus & casibus de idololatria ac superstitione indirecta & participata, ingruentem Papismum stiterunt: adversarios vero eorum *formalistas* omnes fere fuisse Anti-præcisistas, praxeos pietatis & theologiæ practicæ hostes, irrisores, ac persecutores; idololatrię & superstitionis indirectę contentiosos defensores, eadem fere per argumenta, effugia, distinctiones, exceptiones, calumnias, dicteria, & Lucianica scommata cum genuinæ praxios in Belgio nostro adversariis. Si quis de eo dubitet, petat historię veritatem à veneranda synodo Theologorum, quæ nunc Londini habetur: petat ab eadem judicium super nostra casuistica, de Idololatria indirecta, de superstitione, de staurolatria, de abusu sortis, de santeis, de usuris trapeziticis, de vanitatibus capillaribus à veterano & eruditissimo practico nostrate Poimenandro oppugnatis, cui venerando theologo obstrepere non potuit obscurus & vernaculus quidam scriptor, quin unà Præcisistis seu Puritanis calamitates bellicas, & præsentes turbas in Anglia, propter minutias & præcisitates odiosè imponeret. Sed scriptori illi ab aliis antidota parata sunt. 3. Quod ad neglectum studii theologiæ didacticæ & elencticæ, illum nos quam maximè improbamus. Si quis evehendo practicam deprimit dogmaticam aut elencticam, & vice versa, ille res suas sibi habeat.

7. XI. *Object.* Scrupuli non necessarii conscientiis moventur, compedes libertati Christianæ injiciuntur & traditiones sive Judaicæ sive Pontificiæ videntur introduci. *Resp.* Ostendendum in uno aliquo capite conscientiis quidquam imponi, præter (& consequenter contra) legem moralem divinitus revelatam. Ostendendæ illæ deuteroses & traditiones sive Judaicæ sive Papisticæ, quibus nostra casuistica (omissa lege Dei, aut contra legem Dei) superstruitur. Siquidem ulla verisimilis umbra hic esset, certè ostendi deberet in capp. de usuris trapeziticis, de santeis & constrictione ad æquales haustus, supra descriptis, de reliquiis & excelsis Papatus abolendis, aut saltem non instaurandis; quales sunt otiosæ cruces, de quibus

nos

nos ex præstantiss. Theologis reformatis, & synodis Belgicis in *disp. de Staurolatriâ*; aliæque complures vacuæ observationes, verè excelsa Papatus. In reliquiis illis Papalibus expurgandis non puduit nec tæduit Ecclesias in Scotia & Anglia nuper & olim ecclesias in Gallia & Belgio operam suam collocare: uti de singulis suo loco probavimus. De variis excelsis mundi, in quæ nos peculiari diatriba inscripsimus, similiter probandum esset, theologiam practicam reformatorum, cui nos accedimus, ad Judaicas deuteroses confugere, & extra scripturam evagari. Ubi probatum fuerit definitè & in specie hunc aut illum scrupulum esse non-necessarium, aut libertati Christianæ præjudicare, à nævis ejusmodi liberanda erit Theologia Practica; non tamen ipsa, aut studium ejus contemnendum.

DE THEOLOGIA PRACTICA
PARS TERTIA.

Resp. ABRAHAMO RODENBURCH, Ultraj. *Ad diem 7. Martii*, 1646.

XII POssent aliqua tam acutè & curiosè proponi ac dispu- 1°
tari circa casus conscientiæ, per quæ Pharisaici homines pacem ecclesiæ & Reipubl. turbarent, & prætextu majoris puritatis introducendæ, censuris suis omnes potestates & causas civiles subjicerent. *Resp.* Sic est: posset asinus disputare, si esset rationalis, & possent prætextu libertatis euangelicę latrocinia, rapinę, conspirationes, seditiones, & tyrannides exerceri (uti etiam factum ab Anabaptistis in Thuringiâ, & Monasterii.) In genere non esset dicendum, quid posset fieri, sed in specie, quid fiat à theologiæ practicę studiosis. Deinde probandum, facta illa turpia, si quæ in aliquo doctore aut discipulo deprehenderentur, per se ex theologia reformatorum, quæ etiam theologia nostra sive didactica, sive elenctica, sive practica & casuistica profecta esse. Quod ad fabulas & crassas calumnias, quibus homo mathematicus, sed planè ἀθεόλογος, *Renatus des Cartes* rerum nostrarum in generali & in particulari plane ignarus; sed ab aliis subornatus & religionis Jesuitico-Pontificię casco titulo & larva tectus, theologiam à nobis hic, per Dei benedictionem non sine successu, in ecclesia & schola tot annis traditam collutulare conatus est: iis nihil opponendum puto, nisi *judicium ac testimonium hujus ecclesiæ & Academiæ*; quibus accessit *sententia* nobilissimi & prudentissimi *Senatus*, per quam famosi Cartesii libelli solenniter condemnati sunt. In-

dico lectori, in cujus manus libelli illi famosi fortè inciderint, *historiam novæ philosophiæ ab hâc Academiâ* editam; & *sententiam inclyti Senatus in libellos Cartesii latam*, cum inchoato adversus ipsum *criminali processu*, quæ vernaculo sermone descripta leguntur. 2. *Familiare* est malarum causarum patronis, cum rationibus theologicis, & legitimis ecclesiarum judiciis, aut Academiarum determinationibus prævalere nequeunt, ad Principes & Magistratus confugere, iis ad instar aulici Eusebii abblandiri, violatam aut tentatam eorum autoritatem crepare, magna illa nomina ecclesiis opponere, & sibi substituere, quò umbone hoc tecti ab ictibus rationum, & judiciis ecclesiasticis tantisper immunes sint. Quod si illi blanditiis, calumniis, & subreptionibus se alicubi circumveniri patiantur: equidem odiosa & dura est fidelium ministrorum conditio, qui Deo malunt placere quam hominibus, & conscientiæ studere quam mundi favoribus atque emolumentis. Experti hoc sunt orthodoxi & fideles ministri in Remonstrantibus: sed & illi tandem experti sunt, durum esse contra stimulum calcitrare; & malum consilium consultoribus semper esse pessimum. XIII. Casuistæ per subtilitates *distinctionum, exceptionem*, quidvis ex quolibet fingere ac refingere, mala quævis in bona & vicissim vertere solent aut possunt. *Resp.* 1. Quid si tale quid fiat, aut fieri posset, non tamen propter abusum hominum ipsa theologia practica contemnenda. Corruptio optimi pessima. Non est rejicienda aut in suspicionem vocanda lex, aut euangelium, aut theologia dogmatica, aut logica aut philosophia, eo quod multi homines illis abutantur. 2. Ostendatur hic abusus in theologia practica reformatorum, aut in theologis reformatis: & sic tollatur abusus, non ipsa rei substantia. 3. Æquivocationes, subtilitates, & cata plasmata, vel desperatissimis morbis adhiberi solita, Jesuitarum & si qui eos quamvis non passibus æquis aliquando sequi volunt, casuisticæ relinquimus. De leni, facili, gratiosa, cerea, mellea, politizata, sæcularizata, & hominum, præsertim divitum aut magnatum ingeniis ac studiis accommodata eorum casuistica pronuntiant Theologi Sorbonici in tract. Gallico anno 1643. tit. Veritez Academiques pag. 163. quod sit *venenum subtile* &c. *Avarus fœnerator, aut infelix Simoniacus exterritus rigore sacerdotis parochi, qui versatur in sanctâ ignorantia hodiernarum subtilitatum venit ad hunc locum indulgentiæ* (confessiones Jesuitarum) *magis intendens palliare crimen quam ingenuè illi renuntiare. Quærit confessorem, qui applicet potius in remedium æstuantis conscientiæ, medicamen ἀνώδυνον, seu lenitivum quam potionem amaram: magis sollicitus quomodo conscientiæ remorsus sedaturus, quam ut morbum curet: & metuens ne forte ad palliandum suum peccatum, satis ingeniosus fuerit in excogitandis effugiis, rogat patrem (Jesuitam) ut pro sua charitate velit*

velit suppeditare quid ad suam perditionem. Quam dispositionem inveniat in hoc ingenio, haut difficulter conjicitur. Est enim homo jam ante plenè præoccupatus intentione reddendi omnia probabilia: & cum multum sibi persuadeat de Dei misericordia, non potest fieri, quin ipsius justitiam obliviscatur: & quandoquidem habet potius scientiam hujus seculi sui, temporum quam Euangelii; sumit mores pro lege, & corruptionem seculi pro excusatione sufficienti, & axiomata Societatis pro principiis decisivis. Unde fit, ut si quispiam Christianus, hoc nostro seculo, se reum confiteatur seu seipsum condemnet illud potius ex stupiditate, quam ex crimine oriatur: nam si omnes Christiani hunc laborem subire vellent, consulendo subtilitates istorum directorum, (*Iesuitarum scil.*) *ut hac ratione addiscerent astutas subtilitates, & tortuosa effugia, quæ inveniuntur in actionibus moralibus, vix aliquis reperiretur, qui quodvis crimen non posset impune committere, & quæ lex Dei, nobis tamquam horrenda crimina ob oculos ponit, devenirent adiaphora seu res indifferentes, postquam benigna interpretatio rei naturam immutasset.* Ab abominandâ hac casuisticâ ut quam longissimè abesse debent omnes theologiæ practicæ studiosi, sic eos contra methodos & artes ejusmodi fideliter instruere non desinimus. Hoc agant alii, hoc agamus omnes, & salva nobis erit Casuistica reformata.

XIV. In Papatu prætextu casuisticæ, quæ fœminis, & pueris innuptisque puellis passim inculcatur, multa evenere, quæ non eveniſſe maluissent parentes, mariti, heri, Magistratus, Principes. *Resp.* Esto: quid hinc sequitur, contra studium theologiæ practicæ, aut contra praxin pietatis, à reformatis theologis ex scripturis traditam; quorum vestigiis nos in hâc Academiâ & ecclesiâ inhæremus. Papisticam aut Jesuiticam à nostrâ reformatâ toto cœlo distare, ut ipso opere hactenus ostendimus, sic porro per gratiam Dei ostendemus, non esse illam pietatis sterilem, mundanam, carnalem, umbraticam, contentiosam, sycophanticam, aut diciscausâ excultam & propositam hactenus fuisse à nobis aut theologis practicis & concionatoribus in *nostra Bibliotheca* designatis e. gr. *Perkinso, Baynes, Boltono, Dan. Dyke, Ioh. Dovvnamo, Prestono &c.* nostratibus Belgis *Taffino, Arnoldo Cornelii, Teellingiis, Vdemanno, Rodolpho Petri, Sibelio, Vincentio Meusevoet, Meinardo Schotano, Diestio, Stresone, Schuttenio*, aliisque, qui in conceptibus illis, quos nonnulli rerum istarum, aut saltem nostrarum, ignari temerè subinde exagitant, nobiscum conveniunt, & quorum scripta practica, aut concionatoria partim in *Bibliothecâ nostrâ* partim in *ascetica & theologiâ morali* indicamus. XV. Studium theologiæ didacticæ & elencticæ negligitur: quod tamen si excoli desinat, in pericula reducendi papismi ecclesia conjicitur. *Resp.* 1. *Per se* hoc fieri, nemo ut opinor, dicet: nam confutarent eum practicus Augustinus, quo non alius in controversiis acutior:

tior: præcisus *Chrysostomus*, qui inter Patres felicissimè scripturas interpretatus est: inter Scholasticos & Pontificios *Bonaventura, Gerson, Carthusianus, Gulielmus de Alverniâ*, seu Parisiensis, ex nostris *Martyr, Beza, Perkinsus, Danæus, Amesius* &c. Quod si per accidens hoc fiat. jam vides sophisticâ chordâ fallaciæ accidentis, oberrari. 2. *Nostram* methodum & rationem, quam in hâc Academia sequimur, dum practicæ theolog. studium urgemus, si quis respiciat, eam cum veniâ lectoris, absque ostentatione, aut cujusquam præjudicio aperire cogimur. In interpretatione scripturæ V. & N. T. (quam duo ex Professoribus sibi demandatam habent) controversiæ quævis, quæ hodie cum adversariis nobis intercedunt, datâ occasione explicantur, solutis objectionibus & exceptionibus. Eodem ordine, tractantur à Professore locorum communium, à capite ad calcem. Disputationes publicæ de omnibus, aut saltem principalibus controversiis, Socinianis, Judaicis, Pontificiis, Remonstranticis, Anabaptisticis, &c. satis frequentes instituuntur: quod editæ theses ostendunt. Præterea ordine subinde secundum seriem locorum communium, subinde secundum confessionem, catechesin, liturgiam, constitutiones ecclesiasticas, per nuda corollaria thesibus subjecta, omnes controversiæ ventilandæ proponuntur. Præterquam quod corollaria miscella aut κατ' ἐκλογάς, quotcunque & quæcunque (modo conveniant cum doctrina publicè recepta) à respondentibus pro arbitrio proposita, occasionem theologiæ elencticę excolendæ præbeant uberrimam. Et hæc quidem auxilia publica. Privata in collegiis longè plura sunt, & quidem assidua. Examina & disput. de locis communibus (& consequenter de theologia dogmaticâ & elencticâ) habentur, modo ad hos, modo ad illos autores, quos Professoribus aut studiosis visum fuerit seligere. Fuerunt autem hactenus isti; *Confessio Belgica; commentarius catecheticus Vrsino-Pareanus, Mellificium Diestii, synopsis D.D. Prof. Leidens.; Amesii Medulla; Maccovii colleg. locor. comm.* præterea *VVendelini, VVollebii, Clutonis*; & ad *Becani manuale* aut *ejus epitomen, ad Ejusdem Theolog. scholasticam* ad partem *summæ Thomæ, ad Alagonæ compendium summæ Thomæ*: præter collegia examinantium. & disputantium, ad nudos titulos locor. comm. à principio ad finem. Insuper collegia aut disputantium tantum, aut disputantium & examinantium simul de controversiis Judaicis; de controversiis Socinianis; de Vorstianis; de Remonstranticis ad *eorum catechesin*; de Pontificiis, plerumque ad *manuale Becani*, de Theologico-philosophicis; de Theologico practicis, seu politicis; de responsionibus ad loca V. & N.T. quæ Pontificii, Sociniani, Anabaptistæ, aliique heterodoxi nobis objiciunt; de vindiciis locorum scripturæ (quæ nos adversariis opponimus,) ab eorum exceptionibus.

bus. Accedunt collegia analytica ad *catecheſin*, ubi diſpoſitiones doctrinarum, uſuum, caſuum, & dubiorum dictantur: item collegia problematum textualium ad hiſtoriam ſacram V. & N. T., denique collegia de ſynopſi theticâ hiſtoriæ eccleſiaſticę, & indicio problematum & apparatus eò pertinentium.

De ratione & modo inveniendi, diſcendi, docendi, excolendi theologiam practicam. 3.

Hactenus breviter nonnulla perſtrinximus de Theologiæ practicæ, quæ ſpecialiter *moralis* & *caſuiſtica* dicitur, naturâ, neceſſitate & utilitate, idque cataſceuaſticè & anaſceuaſticè: reſtat nunc adjiciamus, quæ de genuinâ ratione & methodo inveniendi, diſcendi, tradendi, excolendi, theol. practicam ſive in ſcholis, ſive in eccleſiis, ex qualicunque noſtra lectione, experientiâ, uſu, & praxi obſervata ſtudioſis publicè privatimque ſubinde communicavimus. Redigimus ea melioris doctrinę cauſâ ad tria capita. 1. Præcognita. 2. Genuinę methodi theticam delineationem ὡς ἐν τύπῳ. 3. Antitheticam malæ methodi notationem & detectionem: ſeu peculiares paralogiſmos, demonſtrationes apateticas, & elenchos ſophiſticos, quibus theologia caſuiſtica corrumpi ſolet.

PRÆCOGNITA.

QUatuor nobis præcognoſcenda. 1. Expoſitio decalogica. 2. Explicatio Theologię moralis, ſeu quæſtionum moralium. 3. Explicatio ſeu determinatio caſuum conſcientiæ. 4. Conſilia theologica: ſeu eorum conceptio, propoſitio, & communicatio ſive vivâ voce, ſive ſcripto. Quod ad primum, expoſitio decalogi ſumitur ſtrictiſſimè, ſtrictè, latè, latiſſimè. *Strictiſſimè* deſignat expoſitionem decalogi tantum textualem. *Strictè*, cum textuali conjunctam aut abſque eâ ſynopticam virtutum & vitiorum per ſingula præcepta enumerationem & indicium. Qualis eſt *catecheſeos* noſtræ; *Georgii Dovvname*, ſed linguâ vernaculâ, *catalogus peccatorum Ioſiæ van Houten*, quem, quippe locupletiſſimum, vernaculo ſermone noſtro recudendum curavimus. In Papatu habent nudos catalogos linguis vernaculis, ad confeſſiones ritè peragendas. Exſtant etiam latini catalogi ſeu enumerationes peccatorum oratione ſolutâ, & ligatâ in ſubſidium memorię: quibus præmittuntur nonnulla de peccatis in genere, ad legitimam deciſionem pertinentia, itidem verſibus incluſa. *Latè*, notat inſuper adjectas aut nudas definitiones virtutum & vitiorum cum locis ſcripturę: aut theticas deſcriptiones præcipuorum attributorum de illo ſubjecto: quales *in commentar. catechetic. Vrſini, mellificio catechetico Dieſtii, Perkinſi catecheſi, Davidis Cythræi cate-* 1.

cheſi;

techesi; & inter Pontificios *Molani in theologiâ practicâ*. Quò referri etiam possent *aphorismi Immanuelis Sa*, & *compendia Navarri*, *Dianæ*, *Bonacinæ* &c. *Latissimè*, uberiorem explicationem virtutum & vitiorum: eamque aut positivam tantum seu præcipuâ ex parte; aut tantum quæstionariam seu disputatoriam; aut ex utrâque conflatam. Huc referri possunt *expositiones decalogicæ Danæi*, *Zanchii*, *Riveti*, *Thummii*, *Danhauvveri*. Et quæ *Melanthonis*, *Victor. Strigelii*, *Selnecceri*, adhæc *Musculi*, *Hyperii*, *Polani*, *aliorumque locis communibus* inseruntur. Plures indicabit *Catalogus interpretum scripturæ*, qui exstant in *bibliothecâ Oxonienſi*. Hujus methodi expositiones à theologiâ morali, & Casuisticâ non distinguuntur: de quibus nunc dicendum.

5. *Theologiâ moralis* propriè notat virtutum & vitiorum tum generalem, tum specialem sive secundum singula decalogi præcepta, sive secundum ordinem naturę aut cujusq; arbitrarium digestorum, explicationem. Est autem illa 1. Tantum aut principaliter positiva. 2. Tantum aut principaliter quæstionaria. 3. Ex utraque conflata. *Primi generis* rursum vel contractius, vel fusius & plenius hoc agunt: idq; aut tantum dogmaticè, quod ad formam & methodum tradendi: aut insuper practicè, per signata & distincta motiva; per media seu adminicula (ad quæ refer remotiones impedimentorum, seu mediorum oppositorum, præservativa, antidota), Signa, seu gnorismata. Huc refer *Tractatus* quosdam *Ioh. Dovvnami de irâ, ebrietate* &c, ubi planè tam practicè quam positivè illa vitia explicuit; *Taffinum de vitæ emendatione*; *Ioh. l'Espine de tranquillitate animi*; *Medicinam spiritualem Ioh. Abrenethii*, *Nathanaëli Coole præservativa peccatorum*; Et ex Pontificiis *Scriban. Medicum spiritualem*; *Alexandri Angli destructorium vitiorum*. Vivialdi aureum opus contritionis, *Busæi panarium & viridarium*. Compendiosè medullam seu archetypos practicę explicationis exhibet *Amesius in Casibus*. Libri, qui unum aliquod speciale vitium, aut virtutem plenè explicuerunt, sunt fere infiniti: iiq; vel forma tractatuum, vel forma concionum. Complures indicare solemus in *prælectionibus loc. comm. in parte practica*: si qui forte iis uti velint. *Secundi generis*, sunt scriptiones theologię moralis, & casuum, vel separatim, vel conjunctim cum explicatione decalogi. Procedunt autem illi vel ordine alphabeticò, ut plerique Casuistę Pontificii *Angelus de Clavasio*, *Sylvester*, *Diana*, *Bonacina*, *Basseus*, *Graffius* Vel naturæ aut melioris cognitionis, ut *Azorius*, *Navarrus*, &c. *Tertii generis*, non ita occurrunt: qui scil. plenius & theticam & quęstionariam theologiam moralem pertractent. Quod ad quęstionarios, alii tractant quęstiones *theticas* seu generales tantum: alii etiam *hypotheticas* seu particulares; easque vel de rebus seu *actionibus præteritis*; *vel de præsentibus & futurus*. Posteriores propriè vocan-

vocantur *casus conscientiæ*; de quibus mox dicendum. Priores sunt vel quæ nos ipsos concernunt, aut alios qui casum conscientiæ proponunt, & consilium à nobis petunt: vel quæ alios jam defunctos, aut saltem tales viventes concernunt, qui nullam instructionem in conscientia à nobis recipiunt aut expetunt. Quæstiones quæ de particularibus actionibus defunctorum institui possunt aut solent, dicuntur propriè *quæstiones historico-theologicæ* ex. gr. An Ambrosius rectè excommunicaverit Theodosium: An Laurentius rectè negaverit indicare aut tradere thesauros ecclesiæ: Et hæ quæstiones pertinent ad statum finitudinis seu qualitatis: quales aliquæ occurrunt *in consiliis Melanthonis*, & in *dispositionibus Oratoriis Vrsini & Paræi, aliisque libellis practicis Logicorum & Rhetorum.* A quibus distinguendæ quæstiones purè historicæ pertinentes ad statum inficialem, ex. gr. An Liberius syncretismum iniverit cum Arrianis. Quæ propriè pertinent, ad historiam ecclesiasticam; & libros exemplorum. *Quæstiones theticæ* seu generales rursum dividi possunt in absolutas, & in hypotheticas. *Illæ sunt*, cum de re aliqua absolutè quæritur, an sit moraliter bona, an mala: ex.gr. An mendacium officiosum sit peccatum; An destruenda & abolenda sint idola: An stipendia à ministris sint accipienda, ipsisque debeantur ex justitia. *Istæ sunt* cum quæritur de aliquâ re in hypothesi seu in certis ac peculiaribus circumstantiis considerata: An licitum sit alterius jumento, aut navi, aut armis, aut aliis instrumentis atque utensilibus uti, & quidem ipso inscio aut invito; si præsentissimum vitę periculum, aut extremus necessitatis casus id suadeat. An minister in casu tanti scandali, ut conversio infidelium impedienda sit, aut tota ecclesia dissipanda, teneatur sine stipendio Euangelium prædicare. Utriusque generis quæstiones distingui possunt in controversas & non controversas. *Posteriores* sunt tales, quæ quidem dubiæ ratione privatæ & particularis ignorantiæ, aut fluctuationis, aut contrarię praxeos aliquorum, aut ratione errorum popularium in aliqua gente: extra controversiam tamen sunt, ratione publicę professionis omnium sectarum & ecclesiarum, quæ Christianum nomen profitentur. Quales e. gr. de mendacio officioso; de usuris mordacibus ex parte creditoris, & pignoris, juxta *Exod.*22. *Levitic.*25.: De simplici fornicatione, quod sit peccatum: de polygamia, quod illicita: de incestis nuptiis fratris cum sorore, privigni cum noverca. *Priores*, quæ publicè inter dissidentes Christianorum ecclesias & professiones controversæ sunt. Quales inter nos & Pontificios. De usura; de juramento per sanctos; de mentalibus reservationibus; de divortiis propter adulterium; de sponsalibus absque consensu parentum &c. quas doctè & accuratè ex nostrę religionis Casuistis seu Moralistis tractavit *D. Rivetus in com-*

mentario decalogico. Inter nos & Anabaptistas sunt, de juramento, de Magistratu, de bello, de moderamine inculpatę tutelę, de divortio ob dissidium religionis. Inter nos & Remonstrantes sunt e. gr. de jure Magistratus circa sacra; de libertate religionis & coërcitione sectarum: de hæresi speculativâ, & innoxia. Protestantium quorundam inter se sunt ex.gr. de choreis γυναικοδεικτῆς, de actionibus fabularum, de sortibus ludicris.

6. *Casuum conscientiæ determinatio* latè & impropriè notat quamcumque quæstionum moralium explicationem. *Strictè & propriè* determinationem quæstionum moralium particularem circa statum & officia seu facta hominum. Est ergo casus conscientiæ quæstio hypothetica seu particularis pertinens ad statum finitudinis seu qualitatis, de qua conscientia actu dubitat, aut dubitare potest. Hæc ego in prima editione anno 1646. Postea anno 1647. prodit *tractatus Christiani VVeberi de jure consistoriorum*, quem cum cursim perlustro, invenio illic *cap.* 27. *sect.* 25. accuratè (meo judicio) & convenienter conceptibus nostris conscientię casus describi „scrupulos & dubia in actionibus hominum difficilioribus, de quibus jux„ta ductum & dictum scripturæ, judicium informandum & dirigendum „est, ut conscientię acquiescere possint. In hac quæstione considerandum est, subjectum & prædicatum. Illud complectitur, tum subjectum adhærentiæ, tum adjunctum. *Subjectum adhærentiæ* est vel individuum signatum in prima aut tertia persona propositum, aut coram Casuistæ seipsum & scrupulum suum aperiens; vel individuum vagum & non signatum, quod per se aut per alium, viva voce aut scripto scrupulum proponit aut proponi curat, formulâ, *quidam scil. Ploni Almoni*, ὁ δεῖνα, N. N. N. vel A. aut B, vel Titius aut Mævius, Vagum individuum rursum est vel singulare vel plurale seu collectum. *Adjunctum* est vel status hominis; vel factum aliquod seu officium, seu actio humana. Quam distinctionem vide explicatam ab *Amesio lib.* 2. *Casuum consc. cap.* 1. De statu hominis in ordine ad Deum quæritur, quis & qualis sit. Vide *Amesium l. cit. c.* 2. &c. Ubi breviter signa diacritica indicat, ex quibus quis in conscientia certò convinci possit, de statu gratiæ. Et huc faciunt, quæ nos antehac in *disp. de simplicitate & hypocrisi* exhibuimus. *Factum particulare hominis* seu actio humana, est vel præterita, vel præsens, vel futura. *Præterita* in quæstionem venit, an quandoquidem factum infectum fieri nequit, super eâ teneatur elicere actum pœnitentiæ, & contrariis actibus eam emendare. *Præsens* in quæstionem venit, an sit continuanda, an vero abrumpenda. *Futura* in quæstionem venit, an sit suscipienda, an omittenda. *Prædicatum* in casu conscientiæ, seu in quæstione morali particulari est, *primo* in statu finitudinis seu qualitatis, an tale factum sit licitum aut illicitum. *Deinde*

inde in ſtatu quantitatis, an ſit tantum peccatum & conſequenter an privatim in converſatione cum proximo, aut in familia ſeu domeſtica ſocietate, aut in fraternitate & converſatione eccleſiaſtica, aut publicè in eccleſia à ſynedrio, & ſynodo eccleſiaſtica, aut in politia à Magiſtratu ſit tolerandum, aut permittendum. Ita quæritur inter Pontificios de tolerantia publica & politica lupanarium in Regno aut Republica, ex. gr. in urbe Româ, & ante paucos annos in regno Hiſpaniæ. Et hic communiter Caſuiſtæ eorum, ne Papæ ſuo obſtrepere videantur, in affirmantem partem determinant. Similiter de tolerantia eccleſiaſtica famulorum trapezeticorum in ſacra communione: contra quam determinavit Synodus nationalis Belgica habita Middelburgi anno 1581. ad quæſt. partic. 100. Sunt ergo in caſuum determinatione hæc tria. I. Caſus poſitio, ſeu facti explicatio: quæ ad ſubjectum adhærentiæ vel definitè & apertè, vel indefinitè & tectè inſtituitur. II. Quæſtio de illo facto, an moraliter bonum aut malum; licitum aut illicitum. Item poſito eſſe illicitum aut malum, an ſit tantum malum, & an tolerandum aut intolerandum; in eccleſiâ aut Republicâ; privatim aut publicè. III. Reſponſio ſeu deciſio affirmans aut negans; eaque categorica & abſoluta: nam limitata & conditionata locum habere nequit, niſi in quæſtionibus moralibus generaliter propoſitis. Hic autem omnia ſpecialiter, hypotheticè, & cum omnibus ſingularibus ſeu individuantibus adjunctis & circumſtantiis proponuntur. ex. gr. an tale juramentum illo loco, & tempore, iſtis conditionibus à reformatis præſtari poſſit, ſitque reformatum, licitum, laudabile. An talis menſa trapezetica, iſto loco & tempore, & talibus cum conditionibus inſtituta, & negotiatio ſeu lucrum inde perceptum à trapezitis, ſit pium, Chriſtianum, licitum, abſq; omni ſcrupulo in foro conſcientiæ. An talis ſeu iſte privatus uſus bonorum publicorum, quæ eccleſiæ aut pauperibus legata ſunt, iſto titulo, loco, & tempore, ſit pius, legitimus, licitus, abſque omni ſcrupulo in foro conſcientię. An tales actiones fabularum, tales choreæ & ballettæ ſint licitæ? Quod ſi hic exceptiones & conditiones, ac limitationes inde dependentes immiſceantur, jam luditur fallaciâ ignorationis elenchi, & mutatur ſtatus quæſtionis, nihilque determinatur; ſed conſcientię in bivio relinquuntur, aut ſubdolè decipiuntur, atque irretiuntur; non vero expediuntur.

Conſilium theologicum eſt explicatio & inſtructio practica de agendis quibuſdam ad conſcientiarum & eccleſiarum curam pertinentibus. Diſtinguimus illud à caſu conſcientię ſtrictè ſumpto (nam laxè ſi ſumas, cum eo concidit, aut ad eum refertur). I. *Quod* ſit de agendis, ſeu actionibus tantum futuris. *Quod* non tam de licito aut illicito in ſe, quam de ex- 7.

ecutione, seu publicâ, aut privatâ praxi aut fuga & fugatione ejus, quod in casu conscientiæ licitum aut illicitum esse judicatum fuit. Ita ut distinguamus inter sanum ac orthodoxum sensum in casu conscientiæ de actione aliqua humana particulari; & inter consilium prudentiæ, de actione illa (siquidem in se mala & illicita sit) opportunè, sive publicè sive privatim hoc modo condemnanda, impugnanda, prævenienda, impedienda, exterminanda in aliis, aut in nobis ipsis: aut de designata aliqua actione capessenda, promovenda, defendenda, in exemplum proponenda. Est autem consilium duplex vel simplex vel complexum. *Simplex* est, quo respondetur ad quæstionem, quomodo, vel quibus mediis, vel quâ ratione hoc bonum prosequi atqui efficere debeam, & hoc malum fugere. Ex.gr. in casu conscientię determinatum est alicui, cœtus nostros esse in doctrina, ritibus & disciplina, quam optimè reformatos; sed consilium expetit, quomodo potissimum ad eos transire possit ex cœtu Lutherano, in quo natus, educatus, & hactenus versatus fuit. Rursum determinatum est in casu conscientię idololatrię speciem committi à purpurato regis aut Principis Pontificii, qui ipsum in idolejum comitari solet, ibique præteriens altaria, imagines aliaque sacra & σιβάσματα, capitis inclinationem & apertionem effugere vix potest: sed consilium hic petitur, quomodo huic periculo se prudenter subducere possit, sic tamen ne ipse honesto munere ac gratia Principis sui, & consequenter publicum ipsius utilissima opera privetur: quantum fieri potest. *Consilium* complexum est vel absolutum, vel comparatum. *Absolutum* est, cum respondetur ad quæstionem, qua simpliciter quæritur. An quid faciendum; aut omittendum: aut tolerandum. ex. gr. An hoc tempore à Magistratu Pontificio istius aut istius loci petenda sit abrogatio idololatrię, aut libertas exercitii nostræ religionis: ad quod utrumque in casu & foro conscientię coram Deo tenetur. An cum periculum præsens captivitatis, aut gravissimę mulctę pecuniarię impendere putatur cœtui clandestino, reformatorum hic & nunc conventuro; ab eo abstinendum sit membro hujus cœtus; aut seniori; aut ministro. *Comparatum* est cum respondetur ad quæstionem, An hoc potius sit agendum; quam illud: & si sic, an potius per hæc media; quam per ista; & si mala sint, an hęc potius toleranda quam ista. Potest ergo esse triplex, 1. De delectu actionum. 2. De delectu mediorum. 3. De tolerantia, seu de delectu tolerantię malorum. Quot & quænam ad consilium & consultationem requirantur, & quibus partibus, ac quà methodo constare debeant, ex autoribus Logicis, Rhetoricis, & Politicis petendum & huc applicandum: ab illis enim in actu signato methodus consiliorum delineatur. In actu exercito consilia scribunt & suppeditant Medici, Jurisconsulti,

sulti, Theologi: & hi in suâ ascetica, & morali Theologia, sed imprimis in Politia-ecclesiastica. Ubi etiam *part.* 1. *de Theologicis consiliis* agendum.

DE THEOLOGIA PRACTICA
PARS QUARTA.

Resp. ISAACO JANSONIO Mediob.-Zeland. *Ad diem* 14. *Mart.* 1646.

Genuinæ methodi Thetica delineatio.

OBservanda sunt 1. Requisita, & conditiones, secundum quas explicatio decalogi, & determinatio quæstionum moralium, casuum, consiliorum instituenda. 2. Auxilia, & adminicula, quibus explicationes & determinationes juvari, & tantò expeditius promoveri possint. 3. Distinctio & distributio determinationum. Quod ad primum, requisita sunt vel generalia, vel specialia. Requisita generalia sunt. 1. Ut dubium, & status controversiæ rectè constituatur. Imprimis in quæstionibus hypotheticis, casibus, & consiliis *primo* factum sincerè & accuratè describatur: Deinde quæsitum attributum de illo facto aut faciendo distinctè exprimatur: ex. gr. an in casu conscientiæ secundum præscriptum juris divini seu scripturæ sit licitum; & consequenter alicui suadendum ut illud faciat: an vero, siquidem præsupponatur esse licitum, hoc loco, & tempore, hac occasione circa illud aut illud subjectum sit agendum aut tentandum; seu, an quod licitum est, hic & nunc conducat & expediat: sin præsupponatur esse illicitum, an hic & nunc illud sit dissimulandum & ad illud connivendum; an potius verbis & factis, publicè & privatim ei obnitendum, aut saltem tentandum, ut de facto malum illud emendetur, & quamvis bene positum loco moveatur. A quibus autem & per quos status controversiæ constituendus sit, infra disquiremus. 11. Ut responsum & decisio fiat, candidè, & distinctè, sine involutione aut ambiguitate. 1. *In quæstionibus moralibus theticis* seu generalibus, per unam aut per plures conclusiones: siquidem prædicatum quæstionis sit bimembre aut trimembre; aut tam generaliter propositum, ut respectu diversorum objectorum & circumstantiarum diversimodè de eo pronuntiari ac determinari possit. 2. *In quæstionibus hypothetici particularibus* & casibus conscientiæ propriè dictis, catagoricè & rigidè, per unam simplicem conclusionem responsoriam, seu per simplex *Aff.* aut *Neg.* non vero plures conclusiones 1.

clusiones aut pronuntiationes hypotheticas, aut per disjunctivas, aut per exceptivas, exclusivas, restrictivas seu limitativas: quando scil. quæritur simpliciter & præcisè de malo aut bono morali, licito aut illicito, conscientiis suadendo aut dissuadendo ejus fugam seu omissionem, aut prosecutionem. 3. *In iisdem quæstionibus hypotheticis*, & particularibus, per plures conclusiones seu articulos, aut per limitationes & distinctiones: siquidem quæstiones sint modales, hoc est, si quæratur de tolerantiâ mali, aut de aperta & publica mali reformatione, ac contrarii boni in ecclesia aut Republica promotione; aut de boni necessitate, possibilitate &c. Ubi cum rei tolerandæ aut promovendæ varia momenta, partes, gradus, tempora distingui possunt, non semper categoricè, per simplicem affirmationem aut negationem respondendum est: quia tota ratio boni moralis, quod ad suam necessitatem, possibilitatem aut mali moralis quod ad sui tolerantiam, permissionem, expurgationem, absolutè indivisibilis non est, nec uno in puncto indivisibili semper consistit. III. Ut determinatio fiat secundum verbum Dei: non secundum consuetudinem majorum, aut vulgò receptam ac currentem honestatem, aut publicas leges, decreta, judicia, præjudicia Principum, populorum &c. Ubi enim quæstio est de cognitione seu judicio spirituali, quo nostris aut aliorum conscientiis quid persuademus atque imponimus, ne quidem ullus ad illa respectus esse potest, sine carnali præjudicio, abductione, & erroris periculo. Sed ubi quæstio est de prudentiâ in executione, circa publicam veritatis ac pietatis causam commendandam, promovendam, propagandam, atque opposita destruenda: ibi ad hæc & similia respectum aliquem habendum, & cautè executionem atque applicationem secundum personarum & rerum statum instituendam nemo sanus negaverit. IV. Ut determinatio confirmetur annotatis testimoniis, & rationibus scripturariis, quæ videbuntur sufficere. Quibus subjici poterit ad majorem cautelam, & præjudiciorum præventionem, consensus synodorum, & Theologorum veterum aut recentiorum, aliorumque dicta, aut consilia, aut statuta, aut facta, si quæ saltem ad hominem quæsitores, aut eos, quos casus ille attingit, facilius informare & movere possint. Apparatum, unde consensus ille quæri possit infra *thesi* 3. indicamus. V. Ut insuper objectiones & exceptiones antitheseos (quando scil. controversia viget) breviter diluantur. Hic enim non minus corruptarum subtilitatum & contentionum parturit perversum cor humanum, quam circa articulos fidei, seu theologiam dogmaticam. VI. Ut in casu dubio, ac vix in alteram partem determinabili, aut in quæstionibus problematicis, ubi non ita liquet quid statuendum; in tutiorem partem potius inclinemus: saltem, siquidem in medio

medio relinquere & ignorantiam noſtram profiteri, & judicium ſuſpendere malimus, pro parte oppoſita minus tuta, & mundi aut carnis occaſionibus magis velificante ne determinemus. Quod enim dubitat tantum, eſſe adiaphorum, ſed certo non ſcit; ab eo ut ipſe facile abſtinere poteſt, ſic etiam debet; & conſequenter nemini dicere poteſt, ſic eſſe faciendum; imprimis cum communiter ſcandalum inde oriri norit, apud eos qui intus aut qui extra ſunt, aut apud utroſque. Quod in caſibus de prolixis & comtis aut coloratis virorum capillis, de imperatis & circumductis poculis votivis, de choreis, de comœdiis, de luſu aleæ, de certationibus ſuper eventu futurorum contingentium, deque aliis iſtius generis factis ad minimum otioſis obſervari velim ab illis, præcipuè theologis aut theologiæ ſtudioſis, qui forte rationes evidenter cogentes pro parte negante nondum videre potuerunt. Nullum periculum ſubibunt, nullum ſcandalum dabunt ſi communiorem & receptam magis plerorumque piorum, ſynodorum, theologorum ſententiam admittant, ſaltem non oppugnent.

Atque hæc quidem requiſita, & regulæ generales. Speciales in explicatione decalogi obſervandæ, à quibuſvis locorum comm. ſcriptoribus; & decalogi interpretibus inculcantur, idque juxta *Matth.* 5. *v.* 22. & deinceps, 1 *Iohann.* 3. 15. *Roman.* 13. 8. 9. præceptum ſcil. ex prohibitione, & viceverſa; ex ſpeciebus genus; ex ſpecie unâ, alteram diſparatam; ex ſimili ſeu analogo, ſimile ſeu analogum; ex cauſis effecta, & vice verſa educenda, & ad ſuum quodque præceptum reducenda. Speciales regulæ in determinatione caſuum ſeu quæſtionum particularium obſervandæ infra commodè notari poterunt in paralogiſmis & elenchis caſuiſticis. Aliquas tamen per modum ſeu formam problemat. hic proponimus. 1. *Probl.* An Theologi Caſuiſtæ ſive Profeſſores publici, ſive miniſtri, ſeorſim aut conjunctim in ſynedriis, claſſibus, ſynodis, facultatibus theologicis, ad qualvis quæſtiones morales in theſi propoſitas reſpondere poſſint, non tantum viva voce, ſed & ſcripto? *Reſp.* Nullam video rationem, cur hoc negare poſſint; qui omnibus debitores ſunt, & exemplo apoſtoli docent quemvis hominem. Nec minus hic determinare tenentur & rationem reddere, ſecundum communem ſententiam & perpetuam praxin eccleſiarum, quam in quæſtionibus dogmaticis inter nos & Pontificios, Anabaptiſtas, Socinianos &c. controverſis. Breviter ex officio Paſtoris & Doctoris, quod alibi deſcribitur, hæc facultas, ſeu hoc eorum officium colligitur. 11. *Probl.* An non ſit determinandum, & reſpondendum in theſi; ſiquidem probabiliter conjiciat Theologus, immo fortiter præſumat quæſitores iſtos aut alium aliquem iſtam determinationem theſios ad hypotheſin aliquam malè & injuſtè, aut ſaltem importune applicaturum; 2.

aut per contentionem aliove modo ἐκ' ἀγνῶ eâ abusurum: imprimis ad contemtum bonorum, collegiorum ecclesiasticorum, Ministrorum, Magistratuum, aut virorum in Republica præ aliis honoratorum. *Resp.* Quod hic metuitur, aut futurum præsumitur, totum est per accidens, ideoq; tali in casu legitima determinatio illegitime declinanda non est. Alioquin pari ratione, nec lex nec euangelium prædicandum esset. Nihil enim tam sanctum est, quo pravitas hominum abuti non possit. *Væ mihi*, inquit Apostolus, *nisi Euangelizem.* Confer. *Matth.* 10. *v.* 4. 34. 35. *Philip.* 1. *v.* 16. *Ezechiel.* 3. 19. Hoc tamen observandum, illo in casu seriò quæsitores monendos contra talem abusum. Quin immo, ubi vel ob rationis defectum, vel per vehementiorem ac subitam quandam affectuum perturbationem & mentis impotentiam, monitorem audire nequeunt, pro illo tempore responsio declinanda aut differenda, si fieri possit. Similiter fere, ac de confessione fidei coram furioso, qui præsentem mortem intentet non edendâ censent Casuistæ. Vide *Amesium l* 4. *Casuum c.* 3. *quæst.* 2. Quomodo apud milites, quibus debita stipendia longo tempore soluta non essent, jam satis concitatos & seditioni proximos importunum esset publicè à concionatore pro merito exaggerari summam injustitiam, si quæ à præfectis militaribus in retinendis & abliguriendis ipsorum stipendiis committeretur. Nunquam tamen contra veritatem publice privatimve in ejusmodi casibus determinare licet: quia non sunt facienda mala ut eveniant bona, aut ut mala præveniantur. III. *Probl.* An aliquando prudenter declinetur, aut differatur ab ecclesiasticis aut Academicis Casuistis, determinatio casus, seu quæstionis hypotheticę & particularis: cum plus destructionis & contentionis, quam ædificationis & pacis inde oriturum, saltem morali certitudine prævidet. *Resp. Affirm.* siquidem determinationem & judicium suum publice typis edendum, & ad factiones & contentiones privatas, ad oppressionem fratrum, ad sycophanticas pii zeli exstinctiones & exagitationes, ad corda justorum tristitiâ afficienda, imprimis ad oppugnationem communis sententiæ & praxios ecclesiarum trahendum meritò suspicari possint ac debeant. IV. *Probl.* An Casuista seu juris divini consultus semper teneatur nosse personam aut personas, inque eas inquirere de quâ aut de quibus casus proponitur? *Resp. Neg.* Sufficit si de persona indefinitè illi indicentur, quæ ad genuinam determinationem momentum aliquod adferre possent. Ex. gr. an sit sub potestate alterius, cum de votis, sponsalibus, donationibus, eleemosynis &c. quæritur. An sit publica autoritate munita, an verò merè privata, cum de resistentiâ aliquâ positivâ Principi aut superiori domino factâ quæritur. Cæterum definitè scire quæ sit persona, quæ hoc vel illud fecerit aut factura est, non magis

magis inter est Casuistæ, quam sacerdotis Papalis in confessione auriculari audire & expiscari omnia cordium secreta. v. *Probl.* An Casuista teneatur penitius nosse factum de cujus qualitate quæritur, inque illud accuratè inquirere: an vero sufficiat illi hoc solummodo præsupponere & simpliciter suo loco relinquere, pro ut illi à quæsitoribus descriptum exhibetur, aut proponitur? *Resp.* Ordinariò factum præsupponitur, & in casus positione obtinet locum subjecti, ex. gr. An N. in casu necessitatis hoste illum persequente, abducendo ex pascuis equo alterius, quo ad milliaria aliquot vectus fuit, donec hostis persequentis manum evaderet, commiserit abigeatum. Hic Casuista non laborat de explicatione facti, an & quomodo equus ab N. abductus sit; sed de applicatione prædicati ad illud præsuppositum aut præsumtum factum. Vide *consilia Melanthonis & Epistolas Theologorum* infra citandas. Confer etiam *consilia Medica & Iuridica.* Quod si tamen certus sit sycophantice & calumniose facti explicationem perverti à quæsitore, idque ut habitâ determinatione, aliquo colore proximo innocenti apud rerum imperitos tantò facilius præjudicet, seriò & candidè de eo ipsum moneat; & nisi emendari se patiatur, vacuum sine responso, saltem scriptis consignato, dimittat. VI. *Probl.* An Casuista possit ex parte determinare, dicendo verum, sed non omne: an vero ex vi textus 1. *Petr.* 3. 15. coll. cum *Actor.* 20. 20. 27. teneatur omne Dei consilium, quatenus ipsi notum est aut innotescere potest scisitantibus patefacere? *Resp. Neg. pr. Aff. postr.* de quæstione prima & simplici, quâ quæritur, An sit licitum aut illicitum. *Dist.* de quæstione secunda aut etiam tertia, quâ quæritur an illud quod in se illicitum esse judicatur, hoc tempore, aut diutius sit tolerandum nec ne, tolerantia ecclesiastica aut politica? Idem dicimus de quæstionibus, quibus petuntur consilia, quomodo seu quibus mediis tolerantia mali tutissimè sit abrumpenda, & oppositum bonum introducendum aut stabiliendum; & an potius hoc quam illud sit faciendum, aut tolerandum. Docet prudentia justorum, non omnibus imperitis, aut importunis aut malignis quæsitoribus quovis tempore ad hæc quæsita quidquid dici posset, esse respondendum.

Media, adminicula, auxilia ad bene aut ad melius quæstiones morales, & casus determinandos sunt ista, I. Solida scripturarum cognitio. II. Exercitatum ingenium & subactum judicium in locis communibus seu in theologia, quam vocant, positiva, item elenctica, practica, politica ecclesiastica. III. Artium & philosophiæ cognitio: imprimis logicæ, metaphysicæ, politicæ, immo totius philosophiæ practicæ. Quo referenda cognitio historiarum & exemplorum. De Jurisprudentia monent *Sorbonici Parisienses in tract. contra Iesuitas* 1643. tit. *subtilitez Academiques*, eâ care- 3.

re non posse Casuistam. Et docent usum ejus exempla practicorum Pontificiorum, e. gr. *Azorii, Navarri &c.* & nostrorum, *Martyris, & Danæi.* Nos autores sumus theologis, præsertim si ex professo juri operam non dederint, ut in casibus difficilioribus proprio qualicunque studio, aut privatę suæ lectioni non confidant, sed præstantiores artifices hic consulant, juxta illud philosophi: *Artifici credendum est in suâ arte.* Ita tutius & casus positionem intelligent, & prædicatum cum illo conferent. IV. Experientia, quæ ex diuturnâ cura animarum, & praxi ecclesiastica comparatur. Quod studiosis nostris inculcare soleo de concionibus feliciter & cum fructu habendis, triplicem scilicet librum requiri in quo probè versati esse debeant, scripturæ scil., propriæ conscientię, & ecclesiæ suæ: id etiam ad casuum determinationem applicare liceat. V. Collatio & communicatio ministrorum in conventibus ecclesiasticis, super dubiis, quæstionibus, & casibus, quos cuilibet eorum offerri, aut de quibus cogitare ipsis contingit. De quo monet *Amesius in prologomenis ad Casus conscientiæ.* VI. Apparatus autorum Casuisticorum, qui ex professo hæc tractant: cum quibus conjungendi autores, qui datâ occasione aut per digressiones practica & casuistica explicant. Universum hunc apparatum, qui non quidem semper aut ordinariò, sed extraordinariâ aliqua in difficultate aut contentione, ex abundanti à casuista consuli potest, simul & semel hic indico 1. *Classis* est Casuistarum: quales ex nostris, *Perkinsus, Amesius, Balduinus:* quibus adde *Danæi Ethicam Christianam, Meisneri quæstiones morales.* Ex Pontificiis, antiquiores, ut *Astaxanus, Antoninus, Clavasio, Sylvester, Cajetanus, Fumus*; recentiores. *Toletus, Graffius, Filiucius, Funes, Navarrus, Sa, Azorius, Reginaldus, Sayrus, Diana, Bonacina, Binsfelsius cum notis Fr. Sylvii, Eligius Basseus*; qui postremus instar repertorii seu indicis ad hodiernos aliquot maximè celebres & frequentatos Casuistas esse poterit. 2. *Classis* est interpretum decalogi: quos supra *part.* 3. indicavi. 3. *Classis* est Consiliorum: ut *Melanthonis, Dedekeni, Bredenbachii.* Pontificiorum consilia quæ quidem mihi nota, ad jus canonicum pertinent: alibi ergo indicanda. 4. *Classis* est epistolarum theologicarum: quales inter antiquos imprimis *Augustini*; & inter recentiores, *Oecolampadii, Calvini, Bezæ, Melanthonis, Zanchii, Martyris, Schlusselburgii, aliorumque* quos in *Bibliothecâ* indicamus. 5. *Classis* est locorum communium, quales imprimis, *Melanthonis, Musculi, Martyris, Aretii, Selnecceri, Polani.* Et ex Pontificiis *Viguerii & Ederi*; Et *scholasticorum commentaria ad Magistrum & Thomam*; quorum præcipuos in *Bibliothecâ* notavi. Ad locos communes refer scriptores quæstionum problematum, ut *Bezam, Davenantium*: & ex Pontificiis *Franc. Georgium.* 6. *Classis* est commentatorum ad scripturam:

quales

quales ex noſtris *Cythræus, Lavaterus, Martyr, VVolphius, Danæus, Rivetus, Davenantius*: ex iis qui anglicè ſcripſerunt, imprimis *VVilletus in Geneſin, Exodum, Leviticum, Danielem, epiſt. ad Romanos & Iudæ, & Atterſol in Numeros*: Ex Pontificiis *Toſtatus, Serrarius, Pererius, à Lapide, Lorinus.* Quibus adjunge *Zepperi expoſitionem legum Moſaicarum.* 7. *Claſsis* eſt concionatorum, quales *Beza, Bullingerus, Sibelius, Boltonus, Daniel Dyke*, aliique in *Bibliotheca* indicati; & ex Pontificiis, *L'eAbata, Diaz, Cardinalis de Turrecremata in quæſtionibus ad Euangelia Dominicalia.* 8. *Claſſis* eſt Conciliorum. Ut Caſuiſta compendio ſententiam Conciliorum cognoſcat, inſpiciat *repertoria ſynodorum noſtratium*, & ſi occaſio ita tulirit, *Gallicarum, Scoticarum.* Quod ad *Concilia antiqua & nova, eorum decreta*, tanquam in tabellâ, exhibet *Caranza in ſuâ epitome.* His, occaſione ita poſtulante, addi poſſunt *Photii nomocanon, Bochelli decreta eccleſiæ Gallicanæ, capitularia Caroli Magni, Ludovici, Carolo Calvi*; aliaque ad apparatum Conciliarem pertinentia: quæ vide in *Bibliothecâ.* 9. *Claſsis* eſt patrum: quorum tractatus & loca, ad moralem theologiam pertinentia, indicata habes in *Catecheſi Backhoſii, Buſæi viridario ac panario, & Polyanthæis. Creſpetius in ſummâ diſciplinæ eccleſiaſticæ* ordine alphabetico juxta morem pleriſque Caſuiſtis uſitatum conſcripta, ſua ex profeſſo Conciliorum & patrum teſtimoniis confirmat. 10. *Claſsis* eſt Canoniſtarum: quos vide in *Bibliothecâ.* Huc refer *bullaria & conſtitutiones Pontificum, cum remiſſionibus Barboſæ ad Concil. Trid. & ejuſdem ad bullarium & deciſiones Cardinalium.* 11. *Claſsis* eſt Jureconſultorum. Hic compendio utentur Caſuiſtę, ubi opus fuerit conferre jurisconſultos, ſi ex Pontificiis *Tholoſanum in ſyntagmate* & ex noſtris *Althuſium in dicalogiâ* inſpiciant; qui eos ducent ad leges & præſtantiores quoſque autores. Utiliter addentur *conſtitutiones Imperiales Goldaſti, Ius Orientale Græcorum, & regni aut Reipublicæ* ejus, ubi quis vivit, leges ac conſtitutiones. In quorundam caſuum determinatione Jureconſultis utiliter adjungetur *Paulus Zachias de quæſtionibus medico-legalibus.* 12. *Claſſis* eſt ſcriptorum Ethicorum, Politicorum, Oeconomicorum: quorum Catalogum vide in *Bibliothecâ.* Illis nunc adde *Iohann. Buxdorfii filii Florilegium* non ita pridem editum, & *Mibchar Happeninim*, Et *capitula patrum, proverbia ben Syræ*, & ſimilia moralia Judæorum, ut & Arabum. 13. *Claſsis* eſt Oratorum: quorum aliqui ex profeſſo morales materias & quæſtiones ſubinde eas attingunt. Vide eos in noſtra *bibliothecâ.* Imprimis hic referendę *orationes theologicæ*, & *diſpoſitiones Vrſini & Parei.* 14. *Claſsis* eſt ſcriptorum, qui collectanea & miſcellanea ſive hiſtorica & antiquaria, ſive philologica, ſive theologica collegerunt: quales *Mendoza, Barthol. Sibylla, Rhodiginus, Alexander ab Alexandro, Camera-*

rius, Rittershusius; Filesacus, complures, *lib. 2. biblioth. cap. 1. & 2.* enumerati. 15. *Classis* est historiçorum & qui ex illis consilia, exempla, dicta, apophtegmata &c. collegerunt: quales autores ex *biblioth. l. 2.* cognoscendi. 16. *Classis* est scriptorum de hæresibus & hæreticis: quos vide in *biblioth.* & in *disp. de Hæresi* 17. *Classis* est totius apparatus politicę, ecclesiasticę; quem præter generalem in *bibliotheca* nostrà indicatum, particulariter ad singulos titulos & subtitulos notamus. 18. *Classis* est, totius apparatus historiæ ecclesiasticæ; cujus pars illa aliquando consulenda, quæ quæstionem aut casum propositum attingit. Cum ergo talis ac tantus apparatus requiratur ad eruditum Casuistam instruendum, sequitur. *Consectar.* 1. Malè facere Jesuitas, qui ineptissimos sui ordinis ad casuum prælectionem deputant: uti ipsis objiciunt *Sorbonici Parisienses tract. modo cit.* 2. Nec bene facere ex nostris qui frequenti lectione, & meditatione in his se non exercent; nec in Academiis fundamenta satis jacientes, nec in ministerio superstruentes: quique consequenter aut privatim consulti obmutescere coguntur; aut cum in conventibus ecclesiasticis sententia dicenda est, illotis manibus & ex tempore in hæc sacra involant magis ad conscientiarum & ecclesiarum destructionem, quam ad ædificationem; aut cum pro concione ductu autoris alicujus, quo usi sunt, casuistica illa attigerint, thesin suam tueri nec audent nec possunt, cum ipsis publicè privatimve controversia movetur. 3. Imprudenter etiam facere illos, quamvis in grammaticis, criticis, & philologicis supra vulgus versatos, qui dictaturam sibi sumunt supra & contra omnes Synodos, Theologos, ministros determinando gravissimos conscientię casus, seu quæstiones morales. Cum tamen illi aut nullo modo, aut saltem non æquè ac veterani theologi & ministri, in pragmatica ecclesiastica exercitati sint, aut esse possint: ut ipsis conveniret tam magistraliter, definire, quid licitum aut illicitum in foro conscientiæ, quid scandalosum, aut non; quid tolerandum aut non. Quod si theologus quis contra omnes veteranos Medicos, Jureconsultos practicos, consilia scriberet, iisque insuper tanquam fungis insultaret, interim subinde in elementa juris aut medicinæ temerario ausu impingeret, an non occinerent illi: *Ne sutor ultra crepidam.* Et, *Quod medicorum est promittant Medici, tractent fabrilia fabri?*

4. Determinatio quæstionum & casuum ut & scriptio consiliorum est vel ecclesiastica, vel scholastica. *Illa* fit à ministris seorsim; imprimis à synedriis, classibus, synodis. *Ista* fit à theologiæ Professoribus, & facultatibus theologicis. Methodo, stylo, & forma extrinseca inter se distingui possunt, haut aliter ac interpretatio scripturæ ecclesiastica & scholastica. Non est autem hujus loci disquirere, an determinatio casuum scholastica seu

Profes-

Professorum sit licita? Unde illa potestas? Et an jure divino, aut jure ecclesiastico tantum? An sit nudum consilium; an verò etiam judicium? Quod si judicium; an & quomodo differat à judicio competentis judicis ecclesiastici? Hæc quia ad politiam ecclesiasticam pertinent, hac vice præterita, eò remittimus.

PARALOGISMI ET ELENCHI CASUISTICI.

MUltis modis corrumpi solet Theologia practica ab una parte per superstitiosos, ab altera parte per laxos & mundanos Casuistas, qui se Anti-præcisistas profitentur. Nos paralogismos, elenchos & deceptiones eorum ad generalia quædam capita revocare studebimus. Sunt autem vel circa status controversiæ constitutionem; vel circa argumentorum & responsionum inventionem & instructionem. *Prioris generis* sunt 1. Vel in explicatione seu positione facti, quod præsupponitur. 2. Vel in explicatione & positione quæsiti seu prædicati, quod de illo facto quæritur. 3. Vel in formatione thesios seu positione conclusionis. 1. In facti positione, erratur sive à quæsitore, sive à Casuista, sive ab utroque, cum contra apertam veritatem & rei notoreitatem (aliquando contra propriam scientiam & conscientiam; aliquando non, cum scil. ab aliis decipiuntur) sive in totum, sive ex parte factum explicatur. ex. gr. cum quæstione & controversia oborta super interpolando & retinendo aliquo clericorum aut quasi-clericorum collegio, factum erectionis & observationis sic refertur, ac si sub Papatu ab initio erectionis suę quod ad formam suam, & finem proprium aut saltem principalem fuisset collegium civile seu politicum, & non religiosum, hoc est non fuisset sua natura, primò ac fundamentaliter exercitium & vinculum cultus superstitiosi & papalis. Et consequenter ac si collegii istius merè accessoria fuissent. 1. Speciale patrocinium sancti, illius confœderationis, institutione, professione, ac merito postulatum, quæsitum, attractum, impetratum, aut impetrandum. 2. Specialis invocatio, religio, & devotio illius sancti publicè privatimque, seorsim ac collegiatim, ex præscripto religionis Papisticæ & ex vi ac obligatione confœderationis ac fraternitatis peragenda, per festorum celebrationem, per processionis, per officia divina, seu, per missas, per litanias, per rosaria, aliosque omnes devotionum ac precationum modos. 3. Specialis cura & suffragia pro animabus fratrum defunctorum publicè privatimque per preces ad rosaria aut quocunque alio modo recitandas, per missas, per officia divina seu horas canonicas, per eleemosynas, per jejunia, ex præscripto ecclesiæ Romanæ & ex vi atque obligatione religiosæ ac spiritualis illius confœderationis & confraternitatis. 5.

11. Cum

11. Cum factum istius naturæ esse fingitur, ut τυχόντα Theologo Casuistæ proponi, aut ab isto epopta mysteria illa introspici non possint aut debeant: & consequenter, cum negatur ab illo rite determinatum esse aut determinari potuisse. E. gr. Cum in casu de astrologia judiciaria soli astrologicæ scientiæ & astrologo facti cognitio vindicatur; in casu de fugienda peste, soli Medico; in casu unguenti armarii, & sanationis astralis, soli Physico aut Medico; in casibus de usura, de mercatura, de injustis aut inutilibus processibus, de peculatu, de sacrilegio, de stellionatu, de contractibus emptionis, locati, commodati, mutui, fraudationis vectigalium soli Jureconsulto; in aliis casibus, de Jure Patronatus, de bellis manifeste injustis, de stipendiis faciendis in quâlibet militiâ & pro quâlibet parte, de punctis honoris & duellis, de prædationibus, de servitutibus, & servorum quorumvis, & vernarum promiscuis emptionibus ac venditionibus, solis Politicis ac Pragmaticis. Ita in quacunque materia, quæ præsumta privilegia aut indulta nobilium & toparcharum, aut jus alicujus quæsitum, aut actiones sive bonas sive malas virorum in dignitate politica constitutorum tangere alicui viderentur, theologis simpliciter ignorantia affectanda, aut obmutescendum esset: Næ scil. audiant ἀλλοτριεπίσκοπο & πολυπράγμονες, ipsíque talium arcanorum epoptis eveniat quod Bethsemitis arcam inspicientibus, & Actæoni, qui inscius Dianam viderat. Quasi vero quæcunque aguntur à viris politicis, aut nobilibus, aut divitibus, aut sapientibus & literatis, aut aulicis, aut mercatoribus, aut Danistis, semper sint arcana Rerum-publicarum, aut privilegia nobilium & dominorum, quà talium, aut jura quæsita divitum ac honoratorum, aut libertatis & privilegiorum indulta; nec possint esse vulgaria, epidemica, manifesta, ac vilia opera carnis. Et quasi omnes divites, aut potentes, aut honorati, aut nobiles, aut Academici, habeant potestatem publicam ac politicam: ita ut ipsis loquentibus, nihil præter parendi gloria theologis superst. Aut quasi omnibus ministris, necessariis, clientibus, amicis, cognatis politicorum par honor & obedientia debeatur, ac ipsis politicis. Quid si Astrologi judiciarii, Agyrtæ & medici circumforanei, Paracelsistæ opiatrici, Chiromantici, Præstigiatores & Magi, Judæi Cabalistæ, inepti & sceptici sua sacra & arcana sibi solis reservarent, omniumque Casuistarum cognitiones & judicia procul arcerent: quod scil. talia non capiant. Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστι, θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις. Ut autem theologi ab istorum inspectione, & aliqua conscientiarum circa illa instructione tantò magis absterreri possint, paratus est Gorgoneus exercitus calumniarum, & cavillationum: quales ex. gr. Publica autoritas & majestas violatur, aut in disceptationem trahitur. In potestatem politicam, in materias status involatur. Pontifi-

cia

cia ac Papalis tyrannis in Reges, Principes, Magistratus reducitur; Optimatum & virorum honoratorum existimatio vilescit, & in contemtum adducitur; Reipublicę fundamenta subruuntur; pax publica turbatur; seditiones concitantur; crimen læsę majestatis committitur. Hæc summa summarum. Hac via vidimus Remonstrantes ad victoriam antehac grassatos fuisse: sed eventu infelici. Si qui Eurupyli & mundani homines illorum vestigiis insistere velint, videant ne aliquando lapsu graviore ruant? Θεὸς ὐ μυκτηρίζεται. 111. Cum ad nomina quædam trahitur factum illisque ex intentione, & quidem cum contumeliâ & animo injuriandi specialiter, signatè ac definitè applicatum fingitur, ad quæ Casuista non respexit, (sæpe nec ipse quæsitor) aut quæ ipse ignoravit: Ut ita odiosa reddatur determinatio, & tanto difficilior ejus approbatio, ex. gr. Pontificii Clerici & laici alicubi gaudentes libertate religionis, aut publicè permissi usurarii manifesti, aut caupones & ministri ebriosorum συμπόται, aut permissi seu tolerati magistri choreutici, aut permissi & quidem publico in theatro actores scenici, cum in casu conscientiæ contra ipsos determinatur, ad factum suum trahant Magistratum, aut Rempublicam ubi illa fiunt, & facta eorum à Theologis examinata atque exagitata dicat, & quidem acerbè, satyricè, contumeliosè, seditiosè.

11. Et hæc quidem deceptio ac sophistica circa statum controversiæ, quod ad factum: sequitur nunc circa eundem quod ad prædicatum de illo facto, seu quod ad qualitatem, quæ de illo facto quæritur. Elenchi præcipui, qui hic occurrunt, sunt 1. *Quando* subdolè prætenditur, dissensionem esse in nuda facti cognitione & in hypothesi, non vero in ipsius rei cognitione & in thesi: & consequenter controversiam esse nullius momenti, immo nullam esse controversiam. Hoc sophisticæ genus involvit ἀπαγωγὴν, & substitutionem: ut interim sophisticè paulatim & sine sensu adulterare possint receptam veritatis ac praxeos Christianę hypotyposin. Tales subdoli Casuistæ similes mihi videntur novatoribus & corruptionem religionis per semi-Papismum, semi-Pelagianismum &c. in Anglia molientibus, qui clamabant nullam esse controversiam nisi in adiaphoris, ritibus, & ceremoniis; interim mutationem multarum Thesium capitalium in ipsa doctrina jam moliti erant. Et huic deceptioni paratæ sunt calumniæ & dicteria. Quod de lana caprina disceptetur, deque quisquiliis. Quod culex excoletur. Quod ne quidem in minima facti ἀκριβείᾳ, aut cognitione dissentientes feramus. Quodque ἰδιοσυγκρασίας quodam œstro agantur, qui periculosis illis novitatibus se opponunt. 2. *Quando* controversia realis seu de qualitate facti in puram nominalem transformatur, & prætenditur re tota ad mussim verbi divini 6.

exactiſsimè reformata tantum reſtare paſſivam nominis appellationem: de cujus ſublatione aut reformatione tantum contendatur. Vide caſus ejuſmodi in *diſp. de Idololatria indirecta.* Et huic ſophiſticæ auxiliares copiæ paratæ ſunt, quod ſcil. qui difficultatem & conſcientiæ ſcrupulum in ejuſmodi actis aut agendis inveniunt, meras logomachias concitent, circa nomina langueant, & ſcrupuloſi ſint magis circa voces, quam circa res ipſas &c.

DE THEOLOGIA PRACTICA

PARS QUINTA.

Reſp. WILHELMO SCHOMAKER, Lochemo Gelro. *Ad diem* 21. *Mart.* 1646.

1. QUando motiva ſeu argumentum aliquod, quo inter alia theſin probare, aut quo ſuadere, aut diſſuadere conatur Caſuiſta; à malo Caſuiſta & adverſario ſubſtituitur quæſito & theſi principali: Quæ ſophiſtica eſt ἀπαγωγὴ, & fraudulenta ſtatus controverſiæ permutatio. Ex. gr. Quæſtio principalis eſt, an choreę hodiernæ ſint licitæ. Inter rationes diſſuadentes, adhibet nonnemo & iſtam, quod non conducant ſanitati poſt ſumtum cibum. Sic quæſtio eſt de capillis vanè non promittendis nec curioſe comendis: Inter rationes adhibet quis ipſam. Quod ſint excrementum. Alterutram hanc rationem, ſi quis inſpecto recentiori aliquo Medico quodlibeticè aut paradoxè contrarium defendente, operosè & ex profeſſo exagitet, & quaſi principali theſi confectâ triumphet: certè is miſerè ſophiſticatur. Neque enim hæc eſt theſis principalis; immò ne ratio quidem principalis, aut tubicen cauſæ; ſed ex abundanti, aut tanquam probabile reliquis rationibus ſuccenturiatur. Idem accidit in controverſia de uſuris trapeziticis; uti aliquando ubi *theſes* noſtrę *de Vſuris* recudentur, *appendice* aliqua oſtendemus. Simili artificio ludit ſubinde Jeſuita *Becanus in Manuali controverſiarum.* 4. *Quando,* medium aliquod inter alia perficiendæ adhortationi aut dehortationi inſerviens, ſeu medium profligando aut præveniendo vitio aut promovendo bono operi à Caſuiſta indicatum, ſubſtituitur quæſito & theſi principali; quod dum ex profeſſo ac tantum oppugnatur aut oppugnari prætenditur, ſophiſticè abducuntur homines ab orthodoxa & pia theſeos principalis determinatione; & conſcientiis pulvilli conſuuntur, ut peccato indormiant, nec de ſeria emendatione cogitent. Ex. gr. Quæſtio, ſeu Theſis principalis eſt de luxu & vanitate, quà multi hodie peccant

cant in otiosè alendis & curiosè comendis capillis. Hunc vanitatum cursum dum pii theologi pro modulo sistere, majoresque ac pejores prævenire studeant, piasque & sapientes, Synodorum nostrarum ac præstantissimorum theologorum determinationes tueri: homines vanitatum istarum amantes, aut saltem consuetudini, mundo, & hominum favori nimium hic velificantes, aut particulari suæ sive opinioni sive μωροσοφίᾳ nimium studentes, ictum illum sic declinare se putant, si arrodant & subtiliter atque odiosè exagitent hypothesin quam, aut ἐπόμενον quod particulare unius ex orthodoxis theologis (non omnium), quo ille tanquam medium suggerit & consilium suppeditat, optimè & tutissimè vanitates illas profligandi aut præveniendi, si scil. tantum caput tegant (ad quod dati sunt), nec ultra aures propendeant. Atqui non est, illa quæstio & thesis principalis. Ne dicam, illum theologum prolixitatem capillorum terminis aurium superioribus præcisè, & exclusivè seu *ultra quod non*; non circumscripsisse. Nedum ut peremptoriè & absolutè sic definiverit, ut casum necessitatis, aut variationem omnem ad variationem circumstantiarum præcisè excluserit. Accedit, quod in moralibus dubiis sententia suadens abstinentiam à rebus non necessariis aut per se non ita utilibus tanquam tutior, æque communiter obtinere non debet, ac ipsa thesis principalis. Quasique omnes alii orthodoxi qui in communi thesi cum ipso conveniunt, hanc particularem hypothesin rigide defendere teneantur, aut principalis theseos communem defensionem deserere. Neutrum est necessarium. Denique dato, à piis & prudentibus Casuistis, aliquid dissuaderi quod quamvis in se illicitum non sit, minime tamen hic & nunc conducere putant, ad fertiles ac proclives peccatorum occasiones tantò commodius abrumpendas & scandala evitanda; illud bonæ causæ præjudicare non debet. Est enim piæ & prudentis conscientiæ, nonnunquam à licitis abstinere, ut tantò tutius ab illicitis ablactari & abduci possit. Qui in rebus adiaphoris ab altera parte lineæ paululum recedit, nec usque ad ipsam lineam, (quæ bonum à malo morali disterminat) proxime & immediate accedit, non peccat; & tutius ac longius à malo recedit. Novimus quosdam ex patribus alicubi quid dissuadere Christianis, in casibus de juramento, de usuris: quod tamen in se illicitum non est, siquidem rigide examinetur. Absit tamen ut principalem thesin, quam intendebant, eo ipso labefactari dicamus. Idem censendum de transitu Christianorum à toga ad pallium, de corollis non gestandis, de statuariis in communionem suam non recipiendis: de quibus *Tertullianus in Apologet. & de corona, & de Pallio.* Primæ Synodorum nostratium constitutiones videntur prohibere concionnes vespertinas & funebres: quæ aliaque compluria istius generis sycophanti-

phanticè exagitanda non ſunt: ſed rationes fuiſſe eccleſiarum præfectis cur tunc temporis minimè tutum judicârint tales conciones apud noſtros inſtituere; quamvis in ſe & abſolute illicitæ non ſint. Aliquid enim abſolutè & in ſpecie licitum eſt, quod tamen in individuo, aut in hypotheſi non eſt licitum; quia ſcil. non conducit. *Ioh. Taſſinus* inter primos Belgii noſtri ſcriptores practicos, in libro *de emendatione vitæ*, noſtratium compotationes profligaturus, inter alia tangit modum & morem præbibendi ſeu propinandi. Reſpiciebat ille Belgas noſtros, & nôrat quantum ille mos ad ingurgitationes faceret. Nos quidem illi particulari hypotheſi, aut medio ac conſilio ſecundum circumſtantias rerum & perſonarum non imprudenter ſuppeditato; rigidè non inſiſtimus, ſi modo ipſius vitii noſtræ genti nimium familiaris emendationem obtinere poſſimus; nec tamen eximio illi theologo petulanter inſultari velimus, & hâc ratione manus bibonum confirmari; quaſi ille nullam habuiſſet rationem conſilium & medium illud tunc Belgis noſtris ſuggerendi; aut quaſi propinationem tanquam in ſe, intrinſecè, & abſolutè malam condemnaſſet; aut ex hâc particulari hypotheſi, aut conſectario minus principali, theſin principalem feciſſet. Huic tertio & quarto elencho circa quæſitam facti qualitatem ancillantur plerumque iſta dicteria: In minimum pulverem omnia per ſubtilitates Caſuiſticas ſecari. Lineas duci, quæ viſum & aciem mentis effugiant. Per iſtas ἀκριβολογίας irretiri & perturbari, non informari conſcientias; immò in perpetuas dubitationes & ſcrupuloſitates conjici. Condemnari omnes eccleſias, omnes reformatos, qui tam ſubtiliter & iiſdem terminis illa non conceperint ac propoſuerint. Neminem vel in minimo puncto aut verbulo à talibus Caſuiſtis diſſentientem ferri. Donatiſmum, Anabaptiſmum, &c. introduci. Adſcribo hic verba Danæi in comment. ad 1 Timoth. 5. v. 23. p. 372. edit. in 8. *Tertia quoque ratio addi poteſt. Quod etiam (quæ eſt noſtra vitioſitas & corruptela) in uſu rerum indifferentium nimium libero, minuſque ſevero caro ſit laſcivior, & intemperantior, quam tamen contundere neceſſe eſt. Idquod fieri niſi rerum earum, etiam conceſſarum, detractione ſæpe non poteſt. Adeò, ut ei, qui verè temperanter, & ſobriè vivere velit, carniſque obſcœnos motus comprimere, omnino ſit neceſſe multis rebus ad tempus, vel in perpetuum abſtinere, quæ tamen licent: ſed earum uſu carebit ipſe ſponte, non quidem propter conſcientiam, quaſi vetita ſint edi, ſed quod hoc fræno carnis libido & rebellio domatur, & rationi ſubjicitur.* 5. *Quando* pro ſimpliciſſimo & primo quæſito, an factum ſit tale hoc eſt moraliter & in foro conſcientiæ licitum aut illicitum, & conſequenter à Caſuiſtâ ſit laudandum & ſuadendum, nec ne; ſubſtituitur alterum longè diverſum, An ſit tantum malum, an tantum crimen; & comparativè, an majus

jus aut æque malum, ac illud aut istud: Rursum. An in ecclesiâ hic & nunc tolerandum: nec ne: Item, an in Reipublica Christiana hic & nunc tolerandum; nec ne: Adhæc, An publicè hic & nunc sive scripto, sive viva voce pro concione coram populo, aut in collegio & panegyri Magistratuum, aut utrobique, sit reprehendendum: Denique, An publicè mali bene positi (uti loqui solent) mutatio, & emendatio urgenda ac postulanda sit. Hac sophistica imperitè aut improbè confunduntur quæstiones de licentia, cum quæstionibus de tolerantia. Et determinationes casuum de eo quod licitum & probandum, cum consiliis prudentiæ sive simplicibus, quomodo quid mutandum: sive conjunctis, iisque aut absolutis, an sit hic & nunc mutandum, an vero tolerandum; aut comparatis, An hoc potius quam illud sit movendum, & mutandum, aut tolerandum, idque hoc modo, his mediis potius, quam istis. Ex. gr. Quæstio scientiæ, & casus conscientiæ est de Monachatu, aut de Episcopatu, an sit licitus in foro conscientiæ, & alicui suadendus, si quis ex Casuistâ hoc quærat. Hic nullum dubium est, quin reformatus Theologus pro parte negante determinare debeat, ubicumque consulitur, aut occasio est loquendi. Alia quæstio est, an tantum sit malum, ut si Abbas Fuldensis, aut Archiepiscopus Coloniensis, illa qualitate (cui ut nunc res sunt, ἀχωρίστως connexa & implicita est potestas politica) pro nosse & posse reformet ecclesias; an tantum crimen passivus ille Monachatus abbatialis, aut episcopatus esset, ut bono reformationis præponderaret, illudque nullo modo ecclesiasticè aut politicè pro tempore tolerandum esset. Et alia quæstio est, an & quando hic & nunc, reformati viventes in terris Abbatis Fuldensis aut Episcopi Monasterienſis, aut Archiepiscopi Colonienſis tempestivè ac prudenter depositionem dictę dignitatis Abbatialis aut Episcopalis apud ipsos Abbates & Episcopos, aut apud collegia Ecclesiastica, aut apud Politicos Magistratus ibidem, urgere & postulare, aut publicè in ecclesiâ contra ea protestari possint ac debeant. Qui omnes illas quæstiones scientię, conscientiæ, & prudentiæ confunderet, & argumentis promiscuè adhibitis ab una ad alteram discurreret, ille egregiè committeret μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, & infelicem Casuistam se ostenderet. Quæstiones similes distinctè proponi possunt de missâ, ejusque abrogatione, de observatione juris canonici, de jure & jurisdictione Episcopali, de jure connubiorum, de observatione festorum Papalium, de Jure Patronatus, &c. in Imperio Germanico, in Regnis Galliæ, & Polonię. *Calumniæ*, quæ hunc elenchum comitantur sunt istæ: Quod theologi determinant, quasi versarentur in Republicâ Platonis, & non in fece Romuli. Quod fundamenta Reipublicæ paulatim labefactant. Quod in negotia politica involant. Quod scismata & contentiones in ec-

cleſiâ ſerunt. Quod viam muniunt ad Donatiſmum, Anabaptiſmum, Phariſaiſmum, Papiſmum: quia ſcil. in caſu conſcientiæ ſuadere non poſſunt reformatis, ut juramenta præſtent in collegia canonicorum aut confraternitatum, quamvis forte alicubi inter reformatos tolerata aut interpolata; aut ut exerceant uſuras trapeziticas; aut ut adjurati per magna nomina pocula votiva & ſalutis lege & modo Germanorum & Belgarum hodierno, pari hauſtu cum aliis convivis bibant; aut ut capillis prolixis ac volitantibus, & more quaſi meretricio hodie apud multos recepto ornatis ſeu potius deformatis, verticem non tantum ſed & faciem, & oculos, & humeros, etiam dorſum otioſè onerent: & ſimilia.

2. III. Elenchus in poſitione theſeos ſeu formatione concluſionis committitur. 1. *Quando* petitur principium ſeu præſupponitur & ſumitur illud quod eſt in quæſtione; probato tantum & quidem ſupervacaneè eo, quod non eſt in quæſtione: ne imperitioribus videantur nihil omnino pro cauſa ſua dixiſſe. Ex. gr. Caſus ſit de quo inſigniter pugnis excepto, aut de invectiva & ſcripto horrendis mendaciis, ac calumniis, acerbiſſimisque inſectationibus repleto. Quid ſi quis determinet licitè immo optimè hoc factum, allatis argumentis & teſtimoniis pro moderamine inculpatæ tutelæ, in caſu neceſſitatis contra aggreſſorem. Quæ probatio omnis ſupervacanea: quia de hac re nullum eſt dubium apud Pontificios & Reformatos, nec ullum inde alterutris datum ſcandalum, nec ulla ſuper eâ opus eſſet difficili tranſactione, & laborioſâ bonorum interceſſione. Minor argumenti, quę ſubdolè prętertur ac pręſupponitur, probanda fuiſſet; talem ſc. percuſſionem aut defenſionem, fuiſſe per modum inculpatę & neceſſariæ tutelæ. Simili ferè methodo utuntur Pontificii, quando operosè probant iſtas majores, Eccleſia catholica habet iſtam poteſtatem: Miniſtri qui currunt, antequam mittuntur, illi illegitimè faciunt. Sed minores illas negligunt, ac ſubdolè ſumunt abſque probatione, Eccleſia Romana eſt illa Catholica: Lutherus, Zwinglius, &c. nullam habuerunt vocationem. 2. *Quando* prædicatum ſeu quæſitum applicatur alteri ſubjecto ſeu facto, quod in ideâ multis cum reſtrictionibus concipitur ac fingitur, quodque in caſus poſitione propoſitum non fuit, immo forte non eſt in rerum naturâ. Quâ ſophiſticâ abductione extra oleas quidem vagantur, interim ſtrenuè confirmantur ii, qui aſylum glorioſæ culpæ vel in umbrâ unius Caſuiſtæ inveniunt contra omnium piorum & totius orbis Chriſtiani conſenſum. Ex. gr. ſi qui ament aut defendant choreas, comœdias, pocula votiva per adjurationem magnorum nominum juſtè, imò & religioſe, ac in orbem à convivis evacuanda more & modo apud Belgas & Germanos recepto, conſilium petunt à Caluiſta, qui neminem ex dantibus aut qualificatis ad exemplum curiæ

curię & pœnitentiarię Romanæ à se tristem solet dimittere. Is satis intelligens qui, quales quæsitores, & quid sibi velint: per admirabilem quandam opliatriam unguento suo inungit & obligat non partem læsam, sed sanum baculum, aut gladium, aut hastam, hoc est aliud quod choreæ aut comœdiæ reformatæ genus, quod apud nostrates choreutas, thymelicos, balettarios, histriones non invenias nisi fortè rarò & tanquam monstrum, quod in occulto alitur; aut quod merè est ideale ac phantasticum. Homines ergo vanitatum istarum amantes suæ intentioni hoc casuisticum cataplasma applicant: relictis casuistæ suis limitationibus, caudis, exceptionibus, & similibus σόφοις φαρμάκοις, quibus apud bonos & conscientiam suam, frustra dolosam & periculosam suam determinationem excusare conatur. Tantundem puto sentiendum de *Santeis* seu votivis poculis, quæ rara, aut admodum modica, aut etiam gustari tantum finguntur. Quâ lege aut quibus moribus in Germania & Belgio hoc semper aut plerumque fiat, fateor me hactenus nondum potuisse observare. Interim gaudent Sante-bibones, quod patronos aliquos se nactos arbitrentur. *Calumniæ* & cavillationes huic elencho plerumque cohærent istæ. Quod præstet illis exercitiis occupari homines; quam ineptis & male conditis colloquiis, item poculorum evacuationibus, petulantibus & indecoris, si non obscœnis, lusibus: quasi scil. theologi illa doceant, aut ad illa conniveant. Quod illi qui abstinent ab obligatoriis conditionatis, & votivis poculis, evacuent aut evacuari permittant, pocula inconditionata & quidem profunda, idque in memoriam amicorum. Sed in quâ Utopia hoc factum? in qua casuisticâ hoc traditum. 3. *Quando* videtur quid determinari & concludi; interim revera nihil concluditur, & conscientiæ miserè decipiuntur, quæ illam putatitiam determinationem intentioni suæ & facto (de quo quærebatur) applicant. Tale quid fieri solet ab illis qui hoc agunt ut tanquam neutri & inter utrumque, & apud mundum sua quærentem & apud ecclesiam ac pios quærentes ea quæ Christi, se excusare possint, ubi opus fuerit. In theologia dogmatica & elenctica specimen hujus perversę prudentię dederunt Erasmus, & qui illum secuti sunt. In casuistica illud fit. *Primo* cum conclusio responsiva explicitè aut implicitè est conditionalis. Ex. gr. si probari possit hoc vel illud, tum non licet, si non probari possit, tum licet. Si intelligantur hæc aut illa esse sæcularizata & politizata, aut ab illa obligatione liberata, attingere ea licet absque fraude; sin intelligantur non esse sæcularizata, non licet. Atqui conditionalis conclusio nulla est: quia nihil ponit in esse; nec certam reddit conscientiam, non magis quam illa Sociniana fides: Si perfectè implevero obedientiam euangelicam, salvabor: si non, damnabor. *Secundo*, cum conclusio responsoria est disjunctiva: e.

gr. aut

gr. aut est adiaphorum & licitum capillares istas inanias & insanias (quas communiter synodi nostræ & theologi reformati perstringunt) insanire: aut saltem siquidem illicitum, minuta vanitas est, ad quam Theologis non attendendum, aut cõntra quam pro concione non est dicendum. *Tertio* cum conclusio responsoria est disjunctiva biformis seu dilemmatica. e.g. aut est faciendum; aut non est faciendum. Si illud: jam mundus (præcipuè viri potestate aut potentia instructi) ęgrè ferent: sin istud, jam ecclesia, aut saltem maximè pii & zelotæ ægrè ferent. Ergo nihil est determinandum, saltem non categoricè & distinctè: sed aut ambiguè & ambidextrè, aut involutè & obscurè, aut tali modo, ut dicendo nihil dicatur, sintque ἔχδοπε καὶ μὴ ἔχδοπε, uti Aristotelem ferunt scripsisse ad Alexandrum de libris Physicę Acroaseos. *Quarto*, cum conclusioni nova limitatio aut distinctio, aut exceptio aut quævis alia cauda subdolè annectitur aut inseritur. Quæ tamen non fuit in particularis casus positione, hoc est, neque in facti narratione, neque in quæsiti de illo facto propositione. Qua abductione dum discurritur à thesi seu propositione pura & absoluta ad propositionem hypotheticam & modificatam, & vice versa, conscientiæ insigniter decipiuntur, & argumentis atque exceptionibus pro & contra allatis, sed male applicatis, irretiuntur ac confunduntur magis, quam expediuntur. Unde fit ut aliquando ad Semi-sceptismum & ἐποχὴν Academicam, aut Lucianismum, aut Democriti risum hac in parte nonnulli prolabantur. 4. *Quando* propter pericula sive vera sive imaginaria, aut propter varias dissidentium sententias, aut ut mundi genio & rebus privatis consulatur, aut ex contentione & ut Pauli vincula graventur, post parergas disquisitiones & excitatas partim adulationum partim dubitationum nebulas, à determinatione abstinetur, & conscientiæ in bivio relinquuntur: cum solenni protestatione (sed factis contraria), quod res illa ad nos non pertineat, quodque alienis inmiscere nos nolimus, aut quod tantum in tam ardua quæstione judicio nostro non tribuamus.

3. Paralogismi, qui circa mediorum seu probationum atque exceptionum instructionem committuntur, distribuuntur nobis in pseudographemata, & in elenchos sophisticos proprie sic dictos. *Pseudographemata* ducuntur vel ex locis inartificialibus, vel ex artificialibus. *Illa* sunt *partim* aperta & crassa mendacia de Theologia practica & de Theologis, hoc est, de Doctrina, methodo, argumentis, consiliis, dictis, factis, Puritanorum & Prę-cisiastarum, quos ita vocant: *Partim* assumtæ fabulæ & præsuppositæ falsæ hypotheses de factorum circumstantiis, de quibus in casus positione, quæritur. Exemplum antehac dederunt Pontificii ad primum reformationis exortum: Et Anti-puritanici seu formalistæ in Anglia.

Illa

Ista melioris doctrinæ causa distinguimus in locos communes malè explicatos; & in falsa principia, axiomata, regulas, distinctiones, quæ fontes sunt argumentorum & solutionum. 1. *Loci Communes*, malè positi, qui Casuisticam Pontificiorum corrumpunt, supra à nobis indicati sunt. Sic exceptiones pleræque contra accuratam pietatis & justitiæ praxin educuntur (sed malè) ex locis de scandalo, de libertate Christianâ, de Jure Dei, de Lege Dei ejusque distinctione, usu, abrogatione. E.gr. Omnis scrupulus, quem orbis Christianus hactenus invenit in usuris trapeziticis, relegatur ad legem forensem Mosaicam, quâ in N. T. non tenemur. Asylum vanitatum capillarium, chorearum &c. quæritur in libertate Christianâ. Propugnatio verberum & pugnarum, ut & verbalium contentionum, convitiorum, calumniarū nititur loco communi malè explicato de amore proximi & sui-ipsius, & de justitiâ ac de lege talionis, & de inculpata tutela. 11. *Pseudo-Principia*, axiomata, regulæ, distinctiones, quibus falsæ argumentationes aut exceptiones & solutiones subnituntur, sunt quam-plurimæ: quæ à quolibet facile observari poterunt ex examine speciali Casuisticæ Pontificiæ (præsertim Jesuiticæ), aut ex solâ lectione catalogi *Molinæi* in libro Gallico *de traditionibus Ecclesiæ Romanæ*, aut *Theologiæ moralis Iesuitarum in* 4. anno 1645. editæ; quo autore nescio. In Germaniâ recusa videtur: & forte novam editionem illam curavit quis ex Theologis protestantibus. Saltem quis ex bibliopolis nostratibus venditerat mihi inter alios una cum *Ioh. Georgii Dorschei* Theol. Argent. *dissertatiuncula de nomine Iehova in* 4. Argentin. 1642. cui propterea per errorem ut editori in *disp. de atheismo* antehac hunc librum adscripsi. Ut penitius nunc librum illum inspicio, & cum nuperis scriptis Anti-Jesuiticis Sorboniſtarum confero, conjicio esse alicujus ex Sorboniſtis. Sæpe illic allegatur *Stephanus Baunii* Mosodensis: cujus *theologia moralis* Romæ prohibita est 26. Octobr. 1642. à congreg. Cardinalium deputatorum ad indicem & expurgationem librorum. Chartam illam publicatam recudit Coloniæ Arnoldus Kempens. ann. 1642. Autor libelli gallici pro causâ Janseniſtica ante paucos annos editi (quem inter complures alios præcipuum & lectu digniſſimum judico) *tit. Reſponce d'un eccleſiaſtique du Louvain cap.* 17. refert quatuor Jesuitarum (Baunii, Poza, Cellot, Rabardeau) libros à Papa notatos censura & condemnatos tanquam impios, „scandalosos, & hæreticos; quos tamen non obstantibus rigidis & ex„pressis his censuris Jesuitæ defendunt, & per suos bibliopolas vendi „curent. *Ibidem autor* exhibet formalia verba bulę Papalis contra librum Rabardeau 15. Martii 1643. promulgatæ: Multas ex illis propoſi„tionibus esse respectivè temerarias, impias, potestatis Pontificiæ penitus

 destru-

„destructivas, immunitati ac libertati ecclesiasticæ contrarias, novato-„rum hæresibus proximas, erroneas in fide & manifestè hæreticas. Jesuitarum novitates in theologia festivè nec minus verè perstringit autor libelli cui tit. *Lucii Cornelii Europæi monarchia Solipsorum cap. 6.* Generalia principia, & quasi communes honesti notiones, ac fontes solutionum, in Romana Casuistica sunt, *Consuetudo, Rationabilis causa, Probabile*, Præsumta *necessitas, Ecclesiæ* seu *Papæ permissio* aut *dispensatio.* Nos aliquot falsas aut fallaces regulas & fontes, in quos malæ Casuisticæ analysis plerumque fieri debet, hic lectorum considerationi subjicimus. 1. Tollatur abusus, & maneat res: quamvis subsit periculum aut scandalum, nec res illa scil. per se necessaria aut utilis sit. 2. A negativo valet consequentia. Quando scil. aliquid illa in hypothesi aut illo in casu non est condemnatum à synodis, intelligendum est esse approbatum. 3. Cui affinis est fallax & illimitata regula; *Qui tacet, consentit.* 3. Consuetudo est, malum bene positum est; ergo non est contra determinandum. 5. Toleratum est, & tolerari potest aliquid, imò nonnunquam debet: ergo non est illicitum, in foro conscientię. Vide de tolerantia infra *disp. de Officiis Caritatis erga proximum peccantem.* 6. Facta hominum in ecclesia aut politia alibi sunt paria, immo & pejora: ergo hoc de quo quæritur, non est malum aut illicitum in foro conscientiæ. 7. Permittunt aut tolerant illa Magistratus; immo super iis leges ferunt, contractus ineunt: ergo sunt licita. 8. Istis rebus (licitis scil.) modum ponunt Magistratus: ergo possunt alias quascunque res illicitas facere licitas, & consequenter hominum voluntas est regula honestatis & mensura conscientiarum. Hoc axioma necessario resultat ex absurdis nonnullorum disputationibus pro usuris mordentibus contra jus divinum *Exod.* 22. & *Levitic.* 25. Quasi quis diceret Magistratus quarumcunque mercium (quæ jure divino vendibiles sunt) venditioni & pretio modum ponere potest, & siquidem bene modum ponat, facere pretium illud licitum: ergo potest lege aut permissione sua facere licitam venditionem rei jure divino vetitam, e.gr. ut maritus vendat tali vel tali pretio, & tali modo propriam uxorem. Applica huc etiam polygamiam & libellum repudii Israëlitarum. 9. Quando à Theologo casus determinationem in hanc aut illam partem petunt amici, aut viri honorati, aut ἀνὴρ ἀρχὴ seu membra Senatus, nihil relinquitur quam parendi gloria: quamvis ille aliter conscientiis & caritati consulere maluisset. 10. Contra minutos defectus homines monendi non sunt, nec conscientiæ informandæ: saltem non, donec majora prius emendata & reformata fuerint. Sunt autem minutiæ illæ e.gr. in idololatria indirecta, item in crucibus, in vacuis ceremoniis circa sepulturam mortuorum, in capillaribus vani-

vanitatibus, aliisque, contra quæ provida synodorum nostrarum cura determinavit. Quasi scil. Pharisaicè culicem excolassent. 11. In casibus ubi dissident sententiis, forte unus atque alter à communi doctrina & praxi ecclesiarum; laxiori sententiæ accedere, & tutiorem oppugnare licet, imò & conducit. 12. Accomodanda est Casuistica & casuum determinatio, ad statum populi, & Reipublicæ, & ad hominum studia, mores, infirmitates. Unde quis ulterius colligeret (nam facile inventis quid additur) debere eam esse politizatam & sæcularizatam. 13. In politia ecclesiastica quæstiones morales & casus conscientiæ non sunt determinandi, secundum jus divinum: sed potius respiciendum ad circumstantias rerum & personarum, ut prudenter statuatur, quid fieri possit aut non possit. Regulas istas ex neotericis quibusdam Casuistis, Canonistis, aliisque scriptoribus facile colligere poteris, aut saltem autores ad earum admissionem compellere; siquidem causam & thesin susceptam tueri velint.

DE THEOLOGIA PRACTICA

PARS SEXTA.

Resp. JACOBO PRICQUIO Enchusa-West-Fris. *Ad diem* 21. *Mart.* 1646.

HActenus paralogismos aliquot casuisticos circa inven- 1.
tionem argumentorum & exceptionum notavimus, qui ad pseudographemata magis referri debent, sequuntur nunc illi qui elenchis sophisticis seu magis recte apateticis accensendi. Sunt autem illi vel locorum inartificialium, vel artificialium 1. *Illi* sunt calumniæ, & cavillationes: quæ vel generales, vel speciales. *Generales* sunt. 1. Odiosa nomina sectarum, factionum, scismatum, sive verorum, ut *Pharisaismi*, *Anabaptismi*, *Donatismi*, *Brouvvnistarum*, *novatorum*: sive fictorum & chimæricorum, ut *Puritanorum*, *Puriorum*, *Præcisistarum*. Quorum primum in Anglia orthodoxæ ac reformatæ religionis zelotis à Pontificiis, Semi-Pontificiis, Machiavellistis, Epicureis, Neutralibus tributum; duo postrema fidis orthodoxiæ defensoribus in Belgio à Remonstrantibus: quæ nunc partim laxi & mundani Casuistæ, partim homines carnales, & nominales reformati Libertinis, Neutralibus Remonstrantibus, aliisque sectis συγκριζοντες applicata velint illis, qui teporem & versatilem πολιτείαν, mundanasque in negotio religionis aut pietatis velificationes per omnia probare nequeunt. 2. Odiosissima crimina politica & publica: qualia sunt, αλλοτριο επισκοπη, læsio potestatis & auto-

ritatis publicæ; labefactatio aut periculum concutiendorum fundamentorum Reipublicæ; perturbatio pacis publicę, Nova tyrannis Pontificum; tribunal inquisitionis, potestas theologica, cui omnes etiam optimates, etiam Magistratus cum actionibus & arcanis suis politicis sint subjiciendi. Hæc & similia à Remonstrantibus in Belgio nostro occasione controversiæ de Jure Magistratus circa sacra, & sancitæ aut sanciendæ moderationis (h.e. confusionis & corruptionis) in negotio religionis, antehac jactata & superata, (in *libris VVtenbogardi*, *Barlæi*, *Grotii*, *aliisque anonymis*) nunc denuo fidis & zelotis Christi in ecclesiaministris omnibusque communis veritatis secundum pietatem defensoribus subinde objicuntur: ut hac ratione præsidium aliquod heterodoxiis, novitatibus, & ἀταξίαις emendicetur. 3. Odiosa crimina ecclesiastica. Quodqui novæ & mundanæ seu sæcularizatæ in hoc aut illo casu determinationi non accedunt, sunt Diotrephes, qui dominationem in fratres affectent; immo qui Inquisitionem instituant; qui neminem à se vel in minimo ferant dissentientem. *Speciales* calumniæ, sycophantiæ, & detorsiones sunt. 1. *Cum* facti historia (sive ad thesin, sive ad antithesin pertinet) pervertitur, *vel* conjungendo tanquam continua aut contigua, quæ erant disjuncta aut discreta, aut longe separata: vel disjungendo, dislocando, luxando vice versa: *vel* prima mediis, ultimis, & vice versa, permiscendo, connectendo: vel addendo: vel subtrahendo: vel quod ad seriem & distinctionem temporis, fingendo aut præ se ferendo quasi ante controversiam motam aliquid aut aliqua facta essent, quæ de post facto post controversiam motam demum partim facta, partim tantum tentata sunt. 2. *Cum* istæ aut istæ virtutes denigrantur titulis vitiorum; & viciſſim vitia ornantur titulis virtutum: e.gr. zelus pro orthodoxia puritate & integritate communis fidei, quæ semel data est sanctis, in credendis & faciendis, dicitur contentio, aut μωροσοφία, aut fastus, aut ambitiosa dominationis affectatio, aut contemtus fratrum, aut περιεργία, πολυπραγμοσύνη. Non amare aut laudare alicujus dissolutionem, ἀνθρωπαρέσκειαν, aut novam seplasiariam & spagyricam politizantem & sæcularizantem; dicitur odium, malevolentia, invidia, vexatio, persecutio intolerabilis. 3. *Cum* subdolè virtutes aliæ extolluntur, ut vitia aliqua tegi, & oppositæ virtutes obscurari possint. Sed de hoc, & proximè præcedenti, ut & generalibus (modo notatis) elenchis cavillatoriis nonnulla reperies in duobus tractatibus practicis longè eruditissimis, quorum unus est *Roberti Boltoni tit. Ambulatio Noachi cum Deo*, qui ex anglico idiomate in nostrum transfusus. Alter est *Danielis Dijck* tit. *Mysterium propriæ deceptionis*, (*cap.* 16.) qui in nostrum & Gallicum idioma ex anglico traductus exstat. Constat mihi etiam de latina translatio-

flatione: sed quid de ejus editione factum aut futurum sit nescio.

Addimus nunc speciales quasdam calumnias & sycophantias infelicium Casuistarum, qui cum suis partim *ipsi rei seu manifesti peccatores* sunt, nam & illi more novo & inaudito facultatem & autoritatem casuisticam hodie sibi absque ecclesiarum, Rerumpublicarum, Academiarum suffragiis vindicant: partim *peccatorum in malis causis patroni.* Qui rursum sunt duum generum, alii *Casuistæ abutentes*, qui scientiâ & studio theologiæ non utuntur ad veritatis & pietatis promotionem: alii *Casuistæ abutentes simul & usurpantes*, qui cum nunquam in scholis Theologiæ operam dederint, nec intervallo aliquo privati studii, aut tumultuariæ lectionis qualiscunque (forte instar canum è Nilo bibentium) solida theologiæ fundamenta jecerint, nedum ut apparatum aliquem ad hoc munus necessarium sibi conquisiverint, quippe theoriâ, collatione, praxi, experientiâ, destituti; & tamen temere innovandi magisterium hic sibi sumunt contra omnes theologos, ecclesiarum Pastores, synodos; eos insuper, atrocibus calumniis & sycophantiis publicè traducunt. Sordes aliquas calumniarum promiscuè indico. 1. In casu & quæstione de arte trapezitica, *Theologos & concionatores ad rationes trapezitarum ecclesiæ communionem postulantium obmutescere. Eosdem ineptos, stolidos, malos politicos esse. Eos in necessaria aut adiaphora detonare, pernicioſa permittere, aut ad ea connivere. Esse similes canibus mutis. Eosdem incurrere & peccare in publicam potestatem Magistratuum: & consequenter coërcendos. Eosdem absurda plane consilia Magistratui circa erectionem mensæ mutui suggere.* Sed hæc aliaque huc pertinentia publicè aliquando ad informationem eorum, quorum interest, à nobis, si alii non præoccupent, examinanda. 11. In casu de pio usu redituum ecclesiasticorum: Theologos ad commodum & placitum quorumvis hominum, nominatim cujusdam libelli famosi scriptoris, non determinantes, incurrere crimen sacrilegii & læsæ majestatis & cujus non? Eosdem velle bona ecclesiastica sibi vindicare? Sed alibi super istis ita se declararunt, & tot tantisque rationibus causam suam munierunt theologi, ut nullius facultatis theologicæ aut juridicæ, nullius synodi in toto orbe Christiano judicium hic reformidarent. 111. In casu de staurolatria, & reliquiis illis, vestigiis ac monumentis superstitionis Papisticæ. Quod cruces tanto odio prosequantur. Quod tandem crucis figura in fenestris, aliisque ad architecturam spectantibus toleranda non esset. Nec etiam in vexillis militaribus; atque adeo periculum seditionis inter milites concitandæ. De quibus consequentiis egimus in *disput. de Staurolatriâ.* A Synodis & Classibus toties decreta facta, toties petitiones institutæ de crucibus removendis à vitris templorum, à sepulcris: etiam nuperrimè à *sy-*

2.

nodo Noort-Hollandica habita Harlemi 1645. *artic.* 43. In Anglia quanta calamitas crucibus nuper evenerit, crucis zelotis ignotum esse non potest. IV. In casibus de Fraternitatibus olim in Papatu erectis. Quod nomina sanctorum, sub quorum patrocinio erectæ fraternitates, (e.g. Antonii, Sebastiani &c. Præcisistis adeo exosa sint, ut aliquando etiam procuranda rebaptizatio omnium eorum, qui istis nominibus appellantur. V. In casu de capillis. Quod Præcisistę velint detonderi usque ad cutem, immo abradi capillos? Quod *Psilotæ* sint omnes illi theologi (quasi in peculiares sectas ac factiones discederent) qui laxa, fluitante, & mundana casuistica sua pro volitantiũ & comtorum capillorum vanitate non pugnant. Quod illi quotidie detonent in prolixos capillos, & majorum peccatorum emendationem negligant. Quod tantas turbas dent propter capillos. Plures ejusmodi petulantes φλυαρίας & insulsas nænias require in *anonymi dialogo*, & uno atque altero futili libello Belgico. Paravit illis antidotum, & Synodorum nostrarum sententiam ac zelum defendit Cl. & conjunctiss. collega noster *Carolus de Maets in disp. Textuali ad* 1 *Corinth.* 11. ubi ita θεολογεῖ, ut una ostendat theologos non semper sapere ex solis lexicis; nec esse tam ineptos grammaticos, ac quidam velint. Ejus *disp. textualis apologiam* postea dedit idem autor longè eruditissimam: ubi data occasione multa disputantur, quæ ad generalia totius casuisticæ theologię fundamenta rectè jacienda, admodum utilia sunt.

3. Sequuntur nunc elenchi casuistici, qui referuntur ad loca inartificialia: inter quos usitatiores, qui nunc occurrunt sunt isti. 1. *Accidentis.* Qui duplex vel per accidens causæ, vel per accidens effectus. *Ille* est cum malum & bonum conjuncta sunt (sed per accidens), & unius causalitate atque actione probata, etiam alterius probari dicitur: e. gr. quando probantur leges Mosaicæ, & Magistratuum regimen, judicia, actiones secundum illas leges circa polygamiam, libellum repudii, stupra; inde quis inferret probatas & licitas fuisse actiones polygamorum. Quando ex antiquis permissionibus, indultis, concessionibus, limitationibus, moderationibus usuræ trapeziticæ, infertur eas à Magistratibus in Belgio tempore Papatus; imprimis post introductam reformationem & abrogata sanguinaria decreta Caroli V. & Philipp. II. fuisse institutas & judicatas (& quidem & in casu & foro conscientiæ) tanquam licitas jure divino, naturali, civili. Alia est causalitas legum, contractuum, moderationum, limitationum, permissionum mali illius, & judiciorum super illo malo, si controversia oriatur, à parte Magistratus; & alia causalitas ipsius actionis & negotiationis à parte trapezitæ. Sic fallacia accidentis esset, si Pontificii Trajecti ad Mosam bonitatem Missæ & totius choragii Papatus probarent,

rent, ex bonitate conventionis Illustr. ac præpot. DD. Ordinum, & legum, regiminis, limitationis, defensionis, circa eandem missam, ejusque permissionem. Sic lege justa prohibet ac limitat Magistratus compotationes otiosorum & ebriosorum hominum in cauponis, ne scil. protrahantur ultra nonam aut decimam vespertinam. Non possunt tamen bibaculi suas compotationes per totum diem, inde in casu conscientiæ licitas facere. Tantum mali tollit Magistratus & bene; pro quo gratiæ ipsis aguntur ab omnibus piis: reliquum non tollit, sed tolerat; relinquit illud, non aufert; non punit illud, tamen non probat; politicè non prohibet, tamen non mandat nec suadet; præsupponit illud, non introducit, non constituit, non instituit. Illud tamen reliquum nemini licet facere. Dari potest & aliud exemplum, Episcopus quis Papalis in Germania, aut Abbas (ex. gr. Fuldensis) quà dominus politicus gubernat subditos, & potestatem suam exercet, eamque agnoscunt & admittunt subditi reformati, & Deo pro illa, si quidem justa ac pacifica sit, gratias agunt, ac continuationem ejusdem vovent: Si quis inde inferret, ergo pariter probandam esse originem seu requisitum antecedens potestatis illius & regiminis politici per Monachatum, aut Papalem Episcopatum tanquam conditionem sine quâ non, & antecedens necessarium applicationis & collationis illius potestatis politicæ: & consequenter Monachatum Benedictinum in foro conscientiæ esse licitum: quis non videt eum committere fallaciam accidentis. Facit hoc Monachus Benedictinus seu Abbas Fuldensis, & quidem legitimè, probantibus etiam & gratias Deo atque ipsi agentibus reformatis (vel integra in synodo, si illic aliqua haberetur): ergo facit quà Monachus; ergo Monachatus à Reformatis & Monachus quà talis probatur, & salus ac perennitas ejus vovetur; ergo Monachatus quà talis talia ac tanta bona politica, immò & pacem religionis in Imperio, forte & alicubi aliquam permissionem religionis reformatæ in territoriis suis tuetur. Egregia sophistica. Eâdem etiam luderet quis, si ex admissione & agnitione potestatis politicæ, quam habet Papa in patrimonio Petri, sua Romania (etiam usque ad jus Majestatis secundum JCC. Protestantes; tenet enim unum ex potentissimis principatibus Italiæ) concluderet, licitum esse in foro conscientiæ, aut saltem à reformatis agnoscendum & admittendum jus Monarchiæ Ecclesiasticæ, h. e. Papæ Antichristianismum. Idem elenchus est, si quis ex Papæ, aut Episcopi, aut Abbatis Papalis, aut Cardinalis (e. gr. de Richelieu) politica permissione, & defensione religionis reformatæ (quæ laudanda esset, & pro quâ Deo gratiæ agendæ) ; concluderet licitum & affectandum esse Papatum, aut Episcopatum, aut Cardinalatum Romanum. Quare? quia potestas eorum politica,

quà

quâ bonum hoc permittunt & defendunt, nunc non poteſt divelli à poteſtate pſeudo-eccleſiaſtica Papali. Atqui poteſt & debet ab ea accuratè diſtingui, quia unum cum altero per ſe non componitur, nec eſt de ratione formali alterius, ſed habent ſe ad invicem per accidens; nec effectus proprius & formalis unius eſt effectus formalis alterius. Sophiſticatur etjam, qui per Reformationem Epiſcopi, aut Abbatis, aut Papalis collegii; circa aliquam aut circa præcipuam partem dogmatum, immo circa omnia dogmatica cum gratiarum actione acceptandam, reliquias rituum Papalium & hierarchicum regimen, cum prælatis ſæcularibus & regularibus, in foro conſcientiæ licita faceret, eademque probaret & alicui conſilium in conſcientia poſtulanti praxin iſtorum ſuaderet. Pariter judicandum de vocatione miniſtri, quæ fieri non poteſt ſine exercitio juris patronatus. Vocatio quouſque & quatenus eſt à parte eccleſiæ, eſt licita & legitima: ſed nihilominus qui intercurrunt actus uſurpationis patronalis ſunt in foro conſcientiæ illiciti, nec unquam probari aut ſuaderi poſſunt ab eccleſia, ſed tantum tolerari. *Poſterior* elenchus accidentis eſt, ratione effectus: quando ſcil. factum malum probatur eſſe bonum; quia inde bonum aliquod ſecutum, aut cum eo conjunctum, aut inde exſpectandum. Ex.gr. Fraternitates in Papatu erectas, poſſunt reformati ſubire, eaſque perennes facere, in earum erectionem & ſtatuta jurare (ſed ſub clauſula ſalutari); ut ſcil. conſulatur ſecuritati politicæ; Mendacium aliquod, aut pſeudo-Nicodemiticam ſimulationem, aut ἀλλοτριοεπισκοπὴν, aut quamcumque aliam ἀταξίαν ducere glorioſam culpam: quod felicem iſtam culpam ſecuta ſit eccleſiæ propagatio, aut major libertas, aut Papatus profligatio. Memini me legiſſe aliquando *in præfatione decreti Gratiani*, antiquæ editionis, Matrem Lombardi, Gratiani, & Comeſtoris reſpondiſſe confeſſori, non poſſe ſe dolere de adulteriis ſuis, quod tres illi filii inde nati fuiſſent, tanta eccleſiæ lumina.

4. 11. *Elenchus* non cauſæ ut cauſæ. Sic e. gr. fingitur neceſſitas ſanitatis, aut commoditatis; eademque genuinæ cauſæ, quæ eſt ſuperbia & vanitas, ſubſtituitur in caſu de forma veſtium minus decora & conveniente, & de prolixis ac comtis capillis. Cum revera obſint ſanitati, & corporis ac membrorum ejus commoditati ne expeditè munia ſua obire poſſint. In caſu retentarum confraternitatum, Epiſcopatuum, capitulorum & canonicorum, cauſæ aſſignantur multa peculiaria civilia negotia Reipublicæ admodum utilia; quæ tamen ſpecialiter deſignari non poſſunt, ut iſtis tanquam finibus forma & eſſentia talium civilium collegiorum conſtituatur & ab aliis diſtinguatur. In ſimilibus caſibus, attractio & converſio Pontificiorum prætenditur: quâ prudentia aliquando res ipſa clamabit; niſi

nisi jam clamare cœperit. In choreis, balletris, larvis, lusibus aleæ & similibus exercitiis bonum naturale aut spirituale, aut utrumque plerumque prætendi solet: specialiter evitatio ebrietatis, calumniæ, contentionis, aliorumque peccatorum; ita ut putent pro pietate & prudentia hac gratiam sibi deberi. Rectè Daniel Dijk in practico & eruditiss. tract. supra laudato cap. 24. *Extremum effugium est*, inquit, *juvare rem distinctione aliquâ, & prætextu falsorum finium &c. Sic calumniator, prætexit se non facere, ut alicujus existimationem lædat, sed ex amore. Et qui prolixos capillos gestant, non facimus, inquiunt, ex superbiâ; sed ut deformitatem aurium tegamus, aut ut caput calidum conservemus. Similiter boni illi, quos vocant, socii, qui familiariter consortio malorum utuntur, facimus*, inquiunt, *tantum ad oblectationem, & ut eos ad comitatem & amicitiam invitemus, exemplo Christi, qui cum publicanis & peccatoribus conversatus est. Sic etiam Corinthii, qui præsentes erant in festis idolorum: non facimus in honorem idolorum, sed tantum ut placeamus cognatis & amicis nostris in re adiaphorâ, in comedendis scil cibis.* Et paulo post: *Bradfordus in epistolis suis meminit cujusdam, qui excusabat subscriptionem articulorum Papisticorum, quod illam limitationem addidisset, quousque vel quatenus non repugnant verbo Dei: cum de facto omnino repugnarent verbo Dei.*

111. *Elenchus à dicto seu facto secundum quid ad dictum simpliciter*: & vice versâ. 1. Modus est absolutus. Sic promiscuè omnem usuram licitam faciunt nonnulli (modo scil. leges humanæ non repugnent); quia aliquam cum distinctione licitam esse docent Doctores reformati. 2. Modus est comparativus. Cum melius quid dicitur comparatè ad aliud & quidem tolerativè tantum, hoc est, esse minus malum; & inde falso colligitur esse absolutè & in se bonum, atque adeo probandum. Ad hunc elenchum refer, cum causam suam quis tuetur, qui malum non totum facit, sed ex parte; non directè sed indirectè; qui tantum in secundo aut in quarto gradu malus est, non in sexto aut octavo. Exempla quædam habet *Dan. Dijk cap. 16. 5. 12.* 5.

IV. *Elenchus consequentis*: qui specialiter hic dominatur est inconsequentis analogię: quia ex analogia sæpe in casuisticis determinari solet ex. gr. Casuistæ Jesuitici citati in *Theologia Morali Iesuitarum*; & alii à Sorbonistis condemnati solemnibus judiciis & scriptis gallicè in 8. editis 1643. ad moderamen inculpatæ tutelæ referunt, si quis clam veneno tollat eum, qui honori suo detraxit: quia scil. aliquo in casu potest quis aggressorē pro defensione vitę suę gladio occidere. Atqui honor est potior vita, ergo. Hęc fallacissima illatio ex analogia. Multa enim dissimilia hic sunt. Similiter sophisticatur quis illatione analogica, pro verberibus e. g. pueroaut mulierculę illatis quia scil. vimvi repellere liceat

per moderamen inculpatæ tutelæ. Sed audiamus, quis fuerit neceſſitatis caſus, quæ aggreſſio, quod præſentiſſimum vitę periculum? Imbellis puer ex. gr. dicatur verbis expoſtulaſſe, provocaſſe, feneſtram domus manu ſeu pugno pulſaſſe aut tundiſſe: quo claſſico Titius excitus è domo prorumpebat & præclaram illam fortemque cum puero pugnam occipiebat. Certè ſi hæc analogia concludit moderamen inculpatę tutelæ, quia ſcil. ſimilium ſimilis ratio fingitur: non video quomodo benignius agendum non ſit cum Jeſuitarum caſuiſtica de privata vindicta; & quomodo duellatores per eandem analogiam defenſivum ſuum punctum honoris in campo ſeu extra portas urbis executioni mandandum excuſare non poſſint. v. *Elenchi* duo generales ſunt, de pondere controverſiæ moralis ſeu caſuiſticæ: quod ſit ſcil. probabilis aut problematica, & quod ſcriptura eam non determinaverit. *Priorem* tanquam panaceam Jeſuitæ adhibere ſolent, ut conſcientias hominum ſopire aut ſecuras reddere, & adverſariorum ſuorum lumen præſtinguere poſſint. Hoc autem faciunt, quoties modo unum atque alterum inveniunt qui oppoſitum communis ſententiæ tenuerit. Vide paſſim *Valentiam*, *Leſſium*, *Sa*, *Zanchez*, *Bauny*, alioſque in theologia morali Jeſuitarum citatos. Vide an non ſimiliter probabilia & problematica facere ſtudeant novi Caſuiſtæ Anti-præciſiſtici, quotieſcumque judicio unius ſcriptoris (ſæpe malè expoſiti aut applicati,) aut unius atque alterius concionatoris juvari ſe putant. *Poſteriorem* quotidie à ſectatoribus mordentium uſurarum, chorearum, comœdiarum, genialium compotationum, vanitatum in veſtibus, capillis &c. audire cogimur. Vide idem obſervatum à *Daniele Dijk cap.* 16. §. 14. Putant autem manus ſuas non parum confirmari ab uſurpantibus Neo-Caſuiſtis, qui non verentur communes & eccleſiaſticas locorum ſcripturæ interpretationes aggredi & loco movere. Exemplum datum eſt in loco 1. *Cor.* 11. *v.* 13. 14. 15. per *anonymum Dialogiſtam*; & in locis *Exod.* 22. *Lev.* 25. aliiſq;, quæ univerſa antiquitas, & media ætas, & univerſus hodiernus Chriſtianiſmus uſuris oppoſuit. Sed quam levibus rationibus moti ſint, docuit Rev. coll. noſter *Car. de Maets in diatribe* ad 1 *Cor.* 11. & nos aliquando oſtendemus in locis, *Exod.* 22. *Lev.* 25. ubi *Theſes de Vſuris* recudendas dederimus. vi. *Elenchos* alios forte addere poſſem, aut jam allatos in plures rivos diducere, & per varios caſus circumducere: ſed aliæ occupationes monent hac vice hic ſiſtendum. Moneo autem ſtudioſos noſtros, ut interea legant in *libro Danielis Dijk cap.* 16. 17. 18. 21. 22. Unde elenchos amplificent, & ad ſcandaloſas Antipræciſiſticas novitates ac deſultorias periculoſaſque exceptiones applicent. Conferant etiam data occaſione noſtra, quæ tanquam præciſiſtica traducuntur,

cum

cum utiliſſimo *tract. VVilhelmi Teellingii* piiſſimi & præſtantiſſimi theologi practici tit. *Neceſſariæ demonſtrationis*, quem Facultates Theologicæ Leidenſis & Franequerana ſolemni approbatione commendarunt; & judicent, an non melius cum illo libro, immo cum ipſa pietate conveniant, quam fumoſa & ventoſa anti-præciſiſtica.

DE PRÆCISITATE AD ILLUSTRATIONEM QUÆST. CATECHET. XCIV. CXIII. CXV.

Reſp. JOHANNE BEST Amſtelodam. *Ad diem* 13. *Iulii* 1643.

Inter generales affectiones bonorum operum numeranda eſt præciſitas; quam propterea in ordinario curſu locorum communium aliquoties ſtrictim explicuimus. Puto ergo non abs re me facturum, ſi hâc diatribe ſtudioſis noſtris eam. I. *Theticè delineem.* II. *Elencticè de ejus neceſſitate diſquiram.*

PRæciſitatis vocabulum 1. Philoſophis & ſcholaſticis uſurpatum notat *Primò* abſtractionem & ſeparationem mentalem rerum & conceptuum ab aliis. 2. *Hinc conſequenter*, terminum aut vocabulum aliquod dicunt accipi, *diſtinctè & propriè*, aut *ſtrictè*, *in rigore*, *abſolutè*, *ut ſic*; oppoſitè ad τὸ laxè, confuſè, impropriè &c. Sed hæ ſignificationes non ſunt hujus loci. Ut nec illa quæ de ἀκριβολογία, cique oppoſita ἀκυρολογία, καταχρήσει apud Logicos, Rhetoras, & Criticos occurrunt. II. *In moralibus & practicis notat* τὸ ἀκριβές, exactum, accuratum; ſive homini operanti, ſive conſcientiæ actionem ſuadenti, & ad eam obliganti, ſive ipſi actioni & operi hominis, ſive doctrinæ & legi actionem illam dirigenti & conſcientiis eam imponenti atque imperanti tribuatur. Occurrit τὸ ἀκριβῶς *Epheſ.* 5. *v.* 15. βλέπετε οὖν πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε. Ubi ſedes hujus materiæ conſtitui poteſt. Vulgata, vertit *cautè*, Eraſmus *circumſpectè*: quod utrumque probat *Beza*, quamvis ipſe verterit *ſolerter*. q. d. *penitiſſimâ adhibitâ conſideratione*. *Eraſmus in notis*, id eſt, *diligenter & accuratè* Syrus vertit זהיר *ſahajot*, id eſt, circũſpectè, cautè. Cum τῷ ἀκριβῶς convenit τὸ ἀποτόμως *Tit.* 1. 13. 2 *Cor.* 13. *v.* 10. quod transfertur *præciſe*. Sic Beza *Tit.* 1. 13. & notat, *latinum illud græco reſpondere ex adverſo*. Addit, poſſe etiam *rigidè* transferri *tranſlatione à montibus præruptis ſumtâ, ubi nulla pateant ad effugiendum diverticula*. Concordantiæ græcæ N. T. itidem transferunt *ſeverè præciſè*. Et ſic gloſſarium 1.

ἀπότομον *rigidum*, ἀποτόμως *præcisè*. *Erasmus in notis ad 2 Corinth. 13. v. 10.* ἀποτόμως χρήσομαι, id est, *præcisè sive exactè*. Synonyma sunt *exactum* & *severum*, quæ occurrunt in quæstione *catecheseos Palatinæ qu.* 115. ubi Belgica translatio utitur adverbio scherpelijck id est, præcisè. Adhæc *rigidum*, *rigor*, *rigidè*, *in rigore*; quæ phrasis Scholasticis in disputationibus frequens. Præterea *Strictum* & *Exquisitum*. Inter alia omnia notandum synonymum, *singularitas*; quæ vox quamvis non ita latina melioris doctrinæ causa à nobis hic assumta, apud Asceticos Pontificios haut infrequenter occurrit; sed ut plurimum in malam partem accepta, & in vulgari ac quotidiano usu sonans in malum. Differt autem à præcisitate in eo, quod præcisitas notet ac dicat ἀκρίβειαν boni operis, & operantis absolutè & in se; singularitas autem ejusdem exemtionem & eminentiam comparatè ad vulgaria dictorum Christianorum bona opera, & respectu multorum qui communiter aut ut plurimum hoc non ita agunt. Sunt & alii termini practici tum scripturarii tum Theologici, qui in planè eosdem aut saltem fere eosdem seu cognatos & analogicos conceptus, nos ducunt: quales sunt, *perfectio Philipp.* 3. *v.* 15. & *Hebr.* 5. *v.* 14. מאד *meod* h. e. *valde vehementer*, *Vehementia Psal.* 119. *v.* 4. coll. cum *Deuter.* 6. 5. *Fortitudo* 1 *Cor.* 15. 58. *abundantia. Ibid.* cum *Philipp.* 1. 9. *diligentia* & *sedulitas Rom.* 12. 11. cum 2 *Corinth.* 5. 9. *Fervor* & *zelus*, *Rom.* 12. 11. *Apocal.* 3. 19. 20. *Puritas Matth.* 5. 8. cum *Psal.* 24.; *Separatio* & *exemtio*, *Teneritudo conscientiæ*, *cura* & *solicitudo*, *vigilia Christiana*, *devotio*; de quibus peculiares conciones, aut libellos practicos exstare videas, aut saltem in Theologia practica, & ascetica peculiares titulos constitui. *De devotione* dedimus antehac *disp.* Porro ne lusu ambigui fallamur, notandum tum in vulgari usu, tum apud practicos vocem præcisitatis imprimis singularitatis, *aliquando* in malam partem accipi, & intelligi eam quæ aut ex particulari alicujus dispositione, ἰδιοσυγκρασίᾳ, hoc est, naturali indole atque ingenio non sanctificato fluit; aut ex consuetudine adhæret; aut ex præsumptione, arrogantia, pervicacia & contendendi studio suscipitur: *Aliquando* in bonam partem, & intelligi talem, quæ ex propria vi & natura pietatis fluit, eamque inseparabiliter afficere & comitari debet. De quâ posteriori nobis hic agendum. Hæc distinctio & vocis acceptio diligenter notanda: sunt enim mala *vicina bonis*, *errore sub illo pro vitio virtus crimina* sæpe tulit: & hinc imperita aut dolosa confusio vocabulorum, & scientiam practicam & ipsam praxin non parum perturbat. Jam pridem (sunt verba Catonis apud *Sallustium in Catilinariâ*) vera rerum vocabula amisimus. Quando vulgò vitium in excessu notatur, adjicitur voci virtutem significanti adverbium *nimis*, e. gr. nimis liberalis, nimis religiosus,

osus, nimis justus &c. Et hic plerumq; recurritur ad illud Salom. Eccles. 7. *Ne sis nimis justus* &c. Quod quomodo accipiendum, infra explicabimus.

Præcisitatem πακυλῶς describimus, quod sit *exacta seu perfecta actionum humanarum cum lege Dei convenientia à Deo præscripta, & à vere fidelibus acceptata, intenta, affectata.* Ad explicationem hujus descriptionis, nota, I. ad τὸ *exactum* seu *perfectum*, esse requisitam observantiæ nostræ perfectionem triplicem: extensivam scil. & intensivam; seu partium, durationis, graduum. II. Ad τὸ *convenientia cum lege*, & τὸ *à Deo præscripta*. Ita distinguitur ab omni ἐθελοθρησκείᾳ, superstitione, hypocrisi, sive Pharisaica, sive Papistica, sive monachali, sive Donatistica, sive Anabaptistica. III. Ad τὸ *à fidelibus*. Ut distinguatur ab omni sedulitate, zelo, & superficiaria, otiosa, perversa contentione Gentilium, Judæorum, Muhammedistarum, in & pro pseudo-observantia sua. IV. Ad τὸ *à fidelibus acceptata, intenta, affectatam*. Ut distinguatur præcisitas formaliter seu subjectivè spectata, ab ea, quæ objective sic dicitur. Haut aliter, ac Metaphysici distinguunt conceptum in objectivũ & formalem. Et theologi certitudinem fidei in objectivam & subjectivam; Iidem moralem actionis humanæ bonitatem in objectivam & formalem; ut & summum bonum seu beatitudinem in objectivam & formalem. *Priori* respectu est consummata & perfecta, sicuti ipsa lex Dei, juxta *Psal.* 19. v. 8. coll. cum *Psal.* 119. & *Rom.* 7. *v.* 12. *Posterior* non est, nisi inchoatè: quatenus verè fideles eam acceptant, & agnoscunt se ad eam obligatos ex vi præcepti divini; atque adeo eam desiderant, intendunt, proponunt, affectant, & ad eam *seriò ac non simulato studio* (uti catechesis loquitur qu. 114.) contendunt: sic ut hæc acceptatio, hæc agnitio, hoc desiderium, hoc propositum, hæc intentio, hæc affectatio, hic conatus non sit omni modo aut absolutè perfectus. I *Cor.* 13. *v.* 9. 10. *Philipp.* 3. *v.* 12. quamvis aliquo modo & comparatè perfectio ei tribuatur *Philipp.* 3. *v.* 15. cum *Hebr.* 5. 14. Nos vocem præcisitatis subinde in priori, subinde in posteriori, subinde in utrâque significatione accipiemus. v. Ad uberiorem descriptionis intelligentiam, subjectum & objectum præcisitatis considerandа. I. *Subjectum* ejus *quod*, est quisque verè fidelis, & conversus: qui etiam solus subjectum est observantiæ, pietatis, & boni cujusque operis salutaris, seu quod Deo placeat & ab illo acceptetur ad salutem: juxta Hebr. 11. *v.* 6. *sine fide impossibile est*, &c. Adde *Roman.* 14. 23. *Actor.* 15. *v.* 9. Quid judicandum sit de operibus infidelium (fidem generalem hic intelligo) accuratè docuit ex antiquis *Augustinus*, & ex recentioribus nostris *Ger. Joh. Vossius in histor. Pelagianâ lib.* 3. *part.* 3. Ex Pontificiis *Corn. Jansenius in Augustino tom.* 2. *l.* 4. Nos præter fidem generalem, requirimus etiam specialem & applicantem, sine quâ quis mortuus est &

in ſtatu peccati: pro cujus fidei neceſſitate noſtri contra Pontificios diſputant, & paſſim *locorum communium ſcriptores in locis de Fide & juſtificatione.* Subjectum *ordine primum* tanquam, *exemplar* reliquorum, eſt miniſter verbi & quivis ἡγεμὼν τῆς αἱρέσεως in domo Dei immo & omnis filius prophetarum, ac ſacroſancti ſtudii & miniſterii conſecraneus. Illi enim ſunt lux mundi, ſal terræ; quibus convenit ſpiritualem illam δύναμιν in ſe ipſis oſtendere, quam aliis inculcant & perſuadent. De quo alibi ex profeſſo agendum, *in politiâ* ſcil. *eccleſiaſticâ*; ubi *de officio Miniſtrorum, & candidatorum Theologiæ.* Interim indico ſtudioſis noſtris tract. eximii inter Belgas Theologi practici *D. Godefr. Vdemans in Matth.* 11. *v.* 12., quem vernaculo ſermone conſcripſit. *Subjectum quo*, eſt mens, voluntas, & conſcientia regenita. *Matth.* 5. *v.* 8. Beati ſunt mundi corde. Coll. cum *Tit.* 1. 15. Confer hic titulum theologiæ practicæ, de Praxi conſcientiæ. 11. *Objectum*, eſt praxis pietatis ſeu obſervantiæ: Et quidem ſecundum omnes partes, actus, gradus, circumſtantias, ut verbo Dei præſcribuntur. Hic ergo præciſitate informanda ſunt 1. noſtra *cognitio* & fides rerum divinarum. *Luc.* 8. 18. *Philipp.* 1. 9. 10. 2. *Obſervatio* omnium eorum quæ ad cultum Dei tum naturalem tum inſtitutum pertinent, nihil addendo nihil detrahendo aut omittendo. 3. *Obſervatio* omnium eorum, quæ ad caritatem & juſtitiam erga proximum, & nos ipſos exercendum requiruntur. 4. *Obſervatio* etiam omnium eorum, quæ ad ſpecialem noſtram vocationem pertinent. 5. Et conſequenter Regimen cogitationum, ſermonis, actionum externarum & converſationis in hoc mundo cum iis qui extra & cum iis qui intra ſunt 1 *Corinth.* 10. *v.* 31. 32. 33. Exſtant de ſingulis illis peculiares tractatus practici, quos alibi ſuis quoſque locis indicamus.

3. Fundamentum & cauſa efficiens *prima* eſt Deus, qui cum ſit ipſa puritas, ſanctitas, & perfectio, amat ἀκρίβειαν, puritatem, & vult etiam tales eſſe filios ſuos, 1 *Ioh.* 3. 33. 1 *Petr.* 1. 15. 16. *Matth.* 5. 48. *Secunda*, eſt verbum Dei, quod unica & ſola norma præciſitatis. Unde formale ſeu forma ejus conſiſtit in ἀναμόρφῳ & convenientia cum lege: illas lineas ſi tranſiliat, jam non magis probanda eſt quam ſuperſtitio, quæ religioni ſubſtituitur. Vide *Pſalm.* 119. 1. 2. 6. & per totum, coll. cum *Pſal.* 19. *v.* 8. 9. Sicut enim operis architectonici convenientia cum ſuo exemplari & τύπῳ, & conſequenter cum regulis artis, cumque libella, amuſſi &c. conſtituit perfectionem & ἀκριβείαν ejus, ſic &c. Ut autem inferiores cauſas particulariter melioris doctrinæ causa indicem, diſpeſcam eas in impulſivas, & in directivas. *Illæ* ſunt 1. *Amor*, timor, & honor Dei: quæ ex ſingulis iſtis titulis explicari & amplificari poſſunt. 2. *Spes* & deſiderium ſalutis æternæ:

næ : quæ non nisi per angustam viam & portam (*Matth.* 7. 13. coll. cum *Matth.* 11.12.) ad metam contendunt, 1 *Ioh.* 3.3. 1 *Petr.* 1.*v.* 3. coll. cum *v.* 13.14.15. 3. *Conscientiæ* tranquillitas, παῤῥησία, & beatitudo, ac gloria fidelium inchoata in mediis hujus ærumnosæ vitæ laboribus & molestiis *Actor.* 24.15.16. & 2 *Corinth.* 11.27.28.29. coll. cum 2 *Corinth.* 6.*v.* 4.11. Plures motivas seu causas impellentes collige ex rationibus infra pro præcisitate adducendis. Istæ sunt 1. *Consideratio spiritualis*, *Psal.* 119.*v.* 59. *Ephes.* 5. 15. de quâ egregiè *Prestonus in concione ad loc. cit.* 2. *Examen* conscientiæ exactum & frequens : de quo *in tit. de praxi resipiscentiæ.* 3. *Recordatio. Apocal.* 2. 5. *Hebr.* 12. 5. *Psal.* 119. 61. : de quâ ex professo *Nathanael Coole, in tract.* anglico cui tit. *Præservativa peccati.* 4. *Meditatio* assidua verbi divini, & applicatio ejus ad praxin nostram, ut videamus an conveniat nec ne. *Psalm.* 119.*v.* 6.31. Confer de mediis seu causis dirigentibus seu adjuvantibus, & procreantibus *Amesium lib.* 2. *medullæ cap.* 14. 20. *thesi*, 1-20. ubi de modo cultus. Ad media promoventia præcisitatem, refer impedimentorum remotionem & evitationem : sunt autem impedimenta. 1. *Præjudicia* nonnulla, qualia sunt : Esse ἀκριβειαν hanc superstitiosam, saltem inutilem aut non necessariam : Eam esse nimis molestam vexationem spiritus : Esse quid adiaphorum, ad quod contendere possit is, cui commodum est, cui vacat ; cujusque rationes particulares & vitæ genus hoc ferant aut permittant. 2. *Exempla* mala; consuetudo hodierna vulgarium Christianorum; consuetudo antiqua & πατροπαράδοτος 3. *imitatio* multitudinis, & consuetudinis nimis facilis, & servilis: 4. *Mollities* nimia, quia timentur opprobria, & irrisiones hominum : Nimia ἀνθρωπαρέσκεια. Hæc, & si quæ sunt alia impedimenta, infra §. 9. in *parte elencticâ* iterum attingemus.

Adjuncta ἀκριβείας & præcisitatis sunt tum requisita, seu conditiones, tum concomitantia & consequentia, tum signa. *Requisita sunt* 1. ut respiciat quis ad totam legem ejusque singulas partes, particulas, minutias (siquidem ita loqui liceat) usque ad motus primò primos, minimas cogitationes, verba, gestus, & usque ad minimos atque ultimos conscientię casus, & factorum consequentias ac circumstantias ; & sic in omnibus se quam exactissimè conformet perfectissimæ illi normæ : ne jota quidem boni omittendo, & ne speciem quidem mali admittendo aut committendo. *Psalm.* 119.104. coll. cum *Matthæi* 5.*v.* 19.20. & deinceps per totum caput usque *v.* 48. *Estote igitur perfecti, ut pater vester ille, qui est in cœlis, perfectus est.* 11. Ut quis singula mala omittendo, & bona faciendo, faciat in gradu intensissimo ; ex & cum intentione proxima obediendi Deo, & remotâ glorificandi Deum ; ex toto corde, & ex omnibus viribus, summâ 4.

cum

cum alacritate & voluptate, cum timore & tremore, ſummo cum fervore *Pſ.*71.*v.*8.& 34.2. & 119.14. *Phil.*2.12.*Rom.*12.11.*Mat.*5.16.coll.cum *Mat.*22.37.*Pſ.*119.10. 111. Ut ſemper & continuò hoc agat, *Pſ.*119.12. 44. & 2 *Cor.*5.9.Coll.cum *Pſalm.*71.8. Quod amplificandum per omnes temporum, & occaſionum differentias; tempora ſcil. adverſa, proſpera; difficilia, facilia; corrupta, minus corrupta; ſignata pravâ aliquâ conſuetudine, ac peculiari obſervatione, & non ſignata; denique ſolitudinem, frequentiam; juventutem, ſenectutem &c. Vide *conciones & explic. Epheſ.*5.15. τὸν καιρὸν ἀγοραζόμενοι. IV. Ut maturè hoc agat, abſque dilatione, morâ, exceptione. *Pſalm.*119.60. *Hebr.*3.7.13. 1 *Corinth.*7.29. Atque hæc quidem requiſita abſolutè conſiderata: relatè ſeu cum certo reſpectu conſiderata ſunt 1. ad perſonam fidelium ſeu piorum, ut ornati & cumulati ſint omnibus donis, bonis & gratiis ſpiritualibus, adeoque πανοπλίαν induerint totius imaginis divinæ, omniumque ac ſingularum partium ejus; ut nulla deſit. Ut enim lex eſt una copulativa (juxta commune effatum ſcholarum,) ſic & imago Dei. Si enim deſit fides apprehendens ac certo perſuadens, aut animoſitas ſeu fortitudo ad facienda impellens, aut prudentia dirigens, aut cognitio prælucens, ſeu oculus ſpiritualis in tenebris viam monſtrans; utique non poteſt eſſe ἀκρίβεια. Vide *commentatores ad Iacob.*2.10.& 2 *Petr.*1.*v.*5.6.7.8 9. 11. Relatè, ſeu cum reſpectu ad actionem: ut omnia, quæ ad illa concurrunt, aut illam ingrediuntur, aut circumſtant, ſint exacta. Principia ſcil. tum interna tum externa, ad hæc finis, objectum, circumſtantiæ loci, temporis, & ſi quæ ſint aliæ. 111. Relatè ſeu in reſpectu ad proximum. 1 *Petr.*2.11. 1 *Corinth.* 10. *Philipp.* 4.8. *Coloſſ.*4.5.6.

5. *Adjuncta concomitantia, & conſequentia ſunt.* 1. Facilitas ſpiritualis in opere domini. Hinc dicuntur currere viam mandatorum Dei. Quo enim ſtrictius & accuratius opera ſua componunt & conformant ad normam legis divinæ, eo facilius operantur, & minori cum reſiſtentiâ ac faſtidio. Vide *Matth.* 11.29.30. *Ieſa.* 40.31. 11. Abundantia boni operis: nam præciſitas facit fideles ἀδιστάτους. Vide de ἀδιστασίᾳ, & exſuperantiâ hâc *Philipp.*1.9. 1 *Corinth.*15.58.2 *Petr.*1.*v.*8. 111. Libertas ſpiritualis, quæ conſtrictione & συνοχείᾳ amoris Chriſti, & verbi atque operis domini ſeu jugi Chriſti (2 *Corinth.*5.14.) magis ac magis creſcit. Hinc etiam lex dicitur, lex libertatis & lex regia *Iacob.*2.8.12. Contra ubi vincula amoris & jugi Chriſti laxantur, ibi falſa & carnalis libertas ſubrepit ac creſcit, hoc eſt, homo ſervitutis jugo aſtringitur. IV. Pax ſpiritualis. Eſt enim pax tranquillitas ordinis. Ergo εὐταξία & εὐρυθμία operum noſtrorum ſecundum normam & modulum legis divinę bene ſervata, non poteſt non

pax

pax *præsidio custodire* corda nostra & mentes nostras in Christo *Philipp.* 4. 7. Uti contra omnis perturbatio & inquietatio interna oritur ex remissione & defectu ἀκριβείας. v. Externa condemnatio, irrisio, insectatio, & abalienatio mundi & falsorum fratrum; immo & nonnunquam tepidiorum fratrum, & vulgarium Christianorum. Sic olim in Papatu à carnalibus clericis non tantum non quæsitas & gustatas fuisse res spirituales, sed etiam eos persecutos fuisse omnes ambulantes secundum spiritum, conqueritur *Nic. Clemangis* super materiâ concilii generalis *ad scholast. Parij*. Verba ejus hic exhibeo p. 69. edit. in 4. *Hi autem carnales filii Ecclesiæ, non solum spiritualia, nec curant, nec sentiunt, sed etiam persequuntur eos, qui sunt secundum Spiritum, sicut à tempore Abel justi, quem Cain carnalis occidit, semper factum est.* Et paulo post: *qui volentes sancte, juste, caste, innocenter, spiritualiter vivere, cum cachinnis irrident, hypocritas appellant, crucifixosque comestores.* & p. 71. *Qui nihil de spiritualibus donis gustantes, si quis aliquid de spiritu dixerit, velut insulsum atque insipidum cum risu & subtannatione excipiunt, cum sibilis exufflant, cum clamore & contentione rejiciunt.* Quomodo inter Gentiles exosam fuisse exuperantiam virtutis probat *Cicero* (*Tuscul.* qui „*l.* 5. *circa finem*) exemplo Aristidis, & Hermodori. Est apud Heraclitum „physicum de principe Ephesiorum Hermodoro, universos ait Ephesios „esse morte mulctandos, quod cum civitate expellerent Hermodorum, „ita locuti sint. Nemo de nobis unus excellat: sed si quis exstiterit, alio in „loco, & apud alios sit. An hoc non ita fit omni in populo? Nonne omnem „exsuperantiam virtutis odere? Quid Aristides (malo enim Græcorum „quam nostra proferre) nonne ob eam causam expulsus est patriâ, quod „præter modum justus esset. De Hermodoro sic *Strab: lib.* 14. *Geogr. p.* 441. „*edit. gr. lat. Casauboni:* Et Hermodorus, de quo idem (scil. Heraclitus Phy„sicus) sic loquitur: Ἄξιον Ἐφεσίους ἡβηδὸν ἀπάγξασθαι, id est, *digni Ephesii, qui ad* „*puerum omnes strangulentur*; qui Hermodorum virum inter ipsos frugi e„jecerunt, addito, *nemo nostrum frugi* (ὀνήϊστος) *esto, aut alibi id esto, & inter alios.*

Adjuncta quæ eadem *signa*, diagnostica seu diacritica, quibus veram 6.
ac genuinam ἀκρίβειαν à sictâ aut Pharisaicâ distinguamus sint nobis ista. I. Quod fidelis prius & maximè eam quærat ac sectetur in operibus suis; deinde in operibus aliorum tum privatim ac seorsim, tum in communione ecclesiastica consideratorum. Hic enim obtinet illud vulgatum: Reformatio incipit à seipso. II. Quod facile condonet, & indulgens ac benignus sit erga alios, si alicubi ab ἀκριβείας indivisibili puncto videantur recedere *Galat.* 6. *v.* 1. Et quod possit ac velit μετριοπαθεῖν si qui in cognitione fide, observantia tam firmi tam exacti non sint, *Hebr.* 5. *v.* 2. III. Quod minus attendat ad externas actionum quarundum forma-

litates & ritus communes in sacris; magis ad cor suum & internas ejus motiones, & sinceras intentiones *Matth.* 23.25.26. IV. Quod tantò humilior fiat, quantò magis in ἀκριβείᾳ proficit: tantòque magis à Dei gratiâ dependeat, atque eam respiciat, *Psalm.* 119.*v.* 116.117. 123. tantò minus apud alios ostentet, ubi gloria nominis divini id necessariò non requirit. cum *Matth.* 23. 5. 28. Hinc etiam dici possent se abscondere, & absconditi esse: quo magis enim noti sunt domino, eo magis studeant ignoti esse mundo. Ut enim pretiosissimi thesauri, & rarissima cimelia, abscondi solent, non ostentari aut omnium oculis exponi, sic exsuperantia virtutis & ἀκρίβεια pietatis. Confer comment. ad *Psalm.* 83. 4. V. Quod religiosissimè ab externis mediis verbi in omnibus negotiis, religiosis, sæcularibus, publicis, privatis dependeat; & humiliter os domini consulat, & responsis ejus se subjiciat. *Psal.* 119.5.6.11.31. VI. Quod sit universalis, & cum Deo universaliter affectetur, in omnibus legibus Dei, in omnibus causis & negotiis, sive publicis sive privatis, in omnibus actionibus sive apertis sive clandestinis, coram Deo & hominibus Actor. 24. v. 16. *In hoc exerceo ut in offensam conscientiam habeam* &c. Subjiciamus nunc *Effecta* quædam particularia in quibus se exserit ἀκρίβεια spiritualis. I. Non recipit promiscuè quamvis doctrinam, sive novitatis, sive eloquentiæ, sive subtilitatis, sive extraordinariæ revelationis, sive antiquitatis, sive communis consensus, sive exempli majorum speciosè se commendet; sed omnia probat 1 *Thess.* 5.*v.* 21. explorat spiritus an ex Deo sint 1 *Joh.* 4.*v.* 1.2. omnia rigidè expendit & cum verbo Dei comparat exemplo Beroënsium *Actor.* 17. Hinc est quod quovis doctrinæ vento non circumferatur *Ephes.* 4. nec κυβείας, id est, adulterationes doctrinæ, mixturas & syncretismos humanæ sapientiæ admittat. II. In cultu divino reformat & expurgat omnia, etiam usque ad ceremonias, agenda ecclesiastica, regimen & politiam; etiam usque ad minimam speciem & occasionem mali: exempl. Hiskiæ 2 *Reg.* 18.3.4.5.6. & Josiæ 2 *Reg.* 22.3. cum *cap.* 23.13. qui etiam excelsa auferebant. Vide & confer. *disp. de Idololatriâ Indirectâ, de Staurolatriâ part.* 3. *de liturgiis, de ceremoniis &c.* III. Reformatio vitæ & morum tum privata tum publica, usque ad minimas carnis infectiones, corruptæ consuetudinis afflatus, mundi excelsa; etiam scandala & species mali in usu adiaphororum, præsertim eorum quæ videntur sonare in malum. *Judæ v.* 23. coll. cum 1 *Thessal.* 5.22.23. 1 *Corinth.* 9.15.19.27. & 10. 29.32.33. Imprimis hoc agit ut ea spiritualiter dijudicet, & ab iis abstineat, ad quæ vulgares aut molliores Christiani non ita attendunt; aut si attendant, vix tamen abstinere audent propter consuetudinem, & ἀνθρωποπαρήτησιαν. Sunt autem illa, sortes ludicræ, certamina de eventibus futuris (de

(de quibus antehac ex professo egimus;)&ad septimum præceptum,comedię,choreę,vanus capillorũ ornatus,luxus in vestitibus &c.de quibus sub tit. *Excelsorum mundi,disp.*aliquot adornavimus.IV.Instauratio,observatio & sincerum exercitium tum privatæ correptionis & admonitionis fraternæ, tum censuræ & disciplinæ ecclesiasticæ.Ut enim in præscriptione,præparatione & applicatione medicamentorum, Medici ἀκρίβειαν requiritur, sic etiam in usu disciplinę.De cujus rigore,aut relaxatione, aut temperamento, aut dilatione, per spiritualem prudentiam pro statu rerum & circumstantiarum,agendum in *Pol.ecclesiast.* v.Institutio,instauratio,& propagatio omnium exercitiorũ pietatis,in ecclesia,in familia,in collegiis quibusq;, in solitudine sua: quorum composita ratio & ordo petendus ex Ascetica.

Præcisitas distribui potest I. ratione partium pietatis, in eam quæ est cognitionis seu fidei, & in eam, quæ est observationis: De illa agitur in controversiis & consultationibus, de libertate prophetandi, de moderatione, deque Syncretismo & unione dissidentium: de quibus delineatione conceptuum nostrorum prævimus studiosis ad consilia & scripta istius generis expeditius & tutius dijudicanda. Fundamentum aliquod jam præstructum erat *in disp. de Articulis & erroribus Fundamentalibus*; cui reliqua superstructa sunt. II. Ratione objecti in eam, quam adhibemus circa nos, nostrasque actiones proprias; & in eam, quam circa vitam & actiones aliorum, præsertim qui curę nostrę commissi sunt. III. Ratione subjecti, seu principii, in communem quorumcunque Christianorum; & in specialem, exemplarem, & ἡγεμονικῶ, id est, *anteceßoriam* (ita loquar), Verbi ministrorum, & seniorum: qui ideo peculiari ratione dicuntur sal & lux mundi *Math.*5.13. Est autem ministrorum præcisitas *primò*, circa seipsos & domesticos suos; *Deinde* circa membra ecclesię suæ & auditores suos; *tum* circa vicinas ecclesias cum quibus intercedit illis unio & correspondentia Synodica aut Classica; *postremò* circa exteras quasque ecclesias, si quo consilio aut auxilio suo illis prodesse possint, exemplo *Lutheri*, *Buceri*, *Melanthonis*, *Calvini*, *Bezæ*, *Martyris* &c. quorum *epistolæ* & *consilia* videnda. Hunc ordinem qui invertunt, aut qui classicè & synodicè in aliis ecclesiis earumque specialibus quibusque minutiis & formalitatibus humanis magno, sæpe importuno, zelo ἀκρίβειαν & præcisitatem urgent ac requirunt, dum vita ipsorum, aut familia, aut ecclesia propria est tanquam ager ignavi; non tam zelotæ aut ἀκεραιβεῖς dicendi sunt, quam curiosi, πολυπράγμονες, Pharisęi, Diotrephes, περιέργοι, ubique habitantes & satagentes, præterquam domi. 7.

Repugnant præcisitati. I. In *excessu*, superstitio & ἰθελοθρησκεία; qualis Ethnica, Judaica, Muhammedica, Papistica,&c. De quâ *commentatores* 8.

*res ad Matth.*15.& 23.*Coloss.*2.& nos in *disp.de Superstitione, de Benedictionibus, de Festis, de Templis* &c.11.Repugnat etiam in excessu *spiritus scrupulositatis* & *melancolici delirii.* Quid autem sint scrupuli non-necessarii pietatis praxin & ἀκρίβειαν impedientes, & consequenter toto cœlo ab ἀκριβείᾳ & præcisitate, quam lex Dei requirit,distantes, videri potest apud *Amesium lib.*1.*de conscientiâ c.*5.& Jesuitam *Bresserum lib.*6. *c.* 11.& 12. 111. *In defectu* repugnant tepor, remissio, moderatio, neutralitas,laxitas, ita loqui liceat. Quæ est vel opposita intentioni, vel opposita extensioni. De *illâ* agunt *scriptores concionum ad Apoc.*3.*v.*15.16. quales *Perkinsus*, *P.Bainesius*, *VVilh.Teellingius*; & nos *meditatione practica ad Iacob.*2.12. belgicè olim editâ; *aliique scriptores practici in tract. de zelo, de securitate, de vigiliâ Christianâ. Hæc* est cum theoreticè, vel practicè magna peccata habentur parva, & parva habentur nulla. Theoreticam laxitatem promovent laxi Casuistæ; quales in non paucis sunt Pontificii,ut alios nunc præteream. Indicium istius fecit *Molinæus in indice traditionum ecclesiæ Romanæ* secundum ordinem decalogi gallicè. Cum quo conferendi sunt nostri *Casuistæ*, seu *Moralistæ*, *Perkinsus*, *Amesius*, *Rivetus*, *Danæus*, *Vdemans*: qui postremus vernaculè scripsit. De aliis nonnullis, qui disputant pro admittendis choreis, comœdiis, sortibus ludicris &c. ut & de Pontificiis, monemus, cum ex professo agimus de istis excelsis mundi. Practicam laxitatem deprehendas in ore & operibus quorundam, qui inter reformatos numerari volunt. Quorum teporem & defectus in vitâ & moribus exactè notavit ac reformandos docuit, insignis Theologus practicus *VVilh.Teellingius in Necessariâ Demonstratione*, ubi etiam catalogum exhibet eorum, in quibus sibi indulgere solent laxè reformati; idque secundum ordinem decalogi. Est & alter *catalogus* vernaculo nostro sermone conscriptus à *Iosiâ van Houte*, ministro, cum viveret, Zirizæano, quem nos cum auctario aliquo hic recudendum curavimus. Cum quibus conferenda particularia, quæ enumeramus in *disp.de Idololatria Indirectâ*, *de Superstitione, de Excelsis mundi* &c. Et *Lincolniensium Ministrorum scriptum*, cum *Puritanismo Anglicano anonymi*, & *Didoclavii altari Damasceno*, *aliisque scriptis de controversis Anglicis.* IV. Maximè autem repugnant τῇ ἀκριβείᾳ, satyricæ insultationes, calumniæ atroces, hostiles infectationes & moliri contra eos, qui eam doctrinâ aut praxi sua pro viribus commendant ac promovent. Huc refer quæ jam multis annis, præsertim ab initio Archiepiscopatus *Gulielmi Laud jactata*, *scripta*, *acta in Angliâ & Scotiâ* contra pios & genuinæ ac plenè reformationis seu puritatis amantes viros, nec non pietatis studiosissimos, quibus mundus non erat dignus. Quo *elogio* non complector illos, qui postea suos libertinismos aut hæreses,

aut

aut scismata aut merè carnales ac mundanos respectus à reformatâ veritate ac pietate abhorrentes prodidere. Conqueftus erat antehac de illo odio & persecutione præcisitatis, eruditiss. & solidiss. Theologus Practicus, *Rob. Boltonus, in tract.* cui tit. *Noachi ambulatio cum Deo*; qui nuper belgicè editus. Sed halcyonia tunc erant, præ iis difficilibus temporibus, quæ postea secuta sunt. Atque hanc comœdiam, seu potius tragœdiam ita agebat diabolus sub odioso illo titulo *Catharorum* seu *Puritanorum* per satellites suos Pontificios & Epicureos, carnalesque Libertinos excogitato & invecto, ut tota doctrinæ reformatio, omnisque sincera ac spiritualis pietatis praxis in summum discrimen adducta jam esset, tantum non planè absorpta. Ipse Episcopus Bangorienss *Ludovicus Baylly in libro* suo tot linguis vulgaribus nunc notissimo, cui tit. *praxis pietatis*, dissimulare non potuit, quin inter alia conquereretur, Pietatem ibi vulgo traduci nomine Puritanismi. Nec defuisse affines calumniandi artes in Belgio nostro, quod ad ecclesiæ doctrinam & disciplinam, tempore contentionum Remonstranticarum, sub nomine *Præcisianorum*, & *purorum fratrum*, & *perpurgatorum*, *Puritanorum*, (Vide inter alia *præf. N. Grevinckh. ad librum contra Amesium*, *Apologiam Remonstrantium*, *Grotii Pietatem*, *Episcopium in defensione catecheseos Remonstranticæ contra Heidanum passim*, & *ad qu.* 121. *Confes. Remonstr. in præfat. cum censurâ professorum Leidensium*, *Comediam veterem* &c. Idem accidit circa exactam morum emendationem & sedulam pietatis praxin, sub eodem nomine *Præcisianorum*, aut *Sabbatistarum*, aut *Zelotarum*, μωροσόφων, aut *hypocritarum*, aut *nasutorum*, aut *Phantastarum*, & μελαγχολικῶν, aut *duorum seu rigidorum reformatorum*, aut *sanctorum ecclesiasticorum*, aut μισανθρώπων &c. ut indicavi olim in *Meditatione ad Iac.* 2. 12. Confer *infra* §. 10. v. Omnis vitiosa & verbo Dei repugnans singularitas seu præcisitas: quæ vel magis publica seu socialis, vel magis privata seu solitaria. Utraque rursum vel magis speculativa, vel magis practica. *Publica* est quæ sectam ac professionem quandam facit, ut Pharisaismus, Donatismus, Catharismus seu Novatianismus, Monachatus, Anabaptismus, Brovvnismus; aliique, qui sectas aut scismata docent & moliuntur prætextu puritatis ac præcisitatis. *Privata* est 1. cum quis rigidè & præcisè inhæret propriis suis & præconceptis opinionibus, & observationibus in negotio pietatis aut quarundam formalitatum pietatis, extra & præter verbum Dei: & quidem tantâ cum contentione, ut alios omnes pro profanis habeat, atque à se removeat, aut ab iis se separet. Quales describuntur *Ies.* 65. *v.* 5. & *Iudæ v.* 19. 11. Cum quis spirituali superbiâ turgens, affectat eminere & singularis esse, inter & supra omnes alios, carnali & inani studio rerum, aut inutilium aut impossibilium. Et hæc propriè dici

potest curiositas: de quâ Gerson part. 4. tract. 12. Curiositas *est vitium: quo dimissis utilioribus homo convertit studium ad minus utilia, vel inattingibilia sibi vel noxia.* Singularitas *est vitium, quo dimissis utilioribus, homo convertit studium ad doctrinas peregrinas & insolitas &c. Neutrum fit absque excellentiæ propriæ desiderio. Curiositas, ut sciat alia, quam oportet: singularitas, ut cæteris emineat.* VI. Cum quis vehementer, fervidè & rigidè insistit rebus inutilibus, aut saltem parvi momenti; quæ tangunt formalitates, apices, & puncta vanitatum hujus mundi, carnalis gloriæ, propriæ existimationis aut utilitatis; ut hic ferveat, tepidus autem sit, si non algeat, in negotiis Dei. VII. Cum quis tam præcisè attendit aliis, & tam rigidè examinat ac judicat dicta & facta proximi, præsertim pietate excellentis (interim in se & sua satis benignus) atque in hoc singularem quandam perfectionem ac puritatem constituit. Augustin. Epistol. 137. *Cum de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsitatis sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt ut de omnibus hoc credatur.* Ita omnes aut plerosque pios, quin & ipsam pietatem studeat suspectam reddere: Sed talem præcisitatem esse vitiosam constat ex *Galat.* 6.1.2.3.4.5. *Ephes.* 4.22. *Coloss.* 3.12.13.14. 1 *Petr.* 4.8. Cum quis propriæ methodo, modo, consuetudini, externæ formæ, & compositæ rationi, suæ cognitionis, suæ ἀσκήσεως seu γυμνασίας, sui ministerii, & suorum agendorum mordicus & superstitiosè ita inhæret, inque eo ita sibi placet; ut omnes alios ad illam formam redigere velit, immo non eâdem præcisitate secum & pari passu hic euntes, condemnare, aut saltem aversari audeat. Cum ne quidem Johannes Baptista & Christus eandem compositam rationem & determinationem ordinis ac modi hic observârint. Huc analogicè quodammodo applicari posset illud *Rom.* 14.v.2.7.10.11. &c. IX. Cum quis communem fidem, pietatem, causam ecclesiæ promovendo, sibi singulariter ea vindicare studet, quasi spirituale quoddam monopolium exercens, dum solus esse ac videri vult. Hæc singularitas repugnat, 1 *Corinth.* 14.5. & *Philipp.* 1.18. X. Cum quis præcisus est in laxitate illâ suâ retinendâ, ac defendendâ: ita ut omnia tuta timeat, omnia suspecta habeat, quæcunque ad modulum suæ laxitatis seu formalis pietatis efformata non sunt. Quo fit ut supera inferis misceat, nullas non machinationes & stratagemata moliatur, quibus simplicissimos quosque Nathanaeles & Nazaræos à fervore, & piâ ἀκριβείᾳ abducat, aut in eâ quocunque modo confundat. XI. Cum quis præcisè & serviliter observat τὸν καιρὸν, eique ut & hominum placitis, ac consuetudini servit. Atque hæc quidem delineatio thetica: cui facile methodus practica & concionatoria aptari potest. *Motiva* enim seligenda sunt, ex causis efficientibus impulsivis, & ex adjunctis,

ctis, atque effectis; *Media*, ex causis efficientibus directivis & instrumentalibus seligenda. Unum tantum hic repetam ex *dispp. de Theologiâ practicâ*, ubi verbis *Danæi* ostendo, minus aliquando facere pios, quam lege permissum est, & plus quam mandatur, ut tantò tutius à peccato præservari & tantò longius ab occasione mali abesse possint. Addo hic testimonium & argumentum ad hominem ex *Grotio*, alias in Gratiam Remonstrantismi seu mavis factionis politicæ tunc temporis admixtæ, satis iniqui in præcisitatem declamatoris in dictâ *Pietate Ordinum Hollandiæ* & sub finem vitę in infelicibus scriptis quasi syncretisticis à pererudito theologo *Andr. Riveto* peremtoriè refutatus. Verba ejus sunt in notis ad 2 *Cor.* 11.v.24. *Quadraginta verbera infligi ferebat lex, non jubebat* Deuter.xxv.3. *Vide præceptum jubens* CV. *& vetans* CXCIX. *sapientes citra eum numerum consisti voluere. Sic ante & post sabbatum addidere horam, hæc sunt quæ vocant sepimenta, περιφυλακὰς legis, in odiosis minus, in favorabilibus paulò plus facere quam lex imperat. Neque hoc pugnat cum interdicto quod est* Deut. IV.2. *Nam addere ad legem est facere quod lex vetat. Diminuere est omittere quod lex jubet. Horum neutrum fit in istâ & similibus traditionibus.* Quid de hac opinione ejus statuendum, hic non disquiro. Sufficit Grotium Judæos hac in parte laudantem, Grotio reformationem nostram vituperanti suo, *excessit medicina modum &c.* opponi. *Signa* nonnulla supra indicavimus.

Sequitur pars elenctica; ubi quæstio tractanda an omnes fideles teneantur hanc ἀκριβείαν sectari. *Arg.* I. est *Ephes.*5.*v.* 15. coll. cum textibus, unde singularitas, separatio, exemtio, eminentia, seu ἕξις fidelium in studio pietatis colligitur, ut *Tit.*2.14. *Johann.*15.19. 1 *Petr.*2.9.11. *Ierem.*2. 3. *Rom.*12.2. *Ephes.*5.11. 2 *Corinth.*6.17. & 7.*v.*1.2. II. *Arg.* Quia contendere debent ad perfectionem partium, graduum durationis, & ea omnibus ac singulis præscribitur. *Philipp.*3.15.16.17. *Matth.*5.48. *Psalm.* 119.8. *v.*128. 1 *Thess.*5.10. *Arg.*III. Quia debent esse diligentes, abundantes in opere domini, 2 *Corinth.* 5.9. 1 *Corinth.* 15.58. &c. *Arg.*IV. Quia via stricta, & porta angusta est *Matth.*7.13. V. *Arg.* Quia regnum cœlorum vim patitur *Matth.* 11. Et justus vix salvatur 1 *Petr.*4. ubi vide *commentatores, & meditationes practicas concionum.* VI. *Arg.* Quia debent admodum & vehementer servare mandata Dei *Psal.* 119.4. coll. cum *Deuter.*6.v.5. VII. *Arg.* Quia caritas Christi συνέχει ἡμᾶς &c. 2 *Corinth.*5. VIII. *Arg.* Quia debent esse fervidi, & zelotæ *Rom.*12. *Apoc.*3. *Galat.*4. 17. Vide *conciones de Zelo Perkinsi, Samuelis VVardi, Pauli Baines, VVilhelmi Teellingii ad Apocalip.* 3. *v.* 19. *& C. Burges tractatum de Zelo.* Angl. *Arg.*IX. Quia debent abstinere ab omni specie mali, 1 *Thess.*5. coll. cum *Iuda.*v.23. Hinc etiam castissimis virginibus comparantur *Cantic.*1. 4. coll. 9.

4. coll. cum 2 *Corinth.* 11.2. *Arg.* x. Quia fideles pauci sunt, verè pii rari sunt, pusillus grex, tanquam peculiaris & seperatus populus, seorsim habitant, singulariter ambulant, singularem & ὑψηλὸν vitæ πολιτείαν amplectuntur, ita ab aliis omnibus dignosci ac discerni possunt *Iesa.* 61. Et hinc tanquam portentum quoddam sunt, & omnium oculis, linguis, odiis, ac contumeliis petuntur *Iesa.* 8.18. *Ier.* 20.7. *Arg.* xi. Quia singularis seu specialis gratia ipsis donata atque exhibita, & singulare atque excellenter excellens gloriæ pondus ipsis paratum, 1 *Timoth.* 1. 2 *Corinth.* 4. *Arg.* xii. Exemplum Christi, & sanctorum, inter eos, Noah, Loth, Jeremiæ, Pauli &c. *Arg.* xiii. Contraria & mala exempla mundanorum & carnalium, qui in homogeneis sibi rebus ac negotiis sunt ἀκριβέστατοι; in artibus, scientiis, in opibus, honoribus, munditie & ornatu domuũ, &c. ubiq; ἀκρίβειαν, ἐξοχὴν, & singularitatem sectantur; Et in eo nimis sæpe ipsis assimilantur fideles. Quod si ergo illi in caducis aut vanis illis tales se præstant; quanto magis fideles in cœlestibus &c. Consequentiam hanc vide 1 *Cor.* 9.25. Ubi confer *notas Bezæ, aliosque commentatores.* *Arg.* xiv. Accedat consensus, & praxis antiquorum. De praxi piorum in primitiva ecclesia, præsertim confessorum & martyrum testantur *historiæ ecclesiasticæ.* Sensum & judicium eorum vide apud *Augustin. in Psalm.* 90. & *Psal.* 93. *Chrysost. homil.* 22. *in Genes.* 6. & *homil.* 15. *ad pop. Antioch. Augustin. serm.* 64. *de tempore.* Ex Pontificiis conferendi libelli ascetici, imprimis *Thomas Kempis de Imitatione Christi per totum*, Joh. Lanspergius Carthusianus in pharetra divini amoris p. 220. ubi in epistola Christi ad animam fidelem, egregium monitum est de singularitate. *In conversatione apud alios non proferas exteriorem vultum tristem aut turbulentum, sed serenum ne aliis sit tua conversatio gravis. Singularitatem in cæremoniis, in operibus & signis devotionis non necessariis in aliorum oculis cave. Porrò quæ animæ tuæ sunt necessaria, quæ status tuus & Christiana requirit professio, quæ pro virtutibus obtinendis, aut peccatis vitandis sunt necessaria, ibi non timeas esse singularis, ibi cæteris te non conformabis, si suam negligant ipsi salutem: quin potius pro tua salute, pro virtutibus, pro meo denique beneplacito, derisiones & persequutiones humiliter ac patienter sustinere te oportet.* Ex Augustino, Chrysostomo, Kempis excerpta non exhibemus: quod ipsos autores ubi vis obvios legi malimus. Ex nostris imprimis hic legendi *Boltoni Ambulatio Noachi cum Deo; Danielis Dijk mysterium propriæ deceptionis; Præstoni concio ad Epheſ.* 5.15.; *Teellingii Necessaria demonstratio, per totum*, præsertim *pag.* 374. 391. ubi ex professo de singularitate, *ejusdemque Threnus* (vernaculè treur-schrift/) (ita dictum) *p.* 77. 86. 87. edit. primæ in 4.; *Ejusdem concio in Zephan.* 2. *p.* 29. 114. 115. 116. Fratris ejus *Evaldi Teellingii* (sub nomine *Irenæi Philalethii*) *Amo-*

si vi-

si visio, in præfat. Vdemanni conciones in Matth. 11.12. & *Rudolphi Petri angustam portam.* Ad quorum imitationem Studiosi nostri discant practicos conceptus de præcisitate formare & extendere. Cum quibus conferant, si vacat, *Meditationem nostram in Iacob.* 2.12. ubi ex professo digressionem de præcisitate inseruimus; & *Columnam nubis & ignis* sub nomine *Irenæi Philalethii*, hoc est, consultiss. & graviss. Politici, ejusdemque præstantiss. Theologi scripturarii & practici, *Evaldi Teellingii*; Denique *autores de Zelo & tepore, deque vigilantiâ, prudentia, imprudentia, securitate, abnegatione sui ipsius*, nec non *de praxi respiscentiæ & conscientiæ*, alibi citandos.

Objectiones & exceptiones contra præcisam & exactam pietatis praxim 10.
tum privatam tum publicam, breviter hic indicandæ, cum solutionibus earum. 1. Si tam præcisè & scrupulosè ad omnia esset attendendum, conscientię semper dubię hærerent, nec unquam essent tranquillæ. *Resp.* 1. Distinguunt practici inter præcisitatem, quæ sit scrupulositas, aut superstitio; & inter eam quæ est ἀκρίβεια atque integritas verbo Dei præscripta. Illam si quis intelligat, extra lineas vagatur: talem enim nemo probat, nisi spiritus Pharisaicus, aut Papistico-monachalis, aut melancolico-phantasticus. Istam si intelligat, jam contrarium verum est. 2. Deinde monemus cautè distinguendum inter securitatem carnalem, & spiritualem. Illa comes est laxitatis: ista genuinę præcisitatis, ἀκριβείας & integritatis. 11. Libertas Christiana laboratur, & Judaicę aut monachales compedes conscientiis injiciuntur. *Resp.* per ἀκρίβειαν verbo Dei præscriptam hoc fieri nequit: implicaret enim contradictionem. Conferatur huc exacta & solida nostrorum Theologia, de libertate Christiana, de adiaphoro, de scandalo, de legis divinę obligatione, deque praxi conscientiæ. 111. Stricta illa observatio, & ἀκρίβεια supra alios, sapit hypocrisin. *Resp.* Verbum Dei nullam docere potest hypocrisin, quæ est omnium peccatorum quintessentia & cumulus. Vide *Psal.* 119. *v.* 2.3.4.5.6. Quin immo dicimus vitæ dissolutionem & laxitatem, esse & sapere hypocrisin, juxta *Matth.* 24. *v.* 51. Confer *disp. nostram de Simplicitate & hypocrisi.* 1v. Est superbia & contemptus, ita se efferre & singularitatem affectare supra fratres suos, atque adeo illorum luminibus obstruere, & in contemptum eos adducere. *Resp.* 1. Est humilitas per omnia obedire velle mandatis Dei. 2. Nullus verè fidelis pietate sua per se aut directè intendit aut intendere debet contemtum fratrum. 3. Quod si eveniat; hoc totum est per accidens: Jam vero τὸ bonum per se in rebus divinis non debet omitti aut culpari ob imbecillitatem & defectum alterius, & consequenter propter τὸ per accidens, si quod forte eveniat. Vide *Philipp.* 3.15.16.17. *Galat.* 6. *v.* 1.7. v. Talem regulam exactę & compositæ ambulationis non

esse verbo Dei præscriptam *Resp. Iren. Philalethius tract. cit. p.* 225. edit. in 4. Nos uno verbo respondemus, Probetur hoc; & refutentur probationes nostræ *præced. thesi* propositæ. VI. Non esse possibilem. *Ibid.* Confer & *Præstonum ad Ephes.* 5. 15. *p.* 16. Nos respondemus, esse debitam: & hoc sufficit, ad obligandos tum concionatores ut eam doceant, tum auditores, ut se obligatos agnoscant & huc tendant, & cum vident se non posse, meditentur & agant illud, quod solidè ex scriptura proponit *catechesis nostra quæst.* 115. VII. Non esse utilem Reipublicæ. *Resp. Iren. Philal. ibid.* Quasi scil. salus Reipublicæ in eo versaretur ut Christiani securè vivant, in peccatis sibi indulgeant, & contra legem Dei de lege dispensent. VIII. Quamvis esset utilis & possibilis, non esse tamen necessariam. *R. ibid.* Esse necessariam ad minimum necessitate præcepti, nemo sanus, ut opinor, negabit; & præsupponit illud *nostra catechesis quæst.* 115. cum quà confer *quæst.* 113. *explicationem decimi præcepti.* Atqui hoc præceptum est observatu necessarium, quamvis non sit possibile, ut nec ullum aliud præceptum, aut ullum bonum opus, eo sensu, quo explicat *catechesis cum suis interpretibus qu.* 60. 62. 114. 115. IX. Videtur quis affectare sapientiam supra majores, omnesque alios coætaneos suos. *Resp. Boltonus in Noachi ambulatione p.* 6. Et adducit *ibidem* testimonia *Augustini in Psal.* 90. & 93. *Chrysostomi homil.* 22. & 23. *in Genes.* 6. Responsiones, quas reformati Pontificiis, & Hierarchæ ac ceremoniarum zelatoribus in Anglia opposuerunt, huc analogicè applicentur. X. Præcisitas reddit homines melancholicos; immo & fatuos; & repugnat prudentiæ. *Resp.* Si tale quid alicui eveniret, esset per accidens. Quis ideo meditationem scripturæ, studium & teneritudinem conscientiæ, vigiliam Christianam, devotionem & attentionem, immo & studia communis sapientiæ ad Garamantas relegaret? Prudentia talis in illis adhibenda, quæ necessariam pro complexione & viribus cujusque corporis curam non negligat. Sed de prudentia Christiana alibi dicendum. XI. Debemus omnia omnibus fieri, 1 *Corinth.* 9. *Resp.* Vide *comment. ad locum*, & *scriptores Elencticos contra Libertinos*, *Nicodemitas*, & *Neutrales*; quà hoc loco abuti solent contra externam religionis professionem. XII. Ne sis justus nimis, *Eccles.* 7. *Resp.* Commodè exponi potest; non esse nimis rigidè judicandum de aliorum factis & statu, quos à Deo affligi videmus. Sic ex coll. antecedentis *versus* 15. colligunt *notæ Belgicæ* & *Anglicæ*. Adhæc τὸ *nimis* additum ostendit vitia hic intelligi, quæ homines per errorem aut catachresticè nominibus virtutum insigniunt, ut e. gr. nimis religiosus, nimis conscientiosus, nimis liberalis &c. Duas concinnas interpretationes habet Mercerus; *Hoc est quod nostri dicunt, Summum jus, summa injuria. Justus nimium*

nemo

nemo esse potest, sed extrema sæpe cum propriis nominibus careant, impropriè nomen medii extremo tribuimus, ut si quis diceret. Ne sis liberalis nimium: etsi extremo hic nomen suppetat. Præfractum, severum aut superstitiosum nos possumus dicere. Est autem hoc præceptum præcipuè, in judiciorum exercendorum ratione, quod leges moderandas docet, nec severiùs exigendas. Quanquam & generaliter interpretari potes, ut Salomon generaliter loqui solet, ut quàm latissimè pateat hæc sententia, & ad justitiam referatur tam politicam quàm spiritualem. Iusti nimium sunt, id est, videri volunt qui inter nostros operibus à Deo præceptis non contenti quærunt etiamnum opera quæ appellant supererogationis, & justitiarii qui in suis operibus justificationem collocant. Posteriorem conferre poteris cum *Proverb.2.v.7.Rom.12.v.3.& 16.* Præiviſſe videtur Mercero *Lavaterus in commentar.* anno 1562. edito; apud quem utraque illa interpretatio invenitur. Et sequuntur ferè recentiores *Coccejus*, & *Gejerus* theologus Lipsiensis; qui posterior pleraſque aliorum interpretationes de novo recenset. Nec quod ad summam rei à nostrorum interpretatione abludit *Lorinus*, apud quem vide interpretationes patrum. Quocunque modo verba exponas, saltem de justitia propriè sic dicta, quæ virtus sit, & bonum honestum, secundum scripturæ & fidei analogiam accipi non possunt. Vide determinationes *Scholasticorum ad 1.2.qu. 55. artic.1.& 4.* Quod virtus sit habitus bonus, ita ut ex ratione sua nequeat habere actum pravum: juxta illud Augustini lib. 2. de libero arbitr. cap. 19. *Virtute neminem malè uti.* Quod ita distinguit & explicat *Thomas qu. cit. art.4.* Posse aliquem malè uti virtute, ut objecto, non ut principio actus. Ut, inquit, cum quis malè sentit de virtute, aut odit eam, aut superbit de ea: non autem tanquam principio usus, ita scil. ut malus sit usus virtutis. Conferantur & *disputationes eorum* circa medium, & excessum virtutum *ad 1.2.qu.64.* Et infra *disp. nostram de Docta ignorantia.* XIII. Quod videatur sapere antiquam catharorum, & recentem Anabaptistarum sectam, aut Monachalem asceticam ac superstitionem. *Resp. Neg.* nihil minus sapit. Fiat modo collatio, & justè judicetur. Contra defendemus Pontificiorum religioni seu superstitioni, quæ genuinam reformationem odioso nomine *Puritanismi* traducere solet, jure Catharismum impingi à *Timotheo Rogers in concione*, cui tit. *Quod Papista sit Puritanus.* Conferat, cui vacat, quod reposuimus *Richardo Montacutio* adversus Puritanos (quos ita vocat) Genevenses classicum canenti in *disp. de Tempore nativitatis Christi, & concionem Anglicã Roberti Boltoni de Magistratu p.79-85.* ed. in 4. Sunt & alia dicteria passim in libellis satyricis, & in sermonibus hominum profanorum, religionis verę aut solidæ pietatis hostium occurrentia, ut Humoristarum, ἰδιωγνωμόνων, μωροσόφων, nasutorum, supercilioso-

rum, ſpiritualiter ſuperborum, Phariſæorum, Juſtitiariorum ſeu perfectiſtarum, hypocritarum, Diotrephωn, Soli-ipſorum (fortè alluſione facta ad *Iob.12.v.2. vobiſcum moritura eſt ſapientia &c.* Quæ verba ſubinde occinunt, ut *Grotius in Pietate Ordd.*) culices cribrantium, columnas mordentium, reformatorum monachorum & monacharũ aut clopparum, eccleſiaſticorũ aut eccleſiophilωn, Templo-bubonum, acrium aut acerborum aut Abſinthitarum reformatorum &c. quæ tanti facienda ſunt, ac autores, & bucci-natores eorum juxta Pſal.15. *In cujus oculis rejectaneus contemtus eſt.* 1 Cor. 4.v.3. *Mihi minimum eſt judicari* &c. XIV. Sapere Brownıſmum, Independentiſmum, aliaſque ſectas præciſiſtico-fanaticas &c. *Reſp.* Tinnitus verborum ſine mente ſine ſenſu. Quid praxi & zelo pietatis ſecundum verbum Dei, cum opinionibus Brovvniſtarum, aut Independentium de externo regimine eccleſiæ? Ubi & quando Reformati in Anglia & Scotia, aut alicubi in orbe univerſo, ſtudium integræ & exactæ pietatis ac juſtitiæ, in Brovvniſtis condemnarunt? Deſignentur Brovvniſticæ opiniones à reformatis communiter aut ab aliqua ſynodo, aut claſſe, aut ſaltem ab uno orthodoxo theologo expoſitæ & refutatæ; & fiat collatio earum cum hac doctrina de præciſitate, & ſic juſtè judicetur. XV. Tum ſtricta & præciſa legis prædicatio atque exactio repugnat indulgentiæ, moderationi, æquitati, & mitigationi, remiſſioni, & libertati euangelii, imprimis ſub novo Teſtamento. *Reſp.* Eſt hoc ſophiſma Antinomorum. Quod adhibita vulgata diſtinctione ſic diluimus. Mitigatio & æquitas non tantum, ſed & plena remiſſio ac libertas à lege per gratiam euangelii conceditur, ſi ejus ſtrictam ac perfectam obligationem, cum annexa promiſſione ſalutis & comminatione maledictionis reſpicias. Negatur vero ſi ejus directionem, & ſecundum eam obligationem noſtram ad perfectam gratitudinis & novę obedientiæ præſtationem reſpicias. Neque enim lex aliqua ſui parte aut aliquo gradu imminuta eſt poſt lapſum, nec poſt Molem, nec poſt crucem & reſurrectionem Chriſti, ſub novo Teſtamento. Sunt & undecim aliæ difficultates quæ ἀκεφάλεια reformationis univerſalis ſeu publicæ, quod ad vitæ emendationem opponi ſolent apud *VVilh. Teellingium*; quas *ibidem* piè atque eruditè tollit. Vide *pag.*3. 8.7. 388:389.&c.& *p.*414.&c. Hujus præſtantiſſ. libri à Thelogis Leidenſ.& Franequer. approbati lectionem ſtudioſis theologiæ imprimis commendo, & jam inde à prima ejus editione uſque in hunc diem vehementer opto ut in latinum ſermonem ab aliquo transfundatur. Conferantur ſupra objectiones cum ſolutionibus in *diſp. de Theol. Pract.*; & quæ alibi in *Therſite noſtro*, & 12. *diſp. de ſelectis probl. de præciſitate* ἐν παροδῳ perſtrinximus.

II. Capitali controverſia abſoluta, addimus hæc problemata. 1. An obſervan-

servantiæ ulla sit hodierna secta seu professio in Christianismo, quæ ἀκριβεῖαν & præcisitatem urgeat, æque ac ecclesia reformata? *Resp. Neg.* & speciatim de Pontificiis & Remonstrantibus. Vide *Thersitem nostrum Heautont. p.* 148. 149. 150. 151. Et Pontificii in doctrina Casuum per totum decalogum se satis prodiderunt: uti ostensum à *Gomaro in disp.* quâdam, ubi capitales aliquot eorum heterodoxias decalogicas recenset; *Molinæo in catalogo* gallicè edito, in *libro de Traditionibus Ecclesiæ Romanæ*; *Riveto, Thummio, Danhauvvero in expositione decalogi*; Et nos passim in *dispp. quibusdam ad secundam partem theologiæ de observantia, & ad politiam ecclesiasticam; & in Inventario Papatus*, quod inseruimus *secundæ parti selectarum disput. p.* 695. ubi non tantum laxitatem, sed & pseudo-præcisitatem Papatus in moralibus & conscientiæ casibus detegimus. Quin & in ipso Papatu Jesuitarum anti-præcisistica laxitas in casibus conscientiæ ab anonymo quo detecta est tit. *Theologia moralis Iesuitarum* in 4. Et ab Academia Parisiensi l. in 8. 1644. t. *Requeste, proces verbaux & advertissemens &c.* Quod ad Remonstrantes, illi in *Actis conventus Roterodamensis* an. 1624. profitentur moderationem & tolerantiam, esse societati suę quasi propriam; unde rerum istarum gnari facile colligunt religioni & professioni eorum non competere præcisitatem, sed laxitatem & anti-præcisitatem; uti in *Thersite nostro loc. cit.* & *in disp. de Necessitate & utilitate doctrinæ de Trinitate, de Moderatione & tolerantia, de Libertate prophetandi* ostendimus; & *dicteria ipsorum* in præcisitatem reformatæ ecclesiæ passim in *Apologiâ*, Genuino Remonstrantico theologo, aliisque acribus *Episcopii scriptis* jactata, hoc evidenter evincunt. Quod ad peccata particularia adversus singula decalogi præcepta, an & quæ ipsis sint aut non sint peccata, nondum sigillatim ab ipsis declaratum est. Nam quod ad explicationem decalogi in *catechesi ipsorum*, nos in *catechizatione nostra* aperuimus nimium ejus defectum; nec usque in hunc diem à se impetrare potuerunt, ut hunc defectum justo aliquo commentario, aut saltem catalogo supplerent. Quam præcisi practici sint Sociniani, quos non rarò sequi amant, ex *scriptis ipsorum*, coll. cum *Antagonistis eorum*, nominatim *D. Maccovio*, cognosci potest. II. *An* Remonstrantium domestica postilla conscripta ab *Eduardo Poppio* tit. *Angusta porta*, revera doceat præcisitatem & viam angustam? *Resp. Neg.* & meritò *D. Cloppenburgius* olim in ministerio ecclesiastico collega conjunctissimus, Poppio opposuit *tract.* sermone vernaculo cui tit. *Poppius Eurypylus.* III. *An* de ἀκριβεία agendum in Theologiâ; & ejus meminerit, *nostra catechesis qu.* 123. 124. 125. in actu signato, & κατὰ συνονυμίαν, *quæst.* 115. in actu vero exercito per totum decalogum, imprimis ad decimum præceptum. *Aff.* IV. An primi reformatores, & primæ ecclesiæ

reformatæ, nominatim in Gallia, Belgio: &c. præcisitatem in negotio reformationis, quod ad doctrinam, regimen, disciplinam, ceremonias, mores desiderârint, affectârint, & pro re natâ quâlibet occasione urserint; quamvis semper assequi & efficere nequiverint. *Aff.* Idque probatur tum ex *primis constitutionibus ecclesiasticis*, tum ex praxi & *decretis synodicis*, tum ex *præstantissimis scriptoribus*. Qualia in *disspp. de Idololatriâ Indirectâ. de Staurolatriâ, De Abusu sortis, de Sabbatho, de Excelsis Mundi, de Ecclesia institutâ, de Ebrietate, de Ceremoniis, de Episcopatu, de Stipendiis ministrorum &c.* subinde indicamus. Unde colligimus inconditos esse clamores, contra genuinam præcisitatem, & ἀκριβειαν tum fidei tum observantiæ. Habet eam scriptura & secundum rem & secundum vocem uti *supra §. 1. & 9.* abundè probatum est. Eandem inculcat communis consensus & praxis ecclesiarum nostrarum. Quacunque ergo eam in genere traducit, debet justam antithesin & ἔλεγχον facere, & τῷ ἀκριβεῖ, ἀποτόμῳ, *exacto, exquisito, rigido, severo, stricto, fervido, zelotico, abundanti, vehementi seu valde aut admodum, singulari, contentioni, intentioni, labori, cursui,* τῷ *laxum, dissolutum, molle, tepidum, vulgare, tenue, parcum* &c. opponere. 7. An ergo reformati omnes, aut quisquis præcisitatem ex scripturâ docet, defendit, urget, supra alios præcisum aut perfectū se profitetur, aut gloriatur? *Resp.* Tantundem est ac si Pontificii reformatis defendentibus præcisam & perfectam fidei certitudinem, contra quamvis dubitationem, sarcasticè objiciant, ergo vos reformati vobis perfectam certitudinem gloriosè tribuitis, & nunquam dubitatis. Reformati respondere solent, Aliud esse, quam certitudinem habere nobis liceat, & conveniat, & quam habeamus; distingui item certitudinem objectivam à subjectivâ; ut & certitudinem evidentię ab adhærentię; adhæc aliud esse agnitionem debiti nostri hac in parte, & desiderium, intentionem, propositum, affectationem, inchoationem, & aliud impletionem, assecutionem, comprehensionem. Hæc ubi analogicè applicueris præcisitati & ἀκριβείᾳ pietatis, omniumque bonorum operum in particulari, videbis fumos illos, qui sparguntur, evanescere. VI. An præcisitas & singularitas repugnet humilitati, πραότητι, benignitati, & æquitati Christianæ. *Resp.* Minimè: sed ea necessariò includit. Nam ἀκριβὴς præcisè & exactè ambulans, tantò magis videt se ab intenta & affectata præcisitate longè adhuc abesse, quò magis sibi & præcisitati attendit, adeo ut stylo scripturę vir spiritualis, & perfectus jam dici possit: & consequenter in eo præcisitatem & exactam ambulationem imprimis ostendit, quod aliorum onera portat *Galat. 6. v. 1. 2.* Quod exemplo Christi humilis & mitis est *Math. 11.* facile condonat *Ephes. 4.* moderatè compati potest ignorantibus & aberrantibus *Hebr. 5. v. 2.* & exemplo

plo Pauli omniumque perfectorum in executionem deducat illud Philip. 3.v.15. *Quotquot sumus perfecti* &c. Velim à lectore data occasione conferri *Calvinum* inter theologos nostros Præcisitatis zelotem & eo nomine ab aliquibus traductũ *in Opusculis tract. de vitandis superstitionibus*, sub *finem*, *p.*513.514.& *tr. Excusatio ad Nicodemitas, qui de nimio rigore ejus conquerun-tur. p.*515.519. Qui tractatus magnorum theologorum approbatione *ib.* munitus conspicitur: ubi lege p.522.523.528. Adde *concionem Calvini in Psal.*16. *ibidem in opusculis p.* 530. Non possum non excerpere verba ejus ex tract. ad Pseudo-Nicodemitas *p.* 519. quæ summariam præcisitatis, quam ex verbo Dei in cultus Divini & morum reformatione pii ministri urgere tenentur, apologiam continent: *Iam finiendi tempus est. Credo autem, quicunque guttam habent sani judicii, eos clarè perspicere nullam esse rationem, cur accuser nimii rigoris: quod ea tantum à Christianis exigam, quæ Christus illis præcisè injungit. Qui autem aures habent tam molliculas, ut me ferre nequeant: respondeo, duram non esse meam doctrinam, sed duriciem cordis ipsorum facere, ut talem judicent. Si difficile factu est quod doceo, non sequitur propterea, quin officii nostri sit. Scio non esse cujusque corrigere publicum regni statum: neque id requiro: sed tantum, ut se quisque reformet, à mali communione abstinendo. Si res est ipsis molesta secundum carnem, nihil miror: sed si agnoscant verum esse quod dico: potius veritati pareant, quam ut, phreneticorum more, medicum percutiant.* His adde *Epistolas Calvini* imprimis ad *Crammerum*, *Knoxum*, *Theologos Germanos &c.* & *vitam ejusdem à Beza descriptam*, cum *Riveti scriptis c. Sylvestrum de petra sancta*, & *contra Hugonem Grotium*: quò te tantò facilius expedias à clamoribus quos contra nimiam ipsius præcisitatem & rigorem Erasmi & Cassandri, similiumq; dubiorum Theologorum sectatores, adhæc Pseudo-Nicodemitæ, Syncretistæ, Anti-disciplinares, Rich. Montacutius, Wilh. Laudus & Laudenses in Anglia, Cornhertus & Semi Libertini, Neutrales, Remonstrantes, Neo-Arriani & Photiniani, Castellio, Grotius jam Papizans, aliique partim tepidi partim frigidi huic mundo aut ingenio suo velificantes excitarunt.

DE AMORE DEI

Resp. JOHANNE DORTHIO Sluſa-Fland. *Ad diem* 27. *Febr.* 1636.

Magna res Amor, si ad suum recurrat principium, si suæ origini reddatur, si refusus suo Fonti semper ex eo sumat, unde jugiter fluat. *Bernard. in Cantic. serm.*20. *De quo nunc acturi* primò *dogmaticè naturam & proprietates ejus explicabimus*: Deinde *practicè casus conscientiæ huc per-*

pertinentes & methodum devotionis, seu rationem ac modum exercendi hunc amorem ὡς ἐν τύπῳ indicabimus.

1. AMOR in genere à philosophis definitur *Complacentia boni*; plenius, *affectus quo allubescit animo quod ipsi conveniens est*: Eumque dividunt in sensitivum seu animalem & in intellectivum seu rationalem. Ille proprè dicitur passio; hic est voluntatis affectus. De utriusque natura & proprietatibus multa *Plato in convivio* seu *dialogo de Amore*, in quem prolixè commentatur *Marsil Ficinus* & author ille totus Platonicus sub nomine *Dionysii Areopagitæ tract. de divinis Nominibus Cap.* 4. cum *commentar. Ficini. Vercelensis, Camaldulensis* &c.: Et *Dialogi illi* qui circumferuntur nomine *Leonis Hebræi* ex Italico idiomate in Latinum traducti à *Iohann. Carolo Saraceno*, etiam à *Pistorio* editi cum aliis scriptoribus Cabalisticis, ex recentioribus *Petrus Godefridus I. C. Carcasonensis peculiari tractatu. August. Niphus tr. de pulchro & amore; Commentatores* item & *authores Oratorii, Physici, Ethici*, cum agunt *de Affectibus*; imprimis *ad Ethic. Nicomach. lib.* 8. & 9. Item *Thomas cum commentatoribus suis* 1. 2. *quæst.* 26. 27. 28. addantur etiam omnes illi qui de amicitia commentati sunt; & qui de affectibus in generali & particulari; inter quos mihi nunc ad manum sunt, *Couffetellus de Affectibus*, & *Marius Equicola in libris 6. de Amore*; uterque Gallicè. Dividitur autem à dicto *Areopagita loco citato* in divinum, angelicum, rationalem, animalem, naturalem. Nos his omissis, solum amorem erga Deum hic consideramus: non quidem ut purum nudumque affectum, sed etiam, ut habitum & actum, hoc est, ut virtutem Theologicam, & operationem ex illa virtute. *Scholastici* communiter amorem hunc ex 1 *Corinth.* 13. latè sumptum ita definiunt ut amor proximi in conceptu ejus formali contineatur: secuti in eo, uti opinor, Augustinum lib. 3. de doctr. Christiana c. 10. *Charitatem*, inquit, *voco animi motum* ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum. Nos malumus accipere strictè tanquam duos habitus seu virtutes specificè distinctas ex *Matth.* 22. *v.* 37. Ne tamen ambiguo laboremus, præmittimus hanc distinctionem, amor Dei impropriè seu analogicè notare posset affectum, seu motum inefficacem, confusum, remotum & naturalem in Deum tanquam in bonum tantum naturale, aut ut tale apprehensum; qui etiam cadit in hominem infidelem & irregenitum *Actor.* 17. 27. propriè verò notat habitum & actum spiritualem ac super-naturalem qui infallibilem cum æterna vita connexionem habet; qui propriè amor est seu constans & perpetua voluntas amandi.

mandi. Distinctionem quam Philosophi & Scholastici nonnulli ponunt inter amorem, charitatem, dilectionem, amicitiam phrasis scripturæ hic non observat. Altera autem distinctio eorundem usum suum habet; in amorem erga personam & erga rem; in concupiscentiæ quæ amantis bonum, & in amicitiæ seu benevolentiæ, quæ personæ amatæ bonum respicit.

Eum autem definimus *virtutem salutarem qua voluntas inclinatur, & actum, quo fertur in Deum tanquam summum bonum in se.* 2. Genus proximum nobis est virtus salutaris h. e. Theologica seu Spiritualis ordinaria; ut à virtutibus moralibus; item donis & spiritualibus gratiis extraordinariis (de quibus 1 *Corinth.* 12.) distinguatur. Est etiam virtus specialis, à fide, spe (1 *Corinth.* 13.) aliisque distincta. Definitio illa quam ex *Augustino de doctrinâ Christi lib.* 3. vulgo adferunt: *est motus animi ad fruendum Deo propter se ipsum, & se ac proximo propter Deum*; & Scholasticorum ad 2.2. q.23.a.2. *charitas est habitus in anima creatus quo homo inclinatur in actus omnium virtutum*, nimis lata videtur; saltem instituto huic nostro minus quadrare. Melior est illa Scoti in Lombard.lib.3. dist.31.q.unica; *est amicitia Dei ut in se bonum.* Objectum hujus amoris est solus Deus, qui solus est summum bonum, & tanquam tale solus amari debet; aliud plane genus amoris est quo ferimur in proximum aut creaturas; unde primo decalogi præcepto præscribitur; *Non habebis Deos alienos coram me.* Ejus subjectum ut & virtutum Theologicarum est voluntas rationalis, non verò appetitus inferior. Potest tamen dici aliqua ratione esse in intellectu, radicaliter & directivè scil. & in sensualitate participativè quod ad effectus suos & executionem.

Causa efficiens prima & sola quod ad habitum seu primam habitus in- 3.
generationem, infusionem, & impressionem est solus Deus Pater, Filius, Spiritus Sanctus. 2 *Thess.*3.5. *Philipp.*1. *v.*6. & 9. 1 *Iohann.*4.7. Est enim habitus & quidem infusus, ut hactenus usque ad Neopelagianos & Photinianos exclusivè tenuit totus Christianismus. Vide *Thom. in quæst. disp. de Charitate art.*1.2. & 2.2.*qu.*23.*a.*2. & *q.*24.*a.*2. Idem Deus quod ad exercitium seu actus secundos causa prima est, sed non sola, ut enim per gratiam secundam, sequentem seu excitantem movet ac præmovet amantem animam ad actus amoris per habitum jam implantatum eliciendos, sic amans anima mota, tracta à summo amatore Deo, cum illo & sub illo movet ac promovet se ad divinum hoc exercitium. Cantic.1.4. *trahe me post te & curremus.* Hinc vò diligere ipsi homini tanquam propriæ & particulari causæ formaliter tribuitur, *Psal.* 18.1.& 116.1. Causa subordinata meritoria & quidem unica est Jesus Christus Filius ille dilectionis, qui

gratiam & spiritum illum amoris ut & totam novam creaturam nobis promeritus est. *Rom.*6.*v.*4.5.7.8. *Colos.*2.10.11.

4. Causæ impulsivæ propter quas Deum amamus, seu motiva & stimuli amoris divini sunt. 1. Ipse Deus qua talis seu in se; ille enim est summè bonus, pulcher, perfectus, glorioſus, supra omnia amari digniſſimus. Idem est primus amor, primus amans & primum amatum. 11. Amor Dei quem exserit & exercet extra se erga omnes creaturas, speciatim adversus humanum genus, specialissimè adversus salvandos. Hic gratia & misericordia Dei quæ relucet in electione, missione Filii, vocatione salutari, justificatione, adoptione, perseverantia, multis liberationibus ac consolationibus, & finali glorificatione, per actus, exempla, adjuncta, comparata, oppositafusè ex Sacris litteris describi atque amplificari posset. Siquidem anguſtia thesium caperet.

5. Causæ instrumentales auxilia scilicet & *media per quæ* fovetur, augetur, excitatur atque exsoritur amor Dei, sunt vel magis externæ, vel magis internæ. Illæ sunt partim exemplares, partim directivæ. Inter exemplares excellit amor Christi προηγούμενος quo ille secundum humanam voluntatem Deum & Patrem suum perfectè dilexit: *Ioh.* 14.31. cum *Phil.*2.8. Succedit exemplum angelorum *Psalm.*103.20.21. Deinde fidelium Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum & quorumcunque Zelotarum. Dirigentes sunt verbum Dei ejusque lectio, auditio: quo pertinent igneæ excitationes quorumcunque amicorum Dei, item emortualium piorum, imprimis martyrum; adhæc mutua contemplatio & observatio piorum, *Hebr.* 10.24. Instrumentales internæ sunt vel dirigentes ut cognitio spiritualis *Phil.*1.9. *Gal.*5.6. vel sustentantes aç conservantes spes & patientia, 1 *Pet.*1.6.7.8. vel adjuvantes ac promoventes, ut precatio 2 *Thess.* 3.5. odium, fastidium & contemptus mundi 1 *Iohan.*2.15.16. *Gal.*6.14. *Philip.* 3.7.8. delectus amicorum & odium impiorum *Psalm.*1.1.2.& 139.21.22. Introversio, hoc est, contractio & adunatio cordis sui atque omnium virium ad interius secretum & silentium revocatio *Psalm.*86.11. Observatio & recordatio omnium beneficiorum Dei generalium, specialium, communium, particularium *Psal.*103. 1.2.3.4. & 116. 1.2. Odium, resignatio & abnegatio sui ipsius *Luc.*14. 26. *Marc.*9.43.45.47. 2 *Cor.*7.11. huc pertinent omnia præservativa, & antidota seu impedimentorum remotiones, ut fallæ libertatis, distractionis, teporis, acediæ, nimiæ curę temporalium, philautię & acquiescentiæ in se ipso, otii & torporis, nimię lætitiæ in externis temporalibus, & creaturis quibuscunque &c.

6. Proprietates seu adjuncta amoris divini sunt partim positiva, partim negati-

negativa & privativa. Illa sunt vel absoluta vel comparata. Absoluta sunt *primò*, quod sit integer, sincerus, discretus, constans, igneus, fortis &c. *Matth.*22.37.*Marc.*12.30. cum *Cant.*8.6. hinc rectè dicitur; mensuram amoris divini esse, sine mensurâ Deum amare. *Secundò*, quod augetur gradibus intensivè scil. per majorem radicationem & participationem ejus in subjecto, ita ut majorem habeat efficaciam ad producendos tum frequentiores tum etiam majores & ferventiores actus. *Philip.* 1.9. *Tertio*, quod crescendo paulatim & successivè ut lumen matutinum perstabit ac perdurabit in vitam æternam *Iesa.*40.*v.*30.31.*Psal.*103.5.*Philip.* 1.6.7.8.9. Comparata sunt *Primò*, quod sit virtus directiva & quasi generalis virtualiter omnes particulares in se continens & actus omnium intimè permeans *Rom.*13.10. *Gal.*5.13.14. *Secundò*, hinc excellentia ejus supra omnes alias virtutes, immo etiam supra fidem & spem.1 *Cor.*13. 13. *Tertiò*, quod necessario semper præcedit dilectionem proximi atque adeo nullo in casu ei cedere, sed contra hæc ei cedere debeat *Luc.* 14.26. *Deuter.*33.*vers.*8.9. *Actor.*4.19.& 5.29. Adjuncta negativa & privativa sunt, *Primò*, quod quamvis nec totaliter nec finaliter deficiat, nec quoad totum sui cursum motus ejus sit diminutio, sed augmentatio; quia tamen non proficit semper nec æqualiter, atque adeo particulares languores, decrementa, & infirmitates sæpe patitur *Apoc.*2.*vers.*4. hinc imperfectus & ἐκ μέρους rectè dicitur 1 *Cor.*13.10. *Secundò* quod idem specie ac numero in singulis suis subjectis, qui fuit in terris, perseverabit in cœlis, perfectionem suam accepturus simul cum liberatione seu statim post liberationem à corpore mortis; non vero abolebitur, nec quod ad formam aut quod ad modum tendendi in objectum imitabitur. 1 *Cor.* 13.8. *Tertio*, quod non sit in irregenitis nisi specie & imitatione quadam; in diabolis verò ne quidem quod ad speciem, similitudinem, aut velleitatem; nec quod ad ullam communem generalem rationem quomodo alioquin in ipsis dicitur esse fides aliqua *Iacob.* 2.19. hinc est quod nonnemo dicat: *Solam charitatem non posse immundum Spiritum imitari*: ita scil. uti fidem generalem, aliasque particulares virtutes imitatur. In seipso enim *internè* nullam speciem aut imaginem ejus fabricat, quâ decipiat ac deludat seipsum, putans esse verum amorem Dei, & in eo ad tempus acquiescens: prout hæc mimica & deceptio cadit in quosdam irregenitos *Iac.*1.*v.*26.*Luc.*8. *v.*18.cum *Matth.*13.12. De quo in *disp. de Simplicitate & hypocrisi*, & *Daniele Dijk, aliisq; autoribus* ibi *c.* In quibus hypocritis talem μόρφωσιν amoris divini promovet & patitur; & sic in aliis mimicâ hanc exercet, non in se. *Externè* autem fingit imitationem, larvam amoris erga homines tum verbis promissis, tum factis seu quasi benefactis ostentando. Vide *commentatores*

*ad ejus Tentationes Geneſ.*3.& *Matth.* 4. coll. cum 2 Corinth.11. *Transformat ſe in angelum lucis*: *Quarto*, quod ut mundo ignotus eſt, ita cum effecta & flammam in amatoribus Dei intuentur, pro mera vanitate, inſania, ineptia, aut hypocriſi & oſtentatione eum exſibilant. *Actor.* 26. 24. *Marc.*3.21. cum *Iohan.*2.17.

7. Effecta amoris hujus ſunt *tum actus* proprii, intrinſeci & eliciti, diligere ſcilicet Deum hoc eſt eum deſiderare, in eo acquieſcere, illi bene velle, de quibus infra *Theſ.* 8. tum actus extrinſeci ſeu imperati & conſequentes quos propriè effecta dicemus. Referuntur autem hæc effecta & conſequentia vel ad Deum, vel ad nos, vel ad proximum. Relata ad Deum ſunt obedientia mandatorum, *Exod.*20.6. 1 *Iohan.*2.5.& 5.3. Odium & fuga omnis mali *Pſalm.* 97. *v.* 10. Timor Dei, reverentialis ſcilicet & teneritudo conſcientiæ ne peccemus. *Pſalm.*86. *v.*11. *Ieſa.*8. *v.* 13. Abnegatio noſtri & reſignatio quâ addicimus ac reſignamus nos totus Deo noſtro quod ad κτῆσιν & χρῆσιν 2 *Corinth.*5.15. *Luc.*14.26. Adhærere Deo in quocunque caſu & ſtatu *Pſalm.*63.9. & 72. 28. Dolor ſecundum Deum de peccatis 2 *Corinth.*7.11. Lachrymæ & ſuſpiria amoris, deſiderii, gaudii 2 *Corinth.*5.4. Dilectio verbi divini *Pſalm.* 119. 97. Effecta quod ad nos ſunt, cœleſtia quærere, mundum & mundana contemnere: *Philip.*3.7. 8. 14. *Galat.* 6. 14. afflictiones libenter ſubire ac patienter ferre: imprimis pro nomine & amore Dei noſtri *Hebr.*12.5.6.7.8.9.10.11.12. Effecta quæ proximum reſpiciunt, ſunt amor proximi imprimis fidelis, cum omnibus actibus, partibus & adjunctis ſuis de quibus *Rom.*12. & 13. & 1 *Cor.*13. 1 *Iohann.*3.& 4. *Galat.*6.1.2.3.9.10. Immo & amor aliarum creaturarum propter Deum, *Proverb.*12. 10. Ut verbo dicam amorem Dei excipit gratia & amor Dei ſalutaris erga nos, ejus familiares viſitationes & omnis generis beneficia in hac vita, ejus conſolatio in morte, ejus gloria in omnem æternitatem, malorum omnium averſio aut converſio in bonum *Rom.* 8. 28. 2 *Timoth.* 4. 18. *Iohann.*14. 21.23. & 16.22. *Cantic.* 1. 4.

8. Dividitur amor Dei vel ſecundum partes, vel ſecundum gradus. Secundum partes dividitur in amorem *unionis*, *complacentiæ*, & *benevolentiæ*. Ille eſt appetitus deſiderii & propriè eſt amor concupiſcentiæ, eſt enim amor unitivus, & deſiderat amans rei amatę uniri; ſic amatores Dei deſiderant Deum ſuum *Pſalm.*42.1.2. *Cantic.*3. 1. 2 *Cor.*5.8. *Iſai.*26.8.9. *Iſte* eſt acquieſcientiæ quâ cum lubentiâ & voluptate acquieſcimus in Dei bonitate, eamque maximè probamus. *Hic* eſt affectus benevolentiæ, quo maxime volumus bonum Dei noſtri, & nos totos noſtraque omnia tradimus & offerimus ad ejus gloriam quantum in nobis eſt promovendam. 1 *Cor.*

*Cor.*10.31. *Apocal.*4.*v.*10.11.estque propriè amor amicitię (quamvis amicitia illa inter Deum & nos sit admodum in æqualis) *Ioan.*15. 15. Hæc amicitia analogicè ex causis, proprietatibus, effectis veræ amicitiæ inter homines describi & amplificari potest. Rursum secundum partes, actus, modos, formas, momenta, ac stationes (ita loquor) egressuum atque operationum, ex sublimibus metaphoris in Cantico Canticorum usitatis septenarium illum in amore considerant, ut amans anima vulneretur, inflammetur, langueat seu ægra sit, inebrietur, soporetur, liquefiat, sponso uniatur. Sic *Amelrii in libello de Amante anima.* Exercitamenta illa seu modos motuum istius amoris hoc districho memoriali olim comprehendi:

1 2 3 4 5
Vulneribus, flammis, languens, atque ebria, somno
6 7
Rapta, liquet, sponso jungitur inde suo.

Metaphoræ illæ à *Bernardo sermonibus in Cantica*, *Amelrii lib. cit. Harpio in Theolog. Mystică*, & *Antonino in Summæ part.* 1. *tit.* 6. Explicantur *Harpius lib.*1.*theol. Mystica cap.*126. dicit quinque dona per caritatem nobis conferri, per quæ anima consecratur; Veritatem vitę spiritualis, connaturalitatem amoris divini, admirandam divinitatis conformationem, ipsius animæ formositatem, amoris divini suavitatem. Quæ ibidem amplificata & dictis antiquorum confirmata videri possunt, ab eo cui vacat. Antonin.loc. cit. effectus amoris sic enumerat: *effectus*, inquit, *amoris plures sunt; Ecstasis, unio, zelus seu fervor, languor, liquefactio, inhæsio, inebriatio quæ videtur reduci in ecstasin.* De ebrietate spirituali *Cornel. à Lapide Actor.*2.*p.*75. Sed quia multa minus solida intercurrunt, & τὸ nimium allegorizandi & hyperbolizandi cacoethes occasionem dedit tum antiquis tum recentioribus simplicem ac literalem scripturæ sensum aut pervertendi, aut homines deliciis illis allegoricis quasi vento pastos, ab eo abducendi, subinde etiam in enthusiasticas vertigines detrudendi (de quo in *disp.de Meditatione*); præstat modum hic servari; à concionatoribus ac Practicis metaphoras illas excuti, pauculas quasdam selectas (non omnes ad exemplum *à Lapide*) proprietates ac conditiones vulnerum & vulneratorum, languentium, ebriorum &c. ex disciplinis & vitâ communi observari, easque proprietatibus & effectis amoris divini sub formâ similitudinis explicantis & amplificantis applicari, & singula scripturæ textibus muniri. *Per Gradus* dividitur amor ab *Augustin.* in 1 *Ioh.*1.& *Thomâ* 22.*qu.* 24.*a*9. in Charitatem incipientium, proficientium, & perfectorum, quorum ille magis in recessu à peccato, iste in exercitatione virtutum, hic in fruitione æternę gloriæ versari dicitur. Alii dividunt in quinque gradus,

per quos paulatim ascenditur in hac vita. I. *Gradus est*, amare Deum propter bona quæ accipimus & accepturos nos speramus. Hic quamvis in se sit licitus, & propter imperfectionem nostram frequentissimè se exserat; *Hebr.* 11. 26. 1 *Cor.* 15. *v. ultimo*, tamen si comparetur cum sequentibus infra ejus nobilitatem & excellentiam longissimè subsidit. II. *Deum* amare propter seipsum, quia est excellentissimum bonum. III. *Nihil* amare nisi ipsius causa, in ipso, *propter ipsum*, ad ipsum. IV. *Seipsum* & omnia odisse propter Deum. V. *Eminentissimus* gradus est, quem ecstaticum, & raptum divini amoris possumus appellare ad quem refer *Pauli Rom.* 9. 3. & *Mosis Exod.* 32. 32. Quo proprium summum bonum, salus scil. æterna postponitur gloriæ Dei. Est autem votum hoc & pronuntiatum conditionale, subintellecto scil. *si fieri possit*: norant enim Dei prædestinationem ad gratiam & gloriam mutari non posse. Conditio hic suppressa, expressa habetur *Matth.* 24. *v.* 24. & 26. *v.* 39. *si possibile* &c. Sunt qui aliter loca illa interpretantur; de temporali scil. abjectione, & morte. Sed cum phrasibus & circumstantiis textus minimè convenit. Vide *commentar. Gomar. ad Rom.* 9. & *tractaculum de libro vitæ*. Et consentiunt quamplurimi autores veteres & Pontificii, *Nazianzenus orat.* 44. *de Pentecoste* ubi cogitationem talem imitatur. *Chrysost. hom.* 1. & 2. *de laudibus Pauli*, & *hom.* 4. *ad Philip. Cassianus collat. Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Anselmus, Catharinus, Sotus, Isidor. Clarius, Titelmannus, Ferus, A Lapide in Roman.* 9. *Rupertus Tuitensis in Exod.* 32. *Richardus Victorinus in libro de violentis gradibus caritatis sub finem* factum hoc in supremo gradu caritatis constituit. *Molina in* 1. *Thomæ qu.* 24. *in fine. Ioh. Eusebius Nierenbergius Iesuita lib.* 9. *de origine sacræ scripturæ cap.* 26. & 27. refert quosdam ex suis hanc ipsius sententiam criminatos fuisse, quod votum tale repugnaret caritati. Eamque consensu *autorum ibid.* & hac ratione defendit; quia „majus est Dei bonum & gloria, quam privata unius beatitudo & conse„quenter hoc optare non minuit sed auget caritatem & propriam perfe„ctionem, ad quam magis inclinat caritas, quam ad propriam gloriam & „beatitudinem &c. *Ibidem. cap.* 27. per digressionem quærit, An liceat simile votum alio affectu concipere, ex pio scil. odio sui ipsius propter peccatum, & ex affectu erga divinam justitiam: & *Aff.* ac laudat cum Seraphino Firmano, Ubertino, Rusbrochio, Lanspergio, Gerardo Zutphanense, Bloisio, Angela de Fulgino, Catharina Senensi. Sed nos hanc digressionem ipsi relinquimus; contenti simplici explicatione modo indicata. *Iohannes Rusbrochius* (quem in Papatu alterum Dionysium Areopagitam appellare solent,) *tractatu peculiari* agit *de septem gradibus amoris*; qui ipsi sunt, 1. Bona voluntas, 2 voluntaria Paupertas, 3 Castitas, 4. Humili-

Humilitas. 5. Dei spectare & appetere amorem. 6. Clara & dilucida contemplatio vel intuitus, puritas spiritus & nuditas mentis. 7. Quando supra omnem cognitionem & scientiam, infinitum sive abyssale quoddam nescire in nobis sentimus &c. & quando ultra quævis virtutum exercitia intra nos perenne quoddam otium conspicimus ac experimur &c. Sed vocum hæc transcendentia atque ὑπερογκα tutius ipsi relinquimus. Saltem sine adhibitis cautelis & distinctionibus illa dicenda non essent; ne ad vertigines enthusiasticas imo & atheas (de quibus *ipse in tract. de contemplatione cap.* 19.) homines dilabantur. Confer *disp. de Meditatione.*

9. Convenientiam & cognationem cum Amore Dei habent *proximam* quidem Amicitia Dei, adhæsio Dei, Zelus, Devotio, Voluptas, & Gaudium spirit. in Deo & similia; quæ ut à practicis describuntur realiter ab ipso amore non differunt, sed partem aut gradum, aut actum, aut effectum proximum, aut modum, aut adjunctum ejus aliâ & aliâ sub formâ solummodo exprimunt: *Propinquam*, amor Christi quà hominis, item beatorum, & angelorum in Cœlis; ad hæc fides & spes, denique amor proximi in terris; ubi imprimis excellunt amor conjugalis, πεγαι Parentum & Liberorum, amor Fratrum & Consanguineorum, amor mutuus verè piorum ejusdem veræ religionis consortium. *Remotam* amor mutuus personarum deitatis; & amor Dei, Patris, Filii, Spir. S. erga electos angelos & fideles. *Remotissimam* amores (ita loqui liceat), hoc est, conatus, appetitus, & inclinationes permanentes atque inhærentes quarumcunque creaturarum ad suum bonum & perfectionem qui describuntur *Rom.* 8. *v.* 19-23. Ubi videantur *commentatores*, & *disp. nostra de creatione part.* 2. Nec contra hanc inhærentem inclinationem ac conatum omnibus speciebus creaturarum cum & in propria natura seu essentia, bonitate, ac perfectione à Deo creatore inditum, valet illud vulgatum ab ineptis quibusdam philosophastris objici solitum, *Ignoti nulla cupido.* Neque enim illud principium aut axioma est theologicum aut philosophicum, sed tantum dictum scurrilis cujusdam poëtæ. Præterquam, quod ipse poëta tantum de homine & amore humano illud usurpet, nec istic aut alibi ostenderit, se ad quascunque naturæ inclinationes idem extendi velle. Quomodo Scholastici suum, *Nihil volitum nisi cognitum*; & *Tantum diligimus quantum cognoscimus*, tantum de voluntate rationali efferunt. Quod si dicant, intelligendum esse dictum illud, de quavis inclinatione; jam accingant se ad probationem. Neque enim τῷ, ἄυτος ἔφα, quod per novam scholam Sceptico-Pythagoricam reduci videtur, contenti sumus: quamvis millies ingeminent, est verum, est perspicuum, ego sic possum concipere & concipio, sic possum explicare & explico. Videant quomodo *Scholastici ad* 1. 2. *qu.* 1.

qu. 1. explicent omnia ferri in ultimum finem; Et quomodo iidem communiter & noſtri (*Rivetus in Hoſeæ* 2.) veram activitatem ac cauſalitatem ſingulis creaturis contra Occamum vindicent. Remotiſsimam etiam ſimiitudinem refert. Inefficax illa velleitas potius quam voluntas amandi Deum in irregenitis ut Saul, Jehu, Herode, quę quo modo ab amore Dei formaliter differat alibi dictum eſt, in *diſp. de Simplicitate & Hypocriſi.*

10. Opponuntur amori Dei, amor ſimulatus, invidentia, ſuperbia, impatientia & murmuratio, Magia, Idololatria, Blaſphemia, Hæreſis, Apoſtaſia, Schiſma, Deſperatio, amor inordinatus ſui ipſius, odium proximi imprimis fidelium, Eccleſiæ, ad hæc immiſericordia, crudelitas, ἐπιχαιρεκακία, adde acediam, teporem & frigus ſpirituale, ſecuritatem, ſomnum, recidivam ſpiritualem, &c. Fortiſſimè autem opponitur odium Dei in Diabolis & damnatis, etiam in proſtigatis peccatoribus, immo & ſuo modo in irregenitis omnibus. Dicitur autem odium Dei, *Privativè* cum Deus nullo modo amatur ut bonum ſupernaturale, & non rectè amatur ut bonum naturale. *Poſitivè* vel indirectè, vel directè. *Indirectè* tum *mediatè*, cum vel verbum Dei & diſciplinam non ferunt vel proximum ſuum & Filios Dei oderunt; tum *immediatè*, cum vita improba odium Dei profitentur. *Directè*, cum Deum oderunt non quod ad eſſentiam aut quatenus concipiunt eum ſummè bonum, ſed vel quia oderunt cognitionem & cultum Dei ut Athei & Libertini; vel quia negant aut oderunt opera Dei, Juſtiſſima ſcilicet decreta & providentiam cum mala culpæ permittit, mala pœnæ immittit, beneficia ſua diſtribuit; vel quia oderunt aliquod attributum Dei, imprimis voluntatem, omniſcientiam, juſtitiam; vel quia oderunt aliquam ex perſonis divinis, aut Jeſum Dominum & ſervatorem: ut Phariſæi, Julianus apoſtata, Blaſphemi athei qui in voces odii ſubinde erumpunt, quorum exempla aliqua notamus in *diatribe de Atheiſmo.* Hinc conſtat quam rectè Catecheſis noſtra quæſt. 5. dicat: *Hominem naturâ propenſum eſſe ad odium Dei*, vide apologiam ejus in noſtro *Therſite Heautontimor. ſect.* 1. *cap.* 5. & loca Scripturæ atque authores *ibi cit.* quibus adde ex Pontificiis præter *comment. ad Thomæ* 22. *qu. cit. Capellum ad Bonaventuræ* 1. *ſententiar. p.* 55. nec non *Toletum*, *Azorium* alioſque caſuiſtas. Denique pugnant cum amore Dei pravæ opiniones de hoc amore, item aliæ omnes de rebus Theologicis quæ impediunt, imminunt, aut reſtinguunt exardeſcentiam amoris Dei in nobis; inter quas non minimæ ſunt Pelagianæ ut oſtendimus in *tractatu* noſtro vernaculo *contra Tilenum.* Speciatim autem hic rejicimus errores ſequentes, qui apud heterodoxos occurrunt. *Deum verè amari ab irregenitis. Deum ſalutariter amari poſſe abſque fide & amore filii Dei & ſervatoris Jeſu Chriſti. Charitatem eſſe Spiritum Sanctum.*

ctum. Eam augeri per actus nostros dispositivè & meritoriè. Amorem Dei quo nos diligit ad salutem præveniri à nostro amore. Charitatem esse formam fidei, & per eam nos formaliter justificari coram Deo. Posse eam totaliter ac finaliter excidere. Immo posse eam amitti quovis actu peccati mortalis. Posse impleri legem Dei quoad substantiam absque charitate, immo ad charitatem nos non obligari per legem cum nusquam in toto decalogo ea præcipiatur. Non teneri nos sub præcepto diligere Deum supra omnia quantum ad quantitatem intentionis qui consistit in vehementiâ & fervore actus. Quod charitas valeat ad expianda peccata. Videat, cui hæc tanti sunt, *Thomam 22.qu.11.art.24.25.26.cum commentator. Azorium part.1.lib.10.c.3. Toletum in Institut.lib.4.c.12.13. Viguerium in Institut.cap.13. Buseum in viridario.*

Restat nunc aliquid de praxi addamus. Circa exercitium occurrunt 12.
varii casus & scrupuli quos vide in *Amesii casibus lib.4.cap.10.* Sunt & alii qui ibi non comparent, ex quibus unum atque alterum fervidis Dei amatoribus maximè familiarem delibamus. *Primò* quæritur an verus possit esse amor Dei, ubi quis non ita fortiter desiderat præsentiam Dei sui, & consummationem amoris in vita æterna? *Resp.* Posse, quia quamvis hic actus amoris languidior sit, non tamen in totum abest, sic Rex Hiskias, David, aliiq; pii desiderârunt vitam præsentem, deprecati sunt mortem, tum ut vitam emendare, tum ut adversus hostem illum melius se armare, tum ut publico prodesse possent. *Deindè* ex amore benevolentię manifestè in se sentire ac colligere debent verum Dei amorem. *Denique* sensus, dolor, & sollicitudo de hoc suo languore, atq; adeo desiderium desiderii, vitæ melioris & consummati amoris pignus ipsis certissimum est veri amoris. *Secundò*, An verus amor Dei consistat, absque complacentia in Deo, aut saltem absque sensu istius complacentiæ in Deo, *Resp. Aff.* Non enim consistit sincerus amor in abundantia sensus. In gravissimis tentationibus constituti adhærent Deo & in illum feruntur, quamvis reactionem charitatis Dei in corda sua diffusæ vix sentire sibi videantur *Psal.77.v.2. 8.9. Iob.13.v.24.* Et quicquid hic deficiat, sensus tamen istius insensibilitatis, adhæc amor desiderii & benevolentiæ ita se exserit ut certissimum ipsis sint amoris divinæ πκμήλιον: *Tertio*, quomodo pii Deum prius & magis amant quam creaturas; cum actus mentis, voluntatis, affectuum decuplo si non centuplo plures tendant in creaturas & necessaria hujus vitæ ac vocationes particulares, quam in Deum? *Resp.* In creaturas seu in bonum aliquod creatum tendunt, non ut abstractè & solitariè consideratum, sed dependenter à Deo tanquam primo efficiente & in ordine ad illum tanquam summum bonum seu ultimum finem. Itaque dum immediatè considerant, tractant & sentiunt bona ac res creatas, mediatè eti-

am in illis ac per illas gustant bonitatem Dei : corda sua etiam occasionibus quæsitis aut arreptis ex creaturis & rebus circa quas versantur ad Deum amorem suum interea sæpissimè elevant per ejaculatorias contemplationes, aspirationes, preces, doxologias, exclamationes, per gemitus inenarrabiles, & familiariter cum illo versantur ; etiam cum ex professo eum in verbo loquentem non audiunt, nec precibus suis eum alloquuntur, nec vacant meditationum aliisque pietatis exercitiis.

12. Methodus, praxis, & quotidianum exercitium amoris divini in rebus illis consistit. *Primò* ut quis se erigat, excitet, & compellat conquisitis stimulis & motivis, imprimis ex causis impulsivis, proprietatibus, adjunctis & effectis supra notatis ; Deindè etiam ex oppositis. Possunt etiam methodo Rhetorum ab honesto, utili, jucundo, facili argumenta permoventia deduci, & sanctâ quâdam arte amplificari ; quod exercitatori spirituali, tam difficile non erit, qui modo gustârit quam suavis sit Dominus, & sacras literas diligenter legerit, imprimis *cap.* 8. *ad Roman. Historiam Passionis, Psalmos, Canticum Canticorum, Iesaiæ capita* maximè *Euangelica. Secundò* ut media & auxilia omnia capessat per quæ ad perfectionem amoris magis ac magis contenditur ; quorum præcipua supra indicavimus. *Tertiò*, ut quotidie exploret profectum suum, an in his aut illis actibus profecerit, aut defecerit, aut steterit, quod reducitur ad defectum ; Ubi enim quis non proficit ibi deficit, teste *Augustino*. Imprimis autem operosè & quasi *demum* incipiens explorationem hanc sui instituat diebus dominicis, in præparatione ad cœnam, ad jejunia, in morbo & convalescentia ex morbo, &c. Cogitet Christum Dominum coram interrogare, *Diligis me plus his* ? & videat an vere respondere possit : *Tu scis quod te diligam.* Signa & gnorismata ex adjunctis & effectis desumenda, inter quæ excellent ista. 1. *Amare* Dei Præsentiam ac familiaritatem in precibus, in lectione, auditione, & meditatione scripturæ *Psal.* 119. per totum. 2. *Exstinguere* ac mortificare amorem mundi & omnium visibilium 1 *Ioh.* 2. 15. 16. 1 *Cor.* 7. 30. 31. *Gal.* 6. 14. *Philip.* 3. 7. 8. 3. *Amare* fratres, & proximum quemque 1. *Iohan.* 4. 20. 4. *Zelare* pro gloria Dei, hoc est gaudere cum nomen Dei honoratur, contra dolere & indignari cum ignominia afficitur. 2 *Cor.* 11. 29. *Psalm.* 119. 136. *Ies.* 24. 16. 1 *Reg.* 19. 10. Aliter & fusè ac distinctè signa illa proponit *Amesius in Casibus lib.* 4. *cap.* 10. qui videndus. Si quis datâ occasione variorum conceptus, quæstiones, amplificationes practicas de amore Dei perlustrare aut conferre desideret ; indico illi præter *Bernardum, Thomam, Antoninum, Amelry, Rusbrochium, Harcopium, commentatores ad Pseudo-Areopagitam* ; ad hæc *Toletum, Viguerium, Azorium, Busæum in viridario*, jam citatos, ex antiquis *Contemplationes sub nomine Idiotæ*;

Idiotæ; qui autor in *bibliothecâ patrum*, & seorsim cum *meditationibus Augustini, Anselmi, Bernardi* editus Duaci. De ætate, quâ floruit dubitatur. *Possevinus* vult post. 800. annum Christi vixisse. Præterea ex Pontificiis, Casuistas; Inter practicos & Asceticos, *Bonaventuræ tract.* cui tit. *Stimulus divini amoris; Lanspergium in pharetrâ divini amoris; Dionys. Carthusianum in inflammatorio divini amoris, & in lib. de perfectione caritatis*, qui idem aliqua etiam habet *in libro de fonte lucis, & lib. 3. de contempl. art. 17.*; *Ludovicum de Ponte in introductione*; *Stellam in meditationibus de amore Dei*; *Gersonem in Canticum Canticor.* ubi 50. propositionibus agit de amore Dei; *aliosque* in *eundem librum commentatores*, quorum catalogum habes in *catalogo* ab *Oxoniensibus* edito, & in *commentar. Corn. A Lapide ad libr. cit.* Illis adde *commentator. in Deuter. 6. & Matth. 22. & 1 epist. Iohannis*, præsertim *cap. 3. & 4.* ubi *Corn. A Lapide* qui *Idem in Iacob. 1. p. 31.* Ex nostris, inter *loc. comm. scriptores Polanum lib. 2. cap. 22. commentatores decalogicos, & in Canticum Canticorum, Matth. 13. 22. 1 Corinth. 3. epistol. 1 Iohannis, Petr. Molinæum* in libello Gallico etiam in Belgicum traducto, cui tit. *Theophilus.*

DE SUPERSTITIONE.

Resp. DANIELE van HENGEL Amstelredam. *Ad diem 4. Iulii. 1640.*

DE Superstitione agendum propriè in explicatione primi, secundi, & tertii præcepti; etiam aliquo modo in explicatione quarti. De eâ in genere & in specie tractant *Scholastici ad 22. quæst. 92.* & deinceps; *Zvvarez tom. 2. de religione tract. 3. lib. 2. locorum comm. scriptores, Casuistæ & Moralistæ tit. de superstitione aut ad 1. 2. & 3. præceptum*; *commentatores ad Coloss. 2. 23. Actor. 17. 22.* Peculiaribus *tract. de superstitione*, ex Pontificiis, *Martinus Arles, Petrus Cirvelus, Dionys. Carthusianus, Gerson variis opusculis*: Ex nostris *Ioh. Rivius*; Et data occasione *Antagonistæ Papatus*, cum disputant de Causis secessionis à Papatu, deque Ceremoniis, traditionibus, consecrationibus, sacramentalibus, Exorcismis &c. De variis superstitionibus in particulari nos infra in *disp. de Idololatriâ indirectâ, de Magiâ, de Exorcismo, de Cruce*, reliquisque ad primæ tabulæ præcepta. Etiam passim in *politiâ ecclesiasticâ*. Huc referri possunt *disceptationes de ceremoniis* quibusdam alicubi extra Papatum usitatis. Inter eas indico duo doctissima scripta Anglica, *Amesii c. Burges part. 1. cap. 9.* & *Anonymi* scr. tit. *Anglico-Papisticæ ceremoniæ ecclesiis Scoticis obtrusæ part. 3. c. 1. & 2.* Ne quid dicam de Gentilium quorundam scriptis, ut *Plutarchi libello* περὶ δει-

1.

σιδαιμονιας; *Theophrasti Characteribus c.* περὶ δεισιδαιμονιας. *Lucianus* nonnulla passim inspargit,& ex professo *in Menippo seu Necyomantiâ,de sacrificiis,&c.* sed qui sub nomine superstitionis omnem religionem exsibilat. Idem facit *Lucretius*; cui religio & superstitio sunt ὑποδυναμοῦντα. Nos etiam ante hac *disputat.* aliquot ejus species perstrinximus: sed desiderant auditores nostri ut in genere eam explicemus deinde species ejus quasi in tabella proponamus; atque ita certos, aliquos, distinctos & expeditos conceptus inter variantes variorum autorum sententias & methodos ipsis præformemus.

2. Ut ergo eam rectè investigemus, præcognoscendum virtuti religionis opponi vitia alia in excessu alia in defectu. *In defectu* sunt, quæ *irreligiositatis* nomine comprehenduntur & dicunt contemptum Dei: alia *directè*, quando irreverentia ipsi Deo exhibetur, ut Atheismus practicus, seu nulla religionis cura aut exercitium (cujus synonymum Epicureismus, Deismus), adhæc blasphemia, execratio seu maledictio Dei, perjurium, tentatio Dei: alia *indirectè*, quando irreverentia rebus sacris exhibetur, ut sunt sacrilegium, simonia. *In excessu* sunt, quæ superstitionis generali nomine comprehendi solent: cujus quatuor species enumerat *Thomas* 22. *qu.*92. *art.*2. Indebitum Dei cultum, Idololatriam, divinationes, vanas observantias. Nos putamus, Superstitionis vocem distinguendam, ut latè, vel strictè, vel strictissimè sumatur: *illâ* acceptione notet omnem excessum in religione, sive directè sive indirectè, sive participati vè hoc fiat: *istâ* omnem cultum indebitum seu pseudosacrum formaliter ita dictum: *hâc* verò vanas quasdam observantias sive extra omnem respectum cultus divini; sive circa cultum, aut cum aliquo respectu ad cultum; quæ formaliter non sunt indebitus seu falsus cultus, aut idololatria, aut Magia, aut divinatio diabolica; sed tantum istorum quid sunt reductivè, hoc est, aut interpretativè aut participativè. Apud autores vox hæc modo in prima, modo in secunda, modo in tertia significatione usurpatur. 1. Ut plurimum tamen videntur juxta secundam acceptionem eâ notare indebitum cultum, verò cultui instituto oppositum, quo Deus sive verus sive falsus perversè colitur, & sic distinguitur ab idololatria, quà aliquid colitur, præter verum Deum; ac coincidit cum pseudo sacro, & idololatria illa, quæ committitur adversus secundum præceptum. Et huc spectant descriptiones, Theophrasti loco cit. quod sit δειλία περὶ τὸ δαιμόνιον; Maximi Tyrii Platonici serm. 4. Ὁ μὲν ἐυσεβὴς φιλόθεος, ὁ δὲ δεισιδαίμων, κόλαξ. Hinc *Tertull. Apol. c.*25. cultus Gentilium vocat adulationes. Senecæ de Clementia lib.2.c.5. hæc distinctio: *Religio Deos colit, superstitio violat.* Ejusdem descriptio est epist. 123. *Superstitio error insanus est; amandos timet, quos colit, violat* & epist.74. *Deo satis est quod colitur & amatur: non potest amor*

amor cum timore misceri. Plutarchus libr.cit.dicit esse δεξαν ἐμπαθῆ, καὶ δέος ποιηλὸν ὑπόλειψιν καταπεινῶντα καὶ συνελόντα τὸν ἄνθρωπον, οἰόμενον, μὲν εἶναι θεὸς, εἶναι δὲ λυπηρὸς καὶ βλαβερός &c. Vide, quæ sequuntur. Varronis apud Augustinum: *Deum à religioso vereri, à superstitioso timeri.* Quos subinde sequuntur (in usu scil. vocis) Theologi Christiani. *Actor.* 17. 22. tribuitur Athenienſibus quod sint δεισιδαιμονέστεροι: nisi ibi malimus in latissima significatione accipere. Alioquin quid vetat dicere Paulum primo non probare aut improbare numen quod colerent; sed tantum historicè referre exuperantiam cultus. Post primam hujus disput. edit. prodierunt *annotationes Pricæi* Anglo-Britanni *ad Acta*; quem lector philogus conferat. 11. Prima acceptio occurrit apud Ciceronem lib. 2. de Natura Deorum: *Nam qui totos dies precabantur & immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati* (à majoribus scil.) *quod tamen postea patuit latius.* Et ipse paulò ante *superstitiones aniles* vocaverat, totum illud chaos commentitiorum & fictorum Deorum, prout illi habebantur & colebantur à Gentilibus. Sic August. de Vera religione tom. 1. p. 743. *Non sit nobis religio cultus dæmonum, quia omnis superstitio, cum sit magna pœna hominum, & periculosissima turpitudo, honor est ac triumphus illorum.* Et de civit. Dei lib. 4. cap. 30. *Deinde cum hæc ad superstitionem pertinere dicat, ad religionem verò quam ipse secundum Stoicos videtur docere. Non enim philosophi solum, inquit, verum etiam majores nostri superstitionem à religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur, inquit, & immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati. Quis non intelligat cũ conari, dum consuetudinem civitatis timet, religionem laudare majorum, eamque à superstitione velle sejungere, sed quomodo id possit non invenire?* Et Lactantius de verâ sapient. c. 28. *Religio veri cultus est, superstitio falsi*: Et paulò post: *Nam qui novos sibi ritus assumebant superstitiosi: ergo qui multos & falsos Deos colunt.* Atque hanc laxam significationem secutus est Thomas 22. qu. 92. art. 1. ubi definit: *vitium religioni oppositum secundum excessum, quo quis divinum exhibet cultum cui non debet, vel non eo modo quo debet.* Et *art.* 2. dividit in species. Thomam *sequuntur scholastici*, & hodierni ipsius *commentatores*, cum *Moralistis. Hesychius in lexico*, synonymum facit cum idololatriâ: δεισιδαίμων, inquit, ὁ παὶ ἰδωλα σέβων, εἰδωλολάτρης. *Clemens Alexandrinus, stromat lib. 2. p. 276.* δεισιδαιμονίαν opponit τῷ θεῷ hoc est, timori Dei: δέος δὲ ἐν φόβος τῦ θεῖυ &c. ἢ γ' ἂν δεισιδαιμονία, πάθος, φόβος δαιμόνων ἂσα &c. *Idem lib. 7. pag.* 504. Verè religioso, quem θεοσεβῆ, vocat, opponi dicit ἄθεον & δεισιδαίμονα: quorum ille putet non esse Deum; iste sit, qui timeat dæmonia, quique omnia in Deorum numerum referat, & lignum, & lapidem, & spiritum, & hominem &c. 111. Tertia acceptio, quæ acceptio synonyma est *vacuæ observationi* (uti loquitur *Tertullianus de Oratione*

c. 12.) seu *vanæ observantiæ* (ut loquuntur *Scholastici & Casuistæ*, cum *Thomâ*) apud recentiores, & in communi usu loquendi potissimum locum habet. Sic *Catechesis nostra qu.* 94. superstitionem designat tanquam speciem vitii contra primum præceptum, sed distincti ab idololatria, magia, divinatione. Et hac strictissima acceptione nos hic potissimum considerabimus superstitionem. Quod ad primam notionem, non est necesse eam peculiariter & abstractè per adjuncta generalia & causas describere; cum facilè illa desumi possint, ex *loc. comm. de Idololatria*, & *Magia*. Notio secunda itidem præsentis considerationis non erit: cum de *pseudo-sacro* seu *indebito cultu divino*, in genere; & in specie de *Sacramentalibus*, *Benedictionibus*, *Ceremoniis*, *Monachatu*, *Horis canonicis*, *Litaniis*, *Peregrinationibus*, *Spontaneis Flagellationibus*, *Templis*, *Festis*, *Agnis Dei*, *Processionibus* &c. alibi agendum sit. IV. Sunt duæ aliæ strictissimę significationes; una apud *Ciceronem de Naturâ Deorum loc. cit.* & altera ex Virgilio apud Lactantium *loc. cit.* *Nam qui novos sibi ritus assumebant, ut in Deorum vicem mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlum receptos putabant, hos superstitiosos vocabant. Eos vero qui publicos, & antiquos Deos colerent, religiosos nominabant.* Unde Virgilius,

Vana superstitio, veterumque ignara Deorum,

Sed hæc utraque jam exolevit; & refutatur ibidem *à Lactantio*; quin & de priori fatetur ipse *Cicero loc. cit.*

2. De etymologiâ superstitionis *Isidorus lib.* 8. *c.* 1. & nonnulla *Lactantius loc. cit. Servius in Æneid.* 8. qui videndi. Δεισιδαμονιας originationem ab inordinato affectu metus indicat *Plutarchus in principio libelli cit.* quamvis etiam in bonam partem sumi pro religione, innuat ibid. Ἐθελοθρήσκεια quæ vox occurrit *Coloss.* 2. ex causa seu origine sic dicitur, propria enim hominis electio & arbitrium, non Dei mandatum, progignit ejusmodi cultum; synonymum ejus facit Hesychius ἐθελοσέβειαν. Est & aliud ejus synonymum δυσσέβεια, quod quasi medium sit inter ἀσέβειαν & εὐσέβειαν. Actus Superstitionis strictè dictæ Theodoretus de Curat. gr. aff. p. 88. appellat δείγματα καὶ παραταρήματα id est, *signa observationesque rerum*. Describitur superstitio seu vana observantia, quod sit *vitium quo quis otiosis factis & omissis attendit ad bonum spirituale aut temporale*. Consideranda ad intelligentiam descriptionis 1. momenta, seu ingredienta, seu partes superstitionis; quæ sunt tres, error mentis, depravatio affectus, externum factum; ad quod referimus omissionem facti, seu abstinentiam ab aliqua re aut facto. Tria autem hæc ingredi completam superstitionem constat ex definitionibus supra allatis: quarum aliquæ considerant eam magis *radicaliter* (sic *Plutarchus* vocat ὑπόληψιν) ut scil. est error mentis, seu depra-

pravata opinio, quà plus creditur de Deo, aut rebus divinis, aut aliis quibuscunque creaturis earumque viribus & actionibus, quam credi debet. Aliæ considerant magis *formaliter*, ut est depravatio affectus seu voluntatis: & sic Theophrastus definit δειλιαν, id est, *meticulosum affectum*. Et Clemens Alexandrin. Strom. lib. 2. p. 276. ἡ γ' ὑπερδεισιδαιμονια πάθος, φόβος δαιμόιου ἴσα &c. Aliæ magis *consecutivè* seu *completivè* in facti externi consummatione. Sunt autem facta illa trium generum, verba seu sermo (ad quem referentur), scriptionem, picturam, aut quamcunque ἐικασικὴν. 2. Externi gestus, & transeuntes motus solius corporis, aut partium ejus. 3. Operationes externæ, quæ rebus & instrumentis adhibitis relinquunt aliquod opus post se. Illis factorum seu operationum generibus respondent totidem omissiones, seu abstinentiæ: quibus sæpe plures exercentur superstitiones, quam positivis actionibus. Hinc Apostolus *Coloss.* 2. 21. μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς. Confer 1 *Timoth* 4. 3. *Roman.* 14. Cum autem ex tribus istis componi superstitionem dicimus; completam intelligimus, nam alioquin superstitio (uti & oppositi actus religionis) sæpe tantum interna est, & ultra interiorem affectum non progreditur. 11. Dicimus esse attentionem circa *otiosa facta aut omissa*: 1. *Vt* distinguamus à crassa illa superstitione, quà quis directam & explicitam magiam, divinationem, idololatriam contra primum aut secundum aut tertium præceptum committit. Unde patet nimis confundere scholasticos quosdam, & ex Recentioribus Delrio Disq. Magic. lib. 3. part. 2. ubi definit vanam observantiam, quod sit *Magia superstitiosa, quâ commodum aliquod speratur ex re, quæ nec supernaturaliter eo pertinet, neque naturaliter id præstare potest.* Et inter species ejus enumerat, crassissimas operationes Magicas & divinationes per apertum pactum diabolicum: cum tamen *Thomas loco cit.* observantiam & divinationem tanquam disparata distinguat. 2. *Vt* etiam distinguamus, à factis aut gestibus quibusdam, qui vix subjacent judicio rectæ rationis, & imperio voluntatis: quales ex. gr: phantasiando fricare barbam, movere caput &c. 111. Otiosa seu vana facta & omissa hic intelligimus, quæ ad effecta temporalia aut spiritualia nihil per se conferunt, aut conferre valent, uti falsò opinantur, qui illis attendunt. De objecto seu materia illorum factorum mox. 1v. Finem ejus (prout nuncupativè, aut æquivocè malo finis tribui potest) facimus bonum spirituale aut temporale: quò reducimus mali utriusque fugam, seu evitationem, aut victoriam. Potest autem finis seu eventus ille considerari vel ratione superstitiosæ observantiæ in se, seu objectivè; vel ratione superstitiosi observatoris, seu subjectivè. Hoc posteriori modo consideratus infert intentionem operantis si non semper actualem, saltem virtualem seu interpretativam:

tativam: quod sufficit, in illis, qui sæpe ex inadvertentiâ, aut inveterata consuetudine, aut nimio alios imitandi, aut aliquibus placendi & moribus ac ritibus vulgo receptis se conformandi studio superstitiosum aut superstitiosi-forme quid committunt.

6. *Subjectum* superstitionis quodnam sit, satis ex dictis constare arbitror. *Objectum* est, partim res aut actio aliqua non religiosa (quem tamen actum religionis imperatum possumus appellare, siquidem omnis actus humanus quà talis, & propriè sic dictus debet ordinari in Deum, & consequenter dirigi à religione 1 *Cor.* 10. 13.); partim res aut actiones religiosæ; quas vulgo actus religionis elicitos nuncupant. Superstitiones posterioris generis enumerat aliquot *Tertullianus in libro de Oratione*: quas omnes & similes referre possumus ad Idololatriam indirectam & participatam (in quâ excellit Εἰδωλόθυτον 1 *Corinth.* 8. & 10.,) & sub illa notione infra forte explicatas dabimus. Superstitiones prioris generis, mox in classes digeremus, & species specialissimas earum aliquot indicabimus: omnes enim recensere esset operosum nimis, & pæne ἀδύνατον. Alibi etiam eas sub notione tum Magiæ, tum divinationis indirectæ seu interpretativæ, indicavimus. *Efficientes*, partim *remotæ* seu communiores partim propinquæ & magis particulares; partim, principales. partim minus principales; partim internæ, partim externæ sunt. I. Ignorantia, seu defectus cognitionis divinæ. II. Defectus, fidei, fiduciæ, & timoris Dei: qui enim Deo non confidunt, nec eum timent; sæpe non timenda timent, non credenda credunt, & in vanitatibus fiduciam quærunt. III. Δοκησισοφια, *Coloss.* 2. 23. Curiositas, rerum novarum & admirandarum affectatio. IV. Vitiosa tolerantia, moderatio, humilitas, docilitas, credulitas, imitatio exemplorum antiquorum aut præsentium, & conformatio cum recepta consuetudine, & praxi currente. Breviter cœca obedientia, ἀνθρωπαρέσκεια, κολάκεια, θεωλία &c. V. Ingenii vanitas, levitas, inconstantia, & inadvertentia ac quasi cœca & brutalis quædam ἐξις. μέθοδος ἀ. μέθοδος in agendis & actionibus suis: cum sapiens nihil debeat agere absque antecedente rationis examine & judicio *Psal.* 119. 59. *Ephes.* 5. 15. aut absque consequente ἐξέτασις & conscientiæ examine. VI. Falla persuasio & seductio circa doctrinam de adiaphoris, neutris seu μέσοις. Quod fundamentum ordinarium apologiæ pro superstitionibus substernitur. Nos alibi veram de iis doctrinam exhibemus. VII. Errores particulares quorundam Pneumatologicorum, Physicorum, Medicorum &c. Quos require in *autoribus Pneumatologicis, Physicis, Medicis, Thaumatographis, Historicis Naturalibus, Magiis Naturalibus, & libris secretorum &c.* Adhæc errores populares, qui insciis, aut invitis, aut non advertentibus Doctoribus

bus apud plebeios & idiotas non paucos passim obtinent: quorum alii sunt in Theologia & rebus divinis, alii in Philosophia, Historia, Artibus &c.; quorum catalogi, & classes alibi construendæ. Ex his non minima occasio & manuductio ad superstitionem.

Ex Adjunctis & effectis consequentibus notamus nunc ista 1. Quod plerumque sit fervida & zelo perverso comitata: ut ipsam religionis praxin in fidelibus diligentia, ἀκριβείᾳ, & πολυπραγμοσύνῃ sua superare videatur. 11. Quod sit pertinax & quasi ἀμεταπείνητος. 111. Quod tandem, si pertinaciter continuet, degeneret plerumque & desinat in apertam Magiam; aut divinationem; aut idololatriam; immo & veræ religionis abnegationem. 1v. Quod sit maximè zelotypa. v. Consequenter tyrannica, addens vanitati fervorem, fervori tyrannidem & persecutionem. Exempla vide in *Camerarii centur.* 1. *c.* 40. Signa diacritica & gnorismata addi possent, tanquam adjuncta: sed ad praxin ea referemus. Cognata, & opposita brevitatis causa nunc omittemus. 4.

Quod ad praxin: indicanda hic motativa cur, & media per quæ fugienda sit vana observantia, ut & signa ex quibus dignosci possit, & ab utilibus, aut religiosis, aut licitis & adiaphoris actionibus discerni. 1. Motiva, propter quæ superstitiones vitandę sint ista. 1. Dei mandatum *Matth.* 15. *Coloss.* 2. *v.* 8. 16. 20. 21. 22. 23. *Ierem.* 10. *v.* 2. *Iesa.* 44. *v.* 25. His adde loca quæ superstitionibus magicis divinatoriis, & idololatricis; ut & specialibus rosarii, processionum, festorum, crucis, exorcismorum, inutilium ceremoniarum &c. opponuntur, suis quæque locis notata. 11. Quia à Deo & vera religione abducunt; dum homo, magis ad eas attendit, & tandem plus iis tribuit, quam ipsis Dei præceptis. 111. Accedant dicta conciliorum & patrum: sed quæ magiæ, divinationi illicitæ, & similibus vitiis in particulari magis opponuntur, quam superstitioni in genere. Poterunt tamen analogicè illi applicari. Vide *Concil. Laodic. can. de phylacteriis*, *Carthagin. de auguriis aliisque Iudaicis superstitionibus*; quæ collecta vide à *Photio in Nomocanone tit. 9. cap. 25.* 11. Media sunt *partim* promovenda & adhibenda, ut cognitio rerum divinarum, fides, fiducia, timor Dei, reverentia verbi divini, & conscientiæ nostræ ad illud subjectio ac commensuratio: *partim* fugienda & removenda; ut conscientia & veneratio consuetudinis, antiquitatis, autoritatis politicę aut ecclesiasticæ, juxta antiquum illud Pythagoræ. Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς νόμῳ ὡς διάκειται &c. Adhæc, fiducia in propriis operibus, opinio meriti, operis supererogatorii, exuperantiæ & abundantis cautelæ &c. 111. Signa diagnostica *generalia* sunt ista quorum nonnulla non nisi seorsim, alia conjunctim adhibenda. 1. Si effectus, qui intenditur aut producitur, superet naturæ 5.

vires, nec tamen ex scriptura constet eum esse divinum ordinarium aut extraordinarium, seu miraculosum. 2. Si constet rem, cui tribuitur ille effectus, hanc vim à Deo, vel naturâ non habere. 3. Si actio illa aut omissio sacris literis nec κατὰ τὸ ῥητὸν, nec κατὰ τὴν ἀξίωσιν contineatur. 4. Si actio aut omissio illa nec ad vitam animalem, nec ad civilem, nec ad religiosam per se necessaria, aut saltem utilis sit. 5. Si agentes talia, aut non velint, aut non possint rationem & modum exponere, cur & quomodo hæc ita fiant. Signa *Specialia* sunt 1. quando requiritur fides in ipsum hominem, qui sanaturus est. 2. Quando quis utitur nominibus, phrasibus, sententiis, tmematis ex sacra scriptura descriptis aut pronunciatis; aut etiam integro scripturæ libro ad caput appositio, ad dolorem sedandum. 3. Quando quis utitur operibus piis & religiosis in rebus vanis, & ad Dei cultum nec directè nec indirectè pertinentibus. 4. Si aliqua efficacia tribuatur observationi numeri, rhytmi, contactus, figuræ &c. Sed hæc aliaque specialia signa notata à *Delrio lib.* 3. *part.* 2. *sect.* 2. & deinceps, mox in divisione superstitionum commodius referentur.

6. Dividitur autem vana observantia 1. in fugam, & in prosecutionem seu usum. 1. *Fuga* est vel simplicis abstinentiæ seu omissionis; vel remotionis per positivam & directam actionem. 1. *Genus fugæ* est, cum ab aliqua re, aut actione simpliciter abstinemus. *Prioris* exemplum est: Abstinentia Pythagoræ ab esu animalium, quod scil. *omnium inter omnia esset cognatio, & aliorum commercium in alias formas transeuntium*, ut loquitur *Seneca epist.* 108. Confer *Laërtium in ejus Vita*, & *Ovidium Metamorphos.* 14. & *Tertullian. in Apolog. c.* 48. & *Plutarchum de Abstinentia ab esu carnium*; ubi superstitionem Pythagoricam defendit. Hodie eadem est sententia & praxis Gentilium qui Brachmannici aut Bramines & Benjani in imperio Mogulico dicuntur. De quibus in *disp. de Gentilismo*. Abstinentia Ægyptiorum, qui τῶν ἄλλων ὡς θείων ἀπεχόμενοι (ut loquitur *Theodoretus de curat. gr. aff. de Sacrificiis*) solis suillis carnibus vescebantur. De quibus vide *comment. ad Exod.* 8. 26. *Genes.* 46. 34. Abstinentia ab esu carnium, & sanguinis. De quâ differit *Seldenus, de Iure naturali & Gentium toto lib.* 7. Confer *commentat. ad Genes.* 1. & 9. & ad *Actor.* 15. Et *disp. de Creatione part.* 7. Quomodo autem & quâ de causa primi Christiani à carnibus immo & in totum à conviviis Ethnicorum sæpe abstinerent, facile colligitur ex 1. *Corinth.* 10. Ne scil. periculum subirent participationis cum idololothytis Gentilium. Confer *disp. de Gentilismo* ubi loca *Actor.* 11. *Galat.* 2. *Daniel.* 1. explicamus. Abstinentia Esseorum & hæreticorum Judaizantium in primitiva ecclesia, quos notat apostolus *Coloss.* 2. 20. 21. Vide ibi *commentatores*, & ad 1 *Timoth.* 4. & apud *Hæres. scriptores Augustinum, Epiphan.*

phanium &c. Ebionitas, Encratitas, Montaniſtas, Severianos, Tatianos, &c. Abſtinentia ab eſu ciconiarum, graculorum, cornicularum, fibrorum, leporum, quam Chriſtianis præſcribit *Zacharias Papa in Epiſt. ad Bonifacium*, euangeliſtam ſcil. Thuringor. & Saxonum (quæ exſtat *tom. 2. Concilior.*) Abſtinentia Judæorum ab eſu ſuillæ, aliiſque quamplurimis; & Mahumediſtarum à ſuilla & vino. Abſtinentia Pontificiorum multiplex, contra libertatem Chriſtianam; ex. gr. à conſpectu aut alloquio, aut conſortio hominum, à cibis, à conjugio: de quà in *diſpp. de Quadrageſima, de Ieiuniis, de Pſeudo-mortificationibus Papatus* &c. Huc reduci poteſt abſtinentia Pythagoræ, de quâ *autores*, modo *cit.* & Sotionis (apud *Senecam epiſt.* 108.) à carnibus, prætextu rationis phyſicæ ſeu medicæ; à quà non videtur alienus eſſe Lipſius in ſcholiis Ibid. *Aſſidua*, inquit, hæc χρεωφαγία, *nimis Europæis uſurpata, brutos facit.* Cur primi Chriſtiani à carnibus abſtinuerint infra dicetur in *diſp. de Idololatr. indir.* Pertinet huc etiam abſtinentia à conſortio hominum: qualis hæreticorum, quos feros, girovagos, βόσκους appellant (de quibus *Auguſtin. de hæreſ. c. 71.* & *ibid. Danæus*): adhæc omnium Eremitarum, Anachoretarum &c: de quibus in *diſp. de Monachatu.* Denique huc refer abſtinentiam à tempore (uti die infauſto, Lunę ſcil. aut Jovis) aut loco (ut ſepulcro, cœmiterio, mediâ plateâ, dum iter facimus de nocte); aut numero aliquo, ex. gr. numero pari: ut ſcil. tunc, aut ibi, aut eo numero nihil agamus aut recipiamus. *Exempla* abſtinentiæ ab actione aliquâ, ſeu omiſſionis propriè ſic dictæ, ſunt, non exire ex ædibus, non proficiſci, aut caſtra non movere, ſi muſtela aut lepus viam tranſcurrerit; ad defunctorum juſta non accedere, neque ad puerperam. Vide *Theophr. characteres cap. cit.* & *Plinium lib.* 28. *c.* 3. Imprimis hic memoranda abſtinentia à Venere, quam obſervabant Gentiles in ſuis τελέταις magicis, aliiſque ſacris. Similes inſanias habent recentiores magiæ Doctores, *Agrippa*, & *Petrus de Albano*; de quorum libris infra *in diſp. de Magia.* Cum quibus haut obſcurè colludit τελέτη unguenti armarii, apud *Crollium in lib. de ſignaturis*; ubi inter alia præſcribit, ut telum i. unctum loco mundo collocetur, utque opliater abſtineat à Venere. 2. *Alterum* genus fugæ eſt; cum removemus aut deſtruimus impedimentum aliquod, aut rem talem, quam putamus mali alicujus medium aut ſignum eſſe. Exempla ejus ſunt; frangere putamina ſeu teſtas ovorum antequam à menſa auferantur (*Plin. lib.* 28. *c.* 3.) quod & hodie multi obſervant; deſtruere ſigna maleficii, de quo *Diſp. de Magia*; follem farinæ à mure arroſum, a ſe amoliri, apud *Theophraſt. loc. cit.* 11. Obſervantiæ, *proſecutionis, uſus, atque applicationis* ſunt, quando aut verbis, aut geſtibus ſeu ceremoniis tranſeuntibus, aut ſumptione atque applicatio-

ne rerum ad nos aut alios utimur, tanquam mediis aut signis ad aliquid *amovendum, cognoscendum, producendum*, ad quod à Deo, aut naturâ, aut arte efficaciam nullam habent. Sunt ergo tria istarum genera, secundum triplicem intentionem, & effectum. *Primi* generis sunt, omnia amuleta, periapta, & vana prophylactica atque alexipharmaca. Exempla eorum attingit *Delrio lib. 3. part. 2. & lib. 6.* quorum alia probat, alia improbat. Nos pleraque perstrinximus *disp. de Magia, Exorcismo, Antidoto pestis. Secundi* generis sunt, Vanitates illæ, quæ pertinent ad artem notoriam, & quæ ad vanas prænotiones, divinationes, & præsagia, (quæ scil. non sunt directè Magica & diabolica), de quibus *Delrio lib. 3.* & nos *disputat. de Prophetia.* Huc refer cruentationem cadaverum occisorum; provocationem ad judicium Dei, purgationes canonicas, & vulgares, de quibus infra in *Disp. de Abusu sortis. Tertii* generis sunt, Opliatria, & variæ applicationes herbarum, mineralium, animalium, aut partium &c. quæ intercurrunt in *libro Alberti Magni de Virtutibus lapidum, herbarum &c.* ex quibus arbitror desumpta esse, quæ vanitatis notanda in *Alexii Pedemontani secretis*, in *Mizaldi centuriis memorabil.*, *in Magia Naturali Portæ*, *in secretis VVeckeri.* Triplex hæc vanitas rursum in tria genera dispesci potest: ut *primum* sit per nuda verba, pronuntiata aut scripta, nota aut ignota, sacra aut profana: *secundum* per gestus, corporis motus, & ceremonias transeuntes, ut post caput quid jacere, & non respicere, crucem formare &c. *Tertium*, cum rebus utimur aut eas applicamus ad aliquid operandum, ut salivas ad averruncanda maleficia (de quibus *Persius sat. 2. & Plin. l. 28. 4.*) aquam vivam, aut quamvis aliam ad aspersionem corporis aut adjunctorum corporis, utensilium &c. ad lotionem manuum, sive in actibus religionis, sive in communi vitâ. Vide *commentatores ad Matth. 15. vers. 2. Marci. 7. 3. 4.* & *Iohann. 2. 6.* & *3. 25.* Et *Tertullian. de Oratione.* Euripidem in Alceste: *ὕδωρ ποταμίοις λευκὸν χρόα ἐλάσασ'* &c. Livium lib. 5. *Namque delecti ex omni exercitu juvenes purè lautis corporibus* &c. Porphyrium lib. 2. περὶ ἀποχῆς; ubi de sacrificio ritè afferendo. Virgilium Æneid. *Me flumine vivo, Abluero.* Quin & Pharisæos & superstitiosos illos hinc dictos Baptistas, testis *Iustinus contra Tryphonem* & Epiphan. lib. 1. hæresi 17. *Hæresis Hemerobaptistarum appellata, nihil quidem ab aliis evarians, sed eadem cum Scribis ac Pharisæis sentiens, non tamen solum adæquata Saducæis in mortuorum resurrectione, sed etiam in incredulitate, & aliis. Hoc autem præcipuum hæc secta habet, quod & in vere & autumno, in hyemeque & æstate semper quotidie baptizatur, unde & cognomen hemerobaptistarum accepit. Sensit enim aliter non posse hominem vivere, si non quis singulis diebus in aqua mergeretur, ita ut abluatur ac sanctificetur ab omni culpa.* Thalmudistarum & Rabbinorum hodier-

hodiernas lotiones vide indicatas à *Buxdorf. in synag. Iud. c.* 4. & 7. Apud Saracenos etiam vigent crebræ lotiones : de quibus scriptores in *disp. de Muhammedismo* indicati.

11. Aliter dividimus eam ratione actus in species analogas ; internam 7.
scil. & externam. *Illa* est quæ in opinione, aut effectu interno subsistit; *Ista*, quæ ad externum actum progreditur, *Illius* generis sunt, 1. *partim* vanæ & inveteratæ opiniones ; quales ex. gr. leproso mendicatum panem esse comedendum, itaq; nunquã illi quamvis non ita indigenti eleemosynam negandam ; eo in casu, quo aliis pauperibus rectè negari potest. Gravidæ fœminæ testimonium esse geminum, seu stare pro duplici; panem & salem esse sacrum ; infantes morientes fieri angelos in cœlo ; Cingaros seu vagos illos mendicos (quos Ethnicos vocant apud nostrates) divini quid redolere, aut divinitus commendatos : ita ut hospitium, cibus, aliaque necessaria ipsis non sint deneganda &c. (de quibus in *appendice ad disp. de Gentilismo*) ; similesque populares, & paganę, seu rusticæ opiniones quamplurimæ. 2. *Partim* vanę commotiones, scrupulositates, & metus aut saltem suspiciones, quæ hominibus oboriuntur & quibus aliquâ ratione afficiuntur ex. gr. ex crocitatione corvi, garritu picæ, baubatu canum, &c. atque aliis fictis aut præsumtis ostentis & prodigiis quæ revera talia non sunt : quamvis autem aliqua mali sibi eventuri præsumptio levis, levior, leviſſima animum ipsorum tentet aut radat; non tamen superstitionis actus formant, aut in formâ exercent; saltem non externos. Porro vanam & scrupulosam ejusmodi teratoscopicam tangimus in *Disp. de naturæ Miraculis, Ostentis, Prodigiis, & de Prophetiâ.* Ad hanc classem referendę sunt, si non tanquam superstitio interna formaliter ita dicta, saltem tanquam occasio ejus, & progymnasma, omnes agitationes conscientiæ scrupulosæ : de quibus in *loc. comm. de Conscientia, & de Timore Dei*, item *de Regimine affectuum.* Pertinent huc etiam conscientiæ turbationes & inquietudines, quas quis sentit, ob omissas quasdam circumstantias in exercitiis privatis pietatis, quod ex. gr. hâc horâ, aut illo gestu non precatus sit : aut quod ad conspectum solis non cogitârit Christum solem justitię, aut cum lotione manuum non cogitârit de nostri ablutione per Christum &c. Quamvis enim illa per occasionem licitè conjungi possunt, & sæpe utiliter conjungantur : non tamen semper ad combinationem & συζυγίαν eorum tenemur : alioquin faceremus ex illis sacramenta, aut sacramentalia. *Externa* superstitio est, quæ in externas abstinentias, omissiones, operationes erumpit : qualem modo in genera sua distinximus.

111. Ex objecto & fine rursum dividitur in religiosam, & non religi- 8.
osam. *Illa* propriè dicta ἐθελοθρησκεία, est quæ adhibitur in exercitio reli-

gionis & circa actus ejus, aut saltem directè & ex actuali intentione operantis ad religionem dirigitur. *Ista*, est quæ in communi vitâ exercetur, absque intentione (saltem actuali) cultus divini: ut scil. à vano observatore habeatur pro cultu Dei, aut medio seu adminiculo ad illum cultum. *Prioris* generis sunt *tum* benedictiones seu consecrationes (hoc est sacramentalia transeuntia): tum res consecratæ, (hoc est sacramentalia permanentia) in Papatu, *tum* eorum usus sive publicus in ecclesia, sive privatus idque vel in privatis religionis exercitiis, vel in communi vita œconomica, aut politica. Quæ in cultu publico ab iis observantur, indicavimus *Disp. de Benedictionibus thesi* 7. & *disp. de Festis thesi* 1. quæ tamen non tam vanæ observantiæ dicendę, quam directæ & crassæ idololatriæ, superstitiones, atque ἐθελοθρησκείαι; alibi potius pertractandæ. Quæ in devotione privata, aut in vita communi privatim usurpantur, sunt panis, lac, mel, vinum, vestes, naves, carnes, rami, palmæ, nummi, domus, arma &c. benedicta. In quibus triplex vanitas committitur, *Prima*, in earum benedictione, quæ fit à sacerdote: *Secunda*, quod homines eorum aliquam conscientiam, & in iis aliquam fiduciam habeant, & efficaciam illis tribuant, quæ iisdem minime convenit: *Tertia*, quod eandem tali cum conscientiâ religiosè servent, & usurpent, ad mala amolienda, & spiritualia ac temporalia bona sibi concilianda. De quibus omnibus consulenda publica ritualia, ut *Ceremoniale*, *Pontificale*, *Pastorale*, cum *libris Exorcisticis*, *aliisque autoribus à nobis cit. disp. de Benedictionibus*, & *de Exorcismis*, atque hę quidem religiosæ secundariò sic dictæ. Ad religiosas primariò dictas, refer certum, compositum, & præcisum usum ac modum adiaphorum in cultu publico, precum scil. concionum, sacramentorum, quem quis aliis omnibus impositum velit, nec ferat promiscuè illas liberas formalitates (quibus ipse assuevit aut quas ipsemet sibi servandas elegit,) adesse aut abesse pro re natâ, & circumstantiis locorum ac temporum. Tunc enim adiaphorum degenerat in necessarium, observantia in ἐθελοθρησκείαν, aut saltem ejus speciem, & prætensa ἐυχημοσύνη in putidam præcisitatem, prætensa unitas, conformitas, συγκατάθασις in ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς, libertas in tyrannidem, religio in hypocrisin. Sed de his alibi. Denique ad easdem refer, vitiosam singularitatem & præcisitatem in observando particulari suo ordine, & modo (externo scil. & merè peristatico, atque adiaphoro) in privata devotione & exercitiis pietatis; adeo ut quis seipsum ἀμεταχινήτως adstringat, & liberam conscientiam liget; quod malum: immo & alios quoscunque; quod multò pejus. De quâ præcisitate diximus aliquid in *Disput. de Præcisitate*. Hactenus vanæ observantiæ religiosæ. *Non religiosæ* sunt duum generum: 1. *Quæ* ex falsa religione ejusque exercitiis olim originem

nem duxerunt, & ab illa dependebant aut ad eam quomodocunque ferebantur, quamvis homines hoc nunc plane ignorent, saltem absque ulla conscientia religionis illius, aut cujuscunque alterius, talibus observantiis utantur & participent: ex. gr. celebrare Kal. Maji, aut Kal. Januarii, aut accendere luminaria, &c. quæ à Gentilium superstitione profluxere, & ab iis instituta sunt, Talia quamplurima olim hærebant in Christianismo, & hodie etiamnum hærent: vide aliquas eorum recensitas à *Tertull. c.* 14. *de Idololatriâ.* Ejusdem farinæ sunt otiosa nonnulla, in pompis funeris, inter quæ hic apud nos ex. gr. otiosum & stolidum illud factum, quod semper ferè loculis bina fulcra præferantur, quibus tamen nunquam loculi imponuntur, sed olim vigente Papatu tantisper in templo juxta sepulcrum imponi solent, donec mortualia, sacra peragerentur. Hæc est ergo vana consuetudinis παροπαιδότης observatio & imitatio. Hoc anno 1640. in prima editione hujus disputationis ita notabam. Nunc vanum illud cacoëthes abrogatum est. 2. *Vel, casualis*, quæ ex privato alicujus arbitrio, hoc est, ex fallaci aut vix semiplenâ observatione & prætensa experientia, & sic consequenter ex falso atque ἀλόγῳ inductionis λόγῳ & λογισμῷ primò primam, occasionem, deinde ex cœca & serva imitatione originem habuit. Hic religio nullum habet locum, tanquam objectum, aut finis, aut efficiens principale, impulsivum, instrumentale; ne quidem ut occasio. Tales observationes sunt ex. gr. partem secundinæ, quæ infantis modo nati caput obvolvit, ad multa mala avertenda prodesse; sepulcra si quis attingat aut transeat infaustum esse; tinnitus aurium quid significare; item infaustum esse portentum, si malum aliquod eveniat. Kal. Januariis; aut si quis annum & diem inchoet à parvo lucro; aut à magno satis, sed quod affertur ab homine malo, infausto, malè ominoso: Huc refer vanas illas cautelas, ne feretrum ante ædes nostras deponatur & vespillones ibi quiescant; ne mortuum cadaver capite primum ex domo luctus efferatur; ne cadaver mortui in conclavi aut domo solum relinquatur absque vigilibus aut custodibus. Quibus adde alias qualcunque vanitates in luctu super mortuis, & in curatione funeris. Vide *Scriptores de Funeribus, de Nuptiis &c. in politiâ nostrâ ecclesiasticâ notatos.* Huc refer agyrtarum, Cingarorum, muliercularum nonnulla antidota adversus morbos, & symptomata, inter quæ ex. gr. ut febricitans fasciam crurulem patibulo alliget, & assulam inde abscissam secum deferat; ut puerpera à partu recens, partem salis manui suæ impositi lingat, reliquum trans caput jaciat. Denique pleraque observationes circa tempora, numeros, constellationes, aëris constitutiones; quatenus illa rebus hominum prosperis & adversis applicantur, & ad se mutuo principia & principiata, aut antece-

tecedentia & consequentia necessaria, saltem ὡς ἐπὶ τὸ πολύ coordinantur. Reductivè etiam aut analogicè ad *casuales* observationes pertinent, putatitia & vanè concepta miracula naturæ, prodigia, ostenta, præsagia &c. item spectra, maleficia &c. inde concitati affectus metus, admirationis, doloris, gaudii, desiderii &c. De quibus *disp. nostræ de Spectris, Energumenis, Miraculis, Prophetia, Signis Temporum.* IV. Ratione effectus putatitii, dividuntur in operantes, & in significantes. *Operantes* dividi possunt, in avertentes mala, & in procurantes bona. Priores dividuntur 1. *In* averruncas & antidotas mali præsentis; quales amuleta & superstitiosa quæque alexicaca. 2. *In* averruncas & prophylacticas mali futuri seu metuendi. Celebre genus averruncorum apud Gentiles constituebant lustrationes, expurgationes & catharmata. De quibus *antiquit. Græcar. & Romanarum scriptores. Significantes* sunt vel publicæ seu in cultu publico adhibitæ; vel communes. *Illæ* sunt omnia pseudo-sacra, sacramentalia, ceremoniæ. De quibus in *disp. de Sacramentalibus, & de Ceremoniis. Istæ* sunt ominosæ, seu quæ mali aut boni quid portendere dicuntur: quales illę apud *Clementem Alexandrinum Stromat. lib. 7. p. 512.* & *Theodoretum de Curat. gr. aff. serm. 6. de providentia p. 88.* De loro dextræ crepidæ fracto, de suæ multos fœtus enixâ easque commedente, de mure saccum panarium aut calathia aut lecythum corrodente, aut aram ex luto constructam perfodiente, de gallo vesperi canente, de pistillo à serpente in gyrum circumdato, de metu ex suspensis inscriptionibus, de metu lanæ flavæ, salis, sulphuris &c. Adducunt ibi ex Gentilibus, qui tales superstitiones riserunt, *Antiphontem* scil. *Epicharmum Pythagoreum, Bionem, Diogenem Cynicum, Philemonem in comœdia,* & *Menandrum in comœdia,* cui *tit.* δεισιδαίμων. Ipsa verba autorum, & *Theophrasti in character.* velim legi ab illis, quibus vacat. Breviter huc referantur omnia vana aut vanè explicata atque applicata ostenta & prodigia, ut & infinita divinationum farrago: qualia notamus cum *autoribus ibid. cit.* in *disp. de naturæ Miraculis, Signis temporum, Prophetia &c.* V. Secundum scientias, artes, & status in vocationes hominum dividuntur, in physicas, medicas, astrologicas, nauticas, rusticas, milites, Mercuriales seu mercatorias &c. Vide alias omnes hominum professiones tum bonas tum malas in *Thomæ Gersoni tract.* Ital. cui *tit. Piazza universale* &c. Physicorum & Medicorum invenies passim apud *Plinium, Alexandr. Tertullianum, Albertum M., Arnaldum de villa nova, Nierenbergium, Serenum Sammonicum, Paracelsum* cum suis, *ejusdemque Antagonistas Erastum & Sennertum*; adhæc *Alexium Pedemontanum, VVeckerum de secretis &c.* Conferendi collectores errorum popularium, quos infra in *disp. de Erroribus* indicamus. Agricolarum, vinitorum &c. datâ occasi-

occasione referunt scriptores rei rusticæ, *Columella, Varro, Palladius:* & hic imprimis *lib.1.cap.30.& cap.5.* ubi de horti & agri remediis. Et ex recentioribus *Ianus Cornarius de re vinitoria lib.2.cap.* 15. ubi enumerat superstitiones averruncas tempestatũ Gentilibus olim usitatas, ut robigalia, floralia, vinalia, & collegium fratrum arvalium (de quo *Gellius l.5.c.7.*): & sub Papatu ambarvalia, aliaque tempestatum causa instituta. Adducit *ibid.* ex *Gaudentio Merula lib.4.rerum memorabil. cap.* 50. fuisse opinionem, fieri non posse, ut in vappam vina pervertantur, si vas hâc inscriptione munitum fuerit: *Gustate & videte, quod bonus est dominus.* Efficacius tamen id fore, si pomum his verbis inscriptum in vinum demittatur. Idem *Cornarius lib.2.cap.* 3. agit de idolis agriculturę causa cultis & superstitionibus exercitis apud Ethnicos; & apud antiquos Germanos, sub Gentilismo, eosdemque sub Papatu. Ubi *p.* 352. exhibet formulam consecrationis vini, die Johannis Euangelistę fieri solitæ: in quâ vino virus seu venenum adscribitur; quod redolet antiquum Manichaismum. Conferantur Ethnica apud *Palladium modo cit.* & *Plinium lib.* 28.*cap.* 2. cum Papalibus apud *Miraldum centur.2. memorabil. aphorismo.* 100. Et *Ioh.Boemum Aubanum lib.3.de moribus cap.*15.*de cultu Vrbani* (de quo & *Hospinianus de Festis*); imprimis cum *libris Exorcismorum & benedictionum.* Huic adde *Hospinianum de Festis*;) ubi passim superstitiones Gentiles & hodiernæ populares perstringuntur. Reliquos scriptores de venatione, piscatione, mercaturâ, re militari &c. nimis prolixum esset hic recensere. Conferat cui vacat, *Bibliothecam nostram* ubi aliquos notatos inveniet. Hic τὸ παρόδῳ, mecum notet lector, quomodo Pontificii amuleta & periapta in genere, uti præ se ferunt, rejecta, in specie tamen sua & suorum defendant, aut saltem excusent. Vide *lib.6.disquis. Magic. Delrio*, Et *Manuale Exorcism. Maximil. Eynatten*, & *Mengum in flagello & fuste dæmonum*, *similesque autores* in *Desper. causa Papatus*, & *dispp. de Magia*, *de Exorcismo*, *de Energumenis*, *de Spectris cit.* Et infra citandos *Ioh. VVoringum* Medicum Lovanienſem, *Thomam* 22. *qu.* 97. *Dionysium Carthusianum in tract. de superstitionibus.*

v. Ratione objecti proximi, seu potius materiæ & subjecti, in quo versantur vanę observationes, perfecta eorum divisio, quæ totum exhauriat, triplici ratione instituí potest; *aut metaphysicè*, ut secundum entis species, modos, & affectiones, concipiamus, omnia observantiarum genera: *aut physicè*; ut per totum universum & per omnes partes physicę animum circumducamus, & cuique vanæ observantiæ τὸ ὑπερφυὲς aut ὑπερέμετρον adscribamus: *aut logicè*; ut scil. juxta ordinem prædicamentorum infinitas vanitates ad certa genera & classes revocemus. Postremam ratio- v. 11.

nem quippe magis obviam & omnibus notam hic sequemur & specimi-
nis ergo ex multis aliquas annotabimus. Ad prædicamentum *substantiæ*
refer, 1. *Quæ* circa cœlum & elementa vanè observata; ut terram oscu-
lari in signum humilitatis; ad solem orientem inter orandum se conver-
tere; aquis tum in communi vitâ, tum in cultu publico se abluere, aut
conspergere &c. adde miracula, & prodigia ignis apud *Plinium lib.*36.37.
2. *Quæ* circa imperfectè mixta; ut fulmina (apud *Plinium lib.*15.*c.*15. &
17.17.) ignes fatuos seu lambentes, dracones volantes &c.: quæ à Me-
teorologicis annotantur. 3. *Quæ* circa fossilia: ut de quorundam lapi-
dum virtute & vano usu, apud *Marbodeum* & *Albertum M.*, *Plinium*
&c. 4. *Quæ circa* plantas, eorumque sationem, plantationem, insitionem
&c. Vide exempla apud *Plinium loc. cit.* 5. *Quæ* circa bruta; apud eun-
dem *Albertum*, *Alexium*, *Mizaldum*, *alioſque supra cit.* Vide *Plinii* fa-
bulam de jecore caprino *lib.*8.50. & fabulam de jecore Chamæleontis in
summis tegulis exusto, quod imbres & tonitrua dicitur excitare, apud
Reuchlinum lib. 2. *de verbo mirifico cap.* 1. De superstitiosis abstinentiis à
carnibus animalum supra diximus. 6. *Quæ* circa hominem; de animæ
humanæ, deque temperamenti peculiari præstantia, ad supernaturales ef-
fectus, etiam miracula, & vaticinia dictum est *Disp. de Creatione*, *Dæmo-
nibus*, *Magia*, *Spectris*, *Energumenis*, *Exorcismo*: quæ singula inde, aliisque
ex autoribus colligi, & hic notari possunt. Huc pertinent observationes
circa figuram ac formam, partes corporis, motus, evacuationes & excre-
menta, status, immo & morbos humanos. Exempla singulorum sint ista:
ominosum esse si quis mane primum omnium conspiciat hominem for-
mosum aut deformem. Manus, & manuum digitos tantum differre, ut a-
lia aliis infelicius aut felicius extendantur aut admoveantur: caput esse
sacrum: Ominosum esse si quis rigorem corporis patiatur; si saliat ocu-
lus dexter (ut est apud *Theocritum*) aut sinister; si sternutet, de quo in-
fra pluribus in *appendice*: Adhæc si quis respexerit aut non respexerit (de
quo apud *Plautum*, *Virgilium* &c.): De jejuni hominis salivæ efficacia,
multa fabulatur *Plinius lib.*28.*c.*4. Confer & *Propertii lib.* 4. *eleg.* 7. ubi
arcanas salivas vocat, quarum in veneficiis usus. De iisdem *Theocritus I-
dyll.* 2. *Virgil. in Cyri.* Vide de iis *Turnebum lib.* 8 *adversar. cap.* 2. Adde
Persium satyr. 2. *lustralibus ante salivis Expiat &c.* & ibi *commentar. Ca-
sauboni*: Et *Plessæi meditationes* Gallicas *part.* 1. ubi *cap. de Baptismo* sa-
crificulorum sputum, quo infantes in Papatu sordidantur, cum Ethnici-
smo comparat. In popularis mulierculorum quarundam error in usu je-
juni sputi contra quosdam corporis affectus nondum planè exolevit. Illa
vana observantia exolevit: Virgines & si quæ ab illis fiunt, tum in religi-
one,

one, tum in communi vita ad arduos nonnullos effectus majorem habere efficaciam: hinc olim apud Gentiles virgines oblatæ, sanguis virgineus adhibitus (de quo *Delrio lib. 3. disquis. Magic. part. 2.*); aut alia per virgines in sacris oblata & peracta: idem fere fatuis, & pueris in Papatu tribui, ostendimus in *Disp. de Simplicitate:* apud Saracenos tanquam homines divinos venerantur maniacos & epilepticos. Huc refer illius medici abstinentiam à Venere, qui unguentum armarium paraturus & applicaturus est. De quo *Crollius in Chymica Basilica.* Vide an hujus vanæ observationis vestigia non videantur supersse in otiosè præscripto usu, chartæ virgineæ, ceræ virgineæ. Nunc addimus membris humanis apud Gentiles τὸ sacrum & religionem tributam: de quo *Alexander l. 2 genial. dier. cap. 19.* Sic ut frons, genio consecrata, brachia Junoni, pectus Neptuno, cingulum Marti, pedes Mercurio, digiti Minervæ. Distinctius hæc explicat *Hadr. Iunius lib. 4. animadvers. c. 12.* Quomodo caput tanquam sacrum habitum & cultum fuerit, ostendit *ibid.* Hinc epithetum Homeri, θεὴν κεφαλὴ, & Synesii phrasis Ethnica, ἱερὰν θείαν κεφαλήν. Vide & *Atheneum lib. 2. diphnosoph. cap. 25. Platonem in Timæo, Aristotel. probl. 33. Ciceronem Orat. post reditum*, denique *L. 44. D. de relig.* Circa oculi dextri motum, præsagium quærebatur. *Suidas in voce Posseidonius*, refert ab illo librum scriptum *tit.* πυλμικον διώνισμα. Pollicem premebant boni ominis ergo, si quis laudaretur (apud *Alexandr. ab Alexandr. lib. 4. c. 26.* ubi fabulas refert de miraculis digitalibus. Quinimmo & in excrementis humanis, ut in sputo, capillis, τῇ πόδῃ &c. mysticum & religiosum quid quæsitum. De salivâ supra indicavimus autores, inter eos *Persium satyr. 5.* cum *Casauboni commentar.* De spuitione & desputatione infra *in problematis.* De sternutamento, *infra in appendice.* De crepitu ventris seu peditu affirmant, *Clemens lib. 5. recognit.* & *Minutius in Octavio*, eum ab Ægyptiis pro Deo habitum. De capillis & unguibus adversus tempestatem præcidendis *Ioh. Durantius Caselius lib. 2. variar. c. 9.* De crinibus Deo sacris & pastis, *Turnebus lib. 7. adversar. c. 14.* De hominibus, qui Diis sacri, occidendis, *Macrob. lib. 3. cap. 7.* De carnificibus antiquitati ominosis & nefastis, apud *Hier. Magium lib. 4. miscellan. c. 16.* Confer ex Theologis nostris *Martyrem* plenius de his agentem *classe 4. locor. cap. 14.* Circa spiritus aërios, aquaticos, terrestres &c. (quos ita vocant) superstitiones innumeræ, apud scriptores antiquitatis quærendæ (præsertim *Ger. Ioh. Vossium de Idololatria*) ubi de Dæmonibus, Geniis, Faunis, Sylvanis, Pane, Lemuribus, Penatibus, Najadibus, Nereidibus, Lamiis, Diis vialibus, præstitibus, &c. Conferat, qui vult, *Dispp. nostras de Angelis tutelaribus, de Dæmonibus, de Spectris, de Gentilismo.* Nuper editæ sunt

antiquitates Sueo-Gothicæ, ubi *cap.*3. describit Gentis illius antiquas superstitiones, & in singulis elementis cultum etiam in lucis, arboribus, collibus, quæ ipsis sacra; quarum superstitionum vestigia aliqua apud quosdam plebeios etiam hodie supersint. Superstitiones circa ignem, qui Gentibus quibusdam sacer, vide apud *Schedium Syngramm.*2.*de Diis Germanorum &c.cap.*28. De purgationibus per ignem, aquam, aërem, terram, *Ioh. Durantius Caselius lib.* 2. *variar. cap.*1.& 2. Deos superos sacrificiis aut precibus culturi aqua se abluebant, inferos culturi eadem seaspergebant, uti ex *Virgilio* probat *Macrobius lib.*3.*c.*1. *Philostorgius in historia Ecclesiastica* (referente *Photio in ejusdem epitome lib.*3.*§.*10.) mirrat aquas fluminis Hyphasis (qui Phison *Genes.* 2.) ex paradiso fluentis statim curare æstuantem febrem, si quis in eas immergatur. *Iacob. Gothofredus in dissertat. ad loc. cit.* pejorem adhuc superstitionem hodiè apud Indos vigere: qui aquis Gangis (quem ex paradiso oriri credunt) se abluunt, & mortuos usque ad genua in eaidem demergunt in remissionem peccatorum. Vide *Hier. Magium lib.* 4. *miscell.c.*10. aquas lustrales Gentilium, Judæorum, Turcarum & Papistarum conferentem. *Superstitiones* circa animalia, erant; quod Diis suis ea sacra facerent ex. gr. aquilam Jovi, pisces Dianæ &c. Quod animalia sacra in finibus suis non paterentur, *Macrob.lib.*3.*cap.*7. Quod nonnulla mactare nefas ducerent: quo nomine imprimis celebrantur Pythagoræi Brachmanes (hodie Bramines), Ægyptii, de quibus *Iuvenalis satyr.* 5. & *commentat. ad Genes.*46. Illis adde Græcos & Orientales, qui superstitiosè à delphinis abstinebant: unde *Oppianus in Halieuticis vers.*416. capturam eorum dicit esse ἀπόρρητον abominandam. Franciscus Assisius agnos in macello mactandos pretio redimere solet, & pediculos à corpore suo decidentes, in pascua reponebat. De posteriori stolidâ superstitione, vide judicium *Melch. Cani lib.*11. *de loc. theol. cap.*6.*p.*651. Huc refer superstitiones circa aves: quod stellis litari deberent, *Macrob. lib.* 3.*c.*8. Quod aliæ essent faustæ, aliæ infaustæ; & quod hæ aliquando boni ominis causa suffixæ fuerint: ut observatum in *Thesauro critico Gruteri tom.*1.*p.*435. Quod Romæ pulli pasti ad auguria &c. Sed de avium volatus, garritus &c. observatione vide *Peucerum de divinationibus. Superstitiones* circa plantas sunt, quod arbores quasdam putarent felices, quasdam infelices; illas scil. quæ inferûm Deorum avertentium que in tutela sunt, ut ficum atram, quæque baccam nigram, nigrosque fructus ferunt, itemque acrifolium, pirum sylvaticum, prunum rubum, senteseque, *quibus portenta prodigiaque mala comburi jubere oportet.* Sic *Macrobius lib.*3. *Saturnal.c.* 20. Fuisse etiam religiosè velatas & coronatas arbores Diis sacras, testis *Arnobius lib.* 5. *adv. gentes.* Huc refer

refer denominationes plantarum à sanctis, de quibus *Iohannes Bauhinus tract. Peculiari.* Confer infra *disput. de Idololatr. indirectâ.* De arboribus sacris templa adumbrantibus, ex quibus anathemata suspensa, vide *comment. ad Tertull. Apolog. c. 9.* De ramis arborum, & festis frondibus, speciatim de lauru ad januas, ad templa, ad simulacra, ad signa in bello, in sacris publicis & privatis, in nuptiis &c. Vide *commentator. ad Virgilium Æneid. 4.* Velleribus niveis & festâ fronde revinctum & *lib. 2.* Ille dies, festa velamus fronde per urbem, & ad *Tertulliani Apologet. cap. 35.* & ad *cap. 15. de Idololatria.* Si quis compendio plurima testimonia ex autoribus collecta videre desideret, is adeat *Martinum Roa lib. 2. singular. c. 11:* Quomodo Christiani has vacuas observationes adoptârint, sed transformatas indicat *Baronius alibi* nobis *citatus.* De tabernaculis & umbraculis juxta morem Gentilium ad sacra & festiva convivia in templis celebranda construendis *Roa ibid. cap. præced.* ex *Gregor. M. epist. 71. lib. 9:* Ad substantias reducimus quædam arte facta, *limini & postibus* religiosum quid tribuebant. *Turnebus lib. 12. adversar. c. 5.* Circa *lucernas* multæ superstitiones; de quibus *Mart. à Roa lib. 2.* singularium *capp. 14. 15. 16. 19. 20.* Ubi ex Chrysostomo taxat cacozeliam veterum Christianorum, & ex eo *Corn. à Lapide in Proverb. 2. 27.* His affinis erat usus *cereorum* apud antiquos in lectione Euangelii, baptismo (de quo *Vossius lib. 4. de Idololatr. c. 92.* & in *tract de Baptismo*); cui mysticum quid tribuebant. *Superstitiones* hodierni Papatus, circa cereos, aliaque luminaria, explicat & defendere conatur *Ioh. Steph. Durantus lib. 1. De ritibus c. 8.* Specialiter lampades sepulcrales Gentilium explicat, earumque usum sed Christianizatum defendit *Spondanus lib. 1. de cœmiteriis sacris part. 3. cap. 20.* Huic superstitioni directè adversatur *Concil. Eliberin. can. 34.* ad quem *Albaspineus Episcop. Aurelianensis in Notis* suis obstupere debuit. *Panis* sacer erat: cujus superstitionis vestigia apud plebejos alicubi superesse videntur, cum panem appellant sacrum, & ominosum putant, si frustulum ejus in terram cadat, illudque quasi osculo venerantes tollunt. De oleo & unctionibus apud Gentiles. Vide *Rosinum & Demsterum lib. 5. antiquit. Romanar. cap. 30.* De *annulis* more Gentilium imaginibus Deorum non insigniendis monet *Clemens Alexandrinus lib. 3. pædag. cap. 11.* Idem *lib. 1. Stromat. p.* 245. meminit annulorum fatidicorum sonitu prædicentium Execesti Phocensium tyranni, De dæmone Pythonico aut familiari annulis incluso multa passim referuntur. Exemplum illustre est in *Adr. Regenvolscii historia Ecclesiar. Slavonicar lib. 1. cap. 13. pag. 95.* Et in Italia ejusmodi annulos præstigiosos esse satis notos & usitatos, disci potest ex *Cardano lib. 13. De varietate rerum cap. 63.* ubi ejus constructio-

nem describit: Quamvis mira quædam annuli fatidici effecta in artes & nuda figmenta hominum reduci posse opinetur *lib. 16. cap. 93.* Sed hæc ad divinatoria & Magica pertinent. Non sunt prætereundi annuli à regibus Angliæ die parasceves paschalis superstitiosè consecrari soliti; de quo *Polyd. Virgil. 8. histor. Anglic.*; & ex eo *Hospinianus de Festis Christianorum mensis Aprilis fol. 61. 6.* Vulgò in Papatu tales annuli, non rarò ex collecta stipe fabricantur, & gestantur, tanquam amuleta contra morbum caducum. Memini quosdam à plebeis vocari annulos S. Bernardi. Affinia sunt, curatio scrophularum per eosdem teges, & dictæ miraculosæ prærogativæ regum Galliæ, circa similem curationem, nec non oleum & ampullam Rhemensem, &c. Vide *disp. nostram de Miraculis. De Coronarum* superstitione *Paschalius tract. de Coronis*: & *commentat. ad Tertull. librum de Coronâ militis*, & *Apologet. cap. 42.* & in *Cyprianum de lapsis*, & *Minutii Octavium.* De *clypeis* in prosperitatis signum genu illisis, *Ammianus lib. 15. histor. Naves* Diis tutelaribus sacræ, eorumque imagine insignitæ. *Actor.* 28. v. 11. & ibi *comment.* Confer egregium *tract.* nuperrime editum *de militiâ navali veterum à Ioanne Scheffero lib. 3. cap. 1.* & *in addendis pag.* 334. 336. Affinis est superstitio Papatus; ubi naves benedicuntur, & nomine sanctorum insigniuntur, & quasi baptizantur. De templis, cœmiteriis, utensilibus templorum, campanis, &c. ex professo egimus in *disp. de Templis.* Circa mortuos multa vanè observari indicavimus *Disp. de Prodigiis*; & innumera istius generis collegit *Kornmannus in tract. de Miraculis mortuorum.* Unum tantum hic addam nostratibus quibusdam idiotis non inusitatum. Mortualis scil. seu funeralis lintei (cui cadaver involvitur) residuum, aut abscissam partem esse remedium adversus procidentiam ani. De umbris mortuorum, deque animabus separatis, quid vanè observari soleat, dictum est in *Disp. de Spectris.* Accedimus nunc ad prædicamentum *Quantitatis*: ubi imprimis dominantur vanitates 1. *Circa* numeros: ubi antiquæ observationes Pythagoricæ (apud *Laertium in ejus Vita*) Platonicæ *in libris de Republ.* Cabalisticæ Gematrię, apud *Cabalisticos antiquos & recentiores*: compendium istorum Mysteriorum, vide in *Reuchlini Cabalâ*, & *Cabalisticis autoribus* editis a *Pistorio*: gustum eorum cape ex *Buxdorfii abbreviaturis* & passim ex *Synagogâ Iudaicâ.* Vanitates illas defendit *Gaffarellus peculiari tractatu.* Vide infra *appendicem* 2. Huc refer observationes de efficaciâ numeri ternarii, septenarii, binarii &c. de quâ aliquid monuimus *Disp. de Festis Petrus Bongus* explicuit *numerorum mysteria, peculiari tractatu.* Nos cum Metaphysicis & Theologis numero (scil. numeranti) nullam operandi efficaciam tribuimus. Vide *Pererium Phys. disp. lib. 4. c. 18.* & *Bodinum in Methodo Historiar. c. 6. p. 202. ed. in* 8. Et in *Politicâ*

ticâ cap. ubi de numeris Platonicis. Vide de numero plura *part.* 2. *hujus disp.* 2. *Circa* ſpecies quantitatis continuæ, ut circulum, trigonum, pentagonum, aut pentaculum (ut ſcriptores Magici appellant): nam ex figurarum iſtarum præſtantiâ ſeu perfectione Mathematicè & abſtractè conſiderata, colligunt aliquam perfectionem efficaciæ ſeu operationis naturalis, aut ſupernaturalis: de quo in *Diſp. de Magiâ, & Deſper. Cauſ. Pap. lib.* 1. *ſect.* 4. 3. *Circa* tempus, aut ejus ſpecies: hinc dierum, horarum, menſium, annorum diſcretio, ad hoc vel illud operandum: de quibus obſervantiis infra in *part.* 2. *in problem.* 4. *Circa* orationem, ſeu verba ſcripta aut pronuntiata: quæ obſervantiæ quamplurimæ ſunt, tum in religione tum extra eam. *Delrio* aliquas notavit *lib.* 3. *part.* 2. & nos alias, quas ibi & *lib.* 6. omittit, aut defendit, in *Deſperat. Cauſ. Papat. loc. cit.* & in *diſputat. de Peſte, de Exorciſmo, de Magiâ* & infra *part.* 2. Accedimus nunc ad prædicamentum *Qualitatis*; ubi 1. in ſecundâ ſpecie, vanæ ſunt qualitates occultæ, quæ finguntur ad palliandam opliatriam, aliaſque ſuperſtitiones. 2. In quartâ ſpecie, vanitates circa collatas figuras & colores corporum cœleſtium ac ſublunarium? & inde fabricatas, harmonias, immo & ſubordinationes ac dependentias particulares in facultatibus & operationibus: quæ ſubſternantur tanquam fundamenta vanarum operationum Magiæ naturalis. Confer *diſpp. de Creatione.* Huc referri poſſent imagunculæ, quæ obſervantur in oſſiculis capitis aſelli minoris. In prædicamento *Relationis*, nihil peculiare eſt notandum niſi. 1. In relatione ordinis ſuperiorum & inferiorum, obſervationes partim ex ſuperſtitione ſuperiorum temporum, partim ex aulicâ aſſentatione concepta circa Reges & principes, quaſi ſedes mutaret virum (quod de Papis ſuis velint Pontificii), & facultates privilegio quodam ipſis concederentur mira ſi non miracula operandi, divinandi &c. Cujus illuſtre exemplum indicavimus in *Diſp. de Miraculis*; curationem ſcil. ſtrumatum cum oleo Rhemenſi, Liliis, atque hinc ſacratam eorum præcellentiam præ omnibus aliis. Autores iſtius obſervationis *ibid.* citavi, cum Antagoniſtis in eodem Papatu, qui miraculorum & vaticinorum iſtorum vanitatem apertè explodunt? Oblitus fui illic indicare, *Paulum Æmilium* (quantum rerum Gallicarum ſcriptorem!) omnia iſta miracula ab hodiernis Monarchiæ Gallicæ contra Hiſpanos defenſoribus tantopere oſtentata in ſua *hiſtoria* præterire. Nunc addo omnium ſuperſtitioſiſſimum (quamvis cætera virum diffuſæ eruditionis,) ſe oſtendere Gregor. Tholoſanum de Præludiis optimi Juriſc. lib. c. 11. qui ea amplificat ſuo oculati teſtimonio & una atque altera nova obſervatione, ex quibus unam hanc (alias enim charta non fert) enoto: *Lilium è cœlo ſimul conceſſum: cum antea Reges Galliæ bufones pro inſignibus haberent.*

berent. Vtrumque in naturâ sigillo abdito reconditum, nunc forsan à me primò scripto propalatum. Siquidem quod non semel admiratus, in capite galli gallinacei in cerebro integrè sine fracturâ exossato (quod fit facile in multum elixato) comperies, facie unâ bufonem, quo in dorsum verso, altera facie exprimitur miro artificio lilium. Vnde mihi symbolum certissimum, Monarchiam ultimam in Regem Galliarum devolvi debere: ut pote qui à Deo tantis decoretur cœlestibus donis, ut quem ad modum à Gallis cœpit post inundationem disseminari genus humanum ita in eos ultimum imperium redeat. Fuerunt enim Galli dicti, hi qui in arcâ Noachi salvi, evaserunt, id est, inundati. Hoc enim Galli nomen Hebraicè denotare creditur, indeque dictum genus navigii quod Galleras vocant, ut scribit Annius Viterbiensis, & expresse Xenophon. Iuvatque nostram hanc opinionem, naturæ affinitas, & veluti mores Galli Gallinacei, cum moribus pares fermè Gallorum &c. Has, aliasque hypercabalisticas cabalas suas concludit: *Nemo tamen antehac* (cabalam de lege Salicâ) *quod sciam, animadvertit. Verum Deo laus, qui novit & illuminat abscondita tenebrarum.* Hanc speculationem Tholosani anno 1640. hic insertam, oblitus sum ad *secundam partem selectarum disp.* anno 1654. editam *tit. de Miraculis* (quò propriè pertinet) referre, aut saltem ejus *ibidem* meminisse. 2. *In relationibus similitudinis rerum, vocum* &c. In quibus nonnulli nescio quid veritatis arcanæ venantur de rerum istarum subordinatione, coordinatione, aut qualicunque necessariâ dependentiâ: cui vanæ speculationi vanas suas operationes superstruunt. Vide compendio hanc philosophiam apud *Crollium de signaturis.* De quibus Hermeticis mysteriis, aliquid monuimus in *disp. de Creatione.* 3. In relationibus signi & signati. Vanitates huc pertinentes sunt vel circa signa quæ putantur esse divina aut angelica, aut naturalia. Exempla pene innumera in classes non digerimus; sed ex *disp. de Prodigiis & Prophetiâ*, atque *autoribus* ibi *cit.* vel unico *Peuceri libri de divinationibus* petenda relinquimus; quibus addantur, si quæ præter ea quotidie observari contigerit. Hic meminerint studiosi, observantias circa quatuor postrema prædicamenta, ad relationem pleraque, & reliqua ad quantitatem referri posse. Ad prædic. *Actionis & Passionis* plurimæ notandæ essent, nisi eas alio respectu aliis prædicamentis adscribere malimus. Dividuntur in genere in actiones & passiones imitatrices, & non imitatrices. *Illæ* sunt ex. gr. Funibus vinci seu cingi, cruce quamvis levi onerari, virgis cædi & seipsum cædere, infantem in cunis agitare. Multa vana, inepta, ridicula in celebratione Missarium Sacramentorum, Festorum &c. agere, ad Christi imitationem & recordationem ad nostri exercitium & perfectionem, ad divinæ justitiæ satisfactionem. Autores istorum rituum interpretes & Rationarios indicamus in *disp. de Ritibus seu Ceremoniis eccle-*

ecclesiasticis. *Istæ* sunt, tonderi in luctu, carnem incidere, (de quibus *Firmicus de errore profan. religion. p.* 5. *Plutarch.* περὶ δεισιδαιμονίας, *Comment. ad Levitic.* 19.27.28.& 21.5. *Deuter.* 14.1.) comburere cadavera, & cineres in urnam colligere; aliique ritus funerum apud antiquos Gentiles, Judæos, Christianos non pauci: quos collige ex *Kirchmanno de Funeribus, Gutherio de Iure Manium, Gretsero de Funere Christiano,& Antiquitatum scriptoribus*, quales *Romanar. Rosinus & Demsterus* &c. & ex *Buxdorf. Synagoga*: ex quibus aliæ innumeræ notari possunt circa conjugia, convivia, puerperia, bella, fœdera, Regum & Magistratuum inaugurationes, dierum distinctiones, festorum & natalium celebrationes, triumphos, itinera, navigationes, operas rusticas &c. Recentiores colligantur ex *Ioh. Aub. Teutonico de Moribus Gentium, Polydoro de Inventoribus rerum, Lazicio de religione & moribus Tartarorum, Russorum &c.* & *particularibus Gentis cujusque historiis ac topographiis*, denique *Itinerariis*.

v. Et aliter dividi possunt, ratione subjectorum seu observatorum. Et sic aliæ sunt aut *vulgares* seu *populares*, hominum scil. privatorum, sive plerorumque sive multorum, sive aliquorum: aut *publicæ*, seu *sectariæ*, quæ publicâ autoritate introductæ, aut saltem approbatæ, aut absque contradictione permissæ. *Illas* ad errores populares infra describendos rejicimus. *Istæ*, sunt Gentilium, Judæorum, Muhammedistarum, & Christianorum scil. antiquitatis, aut mediæ ætatis, aut novitatis Papalis. Utrarumque specimina mox notabimus. Utræque rursum aliæ sunt vanitates 1. *Gentilium*, *antiquorum* de quibus autores modo citat. & ex patribus, qui contra Gentiles scripserunt, ut *Tertullianus*, *Clemens Alexandrinus*, *Arnobius*, *Lactantius*, *Minutius*, *Iul. Firmicus Maternus*, *Theodoretus* imprimis *de cur. gr. aff. lib.* 6. *in principio*, *Eusebius &c.*; quibus adde *tomos conciliorum*, *canones conciliorum*: ubi aliquæ Gentilium superstitiones prohibentur. *Scriptores profanos gr. & lat.* Poëtas scil. *historicos*, *mythologicos &c.* non recensebo, quia nimis hoc operosum. Ut ergo nomenclatori huic finem imponam, indico harum rerum curiosis *notas & commentaria ad scripta patrum* modo citatorum, & ad *tomos Conciliorum*, ad *canones Conciliorum* & recentiores philologos, qui collectanea ediderunt, quales *Rhodiginus*, *Erasmus cum additis scriptoribus adagiorum*, *Gyraldus de Dius*, *Schedius de Diis Germanorum*, *Stuckius de sacrificiis*, *Rosini & Demsteri antiquitates Romanæ*, *Gruteri thesaurus criticus*, imprimis *Gerhardus Ioh. Vossius de Idololatriâ*. Præstantiores denique *commentatores ad Horatium*, *Iuvenalem*, *Persium*, *Virgilium*, *Homerum*, *Theocritum*, *aliosque scriptores* in hâc disputatione adductos. Unde systema superstitionum confici posset: si modo addantur, quæ ex scriptis Arabum, nuper erui cœpta.

10

Vide indicium quod facimus in *disp. de Gentilismo*; & Confer *Coptum prodromum Athanasii Kirckheri. Gentilium recentiorum* superstitiones data occasione referunt *scriptores rerum Germanicarum, Septentrionalium, Indicarum, Chinæ, Novi orbis &c.* II. *Indæorum*, de quibus *Thalmudici*, ad quos indicem & manuductionem præstabit *Buxdorfii Synagoga.* Conferat si cui vacat, *Iosephum Voisin in theolog. Iudæorum* per totam; imprimis *p.* 81.-105. III. *Saracenorum:* quas suggeret *Alcoranus*, & *scriptores de religione & moribus Turcarum Lonicerus, Leunclavius, Georgiovits, Busbequius* &c. quibus adde *Leonis descriptionem Africæ, Relationes de Tartaris, de hodiernis Persis, deque Mahumedistis in India Orientali, imperio* scil. *Mogul, Moluccis* &c. Et *Ioh. Eusebium Nierenbergium in histor. naturali p.* 147. IV. Superstitiones Christianorum quæ intermediâ ætate viguerunt, aut etiamnum hodie vigent, mox sequente thesi attingemus.

II. VI. Postremo, si quis velit, dividat vanas observantias secundum ætates: ut sint antiquæ, mediæ, novæ, hodiernæ. 1. *Antiquæ* vel Gentilium, vel Judæorum, vel Christianorum. De prioribus nihil hic addendum iis, quæ modo diximus. Postremæ indicantur subinde à patribus: ut *Tertulliano de Oratione* p. 12. & 13. & *de Idololatria c.* 14. *Chrysostomo homil.* 21. *ad populum Antiochen. Augustino de doctr. Christ. lib.* 2. *c.* 20. & 26. quas pleraque ex consuetudine aut κακοζηλία Gentilium Christianis tunc adhæsisse in dubium est, & satis innuit *Tertullianus loc. cit. & Augustin. serm.* 6. *de verbis domini.* Erant tamen aliquæ à Christianis ipsis excogitatæ, ut usus crucis contra diabolum, & verborum *Numer.* 10. *v.* 34. contra eundem: & adoratio ad Orientem *Athan. ad Antioch. qu.* 1415. 16. *Tert. de cor. mil.* (De hoc infra pluribus, in *disp. de Idololatr. indirecta*). Hic adde superstitiones antiquorum hæreticorum in Christianismo: quas notant *Augustinus* aliiq; *antiqui scriptores de hæresibus.* Adde *applicationem Euangelii ad sananda mala corporis*, quod refert nec tamen probat *Augustinus tract.* 7. *in Iohannem p.* 66. b. *Baronius ad ann.* 232. & 465. & 604. & 886. Et post eum Jesuita Bonartius in commentar. ad librum Esther cap. 8. v. 8. superstitionem hanc augent, & defendunt dicendo, *ab ipsis Apostolorum & nostræ religionis parentum temporibus usitatum fuisse pro amuleto euangelium ad collum suspendere.* Et paulò ante: *priscis temporibus euangelium velut Palladium quoddam, & Apotropæum in mediis flammis adversus novam habeatur.* Miracula aliquot ibidem narrat ex *Surio in vita Bonifacii Frisonum Apostoli*, & in *vita Marciani ad* 10. *Ianuar.*, & ex *Zonara tom.* 3. *annal.* Et *Baronio ad ann.* 886. An non hic prolepsia intercurrit & ἀμετρία τῆς ἀνθολκῆς? Similiter excusat θυμαλγρίαν per initium euangelii Johannis Joh. Walterius Viringus Archiater Lovanienſis, in præfat. Molani diario Medicorum

rum præfixâ pag. 17. *Explodendi verò & neutiquam tolerandi Valescus, Gordonius, Arnoldus Villanovanus, eorumque sequaces, quos cum videas Christianam professionem alibi miro supercilio ostentare; non pudeat sua scripta tam abominabilibus nugis conspurcare. Moderanda tamen hæc fuerit sententia, si auctorem habeat ab hypocrisi & vanitate prorsus alienum. Nam ut ex multis paucos proferam, magnus ille Hiberiæ tutelaris Iacobus, majoris cognomento notissimus, sudario transmisso Hermogenem sortilegum à fascinatione, qua detinebatur, solvit & liberavit, Gaspar Barzius, Goesæ Zelandorum ortus, è societate Iesu, insignis in Indiâ vineæ Domini colendæ artifex, Euangelio D. Iohannis in schedula scripto & pectori appositio, & pestem & febres percuravit, quæ remedia non sunt temerè usurpanda.* Addo nunc pauculis illis anno 1640. in primâ hujus disp. edit. notatis alias nonnullas in antiqua ecclesia populares (quæ etiam quorundam clericorum fuisse videntur) superstitiones quas ex prohibitionibus Synodorum deprehendi. Quales e. gr. observatio sabbathi Judaici *Concil. Laodic. c.* 10. & *Photius in Nomocan. tit.* 7. *c.* 4. & *tit.* 12. *c.* 9. De eucharistia non sumenda à presbyteris conjugatis. *Concil. Gangr. c.* 4. communicatio in sacris cum Judæis & hæreticis. *Photius in Nomocanone tit.* 3. *c.* 15., ipsorum benedictionem aut sacrificium suscipiunt, &c. *Idem tit.* 12. *c.* 8. & 9. & *tit.* 13. *c.* 15. Eucharistia data corporibus defunctorum. *Ibid. c.* 17. Baptismus defunctorum. *Id. tit.* 4. *c.* 6. Dubitatio an mulier prægnans baptizanda sit. *Ibid. c.* 10. Oblationes factæ synagogis & templis Gentilium. *tit.* 6. *c.* 3. Castratio spontanea quorundam Clericorum *tit.* 9. *c.* 24. Confer hic *commentar. à Lapide in Matth.* 19. Exemerunt à superstitione eos qui ad curandam epilepsiam castrati sunt. Vide *Ivonis epist.* 23. *& ibi Iuretum.* Cultus angelorum; *Concil. Laodic. can.* 35. quales cultores angelitæ à *Photio tit.* 12. *c.* 9. vocantur. Divinationes & περίαπτα, id est, amuleta. *Id. tit.* 13. *c.* 20. Dissono æris crepitu & immanibus vociferationibus lunæ laboranti (hoc est eclypsin patienti) succurrere. *Maximus Taurinensis, homil. de defectu lunæ* (quæ falso *Ambrosio* 3. *part. operum sermone* 83. adscribitur); *Autor de rectitudine cathol. conversationis*, sub nomine *Augustini tom.* 9. Confer & *Burchardum lib.* 10. *decreta cap.* 33. *& lib.* 16. *de pœnitent. pag.* 269. *b.* edit. Parisiens. 1550. apud Foucherium, in 8. Quod autem *Burchardus loc. cit.* hanc numerat inter *traditiones paganorum* quas quasi hæreditario jure diabolo subministrante, usque in hos dies semper patres filiis reliquerunt; probatur ex *Livio lib.* 26. *&* 44. *Plutarcho in Æmilio Probo, Plinio lib.* 1. *cap.* 12. *Statio lib.* 6. *Thebaid.* Superstitio in accendendis lucernis, cum pueris nomina imponerentur. Hanc perstringit *Chrysostomus in* 1. *epist. ad Corinth. cap.* 4. *homil.* 22. & quomodo ea ex Gentilismo pro-

fluxerit, docet *Martinus Roah* ordinis Jesuitici *lib. 2. singular. cap. 2* Imprimis notandæ vanæ observantiæ aut superstitiones ipsis Doctorum aut Synodorum decretis stabilitæ: quales de prohibita bigamia, *Concil. Neo-Cæsar. c. 7.* ubi clericis interdicitur, ne nuptiis intersint. Quam malè senserint de secundis nuptiis, discès ex *Ambrosio de viduis part. 3.*, & *commentario* sub ipsius nomine *ad 1. Corinth. 7. Hieronymo de monogamiâ*, *Chrysostomo de virginit. cap. 37.* *Athenagora in apolog.* ubi vocat ἐυπρεπῆ μοιχείαν, id est, *speciosum adulterium.* *Basilius in epitom. sanctor. canon. can. 50.* ubi trigamiam, dicit esse παράνομον, & τῆ ἐκκλησίας ῥύπασμα. Tertullianus bigamiam passim traducit, tanquam *adulterium*, *dedecus voluptuosum*, *confusionem.* Adde *Burchardum lib. 2. cap. 233.* Clericis autem & ab antiquis, & à posterioribus conciliis prohibitam esse, notissimum est. Ut compendio agas, adi *Burchardi decreta*, & *corpus juris canonici.* Huic superstitioni affinis est, alia circa clericos: Ne ordinentur clerici aut episcopi, nisi virgines, aut qui unam tantum uxorem habeant, aut habuerint, eamque primam, neque viduam &c. *Photius in Nomoc. tit. 1. c. 23.* Ut septem tantum diaconi sint, etiamsi civitas magna sit. *Concil. Neo-Cæsar. can. 15.* *Concil. 6. can. 12. 16.* Ne mulier communicet in diebus purgationis suæ. *Photius in Nomoc. tit. 2. c. 18.* Nec baptizetur. *tit. 4. c. 16.* Unctiones & confessio chrismatis. *Ibid. c. 11. & 12. & tit. 12. c. 14.* De quadragesimæ aliisque statis jejuniis superstitioso modo & fine celebrandis. *tit. 7. c. 1. & tit. 13. c. 38.* De non geniculando diebus dominicis & Pentecostes, *Ibid. cap. 4. & 5.* De clericorum abstinentiâ ab uxoribus. *Ibid. c. 22.* Cœlibatus clericorum perverso zelo paulatim introductus. *Ibid. c. 29.* Die dominico non esse jejunandum. *tit. 13. c. 32.* Abstinentia à sanguine & morticinis. *tit. 9. c. 21. & tit. 13. c. 13.* De eadem vide *canones* dictos *apostol. can. 62.* *Minutium in Octavio*, *Tertullianum in apolog. c. 9.* *Clementem lib. 6. constitut. apostolic. c. 12.* *Origenem lib. 2. in epist. ad Roman. c. 2.* *Chrysost. in Actor. 15. & homil. 27. in Genes. cap. 9.* *Cyrillum Hierosolymit. cateches. 4.* *Concil. Aurelianense 2. c. 20.* *Vormatiense c. 64.* *Bedam de remediis peccator. c. 4.* *Burchardum lib. 19. decretor. cap. 5. & 85. & 88.* Confer hic *commentatores ad Genes. 9. & Actor. 15.* Liberatio reorum ante paschadie Veneris; Et in introitu episcoporum, nominatim Aurelianensis. De quo *Ivo epist. 53.* ubi observatu digna notantur à *Iureto.* Cum quo conferendus *Beza in passionem homil. 24.* Adde hic decreta de templorum consecratione, de altaribus, de sacris vasis, de vestibus, de modo administrandi sacramenta, de censuris &c. 2. *Intermediæ ætatis*, & *novæ*: quales indicantur aliquæ à *Thoma 22. q. 96. art. 1. & 4.* *Gersone part. 3. de directione cordis consider. 16. & part. 1. contra superstitiosam dierum observatio-*

vationem : *Iure Canonico & Canonistis c. non licet* , & *c. illud. 26. qu. 2. Navarro Manual. c. 11. n. 35. Delrio lib. 3. part. 2. Cajetano in summula, in voce superstitio, & Ioh. Teutonico, Polydoro, Virgilio, aliisque historicis.* Atque hæc cursim de superstitionibus mediæ ætatis anno 1640. in prima hujus disp. editione ita notâram : nunc adjicio sequentia. Mediæ & sequioris ætatis superstitiones partim populares partim clericales infinitæ sunt. Nos aliquas ex iis hic indicamus. Probatio per ferrum candens, & per aquam ferventem, aut frigidam & aquæ illius judicialis conjuratio: de qua *Ivo Carnutensis epistol.* 84. & nos infra in *disp. de Abusu Sortis.* Detectio occultorum per crucem, per corpus & sanguinem Christi. In *Capitulari Caroli Magni.* Ejusdem delirii accusantur à *Iureto observat. ad epist. Ivonis cit. pag.* 645. formulę in codicibus monasteriorum, quibus ad detegenda furta jubebatur oratio dominica scribi in pane & caseo, postea fieri cruces de tremulo, quarum una sub dextro, alia super caput suspecti viri poneretur &c. Collectio herbarum medicinalium, cum cantu orationis dominicæ & symboli, *Burchardus lib.* 19. *p.* 270. Observatio Calendar. Januarii, *Ibid.* Sed de hac infra in *disp. de Festis.* Adoratio ad fontes, lapides, arbores, ibique accensio faculæ aut candelæ pro loci veneratione. *Ibid. p.* 270. Requisitio sortium in codicibus, vel in tabulis, vel in psalteriis, vel in euangeliis. *Ibid. p.* 270. *b.* Observatio vigiliarum apud cadavera mortuorum, quæ ritu Paganorum custodiebantur &c. *Ibid. p.* 272. Quintam feriam in honorem Jovis honorare. *Ibid. p.* 272. Ejusdem diei adhuc in Silesia aliquam esse observationem, memini me legisse in *Weinrichii medici Præfat. ad dialogum Pici Mirandulæ de lamiis.* Comedere de idolothytis quæ fiunt ad sepulcra mortuorum, vel ad fontes, vel ad arbores. *Ibid. p.* 272. Portare lapides in aggerem, aut capitis ligaturas ad cruces, quæ in biviis ponuntur. *Ib. p.* 272. *b.* Erat comportatio & projectio quædam lapidum apud Gentiles in Arabia usitata, dictus *scopelismus* : de quo vide *Iureconsultos ad L. Sacularii D. de extraordin. crimin.* Et *Pinedam in Iobum cap.* 5. *vers.* 23. Effusio aquæ subtus feretrum mortui &c. pro quadam sanitate. *Ibid. b.* Mittere filium vel filiam super tectum & fornacem pro aliqua sanitate. *Ibid.* Complodere pectines supra funus, plaustrum in duo dividere, & funus per mediam divisionem plaustri asportare. *Ibid.* Homini occiso unguentum in manum dare, & cum eo sepelire; ut scil. illo unguento vulnus sanari posset. *Ibid.* Divinatio ex granis hordei missis in focum scopatum, adhuc calidum. *Ibid.* Pagano more aliquid facere in cervulo & in vegula. *Ibid.* Divinatio de exitu morbi, ex lapide ante domum, ubi decumbit, revoluto; si subtus eo quid sit quod vivat, lumbricus scil. aut formica, aut musca. *Ibid. p.* 273. Pueriles arcus, & puerorum

rorum ſuturalia projicere in cellarium, ſive in horreum, ut ſatyri aut piloſi cum eis ibi jocarentur, ut tibi aliorum bona comportarent, & inde ditior fieres. *Ibid.* Stolida hæc ſuperſtitio circa lemures ſeu virunculos illos, dictos Boutermannekens/quos crepundiis ejuſmodi, & tunicellis novis, quibus ſe induerent, delinire ſolent, paſſim obtinuit in Belgio noſtro, per lucem reformationis denuo profligata. Adde divinationes ſuperſtitioſas, ex cantu corniculæ ad dextram aut ſiniſtram; ex transvolatione avis, quæ vocatur muriceps *Ibid. p.* 276. *b.* Et quod ante galli cantum, non auderent domo exire, eo quòd immundi ſpiritus ante gallicinium plus poteſtatis habeant. *Ibid.* Quod ſint Parcæ, & quod quibuſdam anni temporibus menſa cum cibis & tribus cultellis præparanda ſit, ut dictæ Parcæ ſe reficiant. *Ibid. p.* 277. Superſtitioſa credulitas de fœminis, quas Sylvaticas vocant. *Ibid. p.* 276. *b.* Hæc ſuperſtitioſa credulitas de *albis fœminis*, quæ etiam myraphæ & *Feæ* dicebantur, miſerè tenuit homines in orbe Papali uſque ad tempus reformationis. Indicat, etiam nonnullas *Agobardus* epiſcopus Lugdunenſis *in libro de quorundam illuſione ſignorum. p.* 189. ubi refert & graviter reprehendit tanquam *ſtulte* factas oblationes donariorum in auro, argento, vel pecoribus contra percuſſiones quaſdam in modum epilepſiæ, & contra ſtigmata exuſtionis, illic facta. *Idem* librum ſcripſit *contra damnabilem opinionem putantium divini judicii veritatem igne, vel aquis, vel conflictu armorum patefieri.* Et alium *librum contra inſulſam vulgi opinionem* (quam dicit in illis regionibus pœnè omnium fuiſſe) de grandine & tonitru. Et *duos libellos ſupplices ad Imperatorem Ludovicum p.* 56-94. quibus conqueritur Chriſtianos quoſdam ſuperſtitionibus Judæorum implicari. Addimus nunc iſtas autoritate publica introductas aut probatas. Abſtinentia à cibis quibuſdam, animalibus ſcil. à lupo aut cane dilaceratis, & ab avibus, quas oppreſſit accipiter, aut quæ retibus ſtrangulantur, à piſcibus qui in flumine mortui ſunt, *Burchard. lib.* 19. *p.* 275. A medicamentis quibuſdam, e.gr. bibitione urinæ humanæ. *Ibid.* Plures obſervationes publicæ ex *capitularibus Caroli Magni, Ludovici, Caroli Calvi,* ex *antiquis collectionibus Decretalium,* ex *Conciliis* jam inde à ſæculo ſeptimo & deinceps celebratis (quorum canones habes *in ſummâ Concilior. Barthol. Caranzæ*), ex *Bochelli decretis Eccleſiæ Gallicanæ* colligi poſſent, ſiquidem operæ pretium eſſet. Atque hæ publicè obſervationes in Occidente. Nec defuiſſe eaſdem aut ſimiles in Chriſtianiſmo orientali, ex *libris* ipſorum *liturgicis & ritualibus* videre eſt; quos omnes in *diſp. de liturgiis* indicamus. Præcipuum ex illis dictum *Euchologium* Pariſiis edidit gr. lat. *Iac. Gomi* ordinis prædicat. *cum notis* anno 1647. His adde *Ius Orientale Græcorum* à *Leunclavio* editum

tum, & *Codinum Curopalatem* ex edit. & cum *notis Fr. Iunii* & *Gretseri*. Omnia ibi in solenni cultu, & in politia ecclesiastica ritibus & vacuis observationibus perstrepunt, non minus, quam in Ecclesia Romana. Sic enim ingenuè fatetur *Iohannes episc. Citri tom.* 2. *Iuris Orientalis lib.* 5. *pag.* 323. „Duo sunt, inquit, manifesta (προφανῆ) & magna, quæ inter nos & La„tinos faciunt differentiam. Primum & majus, doctrina de S. Spiritu. „Secundum autem, nec tanti momenti, azymorum oblatio. Scripturæ „autem lectio veteris & novæ, item precationes & musici cantus, & di„vina templa, veneratione sque pretiosæ crucis, sanctarumque imaginum, „illis sunt nobiscum communia. Populares & privatas superstitiones ibidem grassatas, discimus ex responsis Nicetæ *ibid. p.* 3. 4. 8. ubi quæritur de pœna sacerdotis aut laici τελοδιάντος, id est, circulatoris triviorum, ex Paganica consuetudine. Et *pag.* 349. ubi de sacerdote columbas ad mortuorum sepulchra & memorias mactante: quod *ibidem* dicitur *Iudaicum Græcum* &c. Similes aliquot crassas exhibebit lectio *libri Michaelis Pselli de dæmonibus*, quem *gr. lat.* edidit *Gilb. Gaulmin cum notis.* 3. *Hodiernæ*, Christianorum scil. (nam de Gentilium, Judæorum, Saracenorum nihil hic peculiariter dicendum) sunt quadruplices *Ecclesiasticæ*, *Aulicæ* (seu Politicæ) *Scholasticæ*, *Vulgares*. *Ecclesiasticæ* sunt *partim* in Christianismo occidentali eoque aur Papistico, aut Apapistico: quas cum eristici libelli de ceremoniis & adiaphoris in genere, & de hujus aut istius ecclesiæ ceremoniis & observantiis in specie satis indicent, & nos in *Desper. Causæ Papatus lib.* 1. *sect.* 4. & *disp. de Exorcismo, de Benedictionibus, de Ceremoniis ecclesiasticis, &c.*: non est, quod hic eas recenseamus. *Partim* in Christianismo orientali: Æthiopico, Syro, Ægyptiaco, Græco, Russico, &c. de quibus *in Historiis* & *relationibus de Ecclesiis, fide, ritibus* & *moribus eorum*: alibi ex parte nominatis, & porro nominandis, & in *liturgicis* ac *ritualibus* modo indicatis. *Aulicæ* sunt, ex. gr. aperire caput ad nomen Regum & Magnatum, aut ad eorum imaginem, aperto capite transire cubicula aut triclinia eorum (cum scil. nullus homo ibi comparet; saltem ipsi absunt) & in eo agere ac commorari: ad adjurationem per nomen eorum, aut ad mentionem ejus genua flectere, aut saltem stando & quidem aperto capite & quasi devota veneratione pocula salutis exhaurire. Olim pii Imperatores antiquas observationes, ex Ethnicismo profectas circa genium, salutem, statuam Imperatoris, abolitum ibant: nunc videndum, ne in medio Christianismo per aulicam lasciviam & adulationem tandem rancidis illis similes, aut forte pejores reponantur. De occasione motuum in Helvetia per aulicam insolentiam, præfecti alicujus, & inde secutâ vindicatione Reipubl. in libertatem, non est quod hic referam. Præstat

ergo

ergo ab otiosis illis factis abstinere. Confer *disp. de Idolol. indir.* Problema moveri posset, de osculatione limbi, tunicæ Principissarum & nobilium fœminarum: ut & de osculo pedum & calceorum Pontificalium, quod hodierni Doctores Papales etiam num defendunt (vide *à Lapide in Iesa.* 49. Et *Stevani tract. de osculatione pedum Papæ*, seorsim, & cum *Oceano juris* Venetiis editum): sed omnia hæc charta non capit. Addendæ his vanitatibus, complures in aula Romana, & Episcopalibus, nec non Abbatialibus observari solitæ, de quibus *Ceremoniale Romanum, Pontificale, Episcopale.* Unam tantum hic indicabo, quæ in Aulis Paparum, Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, & aliquorum Regum, ac Principum etiamnum obtinet: quod scilicet statis anni temporibus lavent pedes aliquot pauperum, aut senecionum, aut peregrinorum. *Scholasticæ* sunt, quæ scholis aut literatis ex lectione autorum Gentilium aliquando adhærent: quas exercent, non tam factis (quamvis quidem aliquando tam insanè exorbitârint; ne quid dicam de theatrica mimesi superstitionum Gentilium in actionibus Fabularum) quam verbis & scriptis; de quo in *Disp. de Gentilismo* antehac monui: ubi vide. *Vulgares* sunt in Christianismo vel Papali, vel reformato: sive Papismi fermento adhuc infecti sint isti observatores, sive stupore, aut simplici ignorantia aut inadvertentia. *Illarum* catalogum ut texam non arbitror ita necessarium. *Istarum* quatuor classes constitui velim. Quarum *Prima* sit observantiarum ex Gentilismo; *Secunda*, ex Papismo relictarum: *Tertia*, antiquarum *casu alium*, quæ sola consuetudine & cœca imitatione apud nos subnixæ: *Quarta*, *casualium*, quas de novo otiosorum hominum arbitrium obtrudit. Hæc quatuor genera rursum dispesci possunt per & secundum prædicamenta. Denique aliter divide in vanas opiniones, in vanos affectus & animi commotiones, in vana verba, in vana facta & omissiones. *Vanæ opiniones* sunt: *tum* singulares, ut idiotica phantasmata quorundam μελαγχολώντων, aut circa aliquod certum objectum perpetuo delirantium (quas tamen fateor improprie ad vanas observantias referri): *tum* communes, ex. gr. Nocteillâ, quæ præcedit putatitium natalem Christi, boves immo jumenta omnia post horam duodecimam in pedes surgere; Rosam Jerichuntinam (ut vocant) eodem tempore aperiri: panem & salem esse sacrum: Innocentes & simplices (quos vocant) sive per ætatem, sive per phantasiæ læsionem; adhæc personas miserabiles, ut pauperes, decrepitos, orphanos esse Deo gratos: & eorum interpositione aut intercessione melius à Deo quid impetrari. Confer infra *disp. de erroribus*; ubi de erroribus popularibus. *Vanni affectus*, & animi commotiones sunt, ex. gr. quod commoveantur nonnulli ad matutinum garritum picæ: item ad crocitationem corvi, baubantum

tum canis, subitum accursum aranei, tinnitum aurium, appropinquationem aut inchoationem anni climacterici, 63. de quo infra *in problematis*. Huc referri possunt nonnulli terrores Panici, quibus homines ex vana imaginatione aut opinione se induunt. Vide *in dispp. de Signis*, *append. de Terrore Panico*. *Vana verba*, sunt phrases quædam simplices aut proverbiales, quę redolent antiquam superstitionem, ex. gr. *laureum gestavi baculum*, Ick hebbe eenen goeden Engel gedient. Het is een desastre/ de persoon heeft een quade planeet gehadt / ick ben in een quade Planeet gebooren: Dat is voor sulcken of sulken saecke een quade constellatie: Suspicor etiam huc forte referri posse, Hy heeft vier witte voeten: sed nondum satis intelligo, nec ausim asseverare, quæ sit ratio & origo hujus phrasios parabolica. Nec prætereundæ phrases philologorum ἀρχαιομανοῦντων, *Diis manibus sacrum*, *Ignoscant mihi ipsius manes*, *Ignoscat mihi patriæ genius &c.* De quibus in *Disp. de Gentilismo*. *Vana & otiosa facta*, aut omissiones sunt ex. gr. *quod* die lunæ nolint quid de novo inchoare, aut mortuos sepelire: aut positivæ dictiones, prædictiones, actiones, observationes, e. gr. ex Papalibus suffragiis pro mortuis relictum alicubi, *quod* in deductione funeris: sandapilis mortuorum præferant fulcra: *Quod* malleum aut cornicem aërium (ubi puerpera decumbit) obvolvant candido linteo, *quod* olim factum in Gentilismo contra infestationem Fearum, Albarum fœminarum, Strygum, lamiarum &c.: *quod* videntur honorare mortuos aut manes salutare, cum cuivis sandapilæ seu loculo occurrenti aperiunt caput, cum tamen bajulis illis quibusvis ignotis etiam centies sine loculo occurrentibus caput non aperirent: *quod* verbis orationis dominicæ semel atque iterum aut ter sine solida intelligentia ac devotione pronuntiatis (ne quid dicam de articulis fidei, aut decalogo) plus efficaciæ tribuant ad impetrandum, quam par est; quasi scil. essent mediator aliquis, aut medium per quod aut propter quod omnes preces nostræ sanctificatæ & Deo gratæ essent: quod numerantes ubi ad numerum trigesimum pervenerint, hæc bene ominata verba adjiciant: Dertigh met Godt: quia scil. Judas 30. argenteis Christum vendidit: quod hydropen, aut diabolum nominantes, exspuunt, nonnunquam hęc verba addant: het water; verspogen moet het zijn. Idem observant circa gangrænam, quam per ἐφημισμὸν vocant, het quaet seer. Et fortasse eodem modo à nomine *pestis* abstinent, vocando, Godts-gaef / id est, *donum Dei*: *quod* numero impari in multis, uti malunt, quam pari: hinc sępe ipsis in ore: omne trinum perfectum: hinc haustus terni, pocula terna: immersiones hydrophoborum ternæ in aquam &c.; hinc etiam milites manipularii in hostes aut ad prædam excursuri, manipulos numero impari constituunt (vide *Bongum de numero*

ternario, & poëma Ausonii, quo plurima illo numero constantia complectitur): *quod* de diuturna pluvia, serenitate, gelu & glacie, prognosticant, ex eo, quod talis aut talis aëris tempestas fuerit festo Andreæ, Margarethę, Matthiæ, Purificationis &c. quæ latinè versibus leoninis, Belgicè *Rhythmis* in subsidium memoriæ inclusérunt. Ex. gr. *Si sol splenduerit Mariâ purificante: Majus erit frigus & c. quam fuit ante.* Et, S. Mathijs/Wergt eenen heeten steen in't ys. Et S. Andries: het heft op en het vriest: Het laet niet eer af/ voor Vrouw-lichtmis dach. Met den vrydach heeftmen gemeynlijck veranderinge van weder. Een regentijen onder de Misse/ is de geheele weeck wisse. Alsser veel snoeck gevangen wort/ dat voorseydt dieren tijdt. Non est salutare signum, si morbus remissior sit sub diem Dominicum. Quando mulier prægnans furatur, infantem pariet natum furem, qui à furto abstinere nequeat. Superstitiones & ludicræ observationes nostratium Pontificiorum in hac urbe circa festum conversionis Pauli, nondum planè cessant; quamvis eas postremus episcopus *Fridericus Schenckius in tract. de Imaginibus* reprehenderit. Paulum quendam stramineum in angulo aliquo prope focum, ubi placentas coquunt, collocatum, placentis butyratis quasi colaphizant, siquidem dies sit serenus, aut sine pluvia; sim secus, stramineum suum idolum inde tollunt, usque ad aquas bajulant, & in eas projiciunt. In Zelandia quænam nuper inter agricolas potissimum frequentatæ fuerint, docet *Iosias van Houten in vernaculo catalogo peccatorum ad decalogum.* Atque hæ adhuc alicubi in Belgio nostro hærent, aut saltem non ita pridem hæserunt. *In Germania* quasdam superstitiones notat Scultetus concione 2. in Jesai. c. 47. *His affines sunt, qui non quidem cum diabolo paciscuntur, certis tamen superstitionibus sunt dementati. Atque sic paulatim & ipsi à Deo abducuntur. Superstitiosum est, quod quidam Artemisiam herbam, certis diebus & horis effodiunt, subter eam carbones quæsitum, quos contra febres de collo suspendant. Pæoniam contra tempestates & spectra velut amuletum habent; panem baptizatum, cum sale, contra diaboli tentationes: mandragoram verò, ut felicitatis domesticæ nutriculam. Si mater mortuum infantem osculata sit, postmodum verò moriantur alii, culpam in osculo dicunt fuisse. Defunctum ajunt de amiculo comedere, si ore paulo propiùs admotum fuerit.* In Papatu plena superstitione omnia: *quia obscurior agnitio Christi, Exempli gratia, si, quòd vulgo trifolium dicitur, quatuor foliorum haberi possit, missis aliquot consecratum, eo inviolabiles reddi homines putant, sive cæsim, sive punctim feriantur. Ita singulari quadam virtute prædita esse existimant, quæcunque à sacrificulis missaticis consecrata sunt, velut salem, candelas, aquam, ceram, oleum.* Et *Cornarius supra cit. de re vinitoria* pag. 457. 458. Plures aliæ discendæ ex *Hospiniano* passim *de Festis*, & *Ioh. Aubano*

Teu-

Teutonico de moribus Gentium. In Anglia, ex *Perkinsi tract. de libellis Almanachicis*; & ex *Brovvne Anglico tract. de Erroribus popularibus.* Et ex Johannis Melton *tract.* Angl. cui tit. *Astrologaster or the Figure-caster* edito anno 1620. ubi pag. 45. hunc catalogum texit. *A Catalogue of many superstitious Ceremonies, especially old men and vvomen hold, vvhich vvere first found out and invented by Figure-Casters, Cunning Men and VVomen in former ages, yet to this day are held for certaine and true observations.* 1. *That if any thing be lost amongst a company of servants, vvith the tricke of the Sive and the Sheares, it may be found out againe, and vvho stole it.* 2. *That Toothaches, Agues, Cramps, and Fevers, and many other diseases may bee healed by mumbling a fevv strange vvords over the head of the diseased.* 3. *That by a certaine tuft of haire grovving on the foremost part of a mans forehead, it may be knovve vvhether he shall bee a vviddovver or no.* 4. *That a man may knovv vvhats a clocke, onely by a Ring and a silver Beaker.* 5. *That it is very ill lucke to have a Hare crosse one in the high vvay.* 6. *That to have yellovv speckles on the nailes of ones hand is a great signe of death.* 7. *That vvhen the left cheeke burnes, it is a signe some bodie talkes vvell of you, but if the right cheeke burnes it is a signe of ill.* 8. *That vvhen a mans nose bleeds but a drop or tvvo, that is a signe of ill lucke.* 9. *That vvhen a mans nose bleeds but one drop, and at the left nostril, it is a signe of good lucks, but on the right ill.* 10. *That if a man stumbles in a morning as soone as he comes out of dores, it is a signe of ill lucke.* 11. *That if a man vvalking in the fields, finde any foure-leaved grasse, he shall in a small vvhile after finde some good thing.* 12. *That it is not good to put on a nevv sute, pare ones nailes, or begin any thing ona Childermas day.* 13. *That if a man be drovvsie, it is a signe of ill lucke.* 14. *That it is a signe of ill lucke to finde money.* 15. *That it is naught for a man or vvoman to lose their hose Garter.* 16. *That it is a very vnfortunate thing for a man to meete early in a morning an ilfavoured man or vvoman, a rough-footed Hen, a shag-haird Dogge, or a blacke Cat.* 17. *That is a signe of death to some in that house, vvhere Crickets have bin many yeeres, if on a sudden they forsake the Chimney Corner.* 18. *That if a man dream of egs or fire, he shall heare of anger.* 19. *That to dreame of the devil is good lucke.* 20. *That to dreame of gold good lucke, but of silver ill.* 21. *That if a man be born in the day time, he shal be vnfortunat.* 22. *That if a child be borne vvith a Caule on his head, he shall be very fortunate.* 23. *That vvhen the palme of the right hand itcheth, it is a shrevvred signe he shall receive money.* 24. *That it is a great signe of ill lucke, if Rats gnavv a mans cloathes.* 25. *That it is naught for any man to give a paire of knives to his svveet hart, for feare it cuts avvay all love that is betvveene them.* 26. *That it is ill lucke to have the Saltseller fall tovvards you.* 27. *That if the Beere fall next*

a man, it is a ſigne of good lucke. 28. *That if a Candle burne blevv, it is a ſigne there is a ſpirit in the houſe, or not farre from it.* 29. *That vvhen the Cat vvaſhet her face over her eare, vvee ſhall have great ſtore of raine.* 30. *That if a horſe ſtumble on the high vvay, it is a ſigne of ill lucke.* 31. *That vvhen a mans noſe itcheth, it is a ſigne he ſhall drinke vvine.* 32. *That if your lips itch, you ſhall kiſſe ſome body.* 33. *That it is a very ill ſigne to be Melancholy. In Italiâ, ex Ioh. Aubano modo cit.* Et *Polydoro de inventoribus rerum.* Ibidem & *in Hiſpaniâ, Galliâ*, pluſquam populares vanitates, ſi non nequitiæ publicâ autoritate aut probatæ, aut permiſſæ, cum ſcriptoribus ſuis à Gaffarello ſacerdote indicantur in lib. Gallico, cui tit. *Curioſitez inouyes*, in præfat. *Que ſi tu trouves eſtrange qu'un Eccleſiaſtique comme moy traicte vn ſubjet ſi hardy & ſi libre, ce ſemble, conſidere je te prie que pluſieurs de ma profeſſion ont advancé des choſes beaucoup plus libres que celles-cy, & que meſme on juge dangereuſes. Ainſi l'Abbé Tritheme mit au jour ſa Poligraphie, & ſa Steganographie, ou l'évocation des Eſprits eſt manifeſte, bien qu'ils s'en ſerve autrement qu'en ſorcier; Guillaume Eveſque de Paris n'a pas ſeulement eſcrit de la Magie naturelle, mais la parfaictement ſceuë & pratiquée, au rapport du grand Pic Comte de la Mirande. Et un autre ſçavant Eveſque Albert le Grand en à enſeigné les fondemens avec admiration. Roger Bacon, & Ioannes de Rupeſciſſa, tous deux Religieux Cordeliers, ont faict le meſme. Petrus Cirvellus Eſpagnol, du meſme ordre, à faict voir a la Chreſtienté un livre in folio des quatre principaux genres de la Divination, & toutes les maximes de l'Aſtrologie Iudiciaire: le Cardinal de Aliaco, Eveſque de Cambray, a traité le meſme ſubjet, comme pareillement Ionctin Preſtre Florentin, & Docteur Theologien: & puis que nous ſommes ſur les Italiens, Aurelius Augurellus, & Pantheus, tous deux Preſtres, un Venetien, & l'autre Tarviſien, n'ont-ils pas deſcrit les Reſueries de la Pierre Philoſophale, l'un dans ſa* Chryſopœia, *& l'autre dans ſa* Voarchadumia? *Marcille Ficin auſſi Preſtre, que n'a-il pas advancé de ſuperſtitieux? mais quelle ſuperſtition y a-t'il au monde qu'il n'ait mis au jour? Anthonius Bernardus Mirandulanus Eveſque de Caſerte à ſon imitation, dans ſon livre* de ſingulari certamine, *a ſouſtenu une infinité de choſes tout à faict contraires à noſtre Religion: le Cardinal Cajetan de Vio en à faict tout de meſme; & Giovanni Ingegneri Eveſque de Capo d'Iſtria, s'eſt nouvellement amuſé à ſouſtenir les fondemens de la Phiſionomie; & auparavant tous ceux-cy Syneſius Eveſque Chreſtien a eſcrit un livre de l'interpretation des Songes, commenté par apres par un autre Eveſque ou Patriarche de Conſtantinople Nicephorus Gregoras. Ie laiſſe les ſuperſtitions de l'Abbé Ioachim, & de Savanarolla moine Dominicain; les Azolains du Cardinal Bembo, la Lucrece d'Æneas Silvius, puis fait Pape Pie II. le livre remply de vilainies de Pogius Florentin,*

rentùn, Secretaire Apostolique : je laisse encore l'Histoire Macarronique soubs le nom de Merlin Cocai, faicte par Theophilus Folengius moine Benedictin, & une infinité d'autres livres faits par des Ecclesiastiques, avec lesquels, cher lecteur, si tu viens à conferer le mien, tu trouveras que c'est à tort si on le blasme. Populares in Gallia propriè sic dictas taxat Jesuita *Chavassius lib. 1. de perfectâ prudentia cap. 9.* Qui singulariter observant, pluatne in die conversionis S. Pauli & S. Urbani: qui die Johannis Baptistæ herbas colligunt: qui equis venam aperiunt in die S. Stephani: qui credunt quosdam dies esse ad iter & negotiationem aptiores: qui certo utentes ictu circa elementa, aspirant ad arcanam aliquam notitiam. Exempla alia superstitionis pag. 213. hæc recensèt Orationem aliquam præcisè. *Exempli loco sit, orationem aliquam præcisè novies recitare, ita ut sit vi caritura, si pluries dicatur, vel octies tantum. Item precem aliquam diebus totidem offerre Deo, ea tamen proportione, ut primo die semel recitetur, secundo bis, tertio ter &c. vel non nisi leta facie, aut quando in divinis officiis Euangelium legitur. Item polliceri certam remissionem peccatorum, tot annorum vitam, partum fœlicem, victoriam, placidum mortis genus orationem certam recitantibus. Illusionis plena est hæc confidentia, multumque cavenda.* Et pag. 211. curationes magicas vocat, omnes sequentes: *in quibus interrogatur de colore ægri animalis, vel animal sanari jubetur* tam verè quàm Josephi, &c. *vel in quibus dicitur* antè par antè, *vel alligatur idem pecus plantæ, quæ nondum fructum tulit, vel brachium funiculo laneo, vel incutitur fortiter pes animalis, dicendo*, consummatum est: *vel in ampullam vitream injiciuntur aliquot grana hordei: vel Missæ tempore tanguntur dentes, pronunciato certo versiculo, vel febrientis manus, cum hac forma verborum:* Æquè facilis tibi sit hæc febris ac, *&c. vel ægro cibus in catino porrigitur hæc verba inscripta præferente*, gustate & videte quod suavis est Dominus, (*nam hunc quoque ritum ut plurimum esse magicum, & superstitiosa intentione adhiberi, docet inter alios Delrius l. 6. disquis. q. 4. sect. 8.*) *vel stante ægro versus ortum feria sexta, & expandente manus instar crucifixi dicitur*: Hodie dies est, qua Dominus Deus ad crucem accessit, *aut peritur ejusdem ægri Zona, indusium, vel capillorum particula mittenda in profluentem, aut etiam adjuratur infirmitas, ut ultrà mare se recipiat; aut sanguis ne amplius fluat, sed fixus hæreat, aut tenetur in vulnere digitus addita sententia*, Christus natus est in Bethlem; *aut signo crucis pisque precibus adduntur nomina barbara, nihilve significantia; aut insusurrantur certa verba equi claudi auribus, aut in nodum ejusdem cauda componitur.* Agmen claudat vacua observatio non tantum multorum ex vulgo, sed etiam quorundam Philosophorum & Medicorum circa ecipsin solis 12. Augusti anni 1654. Relationes illius anni exhibent nobis monitum & consilium collegii Medicorum Monachii in Bavariâ;

quod ibi legat & expendat, cui otium est: Et fides historicæ sit penes autores. Confer nostram *disp. de Prophetiâ.*

Additamenta quædam.

ADdimus insuper quæ in præsentiarum succurrunt, sequentia.

Ad prædicamentum actionis.

Ad *prædicamentum actionis* pertinent *oscula* superstitiosa apud Gentiles: de quibus, ut compendium facias, vide ex Pontificiis *Pinedam in Iobi cap.* 31. *v.* 27. *& Lorinum in Ps.* 2. *v.* 11. ex nostris *Rivetum in Ps.* 2. *v.* 11. Cum quibus conferenda Pontificiorum oscula, quæ tabellæ figunt, loco scil. osculi quo antiqui Christiani se mutuò complecti solent; novena oscula altaris in celebratione missæ adhæc manuum, cochlearis, libri euangeliorum: Ex quibus oscula rerum fiunt ad fidem, manus vero ad venerationem; quæque omittantur coram sacramento & in missa defunctorum. Has mysticas nugas explicatas vide apud *Gavantum tom.* 1. *thesauri rituum.* Adde oscula terræ certo aliquo numero (septies scil.) figenda. Cui devotioni unà cum aliis adjunctis, indulgentiæ à Paulo V. in canonizatione Borromei anno 1610. concessæ: uti habet *Bulla Canonizationis, & indulgentiæ illæ* peculiari libello belgicè editæ sunt Antwerpiæ apud Verdussen 1614. *Lotio manuum,* quæ vel à convivaturis *Matth.* 15. vel accessuris ad preces & sacra (uti olim apud Gentiles, & hodie apud Muhammedistas), vel ἀνάψυξιν, id est, piacularibus seu piaculo obstrictis usitata. *Matth.* 27. *v.* 24. Ubi vide *comment.*, imprimis & *notas Bezæ, Grotii, Pricæi, Heinsiique Exercitat. lib.* 1. *cap.* 22. Et *Grotii notas ad Matth.* 15. *v.* 2. ubi notat quid superstitionis lotioni illi ante convivium subfuerit. *Lotio pedum,* cujus choragium peragit Papa die Jovis ante paschæ, & multi superiores in capitulis & monasteriis. Idem imitari solent Reges Galliæ quin & antehac episcopi Anglicani, qui tamen cætera reformati audiebant. Vide de hoc in *Ceremoniali Romano,* & *Corn. à Lapide in Iohann.* 13. De baptizandorum, immo & susceptorum ac ministrorum otiosâ pedum lotione eorundemque osculatione apud antiquos passim receptâ vide *Iosephum Vicecomitem lib.* 3. *de antiquis baptismo ritibus, cap.* 17. 18. 19. 20. ubi multa antiquitatem spectantia lectu digna. Abrogato huic ritui dicit successisse aquæ lustricæ aspersionem, ex fonticulo prope vestibulum templi constituto. Devotionem & pietatem singularem Mariæ Reginæ Ungariæ filiæ Caroli V. quæ quotannis duodecim pauperum pedes lavare, detergere, & osculari solebat, vide deprædicatam apud *Rodolph. Botereum Historicum ad anno* 1603. *lib.* 10. *pag.* 365. edit. Lat. in 4. Huc refer κατοζήλιον cujusdam sectæ anabaptisticæ, quam **voetwassers** vocant, & Apostolicos. Cum quibus facere videtur

tur ſociennus Remonſtrantium *Adolphus Venator* in damnato libro, cui tit. *Theologia vera & mera &c.* belgicè, **Fundament-boeck.** *Venia danda* homicidis, aliiſque facinoroſis, aut die Jovis ante Paſcha, aut ad introitum novi epiſcopi. De quo, & nominatim de more apud Aurelianenſes recepto vide quæſoex noſtris *Bezam homil. 26. in paſſionem*; & ex Pontificiis *Iuretum in notis ad Ivonis epiſtolam 53.* Et *hiſtoricum Gallum Rodolphum Botereum, ad annum 1608. lib. 15.* ferè ſub finem. Quem religionis Pontificiæ acerrimum defenſorem, velim luſtrari à lectore harum rerum curioſo. Huic affinis eſt veniæ datio ad occurſum Cardinalis, dum facinoroſus ad ſupplicium ducitur. Exemplum ejus habet *Botereus ad annum 1608. lib. 15. p. 465.* ubi hiſtoriam refert inſignis falſarii Fr. Favæ. Ut in hoc prædicamento actionis immenſam vacuarum obſervationum, & otioſorum factorum farraginem colligere, aut in vita communi & ſua quiſque gente ad omnes attendere queat, indico hos ſubtitulos: quorum I. *de Funeribus.* Ubi primum conſulendi antiquarii, qui de hac materia &c. ex Gentilium ſcriptoribus multa collegerunt, quales *Gutherius de Iure manium, aliique* alibi indicati. Quibus jungendi *commentatores ad Geneſ.* 23. & 50. *Matth.* 12. *Actor.* 9. Jeſuita *Gretſerus de funere Chriſtiano*, & *Spondanus de cœmiteriis*; & *Novellæ relationes de caſtris doloris* (uti vocant), quæ Jeſuitæ in funere magnorum principum adornare ſolent; ut oſtendant ſe ad quamvis mundi hiſtrioniam factos. II. *De Nuptiis.* Scriptores huc facientes, & ritus aliquos ex. gr. de annuli pronubi conſecratione (apud *Laur. Pignorium in epiſtolis p. 62.*), ejuſque in *libro Liturgico* poſitione, alibi notamus. III. *De Conviviis.* Hic perluſtrandus *Iul. Cæſar Bulengerius*, qui poſt *Ciacconii triclinium*, & *Stuckii convivalia, tractatum de conviviis* edidit, ubi de ritibus bibendi *p. 262.* &c. de coronis convivalibus, quas Diis dicabant *p. 289.* de libationibus *p. 320.* Confer noſtram *diſp. de Ebrietate.* IV. *De puerperio.* De hoc *Ioh. Meurſius peculiari tract.* V. *De Ludis.* De his tract. dedit *Bulengerius*: cum quo confer *ejuſdem tract. de Theatro p. 34.* & *Lipſii Saturnalia*, atque *Amphiteatrum.* VI. De Principum, Magiſtratuum, Pontificum, Epiſcoporum, Templorum, Palatiorum &c. *introductione, coronatione, unctione, dedicatione* ſeu *conſecratione.* Vide autores in *diſp. de Benedictionibus*, & *de Templis.* VII. *De Feſtis.* Vide ritus quoſdam & autores in *diſp. de Feſtis.* VIII. *De precibus, Sacramentis, Iejuniis, Euchariſtiis* &c. aliiſque omnibus agendis ſacris tum ordinariis tum extraordinariis, ex profeſſo agimus in *Politiâ Eccleſiaſticâ*: ubi ritus aliquot perſtringimus.

Ad

Ad prædicamentum passionis.

HIC primum occurrit *flagellatio* spontanea de quâ in *disp. de Homicidio sui ipsius.* Sequitur *castratio* spontanea: de quâ vide *Photii Nomocan. tit. 9. cap. 24. Franc. Iuretum ad Ivonis epistol.* 231. & notum est exemplum Origenis apud *Eusebium lib. 6. cap. 7. Discalceatio,* & nudipedalia: de quorum vacua observatione, vide ex nostris *commentator. ad Exod. 3. v. 5. Villetum & Rivetum,* ex Pontificiis *Pererium* & *A Lapide. Mortificationes* variæ apud Gentiles, Muhammedistas, & in Papatu usitatæ. De quibus in *disp. de Pseudomortificationibus Papatus.* Circa morbos & sanitatem totamque artem medicam variæ superstitiones grassantur, quas in istas classes distribuemus. 1. Ad subjectum ipsum, h. e. corpus humanum, ejusque partes pertinent istæ: Caput esse sacrum (de quo infra *in append.*) complexionem hanc aut illam facere ad vim divinandi, & mira aut miracula patrandi; corpus sagarum ideo supernatare, quod aqua non possit recipere eas quæ, per pactum cum dæmone, baptismum suum ejurarunt, Maritos fœminarum, quæ habent candidum jecur, non posse diu vivere. Homines cum galea (hoc est, cum parte secundinæ caput obvolvente) natos esse felices, etiam ab ictibus scloporum aut tormentorum immunes. Est quod parentes aliqui galeas pulti intritas infantibus comedendas dederint, alii argenteis capsulis inclusas nudo pectori admoverint; quin & obstetrices aliquando tacitè raptas hominibus militaribus eas vendiderint. Confer *disp. de Magia, de Miraculis, de Prophetiâ.* II. *Ad affectus* corporis & morbos pertinent, Morbus sacer, & morbus immissus ab iracunda Diana, apud Gentiles. Adhæc morbus S. Huberti, chorea S. Viti, &c. apud Pontificios. Epileptici, maniaci, lunatici sacri apud Muhammedistas; & fatui apud Pontificios Deo grati, ac malorum averrunci: de quibus in 2. *part. disp.* ubi *de Simplicitate.* Morbos sanctis adscriptos notat *Wyerus lib. 2. de præstigiis cap.* 15. De igne sacro *Ivo Carnutensis in epistol.* 204. ubi de eodem *Plinium lib. 26. c.* 11. *Columell. lib. 7. c.* 5. & *Corn. Celsum lib.* 5. *Vrspergensem, Glabrum* adducit *Iuretus.* III. Ad simplicia medicorum, herbas scil., fossilia, animalia, refer quamplurimas vacuas observationes circa vires eorundem, apud *Albertum M. de virtutibus Herbarum* &c. *Marbodeum de gemmis, Alexium Pedemontanum de Secretis.* Huc refer denominationes plantarum à sanctis, à Mariâ, à Christo, quas *peculiari libello* collegit *Ioh. Bauhinus* medicus celeberrimi Caspari Bauhini frater. Eadem vulgari & vernacula lingua usitata reperies in indice eximii *Herbarii R. Dodonæi* Belgicè editi. Nec prætereunda profana denominatio delicati alicujus vini, quod dicitur, *lachrymæ Christi.* Super quâ profana denominatione profanus lusus & jocus Jesuitæ Garassii; quem

quem acriter perstringunt *hæredes Stephani Paschasii* in *Apologiâ pro* eodem *Paschasio* contra dictum Jesuitam, Gallicè, in 8. IV. Ad vana *antidota* & superstitiosas morborum curationes pertinent non pauca in antidotariis; & apud *Plinium passim*, *Corn. Celsum Arnoldum de Villa Novâ*, *Albertum Magnum*, *Alexium Pedemontanum*, *VVeckerum de Secretis*, *Ioh. Baptistam Portam*; imprimis *Corn. Agrippam lib. 2. de occultâ philosophiâ cap. 35.-48.* Cui se opponit *Delrio lib. 1. cap. 3. qu. 1.* Apud Poëtam *Serenum Sammonicum*, qui versibus Medecinam descripsit, notanda imprimis scriptura τῆ *Abracadabra*; contra hemitræum: unde forte hæreticus Basilides suum *abraxas* mutuatus est. De quo *Baronius ad annum 120. §. 18.* & *epitomator ejus Spondan. in additionibus*; & post eos *Vossius lib. 1. de Idololatr. c. 8.* Nec prætereunda, quæ habet *Prosper Alpinus lib. 4. de Medecinâ Ægyptiorum cap. 2.* & *Fernelius lib. 2. de abditis rerum causis cap. 16.* Et *Sennertus contra Paracelsistas* antehac aliquoties nobis laudatus: ex cujus scriptis quæ ad superstitiosa antidota & amuleta, nominatim etiam ad opliatriam pertinent, collecta sunt, & vernaculo sermone edita à *Dan. Ionctiis* medico Dordraceno anno 1646. Porro de amuletis, periaptis, ligaturis, carminibus, præter *Delrio lib. 6. disquis. Magic.*, *Philippus Camerarius centur. 2. cap. 76. Elmenhorstius*, qui *ad homiliam Veteris Theologi unà cum Gennadio* editam *p. 195.* varia antiquorum testimonia de iis collegit. Superstitiosas curationes licitas facit *Maymonides in libro de fundamentis fidei* Latinè edit. *pag. 52. 53.* coll. cum *pag. 62. 63. 64.* Ex Christianis Pontificiis Jesuita *Lessius* qui *lib. 2. de Iustitiâ & jure cap. 43. dub. 10.* dictos in Hispania *Ensalmadores* defendit, aut saltem excusat; quos tamen improbat *Delrio. lib. Arnoldus de Villâ Novâ*, quem inter testes veritatis numerant *Illyricus Plesseus in Mysterio*, quique ob saniorem doctrinam hæresios tunc damnatus, non abstinuit à receptis tunc superstitionibus medicis, ut videre est in *Operibus ipsius Medicis in tract. de Ligaturis*, & *in tract. de Sigillis*. Sed de his & similibus agendum in *disp. de Magiâ*. Plura require apud scriptores de erroribus popularibus in Medecina, quos indicamus in *disp. de Errore & Hæresi part. 3.* Percurrenti *Petri Andreæ Canonhieri commentar. Politicum in Aphorismos Hippocratis*, occurret inter alia notanda, illud omnium superstitiosarum curationum πρῶτον ψεῦδος, Quod Medici morbos animi directè curent. Vide eum *p. 79.* edit. in 4. Vacuas observationes de Lepra & Leprosis supra attigimus: hic ex abundanti lectorem ablegamus ad *Bochellum in decretis Ecclesiæ Gallicanæ lib. 3. tit. 16. per totum*, *Corn. à Lapide in Levitic. 13. Zypæum in jure Canonico novo.*

Ad prædicamentum Relationis.

HUc referuntur ſuperſtitioſæ obſervationes harmoniæ & convenientiæ rerum in quibuſdam accidentibus & operationibus: unde nonnulli vanas ſpeculationes educunt. Vide *problemata ſacra Franciſci Georgii tom.6.ſect.10.§.461.464.465.* & *ſect.8.* ubi *§.295.296.* de efficacia characterum more ſuo καβαλιϛι. Adde *Gaffarellum in curioſitatibus inauditis*; & quæ de recentioribus Hermeticis hâc in parte nimirum luxuriantibus monemus in *diſp. de Creatione.* Imprimis & ſignorum vanæ obſervationes, in ſtellis, aëre, aqua, animalibus auſpicatis & inauſpicatis, (*Camerar. centur.2.cap.90.* & *centur.1. cap.67.* ubi ſpecialiter de bubone); in libris ſtatuis, monumentis, figuris, & locis fatalibus (Idem *centur.1.cap.60.* & *centur.2.cap.11.* ubi ſpecialiter de Palladio Trojanorum & ancili Romanorum). Alias ſignorum ſuperſtitiones quære in *diſpp. de Signis.* Nuper mihi obſervatum de cometis apud *Vincentium Guiniſium* Jeſuitam *in Allocutionibus gymnaſticis allocut.6.* ubi paradoxè contendit cometas eſſe indicium non calamitatis, ſed felicitatis futuræ. Nec prætereundum, quod fœminarum in mares converſionem tanquam ſcævum prodigium olim habuerint, ideoque tales combuſſerint. Exempla lege apud *Photium in Myrobiblo lib.244.p.2048.2049.*

Ad prædicamentum Quando.

HUc refer obſervationem circa dies aliaque tempora, De quo *comment.ad Deuter.18.*): diſtinctionem dierum in attos & fauſtos (*Alexander ab Alexandro lib.4. genial.c.20.*) ſeu in faſtos & nefaſtos: obſervationes numerorum, ut diei ſeptimi, quadrageſimi &c., de quibus applicatè ad res & eventus politicos multa *Canonhierus in comment. ad Hippocratis aphoriſmos pag.844.797.541.* ubi & alii autores adducuntur. Ad ἀκαιρίαν ſeu infauſta tempora refer, quibus tonat aut fulgurat: hinc *nefas* erat Jove tonante & fulgurante comitia haberi, uti obſervatum *tom.1. theſauri critici Gruteri pag.217.* Vide de temporibus notata apud *Macrobium lib.1.Saturnal.cap.15. 16.* & *Galeotum Martium de doctrinâ promiſcuâ cap.13.14.* & à *cap.23. uſque ad finem. Ierem. Drexelius* Jeſuita in *Zodiaco Chriſtiano pag.160.* & *212.* in ſuis reprehendit ſuperſtitioſam menſtrui cultus ſortitionem. Conſer de temporariis ſuperſtitionibus *Delrio lib.3. part.2.qu.4.* Et noſtram *diſp.de Feſtis.*

Ad prædicamentum Vbi & Situs.

HUc pertinet *Fr. Georgii Veneti ſectio 11.tom.6.* cujus titulus: *De ſitu & proprietate myſterioſâ quorundam locorum.* Quid ſit de relativa ſanctitate

ctitate quorundam locorum, tum extraordinaria *Geneſ.* 28. *Exod.* 3. tum ordinaria, ut Hieroſolymæ, Tabernaculi, Templi, oſtendimus in *diſp. de Templis.* Sed hæc *Fr. Georgii* allegoricas & inſulſas nugas minimè juvant. Ad localem ſuperſtitionem refer eam, quæ hærebant circa limen: quod novis nuptis nefas erat attingere (*Scaliger in commentar. ad Catulli epithalam.*); & in quod exeuntes domo ſuâ ſi impingerent, malè ſibi ominabantur. Quam ſuperſtitionem refert: *Demſterus in Paralipom. ad Roſini antiquit. lib.* 3. *c.* 8. 9. 11. & *Delrio lib.* 5. *part.* 2. *qu.* 4. *ſect.* 4. Philiſtæorum liminarem ſuperſtitionem indicat ſcriptura 1 *Sam.* 5. *v.* 5. Orientis & Occidentis ſuperſtitioſam diſtinctionem in precibus apud Gentiles, *ſupra theſi* 11. attingimus; & de eâ pluribus *diſp. ſeq. de Idololatriâ indirectâ.* Omnes Deos ad Solem referri, oſtendere conatur *Macrobius lib.* 1. *Saturnal. cap.* 17. Hinc non mirum ad Solem Orientem adoratum fuiſſe. Forte etiam præſtantia regionum Orientalium ſupra Occidentales, has ſuperſtitiones promovit, quaſi ſcil. Dii illic magis habitarent. Conſideratur præſtantia illa 1. in nobilitate vegetabilium, aromatum, gemmarum. 2. In ſalubritate fontium, & fœcunditate fluminum. 3. In ſitu propinquioread Solem, & propinquiore cœleſtium influentia. 4. In abundantia utilium & nobilium animalium. 5. In amœnitate ſitus, ex mari, montibus, ſylvis, fluminibus, fontibus proveniente. 6. In copia & ſalubritate alimentorum. 7. In temperie aëris. Contra tamen pro præſtantia Occidentis, ſaltem quod ad Italiam diſputat *Barthol. Sibylla in ſpeculo peregrinar. quæſt. decade* 1. *cap.* 3. *qu. ſeptimæ qu.* 4. Diſtinctio inter dexterum & ſiniſtrum ſive locum, ſive ſitum, & inter manum dextram ac ſiniſtram, quæ & cur Gentilibus obſervata, diſce ex *Baronio ad ann.* 213. §. 6. & 451. § 68. & *epitomatore ejus Spondano ad ann.* 321. §. 17. Hinc ſiniſtrum dictum græcis εὐώνυμον. Cur autem dextræ prærogativa ſit adſcripta explicat *Delrio in adagiis ſacris, adag.* 321. & *commentator. ad Eccleſiaſt.* 10. *v.* 2. & in *Pſal.* 110. *v.* 1. Atque hactenus ſuperſtitionum infinitum chaos ad certa quædam capita revocare, & ſecundum eam diſtinguere conati ſumus. Conferat, ſi quis velit, aliorum diviſiones, ut *Eecani in Theologia Scholaſtica*, & *Caſuiſtæ Filiucii, Danæi in Iſagogâ part.* 2. quæ eſt *de eccleſiâ cap.* 33. Singulas ſpecies indicabunt *autores* hactenus *citati*; quibus adjungendi catalogi peccatorum aut abuſuum per ſingula primæ tabulæ præcepta; quales e. gr. *Perkinſi in Catecheſi*, & in *tract. de reſipiſcentia, Georgii Dovvnami* anglicè, *Joſiæ van Houten* belgicè &c. Conferri etiam poſſunt, ſi cui ita viſum, *diſpp. noſtræ de Creatione, de Idololatria indirecta, de Patronatibus & Tutelis ſanctorum, de Sanctis chimaricis, de Canonizatione ſanctorum, de Roſariis, de Proceſſionibus, de Agnis Dei, de Staurolatria, de Feſtis, de Quadrageſima & Bacchanalibus*

nalibus, de Iubilæo, de Templis, de Ceremoniis ecclesiasticis, de Exorcismo, de Peregrinationibus Compostellanis, de Monachatu, de Magia, de Liturgiis, de Pseudo-mortificationibus Papatus, de Peste; quas interpolatas partim nunc damus, partim propediem σὺν θεῷ daturi sumus. Nonnullas etiam attigimus in *disp. de Energumenis, de Spectris, de Angelis Tutelaribus, de Iudaismo, de Gentilismo, de Signis*, antehac editis.

Appendix Historico-Theologica de Sternutatione.

I. DE hâc disquiri possunt nonnulla Philologicè, Physicè, Historicè, moraliter. 1. Primi generis disquisitiones in linguâ Gr. & Lat. brevitatis causa hic transmittimus. Hebr. זור 2 *Reg.* 4. 35. q. d. compressit, quia inter sternutandum quis se comprimit: sic *R. D. Kimchi, Targum Iob.* 41. 9. adhibet vocem זרי, ab hac radice deflexam ad significandam *sternutationem*. *Iob.* 39. 20. equo tribuitur נחר id est, attractionarium, ronchus, sternutatio, *vehemens sonitus quem naribus sternutans edit*, ut ibi *Mercerus*. Occurrit & vox illa *Ierem.* 8. 16. *Iob.* 41. 11. sed alia significatione. Est & biblicum עטש *ataſch* Job. 41. 9. (ubi Targum *oſcitationes*) quo utuntur Rabbini & Thalmud. hinc verbale ipsorum עטוש *ittouſch* sternutatio. Convenit cum eo Arabum עטאס *utas*, & fœm. עאסה *utsa*. Utuntur iidem, סעט *ſaata*, sternutavit, caput expurgavit, *Famianus Strada prol. Acad. l. 3. prol.* 4. citat. ex *Casaub. in Athen. l. 2. c.* 15. Hebræis dici *Aſcherach*: sed quia malè forte legit, aut descripsit, nec Casauboni liber ad manum est, divinare non possum, quid sibi velit, & penes utrum sit error. Invenio τὸ אסכרה *aſchara* Rabbinis notare anginam, gr. συνάγχη, vulgò squinantiam à radice Chaldaica סכר in aphel אסכר, id est, obturavit, clausit. Quo morbo fabulantur infantes die quarto nativitatis, quippe male dicto & infausto, affligi: etiam addultos subinde, maximè in sternutatione; unde mos inoleverit, ut sternutantibus benedicatur. Hanc vocis significationem ex *tract. Sabbath.* & *tract. Berachot* eruit magnus Christianorum Rabbinus *Buxtorfius in Lexico suo*. 11. Physici & Medici symptomatibus motus annumerant tussim, sternutationem, oscitationem, pandiculationem, horrorem, rigorem. Ad sternutationem ajunt cerebri thoracisque motum concurrere: illius quidem primariò: quia principaliter pertinet ad expultricem facultatem cerebri: hujus verò secundario; quia cerebri motum adjuvat. Natura enim ad excretionem illam utitur duplici motu, altero quidem narium & cerebri, quæ molestantur: altero verò nervis, veluti longis quibusdam brachiis in thoracem demissis: per hos enim spiritum contrahit, per ossa verò quæ ὑμενίδια vocan-

vocantur ipsum emittit. In eam rem citant *Galen. 2. de sympt. caus. 1. & 5.* Causam ejus statuunt, quæcunque nares & partes anteriores cerebri irritant & ad expulsionem stimulant: sive intus in corpore genita sint, sive extra advenerint. Internas causas faciunt humores acres à capite defluentes. Externas, quæcunque acria per nares attracta, ut helleborum album, piper, pyrethrum & similia: odores item & vapores acres: denique splendorem solis, & lucem nimiam oculos offendentem, quæ dum vicinam narium tunicam stimulat, sternutationem excitare soleat. Creditur etiam per sympathiam interiorum tunicarum accidere, in cardialgia nim. cum lumbrici in intestinis hærent: hinc pueri nasum fricant, & sternutationem pati solent. Definitio, aut descriptio ejus hæc sit: *Sternutamentum est motus cerebri, quum spiritu confertim per nares acto, nititur expellere quod molestum est.* Alia & uberior desumi potest ex Hippocr. l. 7. aphor. 51. *Sternutamentum fit ex capite, calefacto cerebro, aut humectato spatio in capite inani: aër enim intus contentus foras effunditur. Strepit, autem, quia per angustum ipsi est exitus.* Addit ibidem celeberrimus & πολυμαθέστατος Joh. Heurnius in scholiis: *Flatus erumpit è cerebro & è pulmonibus per nares, unico impetu &c. Tunc vel solus vapor erumpit, vel una effertur ichor acrior.* De salubri effectu sternutationis sic statuunt Medici ex Galeno 2. de caus. symptom. c. 4. (citantibus *Castello & Stupano in Lexicis Medicis*) *esse maximum remedium capitis halitu repleti: quia uno impulsu tum à pulmone, tum à capite spiritus emittitur, ad expurganda ea, quæ in naribus offendunt*: Hinc est quod sternutatoria medicamenta adhiberi solent, quæ naribus admota, vapore ad cerebrum sublato, crassitudinem humoris dissecent, & cerebrum per nares seu palatum expurgent (ut *ibid.* ex. 13. *Method.* 21.) Adde ex Sennerti Instit. lib. 5. part. 1. c. 18. *Non tantum ea expurgari, quæ menyngibus cerebri circumfusa sunt, verum etiam quæ in ipso cerebro hærent.* De salubri effectu sternutationis; & consequenter, quod sit signum salubre, insuper *Aristoteles lib. 1. histor. Animal. c. 11. & problem. sect. 33. Probl. 7. Plinius lib. 28. c. 6.* Et *Albertus Magnus lib. 1. de Animalibus c. 8. Et Celsus lib. 2. c. 7.* ubi inter notas, quæ spem ostendunt, refert: *Quisquis dolor deorsum tendit sanabilior est: Singultus sternutamento finitur. Longas dejectiones supprimit vomitus.* Accedunt Thalmudici in codice Berachot: *Sex res sint signum pulchrum ægroto: sternutatio, sudor, solutio ventris, seminis fluxus nocturnus, somnus, somnium.* Quam necessaria & salubris sit sternutatio, anteriori parte cerebri malè affecta, docet *Ant. Santorellus lib. 19. de naturâ sanitatis cap. 19.* ubi conjicit sternutationem dici, quod motu illo sternatur, quidquid contumaciter cerebro infixum. Disquiri etiam posset, an non signi istiusmodi aliquam rationem habuerit septuplex illa sternutatio

pueri per Elizæum ſuſcitati 2 *Reg.*4.35. Hæc præcognoſcenda duximus, ut tanto melius de hiſtoricis & moralibus dijudicemus. Addo comparationem ſternutationis quadruplicem, 1. *in ratione* facultatis & actus expellendi, & ſic confertur cum tuſſi, vomitu, oſcitatione, pandiculatione, crepitu ventris: quem Rabbini eodem nomine עטוש *ittouſch*, id eſt, ſternutationis appellant: & hinc diſtinguunt ſternutationem, in ſuperiorem & inferiorem, ממעלה & מלמטה. In *cod. Berachot, fol.*24. 2. *In ratione*, ſymptomatis, motus: oſcitatio, pandiculatio, rigor, horror, &c. 3. *In ratione*, effectus & evacuationis ſalutaris: Vomitus, quo levatur ſtomachus: tuſſis, quà pectus: expuitiones per os & palatum, quà cerebrum, ſi quid vitioſi humoris in eo collectum. Hinc medicamenta, quæ per os evacuant καθαρσια: quæ per nares errhina & ſternutatoria. *Sennert. lib.*5. *part.*2. *c.*15. Perottus in cornucopiâ in voce *Sternutamentum*, p.574. dicit: *ideoque non modo caput, ſed & reliquas etiam partes bene valere indicio eſt. Quamobrem moribundos interdum ſternutatorio excitare ſolemus, tanquam ſi hoc effici nequeat, nulla amplius ſit ſpes ſalutis.* Quod medicis relinquimus. 4. *In ratione* ſigni ſalutaris ſeu bonæ ſpei, aut ſigni mali: ſunt quæ in priori non cedunt ſternutationi; & ſunt quæ in poſteriori (ſiquidem ſecundum errorem aut excuſationem vulgarem periculum ſit in ſternutatione) longe eam ſuperant: quæ tamen aut gratulatione ſeu gratiarum actione, aut ſupplicatione ordinaria conſuetudinis lege non proſequimur. De vomitu, ſingultu, rigore, aliiſq; conſulantur *Medici* modo *cit.*

111. Accedamus ad hiſtorica. Sunt illa triplicia, 1. ex antiquitatibus
2. Gentilium. 2. Judæorum. 3. Sequioris ætatis Chriſtianorum, & ex novitatibus. 1. Gentiles ſternuentes ſalutaſſe, & officioſa bonorum verborum appellatione veneratos eſſe, notum eſt, ex *Ariſtotele loc. cit. Athenæo lib.*2. *cap.*15. *Plinio lib.*28. 2. *Herodoto lib.*6. ubi de Hippia; *Xenophonte in Cyro minore lib.*3. & 6. *Plutarcho in lib. de Homero*, Apulejo l.9. de aſino aureo ubi de marito, qui uxorem ſternutaſſe putabat: *ſolito ſermone ſalutem ei fuerat imprecatus, & iteratò rurſum, & frequentato ſæpius.* De cauſa hujus ſalutationis quærit *Plinius loco citato*, ſed nullam adfert. Ariſtoteles Philoſophicam cauſam (ut loquitur Beroaldus in comment. ad Apulejum „loc. cit.) hanc adferre conatur: *Sternutamentum pro numine haberi, quo„niam de capite membrorum præcipuè omnium divino, ſuum ducit principium.* Et mox paulo poſt: *Cur eruptio ſternutamenti ſacra habita eſt? Vtrum quoniam cum tres partes noſtri corporis principales ſint, caput, ventriculus, alvus: cumque reſpiratio ventriculi ſit ructus, alvi crepitus, ſternutamentum capitis: quæ pars ſacra præcipuè eſt, ſpiritum hinc exeuntem tanquam ſacrum veneramur & adoramus. Præterea ſternutamentum indicat caput bene valere, poſſeque concoquere,*

quere, cum enim capitis dolor humorem spiritumve convincit, tunc moveri sternutamentum solitum est, quamobrem moribundos interdum sternutatorio excitamus, tanquam si sternutare non possent, spes nulla salutis alia sit, proinde quasi bonæ indicium valetudinis, partis optimæ atque divinissimæ sternutamentum adorant, beneque augurantur. Idem Arist. in 1. de Animalib. *Sternutamentum ait signum esse augurale, & unum ex spirituum omnium generibus sanctum & sacrum, sternumenta matutina antiqui ominosa putabant, & prohibitoria: è contrario meridiana probabant, ut auspicatiora, melioraque. Telemacho Homerico sternutamentum facit omen fœlicitatis.* Et ad eorum superstitionem, referunt originem talium salutationum & apprecationem antiqui patres; ut *Theodoretus de Curat.gr.aff.serm.6. p.* 88. & *Origines contra Celsum lib.* 4. *p.* 231. *Augustin. de doctr.Christian. lib.* 1. & ex recentioribus *Alexand. ab Alex. Genial. lib.* 2. *c.* 26. *Scalig. ad Catulli epigr.* 46. *Ferd. de Cordubâ in didascal. multiplice c.* 13.; *Mizaldus cent.* 3. §. 61. *à Strada loc. cit.* & *Demsterus paralip. ad Rosini l.* 3. *c.* 8. 9. 11. Species autem & causæ superstitionis erant variæ prima & primaria *auguralis*, de quo dextro aut sinistro omine vide autores cit. Et *August. Niphim l.* 2. *de Augurio c.* 7. *Beverovicium in qu. epistol.*, *epist. ad Salmasium*, & *hujus respons.*; Et *comment. ad Homeri Odysseam l.* 17. *in fine*, ubi de Telemachi sternutatione. Et ad *Theocriti Eidyll.* 18.; aut saltem *Demsterum*, à quo pleraque adducuntur. In *navigatione Schefferum lib.* 3. *de milit. navali cap.* 3. Secunda, *amuletica*, quod putabatur ei arcana vis inesse adversus insidias, & dolos: sic *Strada* ex *Homeri Odyss.* 17. Εἰ δ' Ὀδυσσεὺς ἔλθοι &c. Tertia, *religiosa*: quia est à capite, parte partium humani corporis, sancta olim habita: sic *Aristot. loc. citat.* ita ut sternuentes, non tantum apertione capitis, sed & flexo genu venerarentur. Vide *Stradam loc. c.* Quin immo ipsum sternutamentum, ut Deum, venerabantur ex sententiâ Casauboni ad Athenæi lib. 2. c. 15. *Sternutamentum*, inquit, *adoratione expiabant: quod non sacrum tantum esse putabant, ut in historiis scripsit Aristoteles, verum & Deum.* Verba *Xenophontis lib.* 3. *de expedit. Cyri* tale quid innuere videntur: Audita (sternutatione scil.) omnes milites μιᾷ ὁρμῇ προσεκύνησαν τὸν θεόν. Quamvis forte hic locus aliter accipi posset, de Deo scil. sotere, aut Deo, à quo bonum eventum dari, malum arceri posse putabant. A conjectura hac mea non video alienum, quod habet Princeps in
„his literis *Cl. Salmasius apud Beverovicium in quæst. epistol. p.* 81. Ad omnem
„porrò boni ominis aut augurii sibi objecti interventum solebant adora-
„re, vel Deo ipsi à quo immitti & efferri hoc omen credebant, id hono-
„ris exhibentes, vel etiam ipsi omini, si per se aliquid divinitatis habere
„videretur. Sic ille Xenophontis, quem citas, locus accipiendus, τοῦτο δὲ &c. προσεκύνησαν τὸν θεόν, ipsum nempe sternutamentum, quod sacrum habuerunt,

„buerunt, & quasi Deum. Nam in his locutionibus idem ferme valet, „pro Deo habere, & sacrum vel divinum habere. θεὸν ἢ θεῖον π. Nam & „Græci τὸ θεῖον pro Deo ipso plerumque usurpant. Sed *Aristotelis* verba manifestè testantur pro numine cultum sternutamentum. Nec mirum; cum ob similem causam crepitum ventris Deum fecerint (*Vossius lib. 3. de Idololatriâ cap. 5.*) Cui si addas Deum Stercutium Romanorum & Deam Cloacinam, non miraberis, idola Gentium גלולים, i. stercora & stercoreos Deos appellari in scriptura. Quarta *gratulatoria* pariter & *eucharistica*: Sic *Strada* ex autore græco (quem non nominat) refert, morem fuisse non salutem optandi, sed Deum sotera venerandi, quasi ob rem quæ salubriter evenisset. *Quintam causam* addimus, ἱκετικὴν supplicatoriam: quod sternutationem indicium aut prodromum morbo, aut morbum put rent, ideoq; solitam hanc precationis formulam adhiberent, Ζεῦ σῶσον. Simile commentum apud Rabbinos locum invenit: de quo mox. *Iul. Cæsar Scaliger sect.* „88. *ad Aristot. lib. 1. de historiâ animal. cap. 9.* Veteres rudes amitti animam „suspicabantur: idcirco ait *Plinius in* 28. revocari ferculum sternu„tamento, & sternutamentis additas salutationes. Qui mos etiamnum „durat. Pro augurio quoque acceptum bono aut non bono: perinde at„que dextra sinistraque nare prodiisset. Tanti ergo apud Gentiles Græcos, & plerosque latinos fiebat sacrum sternutamentum. Quamvis non deessent, qui inter minima reponebant: ut *Plinius lib. 2. cap. 7.* parva dictu „in auguriis sternutamenta & offensiones pedum. *Cicero lib. 2. de divina„tione*: Quæ si suscipiamus, & pedis offensio nobis, & corrigiæ abruptio, „& sternutamenta erunt observanda. Quod tamen de omnibus latinis non est dicendum cum *Demstero*: uti constat, ex dictis, *Catulli*, *Propertii*, *Suetonii*, *Plutarchi*, *Petronii*, ibidem adductis. Quibus adde *Apulei lib. 9.* „*modo cit.* & ipsius *Plinii lib. 28. cap. 2.* matutinæ sternutationes infanda „ominantur, meridianæ firmi sunt augurii. 11. Ex *antiquit. Iudaicis*: Homini sternutanti dici: חיים טובים, id est, *vita bona sit tibi*, vel אסותה vel רפואה, id est *medecina, salus* sit tibi: eo quod nullus hominum sternutans in morbo suo jam inde à creato mundo convaluerit; nisi Jacobus &c. Sicilli in *Chaskuni ad Genes. 48.* & *capitulis R. Elieveris c. 52.* Confer *Berachot fol. 57.* Inter orandum si cui eveniat, est signum bonum, *Buxdorf. Synag. c. 5. p. 176.* edit. pr. 111. Ex antiquit. & novitatibus Christianorum. Cum peste in Italia laborante sub Mauritio anno 580. repente obirent, si qui sternuissent aut oscitassent: hinc factum ut sternutantibus salutem præcaretur, oscitantes signum crucis ori admoverent. Vide *Gregor. Magnlib. 4. dual. c. 36.* *Sigonium lib. 1. de regno Italiæ*; *Ant. Verdier in discurs. additis ad Petr. Messiam, lib. 2. c. 8.* Sed rectè Strada loc. cit.

Satis

Satis se vereri, ne fabula hæc non bonis autoribus emanârit in vulgus. Santorellus *loco supra cit.* ut receptam præcandi formulam defendat, quam non videt convenire naturæ sternutationis, quippe unicè salutaris, relationem illam de Peste, certam esse velit, contra judicium *Fam. Stradæ.* Sed rationem nullam adfert. Et dato talem præcandi modum ante 1000, & amplius annos locum habuisse in Italia, quomodo ille conveniet Italis, aliisque gentibus extra talem casum positis? *Cardanus in commentar. ad lib. 5. aphorism. Hippocratis* morem hunc fausta præcandi enatum dicit; quod tunc Peste illâ veneno helleborino & euphorbia laborantes, sæpius sternutando brevi concidebant. Quod idem refert ex eo *Gul. Marquis in decade pestifugâ probl.* 1. Hæc tamen nihil faciunt ad τὸ θεῖον hodie athleticè valentem, & vel intuitu solis, vel alio quorumque irritamento semel & quidem salubriter sternuentem. *Polydor. Virgilius lib. 6. cap.* 11. Eandem salutationis originem refert, sed absque assensu: uti liquet ex aliâ, quam subjicit, causâ; & ex his verbis: *Vnde mos, ut quidam tradunt, inolevit* &c. De more salutandi apud Gentes aliquot Europeas recepto notum est, & testantur *autores citati.* In Gallia quam causam dent hujus officii salutandi indicat *Salmasius* verbis infra exhibendis. In Angliâ non ita obtinere videtur. Sed extra Europam in Africa apud Abassinos magna cum solemnitate Negus seu Imperator eorum sternutans per totam urbem salutari solet: incipiente aliquo aut incipientibus illi proximis in aula, & inde voce hac salutationis ad alios atque alios propagata. Quod alibi me retulisse memini.

IV. Sequitur diascepsis moralis, sed quam cogor indicare tantum, & nunc abrumpere. Tantum ergo propono hæc problemata. I. An Gentili, aut Judaica, aut Christiano-Italica consuetudine, & propter aliquam ex causis allatis, teneamur sternuentes aut venerari, aut ad sternutationem gratias agere, aut bene ipsis precari, aut illis gratulari? *Neg.* II. An rationes Physicæ & Medicæ suadeant, tale quid magis tunc observare, quam in aliis evacuationibus, aut symptomatis motus supra memoratis? *Neg.* III. An Ethica & civilitas morum magis hoc suadeat, in hoc *casu, quam in tussi?* *Neg.* IV. An sapiat vanam observantiam, & an præstet omittere. *Affirm.* V. An consuetudo illa tolerari possit? *Affirm.* VI. Quomodo, quamdiu? *Resp.* Secundum circumstantias personarum, locorum, temporum &c. Hoc *disquir.* Rationes & testimonia alias addemus. 3.

Additamentum.

HAnc Thesin III. ita scribebam anno 1640. nec voculam aut literulam in ea muto. Nunc secundis his curis, dum chartæ angustia non

prohibet, adjicimus hæc testimonia; ut constet æquo lectori, quo jure hæc nostra anonymus tenebrio fugillaverit, quasi pueros civilitatem morum, quâ à teneris per parentes imbuuntur, dedocerem. *Danæus in Isagoge part. 3. de doctrinâ Ecclesiæ cap.* 33. Formalibus verbis appellat superstitionem. Matthias Martinius in Lexico, voce sternuo: *Quod sternutantes salutamus, ajunt vulgò ex eo profectum, quia sternutatio olim in quodam morbo lætalis esset, ut salute dicta periculum à Deo precarentur, &, qui salvi evaderent, iis gratulentur. Sed fuit is mos jam olim apud gentiles, &, ut apparet, superstitionem matrem habuit; cujusmodi ritus adhuc multos passim, non quidem animo superstitionis reo, sed tamen citra causam superesse animadvertas.* Josephus Hallus *in characteribus virtutum & vitiorum lib. 2. cap. de superstitioso*, ubi futilissimis observationibus de corvi crocitatione, de impulsu ad limen, de subversione salini &c. jungit hunc characterem superstitiosi: „Quando sternutat, censet non esse sibi amicos, qui caput non aperiunt. Claudius Salmasius in epistol. quæstionibus Beverovicii p. 79. *Quod autem sternutamentum salutare putant (Gentiles scil.) ei, qui sternuisset ex ipso Aristotele colligi potest. Quâ in opinione sive superstitione, vulgus quoque Galliæ nostræ esse deprehenditur. Cum enim aliquem ægrotum sternutare audiunt, medicum suum ab eo dimitti ajunt.* Thomas Brovvne *in Pseudodoxiâ Epidemicâ*, quæ Anglicè tantum (quod sciam) exstat, *lib. 4. cap. 9.* disputat non esse prima originem hujus moris in Peste tempore Gregorii M. grassante, sed longè altius in Gentilium superstitionibus quærendam. *Santorellus supra cit. lib. 19. cap.* 24. judicat nullo certo autore dici grassasse aliquando pestem in quâ lætale erat oscitare. Atqui si hoc incertum, etiam de sternutatione incertum: quia iisdem autoribus affirmatur. Adde Origenem c. Celsum lib. 4. p. 231. *Quod si aves divinam habent animam, & Deum sentiunt, vel Deos, ut Celsus loquitur, nimirum & nos homines quoties sternuimus, ex divina quadam affectione animæ id facimus. Sic enim creditur multorum testimonio: unde illud Poëtæ,* præcanti sternuit omen. *Et Penelope sic inquit:*

Certum sternutans omen mihi nate dedisti.

Atqui verus Deus ad significanda futura nec brutis utitur nec istis quæ homini fortuito accidunt. Et Theodoretum de curat. gr. affect. serm. 6. p. 88. *Ita sane vel ii quoque qui tunc in sæculo vixerunt superstitionibus multis addicto, scommatis ac dicteriis incessebant & auguria & sortes, & quæ hodie quoque à nonnullis prodigia & portenta existimantur. Ergo & sibi sternuere sternutantes dicebant, non qui cuiquam inde quicquam portenderent; sed qui solitum sibi id accidens paterentur.* Unde colligo, *quod ad* primam originem hujus præcationis esse merè superstitiosam. 2. *Quod ad* retentionem & continuationem, sed mutata

tatâ, causâ impellente, formali, finali esse non-necessariam & satis otiosam, quomodo de aliis ritibus Gentilium per antiquos transformatis & ad Christianismum inflexis (cum per Gentilium, & vulgarium Christianorum tyrannicam consuetudinem tollere vix possent, saltem non auderent) judicamus in *disp. de Idololatriâ indirectâ*. 3. *Quod* ad usum hodiernum, esse in se adiaphorum, modo quis se ei non adstringat, ex eo sacramentale aliquod faciendo, aut conscientiam aliquam usus sive ob supernaturalem sive ob naturalem rationem assumendo; magis, quam in oscitatione, vomitu, ructu, tussi, singultu aliisque sive necessariis, sive utilibus ac salutaribus evacuationibus fieri solet. Breviter ne passivus ille usus repugnet caritati in proximum & scandalum præbeat; nec speciem mali pingat; nec sit occasio mali; denique ne alios huic salutationis aut honoris officio non tam accuratè attendentes condemnemus, atque ita ex adiaphoro paulatim necessarium, immo & sacrum ac mysticum quid faciamus: nedum ut causam quam veritatis ac pietatis hoc quæsito prætextu cum αὐτοκατακρίσει aliter adversus veritatem hiscere non possumus, apud imperitam plebem huic consuetudini inhærentem, gravemus, atque odiosam reddere studeamus. Deniq; ne invita Physica & Medicina causas quas fingamus, & obtorto collo ad hanc salutandi necessitatem trahamus; atq; adeo inter alias quascunq; sensibiles evacuationes & inter sternutationem immensum discrimen ponamus. Cur enim oscitantibus perpetuâ quasi lege non æq; salutem apprecati sunt majores nostri & nos non æq; apprecamur, ac sternutantibus; cum utriusq; eadem dicatur fuisse ratio in Peste Romana an. 590. tempore Pelagii & Gregorii M. ita ut oscitantes dicantur repentina morte tunc concidisse & hinc cruce os suum in Papatu munire solere oscitantes: uti referunt *Polydorus lib. 6. cap.* 11. & *Durantes in Rationali lib. 6. cap.* 102. Quod tamen negant *Santorellus* Medicus *lib. 19. cap.* 24. quin & ipse *Baronius* qui morem hunc derivat ex *Plinio*: cui adstipulari videtur *Gavantus in Thesauro sacr. rituum tom.* 1. *part.* 4. *tit.* 11. Alii hanc causam assignant, quod diabolus aliquando per os oscitantium ingressus sit. Quam *loco cit.* explodit *Santorellus*.

APPENDIX *ad Disputationem de* SUPERSTITIONE.

Vbi de Genuflexione ad nomen Iesu, & ad Mensam seu Altare.

Resp. NICOLAO van HOORN Medioburgo Zeland. *Ad diem* 11. *Iulii* 1640.

SUperstitione explicata restant problemata quædam determinanda. Quorum alia sunt thetica seu generalia; alia hypothetica seu particularia. Thetica nunc ista solummodo proponemus. 1. *Probl.* est, An & quomodo possit esse excessus seu su- 1.

perfluum in religione, & consequenter committi peccatum superstitionis. *Resp.* Superfluum dicitur vel secundum absolutam quantitatem, vel secundum quantitatem proportionis. *Illud* non datur, quia tenetur homo Deum diligere ex toto corde, ex omnibus viribus; & consequenter nunquam nimis Deus colitur. *Istud* datur, cum scil. cultus non proportionatur fini suo, qui est ut homo det Deo gloriam, & ei se subjiciat mente & corpore, idque ex Dei præscripto. Quando ergo contra aut præter Dei præscriptum, colitur Deus *Matth.* 15. *Col.* 2. aut cultu externo à Deo præscripto colitur absque relatione & ordinatione ad cultum internum, qui individua cum illo conjunctione cohæret, dicitur cultus ille superfluus *Ies.* 1. 11. 12. 13. 14. 15. *Psalm.* 50. 9. 14. Confer *Thomam in* 22. *qu.* 93. *art.* 2. 11. *Probl.* An gravius peccatum sit superstitio, quam Dei tentatio? *Resp. Aff.* quia magis divinæ reverentiæ adversatur. Illi enim subest error contra divinam excellentiam; isti vero dubitatio de eâdem. Jam vero gravius est in errore contra fidem confirmatum esse, quam de veritate fidei dubitare. Confer 22. *qu.* 97. autem 4. ubi objectiones solvuntur. 111. *Probl.* An omnis observatio numeri sit superstitiosa? *Resp.* Observatio est vel numeri numerantis, vel numeri numerati seu concreti. Hujus observatio ad agendum est licita, quod ad majus aut minus. Sic multido aut pluralitas consiliariorum, subditorum, militum, nummorum, navium, mercium, proventuum terræ, malorum &c. observatur tanquam effectum, aut objectum, aut ordinatur tanquam medium fini suo proportionatum. Docet hoc præter lumen ac rationem naturalem scriptura *Luc.* 14. *vers.* 31. *Proverb.* 14. *vers.* 28. *Iohann.* 20. *Matth.* 26. 2 *Corinth.* 11. 24. 1 *Ioh.* 4. 1. *Rom.* 12. 4. 5. 1 *Corinth.* 1. 26. &c. Numeri numerantis seu abstracti, cum nulla sit efficacia (neque enim est agendi principium *quod* nec principium *quo*), nulla alia debet esse observatio quam 1. *in ratione* mensuræ & mensurantis, quatenus in eo & secundum eum res simpliciter numeramus. 2. *Quatenus* utimur eo ad distinctionem rerum, & sic ad faciliorem intelligentiam, & consequenter ad artem mnemoneuticam; idque *vel absolute* distinguendo aliquid per numeros ex. gr. decem prædicamenta; quatuor causæ, tres figuræ syllogismorum, tres gradus necessitatis propositionum &c. & in methodo tam simplici, quam complexa; ex. gr. tria vel quatuor momenta aut requisita hic notanda; Item Respondeo primo, secundo, tertio &c. Ad hæc, sit ergo conclusio prima, secunda &c. *vel comparatè* seu collatè, ut in arithmologia tam sacra; quam profana Physica, Morali, Historica, Poëtica. *Illius* specimen dedit *Brougthonus tractat. peculiari*; ex. gr. sex dies creationis, sex circuitionis Jericho &c. duodecim tribus dividentes terram Canaam, Apostoli, Por-

li, Portæ Hierosolymæ Apocalypticæ &c. Decem generationes ante diluvium, decem à diluvio usque ad Abrahamum, decem plagę Ægypti, decem præcepta &c. *Istius Alstedius in Encyclopædiâ*; ex. gr. triplex cœlum, triplex vita &c. Quatuor Elementa, quatuor plagæ mundi, & venti cardinales, quatuor primæ qualitates tactiles, quatuor humores &c. Notandum autem in his naturalibus, numeri ejusdem communionem & convenientiam, quâ Deo placuit distinctas res seu naturas aut earum affectiones creare, debere tantum simpliciter in se considerari & conferri quod ad τὸ ὅτι non vero ἀποδειξιν aut à priori aut à posteriori investigandas; aut convenientiam in numero numerante ad rerum ipsarum convenientiam in natura & operationibus, aut qualemcunque subordinationem ac dependentiam, aut signationem, ex vi sc. istius numeri, in quo conveniunt; extendendam & trahendam. 3. *Quatenus* numerorum illorum perfectio in se speculativè spectatur & observatur absque ullo respectu ad sanctitatem quandam mysticam & supernaturalem, aut ad operationes, aut ad significationes sive naturales, sive supernaturales: ex. gr. perfectionis septenarii, denarii &c. Huc refer speculationes Algebraicas, & applicationem numerorum ad magnitudines, seu demonstrationem Geometriæ numeralem. Quidquid ultra adfertur, illud ad vanitates aut superstitiones referimus. Qualia sunt de rerum & actionum perfectione, aut majori excellentia, aut majori efficacia ad quid operandum aut prognosticandum, aut propiori ad Deum & res divinas relatione & cum iis conjunctione; siquidem tali potius, quam alio numero sint, aut fiant, aut adhibeantur aut dicantur seu pronuntientur; ex. gr. 1. *de præstantia & efficacia numeri* imparis præ pari. Vide *commentat.* ad illud *Virgilii. Numero Deus impare gaudet*; sic obtinuit consuetudo ut pilulæ numero impari exhibeantur. Defendit illud sed rationibus partim absurdis, partim magis ignotis *Pet. Andr. Canonhierus in Medicis, Politicis & Theolog. interpret. Aphorism. Hippocratis, prolegom. p.* 55. Rationes ejus sunt: 1. *Quia* natura numeros impares, aut ex iis duplicatos pro deliciis sibi elegit: quod apparet in crisibus perfectis, quas ut plurimum, nisi impediatur, numero dispari (nominatim septenario), aut à duplicatione illius molitur. Medici ergo hic imitantur naturam. Porro naturam amare numeros impares, probant *Cæsar Bovillus, Fabius Paulinus, Petrus Bongus.* 2. *Quia* sine numero nihil intelligi potest; & numerus impar inter cæteros sit is, quo Medici mirabiles naturæ operationes intelligant &c. hinc ab antiquis mandatum est, ut catapotia numero impari exhiberentur. 3. *Quia* numeri sunt comites causarum per se, & causæ per se ex naturæ instituto numeris sunt conjunctæ: cum igitur numeri indicent latentes causas naturales

„& numeri impares in rebus medicis maximum obtineant momentum;
„hinc est, quod medici catapotia numero impari exhibeãt, ut causę per se,
„quæ in numerum imparem naturę lege propendent, à suo comite adjun-
„ctę aut allectæ, facilius & mirabilius suas edant operationes. 4. *Quia*, hu-
„jus consuetudinis Medicæ ratio vera est & Germana sed omnibus ha-
„ctenus abscondita; quam non patefaciunt, ne indoctus aliquis ipsam irri-
„deat. Ad argumentum quod numeri nullam habent activitatem, excipit
„*ibidem*: numerum per se non habere, sed causæ per se agenti junctum
„habere; quâ conjunctione mirabilia fiant in naturâ, ut docent *autores modo cit.* Rationes has indicasse, est refutasse. 2. *Certis quibusdam* numeris, ut binario, ternario, septenario &c. peculiaris efficacia, aut mystica significatio tribuitur. Quod indicavimus *Disp. de Festis part.* 2. *thes* 1. *Problem* 15. & *authores ibid. cit.* Confer *Ausonii Poëma, de numero ternario.* Et *Valesium de sacra Philosoph. c.* 70. ubi fusè de numeris Pythagoricis, sed quæ cum grano salis sumenda. Et *Cornel. à Lapide in comment. ad Prophetas minores tom.* 1. *p.* 399 ubi de numeris Pythagoricis, & per eos divinatione. *Ib. p.* 413. ubi numerum quadragenarium dicit esse symbolum pœnitentię. Et *Augustin. lib.* 11. *de Civit. Dei c.* 30. 31. *Philonem l.* 1. *de opificio Mundi*, & *l.* 1. *allegor. Hieronym. in Amos* 5. *Macrob. in somnio Scipionis. c.* 6. *Agellium lib.* 3. *Masium in Iosua.* 6. & *Bongum supra cit.* 3. *Numeri* Pythagoricè considerati, ut omnium rerum causæ, & naturalium problematum solutiones, rediguntur primum quidem in rationes Geometricas, deinde in Arithmeticas; ut pluribus explicat *Valesius loc. cit.*: à qua Philosophandi ratione non puto ab horrere hodiernos quosdam Algebraicos, qui ex algebrâ sua pansophiam se deducturos videntur promittere. 4. *Numeri* qui principia sint fatalium periodorum in rebus humanis, & Rebuspublicis; ex sententiâ Platonis. Quam opinionem excussam vide passim apud autores Politicos. *Aristotelem & sectatores*, ut *Keckerm. Bodinum, in Politica & in methodo historiarum.* 5. *Numeri* similitudo, aut paritas in rebus disparibus & longè distantibus; unde rerum istarum identitas aut convenientia, in materia, forma, proprietatibus, causalitate & operationibus; aut dependentia unius ab altera tanquam principio aut causa colligitur. 6. *Numeri* similitudo aut paritas ex literis Alphabeti in vocibus rerum diversissimarũ diversissimis per Arithmanticam Cabalistiticam (quam Rabbinici *gematria* appellant) collecta. 7. *Numeralia* pseudographemata; quando ex *numero* rerum dissitarum & ἐπιφορῶν, alterius rei numerus colligitur: ex. gr. numerus septem sacramentorum, ex septenario numero aliarum rerum, quæ in scriptura occurrunt. Quod falsè perstringitur ab autore *Alvearii Romani tom.* 2. *part.* 2. *s.* 6. 8. *Numerorum* scriptio, in chartis aut scedulis, ad

quid

quid operandum. 9. *Numerica* mimesis; quando res eodem aut pari numero, cum personis trinitatis, septem angelis (quos vocant mundi rectores; de quibus in *Disp. de hierachia cœlesti*), duodecim Apostolis, septem doloribus Mariæ, septem effusionibus sanguinis Christi; item horâ septimâ, nonâ &c. tempore passionis Christi (quod fit in horis Canonicis) exhibentur aut fiunt. Breviter huc pertinet cujuscunque certi numeri observatio, conscientia aut opinione sanctitatis aut præstantiæ & efficaciæ præ aliis ad effectus divinos, aut naturales, aut civiles; quos ex vanitate antiquorum prolixè exhibet *Fabritius Paulinus hebdom. lib. 5. c. 4.* & *Bongus de mystic. numer. significatione*; & ex iis describit *Canonhierus ad Hippocr. lib. 4. Aphor. 35.* Huc etiam pertinet cabalisticæ illa species, quam *Gematriam* appellant, quando voces considerantur ratione numeri, qui earum literis continetur; & inde rerum istis vocibus significatarum mutua habitudo, aut quævis attributa eruuntur ac demonstrantur cabalistica, in genere ejusque speciebus tanquam vacuis observationibus, infra forte pluribus agemus. Cabalisticis affinia sunt, quæ ab *anonymo* quo græco ex Anatolio præcipuè & Nicomacho comportata græcè edidit Christ. Wechelus Paris. anno 1543. tit. *Θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς*: ubi numeri interiores Metaphysicæ, Pneumatologię, & Physicæ speculationes Pythagorica methodo deducere dicuntur. Anno 1615. anonymus quis libellum de numero figurato, absoluto, cossico, radice edidit in 4. pompatico hoc titulo: *Mysterium Arithmeticum, sive Cabalistica & Philosophica inventio nova, admiranda & ardua quâ numeri ratione & methodo computentur, Mortalibus à mundi primordio abdita, & ad finem non sine singulari omnipotentis Dei provisione revelata cum illuminatissimis laudatissimisque Fraternitatis Roseæ Crucis fama viris humiliter & sincerè dicata, tum piis omnibus & singulis Christianis fideliter & planè propalata. VVeigelius* Theologus Paracelsicus seu Pythagoreus nugatur omnem theologicam cognitionem consistere in cognitione numeri Apocalyptici 666., quem contendit oriri ex 36. spiritibus &c. Vide hæc fanatica somnia detecta & refutata à *Johann. Crocio in initio Anti-VVeigelii quæst. 1. sect. 1.* Quantitati discretæ seu numero efficaciam & mysticum quid tributum apud Gentiles constat ex *autoribus* supra *citatis*, imprimis ex *Bongi* spisso volumine *tit. de numerorum mysteriis.* Nec ab hac vanitate immunes semper fuerunt Christiani. De numeri septenarii observatione mox infra dicemus. In Papatu quam malè circa numericas superstitiones conscientiæ informentur, discе non tantum ex errore & praxi populari, sed etiam ex Doctorum approbatione aut excusatione. *Canonhierus* Theologiæ & Medecinę Doctor, vir quamplurimæ lectionis *in Medicis, Politicis*

ticis, *Moralibus, Theologicis interpretationibus aphorismorum Hippocratis p.* 56. defendit numerum, non quidem per se, sed causæ agenti junctum esse efficacem, & hâc conjunctione mirabilia à causis per se in natura fieri: hocque applicat non tantum rebus atque effectibus naturalibus, sed & civilibus ac humanis. De efficacia numeri imparis pilularum *p.* 55. & in rebus omnibus *p.* 769. ex Car. Paschalio & Bongo. Martinus Bresserus Jesuita lib. 6. de conscientia cap. 21. §. 291. cum ingenuè dictasset: *magis „apparere superstitionem, si fiat vis in certo numero aut quantitate precum, signorum crucis, aut candelarum* (12. secundum numerum 12. Apostolorum). „*quasi alias non prodessent.* Paulo post §. 293. hæc ita evertit: *Adverte „secundo, absque notâ superstitionis signa aliqua observationis relata, etiam certo numero, adhiberi posse, cum spe non quidem certâ, sed probabili, finem iis intentum obtinendi, non à dæmone, sed à Deo ac Sanctis. Ita non est dubium, „quin licitum & pium sit gestare collo appensas reliquias, & recitare quovis fine „quinquies* Pater & Ave *in honorem quinque vulnerum Christi; servare octavam, vel etiam novenam, potius quam septenam, v. g. in honorem novem chororum Angelicorum, similive motivo: celebrare item triginta Sacra, quæ dicuntur S. Gregorii, eo quòd hic tot diebus curarit orari pro defunctis.* Et §. 294. „*Ex dictis etiam collige, non esse omnino illicitam & improbandam piorum ac „simplicium consuetudinem, colligendi herbas festo S. Ioannis Baptistæ; eodem „vel alio festo secandi jumentis venam; eadem jumenta novies circumducendi „circum templum S. Antonii; ex prima pecunia oblata crucifixo indie paraseeves „comparandi annulum ad sanandum contractionem nervorum, aliumve morbum. „Quæ & similia superstitiosa essent, si tribueretur vis causis illis naturalibus, non „tamen, si supernaturalibus, meritis ac precibus Sanctorum; aut si fiant in honorem Dei, ut communiter Doctores. Qui tamen prudenter monent, ejusmodi „consuetudines abrogandas esse, si facilè abrogari possint, eo quod sapiant superstitionem; si non possint, non esse damnandas, sed simplices docendos, ut ea faciant „bona intentione.* Huc confer quæ *ibid.* §. 290. Fistula Lojolitica dulce canit cum *Thomâ Zanchez lib. 2. c. 40. §. 15. Bonacinâ tom. 2. disp. 3. qu. 5. puncto 3. §. 18.*, de peccato veniali: quin etiam addito hoc post aulio suo concludit. *Certum præterea est, in omnibus ejusmodi* (vanitatibus scil. etiam magicis ac divinatoriis) *sæpe à peccato excusare simplicitatem & ignorantiam „invincibilem*: Satin' laxa hæc Casuistica? *Iacobus Marchantius in Resolutionibus pastoralibus, ad primum præceptum qu. 16. p. 29. Quæro an sit superstitio „Novenam, sive Novendiu, impendere in honorem Sanctorum? Cur potius novem „dies quàm septem, vel saltem octo, quandoquidem Octavâ publica solennitate in „eorum honorem celebret Ecclesia?* Resp. Non esse necessarium hujus præcise numeri rationem reddere, quamvis non desint etiam mysticæ rationes

quæ

„quæ hic considerari possunt, sive ob novem menses quibus Maria Chri-
„stum gestavit, sive ob Choros novem Angelorum Deum jugiter laudan-
„tes: hoc nobis sufficiat, quod ipsimet Sancti hunc impleverint dierum nu-
„merum in sacris gravibusque negotiis. Et *qu.* 17. *p.* 30. *Quæro, an non sit*
„*superstitio in peregrinationibus, dum novem diebus Oratio Dominica & Saluta-*
„*tio Angelica recitatur, sed sic ut primo die novies, secundo octies, tertio septies,*
„*& sic deinceps minuente se numero recitentur? An non & similiter, pro novendio*
„*diminuere candelulas quas accendunt de die in diem, conformiter ad orationes?*
„Resp. potuisse id introduce per aniles & vanas observationes, ut alibi di-
„xi. Si tamen alicubi id ex quadam traditione antiqua à piis & doctis Pa-
„storibus approbata, vel scita ab Episcopis, observatur, non condemna-
„rim. *Ibid. qu.* 5. Varias superstitiones in peregrinatione ad S. Hubertum
„admittit, propter consuetudinis & traditionis præscriptionem. Quomo-
„do *Barthol. Fumus in Armilla aurea* tit. *superstitio* §. 3. præsagia futurorum
„bonorum & malorum ex his quæ accidunt, numerat inter peccata veni-
„alia: quia scil. sic habent ex antiquis suis, & quia ut in pluribus videtur
„sic accidere. Sed quid opiniones quorundam Casuistarum hic perse-
quor, cum tota Ecclesia Romana in horis canonicis & rosariis suis nume-
ralem superstitionem committat, ac seriò defendat: de quo in *disp. de Ro-*
sariis &c. Confer & *Brabantiam Marianam Augustini VVichmans p.* 177.
In genere tamen *Delrio l.* 3. *part.* 2. *qu.* 4. Omnibus his vanitatibus obloqui
videtur. Et *Concil. Tridentini sess.* 22. *c.* 9. tacitè & indefinitè tangens super-
stitiones in missa, inter alias respexit celebrationem earum certo numero.
Fundamenta istarum superstitionum jacta sunt in falsis aut vanis quibus-
dam hypothesibus, de numeri perfectione, de numeri mysterio &c. Quas
per varios numeros explicatas invenies apud *Bonum*, & non raro in *Pa-*
trum, *mediæ ætatis scriptorum*, ac *Pontificiorum commentariis ad scripturam.*
Conferri possunt *Hannibal Rosselius in Commentar. ad Trismegistum lib.* 2.
comm. 1. *qu.* 1 *cap.* 1. ubi de ternarii numeri sacramento. *Cornel. à Lapide in*
Iona. 3. *v.* 4. ubi dicit quadragenarium mysticè symbolum esse pœniten-
tiæ; de quo numero *Augustinus lib.* 2. *de doctr. Christ. cap.* 16. subtiliter phi-
losophetur. Et *Valesius de sacra philosoph. cap.* 70. ubi hypothesin ex libro
Sapient. cap. 11. *v.* 21. & *Esdræ* 4. *cap.* 4. *v.* 36. 37. derivat, eique Pythago-
ricam numerorum philosophiam superstruit. *Lorinus ad lib. Sapientiæ loc.*
cit. ad partes vocat Valesium, nec quidquam in eo reprehendit. *Antonius*
Verdier in suis lectionibus una cum *Petri Mexia* Gallicè editis *lib.* 6. *cap.*
10. perfectionem ternarii, denarii, & millenarii extollit. Septenarii nu-
meri vanam observationem partim in usu sacro fundatam, reperies apud
autores supra *cit.*: quibus hic addo *Iudæos in Pirke Eliezer cap.* 18. ubi inter

alia cabaliſtica ſomnia comparet de ſeptem mundis à Deo creatis, ex quibus non ſelegerit niſi ſeptimum. Ex Gentilibus Ægyptios, à quibus ſeptenarius dierum numerus, ad alias gentes dimanavit (*Gruterus tom.1.p.816.*) etiam ad Chriſtianos; ut & in *Iure Canonico c: non obſervetis cauſ.26.q.7.ubi dies Ægyptiaci* ex *Auguſtino* memorantur, notante etiam *Rhodigino lib.14.c.9. Gloſſa juris canonici loc.cit.* exponit, Ægyptios docuiſſe qui dies ad opus inchoandum toto anno infauſti eſſent, & hos eccleſiam in Kalendariis notaſſe. Quod poſterius *Delrio lib.3.part.2.qu.4.ſect.6.* more ſuo ſtrenuè negat. Ubi ex *Petro Breſlayo lib.1.* notabilium dies illos infauſtos enumerat. Sed cenſores & recognitores gloſſarum mandato Pii V. anno 1572. & mandato Gregorii XIII. anno 1580. gloſſam hanc intactam reliquunt, & approbant. Ex Pontificiis vanè ſeptenarium numerum obſervant *Valeſius Philoſ.ſacr.pag.162.& 199. Serrarius in Ioſua 6.q.28. & in Tobiæ 12.qu.7.* imprimis hic exorbitat Canonhierus p.844.& 744. *Sicut*, inquit, *ſeptenarius apud medicos eſt maximi myſterii*, &c. *Sic apud politicos virtutum omnium myſteria complectitur.* Et qui de ſeptem Angelis Dei throno aſſiſtentibus philoſophantur (vide *commentar. & à Lapide & Ribera in Apocal.1.*) de quorum ſuperſtitione in *diſp.de Cœleſti Hierarchia & Angelis Tutelaribus.* Poſt editam illam diſp. prodiit tract. *S. Clotz contra Angelo latriam*, ubi *p.400.401.* &c. *de ſeptem Angelis.* Nec ſatis ſibi caverunt antiquæ & mediæ ætatis ſcriptores, ab hac vanitate. *Iuſtinus Martyr in quæſt. & Reſp.q.69.* cum primum rectè reſpondiſſet ſeptenarium numerum non eſſe cauſam operum naturæ complementi, ſed naturæ vim eſſe cauſam ſeptenarii: poſtea tamen ſubdit, *in ſcripturis diſpoſitum eſſe, ut ſeptenarius præ cæteris præſtabilior numerus reperiatur. Clemens Alexandr.lib.4. Stromatonp.377.* myſterium ſeptenarii & octonarii indicat & *lib.5.p.411.* imprimis *lib.6.p.492.493.* Nazianzenus in ſerm. de Pentecoſte, *de ſeptenario multa* ait *eſſe teſtimonia*; & quamplurima ex ſacris literis, ut etjam ex Ethnicis producit. Similiter *Hieronymus in Galat.5.* Et in *Matth.* 15. ubi perfectum ſacratumque numerum appellat. *Auguſtinus lib.11. de Civit.Dei cap.31.* & *libr.de ſpiritu & animâ cap.62. Beda in Actor.6.* numeri hujus myſterium agnoſcit. *Bernardus ſerm.15. in Cantica, ſub finem* dicit eſſe ſacrum numerum. Nec deſunt ex noſtris, qui torrente præcedentium ſcriptorum abducti huic vanitati participantes quaſi myſticum quid, ſi non optativum, ſaltem ſignativum in hoc numero admiſerunt: quorum nominibus hic parco. Confer *diſp.de Sabbatho*, & *Bongum in ſeptenario.* 111. *Probl.* An ex quantitatis continuæ magnitudine aut parvitate, item diverſa ejus ſpecie ut triangulo, circulo, quadrato &c. aut corporum quâcunque modificatione, forma, & figura, ulla rerum proprietas & activitas

vitas observari possit? *Resp.* Quando quidem quantitas terminata provenit à forma rei, non est negandum ex quantitatis variatione & modificatione rei seu substantiæ proprietates aliquas activas, quamvis obscurè, remotè, & probabiliter à posteriori colligi & signativè 2. inter patibiles qualitates, ex specie & modo quantitatis & figuræ, colligi sonum, & pondus. Ut enim figura rotunda est capacissima sic etiam diversitas tum ponderis, tum soni magni, parvi, acuti, gravis &c. ex longitudine, latitudine, crassitie, concavitate &c. corporum colligitur. 3. Ipsarum specierum magnitudinis in se & comparatè cum aliis perfectiones & admiranda posse Geometricè & Metaphysicè considerari: modo ne quis ipsam faciat principium aliquod per se activum, aut adjunctum necessariò & certo signativum; imprimis in supernaturalibus. Est enim quantitas aut realiter ipsa substantia corporea, modus scil. ejus intrinsecus; aut primum ejus & proprium adjunctum sed purè passivum. Ad superstitiones ergo referimus 1. collationem rerum disjunctarum, in natura aut qualitatibus activis, aut in dependentia, subordinatione, aut coordinatione aliqua necessaria; ex eo, quia in quantitatis aut externæ figuræ, aut ponderis similitudine aut æqualitate conveniunt. 2. Circuli alteriusve figuræ perfectionem ac præstantiam, quæ ad sacrum aliquod mysterium aut peculiarem efficaciam in supernaturalibus extenditur. Ad hanc vacuam observationem circa similes rerum figuras, refer totam illam scientiam imaginum (quam ita vocant recentiores mystę) seu signaturarum, qua figuræ aliaque externa accidentia considerantur in rebus naturalibus, potissimum in herbis, lapidibus, animalibus eorumque partibus, ut hinc internas & latentes vires deprehendant. Vide de his *tract. Osvaldi Crollii de signaturis*, quem cum *Chymicâ basilicâ* edidit. Et Confer *Sennertum contra Paracelsistas cap.* 18. Sed de his infra in *disp. de Magiâ.* IV. *Probl.* Quid ergo de figura corporis humani, ad judicia physiognomica statuendum? *Resp.* Ultra probabile non indicare. V. *Probl.* An illicita sit omnis observatio temporis? *Resp. Neg.* Est enim Physico-Astronomica, (ad quam refer Nauticam & Georgicam), Medica, Moralis, Chronologica *Primam* scriptura inculcat *Genes. 1. vers. 14. Matth. 16. 3. Actor. 27. 9.* Quâ vitæ hæc humana carere non potest. *Secunda* est observatio dierum criticorum, item opportuni temporis his aut illis evacuationibus, pharmacis &c. utendi. Huc refer de anno climacterico multis letali: Quæ observatio tamen non tribuit effectus & mutationes illas numero, aut tempori quà tali, nec astris ut causæ οἰκείας propriæ ac proximæ; sed humorum & complexionis rationi ac periodo cuidam naturali. Idem dicendum de partu octimestri raro (ut hactenus communiter ferè senserunt) vitali. Con-

sulant, quibus vacat, *Laurentium lib.* 8. *Anatom. c.* 9. *& lib.* 3. *de Crisibus c.* 1. *Alphonsum* imprimis *Caranzam* J.C. Hispanum in *tract. de partu naturali & legitimo:* ubi quamplurima ex variis autoribus congesta & proprio judicio examinata reperies, de temporibus gestationis & partus, deque partu septimestri, octimestri, nonomestri, decimestri? Deque anni & temporum ratione &c. Addantur & *Salmuthus ad Pancirollam de novè repertis tit.* 10. Qui cum pluribus Jureconsultis & Medicis ibi *cit.* ultra decimum mensem usque ad decimum quintum inclusè concedit. Sed huic sententiæ validè se opponit *Caranza cap.* 15. unicum tantum casum excipiens, si forte tempus gravidationis ad duodecimum mensem & ultra per maleficium magicum, prolatum fuisse probari possit: pro quâ exceptione adducit *Delrio lib.* 3. *part.* 1. *qu.* 4. *sect.* 3. Agunt etiam de annis climacteris & diebus criticis, inter Astronomos & Chronologos *Franc. Paduanus in catenâ temporis pag.* 101. *&c.* inter Philologos *Gruterus tom.* 1. *thesauri Critici pag.* 219. & nuperrime celeberrimus *Salmasius.* Inter Medico-Politicos *Canonhierus p.* 744. & 652. ubi plures alii autores citantur. Sed diligenter attendendum, ne prætextu licitæ Medicę aut Physicę observationis τὸ nimium huc subrepat. 8. *Tertia* est Ethica, & Theologica, quæ commendatur *Ephes.* 5. 16. *Luc.* 21. 44. *Ierem.* 8. 7. *Eccles. act.* 3. 1. & 8. 5. 6. Huc refer Oeconomicam *Matth.* 24. 43. & Politicam *Eccles.* 10. 17. Multa congerit *Canonhierus ad lib.* 1. *pag.* 541. quæ ostendant, in quam multis Medici pariter & Politici tempora observare solent. Tempora, ætates, occasiones JCtis. & Canonistis observata fuse persequitur *Tholosanus de Præludiis opt. Iurisc. toto libro quarto*, ubi etiam digreditur ad tempora omnium artium ac scientiarum, atque una vanam eorundem observationem perstringit. Editus est Francofurti anno 1594. *Eustathii libellus, de varia temporum in Iure civili observatione* ex græco in latinum traductus, una cum *Mandosi casibus annalibus, Oldendorpii de Temporum præscriptione, &c.* Nonnulla de iisdem inspargit *Canonhierus.* Habet, quod huc faciat explicatio *Actor.* 17. *vers.* 26. Vide *Priceum in notis*, qui de præfixo cuique vitæ tempore recte exponit, & cum adductis aliquot extraneorum Testimoniis confert. *Quarta* est Chronologica; quæ vel absoluta vel comparata. Prior observatio est cum rebus gestis sua quæque tempora assignantur, eaque ordine digeruntur. Posterior est triplex; *Synchronismus* & Chronologia κρίσεως παλαιᾶς, quando omnes res (eodem numero scil.) tempore gestæ conferuntur, quod fecit *Helvicus in Chronologia*: *Calendarium*, quando omnes res memorabiles quæ eodem specie tempore (mense scil. & die) acciderunt, annotantur, quod fecit *Eberus in suo Calendario*: *Arithmologia*, quando conferuntur personæ,

personæ, quæ parem ætatem vixerunt; aut bella, obsidiones, captivitates &c. aliæque actiones aut passiones, quæ tempore æquales sunt. Hic nota chronologicam proprie esse observationem magis temporis, quà temporis, hoc est, χρόνου; reliquas esse magis rerum aut occasionum in tempore, hoc est καιρου. Quidquid ergo præter hæc observatur, ad vanitates referimus: quia tempus non est propriè ens, sed modus & circumstantia entis, & consequenter nullam habet activitatem. Species vanitatum censurâ notandæ, pleræque excerpi possent ex *Delrio lib. 1. c. 4. qu. 2. & l. 3. part. 2. quæst. 4.* & addi nonnullæ ex autoribus, qui temporibus & numeris mystici quid tribuunt, quales imprimis Paracelsistæ, inter quos *Crollius Chym. pag. 331.* edit. primæ, &c. *Valesius loc. supra cit. Tholosanus Synt. artis mirab. l. 15. c. 10 Canonhierus prolegom. p. 56. & ad 4. Aph. 36. & ad lib. 5. Aph. 15. & 6. Aph. 51.* ubi ex Paulino & Bongo quam plurima notatu digna transcribit. In signorum & temporum observatione Agricolis ac nautis imprimis usitata (de quibus *Aratus in Phænomenis, Hesiodus in operibus & diebus, Virgilius in Georgicis, & rei rusticæ scriptores Palladius, Varro, Columella*) cavendum ne quæ superstitiosa irrepant, qualia supra *part. 1. hujus disp.* ὐν παρόδῳ quædam notavimus. Superstitiones in observandis temporibus perstringunt *commentar.* sub nomine *Ambrosii in Galat. 4. Augustinus in comment. ad Galat. 4. & in enchiridio cap. 79. & Ius Canonicum loco modo cit.* nec non *Burchardus supra cit.* Etiam Pontificii Casuistæ communiter, & Delrio lib. 3. part. 2. qu. 4. sect. 6. p. 456. non tamen sine palliatione. Verba ejus hæc sunt: *Vnde sequitur, quod recte Binsfeldius infert, huc referendos qui* observant certas festivitates, *ut Conversionis B. Pauli, Vincentii, Vrbani, vel aliorum, quibus si pluat, vel cœlum serenum sit, sibi spondent serenitatem, fertilitatem, vini copiam vel inopiam, ut continuatam per tot dies pluviam, unde & superstitiosos fecere versus, quorum primus est;*

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni, *&c.*

Item qui colligunt herbas in die *Sancti Ioannis, ad certos quosdam effectus, credentes eo die habere vim naturalem efficaciorem, vel* inserunt arbores *ipso die Annunciationis B. Mariæ, vel in Festo S. Stephani*, minuunt sanguinem equorum, *& similia faciunt, naturalem causam attendentes, quæ nulla est: unde vane ista instituunt: sed & festa sic potius inhonorant quam colunt. Si vero directe ista adscriberent merito Sanctorum, & Deo tribuerent effectum ut sanctos illos honorandi, viderentur & ipsi sanctos illos honorare, quare nec auderem eas damnare. Huc etiam pertinent, qui* observant quosdam dies, *ut puta diem D. Magdalenæ, diem Lunæ, &c.* ut infaustos, *vel ut faustos ad iter, aut rem aliquam inchoandum.* Quod ad herbas in festo Johannis colligendas, condemnat quidem illud *Delrio*; *Toletus* insuper *lib. 4. Instruct. cap. 16.* magiæ

insimulat: nihilominus defendit *loco cit. Bresserus p. 696. & Canonhierus ex* professo *pag.* 55. Vana observatio temporis futuri, (quod Deus nobis occultum esse voluit *Actor.* 1. 4.) notatur in *Disp. de Signis temporum & de Prophetia.* VI. *Probl.* An & quæ observatio loci sit absque vanitate? *Resp.* 1. *Cum* non tam locus seu spatium abstractè dictum, quam corpus quod est in illo loco, Physicè consideratur: quatenus scil. locus dicitur locatum trahere, conservare &c. 2. *Cum* consideratur ut adjunctum seu circumstans, aut subjectum in quo est mobile, & sine quo non fit motus localis, nec operationes, quæ fiunt per motum localem. Contra vanitatis arguitur, quidquid efficaciæ tribuitur loco in operationibus quæ fiunt per alterationem. E. g. *telum quo homo vulneratus est &c. servetur loco tepido, non nimis calido, ne damnum inferatur patienti: cavendum etiam ne pulvis desuper telum cadat, nec ventus afflet in loco frigido, alioquin patiens ad insaniam redigeretur.* Sic *Crollius Chymicæ Basilicæ p.* 332. in descriptione unguenti sympathetici. Quid enim teli locus hic præ illo faciet ad curationem vulneris, quæ fieri debet per motum alterationis in corpore vulnerato? Vide de unguento armario in *disput. de Magia.* VII. *Probl.* Quæ & qualis observatio verborum sit licita? *Resp.* In verbis consideratur vel materiale, vel formale. *Illud* in pronuntiatis est sonus, in scriptis figura & forma seu color literarum. Observa in sono, figurâ, colore nihil aliud, quam quatenus aures, oculosque naturaliter afficiunt. *Istud* est significatio. Hujus ratione nihil aliud observandum in verbis sive sacris, sive profanis quam quatenus sunt signa notificantia conceptus mentis, quæ nos docent de rebus per ea significatis; quæque consequenter tanquam instrumenta subserviunt gratiæ spir. s. Physicè operanti, moraliter cooperantur fidem & resipiscentiam *Rom.* 1. *v.* 16. Quidquid supra illa verbis tribuitur, est à malo: qualia e. gr. colorem characterum rubrum aut viridem præ nigro, adhæc ordinem, situm, &c. item chartam, calamum &c. habere vim aliquam operativam in naturalibus, aut supernaturalibus; verba barbara, aut linguæ alicujus Orientalis, aut cujuscunque ignotæ esse efficaciora; speciem orationis non enuntiantis, imperativæ, aut vocativæ, aut etiam optativæ, & precatoriæ ad Deum (opere scil. operato). Et certas formulas precationum, aut certa quædam commata & tmemata scripturæ lecta aut scripta, habere vim si non Physicam saltem mysticam per modum imprecationis &c. Confer. *Delrio lib.* 1. *c.* 4. *qu.* 3. *per totum & qu.* 4. ubi nonnulla superstitiosa propter consuetudinem & tolerantiam seu mavis praxim atque approbationem ecclesiæ suæ excipi velit: quæ tamen solidis argumentis ante ab ipso allatis valide perimuntur. De nominibus quibusdam, ut ex. gr. Angelorum, aut Jesu scriptis aut pronuntiatis, quæ

quæ amuleta putantur contra peſtem, ſpectra, maleficia magica, aliiſque ejuſmodi nominalibus Judæorum, & Pontificiorum ſuperſtitionibus, aliquid diximus in *diſpp. de Exorciſmo, & de Peſte.* De myſteriis cabaliſticis nominis *Iehova*, paſſim Rabbini nugati ſunt, nec adhuc nugari deſinunt, ut videre eſt in *R. Menaſſe ben Iſrael in Exod. qu.* 3. De hoc nomine ex Chriſtianis agunt *Martyr in loc. commun.*; *Gomarus in diſp. de nomine Iehova*; *Ioh. Georgius Dorſcheus in diſſertat. de Iehova*; *Grotius in notis ad Matth.* 22. *v.* 44. *Reuchlinus lib.* 3. *de cabala*; *Galatinus de Arcanis Cathol. verit. l.* 2. *c.* 10. 13. Imprimis ſuperſtitiones Iudeorũ referunt *Buxdorfius in epitome radicum*, & *Ioſeph. Voiſin l. de theol. Iudeor. c.* 5. Ejuſdem furfuris, eſt vanitas de nomine Dei non proferendo in loco ſecreto aliaque cum hâc ſuperſtitione conjuncta, apud *Buxdorfium ſynagogæ cap.* 4. Apud antiquos Gentiles nomina propria perſonarum aut rerum boni aut mali quid putabantur adferre (*Gruterus tom.* 4. *theſauri critici cap.* 3.) Apud eoſdem nomen Dei Tutelaris ignotum eſſe volebant, ne ſcilicet ab hoſtibus *efficaciâ* evocaretur. *Macrob. lib.* 3. *Saturnal. cap.* 9 Vide *ibid. de vi & carminum. Litera* Z. dicebatur infauſta (apud *Capellam in Nuptiis Philologiæ* & *Suidam in lexico.*) De variis προσωπείοις ſpeciebus, in abuſu vocum, literarum &c. ſive ſcriptarum ſive pronuntiatarum vide *Peucerum de divinat. p.* 410. ult. edit. *Delrio lib.* 4. *qu.* 7. *ſect.* 3. Ab hujus ſuperſtitionis multiplici praxi plebs in Papatu immunis non eſt, nec ab earundem defenſione ſatis integros ſe præſtant Doctores Pontificii: præunte ipſis *Thomâ in* 22. *qu.* 97. & poſt illum *Dionyſio Carthuſiano in libro contra vitia ſuperſtitionum artic.* 3.-7. *Franciſcus Georgius* more ſuo hic exorbitat *tom.* 6. *ſect.* 10. Ubi nominum impoſitioni, mutationi &c. efficaciam tribuit. In genere tamen *Delrio lib.* 1. *cap.* 4. *qu.* 1. imprimis & *Hermannus Hugo de primâ ſcribendi origine c.* 29. omnem vim literis & notis denegat, præter duplicem moralem, ſignificandi ſc. & obligandi: ubi multa ad has vanitates ſpectantia ex compluribus autoribus adducit. Quod ad materiam vocum, ſonum ſcil. & clamorem, refert *Camdenus in deſcriptione Hiberniæ*, & ex eo *Camerarius centur.* 1. *c.* 77. Sylveſtres Hibernos magnam efficaciam tribuere incondito clamori, quo in præliis utuntur; ita ut putent eos, quorum clamor reliquorum non reſpondet, ſubito è terrâ arripi & in valles deſertas deferri, ibique gramine veſci, aquam lambere &c. clamoris hujus meminit *Vvæus in antiquitatibus Hiberniæ* nuperrime editis *c.* 12. ſed dictæ opinionis non meminit. De ſonorum ſuperſtitione agit noſtra *diſp. de Campanis.* VIII. *Probl.* Quæ licita obſervatio Muſicę, ſoni harmonici. *Reſp.* Muſica vocalis tantum valet, quantum cantilenæ voces ſignificantes earumque apta & concinna ſive proſaica, ſive metrica

compo-

compositio ad homines erudiendos & affectus eorum permovendos. Eadem insuper cum instrumentali si consideretur, non ratione numeri abstractè, sed ratione numeri concrete, ut scilicet est sonus harmonicus suaviter contemperatus in sensum & appetitum hominis operatur, & sic spiritus animales ciendo ac movendo consequenter ac mediate per motum alterationis (physice & immediate operantis) hominis corpus immutat. Quod imprimis & evidenter liquet ex 1. *Samuel. cap.* 16. de quo *in Disputat. de Dæmonibus:* & ex experientiâ, in curatione à morsu taratantulæ. De quâ *Mathiolus ad Dioscor. lib.* 2. *c.* 57. Cujus fide eadem refert *Delrio lib.* 1. *c.* 4. *qu.* 2. Idem hoc naturæ admirandum verbulo attingit *Ionstonus Thaumatogr. lib.* 8. *c.* 23. & *Campanella lib.* 4. *de Sensu rerum c.* 17. Supra & post omnes alios naturæ hoc miraculum pandit *Athanasius Kircherus in arte Magneticâ lib. ult.* qui sine admiratione & voluptate legi non potest. In Genere quæ sit efficacia Musicæ ad movendos homines, docent Philosophi cum *Aristotele Polit. lib.* 8. *c.* 5. 6. 7. Quidquid ultra Musico sive numero, sive carmini tribuitur, id vanitatem sapit. De quo vide *Delrio d. l. qu.* 2. Aliquot istarum vanitatum more suo involvit & incrustat *Campanella loc. cit. & cap.* 18. ubi nugatur conscium aërem per verba prolata affectum afficere. Sed hujus viri phantastica deliria detegimus in *disp. Part.* 1. ubi *de Atheismo, & Creatione*; & *Part.* 2. ubi *de Prophetiâ.* IX. *Probl.* An omnis inter res diversas symbolizationis & similitudinis observatio vana? *Resp. Aff.* de omni ea, quæ ex similitudine in pura externa quantitate, figura, colore, infert qualitates seu facultates specificas ad certas operationes: cujus generis est illud Crollii tract. de Signaturis p. 62. 63. *Medicamenta quædam à similitudine prodesse, & miro modo à morbis liberare deprehendimus; quia unum alterius anatomiam habet* &c. In catalogo quem ibi texit, comparet, cancer vivus cancrum curat, cardiacam cor perdicis, cerebrum suillum phrenesin, particula de umbilico infantis recens nati annulo inclusa aut gestata incapsula argentea coli cruciatus; cranii fœminei pars anterior epilepsiam fœminæ, & masculi epilepsiam maris, flavam bilem expurgat rhabarbarum ejusdem coloris, hæmorrhoides in locis occultis se manifestantes sanantur à scarabæis in equorum excremento latitantibus, jecur lupinum confert jecinoris infirmitatibus. Renovant nostra corpora & juventutem restituunt, quæcunque animalia habent in se virtutem renovativam, ut de vipera & serpentibus traditur, &c. Quid experientia de plerisque affirmet, judicent artifices. Sed collectionem scientificam ex similitudine, ἄλογον esse norunt omnes Logicorum filii. Quid an nullius animalis jecur æque aut magis est simile humano quam lupi, aut cor cordi humano, quam perdicis? Cur

ergo

ergo tribuenda sit hæc facultas, non est quærendum in similitudine. 2. *Quæ* ex ficta & putatitia sympathia superiorum cum inferioribus, (de quâ in *disp. de Magia*) aut ex conjunctione astrali atque elementali colligit curationes astrales seu sympatheticas. Quomodo *Crollius Chym. basil. p.* 332. tria dicit per prætensum unguentum causari effectum hopliatricum: sympathiam naturæ; influentiam corporum cœlestium suas operationes per elementa perficientem; & balsamum quod sanandi virtute præditum cuilibet homini naturaliter inditum est. 3. *Quæ* ex similitudine aliqua inter rerum naturalium & supernaturalium qualitates, actiones, passiones, concludit signaturas istarum illis inditas esse, & consequenter à nobis indè eruendas. Gustum hujus sublimis sapientiæ scilicet dat Crollius, de signaturis p. 93. ubi indicat *signaturam in tritico primi nostri parentis; mysteria dei paræ virginis in vitis incisione artificiali; aquilæ bicipitis & aliorum mysteriorum è filice, si artificio ingenioso exscindatur; & gladioli, tonitru cunei, utriusque victorialis radicis multis loricis perplexæ & constellato tempore collectæ, ut & herba cruciatæ, contra armorum incidentium vim, signa magica naturalia, solis veræ Magiæ alumnis revelata & revelanda, &c.* Similes periculosæ nugæ occurrunt in *Amphiteatro Henrici Kunrath*, à Sorbona Parisiensi censura notato, cujus narrationem habes apud *Marinum Mersennum in Cogitatis physico-mathematicis*. Et in *Gaffarelli* sacerdotis Galli *Curiositatibus inauditis*, gallice in 8. itidem Sorbonæ censura notatis.

Atque hæc problemata dogmatica: Practicum, unum solummodo 2.
subjicimus. An & quomodo rebus, actionibus, temporibus &c. utendum sit, ut in nullam vanam observantiam, aut saltem speciem ejus incidamus; aut syncretismum cum Gentilium, aliorumque vanitatibus exercere videamur: ne etiam in alteram partem contendamus scrupulosè sc. omnia tuta metuendo, & sic ab omnibus fere abstinendo. *Resp.* 1. Distinguemus res agendas seu actiones & omissiones. Quædam enim per se necessariæ aut utiles sunt; quædam non. 2. Distinguemus res seu actiones in se & materialiter consideratas; ab iisdem consideratis formaliter cum sua adhærente vana observantia, seu cum respectu & additamento illo superstitionis. 3. Distinguemus rei aut actionis παρεφυὰς quod est ἔργον & hoc ipsum atque adeo in existentia & usu minime aut vix separabile; ab eo quod est παρεργον, & facile separabile. 4. Distinguemus rem aut circumstantiam rei quæ nullum habet usum quam illum superstitioni appropriatum; ab eo quem præter appropriatum illum habet communem & adiaphorum seu neutrum. 5. Distinguemus loca, ubi vivimus, & homines inter quos vivimus. Alicubi enim grassantur & vigent superstitiosi illi respectus, observationes &c. alibi plane ignorantur, quia nunquam

ibi fuerunt, aut jam exolverunt. 6. Distinguemus tempora quibus vivimus. A multis olim propter speciem vanæ observantiæ tunc communiter obtinentis abstinendum; à quibus hodie non est abstinendum: & sic vice versa. Confer *disputat. de Idololatriâ indirectâ part.* 2. §. 4.

3. Problemata hypothetica sunt triplicia 1. scripturæ partim historica partim dogmatica, ad quæ disquiri quid potest de vanis observantiis: qualia nunc tantum indicamus ex. gr. *Gen.* 42. 15. & 44. 5. 15. & 50. 2. 3. 4. 10. *Ier.* 15. 5. 6. 7. *Matth.* 9. 23. *Actor.* 12. 15. & loca illa quæ agunt de ritibus nuptiarum, funerum, conviviorum, luctus &c. 11. Ad antiquitates ecclesiasticas ex. gr. de usu olei, mellis, salis, aquę, luminarium, crucis &c. item variornm gestuum & rituum &c. de quibus alibi ex professo agendum. Interim consulendi, *Albaspineus*, *Ambrosius Vicecomes*, *Barthol. Gavantus* & similes antiquorum rituum interpretes in *dispp. de Ceremoniis & de Liturgiis* indicati; cum quibus conferendi qui Concilia, capitularia, scriptores medię ætatis notis illustrârunt. Ex nostris *Gerardus Ioh. Vossius* in *dispp. de Baptismo, de Cœnâ, de Precibus pro mortuis &c.* multos antiquorum ritus & observationes historicè refert; de quorum usu aut vanitate, aut tolerantiâ ex verbo Dei Theologicè & prudenter judicandum. Tantum enim periculum ecclesiæ ab ἀρχαιομονοῦντων cœcâ (ita loquar) obedientiâ & mimesi, quantum à novaturientium proterviâ & pruritu. 1. *Probl.* Quid judicandum de antiquorum desputatione & exsufflatione, quibus utebantur baptizandi in abnegatione dæmonis. Vide *Ioseph. Vicecomitem lib. 2. de ritibus baptismi cap.* 19. Dictum *Dionys. Areopag. de Hierarch. eccles. cap.* 2. *& de abrenuntiatione Satanæ; Salvianum lib.* 6. *de gubernatione Dei*; ibique eruditum *commentarium Rittershusii.* Quid de iisdem ritibus in abominatione idolorum & sacrorum Gentilium, de quo Prudentius c. Symmachum lib. 2. *Quis Iovis infertam sanie non desputataram.* Et *Beda in passione Satyri, & in Felice.* Et apud *Minutium* Cæcilius Christianos accusat, quod Deos despuerent. *Tertullianus, de spectaculis cap.* 13. hoc laudat in Christianis. *Idem de Idololatria cap.* 11. Adhæc in rejectione pseudo-prophetarum, apud *Irenæum lib.* 1. *cap.* 9. coll. cum *Epiphanio hæresi* 34. Denique in conspuitione & exsufflatione idololatrarum, immo & ipsorum præfectorum? *Resp.* agnoscimus utrumque ritum esse naturale quasi, & usitatum extremi contemtus signum. Vide *commentator. ad Numer.* 12. *v.* 14. *Iesa.* 50. *v.* 6. *Deuter.* 25. *v.* 9. Hactenus ergo nihil mali in eo video: si modo absit omnis opinio aut species sacri aut sacramentalis; hoc est, ne tribuatur illi efficacia in operando aut mysticè quid signando, sed tantum communiter eo aversio & contemtus noster indicetur. Saltem si quis abstineat

ſtineat à diabolo externe exſufflando & deſputando, nihil abſurdi committet. Quod ad exſpuitionem in idololatras, præſertim in ipſos præfectos judices, malim exempla Romani Martyris, & Eulaliæ (quæ refert *Prudentius*) mirari, quàm imitari. 11. *Probl.* An ſuperſtitioni affines, & connexi ſint Gentilium ſolennes ludi, & publica ſpectacula? *Reſp. Affi.* Ex 1 *Corinth.* 10. *v.* 7. coll. cum *Exod.* 32. *v.* 6. ubi vide *commentator.* Omnia enim illa inſtituebantur in honorem Deorum, non minus quam convivia, à quibus fideles avocantur 1 *Corinth.* 8. & 10. Agones & Ludos Diis ſacros fuiſſe probat *Petrus Faber lib.* 3. *Semeſtrium cap.* 1. & *lib.* 1. *Agoniſticon cap.* 3. Et hinc abſtinentia ab illis ſevere Chriſtianis prohibita, interpoſita etiam ſolenni ſtipulatione in bapitiſmo. De quo *Rittershuſ. ad Salviani lib.* 6. *modo cit.* 111. Ad novitates pertinent duûm generum problemata; quorum alia quærunt de obſervantiis non religioſis, alia de religioſis. *Prioris* generis ſunt iſta 1. *Probl.* An celebratio natalium ſapat vanam obſervantiam. *Reſp.* Quamvis intrinſecè & in ſe non ſit malum, ſiquidem abſit ſuperſtitio & luxus: (uti ex noſtris determinat *Calvinus in Matth.* 14. quem defendit *Rivetus in Hoſea cap.* 7. *verſ.* 5.) Nihil tamen peccabit, ſi quis omittat: ſaltem formalitates illas Belgarum, qui floribus & ſertis eos adornant; & Germanorum, qui brachium ſerico vinculo aut faſcia ipſis alligant: quæ otioſa facta mihi ſuſpecta ſunt, quamvis ratio & origo ipſorum nondum ſatis perſpecta. Quidquid ſit; ſuſpicionem faciat & cautelam ſuadeat, quod tota natalium ſolennitas ex Gentiliſmo profecta ſit, quodque ibidem celebrationis natalium idololatricorum, & conſequenter eorundem in Papatu occaſionem dederit: cujus puto mentionem à nobis factam in *Diſp. de Tempore Nativitatis Chriſti.* Interim, ſi quis aveat ſacra gentilitia diei natalis & epularum penitius perluſtrare, is conſulat *Cenſorium de die natali cum notis Lindenbrogii*; *Martinum Roa* qui cum ſingularibus ſuis *librum* edidit *de die natali ſacro & profano*: ubi ex profeſſo hæc explicat. Aliqua etiam de natalium celebratione attingunt *commentatores ad Matth.* 14. *Serrarius in Machabeor. lib.* 1 *c.* 1. & *lib.* 2. *cap.* 5. & 6. Agens de natalibus regum & principum celebrandis, reformatos perſtringit, quod reginæ Angliæ natalitia tanto cum apparatu celebrarent, cœlorum vero reginæ natalem ſuſtuliſſent. Multa hic reponi poſſent: ſufficit nunc dici longe diſparem eſſe rationem moris ſeu ritus civilis, qui conſequenter in ſe adiaphorus eſſe præſupponitur; & cultus religioſi: quem tanquam adiaphorum noſtro arbitrio Deus non permiſit. 11. *Probl.* An vanæ obſervantiæ ſit ſtrenas mittere Kal. Januar.? *Reſp.* In antiqua eccleſia ita cenſebatur; cum ſc. vigeret Ethniciſmus. Nunc apud nos colluſionis cum obſervationibus Gentilium tantũ periculum non eſt; nec cuiquã

scandalum tale ex eo datur. Si tamen plane mos ille abolitus esset, nihil video incommodi in ecclesiam aut Rempub. inde reduntaturum. Idem dico de donariis, quæ tempore paschatis, aut nativitatis Christi partim consanguineis & necessariis, partim pauperibus Pontificii passim, & nostrates alicubi ex eadem consuetudine elargi solent. *De strenis tractatum* scripsit *Henricus Cuylens* Pontificius. De iisdem *Turnebus lib.* 10. *adversar. cap.* 26. De Kalendis Januarii *Martinus Roa lib.* 4. *singularium cap.* 11. Et *Hospinianus de Festis.* Inter antiquos commentarius dictus *Ambrosii in Galat.* 4. Et *Tertullian. de Idololatriâ Kalendarum* solennitatem Christianis prohibent. Sed de hoc forte in *disp. de Festis.* III. *Probl.* Quid de benedictione, quam solemni ritu parentes liberis alicubi, & quidem quotidie impartiuntur? *Resp.* Vide ad hoc responsum in *Disp. de Benedictionibus.* IV. *Probl.* Quid de annulo, quem Dux Venetus mare sibi desponsans, in illud quotannis projicit? *Resp.* Ritum hunc tuetur *Chavassius lib.* 1. *de perfectâ prudentiâ, cap.* 9. in gratiam scil. Papæ Alexandri qui in signum dominii maris Venetis ob classem Frederici Ænobarbi devictam, & filium ejus captum hoc annulo & privilegio donavit. Nos absque injuria Sereniss. Reip. juxta Theologiam nostram putamus esse factum otiosum, ut mollissimè loquamur; & Papam donasse, quod non erat in ipsius potestate; eodem scil. jure, quo Alexander VI. Castellanis & Lusitanis novum orbem cum maris dominio donaverat. Confer de hoc, si vacat, *Hugonis Grotii mare liberum. Hemmingius in tract. de Magiâ*, non veritus fuit pronuntiare, jactatas regum Angliæ & Galliæ curationes esse Satanæ ludibria. Quod refero, ne quis putet nos nimium liberè de annulo pronubo Venetorum judicare. V. *Probl.* Quid de juramento solenniter super libro euangeliorum, aut super bibliis præstando? *Amesius in Medullâ* sua *lib.* 2. *cap.* Et in *responso ad Burgesii defensionem ceremoniarum* Anglicè anno 1633. edito *sect.* 31. *pag.* 357. non tam probat, quam excusat: quod tantum sit complementum actionis civilis, quâ hominibus satisfacimus; & ut inde astantes sicuti auribus audiunt sic oculis videant, talem protestationem esse factam. Sed dato hoc ita se habere, cur potius Biblia quam librum alium aut abacum, aut mensam &c. adhibent. Notum est in Papatu formulam hanc adhibitam: ita me juvet Deus & omnes sancti: & manum cruci impositam. In Belgio nostro post introductam reformationem, cœperunt prætores aliqui, præsertim agrarii substituere hanc formulam: Ita me juvet Deus, & sanctum ejus euangelium seu verbum. Memini postulatum à ministris ut hoc posterius, propter ambiguitatem scil. omitteretur. Quamvis enim euangelium sit instrumentum salutis nostræ, tamen non videtur satis tuta & evidens enuntiatio, illa in quâ Deo cordium inspectori

ctori & summo testi ac judici, (per quem solum ideo jurandum est) evangelium conjungitur. *Posterioris* generis problemata occurrunt quamplurima: suntque de observantiis circa religionem, quæ 1. aut antiquitus relictæ sunt, nec per reformationem plane sublatæ? quales de quibus in Ecclesiis Germanicis disceptatur inter nostros & Luther. Quarum summam habes in *Eckhardi Fasciculo controv. & in Schafmanni disput. Tremon*, & in *Himmelii collegio Eirenico.* Vide *disp. nostram de Ceremoniis ecclesiasticis.* Sunt & aliæ, de quibus inter ipsos reformatos disquiritur in Ecclesia Anglicana: pleraſque exhibet *scriptum Ministrorum Lincolnienſium oblatum Regi Iacobo* anno 1605. quod nuper recusum anno scil. 1638. Vide *disp. nostras de Ceremoniis & de Liturgiis.* 2. *Aut* novæ seu recidivæ; quales illæ quæ nunc non ita pridem cœptæ aut observari, aut commendari, aut spargi, aut etiam obtrudi. Enumerantur illæ & autoribus quæque suis, adscribuntur à libro *Anonymo*, cui tit. *Laudensium αὐτοκαθάκλεισις cap. 6.* Sed quia multæ ex iis, si non pleræque sunt superstitiones Papisticę, crassæ & formales: non est quod iis recensendis & peculiariter examinandis hic immoremur. Duas ergo tantum seligimus, unam ex antiquis, sed quæ de novo urgetur, genuflexionem scil. ad nomen Jesu, & alteram ex novis, genuflexionem ad mensam sive ad altare.

De Genuflexione ad nomen Iesu.

IN Ecclesia Papali hodierna praxis, & ei succenturiata Apologia docet 4
Genuflexionem, aut saltem capitis apertionem, ejusdemque & pectoris inclinationem ad pronuntiationem nominis Jesu; & quidem tanquam cultum religiosum à Deo præscriptum (uti volunt) *Philipp. 2. 10.* ubi *Rhemenses, Corn. à Lapide in comment.* & *Paludanus in Vindiciis Theolog. ad loc. cit.* ubi & alia argumenta confert. Adde & *Thomam opusc. 66. artic. 6. Abulensem in Exod. 28. Exod. 20. qu. 6. & 7. Zvvarez ad 3. qu. 25. art. 3. sect. 6. Serrarium in Iosua cap. 2. qu. 15.* Dissentiunt autem, (fatente *Serrario qu. 16.*) quomodo sit venerandum; an impropria & catachrestica veneratione, quæ nihil ad nomen pertineat, sed in ipsam rem significatam feratur; uti vult *Dominicus à Soto lib. 2. de Iustitia qu. 4. art. 2 Corduba lib. 1. qu. 5. dub. 4.*; An insuper propia, non quidem absolutâ, sed tantum respectivâ, ut scil. honor aliquis deferatur, propter ipsam tamen rem significatam, sic *Thomas*, & *Zvvarez loc. cit.* quibus accedit *Serrarius.* Fundant autem hunc cultum partim & primò in speciali mandato (uti putant) *Philipp. 2.*: partim in excellentiâ, quia est nomen supra omne nomen (*Serrarius quæst. 12.*): partim in efficacia ejusdem, ad salutem *Actor. 4. 12.*; ad corporis

morbos pellendos *Actor.* 3.6.& 4.10. ad pellendos dæmonas è & à corporibus: ad omnis generis miracula; ad tentationes & fraudes dæmonum ex animis ejiciendas; ad animorum eruditionem, puritatem & consolationem. Hæc omnia operosè probat *Serrarius qu.* 13.& 14. ubi sine superstitione nominali non discedit. Conatur quidem σόφοις φαρμάκοις morbidas illas superstitiones sanare: sed frustra, manet enim *qu.* 14. *conclusio* „4. Nomen Jesu tam extra quam in verborum complexione supernatu„raliter morbos dæmonasque pellit, miracula peragit, ex opere operato. Solent sæpe pro concione allegare hanc rationem: *Quod Christus ipse in cruce inclinavit ad nomen suum quod supra scriptum erat*: uti auritus testis refert *Edvv. Sandis* Anglus *in tractat.* Anglico (qui nunc & gallicè exstat) cui titulus *Speculum Europæ p.* 16. Quin & Papa Johannes XX. ad quamque inclinationem capitis concessit 20. annorum Indulgentias: ut refertur *Ibid.* Tantus ipsis hic cultus. Hinc & reformatos acerbè perstringunt, quod Genuflexionis omnis, nominatim ad nomen Jesu hostes sint. Sic *Fitsius Simon in Britannomachiâ ministrorum lib.* 2. *cap.* 2. *p.* 156.& *c.* 6. *p.* 199. Mansit illa capitis apertio in ecclesiis Lutheranis sed alio fine, ut docent notæ marginales L. Osiandri filii ad Philipp. 2. 10. *Est descriptio dominii & majestatis Christi. Interim pia illa civilitas (quâ ad mentionem nominis Iesu genua flectimus, & caput aperimus) non est contemnenda. Testimonium enim ea præbet nostræ erga Christum reverentiæ.* Vix tamen, siquidem διαφυλάττειν τὴν θέσιν & usque ad finem disputare velint, à periculosis, & Papistico-formibus, hypothesibus, argumentis, & exceptionibus abstinere possunt. Vide *Fasciculum V. dissertat. Theologic. Iusti Fevvrbornii, disp.* 5. *à* §. 17. *usque* 33. ubi haut obscurè hunc ritum (quem aliàs inter adiaphora numerant) facit necessarium. Pontificii etiam hanc praxin Lutheranorum commendant, & in ea societatem superstitionis quærunt: ut videre est apud *Serrarium, in Iosuæ* 2. *qu.* 15. In Ecclesia Anglicana etiam consuetudo hæc non tantum hæsit, sed & *Canone* 18. *Statutorum Episcopalium Anno* 1603. confirmata est. Hinc factum ut ministri non pauci libello supplice anno 1603. per Chartertonum maximum illum Theologum Johann. Raynoldum Regiæ Majestati exhibito in aula Northamptoniensi, humiliter peterent inter alia, *ne ministris imponeretur ut populum docerent genuflexionem ad nomen Iesu* (art. 1.): qui indignis modis ibidem excepti sunt; uti docent *acta collationis Northamptoniensis* publice tunc edita. Quin & *Oxonienses* cum applausu Cantabrigiensium dictam ministrorum supplicationem *edito scripto* 1604. acriter perstrinxerunt. Alio tamen modo & fine hanc observationem à se retineri communiter defendunt: tanquam adiaphorum quid, & ritum seu ceremo-

ceremoniam innoxiam ab Ecclesia decori & ordinis causâ impositam. Quamvis non desint inter eos, qui tanquam cultum à Deo præscriptum ex *Philip.* 2. juxta cum Pontificiis defensum eant; quos infra indicabimus. Ut ad Pontificios revertamur, contendunt illi originem hujus observationis antiquam esse *Serrarius loc. cit.* Et *Peludanus loc. cit.* qui adducit *Hieronymum in Amos* 3. de quo infra. Antiquitatem hujus ritus invenire est novitate Papali *Iure* scil. *Canonico, Sexto lib. 3. t. 23. c. 2.* ubi exhibetur *decretum Gregorii X. anno* 1273. Et in *Concil. Basileensi anno* 1431. *sess. 21.* Et *Conc. Provinciali Senensi anno* 1524. *in decretis morum c.* 18. Et *decretis fidei c.* 14. *Concil. Provinciali Augustano anno* 1548. *c.* 23. & *Moguntino* 1549. *c.* 59. (quæ omnia habet collectio *Surii*) *Concil. Rhenien. anno* 1583. *& Bituricensi* 1584. apud *Bochellum in decretis Eccles. Gallic. lib.* 1. *tit.* 2. *c.* 22. *& tit.* 7. *c.* 28. His adde præter antiquos supra *cit.* Sorbonistas, quos perstringit *Calvinus in Philipp.* 2. *Salmeronem tom.* 1. *proleg.* 24. *& tom.* 3. *tract.* 37. *Carolum Stengelium tract.* peculiari *de SS. nomine Iesu.* Ante decretum Gregorii X. scripsit *Franciscus Assisius literam* (uti loquuntur) *ad sacerdotes* (exstat in *Bibliothec. patrum tom.* 13.) quæ præscribit ut audientes nomen Jesu, eum adorarent. *Eodem tomo* exstat *tract. Monachi Davidis de Augustâ* (anno 1240.) *de* 7. *processibus Religiosi*: in quo refert circa exteriores ceremoniales observantias, ut inclinationes, genuflexiones in horis, pulsationes, & omnes gesticulationes, sæpe minus virtuosos, majorem vim facere, quam alios perfectos & magis devotos. Porro ad nomen Jesu hodie genuflexionem observari, & observandam docent *Magistri ceremoniarum*, inter quos magnus compilator *Gavantus tom.* 2. *Thesauri sacr. rituum p.* 107. & 204. Præter illam genuflexionem, quam videntur soli nomini Jesu velle asserere, etiam ad nomen Spiritus S. quando in missis de Spiritu S. pronuntiatur initium hymni: *Veni sancte spiritus* &c. etiam ad illa verba in canone Missæ post consecrationem: per eundem Christum, Sacerdos caput inclinat *Gavant. tom.* 1. *pag.* 55. Insuper ad nomen Mariæ refert *Petrus Blæsensis* (qui anno 1160. floruit) *serm.* 28. *de Assumptione Mariæ*; Ecclesiam tunc audito nomine ejus solitam genua terræ affigere. Quin & *Gavantus tom.* 1. *p.* 144. determinat ad nomen Papæ caput inclinandum. Breviter genuflexiones certo numero & ordine, aut co posito ordine, & curiosâ observatione adhiberi solitas in novitate Ecclesiastica, discimus ex *Scriptoribus Ritualibus & Liturgicis*; ex quibus nunc ista notamus; *ad omnes horas quadragesimales, item ad Missam* &c. *Microlog. de Eccles. observat. c.* 50. In duodecim lectionibus, excepto in octavis Pentecostes; *Amular. Fortun. lib.* 2. *de Ecclesiastic. offic. c.* 3. *sub finem.* Item in Sabbatho post mediam quadragesimam, & in quarta fera post palmas, duæ lectio-

lectiones leguntur, & singulæ accipiunt genuflexiones, nec immerito &c. vide reliquas nænias apud *Micrologc.* 52. Genuflexiones Scotis fuisse frequentes præ omnibus Nationibus testatur *VValafridus Strabo de rebus Ecclesiast.c.* 25. & quidem certis ac dinumeratis vicibus per diem & noctem. Genuflexiones quando & quoties adhibendæ, & quando non; utroque genu, aut altero tantum, in missa privata aut solenni; ad verba *canonis adjuva nos*, usque ad finem; & ad *Incarnatus est*, &c. ad quæ aliis diebus, si sedeat celebrans missam, tantum caput profundè inclinat: in horis Canonicis, & *similes* Papales superstitiones, non est quod ex libris ritualibus referam. Videantur Thalmudicæ culicum istorum excolationes apud *Gavantum tom.* 2. *part.* 2. *tit.* 2. *p.* 107. imprimis *tom.* 1. *p* 54. 55. 59. 153. 169. 176. Ad hoc vanitatum prædicamentum refer intermissiones genuflexionum in vesperis dominicis, in oratione pro Judæis in parasceve, in aliis orationibus &c. *Amalar. lib.* 1. *c.* 13. *& lib.* 4. *c.* 7. Et *Strabo de rebus Eccles.c.* 25. Et quod in capitulo nonæ non genuflectitur ad ea. *In nomine Iesu* &c. eadem ratione quà non genuflectitur in responsoriis ad ea, *Et verbum caro factum* &c. *Gavant.tom.* 2. *sect.* 6. *c.* 13. Cohærent cum hâc ὀνομαστοθρησκεία in Papatu 1. *Confraternitates* nominis Jesu, erectæ sub Pio IV. & Clemente VIII. (vide *Bullarium*) 2. *Missa* nominis Jesu in *Missali Parisiensi fol.* 224. edit. in 8. 3. 3. *Festum de nomine* Jesu institutum sub Clemente VII. teste *Serrario qu.* 15. *in Ios.* 2. 4. *Picturæ*, ejusdem nominis cum radiis solaribus ad adorandum propositæ. Quod tamen vetuerat Martinus V. (teste *Antonino part.* 3. *histor.tit.* 24. *cap.* 5. §. 2.): cùm tamen cum praxi Romana, & Clemente VII. conciliare nituntur *Molanus lib. de picturis sacris cap.* 56. & *Serrarius qu.* 15. Comparanda etiam hæc nominalis Papistarum superstitio cum Judaica & Magica. Judaicæ exemplum habes *Actor.* 19. ubi videnda *commentar. Lorini & A Lapide.* Magicas produnt scriptiones conjurationum, ubi intercurrunt nomina Adonai, Eljon, Jesu &c. Inspiciat, cui necesse est, *Agrippam, Abano*, & similes autores magicos in Papatu editos: de quibus in *disputat. de Magiâ.* Nec prætereunda Pontificiorum profanitas, quâ in alterum extremum contendunt in vulgari sermone communiter abutendo hoc nomine, tanquam interjectione admirantis, aut ridentis, aut indignantis; aut tanquam formulâ sive expletivâ sive superfluâ in oratione; aut tanquam styli ornatu atque aureolâ. Quæ prava consuetudo & Clericis & Laicis in Belgio Papali tam intrita est, ut si non legis, saltem adiaphori vicem illic obtinere & extra omnem reprehensionem posita videatur.

5. Argumenta contra ritum Genuflexionis ad nomen Jesu, quibus probatur nec esse cultum divinum, nec observationem convenientem; sunt ista

ista 1. *Arg.* Non est à Deo institutus; ergo sapit superstitionem & ἐτελοθρησκείαν. Ratio consequentiæ probatur in controversiis Pontificiis de Perfectione scripturæ & traditionibus, de Pseudo-sacro seu cultu indebito, de ceremoniis, ex 2 *Timoth.* 3. 15. 16. *Psalm.* 19. 7. 8. *Matth.* 15. 9. *Coloss.* 2. 22. 23. 11. *Arg.* Genuflexio omnis in publico cultu est aut ad orandum, aut ad adorandum; juxta Pontificios apud *Gavantum tom.* 1. *p.* 53. Sed 1. *non* est ad orandum; quia quotiescunque nomen illud auditur non dicunt oremus, nec etiam orant, quamvis caput inclinent: nam oratio illa vel formata seu formalis esset, vel ejaculatoria. *Ista* non est quia capitis inclinatione & externis precandi gestibus non debet ordinario nedum semper significari: hoc enim vix esset sine specie hypocrisios. Vide Jesuitæ *Ant. Balingem. lib.* 3. *de Orationibus Ejaculatoriis c.* 21. 22. Illa non est; quia auditio concionis aut prælectio verbi divini (in qua occurrit nomen Jesu) non est precatio; nisi velimus omnia exercitia pietatis confundere. Deinde si esset precatio in formâ, utique gestus genuflexionis, aut quicunque alius orationi conveniens & ex usu ecclesiæ in omnibus orationibus publicis adhiberi solitus, adhibendus esset. 2. *Nec est* ad adorandum. Quia tunc adoraretur adoratione & cultu aut religioso aut civili, aut utroque, aut persona sola illo nomine significata, aut solum nomen, aut & persona & nomen; persona sc. terminative, directè, & primario ad nominis pronuntiationem; nomen reflexive, indirectè, & secundario seu concomitanter. Quidquid eligunt hic adversarii (in quo tamen nec secum nec cum aliis facile convenient); nos contra dicimus: *Primo*, Nullum nomen Dei esse religiosè colendum suadet peremptoria hæc ratio: quia non est Deus, sed purum putum accidens, sonus scil. evanescens, & signum seu repræsentamen conceptuum. Adde si hoc nomen religiosè colendum, cur non etiam nomen filii, salvatoris, Jehovæ, &c. *Secundo*, Nullum præterea nomen divinum religiosè per reflexionem seu secundariò colendum, adorandum, seu mavis coadorandum, iisdem rationibus evincitur. Nec juvat exceptio, quæ alibi ex professo refutatur per Papisticam illam distinctionem cultus religiosi in latriam, duliam &c. quæ adorationi angelorum, sanctorum, imaginum &c. prætendi solet; Honor enim adorationis soli Deo illibatus servatur; nihil est quod eo participat. *Tertio*, Nec ad nomen pronuntiatum & auditum personam mediatoris nostri religiosè interne simul & externè semper colere & adorare, actuali scil. cultu ac devotione in conscientiâ tenemur; tunc saltem, cum alia exercitia pietatis ab exercitio precationis realiter distincta, ex professo peragenda sunt. Hoc enim saperet superstitionem Euchetarum, & Psallianorum. De quibus videndus *Augustinus*, aliique tum

veteres tam recentiores hæresiωn scriptores, alibi in *disp. de Hæresi* indicati. Subjicimus insuper considerationi nominalium seu ὀνομαστοζηλώτων hæc sequentia: quare non æque ad sonum seu pronuntiationem nominis synonymi, ut Jehosua, servator, Jehova, justitia nostra seu Jehozedek, Immanuel; cum nomen *Iesu & Iehosua* idem sit & nomen *Immanuel* re idem sit; fatente etiam *Corn. à Lapide in comment. ad Numer.* 13. *v.* 17. Cur non æque ad nomen Jesu in cultu privato in familiari conversatione cum hominibus? cur non ad cogitationem ejus in mente? cur non ad scriptionem, aut lectionem, aut conspectum ejus in libro? Cur non æque ad nomen Dei patris, salvatoris & redemptoris nostri (qui sic dilexit mundum, ut filium suum &c. *Ioh.* 3. 16.) genuflectimus? Cur non ad nomen spiritus sanct., ad suavissimum nomen consolatoris, seu paracleti? *Quarto*, civili cultu nec persona mediatoris colenda, nec nomen Jesu, nec persona ad nomen Jesu. Primum & ultimum patet: quia Deus seu divina persona divino & proprio sibi cultu colenda & adoranda. Sequeretur etiam summam hanc esse gloriam & privilegium Christo peculiariter à patre datum (juxta *Philipp.* 2. 10.) ut coleretur cultu civili: quod absurdissimum. Nomen ipsum civiliter coli non potest, quia nomen seu vox pronuntiata non est homo honorandus, qui propriè objectum est cultus civilis. Sed indicandæ nunc exceptiones contra hoc argumentum. *Except.* 1. Magis adorandum est nomen *Iesu* quam *Iehovæ*, quia majus & sanctius est. Probatur: Quia nomen *Iehova* tantum notat creatorem; sed nomen *Iesu*, redemptorem nostrum: Quia Jehova fuit contritor & debellator Pharaonis & Ægypti; Jesus diaboli & inferni: Quia Jehova erat legislator Judæorum & Veteris Testam.; Jesus Christianorum & Novi Testamenti? Quia Jehova ducebat Hebræos per mare rubrum in terram Canaan; Jesus per sanguinem &c. ducit nos in cœlum. Sic *à Lapide in Philipp.* 2. *Resp.* Confunditur nomen cum re, Deus cum voce. *Deinde* falsum est Jehova tantum notare creatorem: Vide *Ierem.* 23. 23. *Iesa.* 6. coll. cum *Iohann.* 12. 41. Ubi filius redemptor dicitur Jehova. Et *Iesa.* 43. ubi Deus redemptor communiter & οὐσιωδῶς consideratus, dicitur Jehova. Jesuitæ meminerint *comment. à Lapide ad Hoseæ* 1. 7. & *ad loca cit. Tertio*, idem Jehova & re & nomine (restrictè scil. in secunda deitatis persona) fuit Deus & legislator sub Veteri Testamento, & omnia illa operatus est, quæ refert Jesuita. Siquidem exceptionis hujus rationes, modo allatas, quis defendere velit, eum ad hæreseon & blasphemiarum quam plurima absurda compingi necesse est. *Except.* 2. Nomen Jehosua, quod idem est cum nomine Jesu, includit literas omnes nominis *Iehova*; Ergo eo sanctius & majus est, & consequenter magis adorandum. Sic idem *à Lapide. Resp.*

Quam

Quam ficulnea & agrammatica grammaticalis consequentia! Sed tædet nugas illas persequi. Vide longè aliter Philosophantem de nomine Jesu *Alphons. Mendoza in Controvers. qu.* 10. positiva. *Exc.* 3. Magis ergo hoc nomen, reverentia, & submissio nobis mandatur, quam adversus alia nomina Christi: quia hæc sint maximam partem nomina potentiæ, majestatis & gloriæ, quæ non tantum ἐυχαριστίας & humilis confessionis de favore nobis collato à manibus nostris requirunt aut merentur; sed illud est nomen misericordiæ, teneræ compassionis, caritatis & favoris inauditi &c. Christus mortuus est pro nobis cum essemus ipsius inimici. *Hæc omnia peracta sunt pro nobis per Iesum; non quidem per illum, ut erat filius Dei, aut dominus dominorum, aut potens princeps, aut rex Regum: sed ut erat Iesus: ac propterea huic nomini debemus plus reverentiæ & grati officii.* Sic Gulielmus Page in tr. vernaculo de Genuflexione ad nomen Jesu contra Gul. Prynne *p.* 109. 110. & passim repetit. *Resp.* Argumentum in forma est: Qui non quà filius Dei, dominus, Rex Regum &c. sed quà Jesus tenerrimam caritatem moriendo pro nobis ostendit, illius nomen Jesus majorem cultum & reverentiam à nobis requirit ac meretur, quam reliqua nomina; Sed Christus non quà filius &c. sed quâ Jesus &c. Ergo. *Neg. & major & minor.* Rationes & quæ restant (quia nunc abrumpendum) proximè sequenti hujus *Appendicis parte* exhibemus.

APPENDICIS *Pars Secunda ad Disputationem* DE SUPERSTITIONE.

Ubi de Genuflexione ad nomen Jesu, & ad Mensam seu Altare.

Resp. NICOLAO van HOORN Medioburgo-Zeland. *Ad diem* 5. *Sept.* 1640.

EXC. 4. adversus deductionem nostri secundi argumenti est: quod diversa longè sit ratio cur nomini *Iesu* supra omnia alia hic honor habeatur. Est autem ratio illa triplex. *Primam* ex *Ægidio VViddovvs contra Gul. Prynne p.* 30. *&c.* & *Gul. Page contra eundem Prynne pag.* 31. sic proponimus: Quod nomen supra omnia „nomina mediatoris nostri, est humile, & notat ac de- „signat nobis mortem & passionem Christi (ultimum scil. gradum hu- „miliationis ipsius): hoc ipsum supra omnia alia Genuflexione est hono- „randum: Sed nomen *Iesu* est tale; Ergo. *Resp. Neg. major & minor.* 1. *ma- „jor* nullo scripturæ testimonio probatur, nec in æternum probabitur. Ad „*priorem* rationem consequentiæ, quam *ibid.* innuit *Gul. Page*: Quia Deus, „ut delectatur humilibus, & exaltatione humilium personarum, sic et- 1.

„jam vult humilia nomina exaltari. *Resp. Primo*, Incertum per æquè aut magis incertum probari. Saltem certum est Deum delectari omnibus operibus suis *Psalm.*104.31: etiam operibus rigidissimę justitiæ suæ *Iesa.* 1.24. *Prov.* 1.26. Et quomodo probabitur Deum non æquè delectari יהוה *Iehova justitia nostra* (Jerem.23.) quam יהוה *Iehova salus, aut salvator?* quod significat nomen *Iehoschuah, Ieschuah, Iesus. Deinde*, inconsequens est: Deum quia tanti æstimat res & personas humiles supra altas, ideo etiam velle ut nomina illarum supra nomina istarum exaltentur: neque enim valet consequentia à rebus & personis ad earum nomina. *Tertiò*, non valere consequentiam à genere ad speciem affirmativè: e. gr. Deus vult talia nomina præ aliis exaltari à nobis; ergo vult ea exaltari per religiosam genuflexionem. Non sequitur. *Quartò*, majoris consequentiam cum ratione suâ, nos ex abundanti infringimus hac instantiâ: *Christus crucifixus, crux Christi, sanguis filii Dei aut Dei, sanguis Testamenti, vir dolorum, vermis, maledictio, peccatum aut hostia pro peccato, sponsor novi fœderis, agnus Dei tollens peccata mundi sunt talia*, partim nomina partim attributa, quæ directè, proximè, & immediatè designant profundissimam humilitatem Christi; & tamen ad illa non genuflectitur. Ergo. *Ad alteram* rationem consequentiæ, quam habet *Page p.*53. Quod nomen non est ex se satis magnum (sicuti nomen *domini* non indigens exaltatione) illud Deus voluit exaltare: Sed nomen Jesu, non est ex se satis magnum; sicuti nomen *domini*: Ergo, Ratio minoris est; quia est nomen passionis & humiliationis. *Resp. Primo. Neg. consequentia majoris.* Ex scripturæ testimoniis non probatur; sed tantũ ex humano cerebro dictatur. Nos eam ex abundanti contundimus istâ instantiâ: Nomen *filii Dei, æterni & magni Dei*, est per se magnum, seu potius res illo nomine significata; & tamen voluit Deus nomen, seu potius rem illo nomine notatam exaltari, *Rom.*1.4.coll.cum *Iohann.* 17.5. *Actor.* 13.33. Videantur *orthodoxi commentatores ad loc. cit.* & *Antagonista Iudæorum ac Socinianorum, breviter explicatio articuli, de Christi sessione ad dextram. Secundo. Neg. minor* quia non est nomen passionis, ut mox dicemus: Et dato non concesso esse nomen passionis & humiliationis, non tamen est solum; quia nomen Christi involvit & infert sacerdotium Christi, quod non est sine passione & morte. 11. Minor propositæ primæ rationis est falsa. Neque enim nomen *Iesu*, directè, formaliter, proximè & immediatè notat aut menti nostræ repræsentat conceptum seu notionem, mortis, passionis, humiliationis, sed potius actionem & quidem potentem ac cum victoriâ: est enim salvator, & salvatio, redemptio, in prædicamento actionis, non passionis. Quod autem ibidem adfertur ab *autore cit.* non esse aut dici eum Jesum seu salvatorem, nisi in cruce patiendo & moriendo;

do. *Resp. Primò* id nihil aliud probare, quàm præsuppositivè & consequenter & re & nomine salvatoris includi mortem ac passionem Christi; sed non formaliter dici, aut explicitè nominari passionem, humiliationem: alię enim sunt voces, quæ hæc exprimunt. Absurdissimè itaque reponitur ab *eodem auctore pag.* 53.54. Nomen *Iesu* non est nomen activum aut efficax, sed passivum mite, humile. Hinc sequeretur hoc nomen non significare Jehovam salvatorem. Quod absurdissimũ. *Deinde* non esse Christum solummodo (quamvis principaliter) Jesum seu servatorem moriendo in cruce, sed & per omnem vitam patiendo; immò etiam agendo, obediendo scil. & omnem justitiam legis pro nobis implendo. Breviter esse perfectum Jesum nostrum tum impetratione salutis, tum applicatione. An totum hoc opus salutis nostræ pura puta passio atque humiliatio, & quidem ultimi gradus? *Tertiò*, Non solum nomen *Iesu* quocunque modo innuit aut connotat passionem & humiliationem; sed etiam nomen *Christi*: qui enim unctus est in sacerdotem nostrum, ille utique quà sacerdos cruento corporis sui sacrificio nos redemit. Ergo nomen illud *Christi*, & multò magis *sacerdotis*, *sacrificatoris*, supra omnia alia esset genuflexione exaltandum. *Denique*, quidquid hic instat, excipit, distinguit, perpetuò laborat paralogismo à re ad nomen.

Secunda ratio apud *Gul. Page p.* 32.33. sic se habet: Quod nomen nobis 2.
„est gratiosum, beneficum, consolatorium, salutare seu salvificum (Angl. „*saving name*) immo nihil aliud nisi salvificum, illud supra omnia alia à no„bis debet magni fieri, honorari, promoveri: sed nomen *Iesu* est talę; Ergo? *Minor* probatur tum ex *Actor.* 4.12. tum hoc argumento: quia reliqua omnia nomina Christi nihil efficiunt nec mihi prodesse possent sine hoc nomine. *Resp.* 1. *Neg. major*; sunt enim & alia nomina nobis benefica & salutaria, (significativè scil.) quia significant salutem nostram; ut *sponsor* melioris *fœderis*, *mediator Novi Testamenti*, *Iehova Iustitia nostra*, *magnus Deus & Salvator*, *verus Deus & vita æterna*, *Advocatus apud patrem*, *agnus tollens peccata mundi*, *magnus Pontifex*, *fidelis & misericors Pontifex*, *dux & Princeps salutis*, *causa salutis æternæ*, *magnus pastor ovium*. *Deinde*; inconse„quens est: hoc dulce & benedictum nomen debeo & volo non tantum „amare, sed & honorare; ergo illi debeo generaliter genuflexionem tam „gratiarum actionis quam obedientiæ. *Resp.* An debes hoc nomini, an personæ nomine isto denominatę? Si personæ; cur non eidem eodem nomine linguâ tuâ vernaculâ, aut nomine aliquo synonymo seu ἰσοδυναμοῦντι (qualia modò retulimus) denominatæ? cum eandem rem eundemque conceptum menti tuæ suggerant, justitiam scil. & vitam æternam, aut „salutem & redemptionem per Christum. Sed instat *ib.* p. 33. Alia nomen

„tam verè & fideliter quidem exprimunt & designant ejus personã ac no-
„men *Iesu*: sed nullum tam planè seu evidenter hoc ejus officium, hanc
„qualitatem & conditionem exprimit, scilic. Salvatoris; nec illum ut Sal-
„vatorem proclamat. *Resp.* An non idem nomen linguâ vernaculâ (aut tali
saltem quæ non tantum idiotis sed & multis Theologis notior sit quam
Hebr.) pronuntiatum evidenter declarat officium & qualitatem Christi?
An negandum est cum dicitur Act. 4. 12. *non est in alio quoquam salus*, & Tit.
2. 13. *Salvator*, evidenter omnibus promulgari, Christum esse servatorem?
Deinde, cur scriptura in suavissimis consolationibus & jubilis atque exul-
tationibus in Jesu Servatore nostro, adhibet vocem Christi aut filii Dei, &
non *Iesu*? Vide quæso *Coloss.* 3. 3. 4. 11. *Philipp.* 1. 21. & 3. 9. *Galat.* 2. 20.
1 *Petr.* 1. 19. & 2. 21. 24. & 3. 18. & 4. 1. 1 *Iohann.* 5. 10. 11. 12. 13. 14. ubi, si
usquam, evidentissimè promulgatur & ad consolationem suavissimam
cordibus applicatur salus. Videmus ergo Spiritum Sanctum promulga-
tionem salutis, aut fidei nostræ peculiarem certitudinem atque eviden-
tiam, aut obedientiæ & gratitudinis peculiarem retributionem & expres-
sionem titulis seu nominibus Christi, cum tali differentiâ (qualem nova
hæc cabalistica seu ὀνοματοθρήσκεια sibi fingit) magis aut minus non allega-
re, sed promiscuè iis uti. 11. Minor est falsissima. Nam primo sunt & a-
lia nomina Christi modo à nobis enumerata, salvifica, consolatoria, no-
bis utilia & suavia; signando scil. & significando: nam quamvis operati-
vum & efficax videatur facere nomen *Iesu*, & cum Cabalistis, Pontificiis,
Necromanticis loqui; nolim tamen suspicari, illum idem cum ipsis senti-
re. Inter nomina illa consolatoria, emicant *Christus*, σῶτηρ, *servator, media-
tor, reconciliator & reconciliatio pro peccatis nostris, Iehova, Iustitia nostra, ve-
rus Deus & vita æterna, magnus Deus & Salvator*; quæ sane non tantum
Christi personam, sed & officium ejus ac relationem ad opus salutis reali-
ter & plenè designant, ut cum ipso loquar. *Secundo*, nomen *Iesu* sine no-
mine *Christi*, nihil magis potest efficere (ut cum ipso καταχρηστικῶς loquar),
quam nomen *Christi* sine nomine *Iesu*. Nisi enim à patre datus, ordina-
tus, & sanctificatus esset ad officium mediatorium, non potuisset salutem
pro nobis impetrare: rursum, nisi Deus Jesum fecisset *dominum & Chri-
stum* (*Actor.* 2. 36.) nihil impetratæ salutis potuisset nobis applicare, nec
ipso effectu esse & dici servator corporis sui *Ephes.* 1. 20. 21. 22. 23. Sed
tædet hæc prima elementa saniorum sermonum, quæ pueris catechume-
nis inculcari solent, apud tantos Theologos pluribus repetere: ne vide-
ar πολυπραγμοσύνη aut tacitâ exprobratione ignorantiæ nimium importu-
nus esse. *Tertio*, ad locum *Actor.* 4. 12. *Resp.* intelligi ibi non nomen, sed
rem nominatam, h. e. ipsum Jesum Christum, in cujus virtute vel invoca-
catione

tione salvamur: uti docent circumstantiæ textus, & ex iis ipsi commentatores Pontificii (ut alios præteream) hic sane verecundiores nostris ὀνομαποθρήσκοις. Vide *Lyranum, Imm. Sa, Corn. à Lapide. Deinde*, si daretur nomen ipsum ibi intelligendum; unde probabunt illud esse solum nomen *Iesu*, & non etiam *Christi*? Certe ipse Spir. Sanct. v. 10. dicit: *in nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos Crucifixistis* &c. & absque distinctione v. 12. *neque est aliud nomen* &c. Adhæc si in nomine hærendum, cur non intelligam nomen σωτήρος, quod est conjugatum vocibus σωτηρίας & σωτηθῆναι, quæ in textu occurrunt?

Tertia ratio ex verbis citati *autoris p.* 33. in hanc formam redigitur: 3.
„Quod nomen Christo maximè fuit ignominiosum & contemptum, seu, „quod nomen Judæi aliique inimici ejus maximè contemserunt & derisui „habuerunt; illud voluit Deus supra alia nomina exaltari: Sed nomen *Iesu* est tale; Ergo. *Resp.* 1. majoris consequentia laborat eâdem ἀῤῥωστίᾳ; quâ reliquæ rationes. Unde probabitur, quidquid in Christo vel qualitatis, vel actionis, vel relationis, vel passionis, vel nominis magis contemptum fuit, debere exaltari per peculiarem genuflexionem, quotiescunq; illud refertur aut pronuntiatur. Infinitas hic possem dare instantias, nisi vererer lectori molestus esse. Quid? quod fabri filius fuerit (fortè & faber, si *Iust. Martyri* credimus) quod Nazarethanus, an non maxime illum contemptum reddidit apud Judæos? Ergo ad auditum istorum genuflecte. 2. Laborat & minor. Osores & persecutores Christi non erant nominales, sed reales. Spicula sua dirigebant in ipsum, non in nomen. Sed pergit ὀνοματοζηλώτης, & *Minorem* probat *ibid.* triplici argumento. 1. *Quia* hoc solum nomen in derisionem & contemptum ejus, supra caput cruci inscriptum fuit *Matth.* 27. 37. *Resp. Neg.* Judæos inimicos Christi titulum cruci imposuisse. Legatur textus. *Deinde Neg.* solum nomen *Iesu* in derisionem cruci inscriptum: additum enim fuit *Nazarenus, Iohann.* 19. 19. & *Rex Iudæorum.* Quin immo dicimus non tam nomen *Iesu*, quam titulum, *Regis Iudæorum*, occasionem fuisse derisionis & exprobrationis: ut videre est ex coll. *v.* 42. & *cap.* 26. 29. Ipse *autor noster* paulò post *p.* 34. astruit derisam fuisse potestatem Christi, sub & in nomine, Regis Judæorum. Nec tacendum per antonomasiam, *Regem illum Iudæorum*, idem esse quod *Messiam, Christum*: Vide *comment. ad loc. cit.* nominatim *à Lapide. Denique* unde probabit in scriptione tituli summam fuisse ignominiam, in subjecto & non in prædicato seu categoriâ. In quacunque accusatione & sententiâ justâ aut injustâ probrum & ignominia semper est in prædicato, non verò in vero & usitato nomine personæ seu subjecti, quod præsupponitur & sumitur. Sic e. gr. Catilina est seditiosus, Verres est fur, Bar Jesus est filius diaboli, pseudo-

pseudo-propheta, plenus omni dolo &c. (*Actor.* 13.) Jannes & Jambres resistunt Mosi 2. *Timoth.* 3. Hymenæus & Philetus à scopo veritatis aberrârunt 2 *Timoth.* 2. Ubi quæso hic probrum & ignominia? an quod Bar Jesus, Philetus, Jesus Nazarenus, proprio & ipsis pariter ac aliis usitato nomine appellarentur, nec aliter appellari poterant, siquidem quis intelligi voluisset? φεῦ τῆς ἀδελοχίας! Ne quid nunc dicam hunc titulum fuisse scriptum Hebraicè, Græcè, Latinè: unde constat, & subjectum & prædicatum hujus tituli quacunque linguâ expressum aut in quamcunque linguam translatum evidenter, plenè & realiter (ut cum autore nostro loquar) significare nobis contemptum atque ignominiam Christo illatam; consequenter peculiarem exaltationem vocibus aliis (e.gr. *Iehoschuah, Jalus Dei, Iehova, Salvator, Messias, Christus*) non minus tribuendam (siquidem tribuenda esset), quam nomini *Iesu*. Porro quod Patres & recentes interpretes, & concionatores in historiam passionis, hanc inscriptionem volunt non fuisse summam ignominiam Christi, sed gloriam & triumphum in mediâ ignominiâ; autori nostro cum ipsius dictatis concilian-
„dum relinquo. 2. Quia solum hoc nomen illi exprobrabant Judęi *Math.*
„27.40. Alludentes enim ad hoc nomen dicebant: *alios servavit, se ipsum*
„*servare non potest.* Et post illud tempus Judęi aliique monstrosi adversa-
„rii hoc nomen semper ludibrio habuerunt. *Resp. Primò*, nusquam Judæi tunc insultantes Christo pendenti in cruce, declarârunt se blasphema hæc verba eructando alludisse ad nomen *Iesu*; & Spir. Sanctus apertè docet non ad quod nomen alluserint, sed quænam illi apertè exprobrando objecerint, & materiam blasphemiæ suæ fecerint *Matth.* 27.39.40.41.42. 43. *Marc.* 15.29.32. *Luc.* 23.35.37. ubi invenies nomina, *Christi, Filii Dei, electi Dei, regis Israel aut Iudæorum*, ex blasphemo ipsorum ore erumpere. Itaq; cogitandum esset nostris nominalibus de exaltatione istorum nominum per peculiares gratitudinis, consolationis, & obedientiæ suæ testificationes, h.e. genuflexiones siquidè propriis hypothesibus fidem adhibeant. *Tertiò*, Judæi tunc temporis non tam indignè ferebant & contemnebant appellationem *Iesu* (cui assueverant, ut nomini proprio vulgariter plurimis populatibus usitato & indi solito); sed appellationem filii Dei, Messiæ: neque enim erat tunc capitalis controversia, An filius Dei seu Messias sit servator seu Jesus; sed, An hic Jesus Nazarenus esset filius Dei, Messias, Rex ille Israel, benedictus ille Dei, à Deo missus & sanctificatus, qui venturus esset. Vide quæso *Iohann.* 5.18.23.36. 38. & 10.24. 33. 36. & 20.21. *Actor.* 18.28. *Ioh.* 1.50. Confer *loca* modo *cit. Matth.* 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Quartò*, falsum est Judæos, aliosque improbos nomen illud *Iesu* supra omnia alia derisui habuisse, & nunc habere. Nam si moderatè

aut

tione salvamur: uti docent circumstantiæ textus, & ex iis ipsi commentatores Pontificii (ut alios præteream) hic sane verecundiores nostris ὀνοματοθρήσκοις. Vide *Lyranum*, *Imm. Sa*, *Corn. à Lapide*. *Deinde*, si daretur nomen ipsum ibi intelligendum; unde probabunt illud esse solum nomen *Iesu*, & non etiam *Christi*? Certe ipse Spir. Sanct. v. 10. dicit: *in nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos Crucifixistis* &c. & absque distinctione v. 12. *neque est aliud nomen* &c. Adhæc si in nomine hærendum, cur non intelligam nomen σωτήρος, quod est conjugatum vocibus σωτηρίας & σωτηθῆναι, quæ in textu occurrunt?

Tertia ratio ex verbis citati *autoris p.* 33. in hanc formam redigitur: 3.
„Quod nomen Christo maximè fuit ignominiosum & contemptum, seu, „quod nomen Judæi aliique inimici ejus maximè contemserunt & derisui „habuerunt; illud voluit Deus supra alia nomina exaltari: Sed nomen *Iesu* est tale; Ergo. *Resp.* 1. majoris consequentia laborat eâdem ἀῤῥωστίᾳ; quâ reliquæ rationes. Unde probabitur, quidquid in Christo vel qualitatis, vel actionis, vel relationis, vel passionis, vel nominis magis contemptum fuit, debere exaltari per peculiarem genuflexionem, quotiescunq; illud refertur aut pronuntiatur. Infinitas hic possem dare instantias, nisi vererer lectori molestus esse. Quid? quod fabri filius fuerit (fortè & faber, si *Iust. Martyri* credimus) quod Nazarethanus, an non maxime illum contemptum reddidit apud Judæos? Ergo ad auditum istorum genuflecte. 2. Laborat & minor. Osores & persecutores Christi non erant nominales, sed reales. Spicula sua dirigebant in ipsum, non in nomen. Sed pergit ὀνοματοζηλώτης, & *Minorem* probat *ibid.* triplici argumento. 1. *Quia* hoc solum nomen in derisionem & contemptum ejus, supra caput cruci inscriptum fuit *Matth.* 27. 37. *Resp. Neg.* Judæos inimicos Christi titulum cruci imposuisse. Legatur textus. *Deinde Neg.* solum nomen *Iesu* in derisionem cruci inscriptum: additum enim fuit *Nazarenus*, *Iohann.* 19. 19. & *Rex Iudæorum*. Quin immo dicimus non tam nomen *Iesu*, quam titulum, *Regis Iudæorum*, occasionem fuisse derisionis & exprobrationis: ut videre est ex coll. *v.* 42. & *cap.* 26. 29. Ipse *autor noster* paulò post *p.* 34. astruit derisam fuisse potestatem Christi, sub & in nomine, Regis Judæorum. Nec tacendum per antonomasiam, *Regem illum Iudæorum*, idem esse quod *Messiam*, *Christum*: Vide *comment. ad loc. cit.* nominatim *à Lapide*. *Denique* unde probabit in scriptione tituli summam fuisse ignominiam, in subjecto & non in prædicato seu categoriâ. In quacunque accusatione & sententiâ justâ aut injustâ probrum & ignominia semper est in prædicato, non verò in vero & usitato nomine personæ seu subjecti, quod præsupponitur & sumitur. Sic e. gr. Catilina est seditiosus, Verres est fur, Bar Jesus est filius diaboli, pseudo-

retur, nomen *Filii Dei* græcè (non verò Latinè) pronuntiati peculiariter esse exaltandum: quia in nomen Υἱοῦ Θεοῦ jubemur credere 1 *Ioh.*5.13. Non verò in expositionem nominis illius Latinam, aut Gallicam, aut Anglicam. Mirabilis sane consequentia. 7. *Except. p.*35. Ad nomen agni „non est genuflectendum, quia indicat potius innocentiam ejus quam „passionem: jam verò maxima nostra consolatio est in ejus passione. *Resp. Primò*, Agnum typicè indicare passionem, disce ex *Iohann.* 1. 29. cum 1 *Corinth.*5.7. 1 *Petr.*1.19. *Apocal.*4.12. & 13. 8. & 17.14. Unde nominalibus proclive esset concludere, peculiarem exaltationem hujus nominis & quidem propter mactationem pro peccatis nostris. *Deinde* perperam dicitur, maximam consolationem nostram esse in ejus passione, abstractè scil. aut materialiter consideratâ. Immo dico nullam esse, nisi formaliter consideretur, ut est passio pro nobis seu loco nostro, (quod propriè innuit nomen *sponsoris & mediatoris*) & quidem in ac cum perfecta innocentia, obedientia, & justitia. Quid enim faceret passio in se considerata, si justitiæ Dei opponatur? Et hoc est, quod innuit Apostolus *Philipp.*2.6.7.8.9. Hinc exaltationem nominis superstruit, non tam passioni quà tali, quam obedientiæ in passione & humiliatione illâ exhibitæ. Respicit itaque fiducia nostra in mediatore nostro directè, primò & immediatè actionem, non passionem. Sponsio, sacrificium, obedientia, justitia, satisfactio, lutri solutio, meritum Christi, redemptio &c. formaliter est actio: passio verò illius actionis fuit occasio, materia, objectum in quo obedientiam suam ostendit, & quo sacrificium suum peregit ac justitiæ divinæ satisfecit, & nobis remissionem & justitiam promeritus est; quæ à nobis consideratur mediate & consequenter & præsuppositive, quippe sine qua obedientia & satisfactio debita à sponsore nostro exhi„beri non potuit. 8. *Except.p.*35. Nomini Dei non æque genuflectimus; „quia illo nobis pretiosius est nomen *Iesu*: quia in hoc Deus reconcilia„vit sibi mundum; & quia cum hoc nomine est consolatio in nomine „Dei, absque eo nulla. *Resp. primo*, rursum ad vertigines Nominalium dilabitur. Deus reconciliavit nos sibi in ipso Jesu, non in nomine: cogita ergo quid religiose debeas & rependas ipsi Jesu, non vero nomini ejus. *Secundo*, textus 2 *Corinth.*5.19. dicit in *Christo* mundum reconciliatum: cur ergo non exaltas peculiariter nomen Christi? *Tertio*, nulla vicissim est consolatio in nomine *Iesu*, absque nomine *Dei*: (ut tecum loquar) quia nullus est servator, qui non sit Deus. Uti ipsi adversarii exceptione proxime sequenti docebunt.

§. 9. *Except.* est *Lancel. Andrevvs* Episc. Wintonienſis *in concione ad Philipp.*2.*vers.*9. quam *G. Page* probat *p.* 33. & ulterius defendit *p.* 175. 177. 179.

179. *Non est Genuflectendum æque ad nomen* Christi, *ac ad nomen Iesu, propter tres illas rationes.* 1. Ratio. *Quod nomen non est nec esse potest nomen Dei, ad illud non est Genuflectendum; nomen vero* Jesu *est tale: Ergo.* Minor prob. *quia Deus non potest esse unctus, nec ungi.* Jesus *est nomen Dei, immo summum præcipuum Dei nomen: quis enim potest servare à peccatis, nisi Deus. Resp. primo,* dubito an velit ut soli, sic etiam omni nomini Dei Genuflexionem tribui. *Secundo,* perplexa & periculosa admodum assertio, *Christus,* non potest esse nomen Dei. Ut recte navigent inter scopulos Nestorianos & Eutychianos, dicant libere: *Christus est Deus, & Deus est Christus,* æque ac dicerent: *Iesus est Deus, & Deus est Iesus.* Immo dicant: *homo est Deus, Deus est homo, immortalis est mortalis.* Vide tum *nostros locor. comm. scriptores tit. de Vnione hypostaticâ;* tum *Scholasticos ad Thomam in* 3. *qu.* 16. *art.* 4. Et compendiose *Becanum Theol. Scholast. part.* 3. *tract.* 1. *c.* 7. Quod si replicent: nomen Christi proxime & formaliter non indicat deitatem; seu non est synonymum nominis *Dei.* Reponimus idem esse dicendum, de nomine *Iesu.* Quis enim unquam illud inter nomina Dei numeravit, quomodo numerari solent, κύριος, *Iehova, Iah,* Adonai, *El, Eljon, Schaddai,* ὕψιστος &c. ? *Tertiò,* ratio quæ assertioni prætenditur longe absurdissima est: Deus non potest esse unctus, ideo *Christus* (hoc est unctus) non potest esse nomen Dei. Christus est Deus de Deo (ut loquitur *Symbolum Athanasii*) seu est æternus filius Dei: atqui ille est unctus, obsignatus, missus, constitutus, declaratus, factus dominus & Christus *Psalm.* 2. 6. 7. *Actor.* 2. 36. *Iohann.* 6. 27. Sed vis textum qui exserte & κατ' ἐξοχὴν dicat Deum esse unctum: lege ergo *Psalm.* 45. 8. coll. cum *Hebr.* 1. 9. διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε ὁ Θεός &c. Et confer. 1 *Timoth.* 3. 16. *Actor.* 28. 20. 28. Ubi Deus dicitur manifestatus in carne, & redemisse Ecclesiam sanguine. Si ergo magnus Deus & salvator, λόγος patris, æternus filius, Deus de Deo, lumen de lumine missus est, & venit in mundum in similitudine carnis peccatricis, sanguinem pro nobis fudit, nos salvavit; quidni dicatur ad omnia illa peragenda unctus esse, hoc est sanctificatus, institutus, constitutus, ordinatus, designatus (vide hanc notionem vobis נסך *Psal.* 2. coll. cum *Proverb.* 8. 23. & metonymicam significationem verbi משח *Iudic.* 9. 8.): atque insuper donis necessariis instructus: secundum humanitatem, scil. Sed non distinxerunt inter abstractum (*Deitas*): & concretum (*Deus*); præterea posteriorem tantum significationem, proprium scil. vocis *ungendi* agnoverunt: hoc absurdum εὕρημα hujus argumenti ipsorum. Christus Deus & Christus homo est unctus, hoc est, constitutus & donis instructus ad munus mediatorium. Sed unctus est, Christus Deus, hoc est, donis instructus, tantum secundum humanitatem: Idem unctus est, hoc

est, constitutus & designatus mediator, secundum deitatem æque ac secundum humanitatem; quia secundum utramque naturam est mediator, & secundum utramque ad illud legitimè designatus ac consecratus; ut secundum & per utrumque illud principium operaretur apotelesmata θεανθρικὰ ad nostram salutem. *Quartò*, ratio pro nomine *Iesu*, quod sit nomen Dei, & nomen Christi non sit; quia solus Deus poterat salvare: plane ἄλογος est. Etenim nemo poterat salvare, redimere, & à peccatis liberare nisi Deus: sic etiam nemo potuit ad tantum opus & munus ungi & constitui, nisi Deus: hinc sermo (qui erat Deus apud Deum) caro factus est, Deus manifestatus est in carne, oportuit Deum filium descriptum *Hebr.* 1. per omnia fratribus similem fieri *Hebr.*2.17. 2. *Ratio.* Quod nomen est proprium, est excellentius eo, quod est commune. *Sed nomen* Jesu *est proprium (quod probatur ex* Jesa.43.11.) Christi *est commune: quod probatur ex* Psalm.105.15. *Ergo: & consequenter, supra nomen Christi Genuflexione peculiariter exaltandum. Resp. Neg. consequentia majoris.* Unde quæso hæc commenta probantur? Quæ hæc misera Theologia, an Matajologia? Nos ex abundanti eam sic infringimus. Nomen *Iehova & Iah* est proprium Deo; Adonai, Elohim, Deus, Θεὸς est commune: ergo ad illud esset Genuflectendum. Et, nomen Patris, aut Filii, aut λόγου, aut Spir.S. est proprium personæ alicujus divinę: Dei vero, Jehova, Excelsi, &c. sunt communia tribus personis: ergo illa præ istis Genuflexione exaltanda essent. Rursum, nomen Nabal est proprium: Israëlita, homo, sunt communia: ergo illud istis est præstantius. Et, Beelzebub est proprium, dæmon, aut spiritus immundus, est commune: ergo &c. juxta regulam Doctoris Lanceloti Andrews. *Vnumquodque proprium est superius eo quod habetur commune.* Deinde *Neg. minor* cum probationibus suis. *Primo*, sumit non probat. *Ies.*43.11. intelligendam necessariò solam personam secundam. Quid vetat exponere de Jehova Patre, Filio, Spir.S. tanquam solo supremo redemptore & salvatore: cui Christus κατ' οἰκονομίαν & quà mediator consideratus, tanquam solus servator, (hoc scil. respectu) subordinatur. *Secundò*, si Textum Hebræum consuluisset, legisset ibi משיע (græc. transferunt σώζων): atqui (siquidem nominaliter philosophandum est) hoc non est nomen *Iesus*: ergo malè ex hoc textu concluditur, nomen *Iesu* est proprium. *Tertiò*, à re ad nomen non valet consequentia. Res est propria & nulli alteri competit; ergo nomen, quo res illa effertur, nulli alteri quacunque ratione communicatur. Non sequitur. Tantundem est ac si quis ex Jesa. 44. 6. *præter me non est Deus*; inferat: ergo nomen *Dei* nulli communicatur. Quod est contra *Exod.*7.1. *Psalm.*82.6. 1 *Corinth.* 8.5. *Quartò*, nomen illud משיע σώζων dici potest de Christo mediatore

quà

quà tali, de Deo triuno redemptore tam temporali quam spirituali, de hominibus sive temporalem, sive spiritualem salutem adferentibus. *Iudic.* 3. 9.15.& 6.36. *Obad. vers.* 21. coll. cum 1 *Timoth.* 4.16. *Iacobi* 5.20. Est ergo nomen commune, quamvis ratio diversa sit: quod de homonymis & analogis suis inter elementa Logicæ didicerunt tyrones. *Quinto*, nomen *Iesu*, aliis communicatur (uti constat ex *Actor.* 13. *Hebr.* 4. *&c.* (supra cit.) æquè ac nomen Christi. Posset quis replicare. Nemini communicatum aut commune fuit illo sensu, illa notione propria, quà Christus illud habuit. Sic est: Pariter Nomen *Dei*, nemini ea ratione & notione tribuitur, quà Deo; sic nomen *Christi*, *Redemptoris*, *Salvatoris* nemini eadem ratione tribuitur: inde non desinunt nomina illa esse communia, & tamen peculiari & appropriata quadam ratione Deo aut Christo tribui. Quia nemo est sic unctus, ut Christus *Hebr.* 1.9. nemo enim mediator Dei & hominum, nemo summus Propheta, Sacerdos, Rex. Hinc κατ' ἐξοχὴν dicitur ὁ χριστὸς *Iohan.* „1.20. & 3.28. *Replicat. Page p.* 50. Nomen illis communicatum fuisse „tanquam typis & figuris Christi; non ultra: Ita secundum quosdam, in „veteri lege tres fuisse Jesus; in Josua fuisse præfiguratam potestatem „Christi regis, in Jesu Jozedek misericordiam Sacerdotis, in Jesu Syraci„de sapientiam prophetæ. *Resp.* Syracidem fuisse prophetam nostri rectè negant contra Pontificios; & consequenter fuisse typum Christi. Vide capitales ejus errores in fide refutatos à longè eruditissimo Anglorum Theologo *Iohan. Raynoldus in censurâ libr. Apocryph. præl.* 18.95.*&c.* 2. Sed Syracide omisso, quærimus an Bar Jesus *Actor.* 13. & Jesus *Coloss.* 4.11.& Jesus Anani, Jesus Damnæus, Jesus Gamalielis, apud *Flavium Iosephum l.* 7. *belli Iud. c.* 12. *& lib.* 20. *c.* 8. aliique forte centeni aut milleni sic dicti ante Christum; & nominatim *Ieschuah* 1 *Paralip.* 24.11. *Nehem.* 7.39. & 12. 10. *Esdr.* 2.36.39. omnes fuerint typi Christi? 3. *Dato* fuisse typos; manet tamen nomen hoc *Iesu* commune & aliis communicatum; & sic indoctum plane ac siculneum esse argumentum D. Andrewes. Rursum re„plicat *p.* 49. & in eo maximè videtur acquiescere: Nomen hoc esse soli„us Christi, quia illi soli à patre datum sit: Nec obstare quod alii eo no„mine dicti sint, illud enim sibi ex humano arbitrio, aut illigitimè ar„rogarunt. *Resp. Neg.* omnes sibi arrogasse illegitime, aut omnibus solo humano arbitrio inditum. Proba hoc de Josua filio Nun, & Josuah Jehozedek. Quod si & re & nomine (juxta tuam sententiam) typi Christi, quomodo absque divino consilio, absque quo nullus potuit esse typus sive destinatus, sive factus? Deinde, si Deus fidelibus verbi præconibus imparit nomen מושיעים *Salvatorum Obad.* 2.21. cum 1 *Timoth.* 4.16. & מצדיקים *justificatorum Dan.* 12.3. quidni &c. *Denique*, datis omnibus,

quæ ἀβασανίστως sibi sumit & dictat: nihil tamen inde sequitur. Ut opus æternæ salutis soli Christo tanquam causæ meritoriæ & applicanti proprium est, sic etiam nomen non solum *Iesu* sed משיע, Servatoris, σωτῆρος sponsoris, mediatoris, redemptoris, vindicis, pacificatoris, conciliatoris. Tribuitur tamen salus spiritualis, & opus salutis, aliis tanquam instrumentis moralibus, seu annuntiantibus: & sic secundum illam rem tribuitur ipsis nomen Servatoris, mediatoris &c. Similiter dico in temporalibus & rem & nomen salutis, redemptionis, liberationis &c. seu *servatoris* (quacunque lingua Hebr. Gr. Latina &c.) multis tribui posse: non minus quam nomen *Christi*. Est ergo fallacia à dicto secundum quid: Hæc enim straminea consequentia: Non sic, seu illa peculiari ac propria ratione non tribuitur alicui nomen *Iesu, Servatoris*, quâ tribuitur Christo: ergo nullo modo communicatur. 3. *Ratio* p. 35. Finis est præstantior mediis, seu supra media, ut nomen sanitatis supra nomen medicamenti: Atqui nomen Jesus est finis, & nomen Christi est medium ad finem; Ergo est præstantius, & magis honorandum. *Prob. Minor*: quia Jesus notat salutem, qui est finis, & Christus notat unctionem, quod est medium: est enim unctus ut esset Salvator noster: si ergo salus est supra unctionem, etiam nomen *Iesu* est supra nomen *Christi* p. 177. habet indoctam & absurdam dissertationem, ex quâ hæc enoto: *Nomen Christi in in largâ sua significatione non comprehendit in se officium salvandi nos. Christus nihil aliud significat, quàm unctum: jam verò quæ affinitas est inter unctionem & salvationem &c. Voces regis, sacerdotis, prophetæ in se non continent servatorem: sunt enim omnes gloriosæ & activæ; sed esse Iesum & servatorem, est nomen passivum & laboriosum. Sacerdos nihil amplus notat quam sacrificum: si quatenus sacerdos erat, servator fuisset, utique omnes sacerdotes veteris legis fuissent servatores, &c.* Sed tædet sententiam hujus libelli exhaurire. Itaque breviter hæc. *Resp. Primo* à rerum æquali aut inæquali præstantiâ, ad nominum præstantiam nullum duci argumentum nisi cabalisticum; aut ridiculum & jocosum: quomodo solent antehac in Academiis nonnullis fœminam malam non bonâ, sed mala Latinitate exprimere dicentes: *Malus mulier*: ut scil. bonitas aut malitia & rerum & vocum pari passu irent. *Secundò*, dato commento cabalistico de præstantiâ nominum, inde tamen non sequitur præstantiam illam genuflexione peculiariter exaltandam. Alioquin nomina *Salvatoris, Iustificatoris, Iehovæ justitiæ nostræ, Redemptoris*, ἰλασμοῦ, ἱλαστηρίου, *Glorificatoris, Suscitatoris ex mortuis &c.* Pariter essent honoranda: quia notant finem aliquem, ad quem unctio Christi tanquam medium refertur. Imprimis honoranda etiam nomina *Mediatoris* N. T. *Sponsoris, Prophetæ, Sacerdotis, Regis*: ad hæc enim Christus à patre ordinatus & spiritu sancto

ſancto unctus fuit; & unctio ad illa ſe habet tanquam medium ad finem. *Tertiò*, nomina Chriſti, Sacerdotis, (addo, *ſponſoris, mediatoris, ſervi, Apoſtoli*) tantum eſſe glorioſa & activa, & *Servatoris* tantum eſſe paſſivum; pluribus hic non excutiam. Supra oſtendimus *ſervatorem*, de ratione ſuâ formali dicere agentem, non patientem. Addimus nunc, nomen *Sacerdotis* (qui ſcil. ſeipſum obtulerit) eſſe non minus paſſivum quam ſervatoris. Idem dico, de nomine *ſponſoris, crucifixi, vermis, viri dolorum*: ergone ad ea Genuflectendum?

„ 8. *Except. p.* 63. 64. 65. 144. contra Nomen *Immanuel:* Quod nomen 6.
„nullo modo, aut ſaltem non tam plenè exprimit mortem Chriſti, ac no-
„men Jeſu, illud non eſt honorandum pariter ac nomen *Ieſus*: ſed nomen
„*Immanuel* eſt tale; Ergo. Rationes conſequentiæ rhetoricando ſubjun-
„git: Quia non ſufficit nobis Deum eſſe nobiſcum; nihilo meliores eo
„eſſemus, niſi pro nobis fuiſſet mortuus. Et, Non eſt Deus vivens, ſed
„Deus moriens, qui coronat, gaudium & conſolationem noſtram &c.
Reſp. Neg. conſequentia majoris. Ex quo ſcripturæ teſtimonio, aut ex quâ ratione probatur hæc major? Cur non æque eſſet honorandum nomen, quod exprimeret Chriſtum mortis triumphatorem per reſurrectionem, ſine quâ nulla ſalus noſtra, Chriſtus nullus ſalvator. Vide quæſo *Rom.* 4. 25. & 10. 9. & 8. 11. 34. Χριστος ὁ ἀποθανὼν, μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθεὶς. 1 *Corinth.* 15. 14. 17. *Deinde* rationes conſequentiæ ſunt inſulſæ. An non ſufficit Deum unitum cum homine in unam perſonam, & per eundem Deum unitum nobiſcum in fœdus gratię (utrumque enim hoc notat Immanuel). Rurſum, non magis aut minus *Servator* præſupponit & requirit ad ultimum effectum ſuum perpeſſiones, ac *Immanuel.* Poſtquam enim paſſus eſt, revera & actu nobis meruit redemtionem; & poſtquam reſurrexit &c. revera nobis applicuit ac contulit partam redemtionem, & ſic ipſo effectu ac complemento factus eſt nobis *Servator*, & *Immanuel.* Quod autem dicit Deum in humanitate non viventem, ſed morientem coronare gaudium noſtrum, illud diſertè repugnat. *Rom.* 8. 34. & 4. 25. & 10. 9. Neutrum ſine altero eſſe poteſt 1 *Corinth.* 15. 1. 2. 3. ſed reſurrectio eſt ulterius complementum in opere ſalutis, atque inde conſolationem nobis applicat. Videantur *comment. ad loca cit.* & *homiliæ* tam veterum quam recentiorum, de *Reſurrectione*; inter eas ipſius *Andrevvs* Epiſcopi Wintonienſis. *Tertio Neg. minor.* Non minus aut magis plenè exprimitur mors Chriſti per nomen *Ieſu*, quam per *Immanuel*: ut enim non poterat nos *ſervare* ſine morte, ſic ſine eâdem non poterat tabernaculum & unionem Dei cum hominibus efficere. Neutra tamen vox exſerte aut formaliter conditionem illam prærequiſitam unionis, aut ſalvationis exprimit;

ſed

sed de illâ aliis vocibus & scripturæ sententiis docemur. Breviter; *salvator* de formali ratione dicit effectum ipsum salvandi, sed non modum, rationem, & viam, hanc magis, quam illam. Restant *p.*66.67.144. adhuc exceptiones adversus nomina mediatoris, capitis, Dei; ubi absurda excerpenda & refutanda. Sed vereor ne tam crassis & crudis commentis exagitandis, studiosis nostris fastidium pariam. Suffecerit pleraque me prestisse: reliqua ex iisdem fontibus solutionem facile ipsi diluent. Quin ab ipsis Nominalibus, non sine contradictionis vertigine, tinnientia, & vana hæc verborum oblectamenta carnalium Formalistarum, nec minus spiritus fidei & veræ pietatis impedimenta in fumum dissipantur. Speciminis causa exhibeo ex *concione* Doctoris *Andrevvs* Episcopi Wintonienſis ad *Ierem.*23.*v.*6. Habitâ in Whitehall 23. Novemb. 1600. & cum reliquis ipsius concionibus de speciali mandato regis editâ anno 1629. in fol. per Episcopos Londinensem & Elienſem: Nam communi„ter à summo (seu celsissimo) titulo quilibet homo denominationem su„mit &c. Et sicut Deus, sic homo. Quicunque honoris titulus in suo „genere celsissimus seu summus est, eo inter omnes alios quilibet indigi„tari gaudet. Jam vero tituli (hujus versus parte priori occurrentes) *sal„vationis & pacis*, quas ipsis procuraturus est, sunt grandes & excellen„tes, nec minus de illo (Christo scil.) verificantur, quam titulus *justitiæ* „(*Dominus est lux mea & salvatio mea* Psalm. 21. Et, *ipse est pax nostra* E„phes. 2. 14.): à nullo tamen istorum nomen suum sumit; sed ab hoc ti„tulo *justitiæ* nomem suum sumit: & quidem utrunque præcedens no„men metaphoricè & figuratè, *germen justitiæ* v. 5. subsequens verò & „præsens proprie & vere, regium ejus nomen, *Iehova justitia nostra*. Id„eoque hoc nomen est summum ipsius æstimatione. Rursum est sum„mum nomen, quia est ipsi peculiare. Atqui quilibet æstimat eum esse „summum ac principalem titulum suum, qui non est ipsi communis cum „aliis, sed proprius; quippe in quo habet prærogativam supra omnes a„lios. Paulo post *p.*69. philosophatus de duplici *genere* nominalium in„ter homines quorum alii sunt reales alii non; de Deo sic κενολογεῖ: Apud „Deum non est divisio, sicuti apud nos, nominalium scil. & realium, & „τῶν quædam dicuntur de, quædam insunt in. Si nominamur filii Dei, su„mus inquit *Ioh.*1. *Ioh.*3.1.: ideoque à nominibus ejus sanum & substan„tiale argumentum deduci potest, sicuti videmus Apostolum deducere, „probantem excellentiam naturæ Christi supra angelos, ab excellentiâ „nominis sui supra ipsorum nomina *Hebr.*1.*v.*11. Et sicuti libera sunt à „falsitate, sic non sunt vani soni, sed habent quam virtutem in se. *No„men Dei*, inquit Salomon Proverb.18.v.10. *est fortis munitio &c.* Tandem

„dem concludit, hoc esse nomen hic nominatum, *Iehova justitia „nostra.*

111. *Argum.* nostrum contra Genuflexionem est: Peculiaris cultus divinus seu religiosus, quo major honor tribuitur Filio quam Patri, est illicitus: Sed talis est Genuflexio ad nomen Jesu, ubi filius colitur interne & externe; quod non fit ad nomen patris. Ergo. *Major.* Prob. ex Johan. 5.23. *Vt omnes honorent filium sicut honorant patrem. Except.* Dum filium honoramus, etiam honoramus patrem. *Resp.* 1. Si peculiari quodam cultu ad nomen *Iesu*, solum filium honoramus; utique uno illo eodemque patrem (qui non dicitur Jesus) non honoramus, nec honorare debemus; nisi forte concomitanter, aut mediate, relative, reflexive &c. uti cultum Dei in sanctis & imaginibus distinguendo exstinguendo fingunt Pontificii: 2. Retorqueri posset. Sufficit si ad nomen patris qui misit filium, Genuflectam: Quia sic pariter honorabo filium. 3. Quæri posset, an cum oratio seorsim dirigitur ad unam ex tribus personis, ad reliquas duas per concomitantiam dirigi dicenda sit? Quod si ita, aut non, aut cum distinctione; an alia an vero eadem tunc sit ratio illius concomitantiæ, quam ejus quæ in cultu hoc Genuflexionis prætenditur. An non ista incrustatio, de peculiari adorationis honore in filium quà servatorem immediate dirigendo, qui sic immediate nullo modo dirigi debeat in Patrem aut Spir. Sanct.; an non, inquam, distinctio illa & divulsio cultus religiosi exemplo suo juvet Socinianos, Christo adorationem seu cultum peculiarem distinctum à cultu patris tribuentes? 7.

Argum. IV. Cultus religiosus, quo objectum formale adorationis aliud statuitur, quam æterna deitas, ille est irrationalis & illicitus: Sed cultus religiosus Christi quà servatoris seu Jesu per mortem & passionem, statuit aliud peculiare objectum formale seu rationem formalem *adorationis.* Ergo *Major* Prob. Quia quod infert & statuit duo formaliter adorabilia, h. e. duo numina (σεβασμάτα) duos Deos; illud est cultus irrationalis, (adorant enim homines quod nesciunt): Sed pretensus peculiaris cultus Jesu infert & statuit duo formaliter adorabilia &c. Ergo. *Minor.* Prob. Quia objectum formale seu ratio formalis unius adorationis Christi, quæ illi cum Patre & Spir. S. communis, statuitur τὸ ὁμοούσιον seu æterna deitas. Et ratio formalis seu objectum formale alterius & à priori distinctæ adorationis Christi, quæ illi propria ac peculiaris, statuitur Christus quà ille solus (non Pater, nec Spir. Sanct.) passus pro nobis & quà Salvator noster. Ecce hic duas distinctas adorationes, & duo objecta formalia seu rationes formales adorationis, & consequenter duo adorabilia. Immo si periculosè & perplexè dicta adversariorum sequi velimus, facile in plura adora- 8.

tionis objecta sive nomina, sive res hoc est, qualitates, relationes, passiones, actiones Christi prolabemur; & tandem forte cum Pontificiis orationem ad spineam coronam, ad vulnus pedis dextri, aut sinistri, aut lateris instituemus. Hujus adulatoriæ & superstitiosæ devotionis fundamentum faciet illa distinctio: Christum non quà unctum seu Christum, non quà filium Dei, non quà dominum nos salvasse, & consequenter non sic prætenso peculiari cultu colendum; sed salvasse nos quà servatorem seu Jesum, quà mortuum & passum, & consequenter quà talem peculiari cultu colendum. Nos contra Socinianorum insidias & strophas firmiter teneamus hæc duo axiomata. I. *Christi personam*, hoc est λόγον θεάνθρωπον quà talem, non verò nomen, esse servatorem & mediatorem nostrum, principium *quod*, unicam salutis causam meritoriam & applicatoriam supremo domino & redemptori Deo subordinatam: Principium *quo* esse mediatum aut immediatum. *Illud* esse geminum, humanam & divinam naturam; quarum utraque concurrit & pro suâ parte confert tanquam συνεργικόν quid ad productionem operum seu ἀποτελεσμάτων θεανδρικῶν ex. gr. sacrificii in cruce, resurrectionis &c. *Istud* esse obedientiam & justitiam passionis ac totius vitæ, tanquam satisfactoriam & meritoriam; quâ positâ impetratio pro nobis & redemptio nostri ponitur. II. *Objectum adorationis* esse Christum, non quà hoc nomen habet, nec quà terminando assumtionem humanæ naturæ à patre & Spiritu Sancto distinguitur; nec quà hoc vel illo munere seu relatione mediatoris, sponsoris, sacerdotis &c. vestitus est; nec quà hoc vel illud passus est & egit ad salutem nostram tanquam sponsor & mediator: sed quà ὁμοούσιος & æternus Deus. Ratio enim formalis tantùm una est, quâ positâ res ponitur, sublatâ aufertur: sed πῷ ὁμοούσιῳ posito ponitur, sublato aufertur adorabilitas; non vero posito aut sublato nomine, aut actione mediatoris quà talis, aut munere mediatorio. Monendi hic juniores, ne confundant quæstiones quis, cur, qualis adorandus; cum quæstione, quæ sit ratio formalis adorationis. Quæstio *quis*, coincidit cum istâ: quod sit objectum materiale (ita loqui liceat) adorationis; & sic est Christus, quacunque denominatione, ex. gr. Mediator, Deus, homo, crucifixus, filius Mariæ, filius Davidis, λόγος, filius Dei, Frater, Sponsus, Sponsor, Pontifex &c. Quæstio *cur* cui respondetur per *quia*: coincidit, cum istâ: quæ sint motivæ & rationes cultus, adorationis, & gratiarum actionis: & sic sunt omnia illa quæ pro nobis fecit ac passus est Christus mediator, & beneficia temporalia ac spiritualia quæ per omnem vitam nobis confert. Quæstio *qualis* coincidit cum illâ quâ quæritur: quod sit *objectum considerationis*: & respondetur ad eam particulam *quâ* specificativam, quæ laxè & impropriè sic accepta, à *quâ* proprie & stri-

ctè

& è ita dicto, seu reduplicativo notante scil. rationem formalem in scholis distinguitur. Sic dici potest Christum post incarnationem, talem & talem, hominem scil., Mediatorem, Sacerdotem, Crucifixum, immo ut taliter & non aliter consideratum à nobis adorari: ne scil. divellamus aut separemus à λόγῳ naturam humanam aut officium mediatorium. Talis enim nunc est à nobis sic consideratus, non aliter, creditur, amatur, adoratur, ac celebratur filius Dei. Hæc revera longè alia est qualificatio (ita loqui liceat) æterni & adorandi filii Dei, quam non habuit ab æterno. Sed nullo modo dicenda est alia ratio formalis, aut objectum formale adorationis: hoc enim unum est & æternum, nec minuitur in se, nec augetur, nec ulla ratione mutatur, nec illi quid quam accedit aut decedit, nec est contingens, aut à libero Dei decreto dependens: sed ab æterno in æternum idem est, necessarium est, ac per essentiam tale; quia realiter idem est majestas, gloria & adorabilitas Dei, cum æternâ ejus deitate. Sed de hâc quæstione ex professo egimus, in *Disp. part.* 1., ubi *de Adoratione Christi*; & *part.* 2. Ubi *de Personâ Christi Mediatoris*, & ubi *de Miraculis part.* 2.

APPENDICIS *Pars Tertia ad Disputationem* DE SUPERSTITIONE.

Ubi de Genuflexione ad nomen Jesu, & ad Mensam seu Altare.

Resp. JOHANNE HOECK Heusdano. *Ad diem* 12. *Septemb.* 1640.

Argum. v. Cultus divinus in aliquo externo signo, seu per signum & repræsentamen, seu ad aliquod signum, est illicitus, nisi Deus illum exsertè præscripserit: Sed talis est cultus ille peculiaris ad nomen Jesu; Ergo. *Prob. Major*, ex *Exod.* 20. 4. coll. cum *Levitic.* 26. *v.* 1. *Deuter.* 12. 8. Hinc illicitum erat ad serpentem Æneum, Mannam, Rupem, Agnum Paschalem, vestem Sacerdotalem, Oleum seu Chrisma, Sacrificium Propitiatorium, Mincha, Libamen, Canistrum, Pateram, Cultrum, Ignem Sacrificii, Panem Propositionis, librum Legis, Tubas Argenteas, Instrumenta Musica in sacris usitata; aut coram iis adorare: quamvis plerunque essent partim mystica signa, partim media cultus divini, nonnulla saltem documenta peculiaris divinæ benedictionis, ab ipso Deo immediatè data aut instituta. Sed licebat adorare ad templum, aut arcam; seu coram illis, quia Deus ita instituerat: nec tamen semper ad conspectum aut auditum templum Genufle-

1.

nuflectendum erat. Prob. *Minor.* Quia cultus peculiaris ad nomen *Jeſu* eſt cultus adorationis ad ſignum ſeu coram ſigno, ſcil. divinitus dato. Ut enim Sacramenta dicuntur verbum viſibile, & verbum Dei dicitur Sacramentum audibile: ſic nomina poſſunt dici εἰκόνες & imagines audibiles; quomodo *Philoſophus de Interpret. cap.* 1. voces vocat conceptuum σύμβολα, σημεῖα. Vim hujus conſequentiæ agnoſcit *A Lapide in Phil.* 2.

2. *Argum.* VII. ab abſurdis conſequentibus, quæ hic notamus. 1. Quia quotieſcunque domi quis Deum precatur, aut nocte experrectus in lectulo ſubmiſſâ aut clarâ voce ingeminando mi *Jeſu*, *Jeſu*, eſſet Genuflectendum, nec ſufficeret geſtus Genuflexionis, ſi quem per totam precationem adhibeamus, quia ille communiter adhibetur ad omnia alia Dei nomina, immo ad omnes & ſingulas voces iſtius precationis. 2. Idem agendum; quotieſcunque clara voce legimus ſcripturam, aut alios libros Theologicos, immo & ſcriptores Alcoranicos, Judaicos, Ethnicos, Hæreticos, apud quos occurrit nomen Jeſu: hic enim pronuntiatur nomen Jeſu. 3. Nec minus illud faciendum, cum in libris aut chartis ſcriptum conſpicimus, aut tacitè legimus nomen Jeſu: quia nomen ſcriptum eſt nomen. 4. Quin etiam, cum illud internè cogitamus in meditatione, aut mentali oratione. Eſt enim nomen illud juxta *Bernardum* (ſiquidem *aurea dicta Bernardi* nominaliter cum *Gul. Page p.* 4^c. 64. 68. accipere velis) æquè *jubilum in corde, ac mel in ore, melos in auribus.* 5. Sequeretur quando ut particula admirantis, aut exclamantis, aut temere jurantis, aut quocunque modo abutentis nomine Dei pronuntiatur; aut etiam à pueris in ſcholâ declinationem nominis *Jeſu* Gr. aut Lat. memoriæ mandantibus ingeminatur; eſſe Genuflectendum: Et ſic vim pietatis ac devotionis in meras obſervationes ac formalitates aulicas, aut in nugas theatrales, tandem convertendam aut deſituram. *Exceptio* eſt: In cultu divino aut publico ad nomen hoc Genuflexionem requiri; non verò ſemper ad quamcunque ejus pronuntiationem. *Reſp.* Mandatum *Philipp.* 2. 10. hanc exceptionem non habet; nec alibi in ſcriptura invenitur. Ergo nulla eſt. 6. Sequeretur, homines in cultu publico, cum anagnoſtes aut concionator nomen illud pronuntiat, ſæpe ambiguos fore, aut per errorem Genuflexuros ad nomen Jeſu *Actor.* 13. *Heb.* 4. *Col.* 4. 1 *Paral.* 24. *Eſd.* 2. 36. 40. *Neh.* 7. 39. & 12. 10. (ubi gr. 70. habent Ἰησοῦς) aut Jeſu Anani, Damnæi, Gamalielis. Ita idem fere ad excuſationem neceſſarium eſſet, quod Pontificiis, quando quis adorat hoſtiam non conſecratam & transſubſtantiatam, aut ſub imagine crucifixi adorat diabolum. Sed abſit, abſit. Nos adoramus quod ſcimus, dum alii adorant quod neſciunt, & aram dedicant ἀγνώστῳ θεῷ *Iohann.* 4. 22. cum *Actor.* 17. 33. Voluit enim Deus objectum adorationis

noſtræ

noſtræ fide divinâ certum eſſe & indubitatum. 7. Quia fluctuare faciunt conſcientias rudiorum, & ſcrupulum ipſis injiciunt, ut ſæpe metuendum ſit, ne Genuflexionem orationis, cum Genuflexione adorationis mutarint aut confuderint: quomodo Pontificiis hoc non raro evenire facile colligimus ex mox dicendis. 8. Sequeretur ex iiſdem prætenſis rationibus, ad crucifixi picturam ſeu imaginem, ejuſque conſpectum, ſaltem ad pronuntiationem mortis, crucifixionis Chriſti & deſcenſus ad inferos &c. eſſe Genuflectendum: quomodo Pontificii conſonè propiis ſuis hypotheſibus hoc obſervant. Audi Gavantum Theſaur. ſacr. rituum tom. 1. part. 1. tit. 17. *In miſſâ privatâ ſacerdos Genuflectit, quando legit euangelium S. Iohannis, &c. Ad illa verba:* Et verbum caro factum eſt; *Et in Euangelio Epiphaniæ, cum natus eſſet Ieſus, ad illa verba, &* procidentes adoraverunt eum. *Item in Euangelio feriæ quartæ poſt dominicam quartam quadrageſimæ, ad illa verba in fine, &* procidens adoravit eum. *Item genuflectit in dominicâ palmarũ, & in miſſis de cruce ad illa verba in epiſtolâ,* In nomine Jeſu omne genuflectatur *&c. & quando legitur paſſio ad illa verba,* expiravit, *vel,* emiſit ſpiritum, *ut ſuis locis notatur. Item genuflectit cum dicit,* Flectamus genua. *Item quando in quadrageſimâ dicit in tractu verſ.* Adjuva nos Deus *&c. & in omnibus miſſis de Spiritu Sancto, cum dicit verſ.* Veni ſancte ſpiritus, reple *&c. Item quando ſacramentum in altari diſcoopertum apparet, genuflectit, quoties ante illud tranſit in medio altaris: & quandocunque in ordine miſſæ, & in ritu ſervando in celebratione Miſſæ notatur, quod debeat genuflectere. Circumſtantes autem in miſſis privatis ſemper genuflectunt, etiam tempore Paſchali, præterquam dum Euangelium legitur &c.* Vide reliquas genuflexionum, & profundarum inclinationum nugas toto illo titulo. Annotat *ibid. Gavantus ad Miſſalis textum cit.* in quinque prioribus, & in duobus ultimis caſibus adorationis ergo genuflecti; in ſexto orationis ergo, quia oraturi genuflectimus; in ſeptimo ad indicandum ſolemnem luctum. Ad varia & ſignificantia hæc genuflexionum myſteria probanda citat *Alcuinum, Rabanum, Honorium, Gemmam* lib. 1. cap. 117. qui ſic ait: *Cadimus in terram, ut Chriſtum in carne adoremus; ut item memoremus nos in Adamo cecidiſſe, & mole corporis gravari ingemiſcamus; & ut lapſum animæ noſtræ in vitia, dum corpore ad terram cadimus, pœnitendo fateamur.* 9. *Quia* ſuperſtitionis multiplicis occaſionem prebent, infirmis & incautis aut ſcandalum objiciunt, & ab omni ſpecie mali non abſtinent, immo nimis colludunt cum Idololatris, Cabaliſtis. *Primo,* enim ab his efficacia aut ſaltem excellentia major tribuitur nomini Hebræo ſeu hellenizato, & quidem proprio, & rei excellentis, quam eidem aut aliis lingua vernacula, aut græca, aut quacunque alia pronuntiatis. Vide Cabaliſticam & Magicam hanc opinionem explicatam & recep-

ptam à *Francisco Georgio problem. tom. 6. sect. 8. n. 296.* Et *Mengo* celebri Doctore Exorcistico, quem citamus *Disput. de Exorcismo, & Alphons. de Mendoza controvers. Theolog. quæst. 10. p. 633.* Denique *Agrippa de Occult. Philosoph. lib. 1. c. 69. 70.* Confer *disp. de Magiâ. Secundo* specialiter efficacia & excellentia & sic honor tribuitur nomini *Iesu* supra omnia alia. De quo *Disputat. de Exorcismo, & de Peste. Tertio*, variis flexionibus & gesticulationibus religionem suam colorant Gentiles, Judæi, Muhammedistæ, Pontificii: cum quibus quomodo & quousque colludant, aut ab iis abludant novi ὀνοματοζηλώται tum demum ipsi intelligent, ubi sua ex scriptura & ratione defendere, Pontificiorum vero subruere aggressi fuerint. Ego certè non video quid solidi plerisque ceremoniis ac ritibus in *Pastorali, Episcopali, Pontificali, Ceremoniali, Missali* decantatis opponi possit, ἐνὸς ἀτόμου τοῦτο δόγμα &c.? *Quartò*; Juvantur etiam aliqua ratione nominales illæ superstitiones & vacuæ observationes in Papatu circa lusus & titulos, Societatis Jesu; Fraternitatis nominis Dei & peculiaris rosarii in honorem nominis *Iesu* (Vide *compendium Institut. Fraternitatis SS. nominis Dei*), nominis Jesu in sole, Missæ de nomine Jesu, quæ sic incipit: *In nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium &c.* Ubi tractus, inter alios versiculos sic canit: *Nominatum* (scil. nomen Jesu) *invocatum, honoratum, prædicatum, semper sonat dulciter. Tam peccatum quam reatum, condonatum, expurgatum, tendit mulcens leniter. Hostes ferit, mores ferit, graves gerit & conterit &c. Nos defendit, nos attendit, &c.* Rubrica ejus sic sonat: *Missa de nomine Iesu. Quicunque hanc missam celebrat aut celebrari fecerit per triginta dies Veneris, non morietur sine verâ confessione, contritione. Et infra triginta dies post obitum suum ad gaudia pervenit sempiterna. Et habet pro qualibet Missâ tria millia annorum Indulgentiar. concessarum à Papa Bonifacio.* Sic Missale antiquum Parisiis 1506. fol. 224. Sed excipit. *Gul. Page p.* 142. Differre se seu Nominales zelotas à Papistis triplici ratione: *quod* hi omnem vim syllabis & sono vocis includant, illi minime, quippe qui non sono vocis, sed sensui genuflectant, non literis aut syllabis nominis, sed debitæ professioni seu agnitioni infiniti illius beneficii & favoris, quem virtute hujus nominis recipimus. *Quod* insuper putent Papistę nomini huic inesse potestatem fugandi dæmonas. *Quod* denique Pontificii concedant multorum dierum indulgentias, illis qui genuflectunt ad nomen Jesu. *Resp.* Prima differentia nulla est: siquidem Pontificiis haut extorquebis ὀνοματομανίαν istam à te descriptam. Cum enim urgentur: ad eadem distinctionum χρηζφύγετε vobiscum declinant. Sic enim Paludanus Theolog. Lovanensis in Vindiciis Theologicis verbi Dei ad Philipp. 2. v. 10. *contumeliosè & superbè hac injuria*

ria in Catholicos evomitur, quasi hujus nominis literas, aut syllabas, aut earum sonum colant, & non potius adorando & invocando eum, assurgant qui *his sonatur &c.* Similiter *Corn. A Lapide in comment. ad loc. cit. Deinde* non capio, quomodo genuflectat quis professioni seu agnitioni beneficii divini, hoc est, bono suo operi seu bonæ cogitationi? siquidem genuflexio hæc sit cultus adorationis religiosus & quidem peculiaris, an ergo quis seipsum aut opera sua illo cultu colit absque sacrilegio? An dicet genuflecti beneficio accepto? Sed quæro, quid sit illud beneficium, Deus an verò creatura, seu effectum aut opus Dei? Si hoc, quomodo illi genuflectimus, Vertiginosa sane & labyrinthæa Theologia. Velim scire quot & quæ censeant esse objecta cultus seu adorationis. Quod si regerant genuflexionem non esse formaliter ipsam adorationem, sed esle signum aut partem externam, aut utrunque: *Resp.* Manere tamen eandem difficultatem, cur non semper, quovis loco & ad quodcunque nomen synonymum (præsertim servatoris. Jehovæ justitiæ nostræ, filii Dei, Christi crucifixi &c.) ea adhibenda sit. *Denique* ad totam hanc exceptionem *Resp.* quamvis genuflexio hæc per omnes circumstantias, hypotheses, & consectaria non sit eadem cum Papistica, (prout nullum simile est idem) non parum tamen cum eâ symbolizat: & difficile erit rudioribus tam accuratè semper distinguere, ut tandem in Papisticos abusus non incidant. 10. *Hoc* absurdum hinc sequitur, quod in precibus, lectionibus, & concionibus publicis, ad evitandam attentionis perturbationem, per crebras illas auditorii agitationes & strepitus nomen hoc sæpissimè prætereatur aut præteriri debeat; ubi tamen occasio esset illud referendi: quod an bene conveniat scopo mandati divini (quem prætendunt) & injunctionis ecclesiasticæ ipsi viderint. Hoc saltem verum est, si centies aut sæpius nominetur; vix fieri posse, ut hominibus molestiam non afferat & attentam auditionem ac meditationem perturbet ista corporis jactatio, inclinatio, genuflexio. Sapimus enim per quietem, teste *Philosopho.* 11. *Quia* homines illis ceremoniis urgendis & observandis plerunque redduntur nominales, & formales & magis ac magis desinunt esse reales. Breviter evanescente interiori, remanet ac crescit opus operatum exterius, & vacua observatio, ac mera formalitas. Testis est experientia, eos qui maximè hic fervent, intus instar febricitantium maxime frigere.

VII. *Argum.* ad hominem, quibus adversarios ex propriis hypothesibus & dubitationibus urgemus, sunt ista 1. Aut est cultus divinus, seu ritus religiosus jure divino præscriptus; aut est in se merum adiaphorum, ad decorum ecclesiasticum ab ecclesia libere observatum & institutum. Si hoc est, ut quidem nihil aliud prætendit *can. episcopalis* 18. *Synodi Londi-* 30

nensis

nensis anni 1603. ; jam non debet probari ex *Philipp.* 2. sed tantum allegari consuetudo & autoritas Ecclesiæ : & sic nulla ratio est, cur non in alia ecclesia observari & præscribi possit genuflexio ad nomen Jehovæ, in alia ad nomen Spir. Sanct. in alia ad nomen Christi crucifixi ; in alia ad nomen *verbi incarnati* ; in alia ad Trisagion ἅγιος ὁ θεὸς , ἅγιος ἰσχυρος , ἅγιος ἀθανατος, ἐλέησον ἡμᾶς. De cujus origine & usu in ecclesia Græca vide *Cedrenum*, *Landulphum*; *Godefrid. Viterbiensem in Theodosio*, *Codinum in Originib. Constantinop. Damascenum orthodox fid. c.* 57. *Germanum in histor. Ecclesiastic. Victorem in Chronico*, & *Baronium ad ann.* 446. *n.* 5.-14. Ubi autores alii citantur. Et quidni in alia ad *Kyrie eleison*, *Christe eleison* ; in alia ad *Gloria Patri*, & *Filio &c. sicut erat in principio* &c. ? Breviter tot erunt observandæ genuflexiones, inclinationes, & similes πολυποικιλοι gestus, quot secundum loca, tempora, materiam lectionis, prædicationis, orationis, cantus, aut Ecclesiæ Romanæ (in *Pastorali*, *Missali*, *Pontificali &c.*) aut Græcæ, aut Syriacæ, aut Gallicæ, aut Belgicæ &c. visum fuerit excogitare & præscribere. Et quis tandem harum formalitatum finis ; cum omnibus ratio aliqua εὐταξίας, aut adminiculi ad devotionem, aut mysticæ significationis subesse, nec non autoritatem ac consuetudinem Ecclesiæ præesse, pari colore dici possit. Vide *Belethi & Durantis Rationale*, *Gavanti thesaurum*, *Amalarium*, *Alcuinum*, *Rab. Maurum*, *Walafrid. Strabonem &c. de ecclesiasticis officiis* ab Hittorpio editis : ne quid dicam de *Innocentio*, *Ruperto Tuitense*, *Pupillâ oculi*, & *similis* farinæ *scriptoribus*. Sin vero cum Doctore Andrews, G. Widdows, G. Page, & cum Doctoribus Pontificiis, quis dicat esse cultum jure divino præscriptum *Philipp.* 2. ; jam debebat apud ipsos certum esse, per nomen genuflexione peculiari exaltandum intelligi nullum aliud, quam nomen Hebræo-Græcum, *Jesus*. Atqui *Mendoza q. c. p.* 647. disp. nomen illud supra omne nomen esse *Iehova*. *Hugo in Cant.* 1. esse *Immanuel*. Et *Andrevvs loco* supra *c. in concione ad Ier.* 23. nomini *Iehova justitia nostra* omnia tribuit, quæ huic nomine *Jesu* tribuenda esse contendunt. *Corn. A Lapide in Philip.* 2. notat tria hæc data esse : *primo* Nomen scil. Dei & Filii Dei (sic ut nomen significet rem nominatam) juxta *Ambros. Theodoret. Anselmum*, *Thomam* ; *secundo*, famam & nominis celebritatem ; *tertio*, Et proximè nomen *Jesu*. Et sic recentiores *commentatores nostri* de re nominata seu de potestate & gloria interpretantur : vix ullus est quod sciam, qui de solo nomine *Jesu* præcisè exponendum putet cum aliarum expositionum exclusione. Ubi ergo hic qualiscunque saltem pro novo hoc jure divino, aut veterum aut recentiorum consensus ? immo ubi ipsorum ὁμολογηλώτων consensus ? 2. Peculiaris ista genuflexio ad solum nomen Jesu, aut est cultus divinus seu religiosus, aut est cultus humanus

tus seu civilis, aut saltem talis, qualis creaturæ exhibetur. Si est secundus aut tertius; jam non esset Christo datum nomen supra omne nomen, cum cultus gloriæ & nomini glorioso proportionatus non transcendat cultum hominum aut creaturarum. Sin vero est divinus & religiosus; jam colitur hæc imago (est enim ipsum quasi imago & repræsentatio rei nominatæ; uti rectè agnoscit *A Lapide in Phil.* 2. Et *Zvvarez in* 3. *qu.* 25. *s.* 6.) uti etiam omnes aliæ imagines, aut in se, aut ut referatur ad prototypon, personam scil. Christi. In se coli adoratione respectivâ & veneratoriâ per capitis inclinationem, osculum, aliudve externum venerationis signum, statuunt *Thomas*, *Serrarius*, *Zvvarez*, *A Lapide loc. cit.* Ratio est quia ecclesia Romana statuit, ut ad nomen Jesu omnes flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur. *Deinde*, quia res quæ ad religiosum cultum refertur, aliquo modo ipsamet etiam coli debet, propter id ad quod refertur, vel quod repræsentat. Contra asserit *Vasquez lib.* 2. *de Adorat. disp.* 8. *c.* 3. Nomen Jesu in se non coli, nec mentem ferri in nomen, sed in Christum nomine repræsentatum, & sic honorem imaginis aut nominis propriè ferri in prototypon aut rem nominatam; & sic nomen & imagines tantum tum coadorari, non vero separatim adorari, id est, coli. Ratio est; quia imagines sunt inanimes, & adorationis incapaces. Sed pro consuetudine & autoritate ecclesiæ Romanæ occurrit illi *A Lapide* distinguendo inter cultum adorationis propriè dictum, & inter venerationem. Nunc extricent se, & certi aliquid statuant; saltem communi fide Papistica, ne adorent quod nesciunt, aut de quo dubitant, aut probabiliter, & quodlibeticè disputant. Reliqui qui Papatui non sunt obnoxii, eligant & certa fide constituant sibi speciem ac modum honoris, quem peculiariter aut nomini seorsim, aut nomini cum persona & ad personam, aut nomini cum relatione ad passionem salutarem, & cum repræsentatione profundissimæ humiliationis debitam putant: sic tamen ut à Papistarum opinionibus & superstitionibus, se ἀπὸ παντὸς differre ostendant. *Gul. Page supra cit.* omnes differentias cum adferret inter suos & Papistas, planè oblitus est differentiam primò requisitam in forma & modo cultus, seu venerationis. 3. Genuflexio & veneratio hæc, est aut eadem quæ exhibetur cruci, imagini Christi crucifixi, altari, pani eucharistico (quatenus scilicet illa referuntur ad Christum servatorem, & magis speciali quadam ratione ad ejus mortem ac sacrificium in cruce); aut est realiter diversa. Si illud: jam nomen *Iesus*, non est supra omne nomen, nec peculiari cultu colitur: sed eo, qui altari aut mensæ, aut cruci communis est. Sin istud: explicetur ergo, in quo consistat realis illa distinctio, & quæ sit ejus causa, & cur magis repugnet scripturæ ad conspectum alta-

ris, aut imaginis crucifixi, aut ad lectionem passionis dominicę, pari genuflexionis veneratione Christum agnoscere ac profiteri unicum & perfectum servatorem, quam ad pronuntiationem nominis *Iesu*. 4. Religiosa illa genuflexio ad nomen Jesu, aut directè tendit in Christum tanquam objectum adorationis, & sic est actus adorationis externæ, atque una testimonium & signum adorationis internæ; aut directè tendit & refertur ad actum fidei, quem in corde nostro concipimus & elicimus hâc occasione, ad auditum scil. nominis *Iesu*; & sic est signum & testimonium fidei nostræ atque adeo publica professio: aut directè tendit & refertur, ad actum humilitatis, caritatis, gratitudinis, obedientiæ, quem intus in corde tunc elicimus quando audimus nomen Jesu, quemque ideo coram omnibus ista ceremonia seu ritu externo testamur. Eligant aliquid istorum, aut omnia illa simul admittant; & videbunt in quas absurditatum, κακοφωνίαν & contradictionum vertigines se demissuri sint. *Gul. Page p.* 100 101. eligit tertium; esse scil. ceremoniam procedentem ex humili corde & sic signum subjectionis nostræ. Sed quomodo hæc cum aliorum & propriis rationibus ante hac refutatis, satis conveniant, fateor me non videre. Nos præstructim ista enodanda suggerimus. *Primo*, Unde constet, ritum genuflexionis potius adhibendum in testimonium & signum internę humilitatis, Christianę resolutionis (ut ἰδιάν ipsorum ἀφλεκτον imiter) & debitæ agnitionis, ac professionis, quod Jesus sit unicus servator noster; quam alium aliquem: cum ritus hic sit proprius orationis (quæ canone isto exsertè non injungitur), & non professionis fidei, quem canon injungit (stantes autem solent fidem profiteri, & prælectionem symboli audire); adhæc cum antiqua ecclesia voluerit, ut ne precantes quidem genuflecterent diebus dominicis & pentecostalibus, propter recordationem victoriæ Christi & liberationis à peccato & morte. Quomodo ex hac ἐξαιολογίᾳ genuflexionem suam exsculpent, aut cum eâ conciliabunt? *Secundo*, Siquidem oratio, cum fidei professione sit conjuncta: cur utriusque actus religiosi appropriatus ritus, & utriusque externum ac conveniens signum non adhibetur? cur hujus potius quam illius signum præfertur? *Tertio*, Unde probatur actum internum orationis seu aspirationis ejaculatoriæ, aut renovationem atque excitationem internam fidei & resipiscentię; seu actum quemque fidei aut caritatis, aut gratitudinem erga servatorem nostrum intus in corde fidelium per occasionem elicitum, debere externo signo & testimonio coram omnibus buccinari? *Quarto*, siquidem motus & actus fidei ac devotionis internè in corde nostro excitatos, omnino teneamur coram tota ecclesia proclamare per externa testimonia; unde probatur potius per mutos gestus, quam per voces

ces articulatas, e. gr. *credo, hoschanna, domine mi & Deus mi, Iesu, Iesu, ô Servator, Iesus est Servator, Amen &c.* esse manifestandos? *Quinto*, detur quocunque modo manifestandos; cur tantum illa occasione (ad auditum scil. nominis *Iesu*) & non alia quacunque magis fertili, ad auditum scil. nominis *crucifixi*, aut ad auditum *vulnerum* (quomodo apud Pontificios est Missa de quinque vulneribus, de Spiritu Sancto, de Trinitate, æque ac de nomine Jesu), aut ad auditum concionis de *misericordiâ* Dei, aut de passione; quibus multos magis intus commoveri contingit, quam ad auditum nominis *Iesu*? *Sexto*; Quod si quis pronuntiatione nominis *Iesu*, non moveatur ad humilitatem, fidei certitudinem, consolationem, gratitudinem, an ergo genuflexionem religiosè adhibere tenetur, etiam cum illi nulli modo signum futurum sit, aut esse possit actuum internorum modo dictorum, qui illic non sunt? An ergo sufficerit opus operatum, devotio virtualis, & similes Pontificiorum hypocrises? 5. Cultus ille genuflexionis si jure divino præscriptus, nunquam omittendus erit, ex dispensatione autoritatis humanæ, aut ex consuetudine ecclesiæ: quod tamen fieri videmus à zelotis. Ubi enim lex non excipit, non est excipiendum; sed æque ad quamcunque nominis istius pronuntiationem (saltem in cultu & exercitiis religionis privatis & domesticis) genuflectendum, ac in lectione euangelii, aut liturgiæ, aut in audiendâ concione. *Exceptio* est: præcepta affirmativa non obligant ad semper. *Resp.* absolutè non obligant ad actus, & consequenter non ad actuum istorum conditiones: sed ex hypothesi obligant: sic e. gr. ad certitudinem in fide, ad fiduciam & humilitatem in precibus, ad genuflexionem aut aliud quodcunque externum orationis testimonium & signum non tenemur nisi ex hypothesi; quandocunque scil. credimus aut precamur. Similiter non obligamur semper ad genuflexionem; sed obligamur ad eam quotiescunque nomen *Iesu* sonat: (siquidem textus *Philipp.* 2. nominaliter exponendus): Et quicunque hanc venerationem publicè aut privatim posthaberet, utique parum zeli & devotionis ergo dominum Jesum, quà servatorem suum, ostenderet: præsertim si cum Gul. Page crederet, *etiam ipsos Angelos nomen Iesu externo signo honorare.* 6. Quia nomen *Iesu* non est supra nomen Jehova, *patris*; ergo supra illud peculiari honore non est honorandum. Antecedens astruit *Gul. Page p.* 111. 112. contra *A Lapide*: ubi probat hæc verba Musculi: *Vtique excepto nomine Dei patris, à quo nominis excellentiam accepit.* 7. Quia, siquidem cum hypothesibus suis consentiant adversarii, non debebant caput inclinare, sed genuflectere: neque enim capitis inclinatio, sed genuflexio occurrit *Philip.* 2. Insuper, siquidem analogicè & in genere externum submissionis signum & ritum sufficere

putant, non debebant deligere capitis apertionem & inclinationem, (quæ nec in politiâ nec in eccleſiâ apud nos profundiſſimam demiſſionem exprimunt) ſed genuflexionem, aut provolutionem in terram, aut ſimile quid. Atque hæc argumenta noſtra contra cultum nominis Jeſu.

4. Atque hactenus argumenta pro ſimplici veritate. Adverſantur huic, uti ſupra indicavimus, Pontificii, Lutherani, & Hierarchico-ceremoniales. Inter Pontificios, præter ſupra (*append.* 1. § 4.) citatos, prolixè hoc agit *Serrarius in prolegom. ad librum Ioſuæ*, cui nunc addo *Bellarminum in Catecheſi, Karamuel Lobkovvitz in Curſu Philoſoph. p. 8. b. & p. 7. a. & b. Carolus Stengelius & Richardus Hampole* quorum *peculiares tractatus exſtant de Nomine Ieſu*, quid & quantum præ aliis conati ſint, dicere nequeo; quia hactenus non contigit mihi eos videre. Ex Lutheranis non vidi, qui magis ſeriò & ex profeſſò pro hoc ritu diſputaverit, ac *Fevvrbornius ſupra cit.* Eos in ſpecie, & ſuccinctè refutavit *Altingius in Exegeſi Auguſtanæ Confeſſionis p.* 274. edit. in 4. Ex Anglicanis ceremoniarum zelotis varii mox nominandi, & quidem majore cum ſtrepitu, quam Pontificii & Lutherani, hanc cauſam agitârunt, ſed linguâ ſuâ vernaculâ. Nos promiſcuè ex cujuſvis profeſſionis autoribus præcipua argumenta excerpemus. Sit ergo. *Prima Object.* ex *Philipp.* 2. *verſ.* 9. 10. quæ palmaria. *Reſp.* Nulla quidem vel umbra argumenti ex hoc textu educitur; niſi liquidum ſit, & ab adverſariis cogentibus rationibus demonſtretur, duas illas voces *nomen* & *genuflectere* in propria ſignificatione hic accipiendas: ita ut aliter hic accipi non poſſint. Sed 1. *de genuflexione*, hoc non probatur. Immo contrarium potius evincitur ex textu: ſiquidem honor aut ſubjectio illa, quam creaturæ cœleſtes & ſubterraneæ (ſupponimus nunc, ſolas rationales hic intelligi) Chriſto volentes aut nolentes exhibent, nec eſt genuflexio, nec cum ea conjuncta; neque enim habent aut genua, aut capita, aut corpora; conſequenter nec corporum ſitus & actiones. Quod ſi replicent, analogicè hoc accipiendum de quocunque alio externo ſubjectionis ſigno. *Reſp.* Cur non & ego viciſſim nomen Jeſu analogicè extendam ad quodcunque glorioſum nomen Chriſti, aut ſaltem ad nomen, quod indicat plenitudinem ſalutis eſſe in Chriſto, e. gr. σώτηρ, *magnus Deus & ſervator, Iehova juſtitia noſtra, ſponſor noſter, mediator Dei & hominum, propitiatio pro peccatis noſtris &c.* 11. Vocem (*nomen*) propriè hic accipiendam, & non tropice ne quidem unquam probare tentarunt adverſarii. Norunt in ſcriptura eam tropicè accipi, & nominatim *nomen Dei, Matth.* 6. 9. & 28. 19. *Iohann.* 1. 12. Et *nomen Chriſti Matth.* 12. 21. *Iohann.* 2. 22. & 3. 18. *Actor.* 9. 21. Et *nomen patris Iohan.* 12. 28. *&c.* Probent ergo ex circumſtantiis textus, hic non poſſe aliter quam propriè accipi. 111. Non proba-

probatur ex textu aut ullo cogente argumento phrasin ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ, materialiter de ipso nomine *Iesu* accipiendam. Nam vox *Iesus* materialiter accipi potest, aut formaliter. Priori modo hic accipi, & non posteriori solidè probandum est; non petendum aut sumendum. Quinimmo dicimus, & pluribus mox infra probabimus, non posse sic accipi; quia circumstantiæ textus hoc nullo modo permittunt. Est enim nomen cui genuflexio hic tribuitur, nomen supra omne nomen: atqui vox seu nomen *Iesu* materialiter sumtum, non est tale: fuit enim commune Josuę filio Nun, aliisque in N. & V. T. uti supra ostensum est. IV. Phrasis illa: ἐν τῷ ὀνόματι κάμψῃ potest exponi *in nomine ejus* (quomodo *Matth.* 12.31. & 21.9. & 14.14.26. *&c.*): & *ad nomen ejus*, ut ex *Matth.* 11.25. & 23.6. *Iohann.* 4.45. *&c.* probare intendit *Gul. Page p.* 28. Sed quo argumento ex analogia contextus, aut scripturæ evincit isto & non illo modo hic exponendum? v. Phrasim illam (si quidem detur) *ad nomen Iesu* (Anglicè *at the name*) æquivalere isti: *ad sonum*, *aut pronuntiationem*, *aut auditum nominis Iesu*, tum ex usu scripturæ, tum ex analogia contextus probandum: ut evidenter convincat adversarios suos, & posse sic accipi, & hic necessario sic accipiendam, non aliter. Sed cum ex quinque illis nullum præstiterit aut ipse, aut ullus alius sive ὀνοματοζηλώτης sive Pontificius: vident æqui omnes arbitri, nullis Christianis genuflexionem ad nomen *Iesu*, tanquam officium jure divino & hoc textu præscriptum, imponendam aut persuadendam. Atque hic poteramus quiescere, ex perpetua lege disputationum. Sed ut veritas magis perspiciatur, non gravabimur, ex abundanti probantis partes suscipere: Non præcipi hic cultum internum cum externo (genuflexione scil.) conjunctim ad auditam pronuntiationem nominis Jesu, idque his rationibus. 1. *Ratio* est: Quod in loco parallelo *Iesa.* 45.22. est objectum genuflectionis idem est in loco ad *Philipp.* 2. Sed ibi est objectum ipsa persona potestate & gloria vestita; Ergo & hic. *Prob. Min. Primo*, ex verbis textus *Per me* (בי) *juravi* &c. *mihi* (לי) *flectetur omne genu* &c. ubi ipse Jehova, & non aliquod ejus externum nomen indicatur. *Secundo* ex connexione cum vers. *Respicite ad me & salvabimini & c. quia ego Deus, & non alius.* Quæ verba cum de ipso Jehova servatore accipenda sint, non de nomine, sequitur & verba *vers.* 22. per pronomen *me*, *mihi*, cum iisdem connexa, sic accipienda. *Tertio*, Siquidem ad quamque pronuntiationem nominis Jesu sit formaliter genuflectendum; ergo ad eandem pariter jurandum: uterque enim honor & genuflexionis, & juramenti conjunctim eidem subjecto appropriatur. Quod si illud subjectum seu objectum esset nomen *Iesu* pronuntiatum, sequitur non minus istud quam illud tunc præstandum. *Quarto*, quia non sequeretur

non minus ad quamque pronuntiationem nominis *Iesu* privatim genuflectendum; ac publicè in cœtu ecclesiastico. Atqui hoc non memini fieri, aut urgeri à nominalibus: saltem non à Pontificiis, quibus in familiari sermone Belgico aut Gallico nomen illud millies particulam expletivam, aut interjectionem admirantis, indignantis &c. præstare solet; ita ut ferè continuò ipsis genuflectendum esset. *Quintò*, quia si formaliter nomen *Iesu* hic accipiendum, sequeretur æquè ad quamque scriptionem istius nominis, aut ad scripti lectionem, sive in bibliis sive in quovis libro tum orthodoxo tum heterodoxo Judaico, Muhammedico, hæretico, sive in superstitiosis amuletis, sive in conjurationibus magicis, esse genuflectendum. Quod tamen Nominales nec faciunt nec urgent. Ratio consequentiæ major is est, quia nomen *Iesu*, est nomen propriè dictum & grammaticè & logicè, sive scriptum sit sive pronuntiatum: uti ex elementis dialecticis tyrones hoc didicerunt. Jam vero pronuntiatio nominis, nihil plus mysterii, aut adorabilitatis, aut honoris ipsi confert, quam scriptio: & nihil tale ex textu *Philip.* 2. exsculpi potest; quippe qui pronuntiationis ne quidem meminerit. De quo mox *Rat.* 3. *Sexto*, Consentiunt *commentatores*, etiam ipsi adversarii *Pontificii*, ibi personam seu rem ipsam, non nomen intelligi. *Rat.* 11. Quod in loco concordante est objectum genuflexionis, idem est in hoc loco *Philipp.* 2. Sed ipsa persona est, objectum in loco *Rom.* 14. 10. ζῶ ἐγὼ λέγει κύριος ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ &c. Ergo. Minorem non est quod probem: cum nulli adversarii commentatores diffiteantur. Esse autem locum *Iesa.* 45. 22. huic nostro parallelum; & locum *Roman.* 14. *v.* 10. huic nostro concordantem, non probo, sed præsuppono cum *omnibus interpretibus*, *& concordantius marginalibus quoruncunque bibliorum*, etiam *Anglicorum* publicâ autoritate istic editorum & adornatorum. Vide *Iesa.* 45. *v.* 23. in margine; nec puto esse, qui neget. Quod si de consequentiâ majoris in utraque ratione à nobis allata quis dubitet; eam probamus, ex hac logicorum regula: Esse aut non esse eadem enuntiationes, quæ idem re habeant aut non habeant subjectum & prædicatum. Si ergo loca hæc sint parallela & concordantia, debent idem re habere subjectum & prædicatum. Sit ergo talis enuntiatio: Omnis creatura honorabit Jesum Christum Jehovam, filium Dei, servatorem &c. Aut talis: Jesus Jehova, filius Dei servator honorabitur ab omnibus creaturis? Si ergo hic mutes Jesum Jehovam & servatorem in *nomen Iesu*, utiq; non est revera eadem enuntiatio: quia non sunt idem res & nomen rei, & per consequens non sunt loca parallela & concordantia. 111. *Rat.* Nomen non est pronuntiatio, seu sonus nominis: Atqui in hoc textu tantum est *nomen*; ergo non est pronuntiatio

seu

seu sonus nominis : nisi quis excipiat ubicunque nomen est, ibi etiam est ejus pronuntiatio. Sed hoc falsum : Nomen est in scriptis, & in cogitatione mentis, ac thesauro memoriæ & tamen ibi nulla est pronuntiatio. Sive ergo transferas *in nomine*, sive *ad nomen*, non tamen necessario includi aut inferri debet pronuntiatio istius nominis. Et sic nullum debitum officium Genuflectendi magis ad auditum, quam ad aspectum, aut cogitationem nominis Jesu, ex textu concludi potest. IV. *Rat.* Quod ex ipso textu probatur significare, potestatem, excellentiam & dominium Christi, seu Christum ipsum potestatis & gloriæ excellentiâ exaltatum, illud non significat nomen propriè dictum : Sed nomen Jesu hoc significare in textu &c. probatur, *Primo*, quia significat illud ad quod & per quod exaltatus est, seu quod per exaltionem ipsi datum *vers.* 9. Atqui exaltatio Christi non consistit in nudo nomine, sed in reali dono & augmento potestatis, excellentiæ, ac gloriæ κατ' οἰκονομίαν quà mediator ; in natura humanâ, potestatis ac gloriæ subordinatæ & quidem *in se*, per partes & gradus revera additos : sed quatenus est æternus Dei filius patri ὁμοούσιος, potestatis & gloriæ absolutè supremæ, non quidem in se, (ut enim Deus, sic nec gloria illa augetur aut minuitur) sed quod ad revelationem ac manifestationem *Iohann.* 17. 5. *Roman.* 1. 4. 1 *Timoth* 3. 16. *Hebr.* 1. 4. 5. Vide *comm. ad loca cit.* & *locorum comm. scriptores tit.* de *Exaltatione Christi* & *sessione ad dexteram* ; & *Antagonistas Socinianorum. Secundo*, quia nomen illud *in quo* genuflectendum seu quod exaltandum, significat, declarationem dominii, seu summum gradum honoris ac dominii, quem adeptus est Christus in sessione ad dextram ; ergo non significat externum nomen aut titulum. *Prob. antecedens* ex vers. 11. *Et omnis lingua confiteatur, quod dominus sit Iesus Christus.* Cum quo conferantur loca *Hebr.* 2. 7. 9. *Ephes.* 1. *v.* 20. 21. Ubi exaltatio constituitur in datione aut evectione reali personæ per dationem realem rei alicujus, partim augendo eam quatenus augeri poterat, partim declarando eam quatenus declarari tantum poterat, augeri non poterat. *Tertio*, nomen significat illud, cui omnes creaturæ subjicientur seu genuflectent : atqui illud non est nomen externum quà pronuntiatur aut promulgatur ; sed est potestas & dominium Christi : quod probatur ex textu *vers.* 11. cum quo confer *Actor.* 2. 34. 35. 36. *Matth.* 28. 18. *Denique* Prob. ex textu : nomen illud cui se subjicient seu genuflectent omnes creaturæ non esse vocem illam articulatam (*Iesu*) quà pronuntiatam ; nam æquè ex subterraneis diaboli & damnati (quorum ἰδιος τόπος sub terrâ communiter statuitur), illi genuflectent : atqui ibi sonare, prædicari, aut pronuntiari nomen *Iesu*, nominatim in lectione Euangelii, nondum hactenus audivimus ; nisi limbum, purgatorium

rium & prædicationem æterni Euangelii (quam *Origeni* tribuunt, ex ipsius *comment. in Rom.* 1. coll. cum *Hieronymo tom. 2. epist. ad Avitum*) omniare velimus. Ut jam non dicam, doceri nos, non quidem hoc, sed aliis textibus uni eidemque huic nomini subjiciendas etiam omnes crearuras irrationales; uti liquet ex *Matth.* 28. 18. coll. cum *Actor.* 3. 16. ubi nomen Christi dicitur sanasse claudum: ergo bruta illa natura fuit nomini ejus subjecta, potentia scil. passiva obedientiali, ut cum Philosophis hic loquar. Et sic *Hebr.* 2. 7. 8. 1 *Corinth.* 15. 27. Breviter, nomen cui omnes creaturæ (etiam brutæ, non viventes, homines mortui) sunt subjectæ, non potest esse vox articulata, aut nomen *Iesu* pronuntiatum, quia ad omnes creaturas pronuntiatio aut sonus ejus non pertingit: est itaque nomen nihil aliud, quam autoritas aut dominium, seu supremus gradus Christo ut mediatori collatus. v. *Rat.* Genuflexionem hic metonymicè (non synecdochicè: uti absque ullâ productâ ratione, ex autoritate Jesuitæ Salmeronis dictat *G. Page. p.* 36.) significare, submissionem seu subjectionem, probatur ex textu: quia quæ subjicientur creaturæ rationales nunc existentes in inferno, non habent genua: uti nec brutæ creaturæ quamplurimæ; & tamen ad omnes illas extendit se genuflexio in textu nostro cum *Matth.* 28. *Hebr.* 2. 8. 1 *Corinth.* 15. 27. & de rationalibus universim hoc asserit adversarius, *p.* 27. Vocem autem genuflexionis metonymicè sumi posse ut propriè & formaliter non notet externam corporis humiliationem, constat ex synonymo השתחוה *adoravit* est enim oratio mentalis, & sæpe vocalis sine corpore prostrato aut incurvato. Sic clamant animæ sub altari *Apocal.* 6. non tamen voce corporeâ & externâ: Sic adorant Angeli (*Psal.* 97. cum *Hebr.* 1. *v.* 6.): non tamen clamando & genuflectendo. Sic *Ies.* 49. 23. *Psalm.* 72. 9. ubi prophetia de depressione „aut submissione hostium, in multis eorum impleri potest & solet, qui „tamen proprie non lingunt pulverem. Quod autem excipitur: synech„dochice utramque & externam & internam venerationem hic intelligi: „id non probatur, nec habetur in hoc textu: qui generaliter loquitur de subjectione & submissione omnium Cœlestium &c. sed de hac aut illa forma aut specie præstandæ submissionis sive à cœlestibus, sive à terrestribus non determinat. Potest quidem ex aliis textibus specifice modum aliquem externum determinantibus externa genuflexio coram domino Jesu ad textum hunc conferri, & hic subintelligi, ratione saltem hominum qui genua flectunt: (quod fecit *Calvinus*): nec tamen statuendum textum hoc dicere, ita ut à priori ex eo demonstrari possit necessitas peculiaris cultus externi ad nomen Jesu, qui alibi in tota scriptura non comparet. Videtur enim principium peti, aut ignotum per æque ignotum probari.

bari. VI. *Rat.* Qui textus continet prophetiam de futuro, proprie & maxime implendo sub ultimum gradum seu actum sessionis Christi, ad dextram (hoc est die judicii): ille non continet expressum mandatum officii à nobis debiti: Sed verum prius. *Rom.* 14. 11. coll. cum *Philip.* 2. 10. Ergo. Minorem concedit *Page p.* 74. 75. & pluribus probat. Sed excipit: „Quamvis sit prædictio potius futuri, quam mandatum officii nunc exhi„bendi: & quamvis literaliter implendum hoc sit novissimo die: tamen „sub expressa hac prophetia potest implicari officium nostrum: & possu„mus nos interea temporis prophetiam hanc magis ac magis implere &c. *Resp.* Quidquid sit de eo, quod possit esse: saltem non probatur, nec comparet ex textu, debere hoc esse officium nostrum, atque adeo fidelibus vi juris divini imponendum. Præterquam quod non magis probatum sit, novissimo die omnes angelos, diabolos, homines damnatos pariter ac beatos externo submissionis signo veneraturos nomen Jesu, seu Jesum ad auditum nominis ipsius, quotiescunque pronuntiabitur: ut quidem dictat *p.* 74. & ante illum *Bellarminus in Catechesi cap.* 3. ubi ait, etiam nunc inclinare huic nomini diabolos in inferno, & Angelos in Cœlo. Quam Theologiam historicam pari passu ire putamus, cum diabolis compulsis ad septena oscula terræ figenda, & τὸ *Pater Noster* & τὸ *Ave Maria* in honorem B. Virginis pronuntianda. Quorum alibi meminimus. VII. *Rat.* Addi posset quosdam per nomen supra omne nomen, intelligere *Iehova*, supra dictum; alios nomen *Filii Dei*, ex *Hebr.* 1. 4. 5. *Commentar.* sub nomine *Ambrosii* putat nomen *Dei*, Oecumenius nomina *Christi*, *filii*, *Dei*, *Hugo de S. Victore in Cantic.* 1. *vers.* 2. nomen *Immanuel* designari. Quin immo consensum interpretum antiquorum & recentiorum, aut exsertè contradicere huic vacui observationi, quam Nominales ex hoc textu exsculptum eunt; aut eam ignorare; aut saltem non habere, nedum urgere systema opinionis nominalium: Sed nolumus iis inniti aut immorari. Quod præter Pontificios, unus atque alter producitur, ex. gr. *Zanchius*, qui receptæ huic consuetudini quid concedit, aut ei patrocinetur; illud certe, nullũ facit consensum. Μιὰ χελιδὼν &c. Nec ipse *D. Page* diffiteri potest. *p.* 133. „ *Object.* II. Quia nomen hoc est proprium, reliqua omnia sunt com„munia; habet eam *Bellarmin. in Catechesi*, & nos supra in except. *Gul. Pa„ge*, ad 2. arg. nostrum refutavimus. *Object.* III. Quia nomen hoc repræ„sentat, quomodo Deus humiliârit seipsum pro nobis factus homo & o„diens usque ad mortem crucis: ideo gratitudinis ergo ei nos inclinamus. Eandem habet *Bellar. ibid.*, & supra refutata est in *except. ad* 2. *arg. Object.* IV. Quia in hoc nomine dæmones fugantur, (teste *Iustino in Dial. cum Tryphone* & *Lactant. lib.* 4. *c.* 26. ubi idem ait de cruce;) & Antonius

magnam dæmonum catervam fugavit hâc prece : *Ieſus funditus ſuas ſubruit, ſubvertit vires.* (Teſte *Athanaſio in ejus vitâ.*) Et Bernardus ſerm. 13.17. Cantica : *Si ſcribas, nihil ſapit, niſi legero ibi Ieſum* &c. Ergo religioſè illud nomen venerari (externâ ſcil. genuflexione) debemus. Sic *Paludanus in Vindiciis Theolog. part.2.p.260. Reſp. Neg.* conſequentia : nec unquam oſtendet eam, aut ejus probationem in patribus, quos ille dicit ſenſum apoſtolicorum verborum *Philipp.2.* aſſecutos. *Deinde*, ſequeretur ad omnia nomina Dei, Exorciſmos, verba ſcripturæ, cruces, aquam benedictam &c. Quibus dæmones fugari dicuntur, eſſe genuflectendum: ſiquidem valeret hæc conſequentia. Atqui tunc non eſſet cultus peculiaris ſoli nomini *Ieſu* debitus. 2. *Neg.* antecedens, de nomine *Ieſu*, *de Euchariſtiâ*, *de Cruce*, de verbis *Num.10. v.35.* (ex *Athanaſio ad Antiochum quæſt.14.*) aliiſque verbis ſacris, amuletis, quibus dæmones fugari dicuntur : de quibus in *Diſp. de Benedictionibus*, & *de Exorciſmo. Object.* v. Quiâ iſta genuflexio eſt profeſſo fidei ſeu ſignum ejus contra Judæos, Arrianos &c. negantes deitatem Chriſti. Sic *Paludan. loc. cit.* & *Page p.103.104.* Addit Paludanus : *Vnde ſeipſos Iudaicâ impietate condemnant, & à debito Dei cultu longiſſimè diſtractos eſſe, cum negligunt hoc venerandum nomen in quo Chriſto majeſtas reputanda eſt, quæ nobis ſuggeritur, quoties pronuntiatur*, &c. *Reſp.* 1. Sed quis docuit fideles nutibus & geſtibus (quaſi κῶφοι πρόσωπα eſſent) deitatem & officium Chriſti contra hæreticos profiteri? An textus *Roman.10.9.10.* coll. cum 1 *Petr.3.15.* 2. *Vnde* conſtat genuflexionem aut profundam capitis inclinationem eſſe proprium geſtum ſeu externum ſignum profeſſionis fidei contra adverſarios, à Deo ad hoc inſtitutum & ſanctificatum? 3. *Vnde* conſtat eſſe peculiarem & appropriatum hunc geſtum illi particulari veritati fidei, quæ eſt de deitate Chriſti? Cur non æque eſt geſtus totius fidei, & cur non genuflectitur cum recitatur ſymbolum, aut initium *cap.1. Iohannis*, aut cum auribus noſtris inſonat trinitas, deitas Spir. S. Crucifixio Chriſti pro noſtris peccatis, incarnatio τοῦ λόγου &c. quas fundamentales veritates fidei æque negant Judæi, aliique hæretici; ac deitatem Chriſti. 4. *Vnde* conſtat, nos pronuntiatio aut audito nomine *Ieſu*, magis aut efficaciter probare, aut evidenter atque apertè profiteri ipſius deitatem contra adverſarios : quam pronuntiatis nominibus : *Magnus Deus, æternus filius Dei*, ὁμοούσιον *cum patre Deus* (quod proprium eſt ſymbolum contra Arrianos), *Iehova Iuſtitia noſtra, hic eſt verus Deus & vita æterna, & ſermo erat Deus* &c. 5. Quid ſi quis contra dicat, tali genuflexione (prout excogitatis illis logis à Page aliiſque recentioribus defenditur) hodiernos Arrianos & Judæos non tam confundi; quam illos in falſa doctrina, iſtos in ſuperſtitioſis ritibus & ὀνοματοθρησκείαις confir-

confirmari dum partim periculosis dictis ac disputationibus partim speciosis rituum ostentationibus propius cum utrisque symbolizare videntur; quam alii orthodoxi, qui supra omnes ὀνομαζηλάτας, eruditâ pietate, labore & zelo indefesso fidem contra eos quotidie propugnant. *Object.* VI. Quia plus honoris & timoris tribuunt terrenis principibus, cum ad nominum horũ appellationem, paululum flectere dignantur, & illorũ titulis ac epithetis capita aperiunt. Sic *Paludan. loc. c. Resp.* 1. Quinam hoc faciant velim scire. Ut ceremonia aulica hujus aut illius vani hominis, professioni communis fidei objiciatur, non ferent ipsi adversarii. Nulla est ecclesiæ nostræ constitutio, nulla doctrina Theologica quæ hoc probet: Ego puto, pro rerum circumstantiis, posse dici vacuam & stolidam observationem: quales complures alicubi, imprimis in Papatu vigent, ex gr. pocula salutis cum apertione capitis aut genuflexione exhaurienda, uti & veneratio cubiculi Regis aut reginæ, etiam cum vacuum est, & nulli homines ibi comparent &c. 2. Quidquid hic fiat aut non fiat; nihil tamen hoc ad cultum religiosum nominis Jesu: hic enim prætenditur religio, & actus, signum, pars religiosi amoris, gratitudinis erga Jesum Christum; ibi vero cultus, formalitas, observatio merè civilis. *Object.* VII. Quia nomen hoc est res quædam sacra, & ad usum religiosum suo modo destinata, ergo vel hoc titulo est adoratione dignum: *Zvvarez ad* 3. *qu.* 25. *sect.* 6. *Resp.* Ergo non est peculiaris cultus seu honor huic nomini supra omnia debitus. Nam sacramentis omnibus, verbis sacris, breviariis, missalibus, vestibus, utensilibus sacris (quorum catalogum vide in *Disp. de Benedictionibus* & *de Templis*) pariter esset honor hic exhibendus; imprimis autem omnibus nominibus Dei, & Christi mediatoris. *Object.* VIII. Quia liber Euangeliorum adorandus est, *ex decreto septimæ Synodi*: ergo & nomen Jesu. Sic *Zvvarez. Resp.* Ridiculum hoc argumentum; & eo prodit totam causam de peculiari adoratione nominis *Jesu*. *Object.* IX. Prætenditur doctrina & praxis antiquitatis; sed timidè admodum, ut videtur. *Paludanus* morem veterum Christianorum probat ex unico testimonio *Hieronymi lib.* 3. *comment. in Isaiam.* Postea efficaciam & dignitatem nominis probat ex *Iustino*, *Athanasio modo cit.*: sed hinc non sequitur genuflexio. Addit etiam Cypriani verba ex sermone de ablutione pedum: *Honor tuus, ô Deus, judicium diligit, & æquum est ut terra adoret te, & in nomine omne genuflectatur. Zvvarez disp.* 54. *ad* 3. *qu.* 25. *art.* 3. *sect.* 6. probat sacra nomina æque ac imagines (imprimis nomen *Jesu*) propriè & in se adoranda esse, allegata autoritate *Irenæi lib.* 4. *c.* 36. & *Thomæ opusc.* 90. *c.* 9. & *septimæ Synodi*, quæ imaginum, & Euangeliorum (in quibus nihil dignius nomen Jesu) adorationem sancivit. Unde infert, si nomen hoc scriptum in Euangelio ado-

randum; ergo & pronuntiatum. *Catharinus in Roman.* 4. obtendit decretum Pontificis. *Serrarius in Iosuæ.2. qu.* 15. adducit verba Gregorii. *Navarrus lib.de Oratione c.4.n.5.* allegat *Concil. Lugdunense c.decret. de Immunitate eccleſiar.lib.6.Corn.à Lapide* poſtquam dixiſſet à Pontificibus & Conciliis cultum illum ſancitum eſſe; nihil aliud producit quam quæ apud *Catharinum, Navarrum, Serrarium modo cit.*; quibus addit *Concilium Moguntinum 2. codices* ait, *oculis perluſtrans &c.* Satin' nunc egregiè probata eſt antiquiſſima antiquitas, Catholiciſmus, ſucceſſio? *Reſp.* 1. Communis conſenſus antiquę eccleſiæ in doctrinâ & praxi ne minima quidem ſpecie fuit probatus? Immo contra antiqui interpretes omnes hujus non tantum non meminerunt in *comment.ad Philipp.2.* ſed nec expoſitionem ſuam ad prætenſam illam ſui temporis doctrinam & praxim accommodârunt: quod tacitè fatentur omnes *comment. Pontificii*, cum nullos antiquos pro ſe citant; & apertè *Gul. Page* qui *pag.* 133. fatetur paucos (dicat nullos) ſe poſſe invenire, qui ſimul & *genuflexionem* & *nomen* propriè accipiant. Qui *ibidem* exceptiones adfert, contra objectum autoritatis antiquæ defectum. Ille itaque adverſario ſuo *Gul.Prynne p.*134.135.136. cogitur manus dare: non eſt ergo, quod pluribus hanc controverſiam hiſtoricam perſequamur. 2. Quid ſi detur, in antiqua eccleſia fuiſſe uſitatam, immo & ſancitam hanc obſervationem: quid tum? An eccleſia noſtra ea teneretur magis, quam pluribus aliis ritibus, decretis, quæ intentione forte non mala, ſed conſilio non ſatis prudenti, & eventu infelici tunc introducta ſunt? Qualia e. g. die dominico, & per totam Pentecoſten abſque genuflexione orandum; lapſi pœnitentes ſeptem aut decem aut quindecim aut viginti annis ſubſtrati ſint & jaceant; preſbyter, ſi uxorem duxerit, ut ordine ſuo moveatur: & ſimilia alibi nobis notata. x. *Object.* Ab autoritate & conſuetudine Eccleſiæ. *Reſp.* 1. Cujus Eccleſiæ univerſalis an particularis, antiquæ an recentioris, Græcæ an Romanæ? 2. De conſuetudine & Eccleſiæ traditione, abſque verbo Dei, quid ſtatuendum, jam millies à noſtris contra Pontificios declaratum. Requirimus ergo, ut dicatur nobis, *Sic dicit dominus* &c.

6. Atque ita excuſſimus rationes & exceptiones, quæ pro peculiari veneratione nominis *Ieſu* adferri novimus. Unde licebit hæc conſectaria coronidis loco ſubjicere. 1. Non poſſe ex genuflexione in nomine Jeſu, *Philipp.2.* colligi adorationem crucis: quod facit *Ioh. Auratus paradoxo* 5. (apud *Chamierum lib.22.pauſtratiæ cap.*3.§.3.): quia ſcil. (uti prætendit) utriuſque eadem ſit ratio, & utrumque ſignificet ſervatorem & dominum noſtrum. Neque enim crux inſtrumentum paſſionis ſignificat Chriſtum ex inſtituto divino, non magis quam gladius Jacobum, lapis Stephanum,

crates

crates Laurentium, aut patibulum, laqueus, ignis, fera, aqua &c. instrumenta martyrii hos aut illos martyres. Multo minus admittendum, ut quidquid significat rem aut personam adorandam, ilico adoretur: alioquin serpens æneus *Ioh.* 3., Jonas *Matth.* 12. hircus ἀποπομπαῖος (*Levitic.* 16.), agnus in sacrificium propitiatorium quotidie offerendus &c. fuissent adoranda. Adhæc nomina Christus, *Immanuel*, *Filius Dei unigenitus*, *Filius Mariæ &c.* æque essent adoranda; quia significant servatorem nostrum. II. Saltem non esse urgendam hanc ceremoniam, tanquam jure divino necessariam & diserte præscriptam; quod cum Pontificiis faciunt exhodiernis Theologis *Andrevvs*, *VViddovvs*, *Page*, *Pock-linghton*, *VVren*, *Adams*. III. Ab impietate & contemptu sacrorū absolvendas esse nostras, aliasque omnes reformatas Ecclesias, quæ Cerimoniam illam ex Papatu non retinuerint: sive eandem sive interpolatam. IV. Non esse rationem sufficientem, immo nullam esse necessitatem, cur tam rigide imponatur fidelibus & urgeatur usque ad suspensionem à sacris, & forte ultra. V. Multo minus esse necessarium aut utile, cum quis fatetur jure divino non præpræscribi, ut decreto ecclesiam constringat. VI. Aut ut in ecclesias alicubi non sine scandalo & perturbatione introducat, ubi antea usitata non fuit. VII. Non tamen ob diversitatem hanc & sensus & praxios, ecclesias cætera ὁμοψηφους debere à mutua unione & fraternitate discedere: de quo alibi ex professo. VIII. Non impingi à nobis superstitionem, cuicunque externo reverentiæ & devotionis signo aut testimonio libere, decore opportune absque affectatione, aut specie ostentationis adhibito; quando sc. occasione auditi, aut lecti, aut cogitati sive istius sive alterius nominis, epitheti, integræ sententiæ, quâ Deus, aut mediator noster, aut gratia Dei tam suaviter & sensibiliter exhibetur, ut cor piorum eo affectum continere se non possit, quin in externos gemitus, lacrymas, motus denique & gestus illos erumpat, qui rem ipsam non inviti sequuntur. Sed nolimus inde fieri perpetuum sacramentale, aut ordinariam formalitatem, nedum externum opus operatum, aut saltem speciem ostentationis Pharisaicæ. IX. In quibus autem ecclesiæ (cujus communione gaudemus) membris, quamdiu, & quomodo, hæc ceremonia absque oppositione piè toleranda aut non toleranda sit tum à pastoribus tum à privatis fidelibus & qua ratione absque perturbatione potissimum de ea instituendi, & ab ea abducendi sint: id consiliis Theologicis, secundum particulares circumstantias determinandum est. Interim videat lector moderationem, quam hic adhibet *Paræus in Eirenico cap.* 24. *art.* 15.

Digressiuncula de nomine Iesu.

Quod ad ipsum nomen Jesu Grammaticè & Philologicè consideratum,

de ejus origine, notatione, scriptionis mutatione variè disquiritur, & recta de iis determinatio usum suum habet in controversiis Judaicis. Nos breviter sententiam nostram istis aphorismis declaramus. 1. *Nomina* Christi, alia ipsi competunt κατ' ἐξοχὴν θεολογίαν quà scil. Deo æterno, & ὁμοουσίῳ æterni patris filio; alia κατ' οἰκονομίαν. *Illa* sunt vel essentialia, ut Deus, magnus Deus, verus Deus, Jehova: vel personalia, ut filius, λόγος. *Ista* sunt vel ante incarnationem revelata in V.T. ut servus, germen, Immanuel, Messias gr. Christus: vel in ipsâ incarnatione exsertè mandatum & impositum, ut *Jesus Matth.* 1. *Luc.* 1. & 2. *v.* 21. 2. *Nomen* hoc origine est hebræum, non græcum, uti imperitè nonnulli ex antiquis, qui ab ἰάομαι derivabant. 3. *Plenè* scriptum est nomen *Iehoschuah*, quo eodem antea nominatus erat, filius Nun qui & *Hoseas Num.* 13. *v.* 17. Pontifex filius Jozedek *Zachar.* 3. & 6. Aliique ante captivitatem Babylonicam 1 *Sam.* 6. *v.* 14. ubi Josua Betlemita 2 *Reg.* 23. *v.* 8. ubi Josua princeps urbis: Post captivitatem, *Nehem.* 7. *v.* 43. ubi Josua Levita, & 8. 1. 7. & 9. *v.* 4. & 5. ubi alius Josua *Levita.* 4. *Interpretatio* ejus est, Jehova salus aut salvator, aut salus Jehovæ: ut compositum sit ex *Iehova* & *Schuah*, à radice יָשַׁע. 5. *contractè* scribitur *Iesuah Ezr.* 3. *v.* 2. ubi Jehosua filius Jozedek. Ita ut idem nomen sit *Iehosuah* & *Iesuah.* Quod posterius etiam occurrit *Nehem.* 7. & 8. & 9. 6. Contractius ex usu Rabbinorum & Thalmudistarum scriptum fuit Jesou, resectâ literâ Ain; quam etiam Græci & Hellenizantes ex necessitate omiserunt, quia nulla litera Græca ei respondet, & vocali ultimæ vau schurek adjecerunt sigma: uti & alia nomina propria quamplurima non vocali sed adjectâ hâc literâ terminant, Moses, Zacharias, Jonas, Esaias, Elias &c. Et sic, gr. interpretes V.T. passim nomen *Iosua* & *Iesua* scribunt Ἰησοῦς: excepto quod 1 *Sam.* 6. *v.* 14. & 18. scribitur Ὡσῆε; Quod hebraicè scriptum Hosea (planè eodem modo, quo nomen primi ex duodecim minoribus prophetis) *Numer.* 13. *vers.* 17. ibidem exprimit Græcus per Αυσῆ. Post ultimos scriptores V. T. idem nomen à Judæis Græcè loquentibus scriptum fuit Ἰησοῦς, ut videre est in *prologo nepotis Iesu Sirach*, quem libro ipsius præmisit, & *libri* ipsius *cap.* 46. *v.* 1. & 49. *v.* 16. Et qui post Christum vixerunt, *Flavius Iosephus* & *Philo Iudæus*, nomen Josua filii Nun, & Josua filii Jozedek, gr. scribunt Ἰησοῦς. Vide & apud *Iosephum lib.* 12. *antiquit. cap.* 6. de Jesu Pontifice, qui postea Jasonem se vocari malebat. *lib.* 17. *cap.* 15. de Jesu Pontifice Siæ filio. *lib.* 20. *cap.* 8. de Jesu Pontifice Damnæi filio. *Ibid.* de Jesu Pontifice Gamalielis filio. Et in *vitâ ipsius* ab ipso conscripta de Jesu latronum principe, & de Jesu Saphiæ filio. Et *lib.* 7. *de bello Iud. cap.* 12. de Jesu Ananiæ fil. *Philo in tract. Quare quorundam in sacris mutata sint nomina*: ἀλλὰ τὸν Ὡσῆε μετονομάζει Μωσῆς

Μωσῆς εἰς τὸν Ἰησοῦν. Ubi mox subjicit Ἰησοῦς interpretationem esse σωτηρίαν κυρίου. Quod apprimè convenit cum *Syracid. cap.* 46. *vers.* 2. ὃς ἐγένετο, κατὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ (scil. Ἰησοῦς) μέγας ἐπὶ τὴν σωτηρίαν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ. Ex Christianis *Eusebius lib.* 4. *demonstrat. Euangel. cap.* 17. σωτήριον θεὸς εἰς τὸν Ἑλλάδα φωνὴν τὸ θ Ἰησοῦ μεγαληφθὲν ὄνομα σημαίνει. A scriptoribus N. T. nomen Josua filii Nun scribitur Ἰησοῦς *Actor.* 7. *v.* 46. *Hebr.* 4 *v.* 8. Sic & aliorum cognominum Judęorum *Actor.* 13. *v.* 6. ubi *bar Iesus*, & *Coll.* 4. *v.* 11. Καὶ Ἰησοῦς ὁ λεγόμενος Ἰοῦστος; quem *ibid.* ait fuisse ex circumcisione, h.e. ex Judæis. Cur autem Syrus interpres *Actor.* 13. *Bar Iesus* verterit *Barschuma*, & Arabs retinuerit nomen Ἰησοῦς, quod alias scribit *Ieshuah*, videat, cui vacat, *conjectationes Ludovici de Dieu, ad loc. cit.* Quidquid sit de Syro & Arabe (quorum scientia nobis non est omni exceptione major, nedum ut sit infallibilis), non video nomen hoc aliunde quam ex Hebræo derivandum; erat enim Magus ille, Judæus: nec hoc *ibid.* diffitetur *Lud. de Dieu.* Ad hoc nomen Jesu, uti in N. T. græco scribitur, aliarum linguarum imitatrices scriptiones referendæ; uti Hebraicę ישוע apud Christianos in Euangelio Matthæi Hebraico utriusque edit. *Munsteri* scil. *Tilii Episcopi Meldensis*; & in *N. T. translatione Hebraicâ Hutteri, in hebraicâ catechesi Tremellii* &c. Et ישו *Ieschu* apud Judæos in suis *Nizzachon*, & in *Chronicis.* Iidem tamen alibi plenè scribunt ישוע cum *ain* in fine ut in *Iosephi Iachiadæ paraphrasi in Danielis cap.* 11. *v.* 36. Syriacæ *Ieschouh*: cum Ain in fine, quod sine patach furtivo hodierni Syri pronuntiant. *Tremellius* tamen ex more Hebræorum scribit *Ieschuah* cum patach furtivo. Arabicæ linguæ scriptiones apud Christianos *Iesuha.* Sed apud *Muhammedum* in suo *Alcorano* & Muhammedicos עיסא *Isai*, per Ain & Je cum vocali Kesra in primâ syllaba. Æthiopicæ *Ijasus* per Alph & i vocalem in primâ syllabâ. Persicæ *Ijeschua* per Eliph & vocalem Kesra in prima syllaba. Copticæ *Ieſus.* Armenicæ, *Iisus.* Vulgarium & hodiernarum linguarum scriptiones sponte nunc prætereo. Ex hac philologica digressiuncula constare arbitror. 1. *Conjectar.* Nomen *Iesus* esse origine Hebraicum. 2. *Conjectar.* Ideoque mediatorem nostrum exotico nomine non fuisse appellatum; nec ullo colore cum malitiosis quibusdam Judæis inferri posse, eam fuisse ἀλλόφυλον, non Judæum. Ut enim minor est contra omnem lucem veritatis in grammatica & philologia hebraica lucentem; sic major miserè vacillat. Cui enim ignotum est jam ante adventum Christi, durante quarta monarchia, quæ erat Græcorum, ejusque reliquiis in Ægypto & Syria, cœpisse Judæos appellari nominibus exoticis, præsertim Græcis ex. gr. Alexandri, Aristobuli, Jasonis, Philippi, Herodis, Archelai &c. uti constat ex *historiâ Flavii Iosephi, Iudæorum chronicis magno & parvo, chronologiâ*

giâ *Davidis Gans, Iosepho Ben Gorion.* 3. *Consectar.* Unum idemque nomen esse apud Hebræos, *Iehoshua, Iesua, Iesou*: cujus duæ priores scriptiones in sacris literis, secunda & tertia apud Rabbinos occurrunt. Adeo ut παρ' ὁμοιαν aut lapsui memoriæ tribuendum sit, quod Cl.vir *Iacobus Martinius* Theologus Witebergensis *in disp. de Messiâ disp.* 1. §. 44. 45. 46. negat neminem nomine Jesu vocatum fuisse, quod Jehosua & Jesua longè alia sint nomina, nempe aliam etymologiam & significationem habentia. Nec solidi quidquam habet, quod nonnulli opinantur Judæos ex malitia יְשׁוּעַ mutasse in יֵשׁוּ absque Ain, atque adeo alienum nomen Christo nostro tribuere voluisse. Judæi enim post captivitatem Babylonicam ante & post Christi nativitatem in tanta linguæ suæ παρεγκλησιν, si non barbarie, propter commodiorem pronuntiationem, & faciliorem ad alias linguas ac gentes, quibus magis ac magis miscebantur, accommodationem, multa exotica vocabula adoptarunt, literas quasdam subinde mutarunt, aut omiserunt, præcipuè literam *Ain*, quam aliæ gentes pronuntiare nequibant. Ita Jesus quidam discipulus Josua filii Perachia in Thalmude vocatur יֵשׁוּ Jeschou. Quem tamen à nostro Jesu Nazareno distinctum fuisse validis rationibus contra multorum errorem probatum vide apud *Schikardum proëmio Tarich. p.* 83. Hanc causam hujus detractionis τοῦ *Ain* dari posse, concedit *Schindlerus in Lexico*: ubi etiam exsertè idem nomen facit *Hosea, Iehosua, Iosua, Iesua.* Quod *ibidem* addit *in Alcorano* & Muhammedicis vocari *Isai, per ignominiam literis transpositis*; non videtur admittendum: quod constet, magni fieri ab illis Christum, tanquam ex Maria virgine natum, & magnum Prophetam à Deo missum, omnemque ejus contemtum, hoc scil. respectu, severè istic prohiberi, quin etiam puniri. Videat de hoc, cui vacat, *Alcorani Surat.* 2. 3. 4. 5. 19. *&c.* & *scriptores Anti-Muhammedicos*, præsertim quæ Orientalium linguarum peritissimus *Lævinus Vernerius* amicus noster ante annos aliquot ex *M.S. commentatore Alcoranico* pro veritate & honore fidei Christianæ collecta edidit. Longè alia est conjectura Wilh. Schikardi, in proëmio ad Tarich regum Persiæ p. 79. Ubi sic de Alcoranico nomine *Isai*: *Finale Ain (quod alias Iudæi per apocopen Thalmudicis familiarem rescindere solent) evidentiæ gratiâ in ipso frontispicio locatum: ut ista metathesis neminem turbare debeat, quo minus credat Iesum intelligi.* Probat *ibidem* quanto hoc nomen ipsis in honore sit, ex istis *quod* 1. inter magnates Bajazides Ilderimus alicui ex filiis suis nomen illud imposuerit. De quo in ipso *Tarich*. 2. *Quod* amuletis per suos sacrificos confectis nomen hoc inscriptum habeant, eaque sacculo serico inclusa de collo suspendant, aut in sinu recondita sub pectore gestent, contra quævis infortunia, pericula bellica, invidiam, fascinationes.

Exem-

Exemplar ejusmodi amuleti in bibliotheca Tubingensi, indicat *ibid. Schickardus*, ubi nomini *Isai* adscriptum hoc elogium: *Ruch Alla*, id est, spiritus Dei. 3. *Quod* morte puniant, aut saltem multis plagis, si quis maledicat Christo: cujus insigne exemplum *ibid. p.* 82. refertur. 4. *Quod* etiam Christum subinde adorent. 5. *Quod*, tanta Christi encomia exstent in Alcorano, *Ibid. p.* 97.-101. Nec prætereundum. Posset hic problemata aliquot adjici de nomine *Nazareni*; An nomen *Jesus* liberis Christianorum imponere liceat; An cognomen assumere e.gr. *Iohannes* sive *Thomas à Jesu*, aut à *Jesu Maria*, quod hodie Monachi aliqui in Papatu factitant. Sed quia hæc, aliaque compluria in *Serrarii prolegom. ad Iosuam* examinanda aliò propriè pertinent, & nimiam prolixitas vitanda est, manum tollam de tabula. Interim de nomine *Nazareni*, consulant quibus stat in illud inquirere, *commentatores ad loca N. T.* ubi nomen hoc occurrunt, & *tract. de eo peculiarem ad Matth.* 2. *v.* 23. autore *Nicol. Colladone* Theologo Lausannensi anno 1577. Ab illo nomine Muhammedistæ & Judæi Christianos vocant *Nozerim*, quod tanquam ignominiosum minimè accipiendum; cum servator ipse sibi illud tribuat *Actor.* 9., quippe desumptum ab altera ejus patria, Nazaretho scil. loco educationis.

APPENDICIS *Pars Quarta ad Disputationem* DE SUPERSTITIONE.

Ubi de Genuflexione ad nomen Jesu, & ad Mensam seu Altare.

Resp. JOHANNE HOECK Heusdano. *Ad diem* 19. *Septemb.* 1640.

ZVarez *loc. cit.* probaturus nomen *Iesu*, non abusivè 1. sed propriè & inse adorandum, æque ac quamcunque imaginem sacram visibilem; inter alias hanc adfert rationem: Quod res sarca & ad usum religiosum suo modo destinata, sit adoranda. Unde colligimus, omnem rem consecratam seu sacram, cui per consecrationem collata est quędam virtus spiritualis & sanctitas relativa, quæ indelebilis est ac tolli non potest; quæque habet specialem effectum saltem per modum impetrationis (ut disputat Idem *Zvvarez ad* 3. *qu.* 65. *disp.* 15. & *de Religione lib.* 4. *c.* 14.), esse propriè & in se religiosâ adoratione adorandam. Quidquid autem de nomine & specie hujus adorationis inter se digladientur; communiter tamen in ipsâ adoratione conveniunt: immo quidquid illi disputent, dubitent, distinguant; communis præjudicata, & stabilita praxis ipsorum manet. Sunt au-

tem inter res illas sacras, *templa*, *altaria*, *calices*, *mappæ*, &c. quas enumeravimus in *Disp. de Benedict. & Sacramental.* Templorum venerationem inculcat *Zvvarez de Religione tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 3. *c.* 1. ubi de reverentiâ locis sacris debitâ. Altare Pontificiis esse sacrum, ac per consecrationem Episcopalem tale factum constat ex *Pontificali.* Hinc inter orandum oscula altari panguntur à sacerdote & quidem in medio, ubi sunt reliquiæ sanctorum; non à latere: (*Gavantus tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 4.) in signum venerationis; quam rationem ibi allegat ex *Iustino*: & addit ex Innocentii III. lib. 2. c. 15. *Hoc autem loco fit*, inquit, *ut sicut altare Christum designat, ita sacerdos meminisse debet desiderii & amoris sponsæ*, Osculetur me osculo *&c. Est etiam osculum signum reverentiæ, unde Esther osculabatur apicem virgæ regis.* Confer *Rationale Durantis lib.* 2. *c.* 57. Gavantus ibid. *monet sacerdotes, ne osculentur à latere altaris, fere similes Iudæ, sed in medio, ubi sunt reliquiæ sanctorum: quod si non sint reliquiæ sanctorum, sit tamen osculum altaris, sed ad illa verba Canonis Missæ*: indulgere digneris, Tit. XII. p. 175. hæc habet: *Missa incipit ab osculo altaris, & finire debet cum eodem osculo. Decies igitur in missâ sacerdos osculatur altare, si pacem dat astantibus; alioquin novies.* Quis non videat in hoc numero mysterium? Zwarez de Religione tract. 2. lib. 3. c. 1. n. 7. *Ita ergo in præsenti dicere possumus, licet hic non interveniat affirmativum præceptum absolutum, inveniri tamen conditionatum seu hypotheticum (ut sic dicam) quia si quis velit ad templum accedere, debet reverenter accedere, & si velit signa æstimationis, quam de illo habet, exhibere, debet proferre signa reverentiæ & honorariæ adorationis.* Paulo ante *num.* 2. postquam supposuisset cum *Scholasticis ad* 22. *qu.* 99. *art.* 1. & 3. templum debitâ reverentiâ tractandum esse, hocque pertinere ad religiosum cultum Deo debitum; subdit hanc rationem: *Quia rebus sacris debetur religiosus honor; Templum est res sacra.* Ergo. *Minorem dicit per se evidentem esse, quia non est minus sacrum templum, quam vestis, vel aliquid simile.* Unde colligimus non minori, sed multò majori ratione ab illis religiosum honorem tribui altaribus, super quibus offerri solet Christus sub speciebus panis & vini; & super quæ descendit Spiritus S. & quæ cœlestis virtutis benedictione sanctificat: ut habet *Pontificale in consecratione Altaris fol.* 131. edit. Venetæ an. 1572. apud Juntas. Breviter ex hypothesibus Papatus & adorandum est ipsum altare (quo modo adorationis, infra ex *Zvvarezio* dicetur), & adorandum est ad altare: quomodo in celebratione Missæ post dictum: *Ite Missa est*; sacerdos se inclinat ante medium altare, ut habet *Canon Missæ, in Missali ex recogn. Clementis* VIII. *p.* 294.

2. Morem hunc venerandi mensam aut altare, idque per externam capitis apertionem ac corporis inclinationem, aut similem profundam reverentiam

tiam, in ecclesias Anglicanas introductum velint nonnulli, inter quos eminet *D. Wilhelmus Lad* Archiepisc. Cantuariensis, qui Ceremoniæ hujus publicam Apologiam instituit *oratione* habitâ in Camera Stellatâ 14. Junii 1637. & ab ipso postea edita; quam etiam nescio qui & quo consilio Belgis nostris vernaculo sermone legendam exhibuerunt, ita ut jam nemo objicere queat me πολυπραγμοσύνῃ committere, si nostros contra ejusmodi novitates & scandala præmuniam. Statuit autem esse verum divinum ac religiosum cultum, quem pii primò intrantes templum, aut appropinquantes mensæ seu altari, versus altare Deo exhibere tenentur, idque humili reverentia: hoc enim esse nec idololatriam, nec Judaismum, nec superstitionem, nec ullam novitatem introducere, sed debitum cultum & honorem Domino Deo & altari ejus tribuere. Fulciendæ huic βωμοθρησκείᾳ substernitur Adoratio ad sacramentum. *p.* 51. sanctitas & consecratio locorum, templorum, & consequenter religiosa eorum veneratio *p.* 46. Mensarum mutatio in altaria, aut (ubi hoc nondum fieri potest) saltem mensarum collocatio in templis, ut certum & stabilem locum semper habeant, & quidem supremum ad parietem, à meridie versus septentrionem, septo quodam distinctum; quo loco & quo situ altaria olim sub Papatu illic conspici solent. *p.* 52. 53. 54. 55. 56. 57. ut si non restituatur altare in formâ (pro quo tamen admodum contendunt satellites ejus *Pocklingtonus, & Iosephus Mede in tract. de Altaribus, Shelfordus in concione de domo Dei*: nec ipse abludit *p.* 63. ne quid dicam de praxi) saltem habeatur quid βωμοειδές. Rationes pro singulari hac ipsius devotione (quam profitetur *p.* 46.) allatas infra examinabimus. Opinionem eandem calidè admodum defendunt *Shelfordus, Emondus Reeve,* & qui omnes zelotas ignito, an ligneo zelo? superare videntur, D. *Thomas Laurence in concione ad Exod.* 3. *& Pocklinghtonus in Altari Christiano*: ubi non tantum volunt ad altare adorari, sed ipsum altare adorari προσκυνεῖσθαι, ἁγιάζειν, ἀσπάζεσθαι &c. & congerunt citationes quasdam ex *Damasceni orationibus de Imaginibus, suppositiis liturgiis Chrysostomi &c., Pseudo-Concilio Niceno* 11., *Calendario Mich. Comneni, Odonis synodalibus, dicto Patriarchæ Constantinopol. in quinta synodo*: *adoremus primum sacrosanctum altare* &c. & similibus venerandæ antiquitatis (judicio scil. novorum ἐξαιρομανούντων) monumentis; quæ adorationem & cultum imaginum, codicis Euangeliorum, zonarum, catenarum, &c. aliarumque rerum consecratarum & reliquiarum denuo reformatis persuadeant: ut quidem has aliasque quisquilias inde (aut potius ex Pontificiis disputatoribus) colligunt & citant *D. Laurentius p.* 25. *& Pocklinghton. p.* 142. Sunt & alii ejusdem causæ patroni, quorum tractatus alibi citatos vidi, sed ipse non legi; quales, *Mortonus in Institut. de cœnâ* (sed quis credat virum illum

posterioris istius editionis autorem?) *Pocklinghtoni responsum ad Burtonum; ejusdem scriptum de Sabbatho; VViddovvs, Heyle, Duncombe, Thomas Brouvvne.* Atqui hi crassè cum Papistis παπίζουσι. Moderatius & cautius videntur de votionem templorum persuadere nuperi *canones episcopales statuti in Synodis Episcoporum Eboracensi & Londinensi hoc anno* 1640. ubi *cap.* 7. seriò commendant fidelibus, ut reverentiam & obedientiam præstent ad egressum aut ingressum templi, aut chori, aut sacelli; idque secundum antiquissimam consuetudinem primitivæ Ecclesiæ, Hypotheses autem hujus tam convenientis & necessariæ (ut loquuntur) ceremoniæ, præmittunt ibid. istas. 1. *Templum esse domum Dei divino cultui dedicatam.* 2. *Quod propterea in mentem nobis revocare debet magnitudinem & bonitatem divinæ majestatis.* 3. *Ita ut agnitio ejus non tantum intus in corde, sed & externè corporibus nostris, necessario pia sit in se, nobis utilis, & aliis ad ædificationem.* Subjungunt ibid. hanc cautelam: *gestu illo non intendi, religiosum aliquem cultum mensæ Eucharisticæ, aut plagæ Orientali, aut templo, aut alicui rei templo contentæ; nec genuflexione ad altare in percipiendâ eucharistiâ intendi opinionem corporalis præsentiæ corporis Christi in sacrâ Mensâ, aut mysticis elementis: sed tantum hæc fieri, ut promoveatur divina Majestas, eique soli detur honor & gloria, quæ ipsi competit.* Habeo M.S. diatribem latinam Eleazari Dunconi Cantabrigiæ habitam aut pronuntiatam anno 1633. quæ an typis unquam edita sit nescio. In eâ autor ita hanc quæstionem proponit: *Quæritur itaque an adoratio versus altare, quâ Deum Opt. Max. in ingressu ad domum ejus, & rursus in egressu; & quoties in divinis officiis obeundis nos coram altari sistimus, proni supplicesque veneramur, licita sit, pia & laudabilis, antiquæ Catholicorum praxi conformis, & hodiernis novatorum calumniis minimè obnoxia?* Priusquam ad Aff. sententiæ demonstrationem accedit, præmittit hæc quatuor lemmata seu præsuppositа tanquam indubia, quorum. 1. est, Loca ab ecclesia ad ecclesiastica obeunda, necessario oportere destinari; sacella, scil., templa, basilicas. 2. Omnes Christianos teneri adire illa loca, ut inibi vota faciant, orationes & gratias Deo offerant, & eisdem debitum cultum & venerationem exhibeant. 3. Religiosum istum cultum in æde publica ab omnibus exhibendum non debere esse mutilum aut mancum; sed perfectum & integrum ex animæ & corporis obsequio ac servitute compositum &c. adeo ut quod ad corpus debeat esse visibilis, exemplaris, testibus expositus, humilis admodum, & quam fieri potest demissus, internam animæ reverentiam candidè exprimens, eamque mirum in modum adaugens, & perficiens. 4. Cultum talem tam externa quam interna adoratione constantem à populo Catholico in æde sacra præstitum esse proculdubio licitum, piumq, laudabilem, ut pote ecclesiæ primæ-

væ pra-

væ praxim ſapientem; ac proinde linguis & calamis Novatorum obganniendi & calumniandi anſam penitus præſcindentem. Atque hæc deſcriptio decantatæ hujus βωμοθρησκείας ſeu τραπεζοθρησκείας.

Nos eam qualicunque colore depictam, aut σόφοις φαρμάκοις delineatam 3. rejicimus, ut obſervationem in religione periculoſam, noxiam, ſcandaloſam, ſuperſtitioſam, ſaltem inutilem & vacuam: Nam hallucinationes omnium, qui eam defendunt aut urgent, aut exercent, aut excuſant, aut tolerant, non eſſe pares, libenter admittimus. Argumenta noſtra ſunt. 1. Quia eſt ἐθελοθρήσκεια; ut molliſſime loquamur; nuſquam enim Deus talem 4 cultum aut altaris aut ad altare, aut locis & utenſilibus quibuſcunque affixum, præcepit. Audiamus quæſo: *Sic dixit dominus, ſic docuerunt, ſic fecerunt Apoſtoli & Eccleſia Apoſtolica.* Sed potius contrarium docuit *Hebr.* 13.10. *Iohann.* 4.21. 1 *Timoth.* 2.1. 11. *Argum.* Cultus ille aut eſt humanus ſeu civilis; aut divinus ſeu religioſus. *Non Civilis* 1. *Quia D. Vilhelmus Lad modo cit.* vocat eum *cultum verè divinum*, & ſic cæteri ipſius βωμοζηλώτου. 2. Deinde quia menſa aut altare non eſt objectum capax cultus civilis; neque enim illa proximus noſter eſt aut concivis, nobis ſuperior, aut æqualis. 3. *Quia* ſequeretur totum templum, ejuſque partes aut res magis notabiles e. gr. turrim, campanam, organum, baptiſterium, pulpitum ſeu ſuggeſtum, ſeptum intergerinum, veſtibulum denique & oſtium profundâ civilitate colendum: ne ſcil. ſola hæc ſtolida civilitas relinquatur adoleſcenti apud Plautum: *Oſtium oculiſſimum ſalve*, aut μωροσόφοις illis aulicis, qui Principum picturas, ſtatuas, ſellas, inſignia, conclavia, ſaga aut paludamenta tam civiliter honorant, teſte Doctore *Laurence p.* 24. *Neque eſt divinus*: nam aut terminaretur in ipſo altari, aut in templo, aut in pane euchariſtico, aut in omnibus: aut in Deo ſimul & altari ſeu templo: aut in ſolo Deo tantum; ita ut cultus exhibeatur Deo, ſed ad templum, ad altare, ad chorum, tanquam ſacramentale aut ſacrum divino cultui conſecratum, & tanquam medium, ſymbolum, ſignum myſticum commemorativum, & plus. 1. dicunt Pontificii (Zwarez lib. & c. cit. n. 3.) *Deum coli in loco ſacro, & ipſum locum coli: quorum* illud *fiat per actum directè terminatum ad Deum, ut objectum, quod colitur propter ſeipſum, id eſt, propter excellentiam propriam, quam in ſe habet, & quæ per actum talem adoratur ut quod, ſeu ut ratio adorandi: hoc vero poſterius fiat per actum proximè terminatum ad locum ipſum, ut ad objectum, quod eſt veluti materia, circa quam verſatur actus reverentiæ attingit vero Deum ut rationem colendi templum ipſum.* A quibus non procul abeunt qui non tantum ad aut verſus altare, ſed etiam ipſi altari inclinandum ſtatuunt, quique altari & aliis rebus ſacris (quas ita vocant) tribuunt τὸ σεβεσθαι *venerari*, προσκυνεῖν *adorare*, ἀσπάζεσθαι *ſalutare*. Vide *ſupra cit.*

Ita

Ita duo numina seu adoranda, duæ adorationes, duo actus religiosi hic erunt distinguendi, partim cum Pontificiis, partim cum Socinianis. Sed crassam hanc idololatriam contra primum præceptum, ad absurdum non deducam. Habent studiosi nostri celebres *Antagonistas Papatus, & interpretes decalogi*; instar omnium in hâc quæstione *D. Rivetum*; inde sumant & huc applicent. 2. *Sin* dicatur Deum & templum seu altare uno actu (non duobus) adorationis adorari & coli; qui constet parte externa & interna: jam in eosdem Papismi & Socinismi labyrinthos compinguntur. Quæritur enim an religiosus cultus, quà externus est, directè tendat in solum Deum, aut in solum altare, aut in utrunque, idque æqualiter aut inæqualiter: & rursum an idem ille actus religiosæ adorationis, quà internus est, tendat directè in solum Deum, aut in solum altare, aut in utrumque, sive totaliter sive partialiter, sive æqualiter sive inæqualiter; denique an actus ille adorationis & quà externus & quà internus dirigatur in Deum simul & altare; idque æqualiter aut inæqualiter, & quibus ac quot inæqualitatis gradibus seu momentis. Præterquam quod *Zvvarez* moneat nonnullam difficultatem habere; an hæc duo possint nonnunquam fieri per unum eundemque actum. Quodcunque hic elegerint, non poterunt non redigi ad absurdas & stolidas illas distinctiones Pontificias, verè ficulnea κρυπτὸν τῆς ἀιχύνης: qualia apud Perronum, in Replica: *adoratio est directa, & indirecta seu obliqua; absoluta & relativa: suprema, & subalterna: finalis & transitoria; sacrificalis & non sacrificalis*: quas περιττολογίας in ipso perstringit Doctor *Andrevvs in Responso p. 57. ad Perroni c. 20. l. 5.* Et refutat *Petrus Molinæus in novitate Papismi*, gallicè. Refert *ibid. D. Andrevvs* in Scotia ante 50. (nunc circiter 65. ut opinor) annos fuisse disputatum an *pater noster* esset dicendum sanctis, ibique tum excogitatam fuisse distinctionem: *ultimatè, principaliter, primariò, & capiendo strictè*, non posse dirigi nisi ad Deum; sed *non ultimatè, minus principaliter, secundario, capiendo largè*, etiam posse dirigi ad sanctos. 3. *Quod* si zelotæ, horreant hanc crassam ξυλοθρησκείαν aut λιθοθρησκείαν; & revocatis aut missis illis, quæ supra ex ipsis citavimus, soli Deo adorationem hanc quà internam quà externam, tribuendam statuat, sed tantum ad altare versus altare, aut coram altari: tum tenentur εἰδωλοθρησκείας & superstitionis contra secundum præceptum faciendo sibi & usurpando pseudo-sacrum. *Primo*, quia Deus nusquam præscripsit, ut ad seu versus chorum, aut altare, aut mensam, adoratio nostra instituatur; atque adeo per illa tanquam destinata media & auxilia Deum coleremus. (De quo infra in objectionibus): sed vetuit *Levitic. 26. 1.* coll. cum *Iohann. 4.* *Secundo*, Quia preces nostras huic parti seu utensili templi non magis adstrinxit, quam alteri alicui, e.g.

navi

navi templi, pulpito, suggesto, ostio, turri, campanæ, baptisterio, organo (quæ duo alicubi inter utensilia numerantur), subselliis Clericorum, aut Magistratuum, aut privati cujusque. *Tertio*, nec Templa sunt sacra, nec ullæ ejus partes, aut ulla utensilia, consecrata scil. soli cultui divino, idque secundum jus divinum: non magis quam scamna in Templis, aut candelabra cum emunctoriis, &c. quorum usus est in vespertinis nostris concionibus. Quod solidè, ut opinor probavimus in *Disp. de Templis, & de Sacramentalibus*. *Quarto*, Nedum ut mensæ aut altaria supra communem sanctitatem & consecrationem, quam habent cum templis & omnibus ejus partibus; peculiarem haberent sanctitatem, eò quod in illis sint aut fuerint symbola corporis & sanguinis Christi: atque adeo peculiariter versus mensam esset adorandum, aut profundè inclinandum ad illam & caput aperiendum cum ei appropinquamus aut eam præterimus; magis quam ad manus & os sacerdotis, quæ proximè tractant panem & vinum eucharisticum; aut ad calices, patinas, quæ proxime eadem contingunt & continent; aut ad baptisteriū, quæ proximè continere diceretur symbolum sanguinis & spiritus Christi; aut deniq; ad sacerdotis mentum, mystacem, brachium, chirothecas, cantharum seu calicem domesticum unde bibere solet, vestes deniq; ejus, quæ proximè & immediatè tangunt sacerdotem, ejusque os & manus (quibus tractavit & continuit panem eucharisticum); non minus ac mensa tangit & continet patinam, in quâ panis eucharisticus. *Except.* Altare, peculiari ratione designatur huic venerationi, quia propius & evidentius nobis aut repræsentat, aut commemorat sacrificium Christi. Resp. *Primò*, ipsa symbola eucharistiæ, eorumque legitimus usus repræsentant & commemorant idque ex instituto divino sacrificium Christi pro nobis præstitum, non altare sive propriè sive impropriè dictum. *Secundò*, si altare dicatur commonefactorium, quod mediante metaphorâ metonymicâ occasionem daret recordandi sacrificii Christi in cruce; an non majori jure verbum Dei, baptismi immersio, aut pari jure pictura & figura crucis, item lanceæ & clavorum &c. ad artem hanc memorativam reduci possent? *Tertio*, Saltem ergo, deberet genuflexio & inclinatio hæc cessare, ubi altaria nondum sunt restituta: quia mensa non est pictura seu μίμημα proprii instrumenti sacrificiorum, hoc est, altaris; & consequenter hieroglyphicè non designat sacrificium: non magis quam mappa, aut patina, aut calix, aut cantharus, & si quæ sint talia, quorum æque usus est in convivio hoc sacro, ac mensę. *Quartò*, Dato esse mensam, aut altare, speciale signum figurativum, aut commemorativum, aut etiam obsignativum, aut saltem communem occasionem quamcunque indicii, & recordationis: inde tamen non sequitur, ad ea, aut versus ea ex & cum

pecu-

peculiaris obligationis conscientia Deum adorandum esse. Erant in V.T. multæ à Deo peculiariter designatæ & res & personæ in typos Christi (e. gr. Isaac, Melchizedek, hircus ἀποπομπαῖος, Summus Pontifex, panis propositionis, petra in deserto, manna &c.) non tamen ad eas adoratum fuit. Sic in N. T. multæ sunt communes picturæ Christi servatoris, e. gr. vitis, olivæ, pastoris, mariti & sponsi, fundamenti, ostii, viæ, lucis &c. nec tamen ad præsentiam istarum rerum aut versus eas sive in templo sive extra templum adoramus. *Quinto*, ut nec vola nec vestigium hujus anilis superstitionis superstit; negamus ulla esse altaria in N. T. ergo ad ea non est adorandum: non entis enim nulla est affectio. Antecedens à Theologis nostris contra Pontificios solide probatum; & nuper *ab anonymo* contra novos altarium cultores. Nosque medullam istius demonstrationis aliquando, si Deus volet, studiosis nostris exhibebimus. *Sexto*: Quin & nuperæ *Synodi Episcoporum*, (cujus partem magnam fecit proculdubio D. Gul. Lad.) *cap. supra cit.* altaris cultum omittunt, & tantum commendant reverentiam ad ingressum aut egressum, templi, sacelli, chori. Nisi quis dicat non potuisse explicitè sanciri cultum altaris propter multos Jerubaales, qui tunc inter episcopos se fortè opposuerunt; atque adeo hoc tempore accidisse altarium vindici, quod cornici illi apud poëtam. *Est bene non potuit dicere, dixit, erit.* 4. *Quod* si dicant, esse hanc adorationem seu inclinationem ad altare, dum quis ei appropinquat, aut illud præterit, nihil aliud quam reverentem & decoram rerum sacrarum tractationem: jam desistendum esset à prætenso divino cultu ad altare, aut ad egressum ex templo, choro, sacello: seu à genuflexione & profundâ inclinatione: *Primo*, quia aliud est cultus divinus, & aliud reverentia in usu instrumentorum cultus. *Secundo*, quia mensa aut altare, non est res sacra, & cultui divino consecrata. *Tertio*, quia cum quis egreditur ex templo, aut ingreditur templum (imprimis cum non communicat) non magis tractat rem sacram (quam ita vocant, mensam scil. aut altare, aut chorum) aut eâ utitur in cultu suo, quem tunc peragit: quam cum domi precatur, aut in collegio, aut scholâ, aut cœmiterio, aut templi vestibulo, aut cum in medio templo stans aut sedens psalmum canit, audit conciones, & prælectionem verbi divini: tunc enim nemo fidelibus injungit genuflexionem ad & versus altare. *Quarto*, Sequeretur reverentiam multo magis deberi, & consequenter inclinationem, manibus ministri qui panem tractavit & fregit; aut æditui, qui eundem scidit & in patinâ disposuit. *Quinto* sequeretur reverentiam debitam in tractatione bibliorum, calicis, libelli precum, liturgiæ, Psalterii, baptisterii, Ministri Baptistæ & concionatoris, aquæ baptismi per genuflexionem seu adorationem, pari jure implendam. Quæ

omnia

omnia sunt absurdissima. Ita ut *D. Lavvrence p.* 25. citans verba eximii Theologi *Amesii ex lib. 4. casuum c.* 31. & causam propriam subvertat, nec minus Amesio injuriam faciat. Verba Amesii quæ mutilata exhibet sunt ista: *Reverentia vel honor religiosus debetur omnibus iis quæ propriè spectant ad cultum. Et religiosus est, non tantum quia imperatur à religione, sed etiam quia fundamentum habet in relatione rei aut personæ alicujus ad religionem, & cultum sacrum.* Et rursum: *honor ille qui Deo debetur, non potest ipsi debito modo exhiberi: nisi cum singulari reverentiâ tractentur ejus instrumenta: propter arctam illam connexionem & relationem, quæ inter actum aliquem & instrumenta ejus intercedit.* Ut lector videat quâ fide aut quo judicio nonnulli qui ad scripturæ perfectionem fastidiunt, margines impleant citationibus ex antiquis & intermediæ ætatis scriptoribus: ex hâc unâ citatione & detorsione ad genuflexionem, & quidem autoris recentissimi, qui in omnium manibus versatur, mecum cognoscat. 1. Amesius nulla instrumenta Dei seu nullas alias res agnoscit quæ proprie spectent ad cultum, quam scriptu-
„ram, aquam baptismi, panem & vinum in cœnâ. Quin immo exsertè
„negat, habere nos extra usum sacrum ullam rem externam ex divina in-
„stitutione consecratam, & in religioso statu collocatam, eo modo, quo
„arca, altare, templum, & similia fuerunt in V. T. 2. Negat, ullum po-
„sitivum honorem ex religione ulli rei externę deberi. Concedit esse re-
„verentiam quandam privatam; illam scil. quà cavetur, ne quidquam fiat
„circa res illas, quæ spectant ad cultum, extra usum sacrum, cujus ratio-
„ne minuatur aut violetur illa reverentia, quæ in sacro usu vel cultu debet
„observari. Hujus generis est illa cura, quà cavetur, ne verba aut phrases
„sacræ, misceantur jocis; ne codex sacer conculcetur, vel ad usum ali-
„quem applicetur, qui speciem fœditatis aut dedecoris habet conjun-
„ctam: ne panis ipse vel vinum post communionem relictum, alicui con-
„tumeliæ exponatur. 3. Negat, dum in ipso usu sacro singulari reveren-
„tia tractantur instrumenta Dei (verba scil. scripturæ, aqua, panis, vi-
„num), illis honorem divinum deferendum: neque ea habenda pro pro-
„ximis objectis cultus, per quæ honor ad Deum deferatur: nec inferio-
„ris generis cultum in ea transferendum: Hos enim omnes esse Pontifi-
„ciorum errores, dum eucharistiam colunt ut Deum: imagines, ut ter-
„minos proximos, quamvis non ultimos, religiosi cultus, & vasa obser-
„vantia quadam religiosa. In quascunque ergo formas se vertant, non ex-
tricant se à Judaicis aut Papisticis superstitionibus, quod ex solo argumento hoc nostro secundo abunde perspicient præjudiciis non excœcati.

III. *Argum.* Quid non adoratur ipse panis aut vinum eucharisticum, 4.

nec ad ea adoratur; quotiescunque illa sive procul sive prope videri, aut tractari contigerit: Ergo multo minus ad mensam seu altare adorandum est; eo quod ante hac imposita ei fuerint, aut postmodum aliquando imponenda sint. Ratio consequentiæ à majori ad minus est: Quia plus est panis & vinum quam mensa: illa à Deo sunt ordinata, ut consecrentur in sigilla corporis & sanguinis Christi, & communionis nostræ cum eo; ista non est. *Exceptio* est: etiam alicubi jam cœpisse panem & vinum profundâ & demissa inclinatione coli seu salutari, semel cum patinam in manus sumit sacerdos, iterum cum deponit, tertiò cum calicem tollit, quartò cum eundem deponit: quam panaceam venerationem sub nomine humilis reverentiæ defendit *D. Heylens in Moderato Responso p.* 137. *Resp.* 1. Factum quidem audio: sed nullum jus, nullum mandatum divinum, aut humanum ecclesiasticum, sive antiquum, sive novum Catholicum, aut nationale. 2. Si hæc non sit forma θεολατρείας Papisticæ, aut collusio cum ea: saltem occasionem ac viam ad eam, & speciem ejus esse constat. 3. Quidquid sit de facto quorundam sacerdotum παπιζόντων: nihil tamen constat de praxi communi ministrorum, & Ecclesiarum: nedum ut quisquam publicè hoc illis imposuerit. 4. Quidquid fiat à quibusdam: nondum tamen auditum est, zelotas pani jam in patina posito ante aut post celebrationem cœnæ, immo in ipsa celebratione inclinasse dum sunt in cœmiterio, aut parieti chori ad quamcunque plagam appropinquant: quod tamen esset faciendum: siquidem majestas & facies panis non minus splendere & radiare putanda est versus orientem, austrum, septentrionem: ac thronus Christi in altari aut mensa (de quo D. *Laurence infra cit.*) versus occidentem: non minus post à tergo, quam ante: non minus per fenestras, aut vitra, aut parietes chori, aut ostia templi (si quæ sint): quam altare per vacuum templum, à choro, usque ad ostium sc. per quod vulgo intrantes ad altare inclinant.

IV. *Argum.* Bibliis non inclinamus, nec ad conspectum eorum, nec versus ea: nedum versus vacuam thecam aut pulpitum cui in templis includi, aut imponi solent: nec ad vacuum suggestum unde verbum Dei nobis ordinariò prædicari solet. Ergo ad aut versus altare seu mensam non est inclinandum. Ratio consequentiæ manifesta est, quia non minus verbum audibile est sacrum Dei instrumentum & potentia ad salutem, quam verbum visibile seu sacramentum: utraque enim eodem collimant & utrisque depingitur, offertur & confertur nobis Christus morali scil. & instrumentali causalitate: ut *Theologi Orthodoxi* contra Pontificios explicant in *quæst. De efficacia Sacramentorum.* Quin immo verbum in hoc præstat Sacramentis, quod ad salutem sit necessarium necessitate medii,

sacra-

sacramenta non sint : & quod usus ejus non tantum confirmet, sed & primum ingeneret fidem, cum sacramenta tantum confirment : quod denique sit instrumentum salutis absque sacramentis, hæc autem non sint sacramenta sine verbo, juxta illud Augustini : *Quid est aqua, nisi aqua &c: accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Argumento huic nihil est quod opponant, nisi apertè in Papistarum castra transeant. Sic ergo, *Excipit* Cl. D. Wilh. Lad. in oratione cit. p. 47. *Altare est locus maximus residentiæ Dei in terris, immo majus pulpito. Quia illic est*, hoc est corpus meum. *Sed in pulpito est ad summum solummodo* : hoc est verbum meum, *Iam vero major reverentia indubiè debetur corpori domini, quam verbo domini. Resp.* aut Capernaiticè & Papisticè hæc dicuntur, aut non. 1. Si illo modo, jam horrendam artolatriam molitur ; itaque lectorem meum ad *nostrorum Disputationes de Corporali præsentiâ in Cœnâ*, remitto : & tantum quæro, an cum in terris esset Maria, adorandum fuerit semper ad corpus Mariæ tanquam thronum & thalamum peculiarem Dei manifestati in carne : conceptus enim & gestatus fuerat Christus in utero ejus ? Si ajat aut neget, quibus rationibus alterutrum solidè probaret ? *Deinde* cur non adorandæ sint nubes seu adorandum ad nubes, (exemplo Gentilium), tum quia nubes sunt Dei currus *Psalm.* 104. tum quia Christus ascendens in cœlum corporaliter pertransiit nubes, & in iis aut cum iis, aut prope eas appariturus est noviſſimo die, ac sessurus in throno suo. 2. *Sin* relativè & sacramentaliter intelligat ; jam respondeo *Primo* præsentiam realem Christi totius, consequenter etiam ut corpus habet, in quo olim pro nobis crucifixus, nullo modo affigi aut promitti pani eucharistico (ita dicto) in genere aut communiter, sed tantum singulariter & in individuo huic aut illi parti panis, quæ debitè sumitur ab illo, qui intus simul habet & de novo accipit panem dominum ; & sic demum panem externum ipsi fieri atque esse panem domini, symbolum scil. & sigillum. De reliquo pane, quicunque absque pane domino & verâ fide sumitur, idem dicimus quod Augustinus de aquâ : *Quid panis, nisi panis ? accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum ; non quia dicitur, sed quia creditur.* Resp. *Secundò*, non minus exhiberi sanguinem Christi & totum Christum passum (& sic etiam corpus ejus) in baptismo, quam in cœna : & consequenter non minus adorandum esse ad aquam Baptismi & ad baptisterium, quam ad panem eucharisticum, & mensam. Quod tamen adversarii non admittunt ; nedum, ut urgeant. *Tertiò* Resp. falsissimum est, esse semper in mensa (cum cœna non administratur) aut Christi corpus, aut sacra symbola corporis Christi seu panem domini, aut saltem nudum elementum panis : sublato ergo omni objecto, & fundamento immo & umbrâ ejus, tollitur etiam o-

mni subjecto, & fundamento immo & umbra ejus, tollitur etiam omnis relatio ad cultum. *Quartò*, Itidem falsum est, esse relationem ex instituto divino seu unionem immediatè & proximè inter mensam (nedum altare) & inter panem eucharisticum; & mediatè inter mensam & Christum crucifixum. Cur non dicunt immediate esse inter patinam ac calicem & inter panem ac vinum patina & calice contemtum; & sic mediate inter panem aut vinum & mensam, quæ continet seu potius sustinet patinam & calicem. *Deinde* quæro, si thronus supremus sacramentalis præsentię & unionis Christi in terris sit mensa seu altare: an ergo nulla sit præsentia & communio Christi sacramentalis absque mensa? Et quid futurum sit eucharistiæ, quam deferunt ad moribundos; ubi nec mensa sternitur, nec altare ædificatur & consecratur. *Quintò*, falsum est in solo verbo visibili (hoc est sacramento) & non in verbo audibili exhiberi nobis corpus domini, seu Christum crucifixum: contra 1 *Cor.* 1.17.18.23.24.& 2.2. *Galat.* 3.1. Ubi refertur Christum Galatis ante oculos depictum fuisse &c. Unde dicitur & verbum crucis, gratia Dei salutifera 1 *Corinth.* 6. 1 *Tit.* 2.*v.* 11. potentia Dei ad salutem *Rom.* 1. *v.* 16. Breviter ubi totus Christus exhibetur & confertur per fidem applicandus, ibi & corpus Christi confertur: sed in verbo &c. *Roman. cap.* 1. *vers.* 16.17. Ergo, *Sextò*, ambiguum & periculosum est dictamen, de reverentia debita corpori Christi? An divinam reverentiam, an vero minorem ea intelligis? Si divinam; estne ea directè in aut ad Christi corpus? Quomodo ergo non relaberis in monachales preculas ad vulnus dextri, aut sinistri pedis, aut ad adorationem humanæ naturæ tanquam objecti formalis, seu Christi quà hominis? Quod si *excipias*, te adorare ad Christi corpus; jam rursum quæro, quibus scripturæ testimoniis probaturus sis alligatam esse magis adorationem tuam & præsentiam totius Christi & consequenter corporis ipsius crucifixi mensæ seu altari tuo; quam templo, aut manui ministri, aut patinæ, aut cultro, aut calici, aut mappæ, aut ori fidelium, aut stomacho & ventri aut cordi eorum? Cur illa non sunt, *thronus Christi, in quo usitatè corpus ipsius præsens est*; ut tu loqui amas de altari p. 47. *Septimò*, vanum est, quod sine scripturis adfertur, & eâdem facilitate à nobis rejicitur: de majori reverentiâ proportionatè debitâ altari (quod thronum appellas); quam pulpito, quod sellam dicis, ubi verbum Christi promulgatur: eò quod major reverentia debeatur corpori, quam verbo Christi. Mera sunt teretismata & παρατριβαὶ διεφθαρμένων ἀνθρώπων νοῦν &c. 1 *Timoth.* 6.5.

6. IV. *Argum.* Ab absurdis & noxiis consequentibus, ex quibus nunc ista, quæ occurrunt, indicamus. 1. *Quia* ceremonia hæc non tantum non promovet,

movet, sed contra impedit ac lædit vim pietatis & devotionis: quam maledictionem ceremoniis & traditionibus omnibus humanis adhærere ut in genere alibi probatum fuit: sic hic in specie applicatur, & supponitur. Unam tantum nunc addo specialem considerationem, quod non parum impediat illud antiquum in exercitiis pietatis ac devotionis, nominatim eucharistiæ: *Sursum corda*: & illud Apostoli *Coloss.* 3. τὰ ἄνω ζητεῖτε ὅ ὁ χριστός ἐστιν &c. cum *Philip.* 3. 20. 2 *Corinth.* 5. 16. 17. dum in terris, in templo, in choro, in altari hærent tanquam receptaculo, sanctuario, camerâ præsentiæ, throno corporis Christi, & ad ea aspirant, ibi quærunt cum Papistis, contra monitum illud *Matth.* 24. 23. 26. *Ecce hic est Christus* &c. Præterquam quod experientia quotidiana, & in Papatu & alibi satis docuerit, quo magis accenditur alienus hic devotionis ignis, eo magis frigere si non exstingui ipsam vim pietatis & amorem cœlestium; contra fervere typhum sæculi, avaritiam, κοσμικὰς ἐπιθυμίας, voluptatum incendia, profanitatem denique & Epicureismum. 2. *Quia* præjudicat libertati Christianæ; quippe in progressu nimis periculosa: quæ enim nunc ut adiaphora & piè civilis ac decora, à mollioribus aut imprudentioribus toleratur aut suscipitur; paulo post ut admodum utilis publicè commendabitur: tandem ubi vires acquisiverit eundo, multitudine sequentium & consuetudine firmata, publica autoritate Diotrephωn quorundam imponetur: quin & aliis ecclesiis volentibus nolentibus obtrudetur sub comminatione anathematis: ita πάρεργον fiet ἔργον. His gradibus exortus est Papatus. Utinam tristi illius casu sapiamus! 3. *Quia* desertio est prioris caritatis: & reditus ad vomitum: scandalum præbet iis qui extra & qui intra sunt, imprimis etiam neutralibus, tepidis, ignorantibus: est enim occasio superstitionis, erroris, idololatriæ, confusionis & obscurationis in tanta luce veritatis; adhæc suspicionum, disputationum, contentionum, scismatum; tandem anathematum, persecutionum &c. *Nemo repente factus est pessimus*: quorum omnium rationem aliquando reddent Deo, qui talibus ecclesias perturbant, & vel minimum ex Christi fidelibus scandalizant ac tristitia afficiunt. 3. *Quia* hac ratione ostium aperiunt & pontem sternunt introducendis sexcentis ejusmodi observationibus; e. gr. genuflexioni ad codicem Euangeliorum (cujus adorationem sanciebat *Concil. Nicen.* 11.) ad picturas Christi crucifixi, aut nominis ejus in sole, ad imagines alias, præsertim ad signum aut imaginem crucis; quod an proclive futurum sit in illis Ecclesiis, ubi etiamnum obtinet formatio crucis post baptismum, judicent prudentiores. Non repeto quæ supra dixi de digitis, ore, barbâ, vestibus concionatorum, ædituorum, tractantium panem eucharistiæ, de calicibus, patinis, cultris, mappis, campanis, septo intergerino, pariete chori cui affixum est

altare, pulpito, baptisterio, aquâ baptismali, pane & vino eucharistico &c. Breviter rationes nullas habent, quibus sistant torrentem rituum, sacramentalium, superstitionum adversus secundum præceptum; quæ subnixæ antiquitate, consuetudine (non minori saltem quam veneratio altari, ex antiquo instituto, præstanda ab equitibus aureæ periscelidis;- testante & approbante D. G. Lad Archiep. Cantuarensi; de quo infra; publicâ item autoritate Ecclesiæ Romanæ, aut cujuscunque Orientalis, aut Gallicanæ &c. ibidem longè latèque dominantur, & instar gangrænæ religionem depascunt. Tentet hoc aliquis βωμοθρήσκων fautor & patronus, & videbit se fore αὐτοκατάκριτον. Quæ restant proxima & ultima, ni fallor, appendix absolvet.

APPENDICIS *Pars Quinta ad Disputationem* DE SUPERSTITIONE.

Ubi de Genuflexione ad nomen Jesu, & ad Mensam seu Altare.

Resp. JOHANNE HOECK Heusdano. *Ad diem* 3. *Octob.* 1640.

1. QUIA habet speciem mali, & collusionis seu conformationis cum Gentilium superstitione; qui aras & fana sua venerabantur tanquam Dei domos & palatia (de quo vide *commentatores*, etiam Pontificios nominatim *A Lapide ad Actor.* 17. 24. 25.); quique orabant versus Orientem. 5. *Quia* habet speciem collusionis cum Judæis, idque non uno modo. *Primo* in humanis traditionibus & sponte susceptis ritibus religiosis (*Matth.* 15. 9. *Coloss.* 2.) *Secundo*, in eo quod loco alicui tanquam sancto, aut aliis locis sacris (ita dictis) devotionem affigant. Quomodo hodie Judęi ingredientes synagogas & precaturi inclinant se versus arcam, in quâ liber legis, *Buxdorf. Synag. Iudaic. c.* 5. *p.* 157. edit. pr. *Tertio*, in imitatione Pharisaicę ostentationis ipsorum. *Matth.* 23. 5. 25. 28. Quomodo autem externa pompa & ostentatio venerationis à Neo-Papistis hic requiri soleat, supra ostendimus ex D. *Duncono*. Quæ in hoc tamen stolidior est Pharisaicâ, quod eam adhiberi velint, etiam cum nemo in templo comparet; cujus ædificatio, aut applausus, aut scandalum prætexi possit. *Quarto*, in ea, quod periculosâ κακοζηλίᾳ refodiant sepultas ceremonias, & cultum œconomicum institutum usque ad tempus correctionis: cujus pars erat tabernaculum seu templum, inque eo chorus seu oraculum aut sanctum sanctorum, item altare; eorumq; omnium tanquam typorum Christi religiosus usus, secundum dedicationem & sancti-

sanctificationem ex jure & præscripto Dei ipsis collatam. Lege quæso *Hebr.* 9 1.13.coll. *locis parallelis V.T.6. Quia* habet speciem mali (ut mollissimè loquamur) & multiplicem collusionem cum erroribus & superstitionibus Papisticis. *Primo*, in consecrationibus & veneratione rerum, quas vocant, sacrarum, omniumque sacramentalium, specialiter templorum: quas vanitates in Papistis perstrinximus. *Disp. de Templis, & de Benedictionibus.* De crassa Idololatria in adoratione rerum sacrarum, supra ex *Zvvarezio* aliquid notavimus. *Secundo*, in ædificatione collocatione, consecratione, usu, exaltatione, & veneratione altarium. De prioribus alibi ex professo agendum. In postremâ nunc paralleliſmum considerandum do, ex collatione Ritus servandi in celebratione Missę, qui Missali præmittitur: ubi vide cap. 2. *Si vero contigerit eum (sacerdotem) transire ante altare majus capite cooperto, faciat ad illud reverentiam: si ante locum sacramenti, genuflectat. Si ante altare ubi celebretur missa, in quâ elevatur vel tunc ministratur sacramentum, similiter genuflectat, & detecto capite illud adoret &c.* Cap. 3. *Factâ prius cruci vel altari profundâ reverentiâ.* Ibid. numero 7. *Deinde altari profundè se inclinans* cap. 4. & 5. n. 2. *Cum nominatur nomen Iesus, aut cum dicit,* Gloria Patri *&c. caput inclinat versus crucem. Ibid.* de osculando altari quod supra notavimus. *Tertio*, in eo; quod rudiores & Semi-Papistas hâc sua collusione confirmant in adoratione panis, crucis &c. Si enim mensa aut altare adoratur, quanto magis crux, panis eucharistię seu corpus Christi sacramentale: ita facile sponte sua concludent homines in bivio constituti, indocti, & instabiles. Sed excipiunt novi zelotæ, ac primo D. Laurence p. 25. *Hæc non dici ut derivetur honor divinus in aliquid quod non sit Deus (Deus avertat à me tam procul damnabilem idololatriam, ac avertit ab ecclesiâ Dei)* σέβω δὲ, σεβῶ δὲ, οὐχ' ὡς θεόν, *ait Damascenus, Resp.* Idem effugium Pontificiorum pro adoratione imaginum, sanctorum, Angelorum &c. Quod à nostris nominatim *supra cit.* satis superque profligatum. Deinde excipit *Mortonus* in editione secunda *Institutionis de sacramento* anno 1635. (quod tamen episagma non esse ipsius Mortoni merito suspicari liceat) triplicem esse differentiam inter Pontificios & novos βαμοζηλώτας in causa scil. seu ratione, in objecto, in tempore genuflexionis. 1. *Quod* ad causam *Papistæ inclinant versus altare, tantum ut adorent eucharistiam, sed protestantes, tantum inclinant versus mensam, ut testentur communionem cum omnibus fidelibus qui mensæ istius participes sunt. Resp. Primo* De Papistis, quod dicitur falsum est. Siquidem distincta veneratione genuflexionis adorant altare aut versus altare cum hostia est in eo, & sola inclinatione idem honorant, cum hostia non est, ut modo ex *Missali* indicavimus. Addimus ex part. 2. tit. 13. *Finitâ Missâ, si facienda est absolutio &c. sequitur celebrans factâ prius altari*

tari reverentiâ &c. Et paulo post: *Accipit aspersorium de manu Diaconi, & factâ altari reverentiâ &c.* Adde quod temporibus Marianis in Anglia, Cardinalis Poli visitatores (teste *Foxo*) injungerent scholaribus Cantabrigiensibus, tam altari, quam hostiæ genuflectere. Et quotidiana praxis Pontificiorum (saltem in Gallia, uti memini à D. *Molinæo* ipsis exprobrari) tam honorat ciborium vacuum, quam hostia repletum. *Secundò*, hinc sequi esse longè absurdiorem & fœdiorem hanc superstitionem quam Papisticam: quia Papistæ nullam, Bomozelotæ vero aliquam adorationis suæ causam faciunt altare; ut ipsi quidem & Papistarum & suam intentionem explicant. Hinc *Shelfordus in concione de Ecclesia p.79.* mensam vocat non quidem terminativum, sed motivum cultus. Confer rationes adorationis hujus à mensa seu altari sumtas, quas infra refutamus. *Tertiò*, Papistæ non inclinant altari nisi in celebratione missæ, aut cum eucharistia præsens est, hoc est cum ipse Christus realiter, personaliter, & corporaliter ibi præsens est, ut quidem ipsi novatores hoc explicant. Sed ipsi inclinant quovis tempore cum nec materialis panis, nec sacrum symbolum, nec Christus ibi præsens est. *Quartò*, vertigo est & circulatio Papisticas manias adæquans, si non superans: quod ipsorum religiosus honor, qui terminatur in Christum seu quo Christus adoratur, non ut ipse honoretur aut honor ille in ipso terminetur (ut volunt Papistæ), sed ut honoretur communio cum hominibus, & honor ille Christo exhibitus sit medium, signum, ac testimonium externum nostræ communionis cum hominibus, & consequenter honor atque amor divinus subordinetur honori atque amori humano. Quis tales χαιροφωνιὰς unquam audivit? Peculiaris scil. est cultus quo Christus colitur in mensa, aut ad mensam aut versus eam: non ut Christus per eum honoretur, sed ut colatur, & honoretur communio nostra cum mensa & mensæ consortibus. Pontificii per hostiam relativum cultum Christo tribuunt & rectà in eum tendunt: sed hi per mensam ad cultum Christi, & per cultum Christi ad mensam, & per mensam ad mensæ consortes & sic ad cultum hominum circulant. Sed ubi Deus talem cultum cum tali relatione, subordinatione, & circulatione mandavit, ut scil. in testimonium communionis inclinemus in vacuo templo, ad vacuam mensam, ubi nec communicantes, nec communio. Cur hic significantissimus sc. cultus & devotissima ceremonia & efficacissima communio, defuit in Ecclesiis Apostolicis? Similem circulationem idolatricam habent Pontificii, cum in officio B. Mariæ secundum usum sacrum orant Deum ut moveat sanctos, ut orent Deum pro ipsis. Quomodo & *Lipsius in Virgine Hallensi*, orat Mariam per mediatorem Christum: quem aliàs interpellant per Mariam & sanctos. 2. differentia est in objecto: *Quia Papistæ*

pista incurvant se eucharistiæ : Protestantes vero domino mensæ, non mensæ domini. Resp. Atqui hic nulla est differentia. Papistæ nec mensam, nec altare, nec elementa panis & vini, sed ipsum dominum Jesum immediatè adorant: Idem novatores volunt fieri à Protestantibus. Ergo cultus uterque terminatur in uno objecto. Quod autem hi solam mensam faciunt objectum materiale adorationis ; illi panem, hoc est, accidentia panis, ad quæ adoratur: illud nullam ponit differentiam in objecto formali, in quo terminatur adoratio. 3. *Differentia* est in tempore : quod Papistæ tantum adorent, quando eucharistia est in altari ; sed Protestantes, quando non est. *Resp.* Supra ostendimus Papistas etiam altari vacuo se inclinare, & notorium est, dictos illos Protestantes non minus idem altare, cum celebratur cœna, aut cum elementa (eucharistiam, sacra symbola, panem domini dicerent alii) jam super eo collocata sunt, quam vacuum profundè venerari. Ergo in vacuo aëre fundatur hæc differentia : nulla enim est. *Deinde*, tanto stolidior hæc superstitio, quæ circa vacuum templum, vacuum altare, (ubi nec Christus, nec elementa ad usum eucharistiæ, nec symbola Christi) grassatur.

Atque hæc argumenta nostra, quibus adjungere possem universalem 2.
consensum ecclesiarum, quæ à Papatu secesserunt : sed non est quod facem in meridie accendamus. Accedimus ergo ad solutionem objectionum. 1. *Object.* Ex *Psalm.* 5. 7. & 138. 2. Hanc habet *Shelfordus*, *concione de domo Dei p.* 18. 19. 20. 21. 22. *Resp.* 1. quis consensus patrum *loca cit.* sic interpretatus est ? Ubi nunc sunt ἐχαμαιδύπτες, ut cum novatoribus his exposulent ? 2. Nihil minus docetur illis textibus, quam quod novatores prætendunt. Agitur de templo, non de mensis aut altaribus. 3. Agitur, de adoratione Dei, non vero de veneratione templi, aut altaris, aut mensæ per inclinationem, aut genuflexionem, aut capitis apertionem, quotiescunque scil. non precantes illam videmus, aut illi appropinquamus, aut illam præterimus, aut in templo ambulamus, aut illud chorumve transimus. 4. Adoratio hæc Dei, fiebat versus templum & quamcunque partem seu faciem templi anteriorem, posteriorem, orientalem aut occidentalem, aut meridionalem (non versus altare, aut versus orientem tantum) quocunque loco essent fideles : novatores peculiariter eam alligant orienti, choro, altari, & ingressui templi : ut facies scil. ab ostio seu ingressu templi, versus altare & chorum convertatur. 5. Conversio hæc versus templum si non faciei saltem cogitationum observari poterat in omnibus precibus tam privatis quam publicis : sive quis esset prope templum, sive procul abesset. Sed novatores volunt peculiarem suam venerationem exhiberi, cum quis *intrat in domum Dei, aut appropinquat altari*, ut loquitur *D. Gulielm. Lad. p.* 43. 6.

Quidquid fieret templo in V. T. nulla tamen inde consequentia deduci potest ad nostra templa, nedum altaria. *Tum*, quia templa nostra non referunt templum aut tabernaculum in V. T. sed tantum synagogas. *Tum* quia templum erat typus Christi, in quo Deus erexit thronum misericordiæ, & tabernaculum suum cum hominibus, *Hebr.* 9.8.9.10.11.24.& 10. 20. *Tum* denique quia de templo illo erat mandatum Dei & promissio (1 *Reg.* 8.33.35.44.48. *Dan.* 6.10. 2 *Paral.* 6.20.21.26.34.38.) de nostris vero nihil tale, nec etiam de synagogis, aliisq; oratoriis Judaicis. 7. *Quia* In templo Deus peculiariter habitabat, *Deuter.* 12.11.12. 1 *Reg.* 7.29. 30. *Psal.* 122.3.4.; itaque ibi facies seu præsentia ejus ab orantibus quæri poterat. Sed in N. T. nullis talis locus præsentiæ Dei; nedum altare aut mensa. Vide *Matth.* 18.20. coll. cum 1 *Timoth.* 2. 8. *Denique Resp.* quidquid hic esset de externâ genuflexione versus templum, non tamen sequeretur, esse ipsi templo aut altari incurvandum: quod tamen velint *Pocklinghtonus*, *Laurence* &c. *supra cit.* 11. *Object.* ex *Psalm.* 99.5. apud eundem. *Resp.* 1. per scabellum pedum non intelligitur thronus altaris, sed mons Zion, uti patet ex vers. 9.2. Ipse *Shelfordus* ait *ibid.* intelligi arcam fœderis: atqui ab eâ nulla consequentia ad altare seu mensam: ut nec ab ullâ typicâ præsentiâ Dei in V. T. ad præsentiam peculiarem in aliquo loco N. T. 111. *Object.* Ex *Exod.* 12.27. Sic *Pocklinght. Resp.* Ubi hic comparet mensa aut altare? Civiliter venerati sunt Mosem, aut religiose ipsum dominum, cujus verbum ad ipsos locutus erat Moses. Unde majori colore educi posset genuflexio ad biblia aut ad concionatorem, quam ad altare. 1v. *Object.* Ex *Numer.* 20.6.& 2. *Chronic.* 29.29. Sic *D. VVilh. Lad. p.* 43.44. *Resp.* ad priorem textum. 1. Valebit hæc consequentia, ubi gloria Dei in choro templi aut mensâ nostrâ aut altari eâdem ratione, quâ in aut super tabernaculo, aut arca testimonii inter Cherubin, habitarit & comparuerit, atque inde nobiscum per oraculum locus fuerit. Posita illa causa ponitur effectus. 2. Unde probatur illos procidentes in facies mensam aut altare veneratos fuisse, aut versus altare inclinasse atque adorasse. 3. Neque etiam habetur illos ingredientes tabernaculum ibi versus altare inclinasse. Quin potius ex textu comparet, illos non ingressos. Unde concludendum esset, quotiescunque appropinquamus extrinsecus ostio templi, ibi procidendum esse in faciem, quia, scil. in domo illa gloria Dei actu tunc appareat, & oracula edat. 4. Non magis ad aut juxta tabernaculum se humiliare solent aut cum timore & veneratione ibi versari; quam quocunque alio in loco, quandocunque extraordinaria divinæ præsentiæ signa apparerent. *Gen.* 17.3. *Exod.* 3.2.5.& 19.9.11.12.13. cum *Heb.* 12. 19.21. Nulla ergo hinc consequentia ad perpetuum & specialem cultum in-

in ingressu templi *eminus*, aut in appropinquatione aut transitu *cominus* ad & versus altare. 5. Si dicamus illos procidisse in faciem ut deprecarentur dominum pro populo; quomodo hic gestus imponetur non precantibus, sed mensam solummodo eminus conspicientibus, aut eam prætereuntibus? 6. Denique cur tanquam veri imitatores, ante ostium aut ad ingressum templi non procidunt in faciem? Ita finita saltem esset otiosa illa controversia de facie vertenda versus hanc aut illam templi partem, & cœli plagam. Ad posteriorem textum. *Resp.* Haberi quidem, eos in templo Deum adorasse, adhibito etiam externo corporis gestu (confer *vers.* 28.30.) sed non habetur eos versus altare adorasse, magis quam versus sanctum sanctorum & arcam testimonii, aut versus alias templi partes? Nec etiam; eos non orantes, sed eminus solummodo conspicientes altare, aut illud prætereuntes, aut ei appropinquantes, apertione capitis & genuflexione aut profunda inclinatione illud debuisse venerari. *Deinde*, dato quod ita fecerint, quæ hinc consequentia à typicis illis, ad mensas nostras, aut altaria (quæ vocant) Christiana. v. *Object.* est ejusdem D. Wilh. Lad; ibid. *Sed dicent hunc fuisse cultum Iudaicum, & nunc non imitandum. Sed diu ante inchoatum Iudaismum, Bethel domus Dei, erat locus reverentiæ (Genes.* 28. 17.) *ideoque Dei & Deo. Resp.* 1. Errat, cum putat nullum fuisse cultum œconomicum & typicum (quem Judaicum appellat) nobis non imitandum, ante Judaismum, hoc est, ante latam legem ceremonialem per Mosem. Videantur quæ ex *Genes.* 4.3.4 & 8.20. & 12.7.8. & 13.18. & 15.9. 10. & 17.10. &c. de Abelis, Noahi, Abrahami &c. sacrificiis, & ritibus orthodoxi producere solent contra Socinianos. 2. Ex loco, quem extraordinaria præsentia & apparitione honoravit Deus (ut Bethel, More, Horeb, Sinai, Moriah, &c.) non potest fieri consequentia aut ad Synagogas Judaicas, aut ad nostra templa: nisi ostendas, in iis eandem aut similem Dei præsentiam. 3. Poterant per hanc logicam & alii novi ritus proximo anno imponi; ut omnes scil. exuant calceos *Exod.* 3. procidant in faciem *Genes.* 17. 3. hœdum & liba offerant *Iudic.* 6. 19. & 13. 16. 19. lapidem erigant eumque oleo injungant *Genes.* 28. 18. quotiescunque templum, aut chorum ingrediuntur, aut ei appropinquant. 4. Veneratio illa si fuisset, erat transitoria, prout & apparitio ac præsentia Dei. Nunquam probabitur perpetuo à fidelibus loca Bethel, aut Horeb, &c. prætereuntibus, aut iis appropinquantibus, aut eminus conspicientibus, fuisse profundam reverentiam exhibitam. 5. Denique locus *Genes.* 28. 17. ne ϰῦ habet de aliqua genuflexione, aut inclinatione Jacobi. vi. *Object.* Ex *Psalm.* 95. 6. *David*, inquit D. Lad, ibid. *ad hoc vocat populum*, & quidem formula seu voce, *venite*. *Resp.* Mensa non est dominus & factor noster: atqui

illi & coram illo genuflectendum dicitur; quod nemo nostrum negat. VII. *Object.* Ex *Iesa.*45.23. cum *Rom.*14.11. Sic *Schelfordus concione cit. p.*18. *Resp.* nulla in textu mentio altaris, mensæ, chori, septi, templi consecrati, Orientalis partis Templi; sed Jesu Christi Dei & domini nostri: laborat ergo consequentia fallaciâ, seu mavis ἀῤῥωστιᾷ τῆς διανοίας. Si θαυμασίων istorum zelotωn Theologia scriptuaria sic pergat, non est quod solos Postillistas, Canonistas, & Scholasticos in Papatu, tantopere admiremur. VIII. *Obj.* Ex *Iesa.*36.7. & 2. *Paralip.* 32. 13. Sic *in concione* quadam *D. VValburtonus* Decanus Wellensis, & Doctor *Dunconus in M. S. diatribâ. Resp.*1. sunt verba Rabsake, que nobis non magis sunt autenticæ veritatis, quam diaboli, quem scriptura introducit loquentem *Genes.*3. *&* *Iob.*1. aut Judæorum *Iohan.*8. *&* 9. *&* 10. &c. Saltem priora verba, de sublatis Dei altaribus aliaque non pauca in illa oratione Rabsake ἀνιστορησίᾳ laborare, immo esse notoriè falsa nemo negaverit: Hinc facile judicatur de autentia istorum verborum: *Adorabitis coram altari isto.* 2. Ex abundanti dicimus: dato verè hæc referri à Rabsake; inde tamen non posse exsculpi genuflexionem & venerationem altari aut versus altare exhibitam fuisse, à non precantibus: quotiescunque illud præterirent, ad illud accederent, ab eo recederent, aut eminus ad ingressum Templi illud conspicerent, seu faciem & oculos eò converterent. 3. Immo ne quidem ex verbis his posse confici orationem propriè & specificè hic intelligi. Quid ergo? cultum divinum per oblationem donorum & sacrificiorum, ut verba proximè sequentia indicant: & *comburetis incensa super eo.* Confer *Genes.*8.20. 1 *Reg.*3.4. 2 *Reg.*16.12.13. & 18.22. *Psal.*43.4. & 51.19. & 118.27. *Iesa.*56.7. *Matth.*5.22. 4. *Sed fuerit* oratio, unde nunc probabitur genuflexio aut inclinatio populo imposita? Cur non potuissent stantes aut in faciem procidentes precari juxta altare, absque incurvatione ad illud aut versus illud? Vide 2 *Reg.* 8.21.22. 2. *Chronic.*6.12. *Luc.* 18.11.13. 5. *Adde*, potuisse eos genuflectendo ibi precari, absque particulari inclinatione aut reverentia altari, aut versus altare exhibita: quomodo in templo, schola, cubiculo juxta mensam, aut cubile, aut caminum, aut scamnum, aut sedile, aut pulpitum aut suggestum, aut subsellia, aut concionatorem ibi stantem, fideles, dum precantur, commune, externos ritus genuflexionis aut apertionis capitis, aut inclinationis adhibent; sic tamen ut tanquam ex conscientia quadam mandati divini ipsis scamnis, pulpitis, baptisteriis &c. peculiarem genuflexionem non exhibeant, aut versus ea genuflectant. 6. Quacunque ratione & quibuscunque ritibus Judæi illic adorassent; nulla tamen inde consequentia ad fideles in N. T. Nisi mox adhuc novum ritum elevationis manuum ad mensam

sam, aut altare, aut chorum ecclesiis nostris velimus imponere, ex *Psalm.* 28.2. 1x.*Object.* Quia altare seu mensa est locus specialis præsentiæ Christi in terris, & sella ejus regia: in quâ residet. Christus quidem præsens est in qualibet parte domus suæ; sed magis tamen præsens est in unâ parte, quam in alia &c. Sic. *D. Laurence p.*17.18.19.20. *D. VVilh. Lad.p.* 47. *Shelfordus concione cit.p.*2.4.18. 19. 20. & cum iis *Edmundus Reeve in expositione Catechismi*, *Ægidius VVidodvves in Schismatico Puritano p.* 89. *Resp.*1.*Neg. major*; quæ talis est: Ubi est specialis præsentia Christi, ibi, in illo loco non tantum sed etiam ad illum locum, versus illum locum, aut etiam illi loco seu rei est genuflectendum. Damus instantiam: Non erat olim aut nunc non est genuflectendum ad aut versus biblia, Hierosolymam, seu montem Zion, circumcisionem, Euangelii prædicationem, aquam aspersionis in baptismo, panem eucharisticum (quem vera fide recipit fidelis aliquis) ipsum corpus aut compositum cujuscunque hominis fidelis, in quo Christus, & spiritus sanct. peculiariter & realiter habitat & præsens est tanquam in templo suo, *Ephes.*3.17.& 2.21. 1 *Corinth.*3. 17. & 6.19.& 2 *Corinth.*6.16.& 13.5.cum *Iohann.* 14.23. & 17.23.*Galat.*2. 20. Atqui ad omnia ista nolunt genuflecti. Quod si majorem sic reformant: Ubicunque est præsentia Christi corporalis, ibi seu ad illum locum, seu versus illum Christus est adorandus; Jam missa majori, neganda esset minor, & ablegandi lectores ad *Antagonistas Missæ & transsubstantiationis Papalis*, *Martyrem*, *Zadeelem*, *Plessæum*, *Molinæum*, *Aubertinum &c.* 2.*Neg.Minor*; quæ hæc est: specialis & non corporalis præsentia Christi est in mensa aut altari. *Neg.*, inquam; Præsentia illa gratiæ specialis est vel merè *spiritualis*, perpetua scil. in cordibus fidelium per fidem & adjuncta ac consequentia fidei: vel sacramentalis, per unionem sacramentalem signi & rei signatæ, in legitimo scil. illius usu; vel communiter relativa per unionem cultus instituti ex. gr. auditionis verbi, lectionis, collationis de eodem cum aliis &c. tanquam medii, instrumenti, & vehiculi gratiæ, cum ipsa gratia. Prima præsentia hic non habet locum. Nec secunda, quia non est sacramentum. De tertia dicimus non magis ibi thronum ejus esse, quam in scamnis cui insident fideles, aut in patina, quæ continet panem, aut in ampulla seu cantharo qui continet vinum, aut in pulpito, quod continet biblia. Unicum argumentum pro hac temeraria & periculosa assertione incipiant modo moliri, quod teneat in materia & forma; & videbunt quam parum solida sit hæc theologia. *Instantia*; peculiaris est relatio inter mensam & inter corpus Christi, idque mediante pane & vino symbolis corporis Christi, quæ in mensa poni solent. Itaque in quo exhibita fuerunt, & aliquando exhibenda erunt symbola corporis

& sanguinis Christi ad illud & ei est genuflectendum. Sed in mensa &c. Ergo. *Resp.* 1. *Neg.major.* Rationes sunt *tum* quia hæc aut illa mensa non est appropriatum & divinitus consecratum instrumentum, seu res sacra: *tum*, quia si esset, non tamen esset veneranda magis per genuflexionem; quam templum, chorus, pulpitum aut sella concionatoris, baptisterium, patina, calix, mappa, cantharus &c. similiaque instrumenta (ut ita dicam) passiva; *tum* quia sequeretur, majori jure colenda esse instrumenta nonnulla passiva (ut, patina, & calix, quæ proximè symbola eucharistica attingunt); imprimis activa & viva, ut manus concionatoris, & æditui, atque adeo ipsum concionatorem. IX. *Object.* Quia altare est Christi thronus gratiæ, & μνημόσυνον æterni sacrificii, quod ibi Trinitati offertur; ubi sacerdotes sacrificant cœnam domini, ad reconciliandum nos Deo per quotidiana nostra peccata offenso. Sic *Shelfordus p.* 2. 4. 19. & *Ægid. VViddovves p.* 34. 89. *Resp.* An velint his ritibus & argumentis pro iisdem, paulatim restitutum sacrificium missaticum, aut sacrificium altaris & propitiatorium (ut Papistice appellat *Shelfordus p.* 34. & *VViddovvs loc. cit.*) ipsi aliquando forte apertius declarabunt; aut dies revelabit. Nos breviter *Neg.majorem, & minorem*, eadem facilitate, qua sine scripturis affertur. Ipsi utramque probent. Si ulterius se explicent, & velint thesin ἀλεφυλακτεῖν; ablegamus φιλαλήθεις ad *Antagonistas Missæ Papalis modo cit.* X. *Object.* Altare seu mensa est signum loci, ubi salvator noster crucifixus est, & maxima ignominia affectus: Ergo illi, aut versus illud inclinandum est. Sic *VViddovves p.* 89. *Resp.* 1. *Neg. consequenta majoris.* Tum enim visibile signum, aut pictura aut mappa, immo & audibile signum, hoc est, vox Hierosolymæ, Golgotha, crucis, prætorii Pilati, aulæ Cajaphæ, ubicunque scil. & quotiescunque visui & auditui nostro se ingererent, genuflexione hâc honoranda esset, aut saltem Christus ad eam cum genuflexione adorandus. *Deinde*, sequeretur multo magis ipsa loca ut Golgatha, &c. & reliquias crucis, clavorum, lanceæ, columnæ ad quam Christus flagellatus &c. genuflexione prosequenda. Et quidni laterna Judæ, nummi proditionis, similesque reliquiæ, si quæ olim aut hodie in Papatu ostentantur? Imprimis horrenda σταυρολατρία, hoc argumento admisso, declinari non poterit. Quæ omnia sunt absurdissima. 2. *Neg.minor.* Unde probatur, mensam esse signum memorativum crucis seu crucifixionis Christi? XI. *Object.* Quia genuflexio illa facit ad testandam communionem omnium fidelium ea communicantium: & huc adfertur *Psal.* 99. 5. 1 *Paralip.* 28. 2. Sic *Scriptum* sub nomine *Mortoni* editum, *supra* à nobis *cit. Resp.* ad hanc rationem à fine sumtam, supra respondimus; ut etiam ad loca scripturæ ab eodem *ibid.* allata *Psalm.* 5. *Exod.* 12. *Danielis* 6. XII. *Obj.* Quia

Codex

Codex Euangeliorum, Crux, Templum, breviter omnes res sacræ honorari debent : Ergo. Sic Doctor *Laurence p.25. & D. Vvilh. Lad.pag. 46. Resp.antecedens negatur* ; neque enim crux, templum sunt res sacræ ; nec si essent (ut quidem verbum Dei seu Euangelium & symbola mystica in legitimo usu sacramentorum sunt res sacræ,) peculiari genuflexione honoranda essent, aut ad ea genuflectendum ; denique nec adversarii ad illa genuflectunt. Breviter aniles illæ superstitiones Papisticæ, in *disput.de Idololatria*, à nostris jam sexcenties refutatæ sunt. *Instantia :* Saltem templum est domus Dei cultui divino dedicata, quod in mentem nobis revocare debet magnitudinem & benignitatem divinæ Majestatis ; itaque ut intus in corde, sic externa ac corporea reverentiæ & obedientiæ exhibitione hoc agnoscendum est & quidem in exitu & ingressu dicti templi, aut chori, aut sacelli : idque pium est in se, utile nobis, & ad ædificationem aliorum. *Resp.* Unde aut quale argumentum hinc effici queat, velim edoceri. *Quod est domus Dei cultui divino dedicata, ad ejus ingressum genuflectendum aut humiliter inclinandum : Sed templum aut chorus est tale ; Ergo. Neg. Major, & minor. Ratio* contra majorem est, quia aqua baptismi, & panis eucharisticus sunt cultui divino dedicata ut signa, instrumenta, & media divinitus instituta ; & tamen ad ea non genuflectimus. Idem dico de sacra scriptura, ejusque sacra lectione & prædicatione. Quin etiam fideles sunt domus, & templum Dei peculiariter illi dedicatum, & quidem vivum sanguine Christi redemptum, & spiritu signatum : sed ad hæc templa, cum ea conspicimus, non semper genuflectimus ? *Ratio* contra minorem est, quia chori nulli sunt in N. T. nec ullum necessarium usum habent, nisi in Papatu ; immo nulla sunt templa propriè & formaliter ita dicta. De quo in *Disp. de Templis.* Fiat & alterum argum. : *Quod nobis in mentem revocare &c. ad ingressum ejus est genuflectendum : Sed templum & chorus &c. Ergo. Resp. Neg. major, & minor. Ratio* contra majorem est : Quia lectio & prædicatio euangelii, item symbola mystica sacramentorum, in mentem nobis revocare debent, benignitatem Dei, tanquam signa memorativa ad id divinitus instituta, immo & vocatio Gentium, reformatio & liberatio ecclesiæ ex Papatu, professio fidei, bona quæcunque opera fidelium, præsertim martyria, eleemosynæ, immo ipsi fideles quanti quanti sunt, in memoriam nobis revocare debent bonitatem Dei ; quidni & scholę pietatis ac veritatis, curiæ justitię, panegyres regni aut Reipubl., Reges & principes ecclesiæ nutritii, consiliarii philothei, concionatores fideles &c. in memoriam nobis eandem revocare debent ? Ergo religiosæ genuflexiones, ad illos perpetuo instituendę, quotiescunque sensibus nostris obiiciuntur : *ut rex repræsentatur in suis nobilibus, sic Deus in rege* : aut

D. Lau-

D. Laurence p.24. *Ratio* contra minorem est: Si τὸ *debet*, indicat officium cultus divini à Deo præscriptum: jam nullo modo esset adiaphorum, sed necessario observandum. Non video ergo, quomodo statuerunt *eodem cap.* In praxi aut omissione, hujus ritus debere obtinere regulam Apostoli, ne scil. utentes hoc ritu, condemnent non utentes. Sin verò τὸ *debet* tantundem indicat, ac potest, ita ut generali seu communi quadam ratione artis memorativæ, recordari nos facit benignitatis & majestatis divinæ, jam omnes creaturæ genuflexionem postularent, quippe quæ omnes clament. (juxta vulgatum illud Hugonis de S. Victore) *Accipe, redde, fuge. Accipe beneficium, redde officium* &c. Jam nulli rei melius fidelis impendet hanc reverentiam quam ad conspectum, & recordationem sui ipsius, ubi domesticum illi & ludicissimum speculum bonitatis divinæ in naturalibus, civilibus, spiritualibus. XIII. *Obj.* A comparatione: Si „non tantum debita reverentia exhibetur personis regum: sed etiam eo„rum imaginibus, togis aut sagis, insignibus, sellis, statuis, cameris præ„sentiæ, (quia ut rex repræsentatur in nobilibus, sic Deus in rege): mul„to magis reverentia hæc exhibenda altari &c. *Resp.* 1. *Neg. consequentia* à factis humanis ad jus divinum: à sensu seu opinione miserorum hominum ad sapientiam divinam, à ceremoniis aulicis aut observationibus civilibus, ad cultum religiosum. Ad *minorem* supra quid respondimus: nec est hujus instituti disputare an, ubi, quomodo, & quam rectè ita fiant: quæ ex *Damasceno Orthod. Fid. lib. 4. c. 3. Nazianz. Invectiva in Iulianum, ex Gul. Tyrio de homagio quod Sultani præstare solent Caliphis Ægypti &c.* aut quam feliciter illa citârit: cum constet malè huc applicata.

3. His testimoniis, & rationibus, subjungunt, autoritatem humanam. Sit itaque hæc XIV. *Obj.* Laudabilem & antiquam hanc consuetudinem primitivæ ecclesię usitatam, & quidem purissimis temporibus, dictant *Synodi Episcopor. supra cit. c. 7.* Addit *D. Ladus*, in antiquissimis liturgiis per universam ecclesiam latinam τὸ *venite adoremus* fuisse introitum sacerdotis. Reliqui ut *D. Lavvrence, D. Duncombe, Pocklinghton &c.* eandem vetustatis cantilenam canunt: de quâ arbitror ipsos cogitasse secum: Numeros memini, si verba tenerem. *Resp.* 1. breviter, imitatione Papistarum non concludunt, quod concludendum erat: tenuisse, scil. ursisse, & peregisse Ecclesiam primitivam, illas superstitiones in formâ, quas illi nunc urgent. 2. Et si eadem *in autoribus cit.* legerentur: nullum tamen illi facerent antiquitatis consensum aut catholicismum. Quos enim nominatim testes laudant, Johannem scil. Patriarcham in quintâ synodo Generali, cujus hæc verba: *Adoremus sanctum altare.* Et Odonem Episcopum Parisiensem anno 1206. *summa reverentia & maximus honor altaribus sacris exhibeatur &c.*

(Vide apud *Bochellum lib.4.decret. Eccl.Gallicanæ tit.1.pag.* 558.) Sic D. *Laurence supra cit.* & secunda editio *Institut. de Sacramento* Doctiss. *Mortoni lib.7.c.3.sect.3.* Sed hi nullam faciunt antiquitatem, immo nullam novitatem, ne quidem noviſſimam Papiſticam aut ante aut poſt reformationem. Deinde nihil minus ab his autoribus ſtatuitur quam ſtata illa genuflexio ad altare, de quâ hodie diſceptatur. Prior ipſum altare adorandum dicit: Poſterior ſummum honorem (latriæ ſcil.) illi aut verſus illud exhiberi vult. *maximè quando corpus domini ibi reſervatur & miſſa celebratur:* ſic habent verba ſequentia. Ad *liturgias Chryſoſt. Baſilii* &c. *à Duncono cit.* non eſt quod reſpondeam. xv. *Object.* ab autoritate & praxi equitum aurei velleris, qui ſcilicet ex conſtitutione Henrici V. tenentur ad *reverentiam exhibendam Deo & altari ejus in modum virorum eccleſiaſticorum.* Sic D. *Vilh.Lad.pag.*47.48.49.50.51.52. *Reſp.* Cur non concludis Frequentationem Miſſæ & ſolennium proceſſionum, adhæc adorationem euchariſtiæ, imaginum &c. Hæc enim Illuſtri illi Ordini equitum, & omnium ordinum hominibus in Anglia olim impoſita & obſervata fuiſſe, ipſe non ignorat. Quomodo autem & cur reliquis ceremoniis Papatus abolitis, hæc obſervatio remanſerit; nos ignoramus. Hoc ſaltem ſcimus, quidquid excipiat D.Ladus, non eſſe eam (ut molliſſimè loquamur) ſine periculo & ſpecie mali. 2. Conſtitutio tamen & praxis illa (ut eam refert *ibid. D. Ladus*) nihil habet de oratione ad introitum templi verſus altare, nec etiam reverentiam toties exhibendam altari, quoties quis illud præterit aut eminus conſpicit, aut ad illud accedit. xvi. *Object.* ab autoritate & praxi Cathedralium & collegiatarum Eccleſiarum, quam prætendit *Shelfordus p.*20. Et ab autoritate Liturgiæ Anglicanæ, quam objicit *D. Lad.p.*45.46. *Reſp.* Hæc nihil ad nos: viderint de eo populares ipſorum; à quibus tam multa & tam validè oppoſita ſunt, ut rem magnam præſtituri videantur, ſi aliqua ratione ſe expediverint. Videatur inter alios *Author diſquiſitionis de Altaribus* anno 1636. cui tit. *Quenchoale part.*2.

Atque hæ rationes pro genuflexione. Aliter eas, & cautius inſtruere videtur *D.Dunconus*, ſupponendo 1. A Deo nullum locum, nullam plagam cœli aut templi magis inhabitari; quam aliam. 2. Nec etiam dona Dei huic aut illi loco aſſignata eſſe. 3. Nullam particulam cultus ipſi altari vel tranſitivè vel relativè, vel alio quopiam modo attribui. 4. Sed Deum adorari in templo, ut licitè ad quamcunque plagam, ſic etiam ad orientem verſus altare. 5. Non poſſe autem adorari, niſi quis faciem aliquo vertat. 6. Decorum eſſe ut publicè orantes verſus unam eandemque plagam facies ſuas convertant. 7. Secundum Conſuetudinem aut determinationem eccleſiæ, ſi plaga illa ſit Orientalis, aut locus altaris; verſus illum 4.

locum posse absque superstitione aut scandalo facies converti. 8. Imprimis cum altare habeat sanctitatem & excellentiam præ omnibus aliis in templo. Quamvis dissertatio hæc ab aliorum aliquantulum dissideat; iisdem tamen argumentis analogicè huc applicatis examinari potest: quod ad adorationem scil. publicam totius ecclesiæ versus altare. Nam in reliquis videtur vadimonium deserere. Autoritates adducit ex *Nazianzeno in laudem sororis Gorgoniæ, Sozomeno lib. 2. c. 8. Socrate lib. 1. c. 25. Nysseno in Orat. de sancto Christi baptismate; Chrysostomo homil. 20. in 2. epist. ad Corinthios; Damasceno lib. 4.; Tertulliano de pœnitentia; Decretalibus Pontificum & Episcoporum* (quæ tamen nulla citat); *Actis conciliorum plurimorum Generalium & particularium*, (quæ etiam nulla citat) 1. Exemplum addit equitum aureæ periscelidis (ad quod modo responsum est); Adhæc ritum, liturgias, & sacras formulas hactenus observatas in solenni coronatione regum, in quibus rex sæpe, Episcopus Cantuariensis sæpissimè jubetur Deum coram altari demisse & humillimè adorare. *Resp.* Factum audio ex relatione Dunconi: sed jus divinum non audio. Itaque talia ex Papatu relicta si per inadvertentiam (ita loquar) tanquam ritus sęcularizati & consequenter adiaphori alicubi usurpentur, non magis causę veritatis ac pietatis præjudicare possunt, quam alia compluria quotidianæ incursationis facta & dicta hominum; quibus continuò applicandum illud divini Psaltæ Psalm. 19. *Ab occultis munda me. Dunconus in fine diatribæ* coronidis loco argumentum accersit ex ecclesia triumphante, ubi animæ sub altari positę clamant &c. Sed, ut nihil disquiram quæ quales fuerint animæ illa visione designatæ, obtestor lectorem, ut, si possit, quærat in illo textu *Apocal. 6.* animas genuflectentes, quas textus dicit clamantes; & quidem ad mensam æque atque ad altare, quas textus dicit fuisse sub altari. Legantur etiam interpretes antiqui & recentiores, & quibuscunque fidiculis ex ipsorum aliquo consensu controversa genuflexio ad mensam exprimatur. Atque hic finem impono diatribæ de superstitione. Si quis per omne genus autorum, & vastum hoc superstitionum mare vagari velit, is adeat autores à nobis & hic & in *dispp. seqq. De Ididolatria, deque ejus variis speciebus* adductos.

DE CABALA.

AD superstitionem referri debet Cabala seu ars Cabalistica, prout ea à Judæis & Christianis hac in parte per κακοζηλίαν Judaizantibus ad arcana theologiæ aliarumque scientiarum perveștiganda ac cognoscenda adhiberi solet. Nomen Kabala deducitur à chaldaica radice קבל, unde in conjugatione dagessata *kabbel* accipere, suscipere, recipere; Hinc verbale *kabbala*, id est, doctrina à majoribus tradita & accepta. Sunt autem vocis

hujus

hujus quatuor apud Rabbinos & Thalmudicos significationes, 1. *latissima*, pro omni doctrina, traditione, μαθήσει discentia scientiæ quæ respectu docentis dicitur תורה, id est, institutio, constitutio, traditio græc. παράδοσις; respectu discentis לקח (*Proverb.4.v.2. Iesa.29.v.24.*) id est. acceptio; *Kimchi in lexico* exponit מדע *maddangh*, id est, scientiam, & targum אולפנא, id est, doctrinam. 2. *Lata*, pro qualibet doctrinâ divinitus tradita sive voce sive scripto: sic etiam scripta prophetarum & hagiographa à scriptis Mosis distincta Thalmudistis dicuntur *kabbala*: quod scil. prophetæ acceperint unamquamque prophetiam pro ratione temporis, personarum, rerum; uti ratio hæc redditur in *Halichot Olam cap.2.* 3. *Stricta*, pro doctrina sacra divinitus tradita non quidem scripto, sed viva voce ac per manus Doctorum: quæ vulgò διυπερώσεως nomine insignitur; & complectitur universam sapientiam Thalmudicam & Cabalisticam, jam inde à Mose usq; tempora Antonini per manus traditam. Sic accipit autor *Halichot Olam c.1.* ubi peritos traditionum vocat בעלי השמועה והקבלה, id est, acroamatum & traditionum peritissimos. 4. *Strictissima*, pro doctrinâ divinitus per manus tradita, sed mysticè & ænigmaticè proposita, & per sapientes eruenda. Sic accepta describitur *kabbala*, seu ars cabalistica, quod sit *ratio ac methodus, tum historica tum dogmatica mysticè & ænigmaticè proposita, ex literis vocum sive simplicium sive compositarum supra ac præter sensum literalem, investigandi atque explicandi.* Substernitur ergo & præsupponitur toti huic cabalisticæ artis systemati pseudo-theologia apud Judæos & Pontificios recepta, de duplici scripturæ sensu, literali & mystico: quorum illum Rabbini דרש *deraſch*, istum פשט *paſchat* appellare solent. Sed distinctionem hanc rejicimus & pro unico sensu stamus in *problematis de scripturâ*: ubi præstantiores aliquot ex nostris scriptoribus indicantur, qui fusè & ex professo hanc causam tractant. Quod ad allegorias, hieroglyphica, ænigmata, emblemata, aliaque symbolicæ doctrinæ genera (de quibus fusè *Maximil. Sandæus in libris de theologia symbolica*), ea usum suum habent, sed non ultra similium aut dissimilium comparationem, ac consequenter rerum & vocum illustrationem atque explicationem ad intellectus aut memoriæ adminiculum: nullo autem modo ad realem probationem, nisi Spiritus Sanct. aut alia aliqua, præter similitudinem, solida ratio id dictaverit. Comparatio autem & collatio institui potest vel in vocibus, earumque literis & syllabis, vel in rebus per voces significatis. Ad priorem referri debet Cabalistica. Affectiones vocum, inter quas similitudo notatur, sunt variæ à logicis, rhetoribus, & grammaticis vulgò notatæ. Nullæ earum à Cabalistis propriè spectantur, sed tantum literæ & syllabæ: hinc mysticæ eorum interpretationes non malè à *Sixto Senensi*

lib.3.biblioth.pag.171, edit. in 4. vocantur *elementares*, quæ scil. circa significationem simplicium elementorum sive literarum versantur. Cum autem litera apud Græcos, Hebræos, alioſque Orientales (de Belgis idem assertum memini à *primis grammaticæ Belgicæ apud Amstelodamenses editoribus*) duplex signum præstet syllabationis scil. & numerationis; hinc est quod primò & rectè Cabala omnis dividatur in eam quæ syllabarum & vocum ex literis articulationem attendit; & in eam quæ numerum literis tanquam notis numeralibus significatum. 1. *Prior* est, quæ, vel *ex resolutione literarum alicujus dictionis*, vel *ex nova diversaque earundem connexione multiplices sensus tam historicos quam mysticos* (allegoricos scil., tropologicos, anagogicos) *ex scripturis deducit*. Species ejus sunt, Notarikon, Temura, Atbasch. 1. *Notarikon* est Kabala, quæ singulis vocis literis totidem voces ab illa litera incipientes significari vult. ex. gr. 1 *Reg.2.v.8.* vocis נמרצת *R: David Kimchi in commentar.ibid.* observat esse נרש, id est, mysticam seu cabalisticam interpretationem, Notarikon scil. Voces singulis literis significatas ex Judæorum magistris, has exponit *Hieronymus in quæst.hebr.ad* 1. (al. 3.) *Reg.2.v.8.* ut נ notet נאף, id est adulter: מ מואב, id est, Moabita: ר רוצח, id est, homicida. צ צורע, id est, leprosus: ת תועבה, id est, abominatio. Similibus ingenii lusibus, seu potius (ut liberè dicam) nugationibus, ex antiquis subinde se exercuerunt. Ex. gr. autor sub nomine *Cypriani in tract. de Sina & Sion §.4.* & *Augustinus tract.9.in Iohannem*, & ex eo *Bedain commentar. in Iohannem*; qui ex nomine Ἀδαμ græcè scripto, eruunt quatuor plagas mundi, ἀνατολὴ δυσμὴ, ἄρκτος, μεσημβρία. Similiter circa idem nomen ἀδελφοκτεί, quisquis est, qui dicta *Sibyllina carmina* procudit, *lib.2.sub finem p.217.* edit. Paris. anno 1607. in 8. Fuit autem hæc Kabalę ænigmaticæ species antiquis Græcis nota: Uti constat ex *vita Æsopi*, qui literas A B T O E Θ X columnæ inscriptas interpretabatur Ἀποβας Βήματα Τέσσερα Ορύξας Ευρήσεις Θησαυρον &c. Ad hanc speciem referri potest cum quælibet syllaba vocis aut enuntiationis integram dictionem significat; Ut etiam cum voces simplices integram enuntiationem per abbreviationem præstant, subintellectis scil. reliquis, quæ ad sententiam complendam pertinent. Illustre ejus exemplum est oratio elliptica & contracta Daniel.5.v.25. *mene, mene, tekel, upharsin* verè mystica, quippe divinæ infallibilis significationis & interpretationis. Possent & alii modi τῆς *Notarikon* constitui, ex quibus quidam Rabbinis usitati sunt: cum scil. distinctarum dictionum literæ initiales, mediæ, finales combinantur, ad commodum aliquem sensum ex iis in unum combinatis eliciendum; aut cum dictiones in aliquo textu propositæ quæruntur in aliis textibus, & ad significationem vocum earum, cum

quibus

quibus constructæ sunt attenditur; ad eandem significationem vocibus dicti textus adaptandam, Longè autem differunt à primo cabalisticæ hujus περιεργίας & ἀδολεχίας genere acrostichides, aliique verificatorum innocentes lusus, vulgaribus libellis poëticis descripti: nec non scriptionum variæ abbreviaturæ, in quavis lingua frequentatæ, præsertim celebres illæ notæ antiquis amanuensibus apud Romanos usitatæ, qui inde dicti sunt Notarii, & quos Ausonius hoc versu innuit: *Puer notarum præpetum.* De his aliisque occultæ aut abbreviatæ scripturæ notis, aliisque cryptographiæ speciebus quamplurima ex antiquis & recentioribus collegit *Hermannus Hugo tract. de prima scribendi origine cap.* 19.-28. Abbreviaturas Masoretarum, & Rabbinorum, hoc est, voces ac sententias literis significatas, quas רשי תיבות *rasche tebot* appellant, collegit & explicuit *Ioh. Buxdorfius pater in Tiberiade seu clave Masoreticâ*, & in *libello de abbreviaturis.* Hic observandum innoxiam hanc abbreviatam scribendi artem nomine *notarikon* & *ketaf notarikon* appellari *tract. Thalmudico*, *Schabat fol.* 105. & in *Schemot rabba pag.*8. & in *Ialkut prophet. fol.*36. *col.* 3. 2. *Temura est* kabbala quæ ex vocis aut vocum transpositis literis alias voces format, atque inde mysticos atque occultè significatos sensus elicit. Transpositione cum eâ conveniunt, sed fine & formâ differunt vulgo dicti *anagrammatismi*, Latinè aut vernaculè versus scribentibus non infrequentes: de quibus, ut & de affinibus *logogriphis*, *eteosticis*, *acrostichidibus*, *palindromis &c. Poëtica Giessena lib.*2. *cap.*5. Constituuntur duę species *Temoura*: *Vna* fit per literarum transpositionem, ex. gr. הבראם, id est, *in eorum creari*, transpositis literis refert אברהם: hinc Cabalistæ concludunt mundum propter merita & pietatem Abrahami esse creatum. Sic כרוב *Cherubim* transpositis literis conficit ברוך, id est, benedictus: unde concludunt Deum benedictum per benedictos illos Cherubim (angelos scil.) omnis generis benedictiones in omnes inferiores mundos dirivare. Altera fit per literarum alphabeti mutationem, ut ex. gr. א cum omnibus literis alphabeti permutetur & hæc vicissim cum illa, & sic deinceps. Et has permutationum species vocant *Ziruphin*, id est συζυγίας seu conjugationes; quas quidem numerant 242. sed insuper centenæ aliæ, immo & millenæ formari possent. Conveniunt cum hâc speciè (quod ad materiam scil.) omnes illæ cryptographię; de quibus *Trithemius in Steganographia*, *Ioh. Baptista Porta*, *Hermannus Hugo*, & post eos plenissimè *Gustavus Selenus novem libris cryptomenutices & cryptographiæ.* Huic speciei *Temoura* non malè subordinatur tanquam species specialissima, *Atbasch*: de quo mox dicendum. Ad eandem refer cognatam mutationem syllabarum, & dictionum, si quidem fines Kabbalæ extendere velimus: quæ quot modis ratione ordinis,

 pote-

Potestatis, figuræ fieri possit, ostensum est à *Seleno tract. cit. lib. 7.* 3. *Atbasch*, est kabbala, quæ tradit mutationem alphabeti hebraici & inde sensus mysticos eruit. Si *Tau* scriptum sit, sumitur pro *Aleph*, &c. *Schin* pro *Beth*, & sic deinceps. Secundum hanc artem מצפץ *matzphatz* idem est quod יהוה *Iehova*; & *Ierem.* 25. *v.* 26. & 51. *v.* 41. ששך *Schesach* idem est quod בבל *Babel*, siquidem *Ionathani paraphrastæ*, & *R. Sel.* cum *R. David Kimchi commentariis* credendum sit. Sed ex analogiâ contextus, & ex eventu atque historia, ut etiam nomine idoli Babyloniis culti (cujus festum celebrabant, cum urbs caperetur) rectè id colligunt *commentatores antiqui* & *recentiores*: ita ut non opus sit recurrere ad artem Cabalisticam. Hic tamen eam amplectitur *Hieronymus*, & ex recentioribus *Corn. à Lapide*: qui ægrè fert quod à *Scaligero lib. 6. de emendat.* (*p.* 578. ubi vult Selach *Ierem.* 51. esse nomen Deæ), ineptissimum Rabbinorum commentum appellet. 11. *Altera* kabbala Rabbinis dicta *Gematria*, est quando ex unius dictionis characteribus per æquipollentiam supputationis arithmeticæ eundem numerum cum characteribus alterius vocis facientibus, mysticus sensus eruitur. Ejus autem duo modi constitui possunt, vel cum simplices characteres vocis alicujus simpliciter ut scripti sunt notas numerorum præstant: vel cum singuli characteres in plenitudine suâ scripti, numerum conficiunt, sic יתרו (Jethro) facit numerum 968. enim plenè scriptum יוד *Iod*, facit 20. ת plenè תיו 416. ר plene ריש 510. ו plene ויו 22. Prioris & simplicis gematriæ exempla exhibent blasphemiæ recentium Judæorum à nobis notatæ in *part. 2. selectar. disput.* in *disp. de Iudaismo. Oracula Sibyllina* (quæ vulgò dicuntur) *lib.* 1. ferè sub finem in nomine ιησους, cujus literæ faciunt numerum 888. mirabilem kabalam arithmanticam parturiunt: sed neque versus ratio constat neque sententia; ut animadvertit, *Obsopœus in notis*; ubi aliorum complurium conjecturæ videri possunt. Atque hæ præcipuæ species Kabbalæ. Meminit *Buxdorfius in abbreviaturis* kabalæ *Albam*. Sed hæc est species *notarikon*. Est & alia kabbalę divisio ex materia seu objecto, in theoreticam & practicam Rabbinis עיונית ijounit & מעשית *maasit*. Et rursum in philosophicam seu physicam, & theologicam: illam vocant Rabbini de בראשית *Bereschit*, quæ cœlorum virtutes & sublunarium causas scrutatur. Istam vocant מרכבה *mercava*, quæ est symbolica mysticave theologia & rerum divinarum contemplatio. Restat nunc quærendum de Kabbala. An & quem in Theologiâ aliisque scientiis usum habeat, an vero tota ipsius ratio & praxis sit vana, inepta, ac superstitiosa. *Rabbini* statuunt per eam mysticos sensus serui, præter & supra sensum scripturę simplicem seu literalem, & passim hoc in *commentariis ad scripturam* imprimis illis, quæ *deraschim* dicuntur, ostendere conantur. *Thalmudicis in*

dici in tract. Rosch Hasschana fol. 19. *dicunt verba Cabalæ æquiparari verbis legis.* Nec mirum, quia à Deo Mosi traditam credunt, atque ei absolutè ut verbo Dei standum. Ex recentissimis scriptoribus Judæorum *R. Menasse ben Israel in suo conciliatore qu.* 50. *in Exodum* ex professo divinam Cabalæ autoritatem apud suos non tantum astruit, sed & Cabalistas longe supra Doctores scripturarios (qui imis in subselliis stant), & Doctores Misnicos seu Thalmudicos evehit, comparando Misnicos apothecariis, qui po-„tiones & medicamenta sua ex variis simplicibus parantes, cum vires eo-„rum ipsi ignorent, tantum præscriptum medicorum sequuntur. At ca-„balæ studiosi sunt instar Doctorum, qui causas & rationes eorum, quæ æ-„gris præscribuntur, intelligunt. *Ibidem* paulo ante ex divino *R. Simeon ben Iohai in sacro libro zohar* affirmat, textum seu historiam legis esse corpus, cujus anima sit Mischna, quam solam sapientes altissimi regis servi considerant. Eorum vestigiis insistunt aliqui ex Christianis, quamvis non omnes æquis passibus: ut *Hieronymus loco cit. & in epist. ad Paulum Vrbicam & in præfat. commentar. in Threnos*; ubi ostendit quæ mysteria singulis literarum hebraicarum complicationibus contineantur. *Picus Mirandulæ* princeps *in* suo *Heptaplo*, & in *apologia quæst.* 5. *Reuchlinus* passim in *tribus libris de Cabbala* & in *tract. de verbo mirifico lib.* 2. *cap.* 9. *Archangelus de Burgo novo Minorita, in interpretatione dogmatum Cabalistorum à Pico Mirandulano excerptorum*; *Paulus Ricius* ex Judæo conversus Christianus in *tract. de cœlest. agricultura lib.* 3. & 4. ubi ex professo apologiam Cabalæ instituit, cum subjecta approbatione facultatum theologicar. in Acad. Bononiensi, Patavinâ, Ferrariensi, Parisiensi; *Pistorius in præfat. ad scriptores Kabalisticos* Basileæ editos. *Franciscus Georgius Venetus in libris problematum*, quem impugnatum à Marino Mersenno defendit *Gaffarellus in tract. de abditis divinæ Kabalæ mysteriis.* Nec improbat *Sixtus lib.* 2. & 3. *bibliothec.* Quin ipsi *Papæ Alexander VI. & Leo X.*, quorum ille causam *Pici Mirandulæ*, iste *Ioh. Reuchlini* approbavit. Et de his quidem certum est. *Gaffarellus libro modo cit. p.* 11. huc trahit in suam defensionem præter modo adductos, *Nazianzenum*, & ex Pontificiis *Galatinum, Medinam, Rhodiginum, Iustinianum Nebiensem* episcopum, *Cælium Rhodiginum, Paulum de Middelburgo, Antonium Margaritam, Porchetum, Antonium de Guevara, Goropium Becanum*; & ex nostris *Fagium, Bibliandrum, Gesnerum, Neandrum.* Sed de nostris, ut viri sunt, non accipio, quod affirmat; quia, aut historicè locuti sunt de ratione & autoritate Kabalæ apud Judæos, aut ad hominem adhibita hâc machina Judæos convincere voluerunt. *Postellus ibidem* adductus, quam fanaticus aut quam stolidus fuerit, indicavi in *prima parte dissp. tit. de Atheismo.* Si quis scire aveat, quinam autores de modis Rabbinicis interpretan-

pretandi scripturam scripserint, ei indicamus *Halichot olam à Const. L'Empereur* Hebr. Lat. editum, & *R. Ismaelis* 13. modos exponendi pentateuchum editos *à Philip. de Aquino* converso Judæo Parisiis *eum commentariolo* anno 1629. De Kabbalistica arte, inter aut præter autores jam citatos φιλομαθεῖς, qui gustum hic desiderant & compendio student, consulent *R. Menasse ben Israel in conciliatore qu.* 50. *in Exodum*: quibus addant, quibus vacat, & copia librorum est, *Buxdorfii abbreviaturas, Rittangelium in notis ad Iezira, Sixtum in biblioth. lib.* 2. *&* 3. *Serrarium in Iosuæ* 10. *quæst.* 2. *Alstedium Systematis mnemonici lib.* 4. *cap.* 31. *Thomaso Gerson in tractat.* Italico tit. *Piazza universale &c. discorso* 20.; qui pluribus de eâdem agit & varios autores tam Rabbinos quam Christianos indicat, & *p.* 118. *in annotat. ad illum discursum, Thomam Erastum contra Paracelsistas, Petrum Garsiam* Episcopum *in conclus. unica contra Picum Mirandulam, Cœlium Calcagninum in epist. ad Thomam Calcagnin.* Accedant *Sr. des Accords* in libr. gall. tit. *Bigarrures lib.* 4 *p.* 42. *Buxdorfius Synagogæ cap.* 1. *Henr. Corn. Agrippa de vanitate scientiarum cap.* 47. *Idem lib.* 2. *de occulta philosophia*, ubi prolixè de Kabala numerali *cap.* 2.-22. Scriptores Cabalistici inter Judæos, qui ex professo huic pseudo-sapientiæ incumbunt, à *Buxdorfio in biblioth. Rabbin.* passim indicantur, inter quos excellit, *liber* dictus *Raziel*, qui ad mysteria magica more & modo Kabalistis non infrequente descendit. Convenit cum Judæorum Kabala aut admodum symbolizat hæresis Gnosticorum, Valentinianorum; abusus hieroglyphicæ; etiam philosophiæ Pythagoricæ & Platonicæ de numeris; Lullisticæ etiam, & dictæ Hermeticæ, seu Paracelsicæ; omnisque pseudo sapientia, quæ in nominibus, literis, numeris &c. mysteria quærit. Hieroglyphica Ægyptiorum quæ fuerit, & quis usus, ostendit *Piertus in* vasto *suo volumine de hac sapientia*, & *Mercerus in præfat. & notis ad Horapollinis hieroglyphica* gr. lat. à se edita, & *Conr. Rittershusius lib.* 1. *lect. sacr. c.* 5. *& Athan. Kircherus in suo Copto prodomo p.* 272. *& c. p.* 736. Kabalisticam dictorum Hermeticorum & Paracelsi post *Erastum modo cit.* perstringit *Sennertus in tract. contra Paracelsistar. cap.* 13. De Lullistica philosophandi methodo satis superque monuit *Keckermanin præcogn. logicis*; de Valentinianorum, Ophitarum, Gnosticorum Cabalistica, *scriptores hæresium Epiphanius, Augustinus &c.* De numerorum & nominum mysteriis frustra quæsitis, *supra part.* 2, satis superque actum, & autores indicati, etiam ex Pontificiis, inter quos *Hermannus Hugo loco cit. Delrio lib.* 1. *disquis. cap.* 4. *qu.* 3. ubi suis nimium Cabalizantibus aut Platonizantibus illic notatis non parcit. Sed tamen multorum nominibus parcit. Addere debuisset *Abbatem Trithemium, Arch. de Burgo novo*, aliosque Cabalę faventes supra à me indicatos. Addimus nos insuper *Borgum*

de

de mysteriis numerorum, Serrarium in Iosua 3. quæst. Corn. à Lapide in comment. ad Deuter. 5. v. 12. Levitic. 25. p. 747. Christoph. Besoldum part. 2. axiomatum philosophico-theologicorum pag. 320. Ubi sensus mysticos per kabalam erui posse statuit. De rationibus, quibus vanitas kabalæ evincatur, non est quod multum laboremus, quia jam ante ostensum est, à literis ad nomina, à nominibus ad res, à nominum aliquâ convenientiâ ad rerum convenientiam, à reali rerum similitudine ad earum identitatem, nullam solidam deduci consequentiam. Præterea numerorum, vocum, figurarum & characterum nullam esse efficaciam. Adde nunc, quidlibet ex quolibet, & de quolibet per hanc artem inertem deduci ac probari posse; idque vel per *notarikon*, ejusque varios modos (in quibus *Atbasch* & *Albam*); vel per *temoura* seu anagrammatismum; vel per *gematriam*: quod otio abundantes in centenis vocibus experiri poterunt, & Judæis ingerere. Christiani Kabalizantes ex nomine Jesu aut Nazareni, aut filii Marię &c. contra Judæos quid probaturi facile retundentur eadem arte; cum ex nomine ישו per notarikon educant ימח שמו וזכרו, id est, *deleatur nomen & memoria ejus*. Et ex eodem nomine וישו cujus literæ faciunt 316. (Jod enim notat. 10. Schin 300. Vau 6) per gematriam educant אלהי נכר id est, Dii alieni; ubi idem numerus 316.: Aleph enim notat. 1. Lamed 30. He 5. Jod. 10. Nun. 50. Caph. 20. Resch 200. Aliam gematriam ex nomine ישו ומריס *à R. Iuda de Modena* frabricatam indicavimus *in disp. de Iudaismo part.* 2. §. 14. relinquitur ergo nullum studium Cabalæ impendendum, nisi historicum, quomodo Muhammedicas, Ethnicas, Judaicas, hæreticas fabulas nosse studemus: Nullumque ejus usum esse, in asserendâ fide Christianâ (quidquid hic hyperbolizent *Picus Mirandula, Reuchlinus*, & similes), quam in probationibus aut exceptionibus ad hominem (uti vocant); quâ ratione antiqui patres fidem nostram ex mythologiis & corruptissima doctrina Gentilium contra eosdem defenderunt. Nec quidquam pro hâc arte facit, quod *Psalm.* 119. versus octoni inchoentur à singulis literis alphabeti, hoc enim artificium purè mnemonicum est, non mysticum. Ut nec exempla ex *Daniel.* 5. *Mene mene* & *Apocalyps.* 13. *v.* 18. de numero Antichristi: quod enim spiritus S. alicubi mysterium abscondit & revelat, pro arbitrio hoc omnibus imitandum non est, quia omnes clavem ab illo non acceperunt, ut claudere aut aperire possint pro arbitrio. Cogitent ergo hic ipsis applicandum illud Luc. 9. *Nescitis, cujus spiritus sitis.*

DE IDOLOLATRIA INDIRECTA ET PARTICIPATA.

PARS PRIMA, 21. *Maji* 1642.

1. IDololatria in genere, quid sit accuratè explicatur & contra exceptiones defenditur à *nostris*, *in locis communibus*, *thesibus Academicis*, *commentariis ad decalogum*, *elenchis Papismi*, nominatim à *Raynoldo tract. de Idololatriâ ecclesiæ Romanæ*, *Molinæo in novitate Papatus*, *Amesio in Bellarmino enervato*. Quibus jungendi, qui in specie oppugnat invocationem sanctorum, aut angelorum, Mariolatriam, aut artolatriam, aut staurolatriam, aut iconolatriam; qui suis locis indicantur. Catechesis nostra qu. 95. definit: *Cum loco veri Dei aut &c.* Cum quâ descriptione libet nunc conferre definitionem Gersonis part. 2. in regulis moralibus: *Idololatria*; inquit, *est exhibitio honoris verè vel interpretativè alicui creaturæ, aliter quam sibi potest competere.* Ex quâ generali definitione optimè deducitur distinctio Idololatriæ in *propriam*, & *analogicam*, quam habet *Gerson ibid.* Prior etiam posset dici *aperta*, *directa*, *explicita*, *crassa*: posterior *tecta*, *palliata*, *implicita*, *indirecta*, *interpretativa*, *subtilis*. Distinctionis hujus veritatem ac necessitatem analogicè intelliget quis & probatam videbit, ex collatione distinctionis Usuræ in apertam & palliatam; & Pacti magici in apertum & occultum seu implicitum; itidem Magiæ in directam & interpretativam; denique Atheismi in directum & indirectum. Quales distinctiones formant aut admittunt passim *Casuistæ Pontificii*. Nos de iisdem quid notamus in *disp. de Magiâ*, *Usura*, *Atheismo*. De priore specie Idololatriæ tum in generali tum in particulari & applicatè ad Ecclesiam Romanam abundè & accuratè ab *autoribus* modo *indicatis*, & compendiosè in *disputationibus Academicis*, quæ passim eduntur, agi solet: nobis ergo posterior solummodo nunc explicanda erit.

2. Quod ad laxam aut catachresticam vocis acceptionem, *idololatria* quædam dicitur *Magica* (de quâ *Ioh. Filesacus* theologus Parisiensis *tractatulum* conscripsit); alia *politica*, de quâ Idem *Filesacus*: alia *Hugonotica*, de quâ sycophanticè Jesuita *Richeomus tract.* gallico tit. *Pantheon*. Nos strictè & propriè accepta voce idololatriæ, eam distribuimus in propriam, & participatam. Illam rursum in directam, & indirectam. Indirecta seu analo-

nalogica idololatria est vel magis practica, vel magis speculativa. *Illa* est, quæ non tam intentione & consilio, quam facto & eventu talis est: Estque gemina: una, cum quis quid agit extra cultum Dei, absque ulla intentione cultus; quo ipso tamen idololatria evadit. Ut ex. gr. avari. *Ephes.*5 *Coloss.*3. Voluptarii *Philipp.*3. & quicunque timorem, fiduciam, honorem, amorem, studium &c. sibi aut ulli creaturæ, aut bono creato impendunt, quem debebant uni Deo impendere. Altera, est, cum quis in ipso cultu seu circa cultum sive verum sive falsum & idololatricum communi modo & ratione quid agit, observat, aut admittit, absque ulla opinione, aut intentione, aut conscientia cultus. Quod fit cum ignorat aut non advertit, idem illud aut simile quid, alioquin in se adiaphorum, agi aut observari aut istic, aut alibi communiter ab idololatria ad cultum idolorum, & sic pollui idololatria. Sic ex.gr. quæri posset de facto peregrini, qui videns alios orare ad fontem aliquem aut juxta arborem casu illac iter faciens oraret, ubi Gentiles idololatriam suam peragere, aut orare solent. Similiter quæri posset de facto ejus, qui in templo precaturus plerumque verteret se ad orientem: non tamen attendens ibi esse aut fuisse chorum, quo Pontificii, ex conscientia idoli sui missatici, quamvis nunc ex illo templo cum toto idolorum apparatu expurgatum sit, etiam hoc tempore, certa quadam intentione inter orandum se convertere solent. An autem & quando ignorantia sit vincibilis nec ne, & consequenter quando quis idololatriæ indirectæ hoc in casu implicetur aut non implicetur infra *part.*2.§.3.& 6. disquiretur. Huc etiam referenda esset quæstio de facto militum illorum, qui dolosè à Juliano apostata circumventi thus in ignem imponebant. Vide *Theodoritum lib.*3.*c.*15.& 16. & *Sozomenum lib.*5.*c.*16. Putabant enim illi se ritum quendam merè civilem, seu observationem politicam peragere; cum tamen ignari & imprudentes immiscerent se sacrificiis Gentilium. *Magis speculativa* est quæ non tantum effectu, sed etiam intentione & consilio talis est. Committitur illa cum quis in cultu divino symbolizat cum idololatris seu cultu idololatrico, utendo scilicet idolothytis eorum, hoc est rebus quæ idolo consecratæ sunt, aut quoquomodo ad illud pertinent. Et hæc rursum duplex est: una externa, altera etiam interna & mentalis. Externa est, cum quis ex metu, aut avaritia, aut curiositate & rerum novarum studio, aut ut hominibus placeat, non verò ex putatitia devotione, aut erronea opinione atque intentione cultus se conformat idololatris: quomodo milites quidam apud *Sozomen.* & *Theodor. locis cit.* & hodierni Libertini, ac Pseudo-Nicodemitæ (contra quos vide *tract. in opusculis Calvini*,) aut curiosi idolorum, & idoleiorum spectatores; quales ex nostris per Hispaniam, Italiam,

liam, Flandriam, Arteſiam &c. peregrinantes non pauci, aut potius plerique. De quà *tractatus* peculiaris vernaculo ſermone editus, idemque poſtea defenſus contra Johannem Davidem Theologum Jeſuitam à *Guilielmo Teelingio*. Poſt primam & ſecundam hujus diſp. editionem, prodiit ann. 1650. *concio* latina *Iodoci Lareni* miniſtri apprimè eruditi & veterani Fliſſingani de eodem argumento. Interna & *mentalis* eſt ſymbolizatio cum idololatria, ex putatitia devotione, aut prudentia, & caritate; hoc eſt, quæ fit cum & ex erronea intentione medii ſeu ſigni myſtici & ſacri, aut ſaltem decori adiaphori, aut debitè tolerandi in cultu divino, aut circa eum. Illam poſſumus vocare invitam; hanc ſpontaneam: quæ paulo preſſius nobis explicanda.

3. In explicatione εἰδωλοφρικείας, hoc eſt ſpontaneæ indirectæ ſeu interpretativæ idololatriæ conſideranda eſt diſtinctio idoli, & uſus idolorum, ac exurgentis inde idololatriæ 1. *Idolum* dicitur tale vel eſſentialiter, vel participative & cauſaliter. Illud eſt ex. gr. Jupiter, aut Milcom, aut Chamoſch, aut Beelzebub, aut quicunque deaſter ſeu dæmon Gentilium. Iſtud eſt ex. gr. Excelſa 2. *Paralip.* 15. & dicitur ſynechdochice peculiari nomine *idolothyton* (ex 1 *Corinth.* 8.): eſt enim omne id quod idolo conſeceratum eſt, aut ad illud peculariter refertur, tanquam ſignum ejus myſticum, aut medium & inſtrumentum, aut adjunctum peculiare. 2. *Rurſum* idolum, quo quis utitur ad idololatriam ſic dicitur vel materialiter, vel formaliter. *Illud* eſt res aliqua idololatria polluta per abuſum idololatrarum, quæ tamen mutari aut corrigi poteſt ad meliorem aut bonum aliquem uſum. Eſtque quatuor generum. *Primi* generis eſt res idololatrarum non idololatrica, cujus per aquam aut ignem purgatę uſus erat licitus, ſecundum legem Moſaicam *Numer.* 31. 23. quomodo veſtis leproſi non leproſa &c. *Levit.* 14. 8. *Secundi* generis eſt res idololatrarum idololatrica; ut puteus ſeu fons pſeudoſacer, unde aqua hauritur ad miniſterium idoli; ſol in cœlo, aut ignis in terra, quem adorarunt Gentiles: quorum uſus tamen nobis non intervertitur. Alia tamen ratio eſt imaginis ſolis (ſive coloſſus fuerit, ſive ignis Perſarum, ſive humana effigies) aut currus, aut equorum ſolis, de quibus 2 *Reg.* 23. 11. *Tertii* generis, eſt res idololatrarum idololatrica, quæ habuit in cultu idololatrico ſtatum; ſed quia *procurat meras utilitates, certa ſubſidia, honeſta ſolatia neceſſitatibus vitæ humanæ* (ut loquitur Tertullianus de Idololatria cap. 8.), poteſt nobis uſus eſſe ejuſdem rei, licet non idem: quod fit cum à ſtatu illo peculiari & ſigillo religionis idololatricæ liberatur, & redit ad ſtatum uſumque communem in quo & ad quem à Deo naturæ autore & conſervatore data eſt. Sic carnes quæ in macello venduntur, emi poſſunt & comedi, licet antea fuiſſent idolis conſecratæ:

ſecratæ: jam enim non comeduntur ſub ſigillo idoli & in ſtatu idololatrico, ſed extra illum, quippe ad communem ſtatum reverſæ per civilem venditionem in macello. Vide 1 *Cor.*10.25.26.27. Sic *Tertullianus loco cit.* ait linteum propriam Oſiridis veſtem fuiſſe, quâ tamen Chriſtus circumſtrinctus fuit; & unicujuſque ſuppellectilis, aut vaſculi ex Diis ſæculi autorem nominari, Chriſtum tamen in lectulo recubuiſſe &c. Sed lector videat elegantem autoris locum. *Quarti* generis eſt res ſacra ab ipſo Deo ad cultum data atque inſtituta partim ut medium ſimul & ſignum, verbum ſcilicet Dei, & ſacramenta: partim, ut medium ſeu adminiculum tantum, ut miniſterium ſacrum, ſeu gradus miniſtrorum, eccleſia inſtituta, ſacrique ejus conventus. Quæ ut ut idololatria contaminata (ex. gr. cum verbo ad exorciſmos & miraculorum patrationes, ſacramento ad artolatriam abutuntur) retineri tamen debent, & revocari ad Dei inſtituta. *Idolum formale eſt*, quod ex ſe aut in ſe nullum alium habet neceſſarium uſum ſive in vita animali, ſive civili, ſive in cultu Dei: ut ex.gr.templa argentea Dianæ *Actor.*19. imagines idolorum, puta Jovis pluvii, Neptuni cum tridente, Panis, Priapi &c. III. Diſtinguitur idolothyton ratione ſubjecti ſeu materialis ſui in varia genera. *Primi* generis ſunt res quædam, quibus tanquam peculiaribus & appropriatis utenſilibus & inſtrumentis in cultu ſuo utuntur idololatræ; ut ex.gr.arbores frondoſæ, luci, equi ſolis, altare ad exemplar Damaſceni factum à rege Achas 2 *Reg.* 16.10.11.& imagines, columnæ &c. *Levitic.*26.1. *Deuter.*7.1.2.& hodie altaria, cruces &c. *Secundi* generis ſunt habitus, & cultus corporis; ut *Levit.* 21.5.& 1 *Corinth.*11.*v.*4.5.13. & linteum, propria veſtis Oſiridis (de quo *Tertull.loc.cit.*)& corollæ, de quibus *Idem De corona militis.* *Tertii* generis ſunt, Actiones, ritus, geſtus, ut choreæ, comediæ, epulæ, benedictiones, ſeu conſecrationes, & res conſecratæ, ſacrificia; Vide 1 *Corinth.*10.4. Et luſtratio infantis modo nati apud *Perſium ſat.*2.& ſcriptio tabellarum, de quibus *Chryſoſt.ad Galat.*4.citatus *ibidem ad Perſium à Caſauboni in commentaria.* *Quarti* generis ſunt loca; ut ex.gr.excelſa; & templa omnia (excepto uno) in V.& N. T. Confer *diſp.de Templis.* *Quinti* generis ſunt, tempora & feſta: de quibus in *diſp.de Feſtis.* *Sexti* generis ſunt nomina, & appellationes, de quibus *Hoſ.*2.16.17.*Pſalm.*16.4.*Zachar.*13.2. Huc referri poſſunt reliquiæ aut veſtigia κακοηθείας, inclamandi idola, per ea jurandi, aut per genium Imperatoris, ad hæc in honorem eorum bibendi &c. Exempla ejus ſtatuunt nonnulli *Geneſ.*42.15.& 44.5. Sed aliter poſſunt hæc exponi. Nos nonnulla indicavimus in *diſp.de Abuſu Sortis*, & *de Gentiliſmo.* Quibus adde recentiorum quorundam appellationem genii ſui, & genii loci ſeu patriæ, de cujus fide & religione apud Gentiles vide

quæ collegit *Meursius ad Lycophronis Cassandram pag.* 531. Confer *disp. nostras de Gentilismo, & de Superstitione.* IV. Usus idoli, seu idolothyti distingui potest in formalem, materialem, & mixtum. *Formalis* erat, ex. gr. Corinthiorum Gentilium: *Materialis* eorum, qui fortes erant in fide, & absque conscientia idoli tantum cum Gentilibus epulabantur in idoleio: *Mixtus* erat infirmiorum & rudiorum, qui vix initiati Christianis sacris, cum aliqua conscientia idoli vescebantur idolothytis *1 Cor.* 8. 6. Formalis usus idolothyti nunquam est licitus; nec etiam mixtus. Materialis licitus est tantum sub istis conditionibus. Si sit idolothyton, à quo separari potest, & actu separatur sigillum idoli, & pollutio idololatrica; de quo supra. 2. Si sit tali tempore & loco, ubi & quando in cultu divino ab idololatris non adhibetur; ne videamur cum illis symbolizare: nam hoc pacto & illi in sua superstitione confirmarentur, & de nostra approbatione gloriarentur, & infirmis ad prolapsum ac abusum occasio præberetur, & boni tristitia afficerentur ac scandalizarentur. Hoc autem intelligo de Idolothyto quod constituitur in re alias adiaphora, & tamen non necessaria, cujus usus ideo hoc in casu omitti debet.

4. His præcognitis & distinctionibus præmissis species aliquot idololatriæ interpretativæ spontaneę enumerari possunt. Referimus autem ad quinque classes. 1. Continet omnem imitationem cultus idololatrici, quamvis dicatur purè externa esse, & symbolizatio secundum speciem atque apparentiam; quamvis etiam protestetur quis se aliis de causis, & alio fine atque intentione hoc facere: immo quamvis extra statum, actum, & exercitium religionis illud faciat; quamvis denique titulum & formam mutet vel in totum vel ex parte, & traducat ad alium usum aliquem religiosum, aut tantummodo civilem. Ut cum Israëliticæ fœminæ luctum Thammuz celebrarunt *Ezech.* 8. Cum Christiani olim Gentilium Saturnalia, matronalia &c. celebrarunt: de quo vide elegantem locum *Tertulliani libr. de Idololatria cap.* 14. Immo cum tracti ab importuna & carnali plebe sequentes Doctores mutarunt festum luminarium in festum purificationis detorsum & flexum alio, alioque titulo ac cappa indutum: ita manserunt vani & voluptuarii homines in possessione consuetæ festivitatis: de quo in *Disp. de Festis.* Et cum sub Imperatoribus Christianis frequentarunt Christiani ludos & spectacula Ethnica, tantum ad civilem oblectationem, solemnitatem & magnificentiam, quæ tamen Gentilibus fuerant festa idololatrica, aut magna eorum pars. de quo *Lipsius lib. 1. Saturnal. cap.* 3. & 5. Fuisse autem aliquamdiu frequentata Christianis spectacula, & lusorias pompas testis est *Salvianus lib. 6. de Gubernatione Dei; & de gladiatoriis Lipsius lib. cit. c.* 13. & *Iul. Cæsar Bulengerius de circi venatione.* Huc refer

refer juramenta per genium Imperatoris, item preces, sacrificia, hymnos Gentilium, aut ad imitationem eorum facta, dicta, scripta, cantata. Adhæc nomina idolorum per modum exclamationis, obtestationis, voti, juramenti, precationis, hymnodiæ usurpata. Nec prætereundi pulli, quos consulibus tunc pastos fuisse conqueritur *Salvianus lib. cit.* & quæsita volantis pennæ auguria. Sed legendus est *lib. sextus Salviani, cum commentario Rittershusii.* De omnibus illis quid sentiendum sit vide quæso 1 *Cor.* 10. *v.* 19. 20. 21. *Quid igitur dico* &c. Cum his confer, & examina effugium Bellarmini De Sacramentis cap. 32. *Licet in externo symbolo sit aliqua similitudo inter nostro ritus, & ritus Gentilium & Iudæorum, absolutè tamen maximum esse discrimen. Nam à fine & intentione sumunt externæ actiones speciem suam. Ritus Gentilium fiebant ad cultus Dæmoniorum: nostri fiunt ad colendum Deum.* Quam parum juventur hoc effugio Pontificii, docent ex nostris partim *scriptores locor. comm.* ubi de requisitis bonorum operum, & de bona intentione; partim *elenctici*, qui symbolizationem religionis Papalis cum Gentilismo, Judaismo, Turcismo ipsis impingunt alibi à nobis citati. 11. Classis continet actiones, quæ erant aut partes cultus idololatrici, aut ei consecratæ, aut saltem consuetudine quasi appropriatæ, tanquam præambula, aut præparatoria, aut appendices, aut adjunctæ & concomitantes pompæ & formalitates: quas si quis retineat, observet, exerceat, in cultu religioso, aut extra eum absque cautelis & limitationibus supra in explicatione idoli & idolothyti indicatis, implicatur idololatriæ indirectæ. Sunt autem ex. gr. epulæ, ludi, choreę, feriæ. 1 *Cor.* 10. 7. 20. 21. coll. cum *cap.* 8. 47. 10. oscula imaginum *Hos.* 13. 2. & manuum *Iobi* 31. 26. vide ibi *commentar. Pinedæ & Cornel. à Lapide in Ezech.* 8. 17. Et liborum coctiones *Ierem.* 7. 18. (quamvis hoc factum ad directam & crassam idololatriam potius referendum, siquidem junctum sit cum sacrificio): Carnis incisiones, capillorum detonsiones *Levit.* 19. 27. 28. & 21. 5. ubi vide *Commentar. Villeti* & *Corn. à Lapide*; confer & *Maymonidem de Idololatria cum notis Dionysii Vossii.* Huc etiam refer disquisitionem de feriis natalitiis & funebribus publicè aut privatim celebratis: de quibus in *disp. de Superstitione* & infra in *Problematis*, imprimis hic notanda verba Bellarmini, de Monach. c. 40. *Sacerdotibus Iudæorum prohibita rasura, non quod in se mala sit, sed ne viderenter similes sacerdotibus Gentilium, in quorum vicinià habitabant, qui toto capite raso idolis sacrificabant.* Et postea: *solum ergo propter viciniam* &c. vide reliqua; & confer *Corn. à Lapide in Baruch c. ult.* & *Thomam* 12. *quæst.* 102. *art.* 4. *ad* 5. Adde & gestus in oratione adhiberi solitos, apud *Tertullianum de Oratione c.* 12. 111. classis continet custodiam non necessariam, aut periculosam, ut & usum instrumentorum quæ vel ex se &

sua

ſua natura tantum, vel ex vulgari & perpetua conſuetudine idololatrarum nefariis ipſorum cultibus conſecrata aut appropriata ſunt. Talis erat idololatria eorum qui quamvis vero Deo, vera ſacrificia offerrent, in excelſis tamen hoc agebant, aut in altari ad imitationem Damaſceni facto, aut ſaltem excelſa & lucos relinquebant, ſi non reſtituebant. Vide 2 *Reg.* 16. 11. *Deuter.* 16. 22. 2 *Paral.* 15. Huc refer tectoria, & amictus ſeu indumenta imaginum aſſervata & non abolita *Ieſa.* 30. 22. Etiam ſerpentem æneum idololatria publicè pollutum, nec tamen abolitum ante Hiskiam 2 *Reg.* 18. 4. IV. Claſſis continet aſſervata, frequentata, uſitata & adhibita ſigna, ſymbola, teſſeras, inſignia idolorum & idololatrarum: ut ſunt 1. nomina appellationes, quando idola ſine neceſſitate vocantur Bahal, id eſt, dominus, cum revera non ſint, aut quando verus Deus ambiguâ & per frequentatũ ac communem abuſum pollutâ ac ſuſpectâ appellatione vocatur Baal, *Hoſ.* 2. 16. 17. Huc pertinent, nomina fortunæ, fati, Parcarum, Geniorum, Deorum immortalium, &c. ſine neceſſitate uſurpata. Adde & annos, dies, menſes, templa, palatia, domos, ſcholas, curias, terras, populos, urbes, hominumque collegia, ſocietates, ſtatus, ordines, artes &c. ab idolis aut dæmoniis denominata. (Quæ limitatio & cautela hic neceſſaria, infra dicemus *part.* 2. *theſi.* 5.): nec prætereundæ lauri, coronæ, luminaria, veſtes, &c. *Exod.* 23. *verſ.* 13. *Levit.* 19. *verſ.* 19. *Ezech.* 8. 17. *ibidemque commentaria Fr. Iunii, Corn. à Lapide: & hujus ad loca ſupra cit. Hoſ.* 2. *Zachar.* 13. imprimis & *Thomas* 1. 2. *quæſt.* 102. *art.* 6. *Chryſoſtomus in Hebr.* 14. & ex eo Lorinus in Pſalm. 16. 4. urget iſtum locum ad cavendam mali occaſionem: *ut ea*, inquit, *nominentur quidem, à quorum uſu removendi ſumus. Et quamvis in nominibus per ſe uſurpandis nihil mali eſſet*, Perfecti eſt, *ait Idiota*, etiam à licitis abſtinere voluptatibus, ut magis totus feratur in cœlum &c. Tertullianus de Idolatr. c. 10. Profeſſores literarum idololatriæ arguit, quia *neceſſe erat, Deos nationum prædicare, nomina, genealogias, fabulas, ornamenta honorifica quæque eorum enunciare, tum ſolennia feſtaque eorum obſervare. Concil.* 2. *Braccar. c.* 73. vetat obſervationes agere Kalendarum, vel *lauro aut viriditate domos cingere* addita, hac ratione; *quia omnis iſtâ obſervatio Paganiſmi eſt.* Et graviter conqueritur Tertull. de Idol. c. 13. plures tunc inventas fuiſſe *Ethnicorum fores ſine lucernis & laureis, quam Chriſtianorum.* V. Claſſis continet uſum non neceſſarium omnium illorum, quæ antehac fuerunt, aut etiamnum nunc ſunt, aut ſæpe ſolent, aut ſaltem poſſint eſſe occaſio idololatriæ, aut ſeductionis ad eam. Qualia ſunt *primò*, conjugia cum idololatris *Deut.* 7. & 12. *Nehem.* 13. *Secundò* fœdera, ut *Deuter.* 17. 2 *Reg.* 20. *Tertiò*, commercia, converſationes, & familiaritates non neceſſariæ cum iiſdem. 2 *Corinth.* 6. Quo refer, ſi quis frequenter epulas & comeſſa-

meſſationes, ludos, & ſpectacula, iiſque temere ſe immiſceat, aut in eorum terris peregrinetur, aut ſedes ibi figat, aut hæreat &c. *Num.* 25. Confer *Daniel.* 1. coll. cum *Actor.* 10. & 11. & *Galat.* 2. Unde argumentum educitur quod ad genus ſaltem: quamvis peculiare quid haberet Judæorum abſtinentia à familiaritate & epulis Gentilium: de quo diximus in *Diſp. de Gentiliſmo.* IV. Addenda forte claſſis eorum, quæ formaliter in omiſſione aut abſtinentia conſiſtunt; quibus ſi quis non imitetur idololatras certa lege, & ſtabili conſuetudine cum aliqua conſcientia abſtinens ab iſta vel ab iſta re aut actione, ſaltem illis ignorans & minime cogitans ſimilis fit aut eſſe videtur externa praxi. Sed quæ iſtius generis ſunt ad ſuperſtitionem ſtrictè dictam, materialem ſcil. ſeu interpretativam, malumus rejicere. Vide *diſp. de Superſtitione.*

Idololatria (ſicut peccatum in genere) diſtinguitur in propriam & in participatam, ſeu alienam, cum qua quis communicat. Propriam, apertam & directam alii; analogicam & directam nos nunc explicuimus. Reſtat ergo de participata quid addamus. Poteſt ea *Primo* diſtribui in tres claſſes: ut per primam participet quis antecedenter; per ſecundam concomitanter; per tertiam conſequenter. 1. participatio eſt magis directa: cum quis aut conſulit. 2. aut petit. 3. aut præcipit. 4. aut provocat, aut adminiſtrat, adjuvat, & ſubſervit. Sic idololatria decem tribuum participabat Jeroboam 1 *Reg.* 12. 28. 29. 30. & 14. 16. & Judæ, proceres regis Joas 2 *Paral.* 24. 17. & Rex Achas cum Pontifice Uria 2 *Reg.* 16. 10. Sic Tertullianus idololatriæ plurimos involvit de Idol. c. 11. *Nulla igitur ars, nulla profeſſio, nulla negotiatio, quæ quid aut inſtruendis, aut formandis idolis adminiſtret, carere poterit titulo idololatriæ.* II. Magis indirecta, cum quis 1. *permittit* idololatriam, hoc eſt, cum facit aliquid, quod erat omittendum, ad quod ſequitur idololatria: ut Joas, qui annuit petitioni procerum, & iis conceſſit ac permiſit cultum idololatricum 2 *Paral.* 24. 17. Et Aaron *Exod.* 32. 22. 23. qui idem etiam antecedenter participabat faciendo vitulum. 2. *tolerat*, hoc eſt, cum ſcil. non obſtat, non impedit, & omnem diligentiam non adhibet, ne fiat. Sic Aſa 2 *Paralip.* 15. 17. Hinc Auguſtinus epiſt. 154. ad Publicolam: *Omnis honor idoli cum apertiſſima deſtructione ſubvertatur.* Hinc laudatum illud factum Epiphanii qui velum in oſtio oratorii ſuſpenſum, in quo imago Chriſti aut ſancti depicta fuerat, præteriens illac dirupit; uti *ipſe* refert *in epiſtola ad Iohannem Hieroſolymitanum.* Adde exempla piorum regum, Hiskia, Joſia &c. qui eo nomine commendantur quod non tantum craſſam, ſed & interpretativam & palliatam idololatriam cum omnibus veſtigiis, reliquiis, inſtrumentis, & idolothytis ſuſtulerint; contra in reliquis qui debito officio hic non ſatis fun-

5.

Idololatria indirecta cum quis permittit

& i sunt, omissio illa notatur tanquam ἥτημα. 2 *Reg.* 12. *v.* 3. coll. cum 2 *Reg.* 18. *v.* 4. 5. *Decretum Concilii Carthaginensis* infra citabimus, & *Epiphanium contra Encratitas.* III. Est, cum quis idololatriam jam commissam defendit 1. vel approbando & laudando; ut Julianus apostata, contra quem *Nazianzen. Cyrillus Alexandrinus*; Symmachus Senator Romanus, contra quem *Ambrosius & Prudentius*, 2. vel excusando & extenuando: Ut Cassander, Grotius, Miletierius, & similes caduceatores (de quibus in *disput. de Syncretismo*); adhæc recentiores nonnulli in Anglia, quorum scripta à viris eruditis satis superque nunc excussa. 3. vel connivendo; cum quis scilicet, aut verbis non reprehendit, aut ipso facto pro ratione muneris non coërcet. *Secundo*, distingui potest participata 1. in eam quæ cum crassa, & in eam quæ cum analogica seu interpretativa idololatria participat. II. In eam quæ cum publica, & in eam quæ cum privata communicat. III. In eam quæ cum publica inveterata & antiquitus obtinente ac radicata; & in eam, quæ cum nove obrepente, aut ingruente communicat. IV. In eam, quæ cum publica ingruente guttatim ac paulatim, aut per inundationem & instar torrentis communicat. Secundum istas distinctiones, gradus sunt hujus peccati, ita ut participatio una altera gravior sit & magis ἀναπολόγητος. Nonnunquam etiam tanta posset esse inundatio, & contra tam exigua potestas aut potentia Magistratus, ut non sit resistendo, nisi Rempublicam subversam velit.

6. Ut accuratius juniores hanc necessariam doctrinam intelligant, non gravabimur problematum aliquot tum generalium tum specialium determinationes, & casuum Decisiones subjicere. Primi generis problemata erunt de Idololatria indirecta. Sit ergo generalissimum, unde reliquorum determinatio dependet. An dicendum sit peccatum idololatriæ, quam nos vocamus indirectam; an vero idololatriæ titulo carere possit (ut cum *Tertulliano* loquar,) qui in cultu divino aut extra eum indebitè adhibet & usurpat idola participata seu idolothyta, quæ olim fuerunt, aut etiamnum sunt, aut in posterum possent esse media, signa, species seu similitudines, proclives occasiones cultus idololatrici? *Resp. Aff. pr. Neg. poster.* 1. *Ratio quia* scriptura exsertè vocat idololatriam 1 *Corinth.* 10. 7. & communionem cum cultu dæmoniorum, *v.* 20. 21. Jam verò quam illicita sit idololatria, & quantum malum, constat ex 1 *Pet.* 4. 3. *Exod.* 20. 5. 2. *Ratio, quia* vocat genericè peccatum, & quidem grave ac pernitiosum (ne putemus esse ex quotidianis & perpetuo adhærentibus fidelium infirmitatibus); & severè illud prohibet, *Lev.* 19. 27. & 26. 1. & 21. 5. *Deut.* 14. 12. & 16. 22. *Exod.* 34. *vers.* 13. 15. 1 *Cor.* 8. 1. 2. 3. 12. 13. & 10. 7. 21. 22. *Apoc.* 2. 14. *Actor.* 15. 29. 3. *Ratio, quia* ex se & per se occasio est peccati, in peccatum

tum ducit & protrudit proximum, eum scandalizat, ejusque conscientiam vulnerat, & animam ejus maximo periculo exponit, 1 *Corinth.* 8. 7. 9. 10. 11. Scandalum autem & seductio potest se extendere ad infirmos, qui intus sunt; & ad posteros nostros: ut homines sic paulatim in crassissimam idololatriam prolabantur, quod Israëlitis accidit; qui à cultu excelsorum, ad cultum vitulorum, ab isto ad Baaliticum, & quemvis Cananiticum tandem progressi. 2 *Reg.* 17. 9. 10. 11. confer historias Jeroboam, & Achab. Quam considerationem habuit Nobilissimus *Marnixius tract. de Institutione puerorum nobilium*, eandemque ex illo citat *Anonymus* (*Amesius* &c.) *contra Mortoni generalem defensionem trium ceremoniarum Angliæ*. Liber Marnixii nunc ad manum non est. Verba alioquin ejus uti ab Amesio citantur notatu dignissima sunt. 4. *Ratio, quia* quamvis remotissima esset symbolizatio cum idololatria, & cum idololatris, est tamen species mali, & collusio ac symbolizatio cum malo; atqui ab ea abstinere debemus 1 *Thes.* 5. 22. 2 *Corinth.* 6. 15. 16. *Iud. v.* 23. *Ephes.* 5. 11. 5. *Ratio, quia* à pari probatur ex magia & divinatione indirecta; quæ usque ad minimos casus, usque ad remotissimas species censetur nomine magiæ, & reducitur ad artes diabolicas, & pacta cum diabolo, saltem implicita & occulta. De quo videndi *Casuistæ*, & *autores* qui ex professo scripsere *de Magiâ*, aut *divinatione*. Confer *disp. de Superstitione*, & *de Magia*, ubi autores citantur tum nostri, tum Pontificii. 6. *Ratio, quia* idem evincunt exempla piorum, qui hanc speciem idololatriæ sedulo detestati sunt, fugerunt, & exterminarunt. Vide exempla Hiskiæ & Josiæ, ubi imprimis notanda ablatio excelsorum, & abolitio serpentis ænei. Addi possunt exempla piorum in primitiva ecclesia, qui à spectaculis Gentilium abstinebant, teste *Tertulliano in Apolog. cap.* 38. & *de Spectaculis cap.* 5. Quia ludi illi Diis erant dicati. Non lavabantur diluculo Saturnalibus (*Tertull. Apolog. cap.* 42.), ne viderentur Gentilibus similes, qui tam manè hoc agebant, ut festo illo die maturius convivia adirent. Non emebant capiti coronam, (*Tertull. Ibid. lib. de Corona militis cap.* 7. & *Minutius in Octavio*), sed floribus utebantur liberis, solutis, & undique vagis; & sertis colla complectebantur: quod coronarum in cultu idololatrico plurimus esset usus; de quo vide *Paschalium de Coronis*, & *Heraldi digress.* 26. *ad Tertull. Apolog.* Quin & elcëmosynam datam aut beneficium præstitum alicui Deos suos vel Coloniæ genium propitios imprecanti, esse idolorum honorem, censet *Tertullianus de Idol. c.* 22. Adde nunc illustre illud exemplum militum Juliani apud *Theodor.* & *Sozomen. supra cit.* & Valentiniani qui additis verberibus expostulavit cum ædituo Gentili aqua lustrali ipsum conspergente, *Theodorit. lib.* 3. *c.* 15. Et zelum piorum Imperatorum, qui reliquias omnes idolorum

ſuſtulerunt, etiam templa in agris *L.16.C. de Paganis*, ex voto & poſtulato eccleſiæ: quod exprimitur Codice Canonum Eccleſ. African. can.58. ὧν χάριν αἰτῆσαι δεῖ &c. can.84. Ὁμοίως ἤρεσεν &c. *Idem placuit ab Imperatoribus glorioſiſſimis peti, ut reliquiæ idololatriæ non ſolum in ſimulacris, ſed & in quibuſcunque locis, vel lucis, vel arboribus omni modo deleantur.* Ita etiam à Bonifacio aliiſque fidei Chriſtianæ in Germaniâ prædicatoribus excilæ ſunt: de quibus vide *Annaliſtas Eccleſiaſticos*: idem ſæculis aliquot ante ipſos præſtitum à Martino, teſte *Sulpitio in ejus vita.* Nolo hic diſputare de modo agendi, aut de virorum eccleſiaſticorum titulo, jure, & poteſtate, quâ illi hoc fecerunt: tantum allego effectum. *Paulus Diaconus* teſtatur Conſtantinopolitanos tantum frumento cocto uſos fuiſſe, cum Julianus an. 367. omnia venum expoſita ſacrificiis polluiſſet. Confer quæ mox *probatione ultima* & infra *parte* 2. dicemus. 7. *Ratio, quia* oppoſitam opinionem ſi quis ſtatuat & praxin ejus obtinere velit, aut ſaltem ſuſque deque habeat, quid hac in parte doceatur & fiat, zelotaſque exiſtimet τὸ λίαν ἀκριβὲς ſectari & culicem excolare: utique refodiuntur antiquæ hæreſes de uſu idolothytων, Jeſabelis ſcil. *Apocal.* 2. & Baſilidis, de quò *Euſeb. lib.* 4. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 8. atque unà tacitè condemnantur decreta & dogmata antiquorum mox *parte* 2. §. 1. citandorum, de idolothytis: Non parum etiam confirmantur Idololatrę, & pulvilli axillis eorum conſuuntur, inſuper in eccleſiis Idololatricis aut in bivio conſtituti illic detinentur contra *Apocal.* 18.4. 2 *Corinth* 6.15.16.17.; Etiam via complanatur ad propiorem ſyncretiſmum cum Idololatris, ſi non reditum ad Babel, unde majores noſtros divina miſericordia eductos gaudemus. Quid in Anglia poſtremis annis prætextu ceremoniarum, quæ cum idololatris ſymbolizant, tentatum & geſtum ſit, dies nunc docuit. De quo vide *tract.* cui tit. *Ladenſium* ἀντικαπάκελης anglicè, & alterum cui tit. *Narratio rerum nuper in Scotiâ geſtarum* latinè in 8. Confer *Grotii notas ad Caſſandri conſultationem*, cum ipſius *antagoniſtis Riveto & Iacobo Laurentio.* Sed hoc argumentum nunc pluribus deducere nolumus: alias & alibi datur occaſio, in *Diſp. de Syncretiſmo, ſeu Vnione diſſidentium.* Pergimus ergo ad argumentum. 8. *Ratio, quia*, idem evincit conſenſus antiquitatis, quem compendii cauſâ nunc tantum indicamus: omnium enim formalia verba deſcripta non exhibebimus; ne in nimiam molem volumen hoc excreſcat. Primus ſit *Tertullianus libris de Idololatria, Spectaculis, Corona militis*: ubi lector aurea dicta, eaſque inveniet rationes quæ ut reipſa ſufficiunt, ita imprimis ſatisfacere debebant hodiernis nonnullis ſolius antiquitatis (ſed ſequioris, uti arbitror) admiratoribus, adoratoribus. Adde *Chryſoſtomum* qui *in epiſt. ad Galatas* 4. perſtringit tabellas, quæ nato infante ſcribi ſolent. Confer ſupra

diſp.

disp. de Superstitione. Et *Epiphanium contra Encratitas*, ubi imagines ne quidem in privatis ædibus tolerandas contendit. *Irenæum lib.* 1. *cap.* 23. *v.* 27. *Photii Nomocan. tit.* 13. *c.* 8. *& 6. tit.* 13. *c.* 23. *Concilium Eliberinum can.* 40. *& 79. Concilia Africana, Salvianum, Augustinum, locis jam cit.* Analogicè etiam applicanda prohibito observationis, dierum, mensium, annorum in rebus inchoandis aut agendis, tanquam syncretismi & symbolizationis cum Superstitione & Idololatria Gentilium, apud *Ambros. lib.* 10. *epist.* 82. *Augustinum in Enchiridio cap.* 39. *& in Sermonibus de Tempore, Serm.* 241. *Sedulium in collectan. epist. ad Galat. cap.* 4. *Bedam in idem cap.* 4. *ad Galatas. Photii Nomoc. tit.* 13. *cap.* 19. 20. Et prohibito omnis comœdiarum ac spectaculorum, nec non chorearum festivalium, conviviorum festivalium, Kal. Januar. & strenarum, poculorum boni ominis, vestium, cereorum imprimis interdiu incensorum; propter symbolizationem cum Idololatris Gentilibus, in *Codice can. eccles. Afric. cap.* 60. 63. *Concil. Laodic. can.* 37. 39. *Ancyranum can.* 5. 6. 7. *Nazianzen. Orat.* 48. *Cyrill. Hierosol. Catech. mystag.* 1 *Concil. Toletan.* 3. *can.* 23. *Basilius homil. de Ebrietate. Concil. Elibet. can.* 34. 47. *Tatianus Orat. adverss. Græcos. Salvianus de Provid. lib.* 6. Adde de nominali collusione, aut saltem specie collusionis cum Idololatris. Denique de abstinentiâ ab usu coronarum, de quâ *Minutius Felix in Octavio, Tertullianus de corona militis.* Sed de his testimonia suis quæque locis indicantur. *Thomas* 1. 2. *qu.* 103. *art. supra cit. & commentatores Pontificii ad scripturæ loca supra citata*, adhæc *antiquarii & annalistæ eorum*, facient nobis consensum novitatis. Nostrorum consensum discetum ex quotidiana praxi jam inde à prima reformatione; *tum* ex *decretis synodorum reformatarum in Gallia, Scotia, Belgio*, præsertim *utriusque Hollandiæ* (inspiciantur repertoria, quæ passim in archivis ecclesiarum asservantur) circa cruces, picturas, temporum & rituum observationes, &c. *tum* ex *præstantissimorum Theologorum judiciis & testimoniis*, quorum aliqua indicavimus in *disp. nostris de Ceremoniis Benedictionibus, Monachis, Superstitione, Templis, Festis, Staurolatria, Organis, &c.* Et infra ad *particularia Problemata*, pro re natâ indicabimus.

PARS SECUNDA 28. *Maji* 1642.

OStensa & probata veritate, videndum nunc quænam contra eam in hac luce reformationis etiamnum excipi solent: non tantum à Pontificiis, aut neutralibus & syncretistis, sed etiam partim à Lutheranis partim ab hierarchicis, quorum aliqui (*Ladus, Montacutius &c.*) ex contentione contra Puritanos (quos vocant) Genevenses, & contra novato- 1.

res h.e. primos reformatores, nimis quam in hunc campum excurrerunt. Lutherani colorem ſciſmati ſuo, & inſectationi reformatorum (quos Calviniſtas appellant) quæſiviſſe videntur. Simili carnalis contentionis contra quoſdam ex fratribus ſuis, œſtro agitantur, atque una privatis rebus ſuis ac mundo velificantur, qui pro indirecta aliqua ſive idololatria ſive ſuperſtitione aut vacua obſervatione ſubinde zelum induunt, & claſſicum canunt. Objectiones, exceptiones, & effugia generalia, quæ vulgò obtenduntur, ſunt 1. *Exc.* Eſſe uſum iſtarum rerum adiaphorum, ſeu ſymbolizationem ac communionem talem cum idololatris eſſe in adiaphoris ac communibus, non autem cum idololatria eorum, aut in rebus idololatriæ propriis. *Reſp.* Præmittimus hic, τὸ adiaphorum & licitum, quod ſcil. conſcientiam non polluat, & olim, & hodie in his aliiſque decantatum fuiſſe. Sic tempore apoſtolorum prætexebant libertatem Chriſtianam 1 *Cor.*8.& 10. quique docebant manducationem idolothytωn *Apocal.*2.*v.*20. cum *Actor.*15.*v.*29. Ut & hæretici Baſilidiani, aliique, quibus antiquorum decreta & monita mox indicanda, opponebantur. De ceremonialibus jin Anglia notum eſt, eos in τὸ adiaphoro olim præſidium quæſiviſſe: quamvis poſteriores proficiendo in pejus haut obſcurè ſanctitatem & neceſſitatem prætexerent. Lutherani peculiari titulo *adiaphororum* hanc controverſiam, & inde *adiaphoriſmum* atque adiaphoriſtas denominarunt. Quibus occurſurus Altingius in ſyllabo controverſ. Luther.part.2.p. 258. *Depulſio calumniarum in genere circa controverſias de ceremoniis. Communis adverſariorum de Cæremoniis querela eſt; quod Chriſtianæ libertati inſidiemur, reſque adiaphoras, hoc eſt, medias ac indifferentes, tanquam neceſſarias obtrudamus Eccleſiæ Dei. Inde duo alia deducunt incommoda; quod nimirum & conſcientias privatorum ſcandalis, & publicam Eccleſiarum ac Politiarum tranquillitatem novis motibus conturbemus. Ad quas criminationes ordine reſpondebimus: ut ſicut in reliquis ante, ita nunc in hoc controverſiæ capite, innocentia quidem noſtra, adverſariorum autem inſigne calumniandi ſtudium innoteſcat.* Si res, ritus, obſervationes ſunt in cultu Dei à Deo non præſcriptæ quibus ſanctitas & efficacia quædam tribuitur: jam non eſt adiaphorum, ſed pſeudoſacrum & ἐθελοθρησκεία, & ſic implicatur idololatria; de quo aliquando pluribus in *Diſp. de Ceremoniis.* Sin verò res, ritus, obſervationes ſunt nobis frequentatæ extra publicum cultum, in vita animali, aut civili, ſeu in communi converſatione, quibus tanquam idolis, aut idolothytis eo aut ſimili modo uti ſolent idololatræ in cultu ſuo, jam eſt manifeſta ſymbolizatio cum Idololatris. Si verò communis actio ſit ad vitam animalem aut civilem ſpectans, hic tamen & nunc haut neceſſaria (ut exempli gratia epulari, dona alicui dare, præſtantiores veſtes induere &c.) Et

fiat

fiat sub sigillo idoli, & cum respectu quodam ad illud, si non nostro & *formaliter*; saltem ex prima ejus institutione & communi usu atque intentione idololatrarum, & quamvis, ratione sensus nostri *materialiter, & solummodo externè*: utique jam non adiaphorum est, sed idolothyton, & communicatio cum idolis 1 *Corinth.* 10. quidquid sit de alia & particulari intentione operantis 1 *Corinth.* 8.4. Vide & confer quæ reformati contra prætextum adiaphori, reposuerunt Lutheranis; Et syncretistis seu conciliatoribus reformatæ ecclesiæ cum Papali, indicatis in *disp. de Syncretismo*, ut & zelotis ceremoniarum in Anglia & Scotia. Inter alios *scriptorem altaris Damasceni*, *Amesium c. Mortonum & Burges* anglicè, imprimis & *anonymum* ac doctissimum scriptorem *c. ceremonias ecclesiæ Scoticæ obtrusas*, anglicè. 11. *Exc.* Non observantur illa eodem fine; quo ab Idololatris usurpantur: ergo licita sunt; saltem liberanda à titulo idololatriæ. *Resp.* 1. intentio sola non facit actionem aut bonam aut licitam, sed requiruntur & omnes aliæ circumstantiæ, juxta communem doctrinam Ethicam & Casuisticam: *bonum enim non nisi ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* 2. *Resp.* Hac ratione Jeroboami Idololatria, & ritus omnes Judaici hodie ab aliquo observati & omnis magia interpretativa, idololatria avaritiæ, superbiæ, voluptatis, denique pleraque alia peccata excusari possent; quia scil. idem non intendunt, quod crassi idololatræ, aut professi Magi. Immo & idolatrici ritus Pontificii; quos alio fine, ac à Gentilibus, à se observari dicunt: uti supra *part.* 1. *thesi* 4. notatum. Conferat scriptores eorum, *Bellarminum supra cit. Perronum ad regem Britanniæ, &c.* passim pro idololatria sua disputantes; quibus adde ex recentissimis *Iosephum Voisin in theologia Iudæorum pag.* 81.-105. 3. *Resp.* Retorqueri potest: Illud aliud quod intenditur, est aut religiosum & sacrum, aut est commune seu profanum. Si illud, jam est manifesta superstitio & idololatria; dum Deus colitur alio cultu, quam ipse coli vult: & rei aut ritui alicubi tribuitur mystica significatio, aut efficacia & operatio religiosa, quam non habet. Sin istud, jam dupliciter nihilominus peccatur, *primo*, quod propriæ utilitatis aut voluptatis gratia polluimus conscientiam idolothyto, uti Corinthii vescentes carnibus idolo consecratis, & quidem in idoleio, diebus idolo sacris. *Deinde*, quod damnum & periculum inde emergens aut metuendum, (seductio scil. infirmorum, & posterorum, scandalizatio Ethnicorum &c.) postponuntur momentaneę & apparenti isti utilitati. 1 *Corinth.* 8.8.7.11.12.13. 111. *Exc.* Usus iste est purus materialis, ex merâ & incogitante (ita loqui liceat) communis consuetudinis imitatione; absque ulla conscientia, (sæpe absque omni generali scientia) idoli, absque ulla intentione symbolizationis & confirmationis cum idololatris. *Resp.* 1. Erit ergo

rit ergo ad minimum actio otiosa & observatio vacua, à qua non minus abstinendum, quam ab omni verbo otioso. (confer. *disp. de Superstitione, & de Abusu sortis*). Sapiens enim nihil facit frustra, nihil temere, nihil incogitanter. Ephes. 5. 15. *Videte ergo quomodo ἀκριβῶς ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes &c.* Et nulla actio humana est adiaphora in individuo, sed necessario moraliter bona, aut mala. Itaque ad omnem etiam minimam attendendum, juxta illud 1 Corinth. 10. 31. *sive editis, sive bibitis, sive quid facitis, facite ad gloriam Dei.* 2. *Resp.* Siquidem materialiter & externè eadem est actio, manet ergo externa similitudo, & conformitas cum actionibus idololatricis: quidquid sit de animo & intentione. Atqui non debemus συσχηματίζεσθαι (*Rom. 12. vers. 2.*) huic mundo; & ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ (1 *Thess. 5.*) abstinendum. 3. *Resp.* Hoc effugio possent defendi omnes pravæ consuetudines, quæ in naturam quasi abierunt: contra 1 *Petr. 1. v. 8. & 4. v. 2. & Matth. 15. v. 9.* Christus non dixit ego sum consuetudo, sed, ego sum veritas. 4. *Resp.* Hac ratione eludi & submoveri possent omnia testimonia scripturæ, decreta Conciliorum, dicta patrum, heroica facta martyrum & confessorum *supra cit.*: quibus docemur ne minima specie, ne quidem externo nomine esse communicandum cum idololatris. 1v. *Exc.* Ista communicatio & συγκαταβάσεις in minoribus quibusdam observationibus & ritibus idololatrarum, posset facere ad amorem conciliandum, ad errantes lucrifaciendos &c. *Resp.* 1. *Non* sunt facienda mala ut eveniant bona, nec mercandus est amor hominum jactura amoris divini. 2. *Resp. Contrarium* verum est: confirmantur pertinaces in sua idololatria, impediuntur dubii, in dubitationem conjiciuntur ignorantes & infirmi. Breviter odium & fuga idololatriæ non tam altè infigitur, ac quidem verbum Dei infigi vult. Deinde non conformando aut communicando, sed redarguendo fugantur opera tenebrarum *Ephes. 5.* Tertullianus de Idolol. cap. 14. Ad objectionem: sed idem Apostolus alibi jubet, omnibus placere curemus, sicut ego &c. respondet: *Nimirum Saturnalia & Kal. Ianuarias celebrans hominibus placebat? an modestiâ, & patientiâ, an gravitate, an humanitate, an integritate? Proinde cum dicit, Omnia omnibus factus sum, ut omnes lucrifaciam, num quid idololatris idololatres, nunquid ethnicis ethnicus, nunquid sæcularibus sæcularis?* Augustinus serm. 6. de verbis domini: *Si quæritis, unde vincantur Pagani, unde illuminentur, unde ad salutem vocentur. Deserite omnes solennitates ipsorum. Deserite nugas eorum. Et si non consentiant veritati nostræ, saltem pudeat paucitatis suæ. 3. Idem* potuissent prætendere Corinthii, aliiq; epulantes in idoleis, aut vescentes idolothytis: & sic elideretur decretum Concilii Apostolici *Actor. 15.* & seria obtestatio Pauli 1 *Cor. 8. & 10.* etiam ipsius Christi *Apocal. 2. v. 20.*

4. *Resp.*

4. *Resp. Tum* vicerint syncretistæ qui Papatum cum reformatione conciliare conantur; quales *Erasmus*, *Modrevius*, *Cassander*, *Militierus*, *Grotius*, *aliique* ab ipso citati *in notis ad Cassandrum*, & à nobis in *disp. de Syncretismo*. 5. *Resp. Etiam* vicerint Nicodemitæ, ipsique adeo Libertini; & pro stultis habeantur omnes pii zelotæ, confessores, martyres inter Christianos, qui noluerint sic omnia omnibus fieri, ut vitæ, honoribus, & emolumentis suis consulerent: nominatim imprudentiæ, aut ἰδιογνωμοσύνης & pervicaciæ aut defectus caritatis, aut Pharisaicæ præcisitatis condemnentur Constantinus, quod sæculares ludos omiserit, restitutos postea ab Honorio (*Baronius ad ann.* 313.3. cum 398.4.); & principes Protestantes, quod anno 1530. Imperatori consueta servitia non præstiterint in processionibus & ceremoniis (*Sleidanus l.7. fol.*107.); imprimis martyres illi, qui renuebant vesci idolothytis (apud *Baronium anno* 304. §. 10.) & antiqui Christiani, qui tam rigidè ab illis abstinebant, & docebantur abstinere. Vide de hoc nubem testium, *Clementem constitut. Apostol. lib.7. cap.*22.; *Photii Nomocanonem tit.*13.*cap.*13.; *Irenæum lib.*1. *cap.* 1.; *Tertullianum supra cit.*; *Minutium in Octavio*, ubi idolothyta vocat sacrificiorum reliquias; *Concil. Gangrense cap.*11. *Concil. Ancyranum cap* 4.; *Concil. Eliberinum cap.*40.; *Concil.* 2. *Aurelianense cap.*19. & 4. *cap.*20.; *Origenem in Matth.*15. & *lib.*8. *c. Celsum*; *Chrysostomum in* 1. *Cor.*8. *homil.* 20.; *Augustinum c. Faustum Manich. lib.*32. *c.*13. & *epist.*154. *ad Publicolam*; *Cyrillum Hierosol. catechesi* 4. *tit.* περὶ ἐγκράτων; *Primasium in* 1. *Cor.*10.; *Procopium in Iesaiæ c.* 22.; *Leonem epist. ad Rusticum episc. Narbonensem*, & *ad Nicetam episc. Aquileiensem*; (*tom.* 1. *concil.*) *Bedam lib.*2. *in Marcum* 4.7.; *Rabanum Maurum lib. de pœnitentiâ c.* 25.; *Haymonem in* 1 *Cor.*10.; *Oecumenium in Actor.*16. & in 1 *Cor.*5.; *Burchardum in decreto lib.*19.; *Ius canonicum* 32. *qu.*4. *c. sicut satius.* His complures alii addi possunt tum antiqui, tum mediæ ætatis scriptores, cum recentioribus Pontificiis, *Baronio scil. modo cit.*, *Albaspinæo ad concil. Eliberinum*, *A Lapide aliique commentator. ad* 1 *Corinth.* 8. & 10. & *Apocal.*2. *v.*2. Qui omnes cum dicunt ab idolothytis abstinendum, saltem propter præceptum apostolicum, occasionem idololatriæ, & scandalum aliorum (ut se explicat *A Lapide loc. cit.*); causam nostram contra hanc præsentem, aliasque omnes exceptiones firmant. VI. *Exc.* Permittuntur alicubi à Magistratu, immo sæcularibus eorum negotiis, formalitatibus, moribus implicata sunt, qualia nos vocamus idolothyta, aut reliquias superstitionis, aut idololatriam indirectam. Illis ergo parendum est & non tantum susque deque habenda talia, sed ex professo aut excusanda aut defendenda. Secus si fiat perit nobis parendi gloria, dominationes contemnuntur, turbatur pax publica. *Resp.* Quid de facto sit, aut non sit, hic non

inquirimus. Tantum mundanis ejusmodi consequentiis omni spiritu & litera destitutis, opponimus exempla apostolorum *Actor.* 4. *v.* 19. & 5. *v.* 29. & primorum reformatorum; qui cum idem ferale carmen ipsis occineretur cum adjunctis minis & persecutionibus, se minime passi sunt excantari & fascinari. Quod si superstitiosa quædam alicubi sæcularizata sunt, hoc urgeant fideles ministri, hoc agant Christiani Magistratus, ut exsæcularizentur, haut aliter ac canonicæ quædam leges jam sæculis aliquot sæcularizatæ leges, obortæ ecclesiæ reformatione & melius informato Magistratu, exsæcularizatæ, & planè abrogatę sunt. VII. *Exc.* Ex hac tam accurata in reliquias idololatrię inquisitione, & earundem postulata atque intentata expurgatione, scismata, contentiones, & turbæ oriri solent. Ergo præstat eas relinqui. *Resp.* 1. *Aliud* est mala conquisitis pigmentis defendere aut saltem studiosè ac subdolè excusare; & aliud bene posita in loco suo relinquere, ac minora mala hoc tempore tolerare, quam importunè & sine spe successus movendo, majora insuper accersere. 2. *Resp.* Videndum etiam ne propter incommoda illa, quæ per accidens evenire possent, bona per se præstanda negligamus. Omni reformationi ecclesiasticæ quod ad doctrinam, aut ritus, aut disciplinam, aut mores, semper hoc μορμολυκεῖον objectum fuit. VIII. *Exc.* Per ludum & jocum sæpe multa geri, aut dici, aut scribi, quæ tamen ad categoriam idololatriæ reducenda non sint. *Resp.* Idola, eorumque cultus, & memorias, non esse materiam joci, aut lusus, sed potius fletus; nec mimeticè ostentanda, sed potius æternæ oblivionis tenebris sepelienda. Solum excipio casum: quando ad convictionem, & errantium revocationem abominationes illæ in luce ponendæ, etiam ironiis & sarcasmis suo loco & tempore explodendæ, exemplo prophetæ 1 *Reg.* 18. 27. Vide quæ diximus *disp. de Lachrymis part.* 2.: Quomodo picturæ aliquot Papatus turpitudinem prostituentes notantur ab *Illyrico in catalogo.* Extra hoc nefas ducimus picturis, emblematis, poëmatis, sermonibus, ea celebrare atque exornare; quibus illiciis & delitiis homines rudiores inescari solent, ut alicujus æstiment, saltem non ita exhorrescant ac detestentur. Sed de hoc infra pluribus. IX. *Exc.* Si tam præcisè & accuratè ad minutias illas attendendum sit; nunquam conscientia esset tranquilla & secura, sed semper dubia hæreret, & omnia tuta timenda essent. *Resp.* 1. Minutiis, siquidem legi divinæ repugnent, applicanda ea, quæ nostri Pontificiorum peccatis, ob materiæ parvitatem, venialibus. 2. *Resp.* Quæ ἀκριβείαι in praxi pietatis ac religionis, quæque teneritudo conscientiæ aut securitas & tranquillitas, affectanda, sit aut non sit, alibi distinguitur in *disp. de Præcisitate.* Interim consulantur *practici de Timore Dei, de Zelo, de Conscientia.* Diligenter etiam

iam considerentur loca *Matth.*10.16. *Ephes.*5.15. *Iudæ v.*13. 2.*Cor.*7.1. 1 *Thess.*5.22. *Actor.*24.16. *Resp.*3. Ad tales *Minutias* & nullius momenti observationes (quas nonnullis ita vocare libet) antehac majores nostri & ecclesiæ Belgicæ ita attendebant, ut non puderet *canonibus* suis *synodalibus anno* 1574. conciones funebres, & vespertinas removere. Quid dicam de nominibus personarum & rerum, de diebus festis, de crucibus in vitris templorum, in sepulchris, de organis &c. de quibus decreta in synodis condita. Non dubito, quin rationes suas habuerint. Idem sentio de antiquorum abstinentia ab idolothytis, à coronatione mortuorum & vario usu coronarum, ab exornatione postium, &c. Si cui placeat hæc albis dentibus ridere, & satyricè traducere, ferendum est. x. *Exc.* Videntur hâc ratione condemnari Ecclesiæ integræ, aut etiam pii non pauci, qui quamvis Papatui renuntiârint, ad hunc tamen ἀκριβείας gradum, reformationem suam non perduxerunt. *Resp.* Hoc totum est per accidens. Nemo qui bene currit, gradum sistere aut retrocedere cogitur, quia alii aut non potuere aut noluere pari passu ire. Hoc si valeret, non debuissent nostri ultra reformationem Lutheri in Germaniâ, aut alterâ Episcopalem in Angliâ sub Eduardo VI. & reginâ Elizabethâ, in dogmatis, ritibus, regimine ecclesiæ, quidquam moliri. Quod sane negarent ecclesiæ Belgicæ, Scoticæ, Gallicæ, Polonicę, Bohemicæ, multæque Germanicæ &c. Velim conferri à lectore *concionem Abrahami Sculteti de Idolis* habitam anno 1619. Decembr.12. in arce Pragensi, & cum *narratione apologeticâ curriculi vitæ anno* 1625. Emdæ in 4. editam, *Ejusdemque duo scripta apologetica*, alterum Germanicum, alterum Lat. *pro repurgatione sacelli Pragensis ab imaginibus c. accusatores Lutheranos.* Et Altingii *syllabum controvers. Lutheran. part.*2. *ubi de ceremoniis.* Vide supra *disp. de Præcisitate, & de Theologia Practica:* 11. *Problema* est, & quidem inter generalia generalissimum: Quibus signis, indiciis, & præsumptionibus, quis deprehendere possit, an alicubi subsit quid idolothyti, seu εἰδωλοειδές, *Resp.* Si consideret. 1. Antecedentia, & efficientia, ut, quis ejus institutor & inventor; quæ causa impulsiva, quæ prima occasio atque origo institutionis. Suggerit hoc Tertullianus apologet. cap.38. *neque spectaculis vestris in tantum renunciavimus, in quorum originibus eorum, quas scimus de superstitione conceptas.* Et de corona militis cap.7. *Quale igitur habendum est apud homines veri Dei, quod à candidatis diaboli introductum, & ipsis à primordio dicatum est, quodque jam tunc idololatriæ initiabatur ab idolis, & idolis adhuc vivis.* Sed pluribus hoc persequitur *cap.*5. & 6. de *Spectaculis:* ubi vide quæso. 11. Concomitantia, adjuncta, connexa; hoc est præludia, præambula, pompam, apparatum si habeant idololatrię, cum aut ipsa sint pompa & apparatus aut præludium,

aut appendix, auctarium, corollarium cultus idololatrici; jam præsumendi est symbolizatio cum idololatriâ. Hoc præceptum suggerit locus 1 *Corinth.* 10. 7. & egregiè Tertullianus cap. 11. de spectaculis: *Quid ergo mirum si apparatus agnum idololatria conspurcat, &c.* Vide reliqua; & confer explicationem *Heraldi digress.* 19. & 20. *ad apologet. Tertulliani.* 111. Fines, & effectus; an scilicet idolis dedicata, & autores atque usurpatores istorum intenderint idololatriæ, & superstitionis promotionem atque incrementum; aut an ex se & per se talia producere solent, aut saltem occasionem præbere. Tertull. de coronâ militis loc. cit. *quod à candidatis diaboli introductum, & ipsis à primordio dicatum est.* Sic ex. gr. ludi celebrati, habebant rationem *eucharistici* pro victoriâ; aut rationem *voti* in magnis rerum difficultatibus; aut quum bellum aliquod suscipiendum esset. De quo vide *Heraldum ad Tertullian. apol. cit. digress.* 23. Porro fontes unde antecedentia, concomitantia, fines &c. rerum aut actionum suspectarum cognoscuntur, sunt partim antiquitates, partim novitates seu quotidiana experientia: unde debitâ cum ἀγχινοίᾳ & ἀκριβείᾳ conclusiones & consequentiæ formandæ. Confer infra *part.* 3. *thesin* 2. *probl.* 8.

3. 111. *Probl.* An certa scientia hic requiratur, an verò sufficiat probabilis conjectura, aut præsumtio. *Resp.* pro ratione subjectæ materiæ certitudo, & demonstratio requirenda: uti monet *Philosophus Nicomach. cap.* 3. conjectura ergo, præsumtio, certitudo moralis sufficerit illi qui in timore ac tremore operatur salutem suam ad abstinendum à communione & consortio rerum aut personarum, quæ symbolizationi aut speciei idololatricæ quamvis incautos & ignaros nos implicarent. Hinc *parte priori* hujus *disp. thesi* 2. determinavimus non esse immunem ab omni symbolizationis, suspicione, aut periculo, aut scandalo, aut specie, qui in terris idololatricis adoraret ad fontem, arborem, &c. ubi videret incolas istius terræ, sive Gentiles, sive veri Dei cultores (ex pravâ consuetudine, aut συγκαταβάσει) ordinario aut solemniter adorare. Et ubi sciret aut scire posset ac deberet, colles, montes, lucos, arbores frondosas, fontes, omnia capita viarum passim idololatriâ polluta esse, *Ezech.* 16. 25. *Ierem.* 2. 20. (ubi vide *comment.*), immo non tantum diis consecrata, & Dii illis præfecti creduntur, sed & nymphæ in iis latere, immo & pro Diis habentur, iisque sacrificatur, templa dicantur *Horat. lib.* 3. *Ode* 13. *Virgil. Eclog.* 7. & *Æneidos* 8. *Maxim. Tyrius serm.* 18. & 38. *Herodot. lib.* 7. ubi de Magis. *Cicero lib.* 3. *de Naturâ Deorum. Plin. lib.* 16. *c.* 44. *Tertullianus apologet. c.* 42. & 51. Vide quamplurima huc spectantia apud polyistora *Gerh. Iohannem Vossium l.* 2. *de Idololatriâ à cap.* 74. *usque* 83. Et apud *VVichmans Brabant. Marianæ p.* 210. 211. *lib.* 1. *c.* 15. Debebat enim majorem diligentiam adhibere, & omnia

& omnia illic locorum suspecta habere, & in tutiorem partem inclinare; hoc est, ab eo potius & tantisper abstinere, & alibi in aperto campo, vel in mediâ viâ orare, aut tantum spiritu intus orare, donec re penitius exploratâ, certus esset, nihil illic idololatrici aut idolothyti subesse. Negligentiam suam milites Juliani in præsumendo, timendo, accuratius omnia pensitando postea deplorârunt: quamvis enim ipsi in particulari ignorarent, aut non cogitarent quid intenderet Julianus, aut quid actioni illi involveretur symbolizationis & speciei idololatricæ; debuissent tamen & potuissent majorem ἀκρίβειαν & cautionem adhibuisse. Quomodo autem exactè omnia pensitanda & distinguenda sint, docebit *sequens Problema.*

4. IV. *Probl.* Generale est: Quibus rebus & quando, ac quomodo uti liceat, aut non liceat, ut immunes simus ab omni symbolizatione cum idololatriâ. *Resp.* Absolvemus rem aliquot conclusionibus: quarum priores determinabunt quid liceat, posteriores, quid non liceat. 1. *Concl.* Licet aliquo in casu uti idololatricè alias viventibus, in negotiis minime idololatricis, sed communibus ad animalem aut civilem vitam spectantibus, ex. gr. emere ab idololatrâ Ethnico, aut nomine tenus Christiano vestem, cibum, medicamentum aliaque ad animalem vitam necessaria; aut operam ejus conducere, eâque uti in rebus & operibus necessariis, præsertim ubi non suppetunt alii quam idololatræ. Hoc enim in casu non uteris idololatrâ quâ tali, nec operâ ejus sub sigillo idoli. Adeo ut sine ratione Judæi suis interdicant eleemosynam accipere à Christianis (*Schulchan Aruch part. 2. num. 254.*); quod eos habeant pro idololatris, aut Ethnicis. Similes ipsis erant rigidi aliquot Pontificii, qui Sylvæducis cum adhuc Papatui & regi Hispaniæ subjecta esset, renuebant vesci caseo Hollandico: quod scil. in hæreticorum terrâ, & ab hæreticis paratus esset. Hoc à viro gravi & honorato, cive Sylvæducensi anno 1615. mihi relatum memini. 2. *Concl.* etiam mediis, & instrumentis communibus idololatrarum; ut in bello ipsorum tubis, hastis, gladiis, custodiis & vigilis, &c., quibus pugnant in hostem pro bona causa nostra, quamvis ipsi ea idololatricis dedicationibus, titulis, inscriptionibus &c. polluerunt. Sic in pace ipsorum instrumentis mechanicis, rusticis, navibus, curribus, domibus, hospitiis, stabulis &c. Quod si enim Paulus vectus est navi idololatrarum, & quidem præferente insignia Castoris & Pollucis. *Act.* 28. 11.: quidni liceat uti rebus, locis, instrumentis, operibus communiter ad animalem & civilem vitam necessariis? Hinc condemnatur placitum illud Judæorum in Schulchan Aruch part. 2. num. 143. מי שהיה &c. *Cujus ædes contiguæ sunt templo idololatrico, & collapsæ fuerint, eas ædificare prohibitum.* 3. *Concl.* Licet u-

ti, juramentis eorum quamvis idololatria pollutis, cum scil. jurant per falsos Deos, aut vero Deo addunt idola : modo illi potestati nostræ subjecti non sunt ; tunc enim non esset admittendum, aut tolerandum tale juramentum : Sed alibi docetur ex professo, quomodo possimus uti alienis peccatis, seu potius factis aliorum cum peccato aliquo conjunctis *disp. de Officiis caritatis erga proximum peccantem.* 4. *Concl.* Licet uti extra cultum Dei in vita communi, rebus ex lege naturæ & Divina ordinatione ad vitam naturalem aut civilem necessariis, aut per se admodum utilibus: quamvis ad idololatriam iis abusi fuissent, aut charactere aliquo idoli ea stigmatizassent Idololatrę. Sic aëre, aquis, locis seu terris, arboribus, cibis, domibus, utensilibus &c. Ita egregiè distinguit *Tertullianus de corona militis c.* 8. Sic licet uti pane, carnibus, & quibuscunque cibis quamvis idolo & in specie & in individuo consecratis, etiam pane missatico, libis, ovis, carnibus, &c. in paschate consecratis ; si scil. nulli alii cibi essent ab istâ singulari consecratione liberi. Quod autem Constantinopolitani (de quibus *part. priori th. ult.*) maluerint uti aliis cibariis seu opsoniis à Juliano idololatria non pollutis, haut malè factum : imprimis quia poterant alio cibo vitam pro illo tempore sustentare, & sic improbi istius idololatræ insulationes ac triumphos eludere: quamvis enim licuisset uti cibis ante pollutis, sed postea factis communibus per venditionem in macello 1 *Cor.* 10. *v.* 25. 27. quia tamen videbant tunc magis conducere abstinentiam ab iis, factum eorum superstitionis aut violatæ libertatis Christianæ insimulari nequit. Confer mox infra. 4. *Concl.* Licet uti in ipso cultu seu religione, rebus, ritibus, actionibus ab Idolorum cultoribus usurpatis, & idololatria pollutis ; si modo ex lege naturæ sint necessaria præsuppositа, ad cultum, seu causæ ac conditiones sine quibus non : qualia sunt horæ ex. gr. matutinæ & dies, ut & loca conventuum (templa scil., & sacella) tanquam circumstantiæ necessariæ (in genere scil.;) nam hic locus, aut hoc tempus præ alio non est necessarium ; item amphoræ, calices, mensæ, campanæ, apertio oris, extensio manus, itio ad mensam, sine quibus cœna domini administrari nequit: hâc tamen conditione, ut tanquam communia præsuppositа ac requisita ad res, actionesque alias humanas æque necessaria, & non tanquam propria aut consecrata, & sacramentalia habeantur, aut adhibeantur. Sic enim ritus, actiones, loca, adjuncta, utensilia, adhibent superstitiosi & idololatræ. 6. *Concl.* Licet uti in cultu divino rebus, & ritibus illis, quæ Deus ipse instituit, ut essent mystica signa, aut pars cultus ; quamvis antehac idololatriâ pollutis. Hic obtinet regula : tollatur abusus, & maneat rerum substantia. Sic repurgatâ & remotâ idololatriâ retinenda est cœna domini, & in ea manducatio panis & bibitio vini ; ut & aqua bapti-

baptismi, ejusque aspersio. Breviter totum ministerium ecclesiasticum. Sic uti licet oratione dominica, codice euangeliorum, nominatim euangelio Johannis, nominibus *Iehova*, *Schaddai*, &c. quamvis alii ad superstitionem aut idololatriam, aut magiam iis abusi sint. 7. *Concl.* Licet in cultu vel ad cultum publicum uti materia quorumvis idolorum, & utensilium, quæ idololatrico cultui consecrata aut appropriata fuerunt; modo forma eorum sit destructa & abolita; forma, inquam, ultima, quæ actuabat & specificabat illa ad cultum & usum idololatricum: sic metallo, ligno, lapide imaginum, altarium, monstrantiarum &c. ad ostia, limina, mensas, cathedras, pulpita, calices, &c. quorum usus est in ecclesiis nostris ex necessitate naturali, aut ex communi decoro. Forma enim dat esse rei proprium: quâ sublatâ, res illa non amplius est idolothytum, aut pseudo sacrum, immo nec potest esse, aut ad usum priorem denuo applicari, nisi forma illi restituatur. Hactenus determinavimus, quibus rebus, quando, & quomodo uti liceat absque communicatione cum idolis. Restat nunc addamus, quibus quando, & quomodo uti non liceat. Sunt enim 1. *aut* personæ, earumque officia seu munera, idololatriæ peculiariter dicata, ut ex. gr. sacrificus, flamen Dialis, augur &c. 2. *aut* actiones, ritus, &c. 3. *aut* instrumenta, ut vestes, altaria, signa seu imagines, templa, aliaque loca. 4. *aut* tempora. 5. *aut* nomina. De quibus tum in genere, tum in specie sic determinamus. Sit ergo generalis. 1. *Concl.* Non licet uti in cultu divino rebus & ritibus jure divino non præscriptis, aut lege naturæ non necessariis, aut saltem communiter admodum necutilibus nec requisitis; quæ monumenta præteritæ idololatriæ, & quibus alii tam manifestè ad idololatriam abusi sunt. Probatur hæc conclusio. *Primo*, quia Deus præcipit omnia illa monumenta tolli atque aboleri; ut nec vola nec vestigium eorum exstaret; & addit promissionem si faciant; contra minatur negligentibus. eosque increpat & culpat: unde sequitur multò magis vetari usum eorum in cultu divino. Si enim usum aliquem eorum hic voluisset Deus, utique tam severè non præcepisset abolitionem. Antecedens probatur ex *Exod.* 34. 13. *Numer.* 33. 52. 53. & 25. *v.* 3. *Deuteron.* 7. *v.* 5. & 12. *v.* 3. *Ies.* 30. *vers.* 22. & 27. *vers* 9. 1 *Corinth.* 10. *vers.* 20. & 21. *Apocal.* 2. *vers.* 14. 20. Hinc *Augustinus de bono conjugali cap.* 16. præstat *mori fame, quam idolothytis vesci.* Intellige in idoleio, in publicis & festivalibus epulis, & consequenter sub sigillo idoli. *Secundo*, Quia docent hoc probata exempla sanctorum *Iacobi*, *Genes.* 35. 4. ubi monilia abolentur, quippe idolis consecrata, superstitionis insignia, ut ibidem loquuntur *commentatores*. *Mosis Exod.* 32. *v.* 27. 28. *Eliæ*, 1 *Reg.* 18. *v.* 30. qui noluit offerre in altari Baalis. *Hiskiæ*, 2 *Reg.* 18. *v.* 4. Vide ibi *comment.* Martyris seu potius *Volphii*,

phii, & Zanchez. Iosiæ 2 Reg. 32.4.6.11.12.14. *Manassis* resipiscentis, 2 *Paralip.* 33. *vers.* 15. *Tertiò*, quia siquidem illa monumenta cultus idololatrici, in cultu divino aut circa eum relinquantur, periculum est ne infirmos, aut posteros nostros aliquando moneant & moveant ad antiquum cultum idololatricum, aut ei affinem sensim sine sensu repetendum aut admittendum, Vide *commentar. Calvini in Exod.* 23. *vers.* 24. *& Iesa.* 27. *vers.* 9. Et *VVolphii in* 2 *Reg.* 18. *&* 23. *Calvinum epistol. ad protectorem Angliæ: & ad Crammerum Archiepisc. Zanchii explicat.* 2. *præcepti de Imaginibus. Ejusdem epistol. ad Reginam Angliæ, epistol. libr.* 1. *Raynoldi colloqu. cum Harto cap.* 8.4. Hinc est quod Deus memoriam omnem aboleri voluerit. *Hos.* 2.6.7. *Zachar.* 13.2. Si enim lege Dei cautum est de puteo, lorica seu septo (*Exod.* 21.33. *Deuter.* 22.8.) ne damno sint brutis, aut hominum corporibus: quid non tollendum & removendum, aut saluti animarum consulamus. *Quartò*, quia voluit Deus suos differre & quam longissimè recedere ab idololatris, etiam quod ad externos ritus, gestus, utensilia, &c. ne vel ullâ specie viderentur cum ipsis symbolizare *Levitic.* 18.3. *Deut.* 12.30. *Exod.* 23.24. 2 *Reg.* 17.15. 2 *Paralip.* 13.9. 2 *Corinth.* 6. 14.15.16.17. *Iudæ vers.* 12. *Apoc.* 14.9. In hunc finem latæ sunt leges illæ *Deut.* 14.1. *&* 22.9.10.11. *Levit.* 19.27.28. *&* 21.5. ad quas vide *commentatores nostros & Pontificios. Quintò*, quia in usu eorum quæ idololatræ invenerunt, aut cum in se mera adiaphora essent consecrarunt & appropriarunt suis idolis, est quasi protestatio, & professio fidei, ac cultus ejusdem cum Idololatris, uti rectè colligunt *Beza, Pareus, Fulco ad* 1 *Corinth.* 10. *v.* 18. Confer *Thomam* 22. *qu.* 103. *art.* 4. Nec prætermittendus *Balduinus in casibus consc. lib.* 2. *cap.* 14. *cas.* 7. *Quintò*, adde consensum antiquitatis, *supra part.* 1. *§. ult. cit.* imprimis universalem quasi consensum antiquorum de abstinentia ab idolothytis paulò ante §. 1. indicatum; cum *recentioribus nostris, & Pontificiis ad Actor.* 15. 1 *Cor.* 8. *&* 10. *Apocal.* 2. *commentatoribus*; qui omnes in genere veritati huic testimonium perhibent, ut ut quidam in applicatione speciali ad sua idolothyta aut saltem species quasdam mali, a quibus praxis aut tolerantia eorum non satis abstinet, tergiversentur. Addendi omnes theologi, qui circa factum Naamanis Syri determinant: quos vide infra *parte* 3. §. 3. *in fine.* 11. *Concl.* Non licet in communi hominum convictu & conversatione, idolothyta, aut monumenta idololatriæ habere & usurpare, quorum proprius & solus, saltem primarius finis & usus aut fuit aut etiamnum est idololatricus & pseudoreligiosus: ne quidem si prætendatur mutatio finis, usus, & modi. Sic ex. gr. non sunt in conviviis edenda præmessa quæ Diis præmitti solent aut iis oblata & nomine eorum benedicta: de quibus vide *Franciſc. Iunium, & Casp.*

Casp. Zanchez in Danielem. Pariter abstinendum à libationibus convivia claudentibus, quæ fiebant cum thure in arulam aut forum injecto, tum poculorum quorundam ἀγαθοῦ δαίμονος, Διὸς σωτῆρος, &c.) delibatione: de quibus *Hesychius in voce* νεόρατοι, & *versus Platonis apud Athenum l.* 15. *Dipnosoph. in initio.* (Confer quæ alibi diximus de poculis salutis *disp. de Ebrietate*; & quæ infra *part.* 3. *thesi* 2 *probl.* 12.) Excipimus hic asservationem quorundam idolorum, aliarumque rerum non in propatulo, sed in ταμείοις & locis à frequentatione hominum semotis (iisque, si fieri posset, publicis): quorum usus sit convincendis idololatris, aut eorum causidicis, siquidem necessitas ita tulerit. *Object.* Atqui usus & finis idolothyton posset alicui esse longè alius, nempe ad amicitiam cum idololatris illis convivis conciliandam, aut vero Deo grates persolvendas, &c. *Resp. Primò*, verbum Dei & praxis primò primitivæ ecclesiæ apud *Tertullian. loc cit.* docet abolitionem, non metamorphosin, hoc enim longè tutissimum. *Secundo*, finis operis, ex prima institutione, & perpetuo usu ac sensu Gentilium, & præsenti praxi atque intentione reliquorum convivarum, tamen manet; nec à te tolli potest: quæcunque enim sit hujus aut illius usurpantis particularis (sæpe etiam suppressa & tacita) intentio; ea non tollit idolothyton, nec statum ejus mutat: nec tollit speciem mali, scandalum infirmorum, confirmationem & triumphum hostium. *Tertio*, talis libatio non habuit apud Gentiles finem atque usum communem civilem, aut œconomicum; sed pseudo sacrum seu religiosum. Quod si forte Gentiles talem quem intenderint; ille fuit, aut per accidens, aut indirectus, accessorius, & secundarius. Hic autem semper judicandum est ex fine & usu per se, *directo, primario.* 3. *Concl.* Non licet circumferre & usurpare (imprimis ubi adhuc vivunt Idololatræ) res aut utensilia in se ac per se adiaphora & civilia, sed quibus extrinsecè adnexum est aut implicitum, aut superadditum quid idolatrici: nisi illud demptum & repurgatum sit; & sic retineatur usus rei directus & principalis qui est humanus seu civilis (ac consequenter licitus), tollatur vero accidentalis aut accessorius. Exemplum sit in annulo, de quo *Clemens Alexand. pædagogi lib.* 3. *cap.* 11. Neque enim, ait, idolorum sunt, imprimendæ facies, quibus vel solum προσέχειν ἀπείρηται. Confer quæ infra *part.* 3. de imaginibus Deorum Ethnicorum notamus. 4. *Concl.* Rebus tum naturalibus tum artificialibus ad hanc vitam necessariis, immo ad publica exercitia religionis, in se tamen aut directè nec sacris nec religiosis, uti non licet nisi à sigillo idoli liberentur, quantum in nobis, & ad communem usum redigantur, addita solenni protestatione. Ex. gr. dies dominicus, aliique ab ecclesia ad ordinarium conventum, aut extraordinariam supplicationem, eucharistiam

deputatus non debet abjici, ut nec platearum, nec templorum, nec curiarum, nec fori, nec ciborum, nec armorum necessarius usus, quamvis Julianus aliquis omnia illa cum tota civitate & regione dæmoniis solenniter offerret aut consecraret. Necessaria & per se ex lege Dei aut naturæ, non sunt dimittenda propter ea quæ per accidens. Ita enim diabolus fieret dominus mundi, & omnium usum nobis interverteret pro libitu, nobisque ex mundo exeundum foret: contra illud *Tit.* 1.15. 1 *Corinth.* 3.21. & 10.25.26. De facto Constantinopolit. (apud *Paulum Diaconum*) sic distinguo, fuisse illud bonum, ad fastum & triumphum apostatæ retundendum atque eludendum, potuisse tamen illos cibis in macello publico (non in idoleio) more, modo, & tempore consueto emptis vesci. Quod si & frumentum polluisset, necessitas usum ejus suasisset. (Confer *Concl.* 4. *in principio hujus sectionis*). Quod si hoc obtinet in rebus in singulari seu individuo pollutis, multo magis in speciebus rerum, ut aquarum, terrarum, animalium, arborum, artium, vestium, &c. quorum facta erat inter Deos divisio; ut videre est apud *Arnobium lib.* 7. *Tertull. de corona militis cap.* 8. & *de Pallio, ferè sub finem*, & *disp. nostra de Patronatibus, tutelis & præfecturis sanctorum.* Confer cum problematis hujus enodatione *append.* 1. *ad disp. de Superstitione thesin* 2. Hinc etiam pendet explicatio Augustini lib. de hæresibus hæres. 70., qui prohibet imagines 12. signorum zodiaci, quibus in capite aries, in cervice taurus, in humeris gemini &c. ab Astrologis constituuntur: *hæc*, inquit, *& alia fabulosa, vana, sacrilega, quæ persequi longum est, hæresis* Priscillianistarum *contexit.* Cum Augustino de iisdem hæreticis idem judicium fert *Leo Magnus epist.* 93. *ad Turibium Asturicensem episcopum cap.* 14. Et *concil.* 1. *Bracarense can.* 9. & 10. Quo hodiernæ medicorum & astrologorum opiniones ac picturæ, libellis almanachicis plerumque insertæ damnari videntur. Sed explicationem per distinctionem suggerunt exserta verba Concilii Bracar. can. 9. *Si quis animas & corpora humana fatalibus stellis credit astringi, sicut Pagani & Priscillianista dixerunt, anathema sit.* Et can. 16. *Si qui duodecim signa, id est sydera quæ Mathematici observare solent, per singula animæ vel corporis membra dispartita credunt, & nominibus patriarcharum adscripta dicunt, sicut Priscillianus dixit; anathema sit.* Ex Pontificiis *Molanus libro de picturis sacris cap.* 19. Medicos & astrologos expeditos putat, si dicatur, patres illos tantum *fatum* damnasse, non autem sobriam mathesin. Sed *canon.* 10. *concilii Bracar.* & verba *Augustini* non subsistunt in adjuncto & accessorio de fato, sed ipsam conjunctionem membrorum corporis, cum illis signis, & illorum ab istis dependentiam, atque istorum in illa dominationem, quæ ab astrologis tradi solet, apertè rejiciunt. Nos in *disp. de Creatione* monuimus hypothe-

potheſes illas de ſignorum aliorumque ſyderum ſpecificis effectis in hæc inferiora eſſe fabulas phyſicas ; quas tamen ab hæreſi Priſcillianiſtarum diſtinguimus; quamvis inde occaſionem ſumſerit. Sunt ergo rejiciendæ.

v. *Probl.* Generale, An Gentilium & quorumcunque idolorum colu- 5.
mnas, & arbores, pro Diis habitas, aut ſaltem Diis conſecratas, liceat Chriſtianis ſacris dicare : ut piâ quaſi fraude rudiores circumveniantur, & atque adeo ars arte deludatur. Idem quæro de aliis ritibus & obſervationibus idololatricis, quæ retenta ad Chriſtiana ſacra applicantur. *Reſp.* probatur hoc quidem & defenditur à Pontificiis, *Gretſero tom.* 3. *de cruce.* Imprimis etiam ab *Aug. VVichmans Brab. Marianæ lib.* 1. 5. 15. ubi celebrat plurimas arbores Gentilium (nominatim in Belgio) mutatas in Marianas. Nos hanc artem improbamus ; quod non videamus Chriſtum, Apoſtolos, Prophetas oblatis occaſionibus eâ uſos fuiſſe : quorum prudentiæ & zelo non decet nos detrahere. Accedit quod excuſari non poſſint tales metamorphoſes & illuſiones, à colluſione & ſpecie idololatrica, aliiſque periculoſis conſequentiis ; niſi intentio diverſa ab intentione idololatrarum prætendatur. Sed hanc ſolam non ſufficere ad bonitatem moralem notiſſimum eſt. Præterquam quod arboreus ille cultus Mariæ, ſeu cultus B. Virginis in arbore, ſit directa & craſſa idololatria ; de quâ hic non agimus. Affinis hic eſt *quæſtio :* An arbor Jovis à Bonifacio Epiſcopo Moguntino apud Haſſones in loco dicto *Geiſmar* exciſa (quam tantopere coluerant Gentiles) prudenter & tutò converſa ſit in materiam oratorii Petri, quod inde exſtructum. *Reſp.* Probant quidem hoc factum *Annaliſtæ*, qui vitam Bonifacii ſcribunt ; & *Gabriel Biel ſerm.* 17. *qui eſt de Bonifacio.* Ego quamvis longè diſſimile ſit factis ſuperioribus, malim non probare, aut ſaltem ἐποχεῖν.

VI. *Probl.* generale eſt: An nomina idolorum ſint uſurpanda; aut per- 6.
ſonæ ac res nominibus idolorum ſint appellandæ, aut ſaltem ab iis denominandæ? *Reſp.* 1. Idololatræ uſurpant nomina idolorum aliquâ cum conſcientiâ & approbatione, quaſi ſcil. aliquid eſſent & aliquid poſſent (contra 1 *Corinth.* 8. *v.* 4. *Galat.* 4. *v.* 8.): ſpeciatim uſurpant ea in invocatione, juramento, feſtorum celebratione, ſacrificio & libatione, denique in conſecratione perſonarum, rerum, locorum, temporum, officiorum, operum, eorundemque ab illis denominatione. Et ab hâc uſurpatione, immo & ejus participatione dehortatur nos ſcriptura. Nulla enim idola unquam ſunt nominanda, cum aliquâ fide aut conſcientiâ eorum, & ad eorundem commendationem, aut ad traditionem & propagationem cultus idololatrici, ſive hoc fiat cum formali & directa intentione, ſive abſque eâ ; nedum ut Deum aut res divinas iis nominibus denotemus :

sed tantum cum detestatione, odio, ac fastidio eorum, cum scil. necessitas explicationis grammaticæ, aut explicationis scripturariæ, aut confessionis fidei, aut abjurationis errorum, aut relationis historicæ, aut elenchi theologici id requirit: & sic accipienda loca *Zachar.* 13. 2. *Hos.* 2. 15. 16. *Psalm.* 16. 4. coll. cum locis ubi occurrit Jupiter, Mercurius, Saturnus, Cemosch, Milcom, Baalpehor, Dagon, Nebo, Astaroth, Tertull. de Idol. c. 20. *Meminisse debemus etiam in verbis quoque idololatriæ incursum prævacendum, aut de consuetudinis vitio aut timiditatis. Deos nationum nominari lex prohibet, non utique ne nomina eorum pronuntiemus, quæ nobis ut dicamus conversatio extorquet. Nam id plerumque dicendum est, in templo Æsculapii illum habes, & vico Isidis habito, & Sacerdos Iovis factus est, & multa alia in hunc modum, quando & hominibus hoc genus nomina inducuntur. Neque enim Saturnum honoro, si ita vocavero eum suo nomine, tam non honoro quam Marcum, si vocavero Marcum.* Hactenus Tertullianus. Sunt ergo loca illa citata *Zachar.* 13. *Hoseæ* 2. *Psalm.* 16. conferenda cum Ephes. 5. vers. 3. *Scortatio* &c. *ne nominetur inter vos.* Et vers. 12. *turpe est dicere.* Ex quorum textuum explicatione, & sententiarum limitatione, analogicè explicatio textuum cit. & Problematis nostri determinatio per similem limitationem desumi potest. Homines nominibus idolorum (ex. gr. Mercurii, Martis, Dianæ, Panis, &c.) non sunt appellandi: nec primo instituto, & cum certâ intentione, ac conscientia idoli; nec sive otiosâ sive ambitiosâ & curiosâ κακοζηλίᾳ ad imitationem nominis in familia aliqua antehac impositi. 3. *Concl.* Homines ut & aliæ res, herbæ scil. morbi, antidota, insulæ, portus, montes, sylvæ, regiones, ordines equitum, collegia, fraternitates, plateæ, templa, civitates, vici, arces, naves, &c. ab idolis denominanda non sunt: quod si per errorem & idololatriam antehac denominata sunt, annitendum ut nomina mutentur, quæ mutatio haut ita difficulter promoveri posset ab artificibus, Magistratibus, præfectis, omnibusque aliis, qui imprimis aut circa res illas occupantur, aut iis præsunt: quod si tyrannis consuetudinis, & recepti usus nec flecti nec frangi queat, aut alia synonyma usurpanda (si quæ sint in usu), aut ex necessitate iis ipsis utendum ut intelligamur, subinde tamen addita formula qua indicemus, ita prætendi, aut ita vulgo appellari. Sic Spir. *l.* non veritus fuit uti nominib. Belzazar, Abednego, Zenas, Hermes, Apollos, & sancti illi viri iis nominibus se passi sunt appellari. Occurrunt & nomina locorum, Betdagon, Baal hermon, kiriat Baal &c. 4. *Concl.* Ipsa idola appellare aut compellare, verbis & formulis Gentilium aliorumque Idololatrarum, plane nefas ducimus: sive id joco fiat sive serio; per modum sive juramenti, obtestationis, sive precationis & gratiarum actionis, sive hortationis ad

alios

alios ut hoc faciant, ſive relationis & narrationis de ſeipſo quod quis ipſe hoc fecerit. Alibi hoc ulcus tetigi, in *diſp. de Gentiliſmo*, & *de Superſtitione*. Nunc nihil addo, niſi hanc rationem (quam ibi innuo) dæmonas formulis & verbis Magorum nunquam eſſe aut invocandos, aut vocandos, aut compellandos, aut adjurandos; quocunque modo aut prætextu, aut fine illud fiat, nec duos Deos Manicheorum, nec Æonas Valentinianorum; nec uſurpandas formulas aut phraſes cujuſquam licet Αττικωτάτου ſcriptoris quæ notarent res & conceptus nobis infandos. Idem dico, de figmentis & abominationibus Alcoranicis ac Thalmudicis, ſi quem Arabicè aut Hebraicè contingat ſcribere. Notum eſt exemplum ſtudioſi illius, qui hoſpes in arte magicâ, immo ab ea alienus, cum ex curioſitate in ædibus Cornelii Agrippæ formulas ſeu conjurationes Magicas legeret, à dæmone fuit interfectus, (de hiſtoriâ hac *Delrio, diſq. Mag. lib. 2. qu. 39.* quem oppugnat *Gabr. Naudeus in Apologiâ Gall. cap. 15.* alibi in *diſp. de Magiâ* citandi). Quod ſi factum otioſum hujus juvenis improbamus, quo colore defendemus cultum Deorum Gentilium, quem hodie verbis & ſcriptis præ ſe ferunt ac profitentur non pauci; qui corde in Chriſtum ſe credere gloriantur. An non ſemel diſcent ex Apoſtolo 1 *Corinth.* 10. Deos Gentilium, fuiſſe dæmonia? Quid aliud Panes, Fauni, Dryades, Nereides, Apollo, Diana &c. aliique Dii hominibus ſubinde apparentes, quam ſpectra diabolica? Uti alibi notamus in *Diſp. de Spectris*. Sed quia propter literaturam ſubinde philologi tales divertunt ad patres nonnullos, Arnobium, ſc. Lactantium, Hieronymum, Tertullianum: velimus eos talium ſtylum abſque Ethniciſmo minime barbarum ſibi proponere; imprimis & præcepta eorum (*ſupra cit.*) ſemel imbibere, & peccatum ſuum agnoſcere. Confer quæ *infra* dicemus *de explicatione ſcriptorum Ethnicorum*, *de Comœdiis*, &c. Et mox ad *ſequens problema.* VII. *Probl.* An cum religio vera alicubi conſtituitur aut reſtituitur, Deum aut res divinas, & quæcunque ad cultum Dei pertinent liceat appellare nominibus idololatricis, & recepti termini ſeu technologemata idololatriæ retinenda, aut etiam in gratiam adverſariorum revocanda ſint. *Reſp. Neg. utrumque.* Cogitandum quam male hoc ceſſerit κακοζηλίᾳ quorundam in antiqua eccleſia, qui propter Ethnicos vocabulo luſtrationis, ſacrificii, initiationis, feſti, templi, &c, ad fidem & ſacra Chriſtianorum traduxerunt, & verbis à ſimplicitate apoſtolica deſciſcentes, occaſionem præbuerunt poſteris ipſa re deſciſcendi. Sic hodie incruſtatores quidam & infelices Syncretiſta (de quibus *Ladenſium* Αυτοκατάκρισις) paſtores eccleſiæ ſacerdotes, menſam domini altare, loca conventuum ſacra templa, cœnam ſacramentum altaris, &c. denuò appellare cœperunt; quo fine,

& quid sibi voluerint vident nunc omnes. Non sine ratione tempore majorum nostrorum abhorruerunt Protestantes in Germaniâ non tantum à Pseudo-Interim, sed ab omnibus phrasibus Interimisticis. Sic olim Catholici non tantum re & doctrina, sed & phrasibus ab hæreticis Arrianis aliisque quam maximè distingui voluerunt. Nota est historia vocis ὁμοούσιος, & *Concilii Ariminensis*. Vide & *apologiam Magnæ Britanniæ Regis Iacobi, super causa Conradi Vorstii*. Rationes nostras denuò urgemus, & hic applicamus ex *Deuter.* 12.3. *Exod.* 23.13. *Zachar.* 13.2. *Psalm.* 16.17. (coll. cum *Ephes.* 5.3.) 1. *Argum.* sit tale: Deus non tantum non vult appellari nominibus, quæ in malam partem significant, sed ne quidem ambiguis, alioquin in se neutris, & minime malis: Ergo nomina ab idololatris imposita, usurpata, & formaliter idola aut idololatriam significantia, multo minus usurpari patitur; nedum cum remota jam sunt & oblivioni tradita, denuo revocari, & phrasibus scripturariis substitui. Antecedens probatur, ex *loc. cit.*, imprimis *Hos.* 2. Ubi nomen *Baal* in se bonum, ex prima institutione & primigenio usu nihil mali significans, non magis quam vox *Adonai dominus*, aut vox *isch, maritus*. Significat enim dominum, & maritum. Et Deus nomine *Baal* exsertè nominatur *Ies.* 54. *v.* 5. coll. *Ies.* 62.4. Cum ergo sint synonyma, *isch*, & *Baal*; cur isto minus appellabitur Deus quam illo? Propter ambiguitatem, ut rectè ex R. Marinus observat *Aben Ezra in commentar. ad locum cit.* quia *Baal* etiam nomen est idoli: voluit vel ipsa ambigua nomina tolli, & non tantum mala seu idololatrica. Ita ut symbolizationis vel minima species etiam in usu nominis communis seu ambigui cessaret. Erat enim nomen illud frequentatum idololatris, immo communi usu, quasi idolis suis appropriatum. Addit Hieronymus in commentar. ibid. *Ne dum aliud loquitur, alterius recordetur, & virum nominans idolum cogitet*. Adde & tertium: Ne posteros suos recordari facerent, & hoc nomen ipsis memoriale, & consequenter occasio esset idololatriæ, cum absque detestatione & contemtu aliqua mentio (saltem usu nominis ambigui) idolorum fieret. Vide & confer *Amesium de Ceremoniis contra Burgesium* 1. *part.* 3. *sect.* 3. & 4. 2. *Argum.* Quia ob detestationem facti, etiam nomen exosum est, immo, si fieri possit, aboletur atque æternâ oblivione sepelitur. Notum est quid de nomine & familia Regicidarum statuant Judices, quidque olim Ephesii de nomine & famâ Herostrati; quid factum nomini Aristocratis apud Athenienses, ob odium Aristocratiæ (*Aristophanes in Avibus*:) & Tarquinii apud Romanos (quamvis de ipsâ historiâ alii aliter censeant.) Volebat Augustus domum suam etiam à suspicione immunem esse. Et Apostolus *Judas*, *v.* 23. tunicam odio haberi, quæ à carne polluta sit & Paulus *Ephes.* 5.3. avaritiam & impuritates ne qui-

ne quidem nominari. Quid ergo faciendum circa idololatriæ infandum crimen, Christianis, qui spiritu Christi donati, *linguis loquuntur novis*, ut nonnemo ex veteribus. VIII. *Probl.* An nomina idolorum plantis, morbis, antidotis seu medicamentis, vicis, civitatibus, templis imponenda; aut si ab aliis imposita sint, necessario retinenda. *Resp.* 1. *Non* sunt imponenda: quia impositio talis involvit aliquid aut idololatrici, quasi scilicet isti Divi morbum illum immitterent, aut curarent, aut illi præfecti essent: aut aliquid ridiculi. Idem judicandum de plantis ex. gr. S. Mariæ stramen lecti, S. Mariæ Calceolus, S. Virginis Chlamys, herba S. Rochi, clavis S. Petri, sigillum S. Mariæ, lachryma S. Marię, linum S. Mariæ, lac S. Mariæ, fumus S. Mariæ; item herba, mentha, lilium, carduus, chirothecæ Mariæ; herba S. Laurentii, Petri, Pauli, Jacobi, Gryteriæ, Christophori, Laurentii, Ladislai, Kuningundis; S. Johannis Persica, nuces, pyra, panis, herba, cingulum, flos, baccæ; lignum S. Crucis, sanctum fœnum, S. Crucis tribubulus, S. Francisci Spina: quas *plantas à sanctis denominatas peculiari libello* exhibuit, *Iohannes Bauhinus*. Imprimis hic notanda nomina sequentia, quæ profanum abusum nominis divini implicant, ut herba S. Trinitatis, radix sancti spiritus; item palma Christi; huc pertinet *lachrymæ Christi*, quâ denotatur delicatum vinum. Profanam illam appellationem, & hinc profanè captatum jocum ἐν παιζόντι perstringit *apologia pro Stephano Paschasio IC.* à filiis ipsius edita *contra Iesuitam Fr. Garasse lib.* 5. *sect.* 2. ubi videat cui vacat. 2. *Si imposita* sint; quandoquidem synonyma suppetunt græca & latina, quæ barbaris illis longè præstant in naturis herbarum denotandis, ex communi usi exterminanda; & in solis herbariis nomenclatoribus ad histor. relinquenda. 3. De nominibus regionum, urbium, vicorum, templorum, idem moneo. Sed quia difficulter usus mutari potest in talibus, nisi Reges, Principes, Magistratus, publicique ipsorum actuarii hic præcant: ab illis hoc exspectandum. Si ipsi errore religionis, aut alia aliqua de causa hoc non agant, utendum est tantisper illis nominibus; sic tamen ut subinde ostendamus non nostro sensu aut consensu, sed aliorum ita vocari. 4. De ordinibus, collegiis, fraternitatibus, &c. sic censemus: usurpari posse synonyma; ex. gr. ut dicantur Equites qui aureæ periscelidis, alias dici solent equites D. Georgii; & societas seu fraternitas Mercatorum, quæ & S. Nicolai; Fabrorum lignariorum, quæ S. Josephi *aut* nomina plane mutanda; aut à titulis idolorum liberanda, idque autoritate sive ipsius collegii, si fieri possit, sive Magistratus. Quod si hoc obtineri nequeat, tutissimum est fraternitatem deserere: ubi scil. mordicus autoritate Magistratus talis denominatio retinetur, & ubi nulla denominatio illa est sola, aut plerumque idolothyta aliqua observantur, quibus

bus hominis pii & verè reformati conscientia acquiescere nequit amplius & ulterius urgemus nominalem hanc συγκαταβασιν, colluscnem, & ambiguitatem in *libello nostro contra Fraternitates Marianas.* Sed circumstantiis individuantibus expositis, propius theologicum consilium suppeditari posset. Confer particularia problemata de nominibus, infra *part.* 3. §. 2. Problemata sunt: 1. *An & quomodo reformatus bona conscientia & salva professione sua ordinibus equitum S. Trinitatis, S. Spiritus, S. Marci, D. Iacobi de Spatha, S. Mariæ, S. Thomæ, S. Michaelis &c. adscribi possit; sub ductu & imperio Principum Pontificiæ religioni addictorum.* 11. *An & quomodo adscribi possit ordini alicui equitum, quos vocant sacros, & milites ecclesiæ.* Resp. *In titulum, institutionem, regulas ac leges, juramentum, cujusque ordinis accuratè inquirendum, & deinde consilium suppeditandum.* Quod si ordo sit sub imperio Regis aut principis reformati, videndum an & qua repurgatione totus ordo generaliter extra periculum symbolizationis, & scandali constitui possit. Sin minus; quisque conscientiæ suæ prospiciat, ne quid faciat contra suam professionem: Sed si finis ordinis proprius & primarius repugnet religioni; jam nulla protestatio, stipulatio, restrictio, repurgatio hic locum habet; sed discessio, aut renuntiatio. Quidquid enim hic excipitur aut limitatur de non præjudicando, est mera contradictio, & illusio. Sed decisionem istorum aliorumque problematum vide in *disp.* 4. *de Monachatu*: ubi de militibus sacris, seu militibus ecclesiæ. 1x. *Probl.* An feriæ publicæ, & festa idololatrica servari aut celebrari possint, absque symbolizatione. *Resp.* 1. *Neg.* siquidem ita observet, ut cum actibus idololatro-religiosis, item epulis, ludis, spectaculis festivalibus communicet. 2. *Neg.* si quis, ubi libertas datur laborandi, solenniter ferietur, propter illum diem. 3. *Aff.* si quis palam mandato Magistratus cogatur abstinere à labore, dummodo privato labore, & quibuscunque signis satis se discriminet ab idololatricâ feriatione. De festis trium Regum, Martinalibus, Bachanalibus, Encæniis, Kal. Majis, &c. quæ specialiter dicenda, require in *Disp.* de *Bachanalibus*, & de *Festis.* x. *Probl.* An idem statuendum de feriis privatis natalium. *Resp.* Ita quidem censet *Tertull. lib. de Idololatr. c.* 16. & respicit ille ludorum institutum & apparatum Ethnicum; uti constat *ibid.* & *cap.* 7. Qualis autem fuerit observatio & celebratio diei natalis disces ex scriptoribus antiquitatum; nominatim ex *Censorino de die Natali cum notis Ludovic. Carrionis*, & post eum uberioribus *Henrici Lindenbrogii cap.* 2. & 3.; imprimis ex *Martino Roa lib. de die natali sacra & profana*, qui omnium uberrimè. Adde & *Rich. Montacutium in appar. ad orig. eccles. appar.* 11. §. 34-39. Cum ergo idololatræ natales & suos, & fautorum, amicorum Principum, ipsius Imperii (de quibus loquitur

quitur *L.7.C.de Feriis,& Sozomenus lib.5.histor.eccles.cap.17.*), etiam defunctorum, quin & deorum, summa cum religione ac hilaritate celebrant, & munus annale (teste *Censorino cap. 2. & ibi Lindenbrogio*) Genio solvunt, mares quidem Genio, fœminæ Junoni; non video quomodo pius iis immisceri possit absque symbolizatione. Vide *infra part.3.§. 2.Probl.9.* An autem & quomodo inter Christianos ex proprio instituto, alio longè modo, ac fine celebrari queant, alibi quæsivi; nec est hujus loci. Vide supra *disp.de Superstitione*; & hic *infra part.3.§.2.Probl.10.* Hoc saltem imprudens æmulatio Gentilium natalitia celebrantium apud antiquos in celebrandis natalibus martyrum aliorumque sanctorum effecit, ut paulatim via muniretur ad idololatricum cultum sanctorum: ut ut illi ritus illos ex superstitiosis religiosos facere intenderent. Sed sapere supra verbum Dei carnalis sapientia est. Vide de hac celebratione *Mart. Roa cap.1.& 18.* & de orta inde Idololatria *Chemnitium in Concil. Trid. examine.* De natalitiis Christi, pro quibus tantopere stomachatur *Montacutius appar.cit.§.38.39.&c.* abundè egimus in *disp.de Tempore Nativitatis Christi.* XI. *Probl.* De conjugiis, & fœderibus cum idololatris alibi suo loco disputaturo, hic sufficerit indicasse, ut sciamus iis implicari aut saltem implicare posse symbolizationem. Fœdera accuratè limitat *Rivetus com. in Hoseam.* XII. *Probl.* An & quomodo peregrinandum sit in terris idololatrarum, ubi nulla conscientiæ libertas sit, aut nulla conniventia? ex. gr. in Hispania, Sicilia, principatibus Italiæ nonnullis, si non plerisque? *Resp.1.* externo honore vel minimo symbolizare non licet; quoties occurrit aut imago, aut sacramentum, quod vocant, altaris, aut quodcunque σίβασμα: ne quid dicam de confessione auriculari, audienda missa, perceptione sacramenti &c. ad quæ nonnunquam adiguntur. 2. Quod si quis dicat, alicubi locorum omnia illa evitari posse: utiq; non omnino improbanda est peregrinatio. Sed vix fit verisimile, peregrinantes hoc solo fine ut rara, & admiranda ubique perreptent, & propriis oculis usurpent (quales sunt plerique nostrates) à periculo aut symbolizationis aut damni & vexationis posse immunes esse. Atqui non licet curiositate sua sibi malum accersere. Si quis legat *Delitias Italiæ* Italica, etiam nostra lingua editas, adhæc *Delitias apodemicas* latinè, & *admiranda Romæ* vernaculo sermone edita *ibidem* 1589. & *antiquitates Romæ* autore *Andræa Vrsino ibidem* 1588. & *opera pia urbis Romæ* autore *Camillo Fanucco ibid.* 1601. *& Joh. Lopardi Mirabilia Romæ, lat.* 1618. videbit pleraque à curiosis peregrinantibus spectari solita, aut esse idololatrica, aut saltem hodie cum iis conjuncta; ita ut periculum sit ab aliqua externa pollutione, aut simulatione, aut damno & incommodo. Huc analogicè applicanda, quæ *Teellingius* habet

in libello de spectandis idolis supra cit. & Nobiliſſ. *Marnixius Montis S. Aldegondii Dominus in Christiana admonitione ad Reformatos in Brabantia, Flandria &c. delitescentes* Gall. & Belg. Quod ad endemia gentis vitia, ea peregrinantibus istic, præsertim Romæ, non rarò aut damnum adferre, aut affricari experientia nimis nos docuit. De iisdem legat, cui vacat, *Iohan. Barclaii satyricon part. 4. quæ est de iconibus animorum cap. 6.* & imprimis *Lipsii epist. ad Phil. Lanoyum, quæ est 22. centur. 1. ad Belgas.* XIII. *Probl.* An quis quacunque cautione in communione Ecclesiæ Romanæ manere, aut ad ejus communionem redire possit, absque multiplici symbolizatione. *Resp. Neg.* Applicandi à majori ad minus, *libelli modo cit.* & *Calvinus contra Pseude-Nicodemitas*; *& Rivetus contra Grotium.* Quidquid enim torquent homines, & in quascunque formas se convertunt, conscientiæ suæ vim faciunt, & factorum luci reclamant; ut videre est in *nupero scripto Grotii*, ubi idealem ecclesiam, fidem, ac religionem Romanam fingit, ut lectori illudat, quæ nusquam est in rerum natura, quamque nec Pontificii, nec Protestantes agnoscant: uti eum abunde docuit *D. Iacobus Laurentius*; & patet ex *judicio Sorbonæ de Syncretismo Meletierii*, quod exstat apud *D. Rivetum in tract. contra Grotium.* Sed de necessitate secessionis à Papatu, *Arminius & Vorstius peculiar. disputationibus, Iosephus Hallus in Româ irreconciliabili*, & nuper Rever. collega noster *D. Schotanus peculiar. disputat.* Confer *diatriben nostram de Syncretismo seu unione dissidentium ecclesiarum.*

7. Sequuntur nunc aliquot particularia problemata, & casus. 1. *Problem.* Textualia: An altare Rubenitarum *Ios.* 22. fuerit idololatricum; & quid de columna Jacobi *Genes.* 28. *v.* 18. Ephod Gideonis, *Iudic.* 8. 27. altari Salomonis 1 *Reg.* 8. 64. & Eliæ 1 *Reg.* 18. 10. Et columnis *Levitic.* 26. *v.* 1. & de facto Hiskiæ 2 *Reg.* 18. 4. & de facto Danielis & sociorum *Daniel* 1. Quæ tantum nunc indico, ut brevis sim, & coram in disputatione determinabo. Interim consulant, qui volunt, *commentatores ad loca cit.*, & conferant imprimis *Amesium contra Burgesium de tribus ceremoniis*; *& librum anonymi* tit. *Anglo Papisticæ ceremon.*, *Scotis obtrusæ.* Hoc solum observent juniores improbari, à nostris factum Rubenitarum, in *notis Belg. & commentar. Calvini in Ios.* 22. Contra defendunt aut planè excusant fabricam altaris. *Masius, Arias Montanus, Serrarius, Franciscus Haræus*; & ex Lutheranis *Chytræus & Andr. Osiander ad loc. cit. ad Iosuæ* 22. Factum Gideonis *Iudic.* 8. Improbant *notæ Belgicæ & Anglicæ, & comment. Martyris, Lavateri, & Ariæ Montani, Fr. Harei, Chytræi, Andreæ Osiandri*; cum *Riveto* in *comment. ad Hoseæ* 3. *v.* 4 *Munsterus ad Iudic.* 8. videtur excusare. 11. *Probl.* An ceremonia crucis alicubi in administratione baptismi usitata, aliquomodo symbolizet. *Resp. Aff.* Quia est ceremonia ab hominibus institu-

ta,

ta, non vero à Deo ; & horrendum in modum idololatria polluta, uti etiamnum hodie polluitur, immo universale instrumentum & vexillum quasi omnis idololatriæ & superstitionis in Papatu; ideoque plane abolenda : Præterquam quod sit ἐθελοθρησκεια, quod scandalizet plurimos, quod pomum eridos &c. De quo alibi in *Disp. de Staurolatriâ.* Interim videndi doctissimi omnium in hoc genere scriptores, *Parkerus de Cruce* angl. & ejus Hyperaspistes *Amesius* (sed suppresso nomine) *contra Mortoni defensionem*, *idemque contra Burgesium* Angl.; & *Didoclavii altare Damascenum* latinè, & postremus omnium *Anonymus in tract.* Angl. cui tit. *Anglo-Papisticæ ceremoniæ Scoticis Ecclesiis obtrusæ*, cum quo confer *Ladensium* Αυτοκατακρισιν. III. *Probl.* Quid de genuflexione in Cœnâ? *Resp.* Non esse sine specie mali, & aliquâ symbolizatione : præsertim vigente adhuc artolatria Papatus. Mitius tamen judicandum est de eo ac de formatione crucis. Sed de hoc in *Polit. Eccles.*, *c. de Ceremoniis*, *& de administratione Cœnæ.* Vide *autores modo cit.* IV. *Probl.* Quid de genuflexione ad mensam aut altare, extra usum cœnæ? *Resp.* Esse absurdissimam & intolerandam superstitionem, & insignem cum Idololatris Symbolizationem. Quod ex professo probavimus *Disp. de Superstitione.* V. *Probl.* Quid de genuflexione ad auditum nomen Jesu? *Resp.* Mitius de eo judicandum, quam de præcedenti ceremonia : Omittendam tamen, propter rationes, quas vide in *Disp. de Superstitione.* VI. *Probl.* Quid de apertione capitis, aut externa reverentia templis exhibenda? *Resp.* Idem quod supra. Vide *Disp. de Templis, de Superstitione, de Sacramentalibus.* VII. *Probl.* An vestes sacerdotum pseudo-Sacrę aliaque ornamenta (ex. gr. album superindumentum) quibus in cultu suo idololatrico uti solent Gentiles, aut Pontificii, si adhiberentur à nostris in cultu publico, aliquâ ratione symbolizent. *Resp. Aff.* Rationes ex determinatione primi problematis generalis huc applicandæ. Et quæ ex *Tertulliano de Coronis & de habitu, gestuque precantium* citavimus. Vide *Amesium lib. cit.* *Altare Damascenum & Anglo-Papistic. Ceremon. Scotis obtrus. part. 4. cap. ult.* VIII. *Probl.* An ad Orientem precari, sit symbolizare cum idololatris, sive Ethnicis, sive hodiernis Pontificiis. *Resp.* Determinamus istis conclusionibus. *Prima* est : situs quicunque ad aut versus quamcunq; mundi plagam inter precandum, est in genere ἀδιαφορῳ : qui tamen ratione locorum, temporum, factorum, & personarum, in individuo talis esse desinit; cum idololatrę eum ad idololatriam & superstitionem peragendam appropriant; itaque ab eo abstinendum, ne videamur externa specie cum ipsis communicare, imprimis si rapiantur ab adversariis ad causæ suæ defessionem. Sic Deus in V. T. inhibuit adorationem versus Orientem constituto sancto sanctorum ad Occidentem. (Vi-

de *Thomam* 1.2.*qu.* 102.*a.* 4.;) & Apostolus 1 *Cor.* 11. & *Tertullianus de Oratione c.* 12. habitum, situm, ac gestus ab Idololatris inter orandum adhiberi solitos. *Secunda*, Hodie in Occidente habitantibus (ubi nullus viget Gentilismus;) non tam propter metum symbolizationis cum idololatria Gentili, quam cum Papali artolatria, ad situm inter orandum, attendendum est. Nam in Papatu templa orandi causa adeuntes, vertunt se versus chorum seu ad Orientem, ubi putatur Christus sub speciebus panis corporaliter in monstrantia habitare, quem propterea ibi adorant. Hujus observationis & ritus etiam extra templa tres alias causas ex quodam Anastasio notat *A Lapide in Actor.* 1.*v.* 12.*p.* 51. Quia scil. Christus ascendit ex monte Oliveti ad Orientem Hierosolymæ; & quia ibi oritur sol, Deusque solis sit author; & quia memores sumus paradisi, qui erat ad Orientem, rogantes eò restitui unde per peccatum excidimus. *Tertia*, adoratio versus Orientem posset esse triplex; privata, privato publica, communis seu publica. 1. *Privata* in privatis domibus, plane potest esse libera: nullum enim ibi est idolothyton, quod sciam. 2. *Privato publica* in templo, si quis Orationis causa ex professo illud adeat (quod an faciendum, alibi disquiritur in *Disp. de Templis*) aut data occasione illic oret; promiscuè posset fieri, ad quamcunque plagam; modo ad Orientalem præ aliis se non adstringat ex aliquâ mystici & sacri signi, aut medii conscientia; insuper si solus ibi oret absque spectatoribus; præsertim Pontificiis aut infirmis. Sed si tales spectatores adsint, & chorus faciat Orientalem partem templi: utique ad aliam potius plagam convertendum esset: ne videatur symbolizare cum artolatris versus chorum semper adorantibus. 3. *Privato publica* genuflexio, versus Orientem, chorum, altare, cum quis templum ingreditur aut transit: plane superstitiosa est, & non leviter symbolizat: de quo ex professo & pluribus egimus in *Disp. de Superstitione*. 4. *Publica* in & cum cœtu ecclesiastico ad quamcunque partem fiat pro situ pulpiti seu cathedræ (quem liberè determinat ecclesia, secundum naturalem necessitatem aut commoditatem,) non est repudianda. Si quis ergo hic, dum tota ecclesia, præeunte ministro, versus Occidentem, aut Meridiem, aut Septentrionem orat, perpetuo aut sæpe ad Orientem aut ad chorum se converteret, sive cum intentione & conscientia aliqua antiquæ superstitionis, sive ex mera consuetudine παραπαιόντων, aut stupida ac servili majorum suorum, aliorumve imitatione: utiq; non est immunis ab omni specie mali. Debebat enim omnia accuratè expendere, & circumspectè ac cum ratione agere in cultu Dei, qui est rationalis (*Rom.* 12: coll. cum *Eph.* 5.15.) nec à communi usu ecclesiæ orthodoxæ sine gravi ratione recedere: ne per ignorantiam & imprudentiam incidat in speciem ali-

aliquam ſuperſtitionis Papiſtarum ad Orientem in templis ſuis adorantium. Atque hæc eſt determinatio ejus caſus, quem exempli loco in *primâ parte hujus diſp. theſi* 2. indicâram. Peccatum ergo tale conſtituimus primo & principaliter in omiſſione, quod ſcil. non adhibuerit majorem diligentiam, attentionem, & curam; nec inquiſiverit, quare illi quos imitatur, aut qui illum ab ineunte ætate quamvis myſteria illa non intelligentem aſſuefecere, in templis adorare verſus Orientem, quare, inquam, idololatræ illi hoc fecerint. Ad hanc ipſius omiſſionem, ſequitur ignorantia & quidem non planè inculpabilis, & ad hanc commiſſio aliqua illius ſymbolizationis cum idololatris, ut & temerariæ aut otioſæ diſceſſionis à praxi Orthodoxæ eccleſiæ ſuæ, in cujus communione vivit, & cum quæ orat. Ad illuſtrationem hujus problematis de ſitu in oratione facit *appendix quarta & quinta ad Diſp. de Superſtitione.*

Appendicula, De precatione ad Orientem.

POST primam & ſecundam hujus diſp. editionem occurrerunt mihi non pauca de precatione ad Orientem, ex quibus nonnulla nunc viſum indicare, quæ ſpectant ad ſenſum & praxin Gentilium, Judæorum, Muhammediſtarum, antiquorum Chriſtianorum, Pontificiorum, Græcorum, noſtrorum. 1. Gentiles verſus Orientem converſos oraſſe, conſtat ex Virgilio Æneid. 12. v. 172. *Illi ad ſurgentem converſi lumina ſolem.* Ubi Servius: *Diſciplinam ceremoniarum ſecutus eſt, Et Orientem ſpectare diceret, eum qui eſſet precaturus.* Hinc templa ad Orientem ſpectare debere docet *Vitruvius lib. 4. Architect. c. 5.* Morem hunc Judæi idololatræ à Gentibus didicerunt. Et *Ezech. 8. v. 16.* Ægyptii enim aliique Gentiles ſolem tanquam Deum colebant, nomine Oſiridis, Mithræ, Adonidis, ignis, Apollinis. De quo *Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 17. & 21.* Confer *adagiorum ſcriptores in adagio: ſolem Orientem adorare.* Et *commentar. Cornel. à Lapide in Ezechiel. 8. verſ. 16. Seldenum ſyntagm. 2. cap. 7. & 10. Cornel. à Lapide, & Villetum in Levitic. 26. verſ. 30. Martyrem & Caſpar. Zanchez. in 2. Regum 23. verſ. 5. Maymonidem in More Nevochim lib. 3. cap. 29. & 30. Rabbinorum commentar. ad loca ſcripturæ cit. Tertullianum in Apologet. cap. 16.* & ibi *notas Pamelii, Rigaltii, Heraldi. Minutium in Octavio.* & ibi *Vvouvverium & Elemenhorſtium*: Imprimis *Pinedam in Iobi 31. verſ. 26. & Voſſium lib. 3. de Idololatria cap. 3. 15.* Qui fuſiſſimè demonſtrat ab omnibus Gentibus ſolem cultum, omneſque Deos eorum *Mithra, Orum, Melochim, Priapum, Belum* ſeu *Bahal, Liberum* ſeu *Iacchum* &c. in ſolem reduci: & hi duo ſint inſtar omnium. Nihil eſt quod hic addamus, niſi de Zabæis, ſeu Chaldæis ad Orientem adorantibus, apud *Maymonidem in*

More part.3.cap.45. ; & de hodiernis Japoniis, & de Indis incolis Induſtan ſub Imperio magni Mogul, quos Bramines ſeu Brachmanes appellant. De illis refert *Franciſcus Solier* Jeſuita *lib.1.hiſtor. Eccleſ. Iaponiæ cap.* 10., quod Bonzi quidam (h. e. ſacerdotes eorum) adorent Solem & Lunam, & ſimul idolum dictum *Denix*; cujus tria capita appingunt, dicentes ſignificari per illa vim ſolis, lunæ, & elementorum. De iſtis teſtatur *Abrahamus Rogerius lib. de moribus & religione Braminum cap.* 16. quod ante ortum ſolis ſurgunt, & verſus Orientem aut Septentrionem precantur. Quod forte ex antiqua diſciplina Pythagoræ retentum. Præter rationem adorationis Gentilium ad Orientem, à præſtantiâ immo & Deitate (ipſorum opinione) ſolis deſumtam, poſſet forte & alia excogitari, à præſtantiori Orientalis plagę præ Occidentali deſumta: uti innui in *Diſp. de Superſtitione.* Quid ſit de ipſa præſtantia hic non diſquirimus; modo conſtet eſſe popularem ſive opinionem ſive errorem; uti autor *pſeudoxiæ epidemicæ Thomas Brovvne* diſertè fatetur *lib.6.cap.7.* ubi ex profeſſo præſumtam Orientis præ Occidente præſtantiam oppugnat. 11. Judæos, cum populus Dei eſſent, ad Occidentem precatos, non ad Orientem, communiter colligitur ex ſtructura tabernaculi, à commentatoribus Pontificiis & antiquitatum Judaicarum ſcriptoribus; ut hoc ſitu à Gentilibus ad Orientem precantibus diſtinguerentur. Vide *Pinedam ad Iobi* 31. *v.* 26. *p.* 664. *& Thomam* 1.2. *qu.*3. *art.*3. *A Lapide in Levit.*10.8. & in *Ezech.*8.16. Ex adverſo tamen hujus obliti, ad Orientem eos precari ſolitos, obſervant *Corn. à Lapide in Geneſ.*47. *v.*31. coll. cum *comment. Dan.* 6. *v.*10. & in *Hebr.*11. *v.*21. *Pineda lib.*5. *de rebus Salomonis cap.*5. & rationem hujus ſitus aſſignant, quod orandum eſſet verſus terram promiſſam, aut verſus Hieroſolymam, aut verſus templum; hoc enim à Deo præſcriptum *Deuteron.* 12. *v.*5.22. Quaſi ſcil. terra Canaan, aut Hieroſolyma, aut templum omnibus Iſraelitis à Dan uſque ad Berſeba ad Orientem ſitum eſſet. Sed his miſſis, de Judęis non-populo loquamur. Eos ad Occidentem precatos, teſtantur unanimiter decreta antiquorum mox infra indicanda de precatione Chriſtianorum ad Orientem. Judæorum Magiſtri in *Miſchna tract. Berachot cap.*4. tantum in genere determinant, ſi quis precaturus inſederit aſino, & non poſſit deſcendere, ut dirigat ſeu diſponat facies ſuas & ſi hoc non poſſit, cor ſuum: כנגד בית קדש הקדשים id eſt, *verſus domum ſanctum ſanctorum*. Idem *ibid. v.* 5. præſcribitur ſedenti in nave, aut curru &c. Sed *Maymonides* addit *part.* 3. *More Nevochim cap.* „45. Thalmudicos in Gemara Abrahamum deſignaſſe Occidentem pro „loco ſancti ſanctorum &c. Et convertiſſe ſe in monte Moriah ad Occi„dentem h. e. in ſanctuario: ita ut tergum ſuum ſoli obverteret. Cauſam

hujus

„hujus rei ibidem assignat, quod cum communis eo tempore superstitio „esset solem adorare ac pro Deo habere, sine dubio omnes homines ad „Orientem se converterint. Non video, quomodo Palestina, aut campi, ubi Hierosolyma fuit, omnibns Judæis in Oriente, Occidente, Austro, Septentrione habitantibus, omnibusq; terra marive proficiscentibus, Occidentales esse possint, cum faciem eò convertũt. Multò minus video, quomodo in quâcunque mundi plagâ orantibus aliosque superstitiosos ritus peragentibus & quidem facie versus Orientem conversâ (uti ipsis hoc in more positum,) iidem campi ipsis ad Occidentem siti sint, ubi dicunt etiamnum habitare majestatem Dei, sicuti olim habitabat in Occidentali parte tabernaculi, hoc est, in sancto sanctorum. Sic enim philosophatur „R. Eliezer in Pirke Eliezer cap. 6. *Cum autem sol in Oriente egressus* atque „in Occidentem ingressus est (majestas enim divina semper est in Occi„dente) tum inclinat se coram sancto benedicto & inquit: *domine omni„um orbium, feci juxta id omne quod præceperas mihi.* 111. Muhammedistę, quamvis solem ipsum directè non adorent, tamen eum intelligentem & fidelem credunt cum suo Apostolo. *Euthym. Zigabenus part. 2. Panopl. tit. 24.* per consequentiam illi impingit quod putet solem, lunam, stellas &c. esse Deos; quod per ea juret. Quod autem in anathematismus errorum Muhammedi (in *Sarracenicis* gr. lat. per Sylburgium editis *p.* 85.) mentio fit adorantium ἄστρον πρωϊνον Luciferum scil. & Venerem, quam Arabum lingua *Chabar*. h. e. *magnam* nominant; illud non Muhammedismo, sed antiquæ Arabum superstitioni quæ Muhammedanis nonnullis etiamnum tunc adhærebat, tribuendum est. Ab iis enim planetas & solem adoratum fuisse constat ex *Abulfarii historiâ Arabum*: quam vide, *pag.* 5. & *ibid.* luculentum *commentar. Pococki*, in quo etiam de nomine *chabor* disquiritur. *Euthymius Zigabenus part. 2. panopliæ tit. 24.* refert Luciferum & Venerem appellatam *chamar* h. e. magnum ante tempora Muhammedi à Saracenis cultam. Quod ad Muhammedum, ille suis primum injunxit, ut inter orandum faciem versus templum Hierosolymitanum, uti Judæi (de quibus modo dictum) converterent: postea tamen injunxit, ut Meccam versus se converterent; referente *Abulfeda*, apud *Pocockum in commentar. cit. p.* 175. Mutationem hanc introduxit, ne Judæorum morem servare videretur. Posteriorem seu novam præceptionem ipse in *Alcorano cap. Vacea* (quod est 2. *al.* 1.) inculcat; addendo, *hoc esse rationabile, & à Deo ita constitutum.* Et tamen eodem capite monet, *Occidentem & Orientem esse Dei*: Unde infert, *ad quamcunque partem homines se convertant, ibi occursuram ipsis faciem Dei: divinitatem Dei se extendere per totam terram.* Ubi observandum Meccam tunc adhuc fuisse idolis deditam; &

Mec-

Meccanum templum *metsgid* (quod exsertè ibi designat) septimo demum anno post Muhammedi hegiram & exilium ab idolo, quod illic colebatur, repurgatum est: ipse autem secundo anno post exilium præceptum hoc dederat: uti constat ex libro *Agar*, & *Sunna*, tum absurditas religionis Muhammedicæ colligitur. Vide non malè de hoc disputantem *Phil. Guadagnolo contra librum Ahmedi ben zin Ababadin*, (cui tit. *politor speculi,*) *tract. 2. c. 7. sect. 3.* & *cap. 10. sect. 5.* Jam vero Meccam Muhammedistis in Ægypto & parte illa Africæ vulgo dicta Barbaria habitantibus, constat esse Orientalem: quam tamen aliis alibi habitantibus Occidentalem aut Meridionalem &c. esse necesse est. *Philippus Lonicerus tom. 1. historiæ Turcicæ lib. 2. cap. 7.* dicit orantes in suis *mesgidim*, faciem versus Meridiem convertere. Primæ orationis tempus Turcis esse horam antelucanam, cum apparere incipit aurora, nimis notum est. An autem hic aliquis respectus sit, ex antiquâ Arabum superstitione, non immeritò quæri posset. IV. Antiquorum orthodoxorum doctrinam & praxim circa adorationem ad Orientem, confirmant nobis autores sequentes. Dictus *Clemens lib. 2. constit. apost. c. 61. Iustinus* sive quisquis autor, *lib. quæst. & respons. §. 118.* ubi addit consuetudinem hanc acceptam ab apostolis. *Tertullianus* in *apologet. c. 16. & lib. 1. ad nationes cap. 13. Origenes homil. 5. in Numer. Epiphanius lib. 1. Panarii hæresi. 19.* ubi adversus Ossenos, taxat Elxai hæreticum, qui suis prohibebat adorationem versus Orientem. *Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromat. Autor* sub nomine *Basilii lib. de spiritu s. cap. 27.* ubi ait ritum hunc non ex scripturâ sed ex traditione haberi. *Author quæstionum ad Antiochum*, qui cum *Athanasii* operibus excuditur, *quæst. 14. Photius in Nomocan. tit. 3. c. 1. & tit. 7. c. 5.* ubi allegat & *Basilium de Spiritu S. Dionysius Areopagita* (ita dictus) *hierarch. cœlest. cap. 2. Severus in rituali Syriaco. Damascenus lib. 4. Orthod. fid. cap. 13.* per totum. Intentio eorum non fuit mala: ne scilicet cum Judæis olim ad occidentem orantibus symbolizare viderentur, & Christianam suam libertatem ipso facto vindicarent. Et certè agnoscenda est eorum ἀκρίβεια & præcisitas in studio evitandi omnem superstitionis speciem, sive indirectæ sive participatæ. Nihilominus liceat disquirere, cur cum Gentilibus & Gentilium similis Manichæis videri maluerint symbolizare, quam cum Judæis? Cur in Scyllam incidere, cupientes vitare Charybdim? Cur potius, siquidem circa situm inter orandum quid determinandum esset, meridiem & septentrionem non elegerint? Præsertim cum ipsis propterea imputaretur, quod solem colerent, tanquam Deum suum: uti refert *Tertullianus loc. cit.* Et Gentilium adorationes, sacrificia, templorum ædificationes versus Orientem, tunc temporis æque, immo & magis vigerent

rent ab publicè triumpharent, quam Judæorum versus Occidentem? Exceptio Clichtovæi in commentar. ad Damasceni loc. cit. non satisfacit, quod scil. *idololatriâ tunc temporis prorsus eliminata & explosâ, per adorationem ad Orientem non relicta Christianis causa aut occasio imitationis Ethnicorum.* Quasi vero exoleviſſet tunc omnis Gentilismus; & in aliis ritibus quamplurimis, quorū aliquos indicavimus, evitatio symbolizationis cum iisdem plebi Christiani studioſè inculcata non fuerit. Et hæc quidem de more ortHodoxorum. Quod ad heterodoxos, inter eos Manichæi solem & lunam adorabant, testibus *Augustino c. Adimantium cap.* 13. *& lib.* 2. *c. Faustum Manichæum*; *& Damasceno, de hæresibus.* Heliotropitæ herbas ad solem folia conAerrentes, inter eas heliotropium, cernui adorabant; quod vim quandam divinam iis ineſſe putarent, teſte *Damasceno, de hæresibus:* v. Pontificii hodie templorum choros, ad Orientem exſtruunt, ibique sacrificium missæ petagunt, ibi in thecâ corpus domini (uti loquuntur) custodiunt & adorandum proponunt, eò precantes se convertunt. Cum templorum fabricam ad fabricam tabernaculi exigunt, & inde derivant (de quo in *disp. de Templis*), non vident se sanctum suum sanctorum, ad Orientem ædificare, quod in tabernaculo erat ad Occidentem. Viget autem apud eos adoratio ad Orientem ob rationes mox referendas. De publicâ Oratione in communi, testantur *Iohannes Stephanus Durantus lib.* 1. *de ritibus eccleſiæ Cathol. cap.* 3. *Iosephus Vicecomes lib. de Ritibus baptismi lib.* 4. *cap.* 17. *Polydorus Virgil. lib.* 5. *de inventor. cap.* 9. *A Lapide in Actor.* 1. *& in Ezech.* 8. *Pineda in Iobi* 31. *v.* 26. *Becanus Manuali pag.* 41. edit. in 8. ubi affirmat esse traditionem Apostolicam. *Daniel Mallonius in commentar. ad Paleotti tract. de Stigmatibus Christi cap.* 20. *p.* 406. ubi tamen magnas, multiplices & mysticas prærogativas Occidenti tributas esse docet; (quas videat, cui hoc tanti est:) hinc factum, ut baptizatus statueretur ad Occidentem, manibus expansis, teste dicto *Areopagitâ de Cœlesti hierarch. cap.* 2. *Iacobus Goar in notis ad Rituale Græcor. pag.* 29. *§.* 14. *Gavantus tom.* 1. *thesauri sacrorum rituum part.* 2. *tit.* 5. *p.* 122. ubi allatis rationibus pro precatione ad Orientem, disertè suam, quam ita vocat, traditionem A-„postolorum his verbis diruit: *Verum nunc ad omnem partem Missam cele-„bramus, quia Deus ubique est.* Ut nihil nunc dicam de aliis Ritibus & agendis ipsorum ex. gr. in administrando baptismo, de quo *Iosephus Vicecomes lib.* 4. *de ritibus baptismi cap.* 17. Rationes, quas partim ab antiquis partim à se excogitatas obtendere solent sunt istæ apud *Gavantum loc. cit. Lorinus*, quia adorandum est, ubi steterunt pedes domini *Psalm.* 131. (al. 132.): illi autem steterunt in monte Olivarum, qui est ad Orientem. *Secunda*, Quia Deus est lux vera. *Tertia*, ut respiciamus paradisum, unde A-

dam ejectus est: erat autem paradisus ad Orientem. *Quarta*, Quia Oriens est pars honoratior mundi. *Quinta*, quia Christus in cruce Occasum respiciebat, eodemque situ cœlum ascendit, & inde est venturus ad judicium: conversi igitur ad Orientem, quasi sedem Christi, oremus. Hanc rationem à Christi situ Occidentali in morte habet etiam *Ioh. Ludovicus de la Cerda adversar. sacr. cap.* 80. §. 4. eandemque, ut & situm Christi in sepulcro, in benedictione, in ascensione pluribus deducit *Mallonius loc. cit. Ioh. Steph. Durantus loc. cit.* addit, ideo imaginem Christi crucifixi in templis Occidentem spectare, ut intrantes, primùm oculis suis oppositam Christi imaginem intuiti, Christum Orientem versus proni adorent. *Sexta*, ad differentiam Judæorum, qui versus Occidentem orabant. *Septima*, quia in aurora venit Deus ad Apostolos die Pentecostes. *Octava*, Quia monemur convertere animam ad naturam præstantiorem, h. e. ad Deum; sicuti convertimus corpus nostrum ad cœleste nobilius. His octo, quæ omnes apud *Gavantum*, & partim apud antiquos (*Damascenum*, dictos *Iustinum*, *Athanasium*, *Areopagitam*, & *Augustinum*) partim apud Pontificios quosdam *modo cit.*, occurrunt, addantur & istę ejusdem furfuris *Nona*, Quia ab Oriente est motus diurnus. Hæc est *Rhodigini lib.* 12. *cap.* 9. cui *Pamelius in notis ad Tertulliani Apologet. c.* 16. hanc rationem non rectè substituit. Ut differrent à Judæis. *Decima*, Quia Christus in scriptura sol Oriens justitiæ, ejusque adventus splendor adveniens nuncupatur. Hanc explicat *Pamelius loc. cit. Vndecima*, quia ut sol ex Oriente, ita lux cognitionis sedentibus in tenebris affulsit. Hæc desumitur ex *Clement. Alexandr. lib.* 7. *Stromat. Duodecima*, Ut tantò facilius, Gentiles versus Orientem precantes ad fidem Christianam converterentur. *Lorinus in comment. ad Levitic.* 16. *v.* 15. 16. Atque hæc Pontificia alligatio precum & templorum ad Orientem: quam tamen ad publicas preces cum *Cardinale Hosio lib.* 4. *de tradit.* restringit *Ioh. St. Durantus loc. cit.*; ita ut privatim orantes aliò conversi culpa careant. Quin & *Bellarmin. lib.* 3. *de cultu sanctorum cap.* 3: Fatetur omnes ecclesias ita non ædificari, ut omnes in iis orantes Orientem respiciant. *Iacobus Goar.* Dominicanus magis παῤῥησιάζεται, cum *in notis* ad Rituale Græcorum Paris. gr. lat. 1648. editum p. 29, scribit: *In observatas tamen plerique prætereunt Romanas vetustiores ecclesias ad Occidentes ferè partem oppositam esse obversas. Ibidem* tamen subjungit, sacerdotem sacra celebrantem à vetusto precandi more non recedere; quippe qui non tam populum ad se versum, quam Orientem respiciat. Quidquid autem rationum hujus situs huc advocent, unica illa est instar omnium, quod ad Orientem collocata sit pyxis seu theca continens Deum ipsorum panaceum. VI. Græci in publico cultu ad Orientem adorant,

orant, & benedicunt: uti constat ex ordine sacri ministerii autore Philotheo patriarchâ, qui exstat in rituali Græcorum edit. Jac. Goar, ibi p. 2. & 4. qui in notis refert, hunc sacrum morem ita inviolatum esse *Græcis, ut retro ecclesiam, si forte clausa sit, adorare coacti, terga potius ecclesiæ quam Orientis regioni vertere formident:* Nihilominus in eodem ordine observo, sacerdotem ad Occidentem conversum elata voce formulam quam orationis proferre: *Dominatur valde misericors, domine Iesu Christe Deus noster.* De Abassinis scribit *Iosephus Vicecomes lib. 4. de antiquis baptismi ritibus cap.* 17. quod diacones baptizandis dicat: *Ad Orientem respicite.* Idque se habere dicit ex ipsorum ordine baptizandi. *Ibidem* conjicit, valde probabile esse etiam in ecclesia latina talem ritum obtinuisse: cui conjecturæ firmandæ faciant baptisteria tum vetera tum recentia, quæ eadem sunt. Quidquid sit de ecclesia Romana, saltem relatio de Abassinis non tam facilè recipienda, sine ulteriori probatione: cum compertum sit & ex professo probaverit Jesuita *Godignus lib. 1. cap. 20. &c. de rebus Abassinorum, historias & relationes de religione Abassinorum*, magnam partem esse confictas. VII. Reformati neque lege naturæ seu morali, (uti vult *Pineda ad Iobi* 31. *v.*), neque constitutione aut consuetudine antiquorum quorundam, nedum Pontificiorum ad Orientis plagam se alligatos credunt: juxta illud 1. *Timoth. 2. v.* 8. coll. cum *Iohann. 4. v.* 21. 23. Insuper negant esse constitutionem Apostolicam. Sic *Villetus in Levitic. 16.* & in *Daniel. 6. v.* 11. *Danæus in commentar. ad 1 Timoth. 2. v. 8. Vedelius in Colleg. Theolog. disp. 51. Marnixius Sanct-Aldegondii dominus tom. 1. tabulæ seu alvearii Romani part. 5. cap. 6.* perstringit Pontificios, quod hic symbolizent cum Gentilibus. *Antagonistæ Bellarmini, Fr Iunius & Amesius, ad lib. 3. de cultu sanctorum cap. 3. & Hospinianus lib. 2. de Templis cap. 1.* Rationes ipsius pro choro & precatione ad Orientem refutant. Atque hactenus collecta à nobis de precatione ad Orientem. Quæ autem sit sententia nostra de hoc ritu retinendo aut abolendo, ita antehac in corollario disputatio-
„ni de cruce subjecto contra cavillationes exponebamus: Precatio ver-
„sus Orientem aut Occidentem in se & per se planè est adiaphora: cum
„tamen alterutrum ab Idololatris, inter quos vivunt Christiani, mordicus
„retinetur & conscientiæ idololatricè ac superstitiosè ad illud alligantur;
„libertatem suam Christianâ optimè tuentur fideles, si ipso actu in con-
„trarium eant, atque ita secundum legem caritatis & prudentiæ proxi-
„mum ædificent, non scandalizent. In antiquis ecclesiis si ad circumstantias illas orationis, propter urgentes rationes à Judæorum aut Gentilium cultu ipsis oblatas, ita attenderint, ut plurimæ ad Orientem, aliæ ad Occidentem se verterent (prout *Antiochenos* hoc feciisse observat *Rivetus in*

Apologet. pro verâ pace ecclesiæ contra Grot. p. 148. ex *Socratis lib.* 5. *cap.* 22.) utique ἀκρίβεια eorum laudanda videtur. Secus judicandum, si tales rationes uullæ fuerint. Quidquid sit, videmus saltem tam novum aut ridiculum non esse, si occasione grassantis idololatriæ Ethnicæ aut Pontificiæ, attendat quis ad externum situm, gestum, habitum, aliaque Orationis circumstantias: imprimis si cohabitet Pontificiis aut aliis Papizantibus, qui propter Deum panaceum, vel propter altare seu mensam in Orientali parte templi collocatam, eò studiosè se convertunt.

PARS TERTIA. 14. *Iunii* 1642.

IX. *Probl.* An inter precandum terram osculari, aut denudatis genibus precari, sit symbolizatio. *Resp.* 1. Oscula ab Ethnicis Idololatris, superstitiosè & non uno modo adhibita: de quo consulendi *philologi antiquarii*; & præcipua indicarunt *Rivetus & Lorinus ad Psalm.* 2. 12. *Pineda ad Iobi* 31. *Rivetus in Hos.* 12. 2. *Wolphius, & Caspar Zanchez ad* 1. *Regum.* 19. 18. *A Lapide ad Ezech.* 8. *v.* 17. *Ios. Vicecomes lib.* 5. *c.* 1. Ex antiquariis & philologis *Vossius l.* 2. *de Idololatriâ c.* 3. *Wouwerius, Elmenhorst., Heraldus ad Minutium, in principio. Brissonius lib.* 1. *de formulis p.* 35. *Petr. Pithœus lib.* 1. *aadversar. cap.* 3. Erat autem osculum non tantum amoris, sed & subjectionis signum: uti constat ex *Psalm.* 2. *v.* 12. Ubi vide *commentar.* De osculatione manus in adorandis aut salutandis idolis intelligendus est locus *Iob.* 31. Cum quo ritu confer, erecti pollicis admotionem ad os, & circumactionem seu conversionem corporis: de quo utroque *Vossius loc. cit.* & pluribus de posteriori *Demsterus ad Rosini antiquitat. Roman. lib.* 3. *cap.* 33. Quod autem & quomodo à tali specie mali abstinendum sit, collige ex *Iob.* 31. ubi *commentatores. Confer Rivetum* circa flexum corporis & manus ad os admotionem accurate & cautè determinantem. De osculo fidelium in primitiva ecclesia, & quare illud abrogatum, docent *comment. ad Rom.* 16. *v.* 16. *& Ioh. Lud. de la Cerda in adversar. sacris c.* 81. *§.* 22. *&* 151. *§.* 19. *&* 160. *§.* 17. Qui idem de osculatione pedum Papæ *cap.* 184. *§.* ubi probare conatur, morum hunc esse antiquum. Ut de osculo terræ dicamus, usum habuit apud Gentiles in honorando terræ & regionis cujusque genio & præside, quem ἐγχώριον δαίμονα & Θεὸν vocabant qui anguis forma colebatur: de quo nonnulla *Vossius de Idololol.* 1. *c.* 18. plura collegit *Meursius ad Lycophronis Cassandram.* Vide *commentatores ad Ovidii Metamorph.* XIII. *Troja vale, rapimur, clamant, dant oscula terræ Troades.* Est etiam ejus usus in devotione Papali, publica autoritate stabilitus: ità Indulgentiæ in Canonizatione Borromæi concessæ

sunt

sunt à *Paulo V.* anno 1610. iis, qui inter & præter alias devotiones terram septies oscularetur; ut videre est *in ipsis Indulgentiis* Belgice editis Antwerpiæ apud Verdussen 1614. Videmus ergo quid de hac ceremonia sentiendum sit. Nec præterunda devotio diaboli qui admota capiti energumenæ imagine Mariæ, coactus fuit septies *Pater noster* & *Ave Maria* pronuntiare, & septies terram osculari; ut notavi olim (nisi memoria me fallit) ex *historia Miraculorum Mariæ Oetingensis.* Simile miraculum refert *Augustin. Vvichmans lib. 1. Brabantiæ Marianæ cap. 15. p. 217.* de diabolo per virtutem assulæ de quercu Mariana expulso ex energumena, & clamante: *Vivat domina aspricollis, quæ egredi me cogit.* Quod *ex Lipsii Mariâ Aspricollensi Mirac. 39.* depromptum est. De altari novies aut decies osculando, deque mysticis osculis manuum in sacris, *Gavantus tom. 1. sacr. rit. pag. 115. & 175.* 2. Nuda genua, referimus ad nudepedalia & similes egenas ceremonias ide quibus alibi. x. *Probl.* An missam, processiones, jubilea celebrare, aut iis interesse, aut saltem ea spectare liceat? *Resp.* determino istis conclusionibus. 1. *Concl.* Non licet celebrare cum aliqua scil. conscientia: quia est horrenda & crassa idololatria: de qua alibi agendum. 2. *Concl.* Non licet eam propter considerationes mundanas frequentare, aut ei subinde, aut etiam semel ex officio mundano interesse; quamvis sit absque proprio sensu: ut cum exempli gr. coronatur Imperator, aut Regis, principisve matrimonium, aut triumphus, aut funus id videtur requirere. Quia esset crassa & indecora simulatio; & pugnaret homo exterior, cum interiori. *Eo damnabilius agit, sic agit tamen, ut eum populus veraciter agere existimet,* ait Augustin. de Civit. Dei lib. 6. c. 10. confer *Thomam 22. qu. 3. art. 1.* Et quæ *ad tertium præc. disputantur de Professione & Confessione fidei. Secundo,* quia alios infirmos scandalizat & seducit (1 *Corinth.* 8.) Pontificios confirmat, religionem suam ignominia, pios tristitia afficit: contra *Matth.* 18. 7. 1 *Thess.* 5. 22. *Ephes.* 5. 11. Æstimatur, autem scandalum non ex particulari & arcana intentione operantis, sed ex manifesta conditione operis. *Tertio,* directè peccat in Deum, cui religionem externè non exhibet æque ac internè, corpore æque ac anima, sed potius idolo, contra 1 *Reg.* 19. 18. 1 *Corinth.* 10. 21. & 6, 20. & 2 *Cor.* 7. v. 5. *Nefas est ulli,* inquit alicubi Tertull. *de suâ religione mentiri. Ex eo cum quod aliud à se colit fingit, quam colit, negat quod colit: & jam non colit quod negavit,* 3. *Concluse.* Novitatis gratia aut ex curiositate, non licet hæc sacra vel semel spectare, ut vel minimum externum honorem habeat; aut in conspectu & luce hominum, ubi quis notus est, & alicui possit esse scandalo 1 *Cor.* 8. 13. Secus si fiat, non arbitror esse illicitum. Confer *Calvini tr. contra pseudo-Nicodemitas, & judicia Theologorum ibidem. Georgium Abotum in*

sex lectionibus. Davenantium in quæst. determinatis pag. 39. & 124. Adde & *antagonistas Libertinorum, Neutralium &c.* ut & *locos communes de confessione & martyrio.* Uberiorem lucem huic problemati adferet collatio *disputationum de Iubilæo,* & *de Processionibus.* XI. *Probl.* An liceat Reformatis in templo Pontificio etiamnum altaribus, imaginibus, aliisque utensilibus instructo, religionem suam exercere, aut saltem ad tempus conciones habere alternatim scil. cum Pontificiis: siquidem alius locus non suppetat, aut alterius usus à Magistratu non permittatur? *Resp.* Non video cur ad tempus hoc fieri non possit: nec jure culpanda puto exempla nostrorum, qui hoc fecerunt. Confer *disp. de Templis.* XII. *Probl.* Quid si tota regio, aut omnes domus recipiendo cœtui idoneæ idolis dicata essent, an annullibi conventus fidelium haberi, & sacra peragi possent? *Resp.* Puto necessitatem in tali casu non ferre legem. Pii in Babel terra Nego, & in Moab terra Camosch, &c. non destiterunt in synagogis & in domibus suis Deum colere. XIII. *Probl.* Quod si quis in idoleio Gentili aut pseudo-Christiano per morbum subitaneum aut vulnus morti appropinquaret; an nefas esset si ipse & qui illi adessent Christiani etiam ante aras & statuas idolorum (siquidem ibi jaceret) externè Deum invocarent. *Resp. Neg.* siquidem locus alius in hac extrema necessitate non suppetit. XIV. *Probl.* An fraternitas Mariæ à Magistratu reformato, qui tollere potest, bona conscientia tolerari publice aut relinqui debeat, repurgata sc. (uti dicitur) ab idololatria papali: & si Magistratus hoc faciat, an ullus reformatus tali fraternitati adscribi possit, sub conditione de non præjudicando suæ religioni. *Resp.* Ad 1. *Resp. Neg.* Quia crassè admodum participat alienæ idololatriæ. Laicæ Jesuitarum fraternitates seu societates forma & modo eodem tolerandæ essent; etiam ubi nullum exercitium Papismi publicè toleratur. Sunt autem fraternitates & collegia illa non civilia, sed purè ecclesiastica, & media inter sæculares & regulares; qui certis regulis sed laxioribus, quam monachi, astricti sunt, ad idololatriam Papisticam, imprimis Mariolatriam, atque ita meritorum Monachalium fiunt participes. *Deinde,* reformati Doctores statuunt has fratrias esse magnam & nobiliorem aliquam partem corporis Antichristianismi. Vide *Hospinianum de Monachis cap.* 28. Et *Riveti Apologiam Mariæ l.* 2. *cap.* 12. Atqui eam pius Magistratus non tolerabit, qui tollere potest. Confer rationes supra allatas *Parte secunda. Sect.* 4. Sed quidquid hic negligat aut conniveat Magistratus; nemo tamen reformatæ religioni & ecclesiæ addictus; ei se addicere potest: quod hinc probatur: 1. *Quia* fraternitas illa formaliter & in se est fœdus & consociatio idololatrica, & nominatim Mariolatrica. Instituta enim primum, & usque in hanc diem in Papatu usitata,

sitata, ad latriam seu horrendum ac blasphemum cultum Mariæ: uti patet ex *legibus & statutis ejusdem, & Pontificum approbatione, adjectisq; gratiis, atque indulgentiis*: quæ edita vide Duaci apud Joh. Bogardum 1590. Jam vero, quam blasphema & abominanda sit Mariolatria Papalis, nominatim fraternitatis istius, hic non est dicendum. Videatur *Riveti apologia Mariæ*. Committitur ergo idololatria plusquam indirecte, reductive, participative. 2. *Quia*, fraternitatis istius membra fiunt famuli Mariæ, ei in servitutem se addicunt, & ejus nomine ac titulo solenniter indigitantur. Quod intolerandũ est 1 *Cor.* 1.11.12.13. Quis enim reformatus Isidis, Cybeles, Apollinis (siquidem inter Gentiles viveret), aut nomine Pauli, Petri, Augustini, Benedicti, Dominici, &c. instar regularium & religiosorum in Papatu insigniri, atque ita ab aliis Christianis distingui vellet: prout hæc fraternitas nomine *Mariæ*, & *rosarii* (attendant nostri, quid sit Rosarium) ab aliis distinguitur. Sed de rosario pluribus & melius me explicui in *libel. de Frat. Mar. & disp. de Rosariis*. 3. *Quia* hæc fraternitas est semimonachatus, seu semiordo religiosus in Papatu; uti modo dictum: immo & ordinibus religiosorum implexus atque affixus, & sic ab iis dependens, ad talis ordinis statuminationem. Dicuntur enim *congregationes rosarii*, apud Dominicanos, aut Carmelitas, aut Servitas, aut Jesuitas. 4. *Quia*, implicat fraternitas illa ex se & in se, professionem Papismi, & quidem in gradu excellentiori, supra vulgares Papistas: ut constat ex *regulis*, & *libellis hujus fraternitatis*. 5. *Quia*, Multis modis committitur symbolizatio & colluso cum Mariolatria, & cum Mariolatris: & si Corinthii quidam reductivè & participativè idolatriæ affines fuerint vescendo idolothytis 1 *Corinth.* 10.7.20.21. hi fratres multò majori ratione. Quidquid enim limitent, excipiant, expurgent, manet tamen fraternitas illa ad minimum, monumentum idololatriæ & fœderis idololatrici, quo usi sunt ante hac, & etiamnum utuntur Pontificii in regno Papali, & extra illud ad retinendum ac promovendum cultum Mariæ sive apertè sive tacitè & clam. Sic miseri illi in carne nostrorum gloriantur, in sua idolomania confirmantur, de tepore aut stoliditate nostrorum, adhæc mundi hujus amore supra Deum (vide 2 *Tim.* 3.4. *Philipp.* 3.19.) non absque risu, insultatione, fastidio triumphant. Si enim labores subeundi essent, si quid conferendum in symbolam, si nihil nisi sumtus sustinendi, & si opipara convivia, lauti reditus, fertiles occasiones inde aliquid lucri participandi non adessent; sciunt nostros propter nudum titulum Mariæ, nedum propter regulas & statuta fraternitatis aut rosarii collegio illi nomen haut daturos. Applicare liceat hic Pontificiis & nostris illud Tertulliani, de Idololatr. cap. 14. *O melior fides nationum in sectam suam, quæ nullam solennitatem*

nitatem Christianorum sibi vendicat, non dominicum diem, non pentecostem, etiamsi nossent, nobiscum non communicassent, timerent enim ut Christiani viderentur. 6. *Quia*, dedecoratur nostra professio, infirmi scandalizantur, boni tristitia afficiuntur. Quantum autem hoc peccatum sit, vide 1 *Corinth.* 8. 10. 12. 13. 7. *Quia*, ut concludam, votum, juramentum, promissio (qualicunque nomine dicatur) ad ingressum hujus fraternitatis facta, est temeraria, & illicita plane; quippe vinculum iniquitatis. Cum enim tota fraternitas, quod ad institutionem, modum, formam, regulas, statuta, finem mala sit, ad minimum suspecta sit malitię clanculum illi involutæ & implexæ (confer supra *partis secunda sect.* 2.) utique mala est promissio. *Vide Theologos de Voto & juramento.* Nunc disuamus Exceptiones. 1. *Except.* Nomen damus illi fraternitati, cum exceptione seu protestatione, ne quid præjudicet reformatæ religioni. *Resp.* 1. *Protestatio* contraria facto nulla est. Quasi quis nomen datet præfecto Hispanico ejusque defensionem sponderet in omnibus, sic tamen ne quid præjudicaret fœderato Belgio; quæ est cruda & perfida contradictio. Eadem Punica fide & mentali reservatione posset quis nomen dare fraternitati seu societati Jesuiticæ; Ordini tertio Minoritarum, Dominicanorum, collegio Cardinalium &c. 2. Fratres Pontificiæ religionis, ut & ipsum Collegium, protestationem illam non facit: neque omittit officia illa idololatrica ad quæ ex vi confœderationis & fraternitatis istius teneri se putat. An non vides hic syncretismum, & associationem cum idololatris; atque adeo per fraternitatis hujus conservationem ac promotionem, ipsius idololatriæ promotionem. 3. Quidquid fingitur, & cascis distinctionibus atque exceptionibus luditur & quocunque sensu aut intentione particulari hic aut ille fraternitatem illam ingreditur: manet tamen fraternitas Mariæ, tota in se, per se, & formaliter, idololatrica, superstitiosa. Haut aliter ac ingressus monasterii, & susceptio monachatus, aut frequentatio missę &c. non mutat naturam & formam suam idololatricam, quamvis sint nonnulli, qui alio animo aliâque intentione, ac plerique alii auditores, missam frequentent. 11. *Exceptio*: Atqui fraternitas illa repurgari potest ab omnibus illis, quæ superstitionem, aut idololatriam sapiunt. *Resp.* 1. A posse ad esse non valet consequentia. 2. Negatur repurgati aut ad primigeniam aliquam formam revocari posse; magis, quam monarchiam Papæ, potestatem Cardinalium, missificum sacerdotem, vota monastica, Indulgentias, suffragia pro mortuis, rosaria, jubilea, sacrificia pro peccatis, &c. Quia toto genere mala sunt, nec ullam habent primigeniam institutionem divinam. Nullus, itaque usus aut locus in religione & ecclesiâ illi relinquendus: sed totali abolitione expurganda est;

uti

uti factum in pseudo-sacris modo memoratis. Quod si non fiat, dabit aliquando occasionem illis aliisque pluribus pari jure revocandis. III. *Except.* Est fraternitas mere civilis; aut saltem in eam transiit, remoto & expurgato omni pseudo-ecclesiastico & Romano religioso. *Resp.* 1. *Neg. pr.* est enim formaliter ecclesiastica & religiosa, testibus Theologis, Canonistis, & Practicis Papatus: qui optimi sunę institutionis sunt interpretes. 2. *Neg. & post.* non potest in eam transire, nisi nomen, titulus, materia, forma, statuta, fundamentum, adjuncta, fines & effectus ejus planè mutentur, hoc est, ipsa in solidum aboleatur. Nam forma & finis ejus unicus, aut saltem primarius est cultus Mariæ, & mutua ad illum ex confœderatione ac promissione obligatio. Si quæ alia officia forte accedant, illa merè accidentalia, accessoria, minus principalia sunt. Jam vero proponant in collegio, & unanimiter decernant talem abolitionem, aut saltem tentent; redituque quæ ad usus pios, & curam religionis atque animarum constituti sunt, ad usus civiles ac profanos convertant, aliudque diversi generis collegium constituant. Quod si in hoc fratres Papales consenserint cum reformatis: jam utrisque serio examinandum propono, an testamentariæ dispositiones & donationes. (Unde reditus istius fraternitatis) tale quid ex justitiâ permittant. *Deinde*, an bene constituta politia, talia otiosa collegia absque ulla Reipublicæ utilitate, tantummodo propter comessationes, approbare teneatur; ut sic Respublica in Republ. constituatur. IV. *Exc.* Sit ergo fraternitas reformata ecclesiastica, & religiosa; aut in eam mutetur. *Resp.* 1. Velim audire prius decretum collegii, & deinde ad hoc respondere. 2. Præstructim tamen suggero, nullam esse ecclesiasticam societatem in ecclesiâ reformatâ. Quælibet particularis instituta ecclesia in vico, aut civitate includit confœderationem & obligationem membrorum, ad communia sacra, & officia singulorum eò spectantia. Aliæ fraternitates extra & præter domesticas si quæ ineantur, eæ in scismatis & factionis suspicionem traherentur. V. *Exc.* Quid si reliquis omnibus abolitis, retineatur sola deductio funerum, & convivia anniversaria? *Resp.* 1. Rursum peto; communibus collegii suffragiis, reliqua omnia prius aboleantur, tam quod ad nomen & titulum, quam quod ad rem. 2. Fraternitas ad deductionem funerum, nulla videtur necessaria. Nam si secundum Papistarum sensum curatio funeris dicatur ecclesiastica seu religiosa: illa apud nos non obtinet; & si membra ecclesiæ nostræ curatoribus & cognatione destituta sint, eorum funus deduci solet à fraternitate synedrii & ecclesiæ. Sin secundum sensum reformatorũ dicatur politica, (ut verè dici debet,) jam funus deducitur aut à vicinis, aut ejusdem artis, aut collegii civilis fratribus: juxta leges municipales.

pales. 3. Convivia, ut quotannis ipso festo Mariæ, & quidem sine carnibus celebrentur, satis tamen opipara, non fert religio, aut temperantia Christiana. Idolothyton est & Papismum sapit, sub sigillo festi idololatrici (quod æternis tenebris sepeliendum) convivari, atque ita memoriam antiquæ idololatriæ, quamvis tantum epulando, retinere. Vide 1 *Corinth.* 10. 7. 20. 21. *Actor.* 15. *Apocal.* 2. *Galat.* 4. 9. 10. 11. Superstitio est, sine ullâ necessitate, ad libitum Papatus à carnibus abstinere. Nemo debet hic libertati nostræ, quam Deus clementer concessit, insidiari & præjudicare. *Gal.* 5. 1 *Cor.* 10. 19. *Coloss.* 2. 18. 20. 21. Longe alia mens Concil. Braccar. 1. can. 32, *Quicunque in clero cibo carnium non utuntur, pro amputandâ suspicione Priscillianæ hæresis, vel olera cocta cum carnibus tamen prægustare cogantur.* VI. *Exc.* Atqui mutata jam sunt insignia fraternitatis; rubeus sc. pannus, quem humeris gestare solent, imprimis deducentes funus alicujus ex fratribus, in medalium brachio affigendum cum hâc inscriptione: *Sicut lilium inter spinas. Resp.* 1. Non video mutationem factam in melius: Non minus enim mysterii Papistici, aut saltem ambiguitatis latet in medallio illo, ac in rubro panno. Pontificii per lilium inter spinas, intelligunt Mariam (sic enim illi Canticum Canticorum interpretantur, & perperam) & sic vexillum Mariolatriæ effertur, immo à nostris (proh pudor!) in brachio circumfertur. Quomodo potuissent nostros tanquam bardos in pompâ & triumpho manifestius circumducere Pontificii, iisque à tergo insultare? Quod si ecclesiam intelligunt per lilium, ex sensu reformatorum, & ipsius rei veritate: tum explicandum est absque omni ambiguitate ab omnibus fratribus, utram ecclesiam intelligant, reformatam, N. N. an latentem ibi Papisticam. Ubi declaratio illa facta fuerit, jam seriò despiciendum, quomodo in fraternitatem sub tali insigni conspirare queant Pontificii, & reformati? Nullis Jesuiticis requivocationibus, cothurnis, male consutis dolis hic agendum est. Deus enim non irridetur. 2. Qualiscunque fit insignium mutatio, fraternitas tamen Mariolatrica manet; & sic eam tenent Pontificii in forma: & nostri à collusione idololatriæ non excusantur. VII. *Exc.* Aliæ fraternitates, uti frabrorum, sartorum, mercatorum, medicorum &c. ubique apud reformatos retinentur; sed repurgatæ ab iis, quæ præjudicant religioni nostræ. *Resp.* 1. Non tamen retinentur fraternitates Mariæ. 2. Longe diversa est ratio. Illæ enim sunt directe & formaliter, saltem primario fine civiles: & si quid ecclesiastici illis annexum fuit, hoc totum est per accidens, itaque facile separabile. Sed contra fraternitas Mariæ est primario, directe, & formaliter, immo tantum ecclesiastico-religiosa: latente hoc Theologia tum nostra tum Pontificia. Hæc ita 14. Junii anno 1642. thesibus meis proponebam:

nebam: quæ publico scripto oppugnata, primùm peculiari libello tit. *Specimen assertionum* &c. postea appendice apologeticâ infra exhibendâ contra alterum ejusdem adversarii scriptum anno 1643. editum, cum secundâ hujus disputationis editione defendi. Ubi vide. XIV. *Probl.* An liceat publice cum Pontificiis horas ipsorum canonicas canere sive voce, sive organo. *Resp. Neg.* est enim hoc non minus malum, quam in idoleio cum idololatris vesci idolothyto; & consequenter communicare cum cultu idolorum. Præterquam quod scandalum detur & Pontificiis & nostris. Quæ autem & quanta idololatria ac superstitio sit in horis canonicis, ostendimus peculiari *Disp. de Rosariis, Litaniis, horis Canonicis. Obj.* Quid si tantum quis partem faciat in cantu sacræ scripturę ex. gr. *Magnificat*, aut Psalmo aliquo, aut quacunque alia motetta, quæ nihil habeat superstitiosi aut falsi. *Resp.* Nihilominus implicatur idololatria: quia cantio illa quamvis materialiter bona, fine tamen, & modo canendi, & motivis, est polluta, tanquam pars & adminiculum cultus idololatrici, ad quem propriè refertur. XV. *Probl.* An liceat interesse horis canonicis, easque audire solummodo propter Musicam, aut ut quis ipse videat atque audiat quomodo hic cultus peragatur? *Resp.* Non possumus simpliciter improbare ut semel atque iterum forte hoc fiat, ubi scandalum nullum dari potest sive nostris, sive Pontificiis; & ubi nullus externus honos idolis aut idoleis exhibetur.

Atque hæc problemata particularia de symbolizatione in publico cultu, & rebus ecclesiasticis: addamus nunc alia de rebus & actionibus extra cultum. 1. *Probl.* Quid de nominibus dierum, mensuum &c. ut ex. gr. Jovis, Veneris &c. Martius, Majus; nec non Saturnalia, Matronalia &c. *Resp.* ubi penes Christianos potestas est, per ea non supputandi, utique omittenda. Conspirat hic sensus antiquæ ecclesiæ, & hodie Pontificiæ pariter ac nostræ. Hinc Pontificii antiquorum exemplo, dies numerant: feria prima, secundâ, &c. Quamvis, ut verum fatear, non tantum hodie periculum aut scandalum, ac olim cum circa & inter Christianos ita vigeret Ethnicismus. Videatur determinatio nostra apud *Augustin. in Psal.* 93. ubi de die Mercurii. *Calvinum in Iobum*, ubi de nominibus stellarum. *Zanchium de Oper. creat. lib. 6. c. 1. sect. 7. Martyrem in 1 Reg.* 19. *Villetum in Roman.* 11. 4. *Didoclavium in Altari Damasceno, cap.* 10 *p.* 6. 44. Unde colligimus, quam decorè in mediâ & publicè stabilitâ reformatione, nonnulli adhuc in supputatione temporũ privatim publiceve utantur nominibus dierũ Festorũ Victoris, Martini, Bavonis, Petri ad cathedrã, &c. nedum sacramenti, seu corporis Christi, Petri ad cathedrã, assumtionis Mariæ, Conceptionis Marię, qui falso dogmate superstructi, illudq; profiten- 2.

turac confirmant: Neque etiam Catharinę, Georgii, &c. quæ chimærica sunt. Abusuum istorum continuatio uti potissimum est à diariis, & publicis. Actuariis; sic inde eorundem reformatio inchoari posset. II. *Problem.* An appellatio *Divorum* tributa Imperatoribus, & passim nunc in Papatu apostolis, Euangelistis, patribus & scriptoribus Ecclesiasticis, omnibusque canonizatis Kalendarii Romani, symbolizet. *Respond. Affirmatur.* Nomen illud olim Imperatoribus tributum, ubi post obitum in Deos consecrati, seu cœlo dicati essent, iisque templum & honores cœlestes decreti. De consecratione illa seu apotheosi, quomodo à Senatu peracta, videndus *Herodianus lib.* 2. Confer *disp. de canonizatione sanctorum.* De appellatione *Divi*, quæ effectum & signum apotheosios, Capitolinus in Antonio Pio. Si ergo apotheosos utriusque Romæ, & utriusque Senatus, ac status Deorum, qui utrobique fingitur, mera idololatria, utique appellatio *Divi* cum ea symbolizat. Quod si quis objiciat *Psalm.* 82. Magistratus appellari Deos. *Resp.* Ibi promiscue omnes appellari Deos; & non tantum Imperatores. *Deinde* vivos tales dici; non tantum mortuos & in Deorum numerum relatos. Nam infaustum erat & maledictum, siquis viventem Imperatorem dixisset Deum, uti colligere est ex *Tertulliani Apologet. c.* 34. & *Spartiano in Severo* & Taciti Annal. 15. *Nomen Deorum Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.* Quin & *Tertullianus in vitâ* Deum appellari vetat; etiam dominum, quod hoc Dei cognomen sit. Quid autem voce *Dei* & *Domini* idololatriæ implicaretur, ostendit *Tertullian. loc. cit.* & *ibidem commentarius Heraldi.* Consentit nobiscum in determinatione hujus problematis Clariss. præceptor noster *Gomar. in disp. ad primam tabulam Decal.*, quam memini olim in Acad. Leidensi ab ipso propositam. Et *D. Rivet. in Apol. Mariæ l.* 2. *c.* 1. aliiq; infra in appendice citādi. Quin ipse *Bellarm. à Riveto ib.* defensus & *à Serrario* notatus *l.* 2. *Litanentici p.* 62. III. An à phrasibus illis Metaph., parœmialibus &c. abstinendum: *augurari, auspicari, ominari, &c. Bonis avibus, propitiâ Minervâ, aut Iunone, Lucinâ, Marte, Neptuno, Apolline &c. Laureum gestavi baculum; Ex tripode dictum, Sibyllæ folium &c.* Plures illius farinæ græcas & latinas suggerent *Erasmus, aliique collectores adagiorum. Resp.* Quidni, cum latinè scribentibus suppetant aliæ. Fuit hoc *Erasmi, Manutii, Politiani, Bembi* & similium primorum literatorum cacoēthes nimis puerile, ut nullam putarent esse latinitatem, nisi quæ ex primæ notæ scriptoribus nonnullis; Terentio & Cicerone imprimis, una cum eorum ethnica Theologia, & mala Ethica esset derivata. Ad hæc magna nomina obstupescentes præceptores quique in scholis, sine judicio hunc morem imitati sunt. *Lipsius* delicias illas Ethnicas ex Plauto suo imprimis hausit;

sit; quem alicubi notamus *in disp. de Gentilismo*. *Martinus Delrio* non immerito hoc nomine stylum Pauli Jovi perstringit: de quo aliisque in *disp. de Gentilismo*. *Hugo Grotius* caccēthes hoc poëtarum Gentilizantium excusare conatur *in præfatione ad fratrem*, *poëmatum* primæ editioni in 8. præfixa. Sed frustra. Similis est traductio & derivatio hæc styli latini, aquæ, quæ inundans non pura decurrit, sed multum terræ secum defert. Ablegandi sunt ad *Tertullianum*, *Arnobium*, *Lactantium*, *Minutium*, *Iulium Firmicum*, *Hieronymum*, *Sulpitium Severum*, *Sidonium Apollinarem*, *Salvianum*; ut ex stylo eorum discant, Romani sermonis à Romanâ religione Ethnica, malisque & corruptis eorum moribus fieri posse divortium. Quid dicam de stylo Chrysostomi, qui tamen Aristophanem tanquam sermonis græci optimum magistrum assidua lectione in succum & sanguinem converterat. Uti de eo observat *Scalig. in præfat. ad commentarium suum in Catull.*, *&c.* IV. *Probl.* Quid de authoribus Ethnicis utriusque linguæ, imprimis poëtis Comicis, satyricis, &c. in Academia aut schola triviali explicandis. *Resp.* Symbolizationem sui temporis Doctoribus & ludimagistris impingit Tertullianus de Idolol. c. 10. *Quibus necesse est Deos nationum prædicare, nomina, genealogias, &c.* & postea, *sine dubio dum docet, commendat, dum tradit affirmat, dum commemorat, testimonium dicit,* & cap. 11. *Nulla igitur ars, nulla professio, &c.* vide reliqua. Sunt ex recentioribus eruditi non pauci qui ostenderunt, quid hac in parte desiderarent. Vide *Augustini epistol.* 131. *ad Memor. Episcop. & Serm.* 13. *de verbis Apost.* Et *epistol. Paulini ad Ausonium*, quæ cum Ausonio edita. Sed pertinet hæc quæstio ad Scholasticam. Nos distinguimus, & cautionem, ac delectum adhibendum censemus. Non enim quælibet ex quibuslibet autoribus imperitæ adolescentiæ proponenda; uti optimo consilio & laudabili exemplo ostendit praxis Scholarum, dictæ Societatis Jesu. Et cum cognitio antiquitatum requirit, ut proponantur, tantum historicè referenda absque affectu aut tacita approbatione; immo non sine condemnatione, detestatione, & repetitæ seu indicatæ oppositæ Christianæ veritatis ac pietatis alexipharmaco. Hoc ni fiat, prodibunt ex Scholis (quod non sine gemitu jam à renatis bonis literis accidisse vidimus) quamplurimi, qui nullius religionis cognitione nisi Ethnicę imbuti sunt; quique nihil publicè, privatimve admirari, ructari, & buccinare norunt, nisi Ethnicorum Deos, sacrificia, vota, lustrationes, &c. Aridus est illis omnis cibus, qui apponitur, si non oleo isto perfunditur, si non hoc sale conditur. Si scribas non sapit, nisi legerint Deos. Si disputes, aut conferas, non sapit ipsis, nisi sibi sonuerint Dii, cum sacris Gentilium: ut verba *Bernardi de dulcissimo nomine Iesu serm.* 15, *in Cantic.* parodicè huc applicem. De

phrasibus Ethnico-belgicis: Ick hebbe eenen goeden Engel gedient; de Fortuyn heeft my gedient/etc. Idem judicandum. v. *Probl.* Quid de dedramatis ex Terentio; Plauto, Seneca, Sophocle, Euripide, &c. in theatro exhiberi solitis. *Respond.* Non esse sine periculo aut scrupulo. Ratio 1. *Quia* nonnulla obscœna non sine periculo aut scrupulo, aliaque infanda ibi verbis & gestibus, ad vivum exhibentur, idque ut sint materia joci & risus: contra *Ephes.*5. Sed has aliasque rationes generales contra ludos scenicos colligunt gravissimi Theologi quidam, inter eos *Ioh. Raynoldus tract.peculiari*, Anglicè. In quem incurrisse videtur *Albert. Gentilis* Juris in eâdem Academiâ Professor, *tract.de Actoribus fabularum.* Post illos breviter ac nervosè *Amesius in Casibus Conscientiæ*, & doctè & plenè *Rivetus in expositione decalogi*, & *tract.* Gallico *peculiari*; pleniss imè & operosissimè omnium nobilis. *Gul.Prynne IC.* Anglicanus. De quo hic non agimus: pertinet enim ad *disput.ad septimum decalogi præceptum*; quibus titulum dedimus, *De Excelsis mundi.* 2. *Quia* phrases quam plurimæ ibi occurrunt, quas à Christianis minime usurpandas putamus. Vide *problemata* proxime *præcedentia*; & supra *part.2.thes.4.num.1.&4.3. Quia* (quæ unica ratio huic instituto sufficiat) multæ preces, adjurationes, obtestationes, juramenta, gratiarum actiones intercurrunt, quæ pertinent ad cultum idolorum: quorum mimesis nec joco nec serio Christianis adhibenda: juxta determinationem, *part.*2. hujus *disp.sect.*5.*& part.*1.*sect.*6. Ade Tertullian.de Idolol.cap.20. *Consuetudinis vitium est dicere, Me Hercule, Medius filius, accedente ignorantiâ quorundam, qui ignorant jusjurandum esse per Herculem. Porro quid erat dejeratio per eos quos ejurasti, quam prævaricatio fidei cum idololatriâ? quis enim per quos dejerat, non honorat Ioh. Drus. in notis ad Hos.* 2.concitatior factus, dicit esse semi Christianos, qui in sermone suo usurpant, *ædepol, Mecastor, Hercule.* Idem cacoëthes perstringit & quidem meritò, *Nic.Serrarius in Minervali lib.*1.*c.*6. Quæ hic de comœdiis dicta sunt, ad reliquos Gentilium ludos Circenses, & infanda spectacula in honorem Deorum edita, applicari possunt. Vide de iis Jul. Cæsaris Bulengerii tract.de ludis, de circo, de theatro, Lipsii Saturnalia; & commentator. ad Tertullianum de spectaculis; denique scriptoris de *Festis Gentilium* alibi indicatos. VI. *Probl.* An satis tutum sit & Christianæ pietati conveniens, mimetice & externis spectaculis per κῶφα σχήματα publice & quidem aliqua cum reverentia ac pompa exhibere Deos Gentilium (quos stercoreos Deos, vanitates, dæmonia, nolores &c.appellat scriptura), eorumque statuas, formas, delubra, aras, sacrificia, suffitus &c. *Resp.* Non magis quam spectacula magica. Determinatio pendet ex determinatione proxime præcedentis, ibique citatorum problematum. Itaque

taque nihil addo; nisi, pari ratione judicandum de mimesi idololatriæ Papisticæ, ex. gr. in celebratione missæ, in recitatione rosarii, litaniæ, officii divini &c. VII. *Probl.* Quid de insignibus familiarium, collegiorum, civitatum, regionum, navium, scholarum, ædium &c. quæ imaginem idoli Ethnici (ex. gr. Palladis, Veneris, Jovis, Neptuni) aut idoli Papistici ex. gr. Franciſci, Catharinæ, Georgii &c. continent. *Resp.* 1. talia insignia non assumenda. 2. Et si antehac assumta sunt, mutanda ab iis qui possunt, & debent. De sigillis & annulis insignitis Deastri imagine citavimus *Clementem Pædagog. lib.* 3. *cap.* 11. Rationes porro petendæ ex *part.* 2. *sect.* 5. Hæc applica ad insignia quæ præferunt Christum aut spiritum S., aut trinitatem, idque vel propriè vel emblematicè seu hieroglyphicè, per agnum, crucem, solem, columbam, triangulum cum radiis & nomine Dei: *vel* sanctos chimæricos, ut Georgium, Catharinam, &c.: *vel* vere sanctorum adjuncta signa & symbola chimærica, ex. gr. Petrum cum clavibus, ejusdem cathedram Papalem, &c. *vel* angelorum aut sanctorum imagines. De quibus vide *disp. de Staurolatriâ*. Consultum est ut nostri, quibus potestas & potentia est, talia commodissimâ, quâ fieri potest & convenit, ratione mutent: præsertim ubi vigente adhuc superstitione Papali, scandalo sunt sive nostris sive extraneis. VIII. *Probl.* An ritibus funerum, & curâ mortuorum quis symbolizare possit cum idololatriâ Ethnicâ aut Pontificiâ? *Resp.* Nihil facilius. Ex curâ mortuorum quomodo Idol. pleraque originem sumserit, ostendit *Theodoretus aliique scriptores contra Gentiles.* Diligenter itaque hic attendendum ad singula, facta, instrumenta, signa, ne quod subsit antiquæ idololatriæ monumentum, aut novæ superstitionis occasio. Oriosos ritus & cerimonias &c. Gentilium recensitas vide apud *Antiquarios*, nominatim *Guth. de Jure Manium*; & *Kirchman. de Funeribus.* Ethnico-Pontificias quære in *Pastorali, ceremoniali Episcoporum*, *Aubano de moribus Gentium*, *Polydoro de Inventoribus* & *Gretsero de funere Christiano.* Sed de his alibi. Nunc attendant nostri ad faces, cruces, serta, flores; gestationes laurorum, fulcrorum; cantus vocales, instrumentales; impulsus campanarum; itiones, circuitiones sepulcri, templi, cœmiterii, & similia infinita: in quorum rationes & usus accuratè inquirendum: Vide dictum *Tertulliani* sequenti probl. citandum; & supra *part.* 2. *thesi* 2. & 3. Confer de funeribus infra *Thesi* 4. *Probl.* 8. IX. *Probl.* An in Regum, & Principum coronatione, Magistratuum inthronizatione; ad hæc natalium, & memoriarum celebratione? *Resp.* Olim latuisse hic anguem sub herba, & etiamnum hodie alicubi latere, indubium est. Ergo audiendus hic Apostolus Eph. 5. 15. βλέπετε οὖν πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε &c. Historia rituum aut ex quotidiana observatione, aut ex

scri-

scriptoribus politicis specialibus, adhæc *historicis, topographicis Gentium, regionum &c.* primo discenda est: deinde de singulorum, origine, modo ac pompa, fine, & usu imprimis inquirendum. Abundantem cautelam non nocere inculcabat sui temporis hominibus Tertullian. de Idololatr. cap. 13. *Sed omnem afflatum ejus vice pestis etiam de longinquo devitemus, non in his tantum, quæ præmisimus, sed in universa serie humanæ superstitionis, sive Deis suis, sive defunctis, sive Regibus mancipata, ut ad eosdem spiritus immundos pertinentis, modo per sacrificia & sacerdotia, modo per spectacula, & hoc genus, modo per festos dies.* Saltem tam suspectę erant antiquis quibusdam natalium celebrationes, ut eas Christianis dissuaserint, *Origenes in Levit.* 12. & 13. *homil.* 8. *Ambrosius part.* 3. *de fide resurrectionis cap.* 11. *Hieronymus lib.* 2. *in Matheum c.* 14. *Beda l.* 2. *in Marcum c.* 6. Quid *Calvinus*, & *Rivetus* sentiant, vide supra in *disp. de Superstitione.* x. *Probl.* An in natalibus privatorum celebrandis, fascia ex serico brachiis eorum, quorum Natales celebrantur, alligata, cum aliquo idolothyto symbolizet; an vero sit ritus merè civilis, & forte otiosè, à recentioribus inventus? *Resp.* Video usitatum hoc Anglis & Germanis: cujus loco nostrates, floribus & sertis caput, humeros, cingulum exornant. Unde originem ducant, & quid sibi velint, me latet: nec vacat nunc apud alios inquirere. Volui tamen hic ejus meminisse; si forte hâc occasione alii inquirant; aut si quid de eo alicubi observarint in antiquitatibus & novitatibus, candide impartiant. XI. *Probl.* Quid de ritibus, & solennitatibus nuptialibus, puerperialibus, aliisque in impositione nominis & baptismo infantium, in eorundem ablactatione &c. *Resp.* Idem monemus, quod supra. De ritibus Nuptialibus alibi tractandum. Interim videant nostri *Brissonium, Hotomannum* nuper Lugd. Batav. recusos; quibus addant *Antiquitatum Romanarum Syntagma, cum scriptoribus de Moribus Gentium*; Et *Buxdorfii Synag. Iudaicam.* De puerperis & puerperiis, nominum impositione iidem consulendi; nominatim *Iohann. Meursius de puerperio*; & Casaubonus in Persii satyr. 2. XII. *Probl.* De conviviis in genere idem quæritur: & hoc speciatim, an liceat interesse conviviis, ubi adhibentur præmessa, & libationes, (de quibus supra;) invocationes aut benedictiones idololatricę sive Ethnicæ, sive Pontificiæ: aut superstitiosæ benedictiones, Judaicæ, Turcicæ &c. *Resp.* 1. Si quis præmonitus sit convivia talibus pollata esse, utique abstinendum est. Hanc ob causam antiqui Christiani à conviviis Gentilium abstinebant: apologiam habes apud *Tertull. apolog. c.* 42. coll. cum *cap.* 35. Huc facit exemplum Danielis & sociorum: Quæ supra, attigimus *part.* 2. *thesi* 4. *concluſ. prohibitiva.* 2. Sed si quis ignarus ad convivium accedat ubi talia adhibentur, nec detur facultas aut occasio se inde subducendi; verbis aut gestibus

ſtibus manifeſte ſignificandum, nos ſuperſtitioni illi nolle communicare. Quo ſenſu olim prohibitum fuerit Chriſtianis cum Judæis edere & bibere, carnes à Judæis immolatas & delibatas ab iis emere, atque aliis vendere &c. diſces ex *Agobardo* epiſcopo Lugdunenſi, *epiſt. de inſolentiâ Iudæorum*, & alterâ *de Superſtitionibus ad Imper. Ludovicum p.* 56. & 63. edit. in 8. ubi etiam varii ex antiquis citantur. XIII. *Probl.* An Academiis Pontificiis immatriculari, in iis titulo Doctoris aut Licentiati publice inſigniri: adhæc Magiſtratus aliiſque muneribus publicis initiari, & ſolenne juramentum præſtare; & ſi quæ ſint iſtius generis. *Reſp.* 1. *Neg.* de Academiis, quæ immatriculationi, juramento, promiſſioni, renuntiationi & ſolennitatibus publicis immiſcent aliquid idololatrici, aut quoquomodo aſtringunt ad approbationem religionis Papalis: quod arbitror fieri à pleriſque. 2. De adeundo Magiſtratu, idem dicendum eſt. XIV. *Probl.* Quid de ritu comedendi ova, & liba paſchalia, item natalitia, & S. Nicolai, imprimis & imagunculis agni, crucis &c. inſignita. *Reſpond.* Vacuæ & otioſæ obſervationes, ejuſdem farinæ cum reliquis. Vide de ejuſmodi cibis conſecratis *diſp. de Benedictionibus.* XV. *Probl.* Quid de lotione pedum per Imper. Græcorum apud *Georg. Codinum Curopalatam, pag.* 141. per Pontificem in *Ceremoniali*, alibi per Reges, & Epiſcopos, &c. Item de curatione ſtrumarum, &c. *Reſp.* Quære *in diſp. de Superſtitione*, ubi farrago vacuarum obſervationum tumultuarie indicata. Confer & *diſput. de Miraculis, Benedictionibus, Abuſibus, Sortis, Feſtis, Templis, Monachis.* XVI. *Probl.* Quid de apertione capitis ad audita nomina, conſpecta inſignia, imagines, ſtatuas, conclavia, ſedilia &c. Regum, & Principum? *Reſp.* relegamus ad vanitates, & otioſa facta κολάκων aulicorum; non ad idololatriam: quæ an à viris, piis & gravibus exhiberi, aut ab iis recipi debeant, alibi diſquiritur. Vide *Fileſacum de Idololatriâ Politicâ*: & ibi imprimis *pag.* 12. 13. *Rivetus in apologetico c. Grotii votum pacis pag.* 155. & *in Examine defenſ. Grotii p.* 74. 75. Et in *dialuſi c. eundem Grotium p.* 357. Erat ergo multiplex hæc idololatria politica; Nam etiam prin-
„cipibus & regibus (teſte *Minutio Felice in Octavio* ferè *circa finem*) non
„ut magnis & electis viris (ſicuti fas eſt) ſed ut Diis turpiter adulatio falſa
„blanditur &c. Sic eorum numen invocant, ad imagines ſupplicant, ge-
„nium id eſt dæmonem ejus implorant; & eſt eis tutius per Jovis genium
„pejerare, quam regis. Adde quod thure & vino non tantum Impp. ſupplicârint, ſed etiam hoſtias immolârint: teſtibus *Suetonio in Caligula cap.* 22. *Herodiano in Heliogabalo*, *Tertulliano Apolog. cap.* 10. & *ad Scapulam cap.* 2. *Senecâ de Tranquillit. animi cap.* 14. *Athanaſio contra Gentes* non ita longè à principio. De adoratione eorundem collegit non-

nullo *Alexander lib.2. genial. dierum cap.19.* Statuas & imagines imperatorum nimio cultu olim honoratas, festivitatibus scil., acclamationibus, adorationibus, disces ex *Socrate lib.6.c.16. Sozomeno lib.8.c. 22. Chrysostomo serm.de cruce (tom.3.)*; *Actis Concilii 2. Niceni: labrata*, inquiunt, *& icones, quæ mittuntur ad civitates vel regiones obvii adeunt populi cum cereis & incensis, non cerâ perfusam tabulam, sed imperatorem honorantes.* Insuper ex *Hieronymo, legibus Codicis, Chrysostomo* infra mox citandis *Philostorgius, Arrianus histor.eccles.lib.3.* orthodoxos accusabat, quod Constantini imaginem in columnâ porphyreticâ stantem sacrificiis propitiarent, lucernis & incensis colerent, precesque velut Deo allegarent & ἀπιτροπαίως ἰκητερίας τῶν δεινῶν peragerent. Quem hoc nomine perstringit *epitomator ipsius Photius lib.3.§.18.* Sed quo jure, non video: nisi forte nimium hoc factum quorundam amplificârit *Philostorgius.* Certe similia à gnatonibus aulicis & purpuratis patrata, alienum aut ἀπίθανον non videbitur legenti antiquam Romanorum Gentilium hâc in parte idololatriam, quæ per triumphantem Christianismũ aliquot sæculis ita aboleri non potuit, ut aliqua imago ejus non superesset, sed fuco honoris politici aut cultus Christiani transformata. *Eutropius lib.* 10. tradit Constantinum in Divis relatum: quod *Baronius ad ann.337.§.3.* conjecturâ aliquâ, pro more suo, emollire conatur. Saltem constat ex *Vitâ Constantini* (quæ *Eusebio* scriptori tribuitur) *lib.4.cap.67.* & fatetur *Baronius* mortuum eum purpurâ ac diademate ornatum, à ducibus, Senatus, populo tanquam superstitem honore genuflexionis consueto per multos dies salutatum; Quin & à Græcis solenniter ut sanctum coli, uti etiam constat ex ipsorum *Menæis seu Menologio.* Ne quid dicam de Miraculis (apud *Theodoret.lib.1.c.ult.& Nicephorum lib.7.c.ult.*) ad sepulcrum & statuam ejus factis; deque sepulcro ejus apostolici nomine decorato, *lib. 4. vitæ cap.* 71. Huc refer adorationem aræ & Templi Imperatoris apud *Valer.Maxim.lib.* 1. *cap.* 6. adorationes tropæorum, signorum militarium in vexillis & clypeis apud *Tertullianus Apolog. cap.* 16. De celebratione natalium Imperatoris *Tertullianus in apolog.câp.*35. à quibus, ut & aliis festivitatibus, & epulis Gentilium Christiani abstinebant. Vide *commentar. Pamelii* & *Heraldi ad loc.cit.* De ipsorum apotheosi & erectis statuis & Divorum appellatione *Rosinus* & *Demsterus lib.3.antiquit.cap.*18. Hanc adulatorum idololatriam etiam tempore Constantini & post sub principibus Christianis exercitam, antiqui patres vitandam statuunt. Rivetus apologet.p.155.ad nudum flexum corporis sive incurvationem pro ratione objectorum in tali casu attendi vult. *Si objecta*, inquit, *civilia sunt, & nullum sit periculum cultus religiosi, non adeo advertendum esse ad flexum corporis, seu ad manum quæ ori admovetur.*

Sed

Sed ubi agitur de imaginibus in loco sacro exstantibus, ubi Deus coli solet, flexus corporis, aut osculum manus ad idololatriam refertur. Ibidem addit egregium dictum Augustini lib. 10 de civit. Dei cap. 4. *Multa de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimiâ, sive pestiferâ adulatione.* Sed hic considera imprimis peremtorium judicium Hieronymi in Daniel. 3. *Statuam sive imaginem cultores Dei adorare non debent: ergo & judices & principes sæculi qui Imperatorum statuas adorant & imagines, hoc se facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes placuerunt Deo. Chrysostomus* in statuam Eudoxiæ imperatricis invectus fuit, quod ad eam ludi populares, Ethnico more in dedicatione ejusmodi statuarum, celebrari cœpissent, & ipsa statua, per provincias circumferre. Ob quod in exilium pulsus est; cooperante concilio Episcoporum; qui Chrysostomi zelum & præcisitatem in opere domini, speciatim contra hanc speciem idololatriæ, ipsi sive tepidi & laxi Casuistæ, sive aulici assentatores, ferre non poterant. Vide *Socratem lib. 6. cap. 16. Sozom. lib. 8. c. 20.* aut *Vitam Chrysostomi per Erasmum*, aut potius *Baronium ad ann. 404. §. 3.* Quin ipsi imperatores in tantâ fidei Christianæ luce cultum imaginum suarum coërcere debuerunt. *L. un. Public. latit. C. lib. 12. & L. un. C. Theodos. de Imaginibus Imper.* Gratianus Imperator (teste *Zosimo lib. 4*) titulum Pontificis & stolam sacerdotalem quæ ei à Pontificibus deferebatur, respuebat. Huc pertinet quod apud *Minutium* Christiani purpuram despicere dicuntur: quod scil. ejus usus idololatriæ propriè videretur dicatus. Ut *ibid. in notis* observat *Heraldus*; *& ad apolog. Tertullian. c. 15.* Atque hæc de progressu idololatriæ seu mavis superstitionis politicæ. Hujus loci est indicare, per stolidas & absurdas illas κολακείας, insidias posse strui simplicitati Christianorum, aut viam muniri ad divinos honores & prolapsum in idololatriam. Præstat ergo ab hoc fumo abstinere, ne flamma comburamur. Ut enim validæ asseverationes absque necessitate adhibitæ & in consuetudinem abeuntes, præcipitium parant ad temeraria juramenta (uti docent Casuistæ); sic aulica ejusmodi honorum exuperantia, &c. Docent hoc exempla Regum Persicorum & Alexandri Magni. Hinc est, quod Mardocheus noluerit honorem exhibere Haman (*Esther. cap. 3. 2.*) quod religiosi quid ex more tunc recepto, civili cultui admisceretur: uti cum Hebræis locum illum exponunt, ex nostris *Franciscus Junius*, & *Deodatus*; ex Pontificiis *Serrarius*, *Bonartius*, *Lyranus*, & *Thomas 22. qu. 84. art. 1.* Vide plurima de adoratione & numine Regum, nominatum Persicorum, ad *loc. cit.* collecta à *Nic. Serrario*: ubi etiam exempla Ethnicorum, qui tam servilem adorationem animosè negarunt. Post Serrarium non exile auctarium dedit Jesuita *Bonartius in comment. ad librum Esther* ann. 1647. edito.

Sunt qui causam quærunt in eo, quod Amalek, unde Haman oriundus, esset maledictus *Deuter.* 25. Sed hæc ratio non sufficeret excusando Mardochæo, nunc subdito, & quidem inquilino. *Andr. Osiander in notis Heroicum factum & peculiare & aliis non imitandum* dicit. Sed prima sententia est tutissima. XI. *Probl.* Quid de potatione poculorum salutis sub titulo seu invocatione cœlitum, aut regum, aut magnorum nominum, in terris; quam alicubi peragere solent procumbentes in genua? *Resp.* Ritum bibendi in honorem aut in salutem angelorum & sanctorum plane nefarium & profanum esse dicimus. De ritu seu gestu illo genuflexionis idem judicamus, quod supra, de idololatria politica. De ritu & artificio Bacchico circumferendi pocula salutis, seu boni ominis alibi egimus *disp. de Ebrietate.* XII. *Probl.* Quid sentiendum de antiquorum moribus, & statutis in abstinentia ab omni specie idololatriæ aut superstitionis: ex. gr. de non recipiendis, quæ à Judæis mittuntur, festivis, aut azymis; nec festo, cum iisdem aut cum Gentilibus celebrando. *Concil. Laodic. can.* 37. 38. 39. De non faciendis aut gestandis phylacteriis. *Ib. can.* 36. *Basilius in Psalm.* 45. *Chrysost. in Matth.* 23. *homil.* 43. De non tollendis partibus ex agapis: ne scil. viderentur in eo imitari Gentiles, qui suam quique partem ex idolothytorum ferculis accipiebant. *Concil. Laodic. can.* 27. *& ibi notæ Iustelli.* De contemtu purpurę, *Minutius in Octavio, & ibi notæ I. VV ouvveren, Elmenhorstii, Heraldi.* De non danda eleemosyna Deos suos vel coloniæ genium propitios imprecanti, *Tertullian. de Idololatr. c.* 22. De manu ori non admovendo inter orandum, *Commentatores ad Iobi* 31. *& ad Minutium, aliique supra cit.* De evitando usu coronarum, *Tertull. de coronâ militis cap.* 5. *Minutius, & ibi Elmenhorstius in commentar.* De Kalendis Januarii, Saturnalibus, Matronalibus, Minervalibus, Brumis, & strenis mitti solitis, *Tertullian. de Idololatr. cap.* 10. *&* 13. deque aliis per *totum* illum *librum* & in *lib. de Spectaculis, de Coronâ militis. Resp.* Quamvis à nonnullis infelicibus syncretistis, aut laxioribus Calvinistis hæc forte ad supercilium Pharisaicum aut nimiam & ridiculam præcisitatem sive anabaptisticam sive Browniſticam releganda videbuntur: ego tamen malo piam hanc solicitudinem & ἀκρίβειαν probare, quam ecclesias & theologos istius temporis, qui crucis erant, heterodoxię aut morosæ imprudentiæ petulanter arguere. Ita etiam sensisse primos reformatores præsertim in Gallia, Belgio, Scotia, Helvetia, & quibusdam partibus Germaniæ, ex actis ecclesiasticis, & scriptis eorum notissimum est; & nos passim in hac, & præced. *disp. de Superstitione* indicavimus, & infra porro indicabimus. Quin ipsi Pontificii, ubi causam hanc in se spectant, ac seorsim ponderant, absque respectu & applicatione ad res suas, utroque pollice hunc zelum, & hoc præci-

præciſitatis ſtudium laudant. Vide *Baronium ad ann.* 337. §. 6. *Pamelium ad libros Tertulliani modo cit. Albaſpinæum Epiſc. Aurelianenſem in comment. ad Concil. Eliberinum, Fileſacum in tract. de Idololatria politica, imprimis p.* 12. & 13. *Pineda in Iobi.* 31. Adde *vitas & panegyricos Apoſtolorum*, quos ita vocant, Papalium; ubi paſſim prædicatur eorum zelus in evitanda & abolenda omni idololatrię Gentilis ſpecie. XIII. *Probl.* An geſtibus & ſignis externis ſymbolizantibus cum idololatris, liceat diſſimulare aut ſimulare? ſpeciatim an liceat roſarium aut crucem geſtare, ut tutò inter Pontificios latere quis poſſit? *Reſp.* Fuit de hoc diſceptatum anno 1572. fervente laniena Gallicana, ut ita per vias ubique latronibus Pontificiis tunc infeſtas, tuto ire ac redire poſſent, ſi qui ex reformatis ob publica aut privata negotia viæ ſe committerent. Aliqui has rationes prætexebant, quod ſignum crucis per ſe eſſet adiaphorum quid; & quod cruce alba tanquam inſigni, aut teſſera olim uſi eſſent Galli contra Hiſpanos aut alios hoſtes extraneos in bello euntes. Sed his non obſtantibus, in partem negantem determinatum fuit. Vide *Relationes de Statu Galliæ ſub Carolo* IX. *vol.* 1. *ad ann.* 1572. *pag.* 416. edit. 2. gall. in 8. ubi vide rationes. *Ibidem pag.* 303. legitur, quam ſeverè Chriſti martyr Petrus de la place præſes increpuerit unum ex filiis ſuis, qui ut in præſentiſſimo illo periculo vitę ſuæ conſuleret, chartaceam crucem (quæ tunc Pontificiorum latronum teſſera erat), pileo ſuo affixerat. Confer infra *diſpp. de Cruce & de Confeſſione ac Martyrio.* XIV. *Probl.* An aliqua ſpecies ſuperſtitionis aut ſymbolizatio cum eâ ſit, attendere ad proſpera aut adverſa quæ Kal. Januarii accidunt, atque inde prænotionem aut conjecturam de multiplicandis ſimilibus per totum annum eventis facere. *Reſp. & Aff.* contra popularem quorundam idiotarum errorem, qui vanitates antiquorum Gentilium, & Thalmudicas Judæorum mihi ſapere videtur. Notæ ſunt vanitates Gentilium circa celebrationem Jani bifrontis & Kalendarum Januarii, aliaſque dierum & temporum nefaſtorum ominoſas obſervationes. Judæi ex *tract. Thalmud Roſch haſchana cap.* 1. credunt Deum die primo cujuſque anni judicium peragere, & ſingulos homines adjudicare vitę aut morti; etiam urbes excidio aut paci ut habet *liturgia illius diei in addit.* Per mortem autem, cui hoc die à Deo adjudicari dicuntur, non tantum ſeparationem animæ à corpore intelligunt, ſed & ærumnam ac calamitatem quamvis, quæ pro morte reputatur: quomodo dicunt, pauperem, leproſum, cœcum, liberis carentem pro mortuis haberi. Atque hinc eſt quod Judęi extimeſcentes aſperam illam de peccatis ſuis primo die anni habendam, cenſuram, menſe integro ante illum diem inchoent pœnitentiâ & vitæ emendationem. Vide de judicio hoc, & tribus judicandorum claſſibus

Pocockum in notis miſcellaneis ad Maymonidæ diſſertationes Arab.-lat. anno 1655. Oxoniæ editas *cap.6.p.150.* & magnum Rabbinum *Buxtorfium c. 18.Synagogæ.* Sed his miſſis dicimus primum anni ſive Judaici ſive Chriſtiani diem non magis inchoare, repræſentare, indicare eventorum proſperorum aut adverſorum ſpeciem ſeu formam, numerum, magnitudinem, quam poſtremus dies anni hiſtoricè refert, aut myſticè repræſentat, aut homogeneo eventu omnes præcedentes ſimiles eventus ſive proſperos ſive adverſos terminat.

Problemata de Idololatria Participata.

3. HActenus problemata de indirectâ ſeu interpretativa idololatria, ſequuntur nunc de participata. Sunt autem illa tum generalia, tum particularia. Generalia ſunt 1.*Probl.* An quis, imprimis pater familias, Magiſtratus, eccleſiæ Miniſter, particeps fiat culpę, qui idololatriam, exercitia religionis idololatricæ, idola, idolothyta, inſtrumenta & monumenta idololatrica pro ratione poteſtatis, & potentiæ ſuæ non tollit, ſed permittit, aut tolerat? *Reſp. Affirm.* Rationes pete ex *part.1.ſect.5.& 6. & part. 2.ſect.4.Exceptio*: Poſſet hoc referri ad prudentiam, non ad negligentiam Magiſtratus & Miniſtrorum; ut tanto melius idololatras convertant, aut convincant. *Reſp.* Prudentia illa carnalis eſt, qualis quorundam in veteri eccleſia: de quibus vide Zadeelem in Reſp.ad Monachos Burdegalenſes articul 13. *Citant Veteres. Nos quoque fatemur hunc morem vetuſtum eſſe. Veteres enim eccleſiæ Chriſtianæ Paſtores plus æquo ſeſe voluerunt tum Judæis tum Ethnicis accommodare: quod exiſtimarent ad eos euangelium citiùs allectum iri quibuſdam ceremoniis, iiſque apud utroſque familiaribus; quam ſi adhæreſcerent puræ ſimplicitati, à Ieſu Chriſto inſtitutæ & in ejus verbo comprehenſæ. Vnde multæ ceremoniæ in Eccleſiam irrepſerunt. At experientia declaravit, Deum non benedixiſſe huic conſilio: tandem enim homines, omiſſo ſpirituali Dei cultu, exteriora prorſus amplexi ſunt.* 11.*Probl.* An culpa hujus negligentiæ redundet, in ſupremos, an in ſubalternos Magiſtratus; & rurſum in judices, an vero in prætores? *Reſp.* Aliquando in hos, aliquando in illos, idque magis aut minus: aliquando in omnes. 111. *Probl.* An Magiſtratus bona conſcientia exercitia cultus idololatrici impedire, immo & exſtirpare poſſit, inque eum finem *primò* ſeductores idololatricos pro viribus arcere & coërcere. *Deinde* & conventicula turbare, atque inſtrumenta ſeu utenſilia idololatrica ipſis eripere, corrumpere, abolere, aut alios in uſus convertere: quamvis idololatræ conſcientiæ ſuæ libertatem poſtulent aut prætendant? *Reſp. Aff.* pro omnibus Regnis & Rebuspublicis Reformatis, contra criminationes Remonſtrantium. Sed de hoc problemate, & univerſim de libertate conſcientiæ atque exercitii alibi ex profeſſo

tesso agimus, *disp. de libertate conscientiæ*; cum quâ conferat, si placet, *disp. de Fide Papistarum salutari an damnabili*, & *de Sede Romanâ incompatibili cum politiis reformatis*. IV. *Probl.* An aliquo in casu Magistratui Christiano fas sit idololatricam religionem tolerare: immo an non aliquando sit necesse: & an tunc Magistratus sit custos ac protector idololatriæ, æque ac veræ religionis, & an milites Reformati arma gerant seu pugnent pro idololatriâ. *Resp. Affir. pr.* Quando scil. penes illum solum non est autoritas & potestas de admissione religionis statuendi: (quod variis modis fieri potest:) aut quando non suppetunt vires: nisi Remp. cum verâ religione eversam, aut in præsentissimũ discrimen conjectam velit. *Neg. post.* neque enim Magistratus tali in casu ejusq; officiarii & ministri, neque milites paticipant de aliena idololatria. Versatur enim defensio eorum directè & immediatè non circa idololatriam, sed circa legitimum & necessarium suum decretum de toleranda idololatria & idololatris, eorumque exercitiis; atque adeo circa autoritatem ac potestatem publicam Magistratus. V. *Probl.* An separatio ab ecclesia illa facienda esset, quæ in suo cœtu toleraret aliquam idololatriam, saltem indirectam, sive id fiat negligentia ministrorum aut synedrii, sive favore aut perverso zelo plebis ecclesiasticæ. *Resp. Neg.* si modò quis ab ejus inquinatione possit esse immunis. Sic Apostoli in casu idolothyti non suaserunt ilico secessionem 1 *Cor.* 10. & *Actor.* 15. *Apocalyps.* 2. nec in casu gravium errorum *Galat.* 4. & 5. Unde argumenta desumi, & huc applicari possunt. VI. *Probl.* Quid si à Magistratu ecclesiæ obtrudatur idololatria indirecta, ita ut omnes nolentes volentes eâ necessario polluerentur. *Resp.* Nemo privatus tum separabit; sed totam corpus ecclesiasticum præuntibus fidelibus ministris, secessum quæret & locum aut statum suum mutabit; servataque unione & communione sua, vel istic vel alibi religionem exercebit, aut clam aut privato-publicè. Non enim puto admittendam tantam mutationem in deterius, & temporalia commoda tanto damno spirituali redimenda. VII. *Probl.* An separatio facienda ab illa ecclesia, quæ membra quædam habet & tolerat, alibi extra cœtum ecclesiæ in idoleio subinde accumbentia (1 *Corinth.* 10.) aut indirectę alicui idololatriæ addicta: aut tolerat in communione suâ Magistratus, qui idololatriam pro virili non expurgant? *Resp. Neg.* Idque probatur ex casibus Corinthiorum & Galatarum, 1 *Corinth.* 5. & 8. cum 10. & 11. & 15. *Galat.* 2. & 4. & 5. Potest enim tolerantia esse ex necessitate aliqua, aut ex prudentia spirituali. Et quamvis esset ex mera negligentia aut tepore, non tamen ilico secessionibus castiganda esset. De hac quæstione in genere alibi agimus; ubi *de Separatione, Schismate, Tolerantia, Moderatione, Syncretismo.* VIII. *Probl.* An Magistratus rectè tole-

toleret sacra idololatrica, quæ impedire potest; ob intercessionem aut petitionem, aut gratiam sive magnatum, sive cognatorum & amicorum. *Resp. Neg.* hoc enim vitio vertitur regi Joas 2 *Paral.* 24. 17. & regi Salomoni, qui in gratiam principum, aut uxorum idololatriam tolerarunt. Et Valentiniano, qui post excessum Juliani Eleusinia sacra cum statuisset tollere, in Græciâ passus est obtinere patrocinio Prætextati Græciæ ἀνθυπάτου. Historiam habet *Zozimus lib.* 4. Contra laudantur rex Asa 2 *Paralip.* 13. qui ne quidem ad matris suæ sacra connivebat. Conferenda exempla Constantini & Theodosii, qui gratiæ & favori Procerum Imperii, & Senatorum Romanorum, nihil hic dedêre. Memorabile est exemplum Eduardi VI. Anglorum Regis, supra ætatem sapientis & pii; qui adduci non potuit, ut sorori Mariæ exercitium Missæ in familia ipsius permitteret: quidquid ipsum urgerent Crammerus & Ridlejus reformati tunc Episcopi. Videnda est historia hujus zeli & pietatis apud *Foxum in Martyrologio, in Eduardo VI.* Unde ferunt dixisse Crammerum: *In uno Eduardo plus est pietatis, quam in omnibus Episcopis.* IX. *Probl.* An propter emolumenta privata, aut publica, inde emergentia quæ sæpe prætenduntur. *Resp. Neg.* ex *Matth.* 6. 19. 20. 24. 1 *Timoth.* 3. 2. 4. *Philip.* 3. 18. 19. 2 *Petr.* 3. 14. 15. Et tum præter participatam idololatriam, committitur & alia quædam directè & formaliter, avaritia scil. quæ dicitur cultus idolorum *Coloss.* 5. 3. An ut ipse eorum spectaculo oculos pascat? *Neg.* X. *Probl.* An liceat alicui præsentem esse in cultu idololatrico. *Resp.* de hoc jam inde ab initio reformationis anxiè quæsitum fuit: hinc vellicante conscientia, illinc necessitate officii & servitii communis seu sæcularis superioribus aut communicati ex pacto, aut promissione, aut lege, aut consuetudine præstare soliti; cum idololatricum, quid implexum erat. Nos distinguendum putamus: sit ergo 1. *Concl.* De officio communi & civili idololatris præstando, extra cultum idololatricum, nullum est dubium. 2. *Concl.* idololatris ad cultum euntibus, debita communia officia præstari possunt, ex. gr. si famuli, subditi, officiales, stipatores vestiant dominos, currum aut navim aut equum parent, eos gestent aut vehant, eos ducant, aut comitentur. Huc pertinere videtur theolog. protestantium determinatio, de portando gladio per Electorem protestantem ante faciem Imperatoris etiam ad missam euntis: De quo vide *Sleidanum lib.* 7. & *Martyrem in* 2 *Reg.* 5. & *Georgium Abotum in sex prælectionibus.* 3. *Concl.* De officiis communibus præstandis, etiam in idoleio, & inter sacra quæ tunc celebrantur, idololatrica, admodum disceptatum fuit, & hâc occasione de facto particulari Naamanis Syri, ejusque approbatione per Elizæum 2 *Reg.* 5. *v.* 17. 18. Nos censemus præsentiam, quando quis officia

cia communia præstando communicat aliqua actione sua & cum sacrificio, libatione, adoratione, liturgia, ceremonia idololatrica, planè esse illicitam, *Apocal.* 18. *v.* 4. 2 *Corinth.* 6. *Roman.* 10. *v.* 10. coll. cum *Matth.* 10. *v.* 33. imprimis 1 *Cor.* 8. & 10. ubi de accubitu in idoleio, & manducatione idolothyton. Nec licitam esse præsentiam, & præstationem communis officii, siquidem illa symbolizare videatur cum actione aliqua aut ceremonia, quæ simul tunc fit, idololatrica: e.g. genuflexio aut inclinatio civilis ac communis quâ honorem quis haberet aut inserviret domino suo, dum coram idolo genuflectit, non est licita, propter illas circumstantias; quia à specie mali non abstinetur: videtur enim eodem animo, modo, & fine genuflectere, quo dominus idololatra. Quod ad exemplum Naamanis, quod à Pseudo-Nicodemitis & similibus laxis Casuistis, perpetuo allegari solet duo respondeo cum *notis Belgicis & Anglicis*: posse verbum sic transferri, ut notet præteritam, non vero futuram incurvationem; & sic præscinditur totum argumentum. Adhæc dato, Naamanum futuræ incurvationis concessionem malè petiisse, inde tamen hæc sequitur ab Elizæo per formulam illam valedictoriam aut discessoriam *vade in pace*, approbatam fuisse; sed tantum jussum fuisse Naamanum ut bono esset animo, prophetam præcaturum pro ipso Deum ut eum servet ab idololatriâ. Sic *Zanchius in decalogum cap.* 10. Præterquam quod etiam aliter illa verba transferri & exponi possent cum *Francisc. Iunio in notis marginalibus*: quas vide. *Andræas Osiander in notis ad biblia Latina*, negat tamen inclinationem licitam ex hoc exemplo colligi posse; quod propheta per peculiarem dispensationem Deo revelante Naamano in casu illo id concesserit. Quid de hac dispensatione sit, non opus est inquirere: saltem talem incurvationem tali in casu secundum legem Dei illicitam esse statuitur. Licitam ejusmodi incurvationem faciunt ancillis seu pedisequis, inter Pontificios *Thomas à Iesu lib.* 10, *de conversione omnium Gentium cap.* 3. allegato hoc exemplo Naamani. *Casparus Zanchez in commentar. ad* 2 *Reg.* 5. eodem modo determinat. Nec ita longe ab hac opinione abire videtur *Abotus in sex quæst. cap.* 4. pro se adducens *Martyrem in* 2. *Reg.* 5. Sed si quis Martyrem accuratè perlegat, videbit omnem speciem externam, prout Naamanus eam proponit, ab eo peccati damnari, adque ex Naamani ipsius conscientia & confessione. Quod Martyr concedit ancillis dominam ad idoleium comitantibus, ad sequentem conclusionem pertinet. 4. *Concl.* Licitum interesse aut potius adesse aut astare sacris idololatricis non quidem sponte, sed ex necessitate illis, qui propter civilia & communia officia præstanda adesse tenentur; sic tamen, ut protestatione & declaratione consilii sui conscientiæ in-

firmiorum, & formę ſuæ conſulant; & ſi nolentibus fiat aut occurrat aliquid, quod honorem idolo addat, ut apertè reclament, exemplo Valentiniani, qui cum Juliano ad Fortunæ fanum ſe conferens, & aquâ luſtrali ab ædituo aſpergeretur, pugnis eum cecidit, addens, ſe eo non expiatum ſed pollutum. *Theodoretus lib.3 hiſtor.eccleſ.c.15.* Sic cautè *Georg. Abotus in ſex quæſtionibus cap.4.* Talem autem nudam præſentiam neceſſariâ aliquâ de cauſâ alicui impoſitam probat *Martyr* exemplis Eliæ qui actui idololatrico Balaiticorum ſacerdotum aderat 1 *Reg.18.* Et ſociorum Daniel,,qui in campo aderant,cum ſtatua erigeretur *Daniel.3.*& prophetæ, qui aderat ſacro Jeroboami 1.*Reg.13.* Pauli tranſeuntis delubra Gentilium *Actor.17.* Præſentiam hanc optimè explicat Tertullianus de Idololatr. cap. 16. *Vtinam quidem nec videre poſſimus quæ facere nobis nefas eſt. Sed quoniam item malis circundedit ſeculum Idololatria, licebit adeſſe in quibuſdam, quæ nos homini non Idolo officioſos habent. Plane ad ſacerdotium & ſacrificium vocatus non ibo (proprium enim Idoli officium eſt) ſed neque conſilio neque ſumptu aliave opera in ejuſmodi fungar. Si propter ſacrificium vocatus adſiſtam, ero particeps Idololatriæ: ſi me alia cauſa conjungit ſacrificanti, ero tantum ſpectator ſacrificii.* Si cui lubeat aliorum autorum ſuper hoc caſu & ſuper facto Naaman diſquiſitiones conferre, ei indico præter modo citatos, *Balduinum lib.2. Caſuum cap.6.caſu 6.Lutherum tom.6.German.Ienenſ. p.87.* imprimis *Calvinum in opuſculis pag.506.-538.* edit.Genevenſ.in fol. anno 1617.& *in epiſtolis p.135.214.363.470.*ejuſdem edit. Et *Zanchium ad quartum præceptum cap.19.*

6. Sequuntur problemata particularia de tolerantiâ quarundam rerum in cultu aut circa cultum, ejuſque communia inſtrumenta, adjuncta, & circumſtantias. 1. *Probl.* An templa, in quibus exercita fuit Idololatra Ethnica, aut Papiſtica, abſque participatione retineri poſſint, immo in uſum Eccleſiarum noſtrarum converti. *Reſp.* Determinamus iſtis, 1.*Concl. Templa* non ſunt neceſſariò deſtruenda: quia, ſi ſublata forma, ac repurgatis adjunctis & ornamentis idololatricis, *meras utilitates, & certa ſubſidia, & honeſta ſolatia neceſſariis neceſſitatibus vitæ humanæ procurent,* ut loquar cum Tertull. de coron. militis cap. 8. quid vetat frui beneficio ſtructuræ. 2. *Concl. Poſſunt* etiam deſtrui, quod ad formam ædificii, ut materia eorum in alia ædificia exſtruenda impendatur. Præterquam quod hoc adiaphorum ſit, aliquando erit in utile; quando ſc. forma plane eſt idololatrica,& referens hieroglyphicè idolum, aut ejus imaginem; & quando ædificium ſitu, aut forma ſua ineptum eſt ad alium quem honeſtum uſum. Erit etjam ſubinde utile, in certo caſu; quando ſcil. horrenda idololatria in triumpho ducenda,aut quaſi in theatro explodenda eſt per talem idoleiorum deſtru-

destructione. Sic Imperatoribus Constantio & Constanti suadet *Iulius Firmicus De errore Profanarum religionum pag.* 68. edit. *Ioh. VVouveri* in 8. Sic docet *Augustinus serm.* 241. *de Tempore*; sic decernunt *Conc. Africana in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ can.* 58. Et *rescriptum Arcadii ad Eutychianum, L. C.* 16. *de Paganis.* Convenit judicium *Bezæ in coll. Mompelg.* quod citamus *in disp. de Staurolatria*; & praxis quorundam ex nostris in prima reformatione in Scotia & Gallia: quibus præiverunt antiqui Christiani, apud *Centur. Magdeb. cent.* 4 *c.* 15. *& Chrysostomus ibid. Cent.* 5. *c.* 15. Nec abnuunt *Calvinus comm. in Deut.* 12. *v.* 2. *VVolphius in* 2 *Reg.* 10. 27. *Danæus in Polit. Christ. l.* 3. *Polanus syntagm. l.* 10. *c.* 65. *Zanchius in* 4. *præceptum cap.* 19. ubi ex professo & doctè hanc quæstionem tractat, allatis pro affirmante rationibus, & consensu virorum quorundam, quos eruditione & pietate præclaros vocat; quibus tamen simpliciter assentiri se negat, propter causas, & rationes, quas ibi adducit; *concedit quidem sæpe & apud multos expedire, id ut fiat: sed quod aut nunquam & nullibi liceat retinere talia templa; aut quod ubique & semper expediat retinere, hoc negat se dare posse.* Ponit ergo hanc thesin: *Tametsi & sæpe & apud multos expediat ut templa idolorum per legitimos Magistratus penitus tollantur & solo æquentur: simpliciter tamen & per se, ubique & omnibus piis principibus licet ea retinere, atque ab idololatrico ad verè sacrum usum convertere.* Postea subjicit: *Quod si alicubi eversa etiam fuerunt, & solo æquata templa, illud minimè improbamus. Fecerunt enim id, quod & licuit facere, & quod judicârunt magis expedire, ut scil. minus spei relinqueretur idololatris hominibus, aut ad idololatriam propensis, ad veteres superstitiones redeundi. Item fecerunt hoc, quo clarius significarent, quanto ferantur odio adversus cultum in Deum contumeliosum. Quis autem hunc zelum domini improbare queat?* 3. *Concl.* Templa si quæ servantur, libere & absque ulla profanatione, aut sacrilegio possunt ad usus ecclesiasticos, aut ad usus quoscunque civiles publicos converti, aut ad usus privatorum vendi, ab iis ad quos jure id pertinet. Præstat tamen, immo pœne necessarium est nonnunquam, aut saltem admodum conducit ad usus ecclesiasticos converti, his conditionibus: *Prima*, si forma ejus sit commoda, & præstent idoneum cœtus ecclesiastici receptaculum. 2. Si non sit aliud ædificium æquè commodum, aut commodius. 3. Si infirmi errantes, aut qui his ædificiis assueverunt, hâc ratione melius ad conventus orthodoxorum alliciantur: adhæc scandalum præveniri possit; quod inde iidem infirmi, etiam adversarii sibi ponunt, cum vident templa in privatos usus converti. 4. Ut populus rectè de eo instituatur, non retineri tanquam rem sacram, aut consecratam, sed tanquam communem, nunc conventibus ecclesiasticis propter commoditatem formæ, capacitatis, situs liberè deputatam.

tarem. De templis illis ad usus communes potius quam privatos convertendis sic Augustinus epistol. 154. ad Publicolam : *Et cum templa, idola, luci, & si quid hujusmodi, data potestate vertuntur, quamvis manifestum est cum id agimus non ea nos honorare sed potius detestari, ideo tamen in usus nostros privatos duntaxat & proprios non debemus inde aliud usurpare, ut appareat nos pietate ista destruere non avaritia. Cum vero in usus communes non proprios ac privatos vel in honorem Dei veri convertuntur, hoc de illis fit quod de ipsis hominibus cum ex sacrilegis & impiis in veram religionem mutantur. Hoc Deus intelligitur docuisse illis testimoniis quæ ipse proposuisti, cum de luco alienorum, Deorum jussit ligna ad holocaustum adhiberi : Et de Hiericho ut omne aurum, argentum, & æramentum inferretur in thesauros Domini.* 4. *Concl.* Si tamen metus sit scismatis, aut scandalum ignorantium atque infirmorum prævalet; utique præstat ædificium hoc aliis usibus relinquere, & idoneo aliquo receptaculo uti, si quod sit, aut de novo aliud ædificari. Præstat enim perire aut interverti nobis lucrum externi ædificii, quam dispargi aut everti ecclesiam : juxta consilium Apostoli *Rom.* 14. 1. 2. 10. 12. 14. 15. 17. 21. 22. cum 1 *Corinth.* 10. 28. 29. 30. Confer *disp. de Templis.* Hæc ita de templis idolorum determinabam anno 1642. & 1643. in primâ & secundâ *hujus disput.* editione; & antea in *disput. de Templis*: quæ quia incursationem effugere non potuerunt, in 12. *dispp. de Selectis aliquot problematis* verbulo repetii & explicui. Illis nihil nunc addendum censeo, quia satis planè hæc ab *autoribus citatis* determinata : nisi indicium scriptorum nostrorum, qui contra Browniastas (ita dictos), hoc est, Separatistas Anglicanos accurata hanc causam defenderunt; quales *Iosephus Hallus, Pagetus, Amesius.* Conferat etiam, cui vacat, *Lavaterum in comment. ad* 2. *Paralip.* 12. *v.* 2. ubi phanis tempore Salomonis exstructis & templis idolorum clausis ac per Julianum iterum apertis applicat illud Ziskæ ductoris Bohemorum : *non relinquendos esse nidos ciconiarum ne eos repeterent*; cum funditus everteret latibula monachorum. Quod tamen eximius ille theologus omnibus templis Pontificiis applicari noluit, sed cum limitatione modo allatâ: uti ex aliis illius scriptis, & ex praxi ecclesiarum in Helvetiâ colligi potest. Videatur & *Nicol. Vignier in theatro Antichristi gall. p.* 577. ed. in fol. *Beza in colloq. Mompelg.* infra *cit.* Deniq; ex Pontificiis *I. Filesacus l.* 3. *selectorum tit. Templa Gentilium*; ubi legem Theodosii, & decretum ecclesiæ Africanę de evertendis templis, cum aliis legibus *ibid.* ab ipso *citatis*; nec non & moribus Christianorum conciliare conatur, adhibitâ distinctione inter templa splendida aut in urbibus, & inter vulgaria seu in agris. Sed non satisfacit; inhærendum est ergo distinctioni supra à nobis allatas. 11. *Probl.* An reditus templis & cultui idolorum in Gentilismo aut Papismo assigna-

assignati retineri possint, & in pios usus converti debeant absque ullâ idololatriæ participatione. *Aff. utrumque.* De quo alibi *in politiâ*, scil. *ecclesiasticâ tit. de Reditibus sacris* ex professo agendum: Interim videat, cui vacat, quæ diximus *disput. 4. de Monachatu*, ubi *de equitibus religiosis*, & *tract.* nostrum *de Vsu bonorum ecclesiasticorum*; ubi nube testium & universali *tum* Theologorum *tum* Jureconsultorum protestantium ac reformatorũ consensu rem judicatam ostendimus. 111. *Probl.* Quid de usu campanarum, quas in Papatu tam idololatricè consecrarunt, quibusque non uno modo abusi sunt. *Resp.* Idem quod de templis, ad communem usum signandi scil. & indicandi tempora atque occasiones retineri posse: sic tamen ne partem cultus faciamus eorum sonum, nec sacrum quid in iis imaginemur (non magis quam in quovis tympano, cornu, tubâ); nec abutamur ad inutiles ferales cantus, nec supervacaneos multiplicemus Mimalloneos bombos in funeribus? 1v. *Probl.* An ad campanæ pulsum Meridianum & vespertinum, reformatis necessario sit orandum, & num ad ejusmodi preces jure cogi possint? *Resp.* tractat hanc quæstionem *Hospinianus de Templis cap.* 26. & in negantem partem concludit: additâ hâc ratione, quod horæ illæ precatione à Johanne 22. & Calixto 3. institutę sint, & quidem ad cultum superstitiosum. Jam vero reformati astringi non possunt ad certas horas cum Papistis, quas illi in Orationes idololatricas impendunt, nominatim laudes Mariæ & hymnum pervulgatum, *Salve Reginâ.* Solvit *ibidem* decem objectiones eorum, qui inter euangelicos affirmantem partem tuentur, & negantes *vehementis nimisque ardoris ac præpostert zeli in repurgandâ religione accusant, & tantum non damnant ac execrantur.* Velim lector cui curæ est puritas reformatæ religionis & custodia ἀκριβοτάτης conscientiæ, *Hospinianum* ipsum consulat. Videbit ibi eandem causam idololatriæ indirectæ, à me ex verbo Dei & doctoribus reformatis propositam, & ab uno atque altero tanquam theologiam & reformationem præcisisticam, Anabaptisticam, Brownisticam &c. exsibilatam, solidè contra omnes laxiorum Casuistarum exceptiones defendi. v. *Probl.* An altaria, cruces in templis aut turribus, monstrantiæ, imagines in parietibus aut vitris pictæ aut in lapidibus excisę, & similia utensilia purè idololatrica, ut & festa idololatrica, à Magistratibus manu ac facto tollenda sint: & si hic negligant aut cessent, an participent de alienâ idololatriâ. *Resp. Aff. utrumque.* Rationes petendæ ex *part. 1. sect. 5. & 6. & part. 2. sect. 4.* Addatur admonitio *Firmici p. 96.* & rationes subjectæ. *p 99.* Et analogice huc applica *Augustin. serm. 241. de tempore:* imprimis & *Concil. Arelat. 2. can. 23.* Confer *disp. de Staurolatriâ.* v1. *Probl.* Quid de baptisteriis, sedilibus confessionariis, gallis in turribus, vasis & aspergillis

gillis aquæ lustrali appropriatis, cornibus, libris cantorum & antiphonariis, pegmatis cantorum choralium, in quibus consistentes solent canere &c. *Resp.* Pro & cum praxi ac sensu Reformatorum determinamus tanquam inutilem & otiosam suppellectilem inde exportandam: præterquam quod pleraque manifesta superstitionis vestigia impressa habeant: De gallis inturribus confer *disp. de Staurolatr.* VII. *Probl.* Quid de Organis. *Resp.* alibi de iis agendum: & dedimus *peculiarem disputationem.* VIII. *Probl.* An panis orbicularis in usu cœnæ, & calices forma illa, quâ sacerdotes in Missa conficientes uti solent, retinendi. *Resp. Neg.* prudentia tamen utendum est in deligendâ opportunitate tollendi, & methodo in præparando: ne fiat cum periculo manifesti sciſmatis, nec etiam quis sciſma faciat ab ecclesia, ubi hæc nondum sublata, nec tolli potuerunt. Quo tamen nolumus eos juvare, qui talia de novo in ecclesias bene reformatas introducerent. Longè enim alia ratio est, si antiquum quid quod loco moveri nondum potest, nondum tollatur; quam si expurgatum restituatur. IX. *Probl.* An genuflectenti minister cœnam porrigere & an sedentes percipere eandem possint cum genuflectente, absque participatione alieni erroris, & alienæ symbolizationis cum ceremoniis Pontificiis? *Resp.* Distinguendum est ministro inter neophytum aut infirmum, & inter veteranum ac validum libertatis nostrę exploratorem, abusibus illis indormientem, *Roman.* 14. Coll. cum *Galat.* 1. & *Hebr.* 5.: rursum inter tempora ecclesiæ primum ab abusibus illis reformatæ aut reformandæ, & inter tempora ecclesiæ ac reformationis in ea jam firmatæ: denique inter ecclesiam, in qua scandalum & ingens contentio inde oriretur; & inter eam, ubi nihil tale metuendum. Prout variaverint circumstantiæ illæ, ex prudentia & caritate statuendum ministro: sic tamen ne illum in errore aut infirmitate illa confirmet. De assidentibus minor est difficultas: neque enim illico communicat cum ignorantia, aut errore, aut infirmitate, qui cœnam accipit una cum Christiano illis defectibus aut opinionibus obnoxio. X. *Probl.* An tutum sit funera Pontificia comitari, in quibus præferuntur faces, cruces, aliaque superstitiosa & idololatrica tam in via quam in templo peraguntur. *Resp. Neg.* Neque enim videmus quomodo quis tacitus pompam præsentia sua cohonestans & augens, plane liber possit esse ab omni participatione. Ex Pontificiis *Becanus lib.* 5. *Manualis*, casum proponit, an liceat Pontificiis nostrorum funera comitari. Ex nostris *Paræus in Exercitat. lib.* 2. *Exerc.* 54. *pag.* 267. admittit deductionem funeris usque ad templum Papisticum in Republicâ Papisticâ ubi lex & Magistratus id jubet; hâc tamen conditione, si professione & discessione suâ, ubi ad templum ventum fuerit, sacra ipsorum exequialia se impro-

improbare ostendat. Sed rationes ipsius & solutiones objectionum, si accuratè perspiciantur, non videntur huic negotio satisfacere, aut statui controversię, saltem ut à me propositus est, quadrare. Debebat prius explicari, quomodo totum quod hic ageret reformatus, ad puram tolerantiam servitutis referri possit. Quomodo etiam omnes illę ceremoniæ dicantur humanæ: & quæ ac qualis sit illa professio explicita an implicita, actualis seu formalis, an virtualis, quâ ostendere deberet se sacra ipsorum exequialia improbare. XI. *Probl.* An mortui in locis idololatriæ destinatis, eaque pollutis assidua exercitatione, etiam in ipsa funerum curatione & sepultura, quæ partem non minimam faciat professionis idololatricæ, sepeliri possint. *Resp. Neg.* Rationes generales contra participationem idololatriæ huc applicandæ sunt. Et rectè *Blondellus* in suo *Pseudo-Isidor. ad Epistolam* 1. *Cornelii pag.* 309. hanc censuram in margine posuit: In loco sacrilegis idololatrarum ritibus polluto conditum à Christianis B. Petri corpus verisimile non est. Fingebat enim supposita illa epistola corpus B. Petri in templo Apollinis conditum, & inde rogatu devotæ fœminæ Lucinæ levatum ac translatum ad prædium ejusdem fœminæ juxta locum ubi crucifixus erat. Sed de hâc quæstione propriè agendum in *disp. de Templis parte* illa, *quæ de Cœmiteriis.* XII. *Probl.* An reliquiæ, quæ idololatricè coluntur, tollendæ sint ab iis, qui potestatem habent? *Resp.* 1. *Concl. Aff.* de reliquiis rerum per se tantum malarum, aut earum, quæ adiaphoræ sunt, sed non necessariæ aut usibus humanis utiles; quales ex. gr. utensilia illa quæ finguntur fuisse sanctorum aut pseudo-sanctorum. Huc refer lac B. Virginis, halitus Josephi &c. 2. *Concl. Aff.* Multò magis, de iis quæ sunt propria instrumenta idololatriæ: quales ex. gr. imago Dei, altare missaticum &c.: Idque probatur ex 2 *Reg.* 4. *& cap.* 23. *v.* 4. 5. 11. 12. huc refer excisiones arborum, quas Gentiles colebant laudata Pontificiis in *historiis sanctorum.* 3. *Conel. Aff.* etiam, de iis, quæ aliquem usum memorialem habuerunt: & ritè factę atque hactenus asservatæ fuerunt: qualis ex. gr. serpens æneus, quem destruebat Hiskias 2 *Reg.* 18. 4. 4. *Concl. Aff.* de corporibus aut partibus corporum, cranio scil., dente, digito, &c., quæ finguntur aut etiam verà sunt hominum improborum. Idque probatur exemplo *Josiæ* 2 *Reg.* 23. *v.* 16. comburentis ossa sacerdotum. 5. *Concl.* Corpora, aut partes corporum verè sanctorum tali in casu, non quidem destrui aut ignominiosè abjici debent, quamvis homines iis ad idololatriam abutantur; transferri tamen possunt atque alibi condi, ubi tantisper occulta sint; siquidem homines ab exercitio idololatriæ aliter averti nolunt: Probatio desumi potest ab exemplo Dei sepelientis Mosem *Deuter.* 34. *vers.* 6. coll. cum *Judæ v.* 9. ubi videndi

commen-

commentatores. XI. *Probl.* An idololatræ in testes baptismi seu susceptores à nostris assumantur,& vicissim nostri ipsorum sacris se misceant & susceptores in baptismo idololatrarum agant, sine aliqua participatione aut specie mali? *Resp. Neg.* Rationes alibi adferuntur, in *Politiâ eccleſiasticâ part.* 1. ubi *de administratione baptismi.* De delectu susceptorum habendo non vanè monuerunt *Synodi nostrates*, inter eas *Hollandica Brielana anno* 1623. *cujus acta* consuli poterunt. Quod si quis quærat; An non satis consultum sit conscientiæ, & scandalo omni occursum, si quem sacra illa frequentantem reformati sibi substituant, atque ita in Pontificio baptismo susceptoris partes impleant, & vicissim Pontificio aut hæreticis susceptoribus per reformatum quem officium illud in nostra ecclesia nobis præstare eveniat. *Resp. Neg.* secundum verissimam & vulgatissimam juris regulam: *Quod quis per alium facit, per se facere putandus est.* Sed de hoc alibi. XII. *Probl.* An ecclesiæ nostræ non participent aut symbolizent, cum Papistis, ubi dies sanctorum ex.gr. Petri ad vincula, conversionis Pauli, innocentium infantum, Jacobi, Thomæ, utriusque Johannis &c. tanquam feriatos observant & iis ad conciones conveniunt. *Resp. Neg. cum distinctione.* Si scil. feriæ istorum dierum à potestate publica imponuntur, & nostri non sponte sua ex carnali prudentia & κακοζηλίᾳ, sed hac occasione & necessitate adacti, & ut infirmitati multorum isto tempore succurrant, insuper accedente spe multos ex Papatu & in bivio positos attrahendi, materialiter & ad tempus ferias illas tolerent, & iis ad conventus & conciones suas, quia tollere non possunt, tantisper utantur, donec potentia & potestas sit eas abrogandi. Sic tamen, ne occasionem prætermittant suos publicè privatimque contra Papistica festa, & omnem cum iis symbolizationem præmonendi & omnia pro viribus ad tempestivam eorum abolitionem procurandi, atque adeo ipso facto abolendi simulac quæsita & desiderata occasio affulserit. Caveant etiam imprimis, ab omni excusatione aut defensione observatæ ejusmodi feriationis & conventus ad conciones, & forte textuum (ex.gr. *Actor.* 9. de Paulo & 12. de Petro &c.) anniversariæ illi solennitati affixorum. Quid dicam de contentione pro ea usque ad accusationem fratrum, si non vexationem & persecutionem tempore libertatis & ecclesiæ nostrę illic locorum jam adultæ satis: Prima defensio istorum ἀτημάτων, quæ antehac tolli aut omitti non potuerant, deducitur ex consuetudine, & quod sit malum bene positum. Succedit postea, Quod sit adiaphorum, & consequenter non laborandum de ejus abolitione. Sequitur postea crescente contentione, quod possit esse utile ad ædificationem. Postrema pugna est acerrima, quod ad ædificationem solennem memoria anniversaria istorum sanctorum (non religi-

osa

ola eorum adoratio) sit admodum utilis & pœne necessaria: consequenter defectus sit non penes ecclesias retinentes, sed penes abolentes, aut abolitionem occasione opportunâ & tempore libertatis sub Magistratu reformato promoventes, solida conscientiarum informatione, admonitione, petitione, consilio, etiam aliqua solennitatum istarum imminutione & contractione, ne nimium excrescant, ac cum tempore in sacrum ac mysticum aliquod apud imperitam plebem, quin & apud imperitos aut absurdos ministros desinant. Quid ad memorias & natales martyrum, aliorumque rituum in antiqua ecclesia usurpationem, ad dies Apostolorum aliorumque ritus in Anglia, ad adiaphora in Germania secutum sit, & quomodo tamen illa argumentis, exceptionibus, distinctionibus Papismo admodum conformibus defendi cœperint, nemo ignorare potest, qui scripta jam ab annis aliquot edita, & historias rerum gestarum legerit. Sed de his fortè pluribus agendi dabitur occasio in *disp. de Festis, de Ceremoniis, de Canonibus Ecclesiasticis.* XIII. *Probl.* An quis si non directe procurare, saltem volens & sciens annuere aut ferre debeat, ut vicini pro se & in suam gratiam floribus conspargant plateam & vestibulum suum; quo mandato publico de honoranda processione seu theophoria, saltem satisfiat. *Resp. Neg.* Rationes ex generalibus *prima parte* propositis desumendæ, & huic casui applicandæ.

Restant aliquot problemata particularia de casibus extra cultum publicum. 1. *Probl.* An participet, qui parat, aut subministrat utensilia & instrumenta idololatrica? *Resp.* determinamus aliquot conclus. Sit ergo 1 *Concl.* Qui sponte donat, aut confert nummos, aut materiam, ut inde instrumenta illa parentur, is participat: secus, si coactus quid tribuat. 2. *Concl.* Qui in communi officina aut foro vendit materiam, ligna, lapides, gemmas, pannum lineum aut laneum &c. unde præsumit, aut probabiliter conjicit paranda utensilia idololatrica, non participat; ratio est, quia materia illa communis est, & usibus communibus inservit. Confer, quæ *disp. de Iudaismo* ex Casuistis indicavimus de vendenda materia synagogæ. 3. *Concl.* Qui faciunt aut vendunt res & Utensilia communia quæ ad usus ecclesiasticos, civiles, & œconomicos promiscuè adhiberi possunt, ut æramentum seu campanam, mappam, sedile, scamnum, urnam, candelabrum, candelam, laternam, vinum; non participant. 4. *Concl.* Qui libros conscribunt aut excudunt, ad nullum alium usum pertinentes, quam idololatricum (ex. gr. missalia, Officia Mariæ &c.); participant. 5. *Concl.* Qui faciunt, aut vendunt imagines crucifixi, aliasque imagines & stàtuas, ut & monstrantias, nullius usus nisi idololatrici, participant. Rationes ex superioribus petendæ. Tantum hic exhibeo judicium Tertul- 6.

liani de Idol. cap. 11. *Nulla igitur ars, nulla professio, nulla negotiatio, quæ quid aut instruendis aut formandis idolis administrat, carere poterit titulo idololatriæ, nisi si aliud omnino interpretemur idololatriam, quam famulatum idolorum colendorum.* Coroll. An si quis hæreditarit propria illa instrumenta idololatrica, aut Magistratus jure suo in potestatem suam redegerit, aut jure belli in manus reformati alicujus devenerint, liceat vendere aut redimēda dare Idololatris? *Neg. 6. Concl.* Reliquiæ in potestatem nostrorum redactæ, quamvis magno redimere velint idololatræ, vendi ipsis non possunt sine participatione idololatrię. Sunt ergò illæ strictè sub custodia publica in loco, ad quem aditus non datur idololatris, detinendæ; ad eorum convictionem & confusionem; siquidem necessitas id requireret: aut potius, quod tutissimum est, sunt plane comburendæ, si materia sit vilis & destructa forma in nullum usum converti possit; & si ossa hominum sint, clanculum alicubi terræ mandanda, ne unquam ab idololatris refodi possint, siquidem locus, ubi defossa sunt, ipsis innotesceret. 11. *Probl.* Quid faciendum de instrumentis idololatriæ ex. gr. missaticis, quæ ratione formæ suæ usui alicui communi non inserviunt? *Resp.* Si materia idonea sit alteri formæ, in eam convertatur: aut cū magis hoc ædificat, & facit ad honorem religionis & ad facti detestationem tantò magis significandam, aboleatur: nisi rationes suadeant nonnulla in publicis ἀρχαιοταμείοις asservare ad convincendos adversarios. Illustres hujus Provinciæ Ordines anno 1609. totum apparatum seu mundum missaticum satis pretiosum, Amisfurti interceptum, publicè in foro comburi jusserunt. In quo cum exempla Asa, Hiskia, Josia, Jehu, & Christianorum Principum reliquias ac suppellectilem Gentilis idololatriæ jam inde à Constantino abolentium imitati sint; injustè à Pontificiis tunc culpabantur etiam edito poëmate. *Except.* Videntur posse vendi ad usum idololatrarum; sicuti morticinium licebat donare aut vendere extraneo. *Deuter.* 14. 21. *Resp.* Dici potest 1. Non esse parem rationem cibi transeuntis (ita loqui liceat) quo peregrinus privatim vescebatur extra cultum publicum; & instrumenti communis ac permanentis, quo Idololatræ utuntur in suâ religione. 2. *Deinde* si non peccabat peregrinus incircumcisus vescens morticinio, quippe qui ad legem ceremonialem non obligaverat se per circumcisionem (uti volunt multi Theologi, inter quos *Interpretes Belgici in notis ad locum cit.*) utique non peccabant, qui donabant aut vendebant illi morticinium in cibum. Forte quis sic responderet: quamvis omnes, qui extra incorporationem externam in populum Israëliticum, salvari potuerunt, obstricti essent ad cultum Oeconomicum seu ceremonialem (quod ad universalia ac substantialia ejus); non tamen pariter cum Israëlitis obstrictos fuisse ad speciales

ciales ac particulares quasque observationes, nedum ad minutissimas circumstantias & appendices observationum. Quomodo ipse populus Dei, antequam quod ad corpus populi ab omnibus nationibus separatus septo ecclesiastico-politico, seorsim habitaret, salvari potuit observando duntaxat substantialia & generalia, ex. gr. de sacrificiis, primogenitis, animalibus mundis, & si quæ alia. Sed alii dicerent, à suffocato & sanguine vi præcepti Noachici & legis cæremoniales hâc in parte ante Mosem datæ & obligantis, omnibus fuisse abstinendum. De quo ex professo alibi disquirendum. Hìc sufficerit, dixisse, disparem esse rationem morticinii & instrumenti idololarrici permanentis. Ne quis autem putet nos minutias & nugas sectari, cum inquirimus de venditione aut donatione, & de abolitione eorum, quibus homines ad idololatriam abutuntur; velim consideret ante nos ab ipsis Casuistis Pontificiis talia fuisse proposita; & à nostris peculiarem titulum in locis communibus theologicis huic disquitioni tributum. *In Bullingeri tract. de ratione studiorum* conscripto anno 1527. & edito anno 1594. exhibentur *tituli locor. commun.* ab *Huldrico Zvvinglio* magni Zwinglii nepote Professore Tigurino collecti inter quos *fol.* 75. 6. (edit. in 8.) comparet hic titulus ad primum decalogi præceptum: *De his, qui vendunt res, quibus homines ad idololatriam utuntur.* III. *Probl.* An participent ludi magistri, aut alii quicunque Roscii, qui comœdias & tragœdias Gentilium, idololatria non uno modo delibutas (uti supra ostendimus), exponunt, inculcant discipulis aliisve actoribus, eosque ad actionem earum præformant; præterea qui actionibus illis præsunt, ad eas theatra, aliosque sumtus suppeditant &c. *Resp. Affirm.* Excipimus eos, qui tantum usum philologicum & historicum ostendunt, promovent: de quo supra & *Hieron. epist. ad Magnum Oratorem Romanum.* Tertull. de Idol. cap. 11. modo cit. & cap. 10. ubi de literarum Professoribus: *Quibus necesse est Deos nationum prædicare, nomina, genealogias, fabulas, ornamenta honorifica quæque eorum enunciare.* Et: *Si fidelis litteras doceat insertas idolorum prædicatione, sine dubio dum docet, commendat, dum tradit, affirmat, dum commemorat, testimonium dicit. Deos ipsos hoc nomine obsignat, cum lex prohibeat, ut diximus, Deos pronuntiari, & nomen hoc in vano collocari.* Isidorus (cujus dictum decreto inseruit Gratianus dist. 37. c. 15.); *Non solum thura offerendo dæmonibus immolatur, sed etiam eorum dicta libentius capiendo.* IV. *Probl.* An nonnulli typographi nostri à participatione excusari possint, qui tanto piorum scandalo, & ad religionis nostræ dedecus, librorum quin & bibliorum frontispicia, picturis idololatricis & pseudo-hieroglyphicis conspurcant; trinitatis sub forma trianguli radiis cincti, cui Jehova inscriptum; Dei per nubem, aut semicirculum radiantem cum inscripto Je-

hova; Ejusdem per brachium humanum cum gladio, ex nube aut cœlo protensum; Apostolorum; Mosis, nonnunquam cornuti; subinde & crucifixi, aut Christi alia quadam forma, ut agni. *Resp. Neg.* Velim videant illi, quibus ecclesiastica, aut politica istorum emendatio incumbit, ne cessatione sua huic culpæ etiam affines fiant. VI. *Probl.* Idem quæro de emblematis, hieroglyphicis Christi, Mariæ &c. ut quando sol pingitur tanquam hieroglyphicum misericordiæ, & eo denotatur Maria. Plura vide apud *Maximil. Sandæum de Theologia Symbolica. Resp.* Eadem responsio, quæ supra. Emblemata quidem Christi, stricte ita dicta, non sunt illicita, ut nec Mariæ, si modo veritatem symbolicè exhibeant. Sed cum accedit pictura, transeunt in hieroglyphica propriè ita dicta; abstinendum est, propter speciem & periculum iconolatriæ. V. *Probl.* An qui Deum, & Trinitatis personas pingit forma humana, aut quacunque ratione effigiat, participet? *Resp.* Non participat tantum, sed directè & crasse idololatram agit, contra secundum præceptum, coll. cum *Deuter.* 4. *Ies.* 40. *Rom.* 1. VI. *Probl.* An omnis conspectus processionum, missarum &c., eorumque armata defensio; & fœdera politica cum idololatris sive subditis, sive collateralibus inita, adhæc principatus & Magistratus suscepti, & quidem sub conditione talis defensionis, semper aliquem participem faciant idololatriæ? *Resp. Neg. cum dist.* limitationes & exceptiones, ex superioribus facile desumi poterunt: ubi de fœderibus, & de permissione idololatriæ restrictiones indicavimus. In conspectu idolorum & idololatriæ, cautelæ illę adhibendæ, ne sponte, aut ex otiosâ & vana curiositate, aut cum periculo sive animæ sive corporis sive fortunarum, aut cum scandalo aliorum spectemus; nec etiam sine protestatione, aut qualicunque alio indicio, quo constet nos nullum honorem idolo nullamq; ejus conscientiam habere: Sic rectè *Abotus & Zanchius* supra *cit.* De vanis spectatoribus, deque peregrinantibus Romipetis supra; ubi etiam adducitur *Vrsini* dictum de Italiâ. Ei adde judicium Paræi in commentar. ad Apoc. 18. v. 4. *Deinde redarguitur quorundam nostrorum sive stupor, sive insania, qui fatali quodam desiderio videndi* Romam, *Pontifices, Cardinales, idolomaniam Romanam, summo cum vitæ, valetudinis, fortunarum, conscientiæ & salutis periculo, Italiam adeunt & pervagantur*: Et paulò post, *Excusant illi nostri* Romæ *admiratores*: *posse se illæsa conscientia* Romæ *versari, Missam, idola, pompas Babylonicas intueri.* Sed falsum *esse prætextum, hinc liquet. Negat Deus: Experientia refellit. Coguntur enim Missæ, idolis, Pontifici, minimum capita aperire, genua curvare, signis quibuscunque approbationem idolomaniæ Babylonicæ simulare, ni periclitari velint: quod quin sit peccatis eorum participare, excusari nulla ratione potest. Atqui vitare peccata, est peccatorũ occasionem*

vita

vitare. VII. *Probl.* An participent idololatria Papali, qui eam extenuant? *Resp. Aff.* & hic eminent infelices illi æruscatores, qui cramben recoctam syncretismi denuò obtrudunt. Vide *Grotii notas ad Cassandrum*, cum *castigatione Riveti supra cit.* VIII. *Probl.* An desputatio Gentilium idolorum, Templorum, Altarium &c. etiam Præsidum, qui ad idololatriam Christianos compellebant; adhæc proturbatio idolorum & proculcatio; eorundem ex sufflatio, utilis aut necessaria fuerit; ne vel remotissimâ aut minimâ specie cum idolis symbolizare viderentur, & ut ab omni idololatriæ participatione immunes essent. *Resp.* Visum id quidem primis Christianis, & martyribus; qui eo nomine non tantum reprehensi, sed laudati. Vide *Tertull. de Spectac. cap.* 13. *& de Idolol. cap.* 11. Prudentium c. Symmachum: *Qui Iovis infectam sanie non despuit aram. Eundem in martyrio Eulaliæ*: ubi refert martyrem in tyranni oculos sputa jeciisse, simulacra dissipasse, impositamque molam thuribulis pede prosubigisse: Confer & Minutium Felicem in Octavio paulo ultra principium: *Templa & busta despiciunt, Deos despuunt, rident sacra.* Origenes tamen contra Celsum lib. 8. à Christianismo removet, & temeritati aut imperitiæ paucorum imputat hanc gloriationem: *Ecce Iovis, aut Apollinis, aut cujuslibet Dei simulacro adsistens, maledico ei, & colaphos incutio, nec tamen ulciscitur &c. p.* 409. Et paulò post: *Quis est autem inter nos adeo stultus, ut hæc dicat, nec videat nihil talia valere ad tollendam opinionem de Diis vulgò creditis.* Nos factorum omnibus circumstantiis propius examinatis distinguendum putamus, an & quinam ex illis exemplo Gideonis *Iudic.* 6. defendi possint. IX. *Probl.* Quid judicandum de Johanne Nicomediensi, de cujus facto. *Eusebius lib.* 8. *Eccles. hist. cap.* 5. *Resp.* Laudant illum Pontificii & inter martyres reponunt ad VII. Eid. Septembr. Vide *Martyrolog. Romanum, & notas Baronii*, qui citat *Bedam, Vsuardum, Adonem.* Nominatim eum laudat *Gul. Estius* Theol. Duacen. *in histor. Mart. Gorcomiens. lib.* 4. *c.* 6. ubi & antitypum ejus seu genuinum compar facit Balthazarem Gerardum, Illustriss. & Celsiss. Principis Arausionensis paricidam. Pontificiis præivit *Eusebius loc. cit.* quem sequitur *Melanthon in consiliis parte* 1. *pag.* 358. Idem propositum hoc factum laudat ac defendit in *commentar. ad Daniel.* 6. §. 8. Nos Nicodemiensem nec condemnamus, nec defendimus. X. *Probl.* Quid de facto Audæ Episcopi Persici qui templum, in quo ignis à Persis colebatur cum evertisset illudque jussus à Rege Varane denuò ædificare renuisset, causa exstitit crudelissimæ persecutionis adversus Christianos. *Euseb. l.* 7. *c.* 8. *Theodoret. lib.* 5. *cap.* 38. *Respond.* Incendium πυρεῖα *pyrei* (sic vocant templum Ignis) importuno zelo factum fatetur *Baronius ad ann* 420. *n.* 18. ubi in confirmationem adducit exemplum Pauli *Actor.* 17. At propter ne-

negatam re ædificationem, martyris honore dignissimum judicat. In priori quidem præformavit illi judicium *Theodoretus*, qui *loc. cit.* οὐκ εἰς δέον οὐκ εἰς καιρόν factum ait. Hunc secutus est *Nicephorus Callistus lib. 16. cap.* 19. Sed quæstio manet: An siquidem tam infelicem eventum non habuisset hoc factum Episcopi, zelus ejus condemnatus aut condemnandus fuisset? Certè si Nicodemiensis, aliique idolorum deturbatores laudari merentur ab antiquis, & hodiernis Pontificiis non videmus cur factum Audæ ab ipsis condemnari queat. Nos disquisitionis; hujus spectatores erimus. Ex nostris factum ejus condemnat *Nicol. Vedelius tract. de Prudentiâ veteris ecclesiæ.* XI. *Probl.* Quid de Marco Arethusæ episcopo judicandum, qui propter templum Gentilium Arethusæ sub Constantio Imperatore destructum gravissima tormenta sub Juliano passus est, cum jussus templum illud restituere nollet. *Resp.* Antiquis, & post eos Pontificii ipsum inter martyres numerant. Vide *Baronium ad ann.* 362. § 34. Nos non videmus quomodo factum defendi possit; nisi forte quis dicat illi potestatem talem à Magistratu concessam. XII. *Probl.* Quid de facto Theodori militis, qui templum matris Deorum incendebat. *Resp.* laudat eum *Baronius ad annum* 304. §. 12. *& Martyrologium Romanum ad* 9. *Novembr.* eundem sanctis accenset. Res gestas ejusdem describit *Metaphrastes*, & citat *ibidem Orationes Gregor. Nysseni & Nectarii* episcopi Constantinopol. Nos metuentes, ne fuerit zelus absque scientiâ, malumus in medio relinquere. XIII. *Probl.* Quid de Nicolao, aliisque episcopis, passim idola & delubra demolientibus? *Resp.* Laudat eos *Baronius ad an.* 318. §. 5. Nos non videmus quomodo ab ἀλλοτριοεπισκοπῇ excusari possint, nisi potestas ab Imper. aut præfectis concessa fuerit. XIV. *Probl.* Quid de facto Guliel. Gardineri Angli, qui an. 1552. Cardinali missam coram Rege, & purpuratis, magnaque populi frequentia Ulyssipone celebranti, altera manu hostiam eripit & pedibus conculcat, altera calicem: vide historiam apud *Foxum commentar. rerum in ecclesia gestarum pag.* 203. *Resp.* Tanquam eximium & fortissimum Christi martyrem admiratur *Foxus* ejusque martyrium *ibidem* describit. Nos ἐπέχειν, & admirari malumus, quam aliis hoc imitandum præponere. Conferatur cum Nicomediensi, Marco Arethuso, Theodoro. XV. *Probl.* Quid de facto partim puerorum, partim otiosorum quorundam ex fece plebis, qui anno 1566. in Belgio passim imagines deturbarunt? *Resp.* 1. Condemnarunt tunc temporis, & deinceps usque in hunc diem ecclesię Belgicę, & nos judicio ipsarum libenter subscribimus. Si scientia, pietas, honestas, zelus Dei, affectus erga nostrã religionem fuisset in omnibus illis hominibus; potuisset forte dubitari, aut mitius judicari de facto eorum, non minus quam de facto Nicomedi-

medienſis, aliorumque Chriſtianorum & martyrum, quorum paulo ante meminimus. Sed quia ſecus ſe habent, in communi ſententia acquieſcimus. 2. Quod porro Pontificii per calumniam noſtræ religioni, & innoxię eccleſiæ hoc imputant, illud ſane iniquiſſimum eſt. Probent eccleſias noſtras, aut conſiſtoria, aut paſtores, ſeditioſis iconoclaſtis illis autores fuiſſe, aut ſuaſores, aut approbatores. Sed contra omnia ſe habent; uti ex ſententiis in martyres, alioſque eccleſiæ noſtræ confeſſores latis, & univerſim ex actis judicum Pontificiorum diſcent adverſarii. Conferatur diligentiſſ. *rerum Belgicarum ſcriptor Petrus Borre*, imprimis ubi agit de iconoclaſtâ Antwerpiana. Cum autem ille neuter in religione fuerit, ſeu potius *Diederici Cornherti* eccleſiæ reformatæ in Belgio adverſarii contentioſiſſimi ſectator, fides illi hâc in parte magis adhibenda, quam *Nicolao Burgundo, Florentio van der Haer, Famiano Stradæ turbarum Belgicarum ſcriptoribus*; qui ſtudio partium Pontificiarum nimis ab ἀνεξαβείᾳ hiſtoricâ & hic & in multis aliis recedunt. Non vana ſuſpicio eſt ab ipſis Hiſpano-Pontificiis hoc curatum, ut occaſionem haberent Belgas crudeliter ſubjugandi. 3. *Si quid* alicubi volente aut connivente Magiſtratu, ſaltem aliquibus ex illo ordine, factum ſit à viris probis, in expurgatione idolorum ſive tacitè & clam, ſive palam ſed modeſte abſque commotione, tumultu, ſtrepitu; (uti nullibi factum minime negamus); de eo judicandum cenſemus quod Beza in colloq. Mompelgard. part. 2. p. 19. & 28. *Immo furioſos non eſſe indefinitè & ſtatim judicandos, quicunque ita ſeſe in confringendis auctoritate privata imaginibus geſſerunt, liquet ex eo inprimis, quòd à furore proficiſci non poteſt ſerius idololatriæ deteſtandæ zelus, quo ductos fuiſſe non paucos, & tota anteacta vita, & ſincera nominis divini in mediis flammis confeſſio demonſtravit. Deinde conſtat non paucis in Belgio locis Magiſtratuum mandata iſtis everſionibus praiviſſe. In Galliis autem agnoſco, non tantum imprudentia, ſed etiam non recto impetu, atque adeò variis aliis modis fuiſſe in his rebus peccatum, ut in bellis evenire ſolet. Sed omnes qui modum quem oportuit non tenuerint, furioſos, ſanguinarios, homicidas, Lutheranas hyperbolas ſequutus, nolim quidem ego appellare, quia certò ſcio ſic fore ut multis verè piis injuria fieret, qui non perverſo, ſed imprudenti zelo deliquerunt. Veteres certè Epiſcopi, quum talis quidam zelus Dei, ſub Conſtantino, Chriſtianos eò uſque adverſus Paganorum idola abriperet, eos qui fortè in everſione idolorum eſſent à Paganis occiſi, neque ut furioſos, neque ut alicujus ſceleris reos damnarunt, ſed duntaxat inter martyres numerandos non eſſe ſtatuerunt. Can. Eliberinæ Synodi 60. Templorum autem ipſorum everſio, etſi minus excuſari poteſt, nec mihi ſanè probatur: tamen, ut probè novi, & ut civitates ipſæ poſteà teſtatæ ſunt, nec impetu, nec temere pleriſque locis accidit, ſed quò ita in triſtiſſimo illo bello, ad quod noſtri adverſus publicæ*

pacis

pacis violatores tutandæ suæ salutis causa sunt adacti, ipse templorum illorum situs, istud necessariò postularet. Quod si tibi, D. Andræa, furtim sunt semel omnes isti quorum zelus, fervente bello, hactenus non fuit secundum scientiam, quod temporis & ordinis quam oportuit rationem non habuerint: quo tandem nomine illos appellabis, qui non fervente bello, sed rebus pacatis, Illustrissimo beatæ memoriæ Principi & Duci VVirtenbergensi Vlricho, hujus nunc Ducis avo, persuaserunt, ut Monachorum Tubingensium templum in equile converteret? Quod præsens spectavi, nunquam autem à vobis reprehensum audivi. Et pag. 28. 29. *Ista in quos dicantur viderit D. Andræas. Nam in Belgio quoque certissimum est plerisque locis, nonnisi mandante vel probante Magistratu municipali Templa fuisse eversa, sive prudenter, sive imprudenter id sit factum. In Anglia quoque, Scotia & Helvetia, si quæ sunt Pontificiorum Ecclesiæ dirutæ, nihil hic temerè, neque populi tumultuario concursu gestum est. In Gallia verò populos, medio fervente civili bello, eo offensos quòd suas sacras ædes, suis ipsorum sumptibus, prout Regis edicta permittebant, constructas à Pontificiis impune ferro & igne subrui viderent, frustra tum Pastoribus tum ipsis belli Ducibus reclamantibus, vicissim illorum Templa nonnulla subruisse nemo mirabitur, qui quanta sit belli civilis tempestas, & quàm inevitabilis armorum licentia, præsens perspexit: ut eas occasiones præteream, de quibus dixi ad Antith. 1. annotationem primam, Templorum denique profanorum eversionem per se damnandam esse, ne ipse quidem D. Andræas dixerit. Et quòd ad me attinet, optarim quàm plurimis locis à Christianis Magistratibus, ingentia illa templa quæ Pontificiam idololatriam sua ipsorum forma testificantur, & ad deambulandum, ac edendos boatus potius quàm ad commodè recipiendos auditores, & ad audiendũ concionatorem sunt comparata, jam inde abinitio fuisse subversa, & alia concionibus ac Sacramentorũ administrationi commodiora extructa.* Quibusdã ergo exillis si quid mali evenerit, honorem martyrii eo solo nomine nolimus tribuere juxta *canonem 60. Concil. Eliberini*; cætera tamen benigne de illis judicamus. 4. *Denique* non possunt Pontificii eos magis infandi criminis reos peragere, quam Theodorum, Nicodemiensem, Marcum Arethusum, quos non tantum excusant, sed & laudant ac colunt tanquam sanctos martyres. xv. *Probl.* An à participatione absolvi possint Christiani illi, qui Asiarcharum h.e. præfectorum Asiæ Sacerdotum, titulum ac qualitatem retinebant aut assumebant; eò quod putatitię illi dignitati sive potestati Politicus honor, aut possessio bonorum patrimonialium admixta & annexa essent. *Resp. Neg.* Exsertè hoc factum condemnat *Concil. Eliberinum can.* 3. etiam in illis qui non sacrificabant, sed vi titularis seu abusivi sacerdotii ludos & munera tantum præbebant. *Canone* 55. biennii pœnitentiam imponit sacerdotibus, qui *tantum coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumtibus aliquid ad idola præstant.*

Idem

Idem censet ex ipsis Pontificiis *Albaspineus* Episcopus Aurelianensis *in commentar. ad Concil. Eliberinum* imprimis *lib. 1. observat. sacrarum §. 22.* ubi egregiè explicat statum & munus istorum Asiarcharum. Idem etiam præstant *Ioh. Filesacus lib. 2. selectorum tit. ceremoniæ §. 14. Gothefredus ad L. 8. D. de vacatione & excusatione munerum*; *Pancirollus in notitiâ Imperii Orientalis cap* 105. Si cui autores illi ad manum non sint, is consulat *notas Bezæ ad Actor. 19. v* 31. Ex quo loco, qui Asiarcharum munus Christianis titulum licitum, atque apostolo approbatum fuisse contendunt, næ illi mirabiles consequentias nectunt. Huic quæstioni affines sunt, An liceat jurare in confraternitatem Marianam, & an liceat munus ac titulum Canonici, absque ullo opere seu officio Canonicali, aut alio Ecclesiastico asciscere, atque hoc nomine possidere bona commendata ut quique ex reditibus istorum suas præbendas & distributiones quotidianas accipiant, non minus ac Papistici ipsorum prædecessores. De quibus alibi ex professo egimus. XVI. *Probl.* An participabant, qui tabulâ ludebant? *Resp.* sic decernebat Concilium Eliberinum can. 79. *Si quis fidelis aleâ, id est, tabulâ luserit nummus* (al. legitur *numinis*) *placuit eum abstineri &c.* Ut videas, quantâ præcisitate antiqui quamvis occasionem & speciem symbolizationis cum idololatriâ & moribus Gentium evitari voluerint. Causam hujus prohibitionis explicat Albaspineus in commentar. pag. 86. *Detalis ni fallor Canon accipiendus quibus ludere nefas videbatur, quod speciem quandam idololatriæ committeret, qui eos jactaret: Deorum enim gentilium effigies pro numeris habebant iique invocabantur ut felicissimus eveniret: jactus: Suetonius in Augusto*: quos tollebat universos qui Venerem jecerat. Sed potest & altera causa addi, quod lusus aleæ & cujuscunque sortis, repugnaret pietati Christianæ. De quo *Abusu Sortis* infra *peculiari disp.* agemus. XVII. *Probl.* An æquè participent, qui cum possint, non succidunt arbores ab idololatris cultas, ac illi qui imagines, picturas, sculpturas, aliaque instrumenta unicè idolorum cultui inservientia non tollunt totaliter etiam quod ad materiam, sive saltem quod ad formam. *Resp. Neg.* Quia arbores per se usum suum habent & quidem genuinum ac proprium, hominibus necessarium: instrumenta autem modo dicta non habent. Accedit, quod montes, & fontes tanquam numina culta sint apud Peruanos (*Acosta lib. 5. cap. 2. Ioh. de Laet tract. de origine gentium Americanarum p.* 195.), etiam terra, mare, flumina apud antiquos Gentiles, adhæc allia, cœpe, boves, apud Ægyptios; non minus quam arbores: atqui illa omnia tolli nequeunt, nec etiam debent; alioqui nec luce solis fruendum esset, & igni atque aquâ fidelibus interdictum esset, consequenter ex mundo exeundum, omnisque creaturarum usus à Deo nobis conces-

sus (1 *Timoth.* 4.) propter abusum superstitiosorum abrogandus. Quod perquam absurdum, & verbo Dei repugnat 1 Corinth. 10. v. 28. *Domini est terra* &c. 1 *Timoth.* 4. *v.* 4. *omnis creatura Dei est bona* &c. Huc analogicè applica illud 1 Corinth. 5. v. 10. *alioquin ex mundo exeundum esset* &c. Nolumus tamen negare, quin casus sint, quibus arbores, quin & colliculi aut tumuli (vasti enim montes tolli vix possunt), siquidem hominum superstitio pertinaciter pergat, succidi possint ac debeant ab iis, penes quos eorum dominium sive utile sive directum. Præstat enim jacturam illam qualemcunque ferre, quam in ignominiam Dei & hominum perditionem emolumentis colliculi aut arboris frui. Præeunt hic laudata exempla Asæ, Hiskiæ, Josiæ. Et succinit canon Concil. Carthaginensis anno 401. (quod v. dicitur): *Instant etiam aliæ necessitates à religiosis imperatoribus postulandæ, ut reliquias idolorum per omnem Africam jubeant penitus amputari; non plerisque* &c. *ut præcipiantur & ipsa deleri & templa eorum, quæ in agris & locis abditis constituta nullo ornamento sunt, jubeantur omni modo destrui.* Quod vero ad facta eorum qui arbores exciderunt, Martini Scil., Bonifacii, aliorumque zelotarum, non video, quomodo ab usurpatione liberari possint; cum jus dominii sive utilis sive directi obtendere nequiverint: nisi quis dicat ejusmodi præcones fidei delegatâ potestate à Regibus aut Præfectis fuisse munitos; quod probandum esset: uti de Theophilo Alexandrino hoc constat ex *Socrate lib.* 5. *c.* 16. Quamvis non immeritò disquiri posset, an non magis tutò & decorè politicis præfectis executio illa demandaretur. Omnibus tamen presbyteris hanc succisionem imponit Concil. Arelatense 2. *si in alicujus presbyterio infideles aut faculas accenderint, aut arbores, ut fontes, saxa venerentur, si hæc eruere neglexerit, sacrilegii se reum esse cognoscat.* Magis cautè Augustinus serm. de tempore 241. *Quicunque in agro suo, aut villâ, aut juxta villam aliquas arbores, aut aras, vel quælibet fana habuerit, ubi miseri homines solent aliqua vota reddere, si non eas destruxerit vel succiderit, in illis sacrilegiis, quæ ibi facta fuerint, sine dubio particeps erit.* Hæc de fanis, aris, arboribus, quorum dominium est penes privatos, optimè dicta sunt. De aliis sic idem Augustinus serm. 6. de verbis domini secundum Matthæum: *Furiosorum Circumcellionum est, ubi potestatem non habent, sævire.* Cum data fuerit vobis terra in potestatem, aras eorum destruite (*Confer.* Deuter. 7. v. 1.): *ubi non est data potestas, non facimus.* Cautissimè concilium Carthaginense, hæc ab imperatorum potestate petenda statuit. XVIII. *Probl.* An participet cum superstitione Gentilium, qui per novem dies mortuum luget: *Resp. Affi. Augustinus super Genes. qu.* 172. & dicit quia hoc fit de consuetudine Gentilium, ideo Christianos ab hâc prohibendos. Sed quod *ibid.* addit cum aliâ superstitione

symbo-

symbolizare videtur: *Luctus vero septem dierum admittitur, quia &* in Genesi *ut dixi*, (cap. 50.) & in Ecclesiastico (cap. 22.) *autoritatem habet: ubi dicitur luctus mortui septem dierum, septenarius enim numerus propter sabbathi sacramentum, præcipuæ quietis indicium est: unde merito mortuis, tanquam requiescentibus, exhibetur.* XIX. *Probl.* An Papæ osculum pedum exhibitum aut delatum ad puram ceremoniam civilem, aut ad excessum ejus, hoc est, ad idololatriam politicam referri debeat? *Resp.* Quandoquidem ut vice-Deo, Christi vicario, capiti ecclesiæ illud sibi deferri vult, excedit fines idololatriæ politicæ. De osculo hoc vide eruditè & fusè agentem *Rivetum in Iesuitâ Vapulante cap.* 28. XX. *Probl.* Quid de habendis aut servandis picturis & imaginibus idolorum Ethnicorum? *Resp.* Nimium circa eas luxuriant & deliciantur typographi, antiquarii, philologi, critici, statuarii, pictores, & picturarum, aliorumq; ἀρχαίων admiratores. Omnem usum historicum non rejicio; ut nec asservationem quarundam ad perpetuam abominationum istarum memoriam & confusionem: quomodo (teste *Socrate lib. 5. histor. eccles. cap. 16.* & *historia tripartitâ lib. 9. c. 27.*) Theophilus Alexandriæ Episcopus, cum nihil prætermitteret, quod ad Gentilium mysteria contumeliâ & dedecore afficienda spectaret, templa omnia diruendo, simulacra Deorum confringendo & in lebetes & res alias ad vitæ usum necessarias conflando, unam certi alicujus Dei statuam formâ simiæ integram servari jussit, eamque erexit in loco publico, uti Gentiles tempore progrediente inficias non irent, se ejusmodi Deos coluisse. Dolendum tamen in Gentilium idolis ostentandis, & præferendis modum & prudentiam Christianam non adhiberi. Quod si Papisticæ imagines idololatricæ abolendæ, nec aliæ iis substituendæ (uti *nostri ad 2. præceptum*, imprimis *Scultetus in Iesa. 44. concione 4.* aliisque in *tract.* supra *cit.* fusè hoc probavit), quidni analogicè ad Ethnicas inde argumentari liceat? Fateor quidem in partibus Europæis hodie Gentilismum non urgere, nec ab ejus reliquiis aut vestigiis tantum periculi esse: indecorum tamen, si in annulis, sigillis, insignibus, symbolis publicè illæ præferantur aut ostententur, e.gr. Deus Terminus, Dea Pallas cum ægide, Apollo cum cythara aut lauro, Venus, Cupido, Mars, Mercurius &c. Si qui forte hanc observationem nostram, tanquam nimis præcisisticam aut μωρόσοφον ridere velint, ii unà rideant *Augustinum lib. 1. retract. cap. 3. & in Psalm. 93.* (al. 94.), & *Clementem Alexandr. lib. 3. ubi de annulis.* Adde hic severitatem veteris ecclesiæ in eos, qui vel minimam suspicionem commissæ idololatriæ dedissent, quamvis mortis periculo coacti. Vide *primos octo canones Concilii Ancyrani* contra eos qui in festo paganorum convivati erant, aut aliquot grana thuris in ignem conjecerant; ad quod posterius sub Diocletia-

no, Livinio, Juliano violenter aut astutè trahebantur: testibus *Eusebio l. 8. c. 3. & de vitâ Constantini lib. 1. cap. 47. Nazianzeno Orat. 1. in Iulianum.* Quid quod *Chrysostomus homil. 21. ad populum Antioch.* perstringit eos, qui Alexandri Magni imaginem in pileo gestabant. Ex Pontificiis *Molanus lib. de picturis sacris cap. 49.* defensurus imagines suorum per retorsionem nostris objicit pensilem ex pileo aut aliunde imaginem Lutheri, aut Erasmi, aut amicæ suæ. Quid de facto sit, nescio quam verè hoc dicatur: hoc saltem scio, religiosum imaginum usum & cultum, qualis in Papatu præscribitur, apud nostros nullum esse; nedum ut ab ecclesiis nostris præscribatur; aut etiam omnes exorbitantes, quamvis extra religionem, inanias aulicæ aut populares probentur. Studium Pontificiorum circa statuas & imagines Gentiles non leviter tangit Catharinus in lib. de imaginibus, ibid. à Molano citatus: *Peccatur*, inquit, *in prophanis picturis sive sculpturis non modicum, dum magnâ diligentiâ, idola Gentium exquiruntur, ut quæ confractæ erant erigantur, ad ornandas ædes, spectaculi & memoriæ antiquorum gratiâ, & ostentandi artificum peritiam.* Atqui primi in hoc opere sunt Papæ, Cardinales, & similes ecclesiæ cardines ac stylobatæ Romæ & in Italia passim deliciantes. Quæ autem & quales fuerint imagines falsorum Deorum, discès ex *Fulgentio & Phornuto*; & recentioribus *Rhodigino lib. 29. cap. 24. & 28. c. 12. & 25. c. 17. Politiano Centur. 1. c. 65. Angelo Decembrio part. 68.* Sed instar omnium sit *Vincentius Cartarus*, ex Italico in Gallicum idioma translatus ab *A. Verdier*, ubi ipsæ picturæ descriptionibus adjectæ habentur. *Librum* illum à *Laur. Pignorio notis* auctum indicat alicubi *Vossius in tract. de Idololatriâ.* Sed illam editionem hactenus non contigit videre. Atque hæc de idololatria indirecta & participata visum fuit colligere: ubi citationibus patrum & recentium theologorum plusculum indulsimus; ne quis cum Pontificiis aut aliis sive imperitis sive malignis Aristarchis tanquam Calvinisticas aut Puritanicas Genevenses præcisitates exsibilet. Plerumq; tamen abstinui ab exscriptione verborum, & digitum tantum ad autores intendi; ne in nimiam molem diatribe hæc excresceret. Ad cumulum adjicio, si forte alicubi præterierim, *Commentatores* nostros (*Paræum, Rivetum &c.*) *ad Hoseæ 2. & comment. ad Psalm. 16. & 1 Corinth. 10. & ad decalogum. Martyrem class. 2. loc. comm. cap. 4. Raynoldum in lib. apocryphos prælect. 222. Danæum in Isagoge part. 1. cap. de idolothytis & part. 2. c. 16. & part. 3. cap. 47. & lib. 2. Ethicæ cap. 8. Seldenum lib. 2. de Iure naturali & Gentium cap. 1. & 2.* imprimis 6. 7. & c. ubi doctrina Hebræorum circa hanc materiam fusè explicatur. *Beza in Epistol. dedicator. ad Ordines fœderati Belgii homiliis de resurrectione Christi præfixâ*, fideliter eos hortatur ad tollendum ex Academiis & scholis cacoethes Philologorum in interpretandis poëtis aliisq; profanis Gentilium scriptoribus.

APPEN.

APPENDIX.

Secunda hujus diatribæ de Idololatriâ indirectâ editioni adjeceram appendicem, partim uberiorem quorundam explicationem, partim apologiam contra insultus nonnullos continentem. Eam nunc repono pauculis additis: nonnullis etiam, præsertim sub finem resectis, ad quæ à nonnemine extra oleas volens nolens tunc trahebar, quæ tamen alibi suis quaque locis satis superque ventilata sunt.

1. *Probl.* An tutum & decorum sit sine necessitate uti in Theologia vocabulis & phrasibus periculosis, aut malè sonantibus, aut impropriis ab Ethnicismo, aut alia apostasia, aut hæresi mutuatis; idque ob elegantiam sermonis, quam in autoribus classicis serviliter & pueriliter imitandam putant. *Resp. Neg.* Hanc superstitiosam ineptiam, & idololatriam grammaticam (ita loqui liceat, ad imitationem denominationis, idololatriæ aulicę & politicæ), in infelici Bibliorum interprete Sebast. Castellione (cui angeli dicuntur Genii, Ecclesia Respublica, &c.) taxat *Beza in præfatione ad defensionem translationis suæ contra Castellionem*, & *Henric. Stephanus in præfat. ad N. T. Græcum* in 16. & *Thuanus in historia*, ubi de Castellione. Ne quidem in profana *Bembi historia* probatur ejus *Senatus καὶ ἐξοχὼ, Dii immortales*, &c. quibus perpetuo utebatur superstitio ejus grammatica, ne scil. usquam saltaret extras lineas lexici Ciceroniani. *Possevinus tom.* 1. *Bibliothecæ selectæ lib.* 5. *cap.* 19. monet de delectu Latini sermonis in Theologia Christiana prudenter adhibenda. Quem videant Pontificii: ne putent meam solius Theologiam scrupulum quærere in nominibus. Confer supra *part.* 2. 11. *Probl.* An infantibus in baptismo nomina Mercurii, Apollinis, Martis, Minervæ, Dianæ, Neptuni, &c. imponenda? *Resp. Neg.* & de istis, aliisque insuper nominibus, quæ indecorè aut non satis remotè ab omni specie mali imponi solent, aut possent, in synodis nonnullis actum esse, ostendimus in *Polit. Ecclesiast. part.* 1. *c. de administratione baptismi.* 111. *Probl.* An liceat Christianis retinere sacerdotia antehac in Gentilismo habita, aut ea post conversionem affectare ac suscipere; sive ob honores politicos, sive ob alia adiaphora politica aut œconomica illis annexa: hâc tamen conditione, ut à sacrificiis, aliisque superstitionibus Gentilium abstineant? *Resp. Neg.* Rationes & autoritates, supra *parte* 1. allatæ, huc applicandæ. Quibus addimus nunc canones 2. 3. 4. &c. Concilii Eliberini, qui exterte hoc improbant, verba sic sonat: *Flamines qui post fidem lavacri, & regenerationis sacrificaverunt: eo quod geminaverint scelera, accedente homicidio, vel triplicaverint facinus, cohærente mœchia, placuit*

cuit eos nec in fine accipere communionem. Canon 3. *Item flamines, qui non immolaverint, sed munus tantùm dederint, eo quod se à funestis abstinuerint sacrificiis, placuit in fine eis præstari communionem, actâ tamen legitimâ pœnitentiâ: Item ipsi, si post pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulterius his non esse dandam communionem; ne lusisse de dominica communione videantur.* Canon 4. *Item Flamines, si fuerint Catechumeni, & se sacrificiis abstinuerint, post triennii tempora, placuit ad baptismum admitti debere.* Gabriel *Albaspineus* Episcopus Aurelianensis in *commentar. ad dictos Canones* ea nobis suggerit, quibus omnem communionem cum Pontificiâ Idololatriâ, etiam palliatâ aut indirectâ abrumpendam esse, analogicè evincere possimus. Sunt qui Gentilium sacerdotia ab Apostolis approbata, novo & inaudito commento persuadere conantur ex *Actor.* 19. 31. Sed diluimus illud *in libello de Fraternitatibus Marianis pag.* 438. Titulus & amictus Pontificis maximi jam inde à Constantino usque ad Gratianum ab Imperatoribus Christianis assumtus fuit, idq; propter potestatem politicam illi intextam aut annexam. Pariter eandem ob causam spectacula & ludos edebant. Quæ tamen omnia jam inde à Gratiano ab imperatoria majestate ac dignitate tanquam ἐπιφυεῖ & per accidens illi implexa per consuetudinem Gentilem, separata & sublata fuerunt; quod sine læsione conscientiæ & dedecore religionis retineri nequirent. Nec quisquam pius dicet, consilia & hortatus Christianorum Doctorum contra ejusmodi Gentilismi reliquias sive titulares sive politizatas, aut facta piorum & reformantium hâc in parte imperatorum, incurrisse in stabilitum regimen politicum, perturbasse pacem publicam, innovationibus & rerum atque imperii mutationibus non sine crimine læsæ majestatis velificata; quod scil. necessariò conjungenda separatum irent. Vide *Baronii annales ad ann.* 312. §. 12. & 315. §. 1. & 383. §. 3. 14. *Probl.* An non liceret abolita re sacerdotii, titulum seu nomen, *sacerdotis* Ethnici, aut *flaminis* ex. gr. *Dialis*, item *auguris*, *Pontificis*, &c. retinere; ac sub illo titulo & denominatione, in erectionem & statuta antiqui collegii *augurum* aut *sacerdotum* seu *flaminum Dialium* una cum antiquis & Ethnicis sodalibus istius collegii jurare, addita aut præmissa conditione, quousque scil. Christianæ religioni publicè receptæ & exercitæ non repugnat: & an salutari hac clausula, collegium hoc planè politizatum (propter honores politicos scil. illi adjunctos) & ab omni superstitione Ethnica abunde expurgatum intelligatur: imprimis, si Ethnici sodales præmissa protestatione de libertate conscientiæ quod ad religionem suam Ethnicam, sive circumventi, sive coacti, saltem volentes nolente animo, una cum novis sodalibus Christianis in eadem chartâ eidem instrumento translactionis subscribant, non tamen exserte sublato & ejurato antiquo

jura-

juramento Ethnico antehac ab ipsis præstito? Et si collegium hoc posthac occupetur in conviviis, confabulationibus de Republica, rationibus redituum ineundis, distribuendis eleëmosynis,& deductionibus funerum solenniter & in forma, si quis ex fratribus defunctus fuerit, etiam cum mutua defensione. *Resp. Neg.* Rationes nullas de novo hic inculco: neque enim puto à quoquam sive Pontificio, sive reformato eas requiri. Cum sodalitates Marianæ in Papatu *Pietatis officiis præcipuè nitantur, inter hæc autem illa sint, ut communiora, ita divinæ bonitati admodum accepta, quæ ad visenda valetudinaria, ad solandos vinctos; & moribundos juvandos pertinent* (ut loquitur Possev. tom. 1. lib. 4. cap. 23.; quæ fuse persequitur, usque ad finem libri); quæro an reformati qui putant licitè affectari communionem istarum sodalitatum, sed repurgatam scil. ac reformatam ab omni Papistica superstitione (saltem quod ad illud collegium, ejusque observationes publicas ac collegiales), plus superstitionis, aut speciei mali, aut participatæ idololatriæ invenirent in dictis operibus pietatis, quam in rationum auditionibus, mutua defensione, conviviis, confabulationibus in quibus πρωτία ac conversatio politica cum fratribus Pontificiis,& peculiaris honoris gradus in Republica, ex tali fraternitatis & confœderationis observatione emergens præcipue constat. Quod si negent esse magis superstitiosa, quam convivia statis & festivalibus diebus Marianis habenda; & quærant ex illis Pontificii cur non æque aut magis zelent pro talibus operibus atque exercitiis retinendis, aut de novo una cum mutatione & reformatione collegii istius à reformatis tanta cum prudentia & pietate procurata introducendis, ac pro aliis statutis & observationibus, de quibus cautum est in instrumento transactionis: scire velim quid illis responsuri sint? Immo quid nos omnes responsuri simus, ut diluamus ea, quæ nostris vulgo ab illis impingi dixi, *in tract.^o meo de Fraternitatibus Marianis p.* 311. 317. Quod si dicant eleëmosynas distribui: reponere possent Pontificii, hoc non esse peculiare fraternitati Marianę præ aliis omnibus, nedum ut fundamentum esse possit tam singularis & excellentis collegii. Quibus enim collegiis hoc commune non est? Immo quæ eleëmosynaria collegia diaconorum, & quorumcunque aliorum, ubi quisque in propria persona ex professo & laboriose hoc præstat, non superabunt fraternitatem hanc Marianam? v. *Probl.* An non liceret collegia illa *augurum*, aut *flaminum*, *Dialium* quod ad statuta omnia religiosa transformare in collegia pura politica, retento solo nomine ac titulo, antiquo superstitionis; atque ita in antiquorum collegiorum protectionem (hoc est in erectionem & statuta priora, quæ & quatenus nunc fierent haberentur, & dicerentur politica seu politizata) una cum antiquis sodalibus gentilibus jurare, 1. *Ut* hac

ratione

ratione tantò melius Ethnici cum Christianis politicè coalescere, illisque assuescere, atque occasione hujus familiaritatis ad fidem converti possent. 2. *Vt* tantò minùs animadverterent collegium suum, dum manet sub eodem titulo & sic in illud juratur, Christianorum singulari arte & prudentia totum mutatum & ab omni ethnicismo repurgatum esse; cujus conservatio alioquin antehac solenni conventione à Christianis promissa erat. 3. *Vt* titulo aliquo & jure reditus sarti tecti manerent illi collegio, atque adeo sine sumptibus sacrificiorum, & sine laboribus ministerii sacerdotalis Ethnici, iis fruerentur sodales, sive seorsim, sive collegialiter, sive utroque modo, aut saltem de iis pro libitu disponerent: nec fisco, aut ærario ecclesiastico Christianorum autoritate Magistratus addicerentur. *Resp. Neg.* Pura puta & periculosa sunt consilia carnis, aliena à regno spirituali Christi, & prudentia justorum. VI. *Probl.* An non liceret hâc eâdem cum incrustatione, retinere collegia & titulos hierarchiæ Antichristianæ: ex. gr. Missatici sacerdotii, Inquisitionis hæreticę pravitatis, cameræ pœnitentiariæ, cancellariæ Apostolicæ, Nuntii à latere, Confessoris seu pœnitentiarii, Presbyteri aut Diaconi Cardinalis, Episcopi Vicarii seu portativi, Datarii, &c. ut re & praxi omni sive Antichristianâ sive religiosâ abolitâ, solus maneat titulus Romano-ecclesiasticus, seu religiosus ad discriminationem, & cum illo titulo externum materiale aliquod collegium, sive ordo & status (sed qui nunc dicatur aut fingatur gradus honoris politicus, & consequenter status adiaphorus), atque ita jure aliquo, quis sub illo titulo antiquis reditibus qui fuerunt sub Papatu, frui possit, aut de illis disponere pro arbitrio, & in illa collegia ac status, eorumque defensionem & conservationem, jurare? *Resp. Neg.* 1. Quia non licet titulos ejusmodi assumere sive serio, sive joco. 2. Nec licet sub prætextu & umbrâ istorum titulorum reditibus illis gaudere. Quidquid sit de quæstionibus, an in illum finem dati sint, aut non sint, & quam legitimè; & quomodo sive quod ad speciem sive quod ad genus, usus illorum redituum mutari possit aut non possit; & an mortificari, aut fisco addici, aut sæcularizari prius debeant, & sic donari aliquibus, aut ab illis emi debeant (de quo alibi disquirendum est): hoc saltem manet, non posse quem sub illis titulis, piè, reformatè, decorè, redituum proprietatem sibi vindicare, aut in beneficia Romano-ecclesiastica istius commatis sive verè sive titulo tenus succedere, eaque una cum ejusmodi collegiis & statibus spuriis Romano ecclesiasticis æternizare, omnemque abolitionem atque expurgationem, quæ cum Deo sperari posset, impedire. 3. Minimè omnium potest, in titulos, munera, & collegia ejusmodi Romano-Papalia jurare; se scil. ea, & institutionem, erectionem, statuta, privilegia eorum

potest.

protecturum; quatenus scil. non pugnent, &c. Si quis enim omnia penitius examinaret, videret forte quamvis sæcularizatio & expurgatio Papatus prætenderetur, multas observationes Papales & Antichristianas etiamnum adhærescere. 4. Nec tutum est cum Pontificiis antiqui collegii & status Romano-Papalis possessoribus propiorem ac specialem hanc societatem sub eodem titulo & juramento subire; eosque hâc ratione in malo confirmare. 5. Quamvis fingerentur, omnia penitus sublata; titulus tamen aut denominatio non deberet relinqui: uti satis superque de nominali Papatu, & nominali collusione cum Papatu disseruimis, in *libello de Fraternit. pag.* 475. Sed si verè politicum est collegium, aut munus, toto genere à priori seu antiquo distinctum, illique substitutum, quâ necessitate aut quâ utilitate retinetur titulus & denominatio? immo quâ fide & conscientia in eam juratur, & in primam erectionem ac statuta antiqua, titulo illi respondentia? Diluemus nunc Exceptiones & effugia aliquot quæ contra determinationes problematum de Sacerdotiis Gentilium, deque hierarchia Antichristiana forte excogitari possent. 1. *Except.* Paulus jam Christi discipulus & apostolus Gentium factus, professus est nomen Pharisæi. *Actor.* 23. 6 *Resp.* 1. Paulus non nomen seu titulum Pharisæorum, nec peculiarem cum illis fraternitatem universaliter aut indefinitè, sed rem ipsam hoc est fidem ac professionem cum ipsis hâc in parte contra Saduceos communem (quam semper antehac in Pharisaismo natus & educatus professus erat) de resurrectione scil. mortuorum sibi attribuit. & quidem verissime; parte veritatis prudenter suppressa, ut adversarios suos inter se committeret: uti docent interpretes ad locum citatum. Vide inter alios *Corn. à Lapide*, & *nostros Belgicos*. 2. Nihil hinc infertur contra nostram determinationem: nisi probetur Paulum peculiare collegium seu peculiarem fraternitatem cum Pharisæis & quidem manentibus in hæresi suâ & internecino odio Christi ac Christianorum; de novo & sponte iniisse; atque una cum illis in primam erectionem & placita ac statuta Pharisaismi jurasse, sub hac cautela ne quid præjudicaret Christianæ religioni: cujus salutaris cautelæ observatione (quod ad illam societatem scil. ejusque publicos, aut communes actus) à Pharisaismi antiquis sociis promissa, idque per juramentum Pharisaicum antehac præstitum, intelligeret Paulus omnesque Christiani, & res ipsa clamaret, societatem illam jam esse transformatam, & factam pure politicam, sive id animadverterint antiqui socii pertinaciter in Pharisaismo persistentes, sive non: quandoquidem nihil nisi mere politica & Reip. utilia collegialiter seu socialiter jam tractarent & antiqui, & novi ex Christianis cum Paulo assumti fratres Pharisæi, convivando scil., confabulando, de reditibus suis disponendo,

nendo,& partem eorum in pauperes distribuendo,mortuorum ex illa secta seu societate funera comitando. Hoc ubi probatum fuerit jam ego concedam collegia, titulos, & honores politicos augurum, Pontificum, flaminum Dialium,sacerdotum missificorum,Inquisitorum hæreticæ pravitatis, conclavis seu consistorii Romani Cardinalium, Jesuitarum, Capucinorum &c. eorumque ministrorum Provincialium, & Generalium, posse affectari à Christianis, & sub illa denominatione, posse jurari una cum antiquis solemnibus in istorum primas erectiones, antiqua statuta;absque præjudicio tamen Christianę religionis.Idem affirmari poterit de collegiis,honoribus,titulis *Fratrum nostræ Dominæ*,una cum juratis Mariolatris, affectandis, subeundis. 3. Nec prætereundum interptetes nonnullos tam procul fuisse à specie istius aut similium consequentiarum, quas ex Pauli exemplo moliuntur nonnulli, ut potius cogitarint de exponendo verbo κρίνομαι per compositum ἀναιρέομαι, i. e. *secernor*; de qua interpretatione videndus *Thomas Zanchez in comment. ad loc.cit.* 11. *Exc.*Si in solo nomine hic hærere quis velit, debebit pro templis, navibus, insulis, personis, urbibus, arcibus, novos nomenclatores excogitare. *p.*25. *Resp.* 1. In solo nomine non hæret, qui improbat juramenta & coalitionem Christianorum in collegia Ethnica aut Papistica sub denominatione flaminum Dialium, augurum, Inquisitorum hæreseos Lutheranę,missificorum sacerdotum, pœnitentiariæ apostolicæ, cancellariæ Apostolicæ, societatis Jesu,fraternitatum nostræ Dominæ &c. *Resp.*2. Absurda est consequentia, à titulis & denominationibus modo memoratis & sponte ac sine necessitate affectatis, immo & juramento in erectionem ac statuta istorum collegiorum solenniter confirmatis atque approbatis (nisi quis particularem suam intentionem, & quasi lusum æquivocationis hic obtendat)ad passivam titulorum aut nominum, quæ insulis templis,navibus, urbibus,&c. antehac imposita & communi usu (penes quem arbitrium est & jus,& norma loquendi) nunc frequentata, tolerantiam, & passivam usurpationem.Non potest Titius aut Męvius abstinere à nominibus S. Viti, S. Geertrudis, S.Omari,Beth-Dagon &c. siquidem speculativè aut historicè vellet de civitatibus illis loqui aut scribere, ut ab omnibus intelligatur. Sed potest practicè abstinere à denominatione flaminis Dialis, auguris, missifici sacerdotis,Societatis Jesu, famuli aut fratris *nostræ Dominæ* sponte affectandâ, assumendâ, inque illum titulum & sub illo jurando una cum Ethnicis aut Pontificiis, & sic in forma collegio eidem augurum, aut flaminum Dialium, aut missificorum sacerdotum, aut Cardinalium, aut Curialium Romanorum, aut Jesuitarum &c. se ingerendo seu inserendo, cum salutari clausula &c. Argumenta enim nostra de jugo trahendo

hendo cum infidelibus, de scandalo, de idolothyto &c. (quæ supra attulimus) non militant, contra usum passivum denominationis rerum receptæ & ubique usitatæ, & consequenter à Titio necessario adhibendæ. *Resp.* 3. Non possum satis mirari, ab erudito aliquo cramben hanc recoctam denuo reponi, cum tam perspicuè sententiam de nominum usurpatione supra *part.* 1. *diatribæ*, & *p.* 2. & *part.* 3. explicuerim, & postea *in libello de Fraternitatibus Marianis pag.* 148. 149. *Resp.* 4. Non est eadem ratio denominationis personarum & rerum. Titius cum arces, templa, civitates, insulas &c. nominat, quomodo usu communi nominari solent; non tamen se ipsum sponte induet & quidem cum & sub juramento nomine Gentilis, Pontificii, Mahumedistę, flaminis Dialis, auguris, Muphti, Episcopi Vicarii seu portativi (Belgicè Wybisschop/) Jesuitæ, missifici sacerdotis, Fratris nostræ Dominæ tanquam titulo honorario: immo ne quidem ostentabit nomina Lutherani, Calviniste, Huguonotæ, quibus tamen discriminationis causa in toto orbe Papali appellantur & dignoscuntur reformati: sed si invito ferendum sit illi hoc nomen, ubi aliter nolunt penes quos arbitrium est, ad minimum dum tolerat aut permittit, protestationem adhibebit, aut limitationem illam Pauli Actor. 24. 14. *Secundum viam illam, quam sectam nominant, Deo Patrum ita servio, &c.* Quocunque enim nomine eum appellent adversarii, non tamen desinet affectare rem illam necessariam (hoc est, veram religionem), quam illi nomine isto indicant, & à quâ sub illo nomine Titium denominant. *Resp.* 4. Denominationes hic aliæ imponi atque usurpari possunt, etiam solent à nostris, immo & laudandum est si faciant, ubicumque in ipsorum potestate hoc est. Sed titulus *fraternitatis* aut *fratrum Mariæ, aut nostræ Dominæ* nec mutatus est à nostris fraternitatem illam subeuntibus, qui tamen omnia tam accurate usque ad minimam speciem atque umbram superstitionis mutasse dicuntur; immo ne quidem mutationem ullam stipulati sunt (uti patet ex instrumento transactionis); addo non videre me, quomodo titulum illum mutaturi sint, sic ut inhæreant juramento suo in conservationem antiquæ erectionis & statutorum istius collegii, una cum Pontificiis solenniter præstito. Si formaliter mutatum esset collegium, uti tale quid velle videtur *pag.* 48. *Epistolæ ad amicum*, equidem denominatio, quæ à forma collegii sumpta est, vere & juste mutari posset, imo jam mutari debuisset. Sed mutationi illi obstat juramentum, & instrumentum transactionis: De quo infra. Satis arbitror jam constare, non esse eandem rationem si quis usurpet ex communi usu denominationem à Sanctis aut Idolis Ethnicis olim Urbibus, navibus, Templis impositam (dum alia nulla haberi potest); & si sponte assumat aut affectet de-

nominationem, *fratris noſtræ Dominæ*, cum juramento &c. ubi ea carere poteſt, & expedit. 111. *Exc.* Prætenditur in contrariam ſententiam determinatum fuiſſe pro interpolatis & ſæcularizatis ſeu politizatis fraternitatibus *noſtræ Dominæ*, eamque ideo defenſam, quod ſpectaretur conſtans praxis Reformatorum in Germania, in Anglia, in Belgio: quàm idololatriæ inſimulare eò periculoſius eſſe ducebat, quò tum infirmior foret cauſa ſeceſſionis noſtræ ab eccleſia Romana, &c. *Reſp.* 1. Non comparent hic Eccleſiæ Gallicæ (quarum reformationi noſtra Belgica præcipuè ſe conformavit), nec Scoticæ, Rhæticæ, Polonicæ. Liceat ergo concludere illic nullam eſſe praxin, quæ ſapiat interpolata collegia Mariana, contra quæ nos *part.* 3. & *libello peculiari* diſputavimus. Quod ſi quis contra contendat; ab eo viciſſim & quidem omni jure contendimus, ut decreta eccleſiarum, juxta cum exemplis praxeos ab eccleſiis approbatæ proferat. *Reſp.* 2. In Eccleſiis Anglicis eſſe tales interpolatas fratrias Marianas, eaſque eccleſiaſtice ibi approbari; nondum nobis conſtat. Proferantur exempla, alioquin nihil efficitur. Dato poſſe proferri (quod tamen non arbitror) nolint certe Eccleſiæ Belgicæ reformationem ſuam retrocedere, & relabi in πλημμέλια quædam ex conſuetudine antiqua & Papali relicta in Anglia; qualia ſunt, crux poſt baptiſmum, genuflexio ad menſam ſeu altare, ad nomen Jeſu, & ſi quæ ſint iſtis ſimilia: ut jam non dicam, de regimine hierarchico, curiis Epiſcopalibus, celſa commiſſione, juramento ex officio. Quod ſi dicatur tum praxin eccleſiarum iſtarum accuſari idololatriæ: reponimus primo, dato tale quid ſequi, totum hoc foret per accidens; itaque à vero & bono non eſſe refugiendum, quamvis tale quid ad praxin ejus ſequeretur; uti jam diximus in *diſp. de Staurolatria part.* 3. *Deinde* aliud eſt dicere eccleſiam quandam eſſe idololatricam; & aliud in eccleſia illa quid fieri aut retineri, aut tolerari, nondumque expurgatum eſſe, quod ſapiat ſuperſtitionem & idololatriam indirectam, aut ad eam reduci poſſit ac debeat. Quocunque enim contentionis ſtudio quis ingeminet (ſed abſque probatione), *parum referre, directè quis an indirectè ſit idololatra, cum à regno cœlorum omnes idololatræ arceantur, & indirecta idololatria ſit idololatria*; nunquam tamen perſuadebit, à Calvino, Beza, ab Eccleſiis & Theologis Gallicis, Belgicis, Scoticis &c. reformatos Anglos (inter quos Crammerus, Latimerus, Hopperus, aliique Theologi Martyres; & *Iuellus*, *VVittakerus*, *Perkinſus*, *Raynoldus*, *Povellus*, *Sutlivius*, *uterque Abotus* &c.) dictos fuiſſe *Idololatras*, aut eccleſiam Anglicanam *ab illis condemnatam fuiſſe tanquam Idololatricam*, & conſequenter idololatriam *Pontificiam ac teterrimam*, nec non *communionem religionis cum Idololatris* illi fuiſſe tributam: quamvis reliquias ceremoniarum iſtic nondum expurgatas

in

in casu conscientiæ nunquam probaverint, sed candidè semper improbaverint. Nec puto quenquam, Thesium mearum examinatorem, ita respecturum perpetuam & *constantem praxim reformatorum in Angliâ*, ut determinaturus sit pro ceremoniis Anglicis in ecclesia aliqua Belgica restituendis atque interpolandis; quod *praxim eam idololatriæ insimulare eò periculosius esse ducat, quò tum infirmior foret causa secessionis nostræ ab ecclesia Romana, ex ipsius Idololatria desumta; & facilior ansa præberetur adversariis cavillandi, quod fumum vitantes in ignem inciderimus; & potius species nefandi criminis mutasse, quam illud serio deseruisse videremur* pag. 18. Vana ergo repetitio est, qua ex Theologia exterminari videntur distinctiones idololatriæ in directam & indirectam seu interpretativam, inter idolum & idolothyton, inter commissionem & implicationem idololatriæ indirectæ in hoc vel illo actu particulari (& quidem κατ' ἐξοχὴν, si cum multis aliis actibus idololatriæ indirectæ comparetur), ut homines præmoneantur & ab illo actu absterreantur; & inter infandum teterrimę idololatrię crimen, unde quis idololatra in forma denominari ac proclamari debeat. Apostol. Paulus Corinthios non vocat idololatras, nec ecclesiam illam idololatricam, quamvis idolothyta oppugnando præmoneat eos ne fierent idololatræ 1. *Corinth.* 10. *v.* 7. Et iis argumentis eos urserit, quibus idololatria & idololatræ urgeri solent. Pariter Ecclesias, Corinthiorum & Galatarum urget argumentis, & consequentiis illis, quibus hæreses & hæretici, pulsari solent: nec tamen proclamat eas hæreticas aut apostaticas. Aliud est hominem corripere qui consilio, suasione & exemplo amici, aut etiam mali alicujus ex ebriosis Sacerdotibus Casuistæ bibisset usque ad semiebrietatem, adeo ut domus illi girare videatur (ut loquitur laxus hac in parte Casuista *Cajetanus in summulâ*) & ab illo facto absterrere adhibitis rationibus & consequentiis quæ etiam militant contra ebrietatem, & ebriosos: & aliud eundem hominem cætera ebrietatis vitio minime deditum, vocare *ebriosum*. Ceremoniales Angli ab unâ parte, & Separatistæ seu Brownistæ ab altera parte, istius generis consequentiis urgent Anti-ceremoniales omnesque reformationis Gallicę ac Genevensis zelotas, quasi Ecclesiam Anglicanam condemnarent tanquam idololatricam, Antichristianam; & inde sequeretur, ab ejus communione necessario separandum. Sed nexus illos consequentiarum refutant reformati Anti-Ceremoniales distinctionibus inter symbolizationem cum idololatria Papali, & inter idololatriam Papalem; & rursum inter directam & interpretativam; adhæc inter speciem, & occasionem Idololatriæ, & inter formalem idololatriam. Videantur scripta, imprimis eruditissimorum theologorum *Amesii* & *Pageti contra Separatistas*, seu Brownistas; ubi accuratissim-

illa distinguuntur. Iidem tamen non defendunt crucem post baptismum, album indumentum &c. tanquam res licitas, immo admodum pias ac laudabiles: uti nonulli suam Fraternit. Marianam. Quod si quis velint contendere, istiusmodi consequentiis, & distinguenda confundere, ut *disp. mea de Idololatr. indirecta*, imprimis determinatio illa de *Fraternitat. nostræ Dominæ* contra mentem meam, verborum meorum propriam interpretationem, & sinceram protestationem odio optimatum quorundam, qui infeliciter ad istam fraternitatem pertracti sunt, objiciatur, contra aliorum præcipitatum judicium de novo heuremate interpolationis fraternitatum, excusetur; utique ferram hanc non reciprocabo; sed arbitratui lectorum, imprimis & judicio Theologicarum facultatum & ecclesiarum in Belgio totum hoc quidquid est committam. Vana etiam consideratio, quæ prætexitur determinationi pro fraternitatibus Marianis, ne scil. praxis reformatorum, qui à Papatu discesserunt propter ea idololatriæ insimuletur, &c. An quis imagines, altaria, cruces, candelas, exorcismos, aliasque ceremonias Lutheranorum in ecclesiam aliquam Belgicam reducendas suaderet, ne scil. constans praxis Lutheranorum, (quibus fraternitatem nostri semper obtulerunt, & cum quibus eam hodie alicubi colunt) idololatriæ insimularetur? Quid si Lutherani exciperent contra oblatum syncretismum; ecclesias suas à nostris accusari tanquam idololatricas, seque haberi pro teterrimis idololatris, & omnes idololatras excludi ex regno cœlorum: idque probarent ex scriptis & praxi nostrorum, quibus constanter determinant, imagines, cruces, altaria, &c. in ecclesias nostras non esse reducenda. Quid putas *Pezelium, Paræum, Lampadium, Scultetum, aliosque Theologos* rerum istarum quam maximè gnaros, responsuros fuisse. An propter considerationem τῶν ἄκρα restitutionem imaginum, exorcismorum &c. in ecclesiis Heidelbergensi, Bremensi, Emdana, piè ac prudenter suasissent, aut procurassent? An vero nostris similibusque distinctionibus adhibitis, à duris atque odiosis Lutheranorum consequentiis, judicium suum & praxin ecclesiarum nostrarum hâc in parte liberassent? *Resp. 3.* De ecclesiis Germanicis sic respondeo; Lutheranarum praxin non esse nobis promiscuè imitandam (ut modo ostensum est) nec tamen eas condemnari tanquam idololatricas: Nostrarum praxin ibi nullam esse, quæ confirmet interpolatas fraternitates Marianas. Edatur aliquod decretum, monstretur exemplum: præsertim in illis Germanicis, quæ Belgicis nostris quam maximè affines sunt, aut etiam reformationis exemplar in plerisque præbuerunt; quales Emdana, Vesalienſis, Elverfeldensis, & similes. Hoc ni fiat, nihil efficitur. Nam quod de collegiis quibusdam civicis adfertur, ad hanc rem non facit, uti mox dicemus. *Resp.*

4. de

4. de constante praxi reformatorum in Belgio sic habe. *Primò*, non est confundenda praxis reformatorum quorundam in Belgio; cum sensu, judicio & praxi ecclesiastica reformatarum ecclesiarum Belgii. Dato illam esse, hinc tamen non infertur communis & ecclesiastica sententia ac praxis ecclesiarum Belgicarum: nec sequitur si determinatione mea contra fraternitates Marianas, reformatorum quorundam praxis sive directè sive indirectè tangi videretur, ideo eam malam, novam, heterodoxam esse, aut ecclesias nostras tanquam idololatricas traduci ac condemnari. Odiosis istis & malè confutis consequentiis adduci non debemus, ut à determinatione casuum & conscientiarum informatione abstineamus, respicientes scil. praxin reformatorum, hoc est, hominum infirmitatibus plurimis obnoxiorum; & non potius solam scripturam *Psal.* 119.6.,) cui sententia & praxis ecclesiarum Belgicarum per Dei gratiam satis conformis est. Constituo autem praxin ecclesiarum in decretis, consiliis, monitis, obtestationibus, petitionibus: quamvis non omnia efficiat, aut perficiat, aut ex voto obtineat: sed sæpe post multos conatus, & labores cogatur defectus quosdam tolerare & sæpe pie ac prudenter toleret. Sicut praxis Medici non est confundenda cum praxi morbi (ita loqui liceat) aut hominis ægroti: quamvis non sit in Medico semper relevetur ut æger. Praxin constantem reformatorum quorundam in Belgio, præsertim ex ordine optimatum, si respicerent Theologi quando casus conscientiæ de choreis, balletis, comœdiis, lusibus aleæ, capillorum, vano ornatu, & similium vanitatum proponuntur; non video sane, quomodo convenienter scripturę, & constanti sensui ac praxi ecclesiarum contra eas determinaturi sint. Nam tolerantiam, & conniventiam, si quæ sit alicubi aut aliquando in executione disciplinæ, non facere communem & ecclesiasticam ecclesiarum sententiam aut praxim, ἐ τύφλῳ δῆλον; illudque cursim ostendimus in *libello nostro de Fraternit. Marian. p.* 458-464. Nemo enim ignorare potest, quin distinguendum sit inter quæstionem quâ quæritur, An fraternitates illæ sint licitæ (in foro scil. poli & conscientiæ); & an ac quæ censura exercenda sit. 2. *Secundò*, distinguenda est praxis ecclesiastica in ἐπιεικείᾳ & prudẽtia quam adhibet in tolerando, seu ferendis nonnullis, quæ alioquin velimus non fieri: qualis praxis commendatur *Hebr.* 5.2. *Gal.* 6. 1.2.3. Et *praxis* ecclesiastica exempli, consilii, adhortationis, aut approbationis: ita ut ipsa ecclesia quid faciat, aut alicui suadeat facere, aut συνευδοκῇ τοῖς πράσσουσι. *Si priorem* praxin quis intelligat, jam pervertit statum controversiæ & sic malè meam determinationem impugnat; quia ego *supra part.* 3. nec pro ἀκριβοδικαίῳ, aut ἐπιεικείᾳ circa tolerantiam ecclesiasticam; nec contra ea ne verbulo quidem determinaveram. Quamvis nondum

dum probatum videam constantem talis tolerantiæ praxin in ecclesiis nostris circa fraternitates Marianas : hic enim semper deest illi historia. *Sin posteriorem*, ea nullo decreto Synodico probatur ; nec etiam classis, aut synedrii ; immo ne quidem ullo facto & exemplo alicujus bene institutæ ecclesiæ in Belgio. Unde judicium fieri poterit de πεποφισμένῳ hoc effugio. *Illa scriptio* (intelligitur oppugnatio nostræ determinationis super casu proposito de ingressu & juramento reformatorum quorundam in Fraternitatem Marianam) *non alio spectat, quam ut ordinaria praxis sanctarum Ecclesiarum Dei in Belgio defendatur : quo nempe magis constaret, eas nec Idololatris favere, nec ullam idololatriæ speciem in sinu suo fovere, etsi ferant multa collegia ei analoga, de quo agebatur.* Ecclesiarum & Academiarum judicia nunquam detrectabo circa meam ἐπιεικείαν, & ἀκριβοδίκαιον &c. Nota hic praxin, quæ dicit, ecclesiarum in tolerandis nominibus collegiorum formaliter & sua natura politicorum, ex. gr. fabrorum, mercatorum, sutorum, &c. quæ forte à nonnullis aut vulgò & communiter & antiquâ consuetudine dicuntur, S. Josephi, S. Nicolai, &c. Sed illa collegia non esse analoga controversis Fraternitatibus Marianis, eorumq; denominationes ejusdem rationis non esse cujus Fraternitatum Marianarum, jam indicavimus *disp. part.* 3. & abundè probavimus, atque exceptiones refutavimus in *libello nostro*, & mox paucis repetemus. Præterquam quod non tantum defensa fuerit, nec à me impugnata nuda denominatio, sed etiam, & quidem imprimis juramentum in primam & antiquam sub Papatu erectionem, & in statuta Fraternitatis Marianæ. Nec tamen probabitur vel unico decreto ecclesiastico, denominationes collegiorum civicorum à S. Nicolao, S. Josepho, &c. ab ecclesiis ecclesiasticè institutas, aut assumtas, aut approbatas, aut reformatis nostris persuasas ac laudatas fuisse, ut scil. illam denominationem otiosè affectarent, & de novo assumerent, ut fratres aut filios S. Nicolai, &c. se nominarent, inque eam appellationem & sub eâ jurarent. Non arbitror à quoquam ecclesiastico aut facultatis Theologicæ decreto Brownismi, aut *purgatoris religionis, aut novæ reformationis*, quæ *nodum in scirpo quærat*, & *maculas in sole* (& si quæ sunt aliæ istiusmodi amplificationes), accusatos fuisse eos, qui appellationes tales omitterent, & nominibus collegii ex. gr. fabrorum, lignariorum, mercatorum, auri fabrorum, sutorum, &c. contenti essent (ubi ita fieri potest, hoc est ubi politia est reformata, aut religio nostra publica) & sub iisdem in erectiones & statuta collegiorum jurarent. Multo minus arbitror ab ecclesiis alicubi aut Facultatibus Theologicis laudatum fuisse institutum reformatorum tanquam maximè pium & laudabile &c.

si qui

si qui in Rebuspublicis reformatis præsertim in Belgio nostro nominarent se filios aut socios aut fratres S. Josephi, aut Nicolai, aut Crispini, aut Nicolaitas, Josephinos, &c. ac sub illa appellatione solenniter postularetur ab ipsis juramentum, atque illi una cum Pontificiis illud præstarent in primam erectionem & statuta, cum clausulâ de non præjudicando religioni reformatæ. Hic contradicentibus ubique deest historia, quæ minorem faceret syllogismi. Quamdiu ergo enthymema hoc non suppletur, dicendo nihil dicitur. 3. *Tertio*: Cramben illam de collegiis quibusdam civilibus mercatorum, fabrorum &c. quæ sub Papatu à sanctis denominatæ sunt, ad fastidium recoctam supra *part.* 3. satis per distinctionem removimus. Frustra autem hic opponitur distinctio; de collegio Mariano materialiter eodem manente, sed formaliter mutato: eâ enim profligantur auxiliares copię ex collegiis civicis Mercatorum, Medicorum, fabrorum, &c. huc accersitæ. Nam in Mariano collegio materiale est associatio honestorum civium, eorumque inter se propior nexus civilis, cæteraque omnia quæ directè & per se nec religiosa sunt, nec superstitiosa: sed formale est, nexus seu unio in omnibus illis officiis religiosis & superstitiosis; ad quæ collegium hoc olim destinabatur. Atqui hoc formali nunc sublato, hoc est, ipsa essentia collegii prioris, quomodo reformati primum, deinde & Pontificii fratres potuerunt jurare in erectionem & in statuta antiqui collegii & quidem sub antiquo titulo, ut posthac essent & dicerentur fratres Mariæ, aut *nostræ Dominæ* (belgicè, onse lieve Vrouwe); ut perpetuò appellantur. Breviter nexus civilis qui olim sub Papatu dicebatur formale collegii opificum sub appellatione Nicolai, aut Josephi, &c. est materiale collegii Mariani. Quomodo ergo eadem ratio erit collegii utriusque, cum formale unius sit materiale alterius. Sed in *libello nostro* ex ipsa Pontificiorum Theologia & praxi satis distinximus hæc collegia; ἀναντρέπτως evicimus, collegia Mariana esse formaliter & per se sacra, spiritualia, religiosa, ecclesiastica: si quid politici, aut sæcularis, aut mundani alicubi adhærere cœpit, illud omne esse per accidens, & heterogeneum. Vide *pag.* 188. 193. Itaque reformari aut interpolari non posse, sed potius aboleri ac tolli. Quod factum esse, cum denuo innuere videantur contradicentes, remitto ego lectorem ad *libellum meum pag.* 200. 265. ubi ostendo *aut* historiam non videri verisimilem (siquidem instrumento transactionis fides habenda sit, uti est: de statutis fraternitatis à nobis ex Belgico exemplari insertis, infra dicemus): *aut* si de facto constet, tum nec piè nec prudenter, nec sincere fuisse juratum in erectionem & statuta fraternitatis; nec sartam tectam fuisse Pontificiis suam fraternitatem juxta conventionem urbis illius cum Illustr. & Præpot. Ordd. Belgii initam.

tam. Quod enim thesis repetitur ac retinetur adjectis regulis: *volenti non fit injuria*; Et, *in ejusmodi negationibus politicis, cujusque est nervos suæ prudentiæ intendere*: id ne minimo quidem digito attingit, nedumut destruat ea, quæ *loco cit.* differimus. Considerent Casuistę, an tales circumventiones cum pietate, candore, & simplicitate columbina satis conveniant. Sed hoc misso, dicimus, ab Ecclesia Christiana communionem & confœderationem civilem in & cum collegiis Mercatorum, Medicorum, fabrorum ferrariorum, militum, &c. approbatam fuisse; quamvis sub Ethnicismo à Mercurio, Apolline aut Æsculapio, Vulcano, Marte, & sub Papatu à Nicolao, Cosma, Eligio, Georgio denominata fuissent; modo superstitionibus omnibus repurgatis, sola forma, & sola essentialia collegii, quæ erant civilia, manerent. Nunquam tamen approbatum fuisse in casu conscientiæ ingressum & juramentum in fraternitatem, collegium, & denominationem augurum, flaminum Dialium, Sacerdotum & Monachorum, Turcicorum, sacerdotum missificorum, Inquisitorum, curialium & officialium in curiis Episcopalibus, aut Romanâ, Jesuitarum, Capucinorum, &c. ne quidem sub salutari clausula de non præjudicando; nec etiam per imaginariam illam spagyricam politizationis, aut sæcularizationis; quod scil. politica quædam materiali illius sub Ethnicismo, aut Turcismo, aut Papismo adhæsissent; quibus accidentibus servatis, & juramento cum clausula aut potius prærequisito de non præjudicando religioni in primam & antiquam Ethnicam aut Papalem erectionem & statuta collegii præstito, admodum piè & accuratè omnem speciem superstitionis penitus expurgatam & ejuratam crederent. Siquidem tale exemplum ex antiquitate ecclesiastica, aut ex reformatione Gallicâ, aut Belgicâ ostendi posset; utique aliquid diceretur. Ab Asiarchis seu sacerdotibus Ethnicis (qui ad hanc rem facerent) depulsum se videbunt contradicentes, in *canonibus Concilii Eliberini*, & subjecta *commentatione Albaspini*, ex nostra reformatione nihil hactenus proferri potuit quod huc faceret. Quod enim in scenam producuntur urbis nostrę Ultrajectinæ collegia *merè pia & ad opera misericordiæ ac officia caritatis speciatim destinata, S. Iobi, S. Crucis, &c.* illud ab hac causa planè alienum est. Malè enim status eorum refertur, aut malè accipitur, aut saltem malæ consequentiæ inde nectuntur, & fraternitati Mar. applicantur. Res sic se habet. Sunt apud nos collegia eleëmosynaria non tantum Diaconorũ, pro membris ecclesię; sed & alia pro omnibus cujuscunq; religionis promiscue, tum pauperibus, tum orphanis, tum peregrinis: sunt etiam collegia & præfecti domuum quarumcunque piarum (uti vocant), gerontodochiorum, scil. ptochodochiorum, orphanotrophei, leprosorum. Quæque collegia res majo-

majoris momenti & bona suarum domuum administrant, quotidiana negotia curæ duorum præfectorum (Regentes vocant), qui annuatim ex collegio assumti, committuntur. Accidit autem, ut gerontodochia sub Papatu nomen acceperint alia à cruce, alia à Jobo, alia à Bartholomeo; & hinc præfecti, & collegæ dicantur distinctionis causa ex. gr. præfecti aut collegium gerontodochii, seu Xenedochii (belgice Gasthuys) ex.gr. Jobi, aut Bartholomæi, aut Barbaræ, aut Martini &c. multa enim sunt, non unum, nam ubi unum tantum est, ibi à domo illa simpliciter nominantur, ut ab orphanotropheio; non verò à domo per denominationem insuper seu adjectionem antiqui tituli ab aliis istius generis distincta. Quomodo hinc jam infertur interpolata fraternitas nostræ Dominę; magis quam ex quæstoribus & præfectis monasteriorum apud nos, quæ sanctorum titulis designari solent; qui dicuntur quæstores aut ephori ex.g. monasterii S. Agathę, aut S. Servatii, aut Cæciliæ: aut ædiles Templi Jacobi, aut Geertrudis, aut Nicolai, &c. non verò assumunt nomen nec ordinem præpositi, aut fratris, aut sodalis S. Jacobi, S. Geertrudis, S. Agathæ; nec in erectionem & statuta sacrarum fraternitatum sub ullis denominationibus sanctorum jurant. In illa urbe, ubi nunc interpolata est fraternitas Mariana, collegia civium eleëmosynaria, & præfectura seu præposituræ gerontodochiorum, aut publici nosocomii, non sunt ejusdem rationis, cum fraternitatibus Marianis. Illa enim nemine improbante subierunt & hic & ubique reformati nostri: Mariana non itidem. Tribuatur ergo aliquid prudentię, pietati, & zelo nostrorum prædecessorum in Belgio, qui nodum in scirpo non quæsiverunt, nec de Browniśmo somniârunt, cum relictis & reformatis collegiis eleëmosynariis, & officiis caritatis modo dictis, Marianas omnes fraternitates dissiparunt. Nec novum hoc heurema de pia & utilissima fraternitatum Marianarum interpolatione hactenus in Belgio (quod sciam) inauditum, tanti faciendum est, ut propterea reformati Belgę cum civibus Jabes oculum cognitiones & theologiæ reformatæ, & rerum suarum, sibi erui vellent. Quod si quis alleget alterum inconveniens de canonicis nostratibus, illud retudimus, in *libello nostro p.* 445. & longe diversa ratio est. Et inconvenins unum allegare, non solvit alterum. Sed aliud forte intenditur. Quod tamen non coget me mutare theologiam meam hac in parte, quam ex sacris literis docuerunt me ecclesiæ reformatæ. Nec satis mentem nostram assecuti sunt, qui putant solum scrupulum motum *de bonis Ecclesiasticis ad usus merè civiles & particulares traductis.* Si enim controversia & scrupulus tantum hic hæreat circa usum redituum; necessariò inde sequitur, ἀπροσδιονύσως trahi hoc ad idololatriam indirectam. Dato enim non satis accurate se habere usum re-

dituum; idololatria indirecta. Male etiam comparatio instituitur inter usitatam & passivam appellationem templi Petri, aut Mariæ, aut Johannis, cujus templi canonici dicuntur (quomodo & concionatores, ædiles, æditui, organistę, Anagnostæ, præcentores templi ex. gr. Petri, aut Johannis, dici solent): & inter assumptam denominationem fraternitatis ac fratrum nostræ Dominæ, seu Mariæ; quam quis subit, & in cujus erectionem, statuta, & communionem, una cum Papistis jurat, secundum transactionem scil. sępe citatam. Jam vero, quod ad ipsum scrupulum attinet, de usu & abusu redituum ecclesiasticorum, quem nonnemo nullum esse censet; mirari subit cur tam imperitè & miserè nimis scrupulosi fuerint theologi hujus urbis, jam inde à primâ reformatione usque in hunc diem; qui scrupulum illum pro concione publice (ubi textus occasionem dedit), & privatim in casu conscientiæ consulti, frequenter moverint: nec hactenus ullius synedrii, aut classis, aut synodi decretum pro simul semelque tollendo hoc scrupulo factum sit. Quid quod *Synodus Nationalis Middelburgensis anno* 1581. *ad quæst. particularem* 95. non tam facile scrupulum hunc diffiare potuit, quin limitationem adderet de usu bonorum; quam hodierno eorum usui non tam facile aut liquido quis applicet; ut novus scrupulus non oboriatur: imprimis cum addat, eadem synodus, non admittendos in seniores & diaconos nisi magna cum prudentia: quomodo fere de Marianis fratribus statuit *Synodus Gallo-Belgica* nuper habita *Hagæ-comitis*. Vides scrupulum. Est alius scrupulus quomodo jurari possit in conservationem statutorum præsentium & futurorum &c. ecclesię collegiatæ, seu capituli, &c. nolo enim propter rationes reliqua ex libro juramentorum hic exhibere. Sed dato abrogata esse omnia juramenta, omnia etiam statuta & privilegia, quæ vel minimum odorem Papalis aut ecclesiastici regiminis retinere videantur; manet tamen scrupulus, quam licite, saltem quam decore, & quanta cum ædificatione atque honore reformatæ religionis & eceleſiæ, tituli Ecclesiastici assumantur, à collegiis mere politicis (uti prætexitur) seu politizatis? Neque enim prætor prætura, nec consul consulatum gerit sub titulo & professione ecclesiastici concionatoris, aut senioris, aut sacerdotis, aut pœnitentiarii: ut nec vicissim concionator ministerium ecclesiasticum, sub titulo & professione politici prætoris, aut consulis. Discat ergo, si placet, nunquam ab initio reformationis usque in hunc diem negotium illud de Canonicatibus & vicariatibus, cum appendicibus, caruisse suis scrupulis, non tantum in hâc ecclesiâ nostra, sed etiam apud Senatores, alios que politicos & optimates quamplurimos: qui scrupuli an & quomodo in thesi & hypothesi tolli possint, salvis simul & honore religionis reformatę, ac serenitate

nitate conſcientiæ; & conventione politica propioris unionis Ultrajectinę olim inita, ut & regimine hujus provinciæ; altioris eſt deliberationis, & publicæ autoritatis. *Theologicum conſilium*, & monita atque indicia in caſu conſcientiæ, quæ Theologi hic publico bono ſuggerere poſſent, non procul erunt quærenda: ſi modo illi, ad quos hoc pertinet, ea requirere & audire dignentur. Interim monendus eſt examinator, ne ſcrupulos tam promte & levi brachio eximendo, & res ac quæſtiones hypotheticas ipſi obſcuras (quippe quas propius non inſpexit, & de quibus ſtatuta, & tranſactiones nullæ ipſum hactenus edocere potuerunt) determinando, novos ſcrupulos moveat, & ſcrupulis noſtratibus ſcrupulos Marianorum ſuorum pellat, aut nos iis pulſet. Nunquam enim ego, nedum Eccleſia noſtra aut ſynedrium, aut facultas Theologica, in caſu conſcientiæ cuiquam ſuaſit ut ſine ſcrupulo Canonicatus aut Vicariatus emat, aut alia ratione ſibi acquirat. Tantum abeſt ut tantis præconiis pragmaticam hanc profecuti ſint, quantis ipſe Fraternitatem ſuam Marianam: quæ vide in *libello noſtro pag.* 399. 400. 79. IV. *Excep.* „Quod de ſtatu inficiali controverſia illi non debeat moveri, quam bo„na fide & conſcientia expreſſit. Si factum recenſui uti eſt, inde æquitas „judicii ipſius eſt in portu: ſin vero aliud eſt (quod nemo unquam depre„hendet) ſaltem non poterit traduci, quod cauſæ malæ patrocinium ſu„um accommodaverit, quia eam demum, quam explicat & ſupponit, de„fendit, ac defenſam voluit; non aliam, Sic *pag.* 26. 27. *Reſp.* 1. Quæritur an qui ſincere de toto illo negotio edocere voluiſſet lectorem, & coram Deo ac ſole pietatem atque utilitatem interpolatæ fraternitatis tueri, meamque determinationem ſolide refutare; non potuiſſet, immo debuiſſet ipſam erectionem fraternitatis, cum omnibus ſtatutis & privilegiis, prioribus & poſterioribus una cum novâ tranſactione, formulis juramenti, ſubſcriptionibus noſtrorum, ac Pontificiorum, ex autenticis tabulis & archivis edere? Quod ſi feciſſet, non puto eum contra bonam fidem & conſcientiam facturum fuiſſe. Sed quia hoc ab initio factum non fuit, ne quidem poſt meam reſcriptionem, ubi tamen hoc urſi, nec facile hoc futurum arbitrer: nemo ægre ferre debet, ſi qui ſint qui de debitâ facti narratione dubitent; imprimis cum aliunde ſatis conſtet, longè plura & alia eſſe, quæ ad facti hiſtoriam pertinent. Quamvis enim vera eſſent quæ ipſe retulit de mutatione hujus fraternitatis; inde tamen non ſequitur eum omne verum retuliſſe de fraternitatis erectione, ſtatu, ſtatutis, privilegiis, uſque ad nuperam mutationem, aut etiam omne verum retuliſſe, de iis quæ in mutatione & poſt eam illic acta & tranſacta ſunt; quæ quidem ad evidentiorem caſus deciſionem facere vide-

rentur, aliis hæc arcana inveſtiganda relinquo. *Reſp.* 2. Non ſufficit hæc ſacra anchora, ad quam confugiatur. Non ſufficit, inquam, iisſqui præ ſe ferre velint, factum & ſtatum inficialem ſibi accuratè perſpectum; ſeque & me & totum Belgium de eo edocere poſſe; immo qui affirmarunt viris eruditiſſ. & graviſſimis, rem ita ſe habere; eâque affirmatione quorundam reſponſa elicuerunt: uti mihi conſtat, & ipſi fateri videntur *pag.* 26. Quod ſi quis erectionem, ſtatuta, privilegia, conſuetudines fraternitatis in ipſis archivis, & tabulis autenticis, aut ſaltem in autenticis exemplis non perluſtravit; qua certitudine theologica eam defendere, ejuſque ingreſſum in caſu conſcientiæ ſuadere poterit, alioſque viros doctos affirmationi huic fidem adhibentes ad conſenſum invitare? Quod ſi rite feciſſet, non opus fuiſſet nonnullos nunc ampliare, aut qualecunque ſuffragium ſuum explicare, aut etiam revocare; aut labaſcere; & narrationem hiſtoricam ac totam caſus ſeu facti deſcriptionem, in optimates haut obſcurè devolvere. Quamvis enim illi feciſſent, quod tunc volebant ac poterant: tamen Theologus majorem ἀκρίβειαν adhibere, & poſtea præſtare debuiſſet. Aut enim potuit omnia arcana fraternitatis ſcire; aut non potuit. Si non, quomodo potuit defenſionem ejus ſuſcipere; imprimis contendendo, fuiſſe politicam, ſaltem maximâ ex parte; non fuiſſe ejus erectionem tam ſuperſtitioſam; non habuiſſe dependentiam à Papa, aliaque quæ *libellus meus* examinat *pag.* 90. & *pag.* 108 · 188. Si potuit ſcire, quod Status Illuſtr. Ordd. General. (ut videre eſt in *libello meo pag.* 180.) ignorare videntur; cur debitam diligentiam non adhibuit: ne aut ſibi ipſi, aut conſcientiis optimatum, aut eccleſiis Belgicis, imprimis eruditis theologis, à quibus ſuffragia corrogatum ibat, in re tanti momenti imponeretur, nec præjudicata ſententia & perpetua praxis Eccleſiarum Belgicarum in tollendis Fraternitatibus Marianis oppugnari videretur. Quod ſi de poſt facto demum hæc innotuerint (aliquid forte ad illud conferente meo judicio), cur Deo gloria non datur? cur veritas non honoratur, detectione τῶ κρύπτων τ' ἀιχύνης? *Reſp.* 3. Quidquid ſit de narratione facti apud illum; hactenus tamen ſufficere potuit, ut ex eâ plurimi cauſæ malitiam deprehendere, & contra fraternitatem determinare potuerint; alii vero à ſuffragio ferendo abſterreri: quod optimè experti iſtic; ſi modo numerum exemplarium libri, & epiſtolarum, quæ per Belgium ſparſa ſunt, cum reſponſis & non reſponſis ſapientum contulerint. v. „*Exc.* Quod libellum fraternitatis deſcribendo, imaguncula etiam qua„dam præfixa, ne quid deeſset ad cothurnum, incauto lectori pro ve„ra inſtitutione ſuppoſuerim. *pag.* 47. Graviſſima criminatio; ſed quo jure in me jactata, hinc lector cognoſcet. Nam *Reſp.* 1. Erui & exhibui

hibui Erectionem primævam istius fraternitatis non tantum ex illo libello, sed etiam imprimis ex *Augustini VVichmans Brabantia Mariana, & excerptis ibidem* ex ipsis archivis fraternitatis : ut videre est in *libello meo pag.* 41.114.118.121.126.133.134.154.281.282.305. Etiam aliquo modo ex *Ottone Zylio* præcone *Miraculorum duleis Dominæ Sylvaducensis*, & *Dionysio Mutzart*, quos cito *pag.* 114. cum quibus autoribus contuli diplomata, libellos, erectiones aliarum fraternitatum præsertim Marianarum, atque una farraginem Theologiæ & Canonisticæ Papalis: ut tantò certius mihi constaret de natura & essentialibus controversæ fraternitatis, quæ toto genere ab aliis differre non poterat. Vide *libellum nostrum, pag.* 122. *usque pag.* 180. Ubi etiam omnes objectiones & exceptiones ex professo dissolvi: ita ut non putem quidquam reponi posse præter silentium. Quin ex propria ipsius relatione, genuinam erectionem, sacram scil. seu religiosam (non vero profanam, sæcularem, politicam) probavi *pag.* 121. 178.152.153. *Resp.* 2. Quod ad libellum controversæ fraternitatis; ego eum fideliter transferri curavi ex originali Belgico; cujus duo exemplaria in illa urbe olim excusa, sed diversis temporibus, (quorum alterum præferebat imagunculam Mariæ septem dolorum seu cum septem gladiis) ipse habui & tractavi: & plura esse earundem editionum exemplaria in manibus civium illic Papismo addictorum, præsertim fratrum Marianorum, istic ignorari non potuit, aut saltem non debuit. Nullum enim alium istius fraternitatis libellum publicè exstitisse certum est. Accedat indicium & testimonium *Augustini VVichmans*, cui omnes antiquitates ad erectionem, statuta, privilegia, historiam istius fraternitatis spectantes à præpositis communicatæ & optimè perspectæ fuerunt, quique inde *Brabantiam* suam *Marianam* amplificavit, ut ipse testatur *lib.* 2. *cap.* 25. Is provocat *ibidem*, & lectorem suum remittit ad hunc libellum. Satis ergo bonam fidem & conscientiam meam liberavi: ut non debeam dici supposuisse incauto lectori libellum istum pro vera institutione. Quod si dicat me libello illo, & testimonio Augustini Wichmans deceptum esse, una cum civibus & fratribus Pontificiis, in quorum manibus hactenus sine contradictione libellus ille versatus fuit, & cum toto Papatu, qui *Brabantiæ Marianæ Aug. VVichmans* hactenus non contradixerunt: accipio exceptionem, ubi videro & *notitias August. VVichmans & libellum* modo *cit.* à fraternitatis Marianæ parte Pontificia tanquam suppositia publicè notari, atque una sub protestatione coram Deo & juramento edi genuinam illam, quæ nunc jactatur, erectionem, cum omnibus statutis, privilegiis, augmentis, reformationibus, usque ad annum 1629.; accedente Episcopali, aut tali saltem approbatione qualis in Papatu libris Marianis, aliisque

que omnibus hodie adjici solet. Sed hoc fiet ad Kal. Græcas. Ne ipsum quidem consilium Status Ill. D.D.Ordd. iteratis mandatis suis & scriptionibus hactenus rerum fraternitatis revelationem & status exhibitionem obtinere potuit; uti docet exemplum epistolæ ad Senatum illius urbis, in *libello nostro. pag.* 181. Quamdiu hæc non fiunt, jure meo contendere possum ab omnibus theologis, ut de antiquâ seu priori fraternitate Marianâ, ejusque erectione, statutis & privilegiis ex *libello* jam dicto, & ex *notitiis Augustini VVichmans* (qui libellum illum ut genuinum agnoscit,) collatâ theologiâ Pontificiâ de omnibus aliis istius generis fraternitatibus nobiscum dijudicent: de novâ vero seu interpolatâ ex instrumento translactionis, quod *libello meo* inserui *pag.* 209. & agnoscit examinator, in *epist. ad amicum pag.* 12. Protestatio ipsius de fide & conscientia sua *(pag.* 26.) deque veracitate fratrum Marianorum, in quos non cadat mendacii suspicio (*ibid.*) neminem juvare poterit nec lucem dubiis & obscuris inferre, quamdiu non præstantur illa, quæ petimus. Ego de fraternitate erui & dedi, quæ potui; & quæ abunde sufficiunt ei condemnandæ, tanquam idololatricæ. Si examinator plura aut longè alia novit, candidus „impartiat. VI. *Except.* Quod exhibens instrumentum contractus, omi„serim ipsorum Pontificiorum solemnem prisearum illarum superstitio„num ejerationem; quodque eam videar in dubium vocare passim, ac „nominatim *pag.* 255. 475. quæ tamen exstet ad calcem instrumenti, i„psorum omnium manibus firmata in hæc verba; *Nos infra scripti præpositi & alii seniores fratres supra nominatæ confraternitatis, promittimus per ju„ramentum, à nobis confraternitati præstitum, quod nos his appositam constitutionem* (bit naeber reglement) *, juxta suam formam & tenorem servabimus, & sequemur, in cujus rei fidem hæc manibus nostris firmavimus, undecimo Aprilis,* 1642. Epistol. ad Amicum pag. 12. 13. *Resp.* 1. gratias ago examinatori quod formulam hanc subscriptionis exhibeat. Antea quidem de ea cognoram, deque modo & circumstantiis non pauca: sed volens sciens historica ista sacri silentii sigillo tam arctè celata nolui pandere, ne ea præstare cogerer. Spero examinatorem aliquando in honorem veritatis, & favorem innocentiæ, reliqua omnia, quæ huc pertinent, candidè exhibiturum. Saltem hinc facile constare poterit, cur cum instrumento translactionis, hanc subscriptionem una non exhibuerim; quia translactio facta est 27. Februarii; & subscriptio hæc Pontificiorum demum addita 11. Aprilis. Exemplum vero mihi ex illa urbe submissum 3. Eid. Decemb. nihil aliud habuit, quam quod dedi. Forte singuli fratres, exemplis suis, appendicem illam, quæ postea instrnmento primigenio adscripta fuit, expressam non habent. *Resp.* 2. Non parum confirmat hæc formula subscriptionis,

tionis, argumenta illa quibus ego *in libello meo*, & nuper *Rev. & Cl. Facultas Theologica Leidensis in sua determinatione contra illam Fraternitatem*, juramentum hoc oppugnant; quo tamen ejurata dicitur à Pontificiis superstitio, immo forma prioris collegii in solidum sublata & politizata. Vide *libellum nostrum pag.* 203. 208. 218. 219. 222. 228. 229. 234. 255. Nec extricabit quis se, quin potius magis intricabit, si dicatur: *Neque tamen Pontificii sunt ideo perjurii accersendi; quia collegium illud cui antea juraverant de Papisticis observationibus, seipsum reformando, & novam illam constitutionem ac conditionem admittendo, censendum est illis tacite remisisse omne obligationem, quâ per juramentum illi præstitum, ad superstitiones tenebantur. Has conditiones, & nominatim clausulam illam salutarem articuli* 11. (Instrumenti transactionis) *cum non nemo ex optimatibus mecum communicasset, & petiisset, quid de totâ re sentirem, professus sum ingenuè nihil me in eâre videre, quod justè posset reprehendi, aut religiosæ communionis cum idololatris accusari?* Epist. ad amicum pag. 13. 14. *Resp.* 1. An ipsam transactionem, & cum ea ingressum nostrorum in illam fraternitatem, absque ejuratione sodalium Pontificiorum tunc peractam 27. Februarii; an vero eandem post additum σόφον φάρμακον ejurationis, 11. Aprili, in casu conscientiæ demum approbaverit, an vero utrumque, non liquet. Quidquid factum sit, non convenit cum Theologia practica de Juramento uti satis ostendimus. *Resp.* 2. Quod ad Pontificios, non præstitum est ab illis idem illud novum juramentum, ab antiquo distinctum (ut ex utriusque collatione in *libello meo p.* 216. & 254. colligi potest), quod præstiterunt fratres reformati: multo minus revocarunt aut ejurarunt prius & antiquum suum juramentum & materia & forma malum ac superstitiosum: nec apertè aut tacitè illis remissum fuit hoc juramentum, aut remitti potuit à collegio Mariano; nec illi idem, aut revocare, aut sibi remitti voluerunt aut intellexerunt: sed exsertè professi sunt se insistere & inhærere priori suo juramento (quod favente ipso examinatore absolutè fuit malum & idololatricum, & cum novo juramento reformatorum è diametro pugnans). Qui enim promittit quid e.g. miles per juramentum patriæ & Principi præstitum, ille non revocat juramentum præstitum, nec ejerat fidelitatem & officia præstanda in quæ juravit, sed utraque potius confirmat; nec promittendo hæc aut illa, ab Illust. Ordd. & celsissimo Principe à juramento illo, per quod promittit, absolvi intelligitur. Sed ut contradictionem & labyrinthum talis juramenti manibus palpare possint lectores, diagramma hoc subjicio. Magistratus civitatis reductæ ad unionem confœderati Belgii; promittit se servaturum omnes antiquas constitutiones politicas (quæ omnes, aut saltem quod ad essentialia & principalia sunt Hispanicæ) & sub adjecta clausula

salutari, de non præjudicando libertati, & confœderationi Belgicæ; idque promittit per juramentum antiquum antehac ad ingressum collegii in Regis Hispaniæ regimen, & canones Concilii Tridentini præstitum. Nunc quæritur, An illi hoc ipso recte jurarint, & exserte ejurarint regimen & tyrannidem Hispanicam; atque adeo juramentum aliquod exactissime reformatum & novum una cum novis Senatoribus Hispanici regiminis hostibus in collegium illud assumtis præstiterint: imprimis si nolentes volentes ad talem promissionem ac subscriptionem pertracti essent: fere ad eum modum, quo juvenis quidam in angustias redactus & circumventus, nomen quidem suum scedulæ oblatæ inscripsisse fertur, additis tanquam usitato symbolo, illis verbis: *Coactus subscripsi.* VII. *Except.* „Quod si disputaverim ego de jure divino stricte & ad conscientiam; ille „potuerit disseruisse de ratione & modo juris exercendi, & quid & quan„tum humanæ infirmitati & variis defectibus pia & necessaria sæpe con„niventiâ & tolerantia, cum tolli non possint, concedendum sit &c. *Resp.* 1. Si nihil aliud disputasset, nulloque alio nomine Theses meas peculiari libro oppugnasset, utique magnum sphalma commisisset. Ego tantum de jure divino strictè & ad conscientiam disputavi; non autem de tolerantia & conniventia alicujus nævi seu defectus. Huic meæ disputationi directe se opposuit, & religionem, pietatem, prudentiam, ædificationem interpolatæ fraternitatis in cœlum extulit. Ad has lineas perpetuo revocandus est. 2. Non satis etiam per omnia quadrat huic negotio distinctio illa inter jus divinum, secundum quod præsumtam Magistratus potestatem internam, seu ecclesiasticam, & jura patronatus pia & licita negamus; in citata *disp. de potestate Ecclesiastica*; & inter praxin ac prudentiam ecclesiæ, qua de suo quid concedit subinde, aut pie tolerat; quando „per hominum infirmitates aut defectus aliter non potest. VIII. *Except.* „Factum suorum optimatum fideliter retulit, & eo usque defendit, ut „illos immunes præstiterit ab idololatria Pontificia, & communione re„ligionis cum Idololatris, quam gulæ & turpis lucri caula subiissent, nam „hoc proprie fuit τὸ κεχνόμενον &c. *Resp.* 1. Quomodo factum retulerit, & defenderit, ostendimus in *libello nostro.* 2. Quid proprie fuerit τὸ κεχνόμενον, discat lector supra *pag.* 92. ubi quæstio proponitur; & ex *Epistola Reverendi ministri in libello meo pag.* 413. *lin.* 5. 6. 7. 8. illud enim membrum quæstionis inter cætera mihi proposita solummodo determinavi. Quam recte examinator consequentiis, quibus meam thesin munivi, & antithesi ursi, verba quædam ab antecedentibus & consequentibus avulserit, & sic totam determinationem odiose exagitarit, puto me ad oculum demonstrasse, in *libello de Fraternitatibus pag.* 306. *Resp.* 2. Non debuisset ergo hic repete-

re, ne-

re, nedum τὸ κεκνόμενον facere, *communionem religionis, cum idololatris, & idololatriam Pontificiam.* Satis superque distinxi supra factum controversum ab idololatria Pontificia: nec tamen cum examinatore facti illius præconem aut defensorem agam. Quæro an ille cum improbat crucem aliasque ceremonias Anglicanas aut Lutheranas, τὸ κεκνομένον genuinum faciat: An Ecclesia Anglicana aut Lutherana committat idololatriam Pontificiam. *Resp.* 3. multo minus ferendum est statum controversiæ constitui: *An optimates gulæ & turpis lucri causa subierint hanc fraternitatem.* Dixi Pontificios, cum nostri tali agunt, solere in carne nostrorum gloriari, &c. de tepore, aut stoliditate nostrorum, &c. Vide reliqua supra. Sed dices offendunt illa verba: *Sciunt nostros propter nudum titulum Mariæ, nedum propter regulas & statuta fraternitatis*, &c. Atqui ajo ego, Pontificios non tantum scire, & credere (forte non minus firmiter, quam Apostolus *Actor.* 26. 27. sciebat Agrippam credere prophetis) sed etiam, aperte ac non sine contumeliâ nostrorum, & nostræ religionis ubique hoc profiteri, clamare; ut totus mundus hoc exaudiat: uti in *libello meo* affatim probavi *pag.* 311. 312. Quam verè autem, & quam certò hoc de omnibus aut de aliquibus, aut de plerisque nostrorum scire & credere illos dicendum sit, nondum istic declaravi: nedum ut de optimatibus illis dixerim aut Pontificios hæc ibi de illis jactare, aut me sive in totum sive ex parte credere, aut non credere. Interim doleo ex animo, & coram Deo atque omnibus piis queror hoc scandalum ipsis objici, & ora eorum ad talia dicteria & insultationes à nostris aperiri: Addo nunc, compertum esse omnes aut plerosque ex nostris, qui maxime affectant sodalitates, formalitates, observationes Papistarum consistentes in præsumptis honoribus politicis, aut in conviviis, aut confabulationibus, minime omnium affectare sodalitates & observationes Papistarum, quæ consistunt in silentio aut jejuniis, aut paupertate, aut in laboriosa captivorum, ægrotorum, moribundorum, visitatione ac curâ; aut in assidua & laboriosa visitatione pauperum orphanorum, viduarum; aut in catechizatione puerorum & rudium; aut in conversatione errantium & peccatorum. In quæ magnam partem temporis & reditùum suorum, si non maximam, ex vi religiosæ confœderationis, impendere se gloriantur Pontificii. Si quærant ex nonnullis reformatis, cur talia collegia & fraternitates (si quæ sint in Papatu) non magis aut æque studiose affectent, interpolent, reforment, aut ex cineribus denuo suscitent; ac divites & splendidas Marianas, pinguia atque otiosa festa Baalim, bacchanalia scil., martinalia, trium regum &c. Quid quæso ipsi, quid nos pro illis respondebimus? Non poterunt dicere, analogum quid omnibus illis laboriosis mortificationibus, & sumtuosis

tuosis operibus devotionis, pietatis, caritatis, à se præstari in distributione eleëmosynarum. Reponerent enim Pontificii, nihil tale haberi in instrumento transactionis, sed potius contrarium, artic. 17. Vide *libellum nostrum p.*232.241.257. *Deinde*, si nihil aliud, quam hoc quęsiverint, nullos, inquam, honores politicos, nullam sæcularem excellentiam præ aliis, nullum splendorem, nullas delicias, nulla otia in conversatione & familiaritate, confabulationibus; dum affectabant hanc fraternitatem ab omnibus aliis, excepto hoc uno, repurgatam; eamque ex otiosa faciebant negotiosam, ut examinator affirmat (vide *libelli nostri p.*255.); cur ergò voluerunt esse fratres Mariæ quod ad primam erectionem, omniaque ejus statuta, quatenus scil. non præjudicant: cum nec prima erectio nec antiqua aut nova statuta fuerint collegii formaliter eleëmosynarii: ut docemus in *libello nostro p.*231.232.233.240.241.257. *Tertio*, si nihil hic quæritur, quam pietas & caritas illa in distribuendis eleëmosynis: cur non æque affectantur collegia politica formaliter & per se eleëmosynaria; qualia illic habentur, & plura erigi possent, si modo sint qui caritatem suam laboriosam & negotiosam facere velint. VIII. *Exeept.* Quod determinatio ipsius pro interpolatâ fraternitate, habeat consensum. *Plurium enim virorum piorum & doctorum testimonia sibi suffragantia* (*suppositâ scil. historia & veritate facti*) *proferre posset p.*26. Deinde, audiisse se dicit, à sex advocatis Hagæ-comitanis *pronuntiatum, nihil amplius superesse in illo collegio religiosum, superstitiosum, ac ceremoniosum, adeoque nec socios reformatos se ad quidquam tale obstrinxisse; nec ipsos Pontificios, &c. Hoc enim responsum virorum longè consultissimorum & prudentissimorum eo est certius, &c.* p.47.48. Adde, quod *p.*19.20.21.22.26. infert *etiam meum libellum*, quo oppugno fraternitatem, *videri eo redire*, &c. Denique *quod militet illi continua praxis totius fœderati Belgii, nullusque unquam ipsi visus sit Theologus, aut canon Synodicus, qui idololatriæ plusquam indirectæ damnet multiplices illas sodalitates, quæ à Georgio, Christophoro, Sebastiano, Nicolao, Iosepho denominantur.* p.23. *Resp. ad* 1. Suffragia Theologorum, si quæ habet, similia forte sunt illius Theologi, qui quia circa factum nihil putabat controversum illic esse, quam relictum nomen collegii; de quo non mirum fuit eum idem judicasse quod de urbibus, insulis, arcibus, templis, à sancto olim denominatis. Postea tamen simulac ex indiciis aliis dubitaret, latere anguem in herba, mentem suam *altera epistola* uberius explicuit; hocque suum factum *peculiari epistola* publicè edita defendit. Non ignorat ipse, quid Synodus Gallo-belgica Hagæ-comitis judicaverit. Audiet nunc Rever. & Clariss. Theologos Leidenses, aliosque in Academiis & scholis Belgii contra interpolatam fraternitatem determinasse. Quid Synodus Geldriæ, ad quam hoc propriè pertinet, in thesi & hypothesi synoda-

nodaliter, (si non impediatur) judicatura sit, dies docebit. *Resp.* 2. De advocatis quod audiviſſe ſe dicit me latet. Poteſt aliquando conſultiſſimis viris quæſtio, cum omnibus eò ſpectantibus ita proponi ut ad mentem & voluntatem quæſitorum cenſeant, nec tamen in ſcientiam & conſcientiam advocati peccent; juxta illud vulgatum ipſis non infrequenter uſurpatum: Qualijck gebiecht/qualijck gealbſolveert. Deinde reſponſum illud, qualecunque ſit, non facile eſt diccendum, contra me alioſque theologos militare; quamdiu non conſtat, an illi de jure divino ſtrictè & ad conſcientiam conſulti ſint, & ſic etiam reſponderint; an vero de jure civili Romano. Si poſterius fecerint, utiique non repugnabunt Theologi: tum quod ſapienti in ſua arte credendum ſciant, tum quod in corpore juris civilis facile concedant occurrere nonnulla, quæ caſuiſtica ipſorum tit. de idololatria, ſeu mavis ſuperſtitione indirectâ, aut politia & praxis eccleſiaſtica non facile reciperet. Quidquid ſit, arbitror ſynodos, in quarum deciſione circa hunc caſum acquieturos ſe polliciti ſunt Mariani fratres, reſponſum hoc prudentum eo quidem loco, habituras, quo decet: non tamen depoſituras reſponſa præſtantiſſimorum juris divini conſultorum: cum teſtimoniis atque argumentis ex tabulis juris divini tam probè munita ſint. *Reſp.* 3. Conſenſum meum fruſtra exſculpi ex excuſatione in tantum non in totum, quam non nego facto optimatum: & ex diſtinctione inter idololatriam directam, & indirectam. Aliud enim eſt loqui de magnitudine culpæ, an illa lata ſit, an levis: quod ex circumſtantiis facti judicandum: & aliud loqui de magnitudine ſeu pondere controverſiæ circa illud factum in hypotheſi, & circa ipſam theſin ad quam diſceptatio transfertur. Non enim nullam cenſeo hanc controverſiam. Quamvis enim de pondere aut momento ejus in *diſp. de Idololatr.* nihil dixerim, quippe qui minime cogitabam, ullum Theologum hic aliter ſentire: cum tamen propono titulo problematis, nolim ideo inferri omnia illa in iſtis aliiſque theſibus meis eſſe quodlibetica, aut in utramque partem diſputabilia (uti innuere videtur *pag.* 41. & 22): Nam ſi hæc ſola eſſet ſignificatio hujus vocabuli: *Problematis*, quid fieret problematis Benedicti Aretii? Addo me diſtinguere inter factum Marianorum fratrum, & inter defenſionem Theologi (juxta *Roman.* 1. *verſ.* 32.) & quidem talem defenſionem, qualem ego libello meo refutavi; quâ non poſſet non lata porta aperiri, per quam plurimæ reliquiæ Papalis ſuperſtitionis in Eccleſias Belgicas turmatim irrumperent. *Reſp.* 4. Praxis Belgicarum Eccleſiarum hic nulla eſt, quæ pro ipſo militet. A Collegiis Civicis Mercatorum, Fabrorum &c., ad Fraternitates Marianas non melior eſt conſequentia, quam ad Collegia Augurum, Flaminum, Jeſui-

tarunt, Inquisitorum, Cardinalium, Pœnitentiariorum, &c. Quod vel sola praxis Gallica & Genevensis nos docere potuisset; ubi collegiis civicis (quamvis à Josepho, Nicolao in Papatu denominatis) adscribuntur reformati; non itidem Marianis. *Deinde* circa mutationem aut retentionem nominum istorum e. gr. Josephi, Nicolai; praxis ecclesiarum nostrarum nulla propriè est. Si enim Imperator Romanus vocem nullam civitate Romana donare potuit: utique multo minus ecclesia vocabulorum arbitrium & jus sibi sumet. Nihil aliud potest, quam monere eos, qui collegiis illis interstunt, & præsunt, ut dediscant illas appellationes, & linguis loquantur novis: quandoquidem facilius hoc fieri potest, quam in nominibus regionum, urbium, insularum. Quod si faciant; uti in plerisque civitatibus & collegiis, ubi reformati suffragiis prævalent, jam factum arbitror; ecclesia voto suo potitur: sin minus, videt & audit tantisper; sed minimè, hanc cessationem suorum, à tanta pietate, zelo, prudentia commendat, quantam Marianis suis tribuit examinator. Videt nunc lector, quæ sit perpetua praxis ecclesiarum Belgicarum, quæ ipsi militet.

„IX. *Except.* Quod ipsi militet continua praxis totius fœderati Belgii &c.

„Ego autem prior videar novaturiisse, & scrupulum vix necessarium con-
„scientiis Reformatorum circa talia collegia movisse, *pag.* 23. *Resp.* 1. De praxi ecclesiarum Belgii jam satis diximus. Lector meminerit eum semper ad lineas illas revocandum, ut ostendat Ecclesias, immo & Magistratus Belgicos quorum consilio & operâ sublata sunt passim fraternit. sacræ, (ita dictæ) imprimis Marianæ, illa perpetua praxi sua hoc voluisse; ut non tollerentur, sed potius piè & salubriter secundum modulum & ex præscripto examinatoris nostri interpolarentur, inque earum primigeniam sub Papatu erectionem & antiqua statuta, sub clausula salutari de non præjudicando jurarent reformati, atque ita eandem perpetuam fraternitatem una cum Pontificiis constituerent, ac pariter haberentur & dicerentur *Fratres nostræ Domina*, Belgicæ Vrouwen-Broeders/ subque & cum illo honorifico titulo omnes uanimiter & collegialiter funera deducerent, convivarentur, confabularentur, leque mutuo & *venerabilem fraternitatem* (sic artic. 1. transactionis; & est epithetum collegiorum & statuum sacrorum, secundum stylum curiæ Romanæ) contra quosvis defenderent; insuper duo præpositi eorum, eleëmosynis distribuendis, & rationibus subducendis præessent. Quod autem à praxi ecclesiasticâ negativè argumentatur; id quidem novum in meâ dialecticâ: itaque de eo ampliandum. Nullo canone synodico collegia civica artificum, consequenter nec fraternitates Marianas condemnavit ecclesia; ergo probavit: & sic perpetua praxis ejus militat pro examinatore contra me. Sed jam dixi non esse eandem

andem aut partem rationem fratrum noſtræ dominæ, & fabrorum, Mercatorum, &c. quamvis eorum collegia olim à ſancto aliquo denominata ſint, eamque appellationem uſu vulgari & paſſivo etiamnum hodie alicubi retineant, ſolius diſtinctionis cauſâ haut aliter ac naves Hiſpanis ereptæ denominatione S. Franciſci, S. Dominici, & inſulæ, civitates, munimenta, S. Thomæ, S. Vincentii, S. Geertrudis, S. Viti, S. Andreæ dignoſcuntur. *Deinde* addo, non fuiſſe forte ſententiis Theologorum, aut decretis Claſſicis & Synodicis ex profeſſo determinatum de Idololatria indirecta & participata; quia nulli, quod ſciam, hactenus exſtiterunt reformatæ eccleſiæ, aut Theologi in Belgio, qui novas ſeplaſiarias incruſtandi, & politizandi fraternitates ſuaderent, aut defenderent. Quod ſi exſtitiſſent; utique credendum eſt, eccleſias Belgicas partibus ſuis hic defuturas non fuiſſe: ut nota eſt pietas, prudentia, conſtantia, eruditio, zelus primorum & proximè ſequentium anteceſſorum ipſarum, qui magnam partem Theologi crucis, conſequenter theologi & lucis & praxios fuerunt. Docent *conſtitutiones eccleſiaſtica, reſponſiones ad quæſtiones in Synodis Nationalibus, Emdæ, Durdrechti, Middelburgi & acta ſynodorum particularium*, quam præciſe omnia reformare, voluerint, quantum quidem in ipſis fuit; uſque ad organa in templis, nomina baptizandis imponenda, conciones funebres, & ſimilia quamplurima. *Reſp.* 2. De innovatione mea nihil reſpondebo: niſi quis dicere velit de novo me determinaſſe contra rem novam, inſolitam, & in Belgio hactenus inauditam, tentatam à paucis nonnullis eccleſiæ membris, inſuper non tantum probatam, ſed etiam à pietate, zelo, & prudentia admodum laudatam. Quæ nova eſſe, ſatis perſpicuè cenſuit nupera *ſynodus Gallo-belgica Hagæ-comitana*. Si enim credidiſſet receptam & perpetuam doctrinam ac praxim eccleſiarum defenſam fuiſſe, utique non notaſſet quod quis ſine Synodo opus hoc aggreſſus fuiſſet. Nunquam enim auditum, ſynodaliter notatum fuiſſe, miniſtrum aut Theologum quod abſque poſtulatâ veniâ aut conſilio ſynodorum publicam doctrinam & praxin data occaſione defendiſſet, aut pro eâ, ſuper eâ, ac ſecundum eam in caſu & conſilio conſcientiæ rogatus, cuiquam reſpondiſſet. Hæc quidem ad admoliendam novitatem mihi impoſitam, maluiſſem non proferre; niſi nuper didiciſſem *acta* modo laudatæ *Synodi Gallo-belgica*, vulgò nunc ſatis nota eſſe; quippe etiam lecta & perſpecta ipſis Jeſuitarum diſcipulis, profeſſione Pontificiis, (qualis Renatus des Cartes), qui inde excerpta nonnulla, hoc negotium noſtrum ſpectantia, publicè exhibuerunt. Porro de antiquâ & perpetua eccleſiæ praxi circa ſimilem idololatriam indirectam, erudiri poterunt Pontificii, *ex canonibus Concil. Eliberini cum notis Albaſpini*; & ex iis quæ ſupra *pag.* 30. 31.

,,30.31.33.34.42.45.59.116. Resp. 3. Quod *scrupulum vix necessarium con-*
,,*scientiis circa talia collegia moviſſe dicor* : Id reſponſionem aliam non meretur; quam omnem idololatriam indirectam & participatam pari ratione poſſe defendi, & totam diſputationem meam, cum omnibus argumentis, teſtimoniis, ac problematum determinationibus, cum omni antiquitate eccleſiaſticâ, cum præciſa & accuratâ reformatione, Gallica, Genevenſi, Belgica, Scotica, ſubmoveri. Sed quæro, quorum conſcientiis ſcrupulus hic *vix* (nota an τὸ *vix* determinetur in caſu conſcientię illa πληροφορία, quam Apoſtolus requirit *Roman.* 14. 15.) *neceſsarius* motus ſit? Piorum, an profanorum, an neutralium, an tepidorum, an carnalium & adhuc infantium in Chriſto, an vero virorum? Quorumcunque ſint; ſaltem conſtat hominum conſcientias, aut facta, aut ſtudia, aut arbitria, aut conſilia particularia non eſſe canonem & menſuram veritatis theologicæ, quæ eſt ſecundum pietatem. Nec malè facit qui in caſibus conſcientiæ; etiam cum omnia liquidò expediri non poſſunt, in tutiorem partem inclinat; & docet homines eam in praxi ſua ſectari, præſertim ubi quæſtio eſt de abſtinendo ab aliqua re non neceſſaria: quod ſane facillimum & tutiſſimum eſt: idque ne ſcrupulus conſcientiæ oboriatur, dum quid faciunt non ſatis plenè perſuaſi. *Rom.* 14. Sed excipitur p. 37. 38. *Non ideo, patrocinor, quod in illo facto optimatum quale deſcripſi, nec enim aliud tuitus ſum, talem idololatriam negem ſubeſſe. Nec credo, cenſebitur illico idololatriam eſſe ſaltem indirectam, Chriſtum quatenus mediatorem adorare; aut cruces in templorum cacumine retinere; aut in alterius ſanitatem bibere; aut precari ad orientem, etſi de illa mundi plaga neutiquam cogites, nec attendas ibi eſſe aut fuiſſe chorum, aut verum Deum adorare ſub arbore idolo conſecrata &c. Reſp.* 1. Quid de facto optimatum, & de defenſione ipſius ſtatuerim, & quo ſenſu idololatrię participatio, & cum Idololatris ſymbolizatio ibi conſideranda veniat, jam ſatis ſuperque diſputatum eſt; & tædet lectorem repetitionibus eorum, quæ toties & tam perſpicuè explicata ac refutata ſunt, iterum iterumque obtundi. *Reſp.* 2. Quod ad quæſtiones aut caſus hic recenſitos, de momento & pondere controverſorum, ſi quæ circa illos incidant, ego non determino; nedum ut alios fortè diſſentientes, aut examuſſim mecum hic non loquentes unquam condemnarim. Abſit, abſit. Huc ſi collimat examinator, nihil aliud poſſum quam ad ipſius fidem, & lectorum ἀντοψίαν provocare. In Ἀκριβείαν veritatis, pro modulo, & libertate mihi non minus quam aliis conceſſa, convenienter ſacris literis & ſententiæ ac praxi eccleſiarum reformatarum, aut ſaltem præſtantiſſ. Theologorum, data occaſione inquiſivi. In problematis magis dogmaticis pro ἀκριβολογίᾳ contra adverſarios; in problematis magis practicis, pro parte tutiori, &

praxi

praxi pietatis nullo modo aut saltem minus periculosa, minus etiam tum iis qui intus tum iis qui extra sunt scandalosa, & ab omni specie mali quam remotissima determinavi. Si visum fuerit hic in me inscribere, aut mea hæc qualicunque fide proposita odiose prostituere, equidem id præstare nequeo, nec tamen cum Deo causæ meæ deero. Quamvis indecoram forte putem talem contra Theses meas concertationem : non minus, quam si ego aut quisquam alius Theologus, in alicujus theses curiose inquirens *de Animæ Rationalis Origine*, *deque Usura trapezitica*, & *de Vi per vim repellenda*, publicis scriptis contra eum contendat. Nolim ego, circa aliena tam importunè curiosus aut contentiosus esse. 1. De *quæstione*, *An Christus sit adorandus qua Mediator*, seu *de Deitate ratione formali adorationis* ; sic se res habet. Theses ante annos aliquot edidi, ne per somnium quidem cogitans aliquem ex hodiernis Theologis hic contrariam sententiam amplexum : nedum ut ego controversiam cum Reverendo & Clarissimo Theologo (qui hic designatur) tunc habuerim, aut susceperim, aut per decimam consequentiam intenderim. Nihil enim de controversia illa à quoquam recentiorum, motum aut editum videre tunc contigerat, præterquam in *Remonstrantium responso ad DD. Professores Leidenses*, *eorundemque Apologiâ*, & in editis *Thesibus D. Amesii ac D. Maccovii*, & in *DD. Professorum Leidensium censura confess. Remonstr.* Sed cum audirem esse inter Ministros in Belgio quibus videbatur non ita placuisse illa sententia Thesibus illis, & antea aliquoties à me defensa : misi ilico exemplaria disputationis ad D. Gomarum & D. Rivetum duos summos, veteranos & maxime in illis exercitatos Theologos, de quorum favore ac benevolentiâ erga me, nec non studio ergo orthodoxiam dubitare non poteram, petiique ab illis ut judicia sua de ea perscribere dignarentur, & monerent, si quid monendum putarent. Anno superiori *judicia ipsorum*, *aliorumque præstantissimorum Theologorum appendice ad disputationem* exhibere visum fuit, atque una mentem & sententiam meam contra clandestinos susurros unius forte atque alterius, pluribus, & quam fieri posset perspicacissimè exponere. Quas nunc dici possum habere controversias ? Clarissimus Theologus modo indicatus, mensibus aliquot post, disputationes conscripsit de eadem quæstione : ut & ante eum alter Clarissimus Theologus, meus quondam in ministerio Collega, cui in Theologicis conceptibus, & negotiis Ecclesiasticis maximis semper fui ὁμόψυφος & ἰσόψυχος, quæstionem hanc aliquo modo diversum abiens à nobis distinctione & explicatione determinavit. Jam vero fieri vix potuit, quin illi diversam à nostrâ sententiam tuentes, rationes, distinctiones & exceptiones nostras pro

libertate & judicio ſuo, attingerent & rejicerent, aut etiam refutarent. Quis tam abſurdus ſit, ut Clariſſimos illos Theologos & ſymmiſtas noſtros, publico libello traducat, quaſi mecum nominatim & cum aliis Theologis idem mecum ſentientibus controverſiam habeant; dum illi aliter, ac nos, hic ſentiunt, & ſententiam ſuam tuentur; quod fieri non poteſt niſi noſtram refutent. Ergo ſane tantum abeſt, ut hoc æquiſſimo animo non feram; ut potius pro mea parte gratiam illis habeam, quod ad majorem illuſtrationem veritatis communis noſtri depoſiti, rationes & exceptiones tum meas tum aliorum theologorum examinarint. Quod ſi laudatos modo Theologos tanquam controverſias cum hoc aut illo ſymmiſta aliter hic ſentiente habentes, publico libello culpari nollet; quo colore ego dicar controverſias habere cum illis, qui nullas eorum Theſes aut ſcripta diſputatione meâ, quæ ex profeſſo hanc quæſtionem pertractat, refutavi: (nulla enim ediderant, nec ego tunc ſcivi eos contrariam ſententiam amplexos fuiſſe;) immo qui rationes nonnullas & exceptiones, quas habet noſtra diſputatio, ab altero eorum ex profeſſo, examinatas, nullâ diſputatione, nullo ſcripto hactenus vindicavi, nec ſententiam meam ab abſurdis, quibus gravatur, liberavi: quamvis id mihi illicitum non eſſet, & viri docti ac amici non pauci, ſæpe flagitarint, ut appendicem meam pertexerem. Ita ut ab omni ſpecie controverſiæ hic quam longiſſime abſim & abeſse voluerim. Quid amplius à me deſiderari poſſit, non video: niſi ut non tantum ſileam hoc tempore, ſed & ſententiam propriam publicis theſibus aut ſcriptis tollam. Atqui nemo æquus rerum arbiter dicet me ad hoc magis teneri, quam alios quoſcunque theologos qui in ſcholis & eccleſiis Belgicis eandem ſententiam tenuerunt, aut etiamnum viventes tenent. Edidi tunc nomina eorum, qui ſcriptis, aut diſputationibus, aut utriſque celebres ſunt, *Fr. Iunii* ſcil. *Gomari*, *Riveti*, *Maccovii*, *Vedelii*, *Dieſtii*, *Iſaaci Iunii*, *Heidani*. Quibus nunc addo Rev. & conjunctiſſimum collegam noſtrum *D. Maetſium*, qui in accuratiſs. *diſputationibus de perſona & officiis Chriſti*; & eruditiſs. *Theologum Iac. Laurentium*, qui in *exegeſi ſeu confeſſione fidei* vernaculè, eandem ſententiam ad ſtrophas Socinianor. & Remonſtr. tantò accuratius & expeditius reſecandas, apertè inculcant. Nunquam audivi, orthodoxiam eorum publice libellis aut epiſtolis apud literatos, aut ſuſurris apud illiteratos viros, pariter & fœminas, præſertim dignioris conditionis & ordinis, in ſuſpicionem adductam; quod in ſententiam Rev. & Clariſs. Theologi iſtius invita ἀκριβείᾳ & ἀκριβολογίᾳ philoſophicâ non deſcenderint. Cur ergo mihi hoc magis fraudi, quam illis: cum nullam hactenus rationem magis quam illi videre potuerim, quæ me cogeret vadimonium & ſocietatem

tatem sententiæ illius deferere? Quin etiam usque in hunc diem videre non possum, Cl. *DD. Professores Leidenses in censurâ Confess. Remonstrantiæ* verbis in *disp. meâ* citatis à sententiâ nostrâ, quod ad summam rei, dissidere: in quo suffragantem habeo Clar. D. Rivetum, cujus verba produco in *disp. appendice.* Si quis de eo dubitet, quærat ex ipsis censuræ autoribus, quorum per Dei gratiam ex quatuor adhuc duo superstites sunt; & conferat Nobiliss. ac Clariss. *D. Ioh. Polyandri à Kerckhoven 2. concertat. Socinianæ disp. 27. thesin 23.-27.* In iis quæ referuntur *p.* 40. de approbato *libello* eruditi & acuti viri-juvenis *D. Szydlovii*, qui veteranum illum & Clar. Theologum, illiusque theses perstrinxerat, fidem desidero. Quid in libello illo probaverim, quidque de quæstione illa, An Deus possit præcipere contrarium primo &c. Decalogi præcepto, *ibidem* contra *Theses meas de Iure & Iustitia Dei* ab eodem doctiss. viro-juvene disputata statuerim, docebit *lectorem epistola mea*, quam nuperrime *D. Szydlovius* cum *Mantissa libelli sui* edidit. Unde ergo excerpserit verba illa alio charactere excusa (quæ forte lector putabit esse mea formalia), fateor me ignorare. Hoc saltem scio, non esse descripta ex *meis litteris prioribus, aut posterioribus ad Szydlovium*; nec quidquam iisdem literis contineri quod vel minima specie probet amplificationes D. Szydlovii controversiæ de adoratione interjectas; sed potius contrarium. Sed de his pluribus agimus in 1. & 2. *parte disp. nostrarum tit. de Iure & Iustitiâ Dei, & de Personâ Mediatoris.* II. De crucibus in templorum turribus retinendis; adde, & reponendis, ubi collapsæ sunt, (pro iis enim contra theses meas sine ullâ necessitate contendit,) satis actum *in disp. de Staurolatria*: ubi probavi veram & tutiorem sententiam me sequi cum *Beza, Hospiniano, Daneo, aliisque reformatis*, quorum orthodoxia, zelus, & praxis in propatulo est. III. De poculis salutis, egi in *disp. de Sortibus, & de Ebrietate.* Si cui contra me & præstantissimos Theologos practicos in Belgio, alioque extraneos, inscribere placuerit; utique non deerit innoxiæ, tutiori, & minus scandalosæ, tum sententiæ tum praxi eorum qui malint excelsa ista Bacchi remota esse, suum patrocinium. IV. De precatione ad orientem, aut sub arbore idolis sacra, ita explicui me, & quidem in *prima editione Thesium* (quam examinator habuit), ut mirari non possim, quâ ratione, omissis limitationibus meis, quas ibi addo in casus positione, hæc abundans cautela, & innoxia determinatio mea hic perstringatur. Obtestor lectorem, ne quidquam statuat, antequam contulerit supra. *part. 2. thesin.* 3. & *thesin* 7. *probl.* 8. coll. cum *part.* 3. Si examinator rationes habere se putet, eas proferat, vel unam modo; qua probetur sacris literis & pietati hæc repugnare, aut saltem esse scandalosa: faxo videant omnes non minus promtum me

esse ad ܐܬܪܬܐ corrigenda aut tollenda ac illum ad eadem heterodoxiæ & scandali convincenda. IX. *Exceptio*: Collegium hoc nunc esse mere politicum. *Resp.* 1. Crambe passim reponitur, sed absque ulla explicatione aut probatione; in quonam consistat illa forma politica, quod sit proprium fundamentum collegii politici, qui fines, quæ propria ac distincta munera & opera politica, quibus illud collegium essentialiter distinguatur ab aliis fraternitatibus Marianis Annunciatæ, Scapularis, Rosarii, aliisque religiosis, si quæ istic viguerunt. Quo jure divino aut humano hæc unica *dulcis dominæ fraternitas*, non minus quam reliquæ omnes superstitiosa & abominanda, politizari seu sæcularizari, atque in eam à reformatis jurari, ac illa hoc stratagemate ex vi capitulationis, ab interitu & perditione vindicari poterit; reliquæ autem non potuerunt? Hic nihil respondetur, quidquid disquisiverim, & contra disputaverim *in libello meo p.* 216-265. Tantum mihi reponitur nudum technologema, *politicum*. Sed hâc ratione disquirentibus non satis fit. *Resp.* 2. Si nova illa ars spagyrica politizationis, seu sæcularizationis superstitiosorum & hierarchico-Papalium, semel apud nos locum invenerit; quis tandem erit finis? Quid non poterit fingi degenerasse jam in purum putum politicum; nec esse amplius pseudo-sacrum aut religiosum, aut Ecclesiasticum. Pergatur ad collegia flaminum, & augurum, Bonziorum Japonicorum, Inquisitorum, Cardinalium, Capuchinorum, Jesuitarum, &c. & sub illo titulo ac denominatione juretur à reformatis in antiquorum collegiorum erectiones, & statuta, atque ita propior Fraternitas cum rigidissimis Ethnicis aut Antichristi satellitibus ineatur; addita modo clausula, in *quantum non contrait religioni*, &c. Sed aliter hic censuit antiqua Ecclesia circa retinenda Sacerdotia Ethnica (ut jam ante ostendimus) quamvis non deessent illis fictiones, mixtiones, & incrustationes politicæ; & multo major incumberet necessitas, quam quæ nunc. *Resp.* 3. Factum malè refertur. Neque enim fuit politizatum illud collegium, uti examinator præ se ferre videtur. *Primo*, quia retinetur antiqua denominatio, seu invocatio nostræ dominæ (ut loquuntur in Papatu), sub quâ fraternitas à nostris initur, & in eam juratur: ita ut significatione antiqua & communi consequenter purè Mariolatricâ (quomodo in toto Papatu) à fratribus Pontificiis titulus ille etiamnum usurpetur. *Secundo*, quia juratur in primam & antiquam fraternitatis erectionem, omniaque ejus statuta: quæ aut in solidum, aut saltem quod ad formale suum, omniaque essentialia ac principalia fuisse pseudo-religiosa & Papistica non autem politica, certissimum est; & luce meridianâ clarius id probavi, in *libello meo*. Quibus nihil reponitur; nec in æternum, sat scio, quidquam reponi poterit.

poterit. *Tertio*, quia nihil fingi potest politici, quo negotiosum illud collegium singulariter agendo ad utilitatem *Reipublicæ*, ab aliis quibuscunque superstitiosis fraternitatibus Marianis illic olim florentibus, aut ab aliis vulgaribus collegiis civicis, distingueretur. Ut fuse *ibidem* disserui *pag.* 255-261. Si itaque plane politizatum dicendum esset, tollatur tota erectio, cum statutis, & juramento in ea; fiantque & consignentur exserte statuta politica; politizetur etiam denominatio à proprio munere politico desumta; & dicatur collegium *Eleemosynarium*: (nam ab accessoriis illis *convivale*, *confabulatorium*, &c. denominari non poterit; siquidem verum sit omnes ejus reditus in solidum nunc pauperibus assignari); Faciant etiam fratres singuli, quod omnes Eleëmosynari jure & in conscientia facere tenentur. Breviter fiat substitutio alterius & toto genere distincti collegii; & ejurato priori & antiquo, in illud juretur, siquidem jurandum sit. Vide quæ in *libello nostro* (*quatern. L. p.* 5. 6.) de tali transformatione & substitutione suggerimus; & de eleëmosynis quæ hic jactantur. *p.* 229.-234. Hoc si fiat à toto collegio, & quidem autoritate publicæ potestatis, sine quâ nova collegia erigi non debent: non arbitror posthac talem fore concursum aut contentionem novorum hujus collegii candidatorum aut Pontificiorum aut nostrorum, (qualis nunc optimatibus nostræ religionis, hâc vice præteritis, exprobatur *p.* 14. 21.) ut ambitu prævaleant. Eveniet enim illis aliis & substitutis *Eleemosynariis*, seu *caritatis* collegiis idem fere quod de comœdiis, reformatis aut reformandis, divinat Gul. Amesius lib. 5. casuum cap. 39. in fine: *Tolletur fere ipsa scena vulgaris; quia tam actoribus, quam spectatoribus destituetur.* XII. *Exceptio p.* 11. reponit excusationem, à necessario seu utili hujus interpolatæ, & mixtæ ex nostris ac Pontificiis fraternitatis. *Quod urbs deditionis legibus obtinuerat, ut sartum tectum sibi remaneret hoc collegium, &c.* Et quod *cum Ill. præfectus urbis cæterique qui ad clavum sedent non parum sibi metuerent, ex collegii illius coitionibus quotidianis, quod solis constaret Pontificiis, nec honestum sibi vel tutum putarent eas vi majori disturbare, eo rem deduxerunt, ut Pontificii eos admitterent in illud collegium, &c. Resp.* 1. Dubium quæ circa interpretationem legum deditionis movit *libellus meus pag.* 121. 155. 163. 165. 229. 237. 267.-272. ne mimino quidem digito attingitur: sed solum dictata priora nobis reponuntur. Provoco, advocatos fraternitatis, ut solvant illud: Cur nomine *Confraternitatum* (quam vocem in numero plurali habent articuli conventionis) magis intelligenda sit una individua seu singularis fraternitas, quam omnes aliæ fraternitates sacræ seu religiosæ. Dicant, quis in idiomate Belgico usus sit numeri pluralis? *Secundo*, cur nomine *Confraternitatum*, quæcunq; aliæ sacræ seu religiosæ à civicis collegiis seu gildis (quas sacro-

profanas vocat *Augustinus VVichmans*) distinctæ minus intelligantur; quam fraternitates Marianæ? *Tertiò*, siquidem Marianæ solę & non aliæ sint intelligendæ; cur magis hæc Mariana dulcis dominę, quam Mariana septem dolorum, aut annuntiatę, aut rosarii? Neque enim capitulationis verba restringunt ad genus Marianarum; nedum ad speciem seu individuum, Marianæ hujus vel illius, sub hâc aut illâ particulari invocatione, seu denominatione. Quod examinator historicè narrando, videtur velle εἰλολογεῖν: fraternitates Jesuitarum, & rosarii Dominicanorum, *ejectis Iesuitis & Dominicanis collapsæ sunt*: hoc scrupulum minime tollit. Quæritur enim an & cur ex vi capitulationis non possint instaurari, aut interpolari, absque Jesuitis & Dominicanis? Et cur voce pluralis numeri *confraternitatum*, illæ magis excludi dicantur, quam controversa hæc Helena? Præsertim cum sit semi-monachatus, non minus quam aliæ (vide *libellum nostrum p.* 272.-305.); & cum totus Papatus, tota hierarchia Papistica sit ejecta, non minus quam Jesuitæ & Dominicani; ejusque pars, aut syrma, aut umbra non minus fuerit cucullata fraternitas dulcis dominæ, quam aliæ Marianæ Monachatus Dominicani, aut Franciscani, aut Carmelitani, aut Jesuitici. Interpretatio legum capitulationis exspectari debuisset ab iisdem illis, qui eas tulerant: non vero fumi & theologicæ casus determinationi supponi, *Resp.* 2. De metuendis molitionibus hujus fraternitatis contra Rempublicam; deque remedio unico, aggregatione scil. nostrorum ad istam fraternitatem; satis multa dixi *p.* 165. 137. *usque p.* 208. & *p.* 225. 266. Ad quæ aliaque fere omnia contra minime theologicum consilium de interpolanda fraternitate, deque affectandis ac retinendis honoribus politicis (scilicet) Asiarcharum, & sacerdotiorum Gentilium disputata, cum nihil respondeatur nec etiam responderi possit; lectorem meum ad *libellum* remitto: ne actum agam. Idem dico de quæstionibus *pag.* 32.-47. *in epistola* propositis: quas omnes ita explicuit *libellus noster*, omnesque cavillationes, detorsiones, exceptiones, omnia effugia ita sustulit, ut nihil restet nisi silentium, aut artes illę, quas logici κακκύσμας, ἀπαγωγὰς, ἐπερώτησεις, ἀιτήματα & λήψεις τῶ ὃν ἀρχῆ indigitant. Inter quas eximiam & capitalem supra ex *p.* 18. *Epistolæ* ad illa verba; *nam hoc fuit propriè τὸ κεινόμενον*, &c. deteximus. Cui gemina est altera capitalis, *pag.* 39. denuo inculcata. Quod *protestatus fuerit, in thesi mecum illi convenire, scil. sodalitates Marianas in B. Virginis cultum religiosum institutas, esse idololatricas, neque quamdiu tales formaliter manent, à reformatis subeundas. Resp.* In *libello* jam dixi protestationem esse contrariam facto: siquidem per totam fere apologiam novæ seu innovatæ fraternatis Marianæ, theticas assertiones meas de Idololatriâ indirectâ oppugnat. *Deinde* negatur hanc esse thesin inter me alioſque,

lioſque, qui mecum ſentiunt, controverſam & à variis Theologis partim ad privatorum, partim ad eccleſiarum petitionem nunc determinatam. Sed hæc eſt, An Mariana fraternitas tali modo (uti præſumitur) interpolata, & ſatis ſuperque reformata, licitè, & piè ſubiri poſſit à reformatis, inque erectionem & ſtatuta jurari una cum Pontificiis, addita cautela, de non præjudicando, &c. Novit ipſe magno alicui Theologo quæſtionem iſto aut ſimili modo propoſitam, & à me in *diſp. de Idololatria* (quam refutare voluit) ita pertractatam. Quod nam enim dubium incidere poſſet apud reformatos vel rudiſſimos, nedum Theologos; de quæſtione: An Mariana fraternitas manens formâliter Papalis, affectanda ſit à reformatis. Quaſi dubitarent, an poſſint fieri Papiſtæ, ſacerdotes miſſifici, Papæ Romani, Jeſuitę, &c. *Reſponſio ad nonnulla particularia.*

Reſtant nonnulla in *epiſtola ad amicum*, ſed quæ aut ab hâc controverſiâ plane abludunt; aut modum agendi, aliaſque circumſtantias & factorum relationes concernunt, aut viros illos ſpectant, qui propius ea nôrunt, & annos habent ut pro ſe reſpondere poſſint. Nolo ego ex profeſſo ea conſectari; præſertim in hâc appendice, ubi Theſium mearum hyperaſpiſten agere inſtitui. Non poſſum tamen non indicare lectori meo inter alia, quæ me propius tangunt, contra hiſtoriæ veritatem recoqui *quod ſcil. directè & ex profeſſo, & operoſe admodum in optimates diſputaverim, ipſa urbe N. nominatâ, & omnibus illis circumſtantiis adhibitis, &c.* p. 14. *Quod illæ theſes mihi extortæ ſint unius hominis arte.* p. 14. Ad hæc *libellus meus* reſpondit, nec repeto: cum nihil addat examinator, ſed contra non pauca illic mihi & aliis objecta omittat. Inter quæ agmen ducit illud (quod vel ſolum publicam ſcriptionem ipſius in theſes meas concitaſſe videbatur) de optimatibus nominatim à me indicatis. De novo nunc alia adjicit, partim apertè & directè contra hiſtoriam; partim conſequentiis & conjecturis innixa. Prioris generis ſunt, *Quod propugnem ſciſma & Donatiſmum exſenioris.* p. 21. *Quod videar ex profeſſo patrocinari cauſæ fratrum Marianorum* p. 38. 39. *Quod Retorſionem miniſtri N. dicam candidè & ſincere emiſſam* p. 42. De his calumniis judicet lector, ſi cui tanti hoc erit, inſpectis modo *paginis libelli mei*, quas ipſe citat. Addit & aliam Ἀνεπιφοίαν, *Quod plures ex amicis me hortati ſint ad ſilentium, iiſque non obſecutus ſim.* p. 34. Hoc ubi probaverit lectori, tum demum credat. Ego hoc ignoro, & pernego. Aſſervo omnes epiſtolas amicorum ſuper hoc negotio ad me ſcriptas, inde conſtabit, ſi qui me aliquando conveniant, quid ſit de hâc hiſtoriâ. Certum eſt plures ex amicis & viris eruditiſſimis autores fuiſſe, ut caulam veritatis & pietatis tueri pergerem; idque me ſuſcepiſſe bonâ cum veniâ & de conſenſu Nobiliſſ. & ampliſſ. Magiſtratus noſtri, qui

acceptis

acceptis literis Nobiliff. & Ampliff. Senatus N. poſt auditas rationes meas, nec non judicium & conſilium Rever. facultatis Theologicæ, decrevit ſcriptionem pro Theſibus mihi permittendam. An examinatori autores fuerint amici partim ante ſcriptionem primam, partim poſt eam, & jam inde à Synodo Gallo-belgica, ut ignem hunc foderet; ego non dicam. *Poſterioris* generis ſunt, *Quod negem eam eſſe apologiam Optimatum*, p.43.44. Sic eſt; etiamnum pernego, ſub illâ diſtinctione ſcil., quam inculcat *libellus meus*. Nec hilum juvat ipſorum teſtimonium quod ſubjicitur. *p.*44. ut tute extra quærere poſſis; illique eam pro te præſtare teneantur, non tu ipſe. Idem mecum ſenſiſſe arbitror venerandam Synodum Gallo-belgicam; quæ alioquin te non notaſſet: *Quod ad ſingulas lineas dicteriis, cavillis, & convitiis eum impetam*, p.34.35. *Quod cavillatoriis conſequentiis ea extorqueo, quæ in ſenſum ſequiorem poſſent trahi &c. & quod conor lubricum & ambiguum facere, quod planum & clarum eſt nodum in ſcirpo quærens, & quod ambiguum feci, quam poſſum peſſimè interpretor.* p.36. Quod in ſcripto meo ſint multæ *cavillationes, & de ipſa quæſtione vel falſæ aſſertiones, vel parum aptæ rationes vel ingentes contradictiones.* p.43. *Quod cauſam privatam in re nihili, & verè de lanâ caprinâ, publicam faciam &c.*p.29. *Quod accuſem illum Arminianiſmi, ſyncretiſmi Grotii & Milletierii*, p. 30. Quod totum ſcriptum pro theſibus meis contra fraternitates Marianas, *ſit in perſonam non in cauſam.* p. 27. *Quod literis ad Senatum N. eum Remonſtrantibus, Sceptico-Libertinis, &c. annumerandum aſſeruerim.* p. 31. Hæc quidem omnia temere dictantur, non docentur. Quibus epithematis ſi cauſæ Marianæ medecinam facere ſe putat, longè fallitur. Hâc vice lectorem ad *paginas libelli mei* ab ipſo citatas ablegabo: ubi bonæ cauſæ, & rectæ intentioni meæ abundans patrocinium præſtabitur. *In epiſtola ad Senatum N.* non aſſero exſertè eum annumerandum Remonſtrantibus, Pontificiis, &c. ſed ſcriptum ejus contra Theſes meas tali modo editum, ſcriptis & libellis eorum eriſticis, quibus vexata & petita hic fuit Profeſſio mea. Atque hoc veriſſimum eſt, quod ad generalem rationem & modum agendi, & quod ad vexationem: quamvis longè alia ſit materia, & forma, & ſtylus. Ad extremum innuit ſcriptionis meæ *ἀίλωσιν* fuiſſe, inimium Theſium mearum, quas examinarat, æſtimium; quaſi *tanti mihi ſint Theſes meæ, ut grande nefas & piaculum, videatur admiſiſſe, quod aliquid ad illas magis, quam in illas commentatus?* p.41.42. *Reſp.* Ne ſumat ſibi judicium de conſcientia & intentione mea. Sed dicam logicè. Non debet imponi lectoribus rerum ignaris per fallaciam non cauſæ ut cauſæ. Cur ſcribendum duxerim non tantum ego, ſed amici, inter quos multi pii, graves, ac eruditi Theologi, cauſæ ſunt iſtæ, jam ſatis in libello propoſitæ. 1. *Primo*, ut

commu-

communem causam Dei, hoc est, pietatis, bonæ conscientię, ac Theologiæ practicæ, atque adeo Ecclesiarum nostrarum hâc in parte juvarem pro modulo: quam ego scriptione ipsius vulneratam censebam, & etiamnum magis ac magis in illâ sententiâ confirmor; sive ipsum scriptum, sive modum procedendi, sive tristem eventum considerem. De modo procedendi vide *libellum nostrum*, *p.* 431.434.435. & *præfationem*. Descripti materia, *p.*437.475. & *p.*306.-399. Et excerpta quæ exhibeo *p.* 28.-75. cum quęstionibus: quæ tantum manuducere protestor ad examen instituendum; uti notum est: minimè autem asserere aut determinare: quod mihi hactenus ignotum est. Nulla methodus scientifica, aut vulgata in ejusmodi scriptis hoc fert; quod persuasum velit examinator. Sed aliorum judicio hoc quidquid est committo. 2. *Secundo*, ut meam orthodoxiam tuerer, quæ publicè ab examinatore suspecta reddebatur, Brouwnismi, & purgatioris theologię (forte synonymum ejus in mente habuit, Puritanismum,) & nimii rigoris, & scrupulositatis in præjudicium libertatis Christianæ, &c. Vide reliqua, in *libello meo pag.* 394.-396. & in *disp. de Staurolatria part.* 3. Hæc autem causa tanto magis urgebat; quod publicè Theologia de Idololatriâ, quam thesibus illis profitebar, peteretur: scriptione clanculum paratâ & excusa, ejusque exemplaribus instar fulguris sparsis per Belgium una cum literis: quo animi & suffragia selectorum Professorum, concionatorum, Politicorum, aliorumque litteratorum, occuparentur, & meæ causæ obverterentur: dum ego interim omnium ignarus, ne verbulo quidem monerer nec per illum, nec per aliquem ex Optimatibus; quorum nonnullos usque in illum diem mihi fautores fuisse minime dubitabam. Non levis certè heterodoxiæ suspicio & quasi nota infamiæ in professionem meam & consequenter in novellam hanc Academiam conjecta videbatur. Cum alioquin paratissimus fuissem, quin etiam esse debebam, vel in ipsius, vel in unius solummodo optimatis gratiam, & ad primam quamque monitiunculam, non tantum nomen urbis, sed etjam quascunque alias dictiones immo & sententias inducere, quæ cuiquam offensionem præberent; modo salva mihi constitisset divina veritas, & bona causa quam intima conscientia tenebam. Quid enim facilius, & quidem absque ulla jactura principalis causę, fieri potuisset? cum exemplaria omnia essent in nostra potestate; uno atque altero forte excepto. Quod si nec hoc satisfeciisset; addi potuisset appendix, aut quarta pars disputationis, quibus uberius mentem meam, si quis hoc petiisset, exposuissem. Sed nunc proh dolor, serò nimis queri-mur: *Si mens non læva fuisset.* 3. *Tertio*, ut innocentia mea, rectaque ac sim-

plex intentio in casus illius determinatione omnibus innotesceret: apud quos metuebam, & metuebant mecum amici, ne gravissimâ suspicione laborarem, quasi volupe mihi esset in viros optimates incurrere, eosque παθεῖζειν: inter quos tamen aliquos propius noram, & tanquam religioni & ecclesiæ addictissimos patronos, mihique benevolos fautores suspiciebam. Si quid enim istic in illâ urbe contentionum, æmulationum, molitionum intercurrisset, quarum ego plane ignarus eram, ab iis volui me & conscientiam meam liberare: ne viderer fuisse unguis in ulcere, & alienæ libidini obsecundasse, stolidæque & carnali hujus mundi ambitioni, livori, odio, (quæ hic dominata fuisse *p.* 14. 15. 21. dicuntur) operam theologicam commodasse. Has facti mei rationes, quas ego non tantum, sed & Rever. facultas Theologica Inclyto hujus urbis Senatui cum probaverit, ipseque Senatus pro æquitate & prudentia sua hactenus eas admiserit, ut non sine expresso ejus consensu & autoritate inchoatam tunc rescriptionem pertexuerim: puto omnibus præjudicio in rem aut personam non occupatis, iis abunde satisfactum iri. Non poterat vulnerata causa à privatâ satisfactione, aut transactione (quam prætexit, *pag.* 34.) in integrum restitui: cum extaret liber publicus, sine cujus revocatione, aut saltem correctione, nec orthodoxæ professioni meæ in hâc Academiâ, nec pietati & theologiæ practicæ, nec communi ædificationi ecclesiarum satis consultum fuisset: uti novit me respondisse Inclyto Senatui urbis N. Eadem erat sententia eruditorum & prudentum, quorum super hoc consilium exquisiveram. Quid de libri ipsius ædificatione sentiant Clar. Professores Leidenses, aliique in scholis Belgii; facile colligitur ex determinationibus eorum contra interpolatam fraternitatem. Ne quis putet meam solius esse causam privatam, & privatim super ea mecum agendum; meque in eo difficilem fuisse. Minime: injuriam mihi faceret gravissimam, quisquis in hanc suspicionem me vocaret. Deus καρδιογνώστης hoc judicabit. Examinator rationes insolitæ scriptionis pro fraternitate, totiusque hujus processus ultimam analysin refert in imperium optimatum, de quo passim in hoc libello, imprimis p. 17. 18. *Si res fuisset simpliciter mei arbitrii, jam vir clariss. ab optimatibus, privatis literis præmonitus fuisset, priusquam publicè quicquam in illius theses ederetur; sed penes me non erat de illorum honore vel jure disponere: Deus illis in me dederat imperii autoritatem, solus obsequii gloria mihi relictâ.* Et p. 15. *Id denegare viris illis, &c. meis non modo amicis, sed & tunc temporis superioribus ac Dominis, integrum non fuit.* Et p. 41. *superioribus meis.* Notet lector. 1. æquitatem, quam adhiberi potuisse fatetur (addo ego & debuisse) quamque ipse adhiberi voluisse se dicit, non fuisse adhibitam. Quid ergo dices, ipsi agendum erat. Si monitis,

tis, obteſtationibus, interceſſionibus & conſiliis hoc obtinere nequiiſſet ab optimatibus (quod non credo, ut aliquos eorum propius novi), ipſe ſaltem officio pii viri, & fratris, & ſymmiſtæ non debuiſset deeſse. Quæ leges divinæ, aut humanæ, politicæ aut eccleſiaſticæ, quæ æquitas, quæ pietas, quæ caritas, quæ teneritudo conſcientiæ prohibebant ne ipſe me, vel per tertium quendam utrique notum & amicum, tribus verbis prius monuiſset potius, quam peremtorio ictu (uti ajunt) hoc eſt fulmine libri, & additâ libro felleâ mellitâ epiſtolâ (utor epitheto gravis & veterani miniſtri in epiſtolâ gallicè editâ) à Dan uſque ad Berſeba, tranſeunte perculiſset? 2. *Nota.* Nec aſsentandi gloriam, nec cœcam erga optimates & fautores obedientiam Chriſtiano, nedum Theologo convenire. Nemini enim tam ſimpliciter & ſerviliter auctoratum habere debemus animum, nedum calamum, ut *noſtri arbitrii non eſset* fratri & ſymmiſtæ ex regula caritatis, & dictamine conſcientiæ ſuæ bene velle, bene facere, deque publica ſcriptionis ſuæ editione, aliiſque circumſtantiis prudenti & pio viro hic ponderandis, *diſponere.* De cœcâ obedientiâ Papiſtarum, præſertim clericorum regularium, vide quid doceant Theologi reformati; inter alios *Rivetus in decalogum*, & *Davenantius in determinationibus quæſtionum.* 3. *Nota.* Hanc novam politicam & juriſprudentiam cum ſcientiâ rerum divinarum & humanarum minimè convenire; & Belgio noſtro hactenus inauditam eſse. Quid enim? an collegium Marianum, aut ἀποσπασμάτιον ejus, 14. ſcil. fratrum noſtræ dominæ (uti vocantur) ſunt ſuperiores, & legitimus Magiſtratus noſtri examinatoris, quibus Deus in ipſum *dedit imperii autoritatem, ſolius obſequi gloriâ ipſi relictâ.* Aut acurologiam iſtam non capio; aut hactenus ignorant cives, imprimis in Belgio, quinam ſint legitimus ipſorum Magiſtratus, quorum mandatis parere debeant. Quod ſi unus atq; alter, immo vel ſeptem, ex Senatu alicujus urbis una cum aliis civibus & quidem pleriſque religione Pontificiis ineant & conſtituant collegium aliquod Mercatorum, aut Muſicorum, aut gymnaſtarum, qui pilâ, diſco, curſu equeſtri, armis ſe exerceant; an ilico tale collegium, aut ſaltem pars ejus, imperii autoritatem in cives quoſcunque, & quidem in verbi miniſtrum exercebit, ita ut miſero illi ac ſervo theologo nihil niſi ſolius obſequii gloria teſtaret; quotieſcunque ipſis viſum ſit ſcriptionem publicam pro particulari quâcunque cauſâ ſive mercatoria, ſive Gymnaſtica collegium ſuum concernente, Theologo illi contra ſymmiſtam aliquem imponere? An putant piè eruditi Theologi ſe jure divino ad talem obedientiam teneri; quamvis aliter vellent, aliter etiam hic agendum ex æquitate & caritate, conſcientia propria ipſis dictaret, juxta *Philipp.* 4. 5. 4. *Nota*, Optimates Marianos, quorum no-

mina indicavit, non facere illic omnes partem Magistratus urbici, cujus jurisdictioni & imperio ille, jure divino aut humano subesse debuisset; nedum ut ipsorum collegium, conventus, decretum, mandatum pro collegio, conventu, decreto, mandato publico Magistratus, habendum sit. Nemo eorum hoc dicet. Absurdissima hæc esset imperii & jurisdictionis confusio, intoleranda scientiæ politicæ adulteratio. Erant inter illos Optimates, qui privati erant, nec Magistratum unquam gesserant. Erant & præfecti militares, quibus imperium in ipsum non magis competebat, quam civis aliquis idemque concionator, dicendus sit stipendiarius & præsidiarius miles. Sed excipiat quis, aliquos tamen ex illis optimatibus, immo plerosque fuisse partim scabinos (penes quos illic ordinaria & quotidiana politiæ administratio), partim urbis Senatores seu consiliarios, uti vocant. Rectè: sed quis dicet eos ut fratres Marianos & quidem in illo segrege ac partiali conventu una cum aliis quibusdam fratribus non-senatoribus in eodem gradu constitutis, particularem & propriam causam Marianam particulari & privato arbitrio (non vero publicâ collegii alicujus publici, aut Magistratus autoritate) illic agentibus, Scabinorum ac Senatorum potestate usos fuisse? Scabinis seu Senator, cum Mariano fratre per accidens combinatur, haut aliter ac Musicus cum fabro lignario; uti ex vulgaribus dialecticæ elementis notissimum. Si quis ergo Musicus, Gymnastes, Marianus frater, Mercator, Ecclesiæ senior, Advocatus, Medicus, quà talis, sive seorsim in domo privata, aut convivio privato, sive in collegio suo collegialiter una cum aliis civibus collegis suis quid statuat aut agat in particularibus rebus & negotiis suis, iisdemque accidat ut sint membrum aut pars Senatus, quod tamen aliis collegis Musicis, Medicis, Advocatis, &c. non accidit, an ilico ipsorum statuta & acta erunt publicæ potestatis, & imperii. Tempore Papatus Advocati illic pro causâ aliquâ aut contra consulere solent tanquam Advocati (nescio an lege, an conniventia, & more malo; saltem factum est;) iisdemque accidebat, ut essent scabini, & tanquam tales juxta cum aliis scabinis in eodem collegio judicio publico eandem causam terminarent. Nemo tamen dicet, privata advocatorum istorum consilia & postulata privatim extra collegium scabinorum, concepta & communicata, totidem fuisse publicæ jurisdictionis & imperii judicia publica: ita ut post ea, nihil relinqueretur litigantibus, nisi *solius obsequii gloria*. Nunc applica ad præsens negotium. Collegium Marianum, quod non puto nunc amplius Papaliter esse ἀκέφαλον & extra jurisdictionem Magistratus; quid dicam collegium, tantum pars istius collegii & quidem minor, seorsim & privatim sive in camerâ Marianâ, sive alibi conventum quem habuisse dicitur, & ibi tanquam

quam Mariani fratres, læsi à me, (uti ipsis perperam persuasum doleo ab eo quem decuisset potius scrupulum aut molestiam illam exemisse & leniisse) eadem qualitate & sub illo formali decrevisse, publicâ apologiâ theses meas oppugnandas, hancque operam ab Examinatore nostro instanter per solennem deputationem ad ipsum institutam (*p.* 13.) esse flagitandam; quippe qui antea in casu conscientiæ consultus ipsorum factum approbasset; ad hæc Theses meas, ni fallor, in sequiorem hunc sensum exposuisset. Ubi nunc hic parendi necessitas aut gloria? ubi imperii autoritas, magis, quam si optimates aliquot Jesuitarum, Capuchinorum, Flaminum, augurum, Inquisitorum, Cardinalium, pœnitentiariorum, &c. collegium sed politizatum, ingressi, pariter ipsius operam per deputatos suos postularent. Nulla hic comparet curia, nulla convocatio, nullus conventus Magistratus, nulla suffragia, aut decreta collegialia & curialia, nulla acta publica, nullius actuarii publici subsignatio, nullius ministri seu apparitoris publici denuntiatio, nulla examinatoris in curiam evocatio, ut mandata Magistratus sui illic audiret: quomodo in exercitio regiminis & autoritatis publicæ solemnia illa communiter servari videmus. Hæc lectoribus rerum illic gestarum ignaris prolixius inculcanda erant, ne putarent publica Urbis seu Magistratus autoritate hanc scriptionem Examinatori impositam; quam propterea nefas fuisset detrectare. Ipse nobilis. & amplis. Magistratus in literis suis ad me exserte distinguit se & collegium suum, à Collegio seu Societate quorundam Marianorum, pro quorum facto, & ad quorum placitum ac postulatum apologiam scripserat: & refert Marianos *fratres sibi indicasse*, à se postulasse, &c. Quamvis ad testimonium Optimatum non vero in illud, hæc pauca dici possent: non comparere in subsignatione Illustre illud nomen, cujus splendor Marianæ causæ perpetuo obtenditur: Nec declarari; optimates proprio ingenio & motu hanc injuriam, quæ ipsis illata dicitur, tam perspicaciter vidisse in thesibus meis, & tam profundè sensisse, absque glossatore aliquo; ad hæc se consilium inivisse & statuisse de edenda per ipsum apologiâ, perque deputatos ab eo instanter hoc flagitasse, priusquam ille cuiquam illorum consilium hoc suggessisset; aut operam suam obtulisset sive per se sive per alium, directè aut indirectè: Multo minus declarari; se approbasse totam apologiam, quod ad hypothetica & thetica, omniaque iis contenta suscepisse præstanda, quæ theologiam practicam vellicant. Denique non declarari; se voluisse ita scribi, ita edi, ita spargi, tales per artes, præventiones, circumventiones, de quibus *in libello meo* conquestus sum; seque noluisse, ut privatim prius monerer, ne quidem per ipsum examinatorem. Hæc omnia si in testimonio illo exstarent, paululum forte le-

te levarent ipsius causam, non tamen ex malâ facerent bonam: uti ipse opinari videtur. *p.* 26. Dato enim omnia hæc ita acta fuisse, ab ipso Magistratu, publicâ autoritate, decreto collegiatim in curiâ facto (uti revera non sunt); an ideo ministerium ecclesiasticum qua tale, & conscientia ac scientia Theologi, & utriusque exercitium per se, necessario, & directè subordinari dicendum esset Magistratui quâ tali; ab ejus potestate ac decretis politicis in exercitio muneris sui absolutè ac simpliciter jure divino sic dependere; ut nullus casus esset, in quo suadente æquitate & caritate Christiana modestè excipere liceret cum apostolis *Actor.* 4. 19. & 5. 29.? Non arbitror hanc esse Theologiam Reformatam. *Pretio enim emti estis, ne estote servi hominum*, ait Apost. 1 Corinth. 7. 23. *enim vero si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Idem Galat. 1. 10. Ut jam non dicam distingui à Jureconsultis, Magistratus aut Principis causam publicam, à particulari seu propria: hic pari passu non ire nec concedi autoritatem, judicium, & mandatum ipsius. Sed hoc nihil ad nos. Sufficit, hanc causam Marianam esse particularem tum ecclesiasticam, tum in casu ac foro conscientiæ: & pariter utrobique dijudicandam (sive Senator sit, sive medicus, sive miles, sive Mercator, quem ea tangat); non vero politicam & publicam, scemate publicæ & sacræ potestatis Magistratus velandam. Quidquid enim hic fingitur, nunquam quæstio de *symbolizatione* cum Idololatris transformari poterit in materiam status. Atque hæc sufficiant pro responsione ad præcipua quædam capita libelli illius, qui à Thesium Examinatore nuper editus fuit. Quæ *in principio ejusdem libelli à p.* 1.-11. *& in fine p.* 51. 52. de pace & moderatione in genere dicuntur, placent: tantum optandum, ut rectè & hic & alibi applicata fuissent; adhæc ut medium libelli principio & fini concinne respondisset.

Quia in Disp. de Idololatriâ indirectâ quæstionis de confraternitate Marianâ determinatio, ejusque defensio in appendice occurrit, visum est hic inserere responsum facultatis nostræ theologicæ à me de mandato collegarum communi nomine tunc conceptum, & ab iis lectum relectum, approbatum, atque anno 1644. una cum judiciis & responsis variorum theologorum Delphis editum apud Andream Cloetingh in 12.

Quæstio proposita à Classe Gorinchemensi Facultati Theologicæ Ultrajectinæ, Mense Jun. 1643.

QVum in Papatu sint Confraternitates Dominæ nostræ prout vocari solent, quarum membra peculiari ratione supra Pontificios alios communes, idque juramento interposito, se obligant ad cultum virginis Mariæ, ad missarum celebrationem & preces pro mortuis statis temporibus obeundas, & c. secundum regulas & leges comprehensas certo libello, dicto, Dominę nostrę Fraternitas: Quæri-

Quæritur.

An membris Ecclesiæ Christianæ Reformatæ, salvâ conscientiâ, liberum sit se unâ cum Pontificiis, tali Fraternitati adjungere, sub certis conditionibus, (quales in instrumento quodam transactionis inter reformatos & Pontificios alicubi edito, expressa sunt) idque sub solemni juramento, quo se adstringunt ad protectionem & conservationem prædicti illius collegii pro nosse & posse.

Responsum Facultatis Theologicæ Acad. Vltrajectinæ ad quæstionem à Classe Gorinchemensi propositam.

Responsio.

AD hanc quæstionem omnibus in timore Dei perpensis, respondemus negando, ducti his rationibus sequentibus.

.I *Argum.* Ingressus & juramentum in fraternitatem, non est sine Idololatriâ ad minimum indirectâ & participatâ: symbolizat enim, colludit, & communicat cum superstitione & idololatria Papistarum idque multis modis.

1. Quia suscipitur & assumitur à reformatis titulus seu denominatio fratrum Marię, seu nostræ Dominæ (sic enim vernaculo idiomate perpetuo appellantur.) Quod uti in genere Christianis illicitum est, juxta 1 *Cor.* 1. *v.* 12. 13. Sic imprimis hic implicat & dicit specialem respectum patrocinii, invocationis, & cultus Mariæ, omnisque idololatriæ Papalis, nec non specialioris obligationis ad illa. Hoc enim, & nihil aliud titulus seu denominatio fratrum & fraternitatum Mariæ in toto orbe significat, juxta primam institutionem & perpetuum ac communem usum. Atqui talia nomina talesque denominationes abolendas à nobis, quantum fieri potest, constat ex *Hos.* 2. 16. *Zachar.* 13. 2. *Psal.* 16. *vers.* 4. *Deuter.* 12. 3. ne quid dicamus de titulo nostræ Dominæ, qui B. Virginis Deiparæ secundum Papisticam & communem acceptionem nullo modo tribui potest: quia unus est, Dominus noster spiritualis Jesus Christus 1 *Cor.* 8. *v.* 6. *Act.* 2. 36. *Matth.* 28. 18. *Ephes.* 1. 21. 22. 1 *Pet.* 2. 25. & 3. 22. *Heb.* 13. 20. Una etiam regina & Mater Spiritualis. Sed per metaphoram metonymicam, dicitur Ecclesia, nec potest dici Maria Domina nostra, propter potestatem aliquam Politicam, Oeconomicam, quæ illi in nos competeret: quia partem nullam habet inter vivos *Eccles.* 9. 6. nec potestas talis jure divino aut humano Mariæ tributa aut tribuenda legitur.

2. Quia memoria originis atque observationis idololatricæ & papisticæ hujus Fraternitatis hâc ratione non aboletur, sed potius honorari ac conservari videtur, esse autem hanc Fraternitatem juxta cum omnibus aliis

liis Marianis tum origine tum forma eſsentiali papiſticam & mariolatricam inde conſtat quod in tenebris papatus ex corpore Antichriſtiano ſeu Papali à Clericis Papalibus ductu & auctoritate Sacerdotis & epiſcopi papalis, primum conflata, & conſtituta à Papa Romano confirmata & poſtea continuata ſit, idque ad Idolomaniæ Papiſticæ & Mariolatriæ conſervationem & incrementum ut ex erectione & ſtatutis ejuſdem, nec non ex collatione aliarum fraternitatum colligitur. Jam vero veſtigia & monumenta talium abominationum non conſervanda, ſed plane abolenda eſſe docemur *Zachar.*13.2. *Hoſ.*2.16. *Deuter.*7.5.6.& 12.2.3.2 *Reg.*18.4.& 23.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.

3. Quia Fraternitatis hæc Mariana eſt idolothyton, & conſequenter, qui in eam una cum Papiſtis aſcribitur ejuſque conſœderationem ac communionem titulo, aliiſque ſignis & formalitatibus profitetur, tantundem facit, ac ſi veſceretur idolothytis: quod tam ſevere prohibet Apoſt. 1 *Cor.*8.4.collatum cum *cap.*10.7.14.18.19.20.& 21. *Apocal.*2.14.20.24. *Actor.*15.20. eſse autem fraternitatem hanc idolothyton probatur, quia tum ex ſe & per ſe, tum ex inſtituto & intentione papiſtarum eſt pſeudoſacrum, hoc eſt, proprium & conſecratum inſtrumentum, medium & ſignum myſticum promovendę, conſervandæ, exercendæ, profitendæ Mariolatriæ, omniſque idololatriæ papalis in Miſſis, ſuffragiis pro defunctis, pſeudofeſtis, horis canonicis, roſariis &c.

4. Quia eſt propior & ſpecialior conſociatio & confœderatio fidelium, cum idololatris, idque ſub expreſſo titulo ac ſigillo ſeu ſub expanſo vexillo & inſignibus idoli, noſtræ ſcilicet dominæ; quam in horrendum idolum pontificii quantum in ſe eſt præſertim erectionibus fraternitatum, transformarunt. Atqui tales propiores conſociationes, confœderationes, & fraternitates ad mutuam ſui & collegii Mariani ex fidelibus & idololatris conflati defenſionem non conveniunt cum 2 *Cor.*6.14.15. 16. 17. *Eph.*5. 12.14.15. *Pſalm.*1. 1. collat.cum *Pſalm.*16.3.4. nec cum iis, quæ docent theologi de Fraternitate communi omnium fidelium inter ſe, & de ſpeciaſiori amicitia & familiaritate quorundam in illâ fraternitate. ex. gr. Pauli & Timothei *Philip.*2.20. 1 *Theſſ.*3.2. Idololatrę ſeu Pontificii (ſaltem rigidi Antichriſtiani & clerici) non agnoſcunt noſtros fratres, nec noſtri viciſſim illos, ſecundum communem rationem religionis: multo minus Fraternitatem magis ſpecialem animitus & coram Deo inire poſſunt, idque interpoſita religione juramenti. Accedit, quod theologi confœderationes cum infidelibus idololatris aliiſque à verâ religione alienis non concedunt niſi ſummâ cum circumſpectione & limitatione, tantum eo in caſu cum reſpublicæ neceſſitas aliter non fert. Conferatur. *Martyr. loc. claſſ.* 4. *cap.*

4. *cap.* 16. 21. cum *Riveto in commentario ad Hoſ. cap.* 14. jam vero controverſa hæc confœderatio fidelium & idololatrarum nec intercedit inter rempublicam & rempublicam, nec inter ſubditos & magiſtratus ejuſdem reipublicæ, mediante ſcilicet juramento fidelitatis, ex neceſſitate publicâ: per conſequens omittenda eſt plane, non vero anxie & otioſe à noſtris limitanda.

5. Quia infert participationem cum Mariolatria omnique ſuperſtitione fratrum Pontificiorum ejuſdem collegii, quam illi ex vi fraternitatis Marianæ & ſpecialis obligationis ſuæ exercent, aut exercere poſſunt, ſaltem teneri ſe putant in conſcientiâ ſuâ Papiſticâ, idque partim privatim ac ſeorſim ſive domi ſive foris; partim collegiatim, ſive in clandeſtinis cœtibus eccleſiaſticis Romano Papalibus, ſive in ſegregibus conventibus Marianis. Quamdiu enim per reformatorum ingreſſum & juramentum ſubſiſtit, viget, conſervatur fraternitas Mariana; excuſare ſe nequeunt quin pro parte ſuâ præſtent fulcra & Stylobatas ejus collegii ac confœderationis, qua obſtrictos ſe tenent & utuntur fratres Pontificii ad ſpecialem Zelum & exſuperantiam Mariolatriæ, omniſque idololatriæ Papalis; idque ex vi erectionis, & juramenti antehac ſolemniter ad ingreſſum fraternitatis præſtiti, qui enim directe & immediate conſtituunt, ſuſtentant, conſervant, pro noſſe & poſſe collegium Marianum quod ex natura ſua communique inſtitutione & ſpeciali erectione, nec non perpetua & ſpeciali intentione papatus & fratrum in illo collegio Pontificiorum inſervit ſtatuminandæ & promovendæ idololatriæ, illi etiam conſequenter, indirecte & mediate promovent & ſuſtentant Mariolatriam & confirmant manus idololatrarum: quicquid contra proteſtentur, & longe aliam ac meliorem ſuam intentionem prætexent.

II. *Argum.* Profanatur religio juramenti: dum non juratur in veritate, judicio & juſtitia juxta *Ierem.* 4. 2.

1. Quia reformati fratres jurant in conſervationem fraternitatis in obſervationem omnium ejus ſtatutorum, in primam ejuſdem erectionem, juxta capitulationem (urbis ſcilicet Sylvæducenſis anno 1629.) in quantum non contraibunt Provinciarum Fœderatarum ſtatui ſeu Politiæ & Religioni, ut habet formula juramenti & *inſtrumenti tranſactionis articul.* 11. & 12. quod juramentum non minus abſurdum & contradictorium eſt; quam ſi quis juraret in inſtitutionem & ſtatuta Mahumetiſmi, Ethniciſmi, Papiſmi aut pro conſervatione erectionis & collegii flaminum, augurum, Jeſuitarum, Inquiſitorum, Capuchinorum &c. in quantum ſcil. non contraveniunt religioni. Religio reformata directe repugnat erectioni & ſtatui dictæ fraternitatis Marianę. Adhęc forma ejuſdem

dem fraternitatis, quam & quatenus urbs Sylvæducensis in capitulatione eam stipulata est, eandemque usque ad 27. Februar. 1642. habuerunt & observarunt fratres Pontificii, repugnat eidem religioni reformatæ: non debuit ergo jurari in fraternitatem ejusque statuta sive juxta primam erectionem sive juxta capitulationem: præterquam quod obscuritate & ambiguitate non minimâ laborent verba illa *Provinciarum fœderatarum Statui & religioni.* possunt enim accipi & exponi aut de repugnantiâ absolutâ & totali, aut de repugnantiâ aliquâ & secundum quid. quod si posterior tantum intelligatur (ut intelligi potest) jam nihil aliud excipitur, quam tales observationes fraternitatis cessaturas, quæ publicam superstitionum pompam in plateis, templis, funeribus, processionibus &c. requirebant. Hæc enim consistere nequeunt cum Politiâ & publicâ religione fœderati Belgii.

2. Quia Pontificii jurare dicuntur una cum Reformatis in collegium illud prout jam per transactionem ab omni superstitione reformatum & in aliud pure politicum transformatum fuisse dicitur. & tamen inhærent antiquo suo juramento, quo jurarunt in illud collegium pure & crasse idololatricum. Promittunt enim per Mariolatricum illud juramentum in ingressu collegii idololatrici ante hâc præstitum se novam hanc mutationem collegii servaturos, quod absque manifestâ contradictione, aut fraudulentâ æquivocatione fieri non potuit: quasi quis per juramentum olim Papismo aut Mahumetismo in ingressu collegii alicujus præstitum promitteret, se servaturum novam collegii ejusdem reformationem, quâ omnis Papismus & Mahumetismus expurgatus esse dicitur.

3. Quia ab aggregatione nostrorum & Pontificiorum in eandem fraternitatem, & à sociali hoc juramento, quod utrique præstare dicuntur abesse videtur fides, sinceritas, & columbina simplicitas, quam pietas & fraternitas Christiana requirit. Merito enim præsumitur fratres Pontificios hâc transactione & hoc juramento contra ac Reformatos intendere sive Mariolatriæ sive monumenti Mariolatrici conservationem, imo & plenioremrestitutionem, si fata: aliquando hoc ferant. suspecta sunt enim verba transactionis artic. 11. *ita tamen, ut stipulatione & juramento in hos articulos Romano catholici fratres in conscientiâ & privato religionis suæ exercitio non graventur.* & artic. 15. *interim custodiæ præpositorum religionis Romano catholicæ committentur & ea mobilia quæ antehac officium suum divinum spectabant sic tamen ut eorum specificationem exhibere teneantur,* quis affirmabit nobis non intendere Pontificios exercitia antiquæ Mariolatriæ in privatis & clandestinis suis cœtibus tum ecclesiasticis tum Marianis? illos cœtus haberi nimis notum est: istos quin pro re nata subinde instituant nemo prohibere

hibere potest; nec etiam prohibet vel minimum jota transactionis. Ipsi reformati, segreges cœtus jam habuisse videntur in quibus tractarunt ea, quæ peculiariter ipsos concernunt, atque adeo Pontificiis viam monstrasse. An ergo tale juramentum & talis fraterna conspiratio libera sit ab omni æquivocatione, mentali reservatione, & occultatione judicent prudentiores.

III. *Argum.* Ducitur à noxiis, periculosis, & absurdis consequentibus.

1. Quia periculosam consequentiam facit ad quosvis alios titulos, status, collegia superstitiosa & papalia, aut stabilienda, aut denuo revocanda, juramento in erectionem & statuta antiqua præstito sub distinctione illa, *quousque non contraveniunt religioni.* Qualia sunt Mariæ de septem doloribus, de Scapulari, Annunciatę &c. adhæc venerabilis sacramenti, passionis domini, Josephi, equitum religiosorum seu militum ecclesię, quorumvis monachorum & monialium, Cardinalium, Inquisitorum &c.

2. Quia zelus & reformatio ecclesiarum, ac Politiarum Belgii, à quibus abolitæ sunt fraternitates Marianæ, non autem reformatæ aut interpolatæ, haud obscuræ ignorantiæ, aut imprudentiæ, aut heterodoxæ præcisitatis argui videntur.

3. Quia hâc ratione insanabile magis redditur hoc fraternitatum cacoëthes, multis in ipso papatu satis molestum. Cum enim nostri eas subeunt, malum tam bene collocabitur, ut vix spes futura sit, facilius id loco moveri posse quam integrum papatum: quod experientiâ in similibus non raro comprobavit. Inprimis hoc metuendum si duces & principes illi aliquando inserantur juxta *artic.* 10. *transact.*

4. Quia dato non concesso, collegia hæc Reipublicæ esse salutaria & utilia: sequitur hâc *transactione artic.* 8. & 9. dimidiam partem imprudenter nimis addici Pontificiis, atque ita spem omnem ulterioris mutationis in melius perpetuo præscindi.

IV. *Argum.* Committitur species mali contra 1 *Thess.* 5. 22. coll. cum *Judæ vers.* 23. & *Philip.* 4. 8. externis enim formalitatibus & actionibus conformant se nostri Marianis fratribus sub Papatu, atque adeo cum iisdem in ipsâ re colludere videntur, quamvis longe aliter sentiant, & aliud quid intendant. Intentionem & interiorem sensum eorum, omnes non ita semper vident aut audiunt; exteriores actiones, titulos, formalitates vident & audiunt, amici pariter atque inimici, pii atque impii, docti atque indocti, cives atque extranei.

V. *Argum.* Quamvis dubium esset de licito & illicito in se (uti esse non debet) saltem constat scandalum non uno modo præberi, contra 1 *Corinth.* 8. 9. & 10. *v.* 31. 32. 33. *Matth.* 18. 6. 7. 8. 9.

1. Pontificiis in communi, qui putabunt reformatos hâc in parte propius ad ipsos accedere, nec à fraternitatibus Marianis, aliisque institutis Papatus ita abhorrere, ac prædecessores nostros ac primos reformatores: consequenter hinc forte concludent nostros jam tacite agnoscere verissimum esse illud, quod celeberrimus *Grotius in pietate D. D. Ordd. Hollandiæ* antehac objecit reformationi Belgicæ: *Excessit medicina modum.*

2. Marianis fratribus in fraternitatibus quibuscunque sub Papatu, præsertim in hâc controversiâ; Illi enim dum de talibus fratribus, & de tali honore fraternitati suæ habito sibi plaudunt, in instituto suo magis animantur; cujus alioquin cum tempore potuisset eos pudere.

3. Hominibus simplicibus in bivio constitutis: qui ubi viderint nostros cum Papali factione, imprimis peculiari vinculo Mariano astrictâ, in unam fraternitatem tam amice conspirare posse, minus ab eâ sibi cavere incipient, aut tam procul à Papalibus inquinamentis fugere ac nostri theologi quidem illos fugere velint juxta *Apocal.* 18. *v.* 4. 2 *Corinth.* 6. *vers.* 17. 18.

4. Reformatis in cognitione adhuc rudibus aut in fide infirmis, aut in pietate tepidis: qui hâc ratione facilius eo prolaberentur, ut cum conscientiâ aliquâ *nostræ Dominæ*, aut cultus alicujus Deo ad salutem placentis sive isthic sive alibi Marianam fraternitatem affectarent & subirent. Expendatur ratio Apostoli 1. *Cor.* 8. *v.* 7. 9. 10. 11. 12. 13.

5. Reformatis in fide ac pietate maxime confirmatis & Zelotis: quos tristitiâ affici & ingemiscere indubium est. Provocamus ad tacitos gemitus & apertas querelas piorum in Belgio nostro, ad quos fama hujus novæ fraternitatis pervenit.

6. Posteris nostris: qui aliquando occasionem hinc arriperent ulterius prolabendi, & de propiori Syncretismo Papistico cogitandi. Ita in V. T. excelsa relicta posteris occasio fuerunt redeundi ad vomitum antiquæ idololatriæ.

VI. *Argum.* Addimus consensum piorum & sapientum. Hic enim in moralibus & conscientiæ casibus, etiam cum rationes controversiam non tam liquido determinant, aliquid momenti habere solet apud conscientias piorum, qui in tutiorem partem inclinare malunt, quam non abstinere à re aliquâ, à quâ sine læsione conscientiæ, ignominiâ religionis, scandalo proximi facillime abstineri potest. Antiquæ ecclesiæ sensum & praxin exhibet Concil. Elberinum can. 55. *Sacerdotes qui tantum coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumptibus aliquid ad idola præstant, placuit post biennium accipere communionem.* Conferri hic possunt quæ unus ex nobis congessit in *disp. de Idololatria indirecta part.* 1. *thesi ultima* quæ idem

ex

ex *observationibus Gabrielis Albaspini* Episcopi Pontificii seorsim edidit ad illustrationem canon. Eliber.

Consensum ecclesiarum reformatarum evidentissime demonstrat perpetua praxis earum, quæ hactenus omnes fraternitates Marianas, ubicunque fieri potuit, funditus tolli curavit. Ut jam nihil dicamus de analoga expurgatione nominum titulorum, ceremoniarum, observationum aliorumque idolothytωn, quæ vel minimam Papismi speciem aut umbram habere videbantur. Hic provocamus ad constitutiones ecclesiasticas & acta Synodalia & classium & Synedriorum.

Responsio ad præcipuas quasdam objectiones & exceptiones.

1. Repurgata est fraternitas ab omni superstitione; quandoquidem Pontificii & reformati pariter juramento suo ejurasse intelligendi sunt quicquid repugnat reformatæ religioni: ut videre est *in artic.* 11. *transactionis*. Ergo adiaphorum & licitum est in eam adscribi. *Resp.*

1. Dato absolute & in se hoc non esse illicitum; non tamen sequitur conducere & ædificare. Tam exacte etiam rem totam fraternitatis sublatam, solumque cascum titulum relictum, nondum credunt nec satis vident aut Pontificii aut Reformati, consequenter species mali, & ratio scandali sublata non est. Tantisper ergo tutissime abstinetur.

2. Negatur ex verbis illis *artic.* 11. intelligi posse fraternitatem, & juramentum in ejus erectionem ac statuta jam liberata esse ab omni superstitione. Ipsa fraternitas debuisset tolli, non reformari; quia essentialiter & formaliter est Mariolatrica & superstitiosa non tantum quoad titulum seu denominationem, sed quod ad ipsam societatem ac confœderationem pseudo-sacram, pseudo-ecclesiasticam, pseudo-spiritualem cum omnibus requisitis, adjunctis & finibus suis: uti prolixe probatum est ab uno ex nobis in dicta *disp. de Idololatria indirecta*, & in *libello de Fraternit. Marian.* cui titulus *Specimen assertionum &c.*

3. Tantum abest ut omnia superstitiosa communibus collegii suffragiis in specie abrogata sint (quod tamen fieri debuisset, ut omnes fraudes & æquivocationes procul essent à confœderatione & juramento,) ut contra exserte retenta sit lectio euangelii Johannis *artic.* 22. & instrumenta missatica *artic.* 16. & fraternitatis denominatio à Virgine Maria *artic.* 1. & 3. Reliqua omnia in prætensâ reformatione præterita, enumerata sunt ab uno ex nostris *in libello* modo *citato p.* 251. 216. *usque* 229.

4. Quicquid reformatum dicitur, manet tamen prima erectio Mariolatricæ fraternitatis, & in eam solemniter juratur; uti habet transactionis *artic.* 11. & 12. & formula juramenti *ibidem* expressa & articulis subjecta.

II. Est collegium nunc pure politicum, nihilque in eo est religiosum, aut superstitiosum. Ratio gemina est, quia jam inde à primâ erectione maximam partem fuit politicum, & quia nunc per & post ingressum reformatorum est politizatum, formali ejus plane sublato; quamvis materiali, hoc est, personis iisdem manentibus, ut & titulo seu denominatione, solius discriminationis causa. *Resp.* 1. Antea in Papatu non fuisse politicum, satis evincit *libellus fraternitatis*, continens ejus erectionem & statuta: in quibus nihil fere politici comparet. 2. Nec speciem veri habet quod dicitur, nunc esse transformatum in politicum per dictam transactionem. Nam verba illa *artic.* 11. quæ obtenduntur tanquam transformantia (ita loquamur) ad illud non sufficiunt, tum quia ambigua sunt, ut modo dictum est; tum etiam quia contradicunt electioni & statutis fraternitatis in quæ juratur: Si enim verba hæc fingantur efficere aut dicere collegium politicum seu sæculare; erectio contra & statuta manifeste efficiunt & dicunt collegium religiosum, sacrum, ecclesiasticum. 3. Nec credendum est Pontificios sive extra sive intra collegium illud sentire, esse illud pure novum politicum priori Mariano pure aut saltem majorem partem religioso substitutum. Hoc enim si sentirent; debuissent aperte ejurare antiquam fraternitatem Marianam, qua talem, prout jam in capitulatione stipulati esse dicuntur; & jurare in novam societatem politicam seu secularem, toto genere à priori distinctam. Atqui hoc factum esse minime docet transactio: quin aliunde constat eos inhærere priori & antiquo suo juramento: quod præstitum erat in erectionem & statuta pseudo-sacræ & religiosæ, etiam cucullatæ & tonsę fraternitatis Marianæ. 4. Nihil habet transactio de peculiari formâ, ratione, & functione politica; quæ præsentem interpolatam seu substitutam fraternitatem constitueret, & ab aliis omnibus tum religiosis tum profanis seu civilibus essentialiter distingueret. Ex antiquis statutis si quis huc trahat funera, agapas seu convivia, eleemosynas, mutuam sui defensionem contra quosvis, videatur quid ab uno ex nobis responsum sit *dicti libelli pag.* 240. & 255. & 264. & 229. & 219. *usque* 265. Unde abunde constare arbitramur non fuisse eam formaliter politicam & sæcularem ante hanc mutationem, nec talem nuper factam per ingressum reformatorum, & dictam transactionem. 5. Denique si forma antiqui collegii sacri Mariani plane abolita, & novum toto genere distinctum illi substitutum esset, debuisset etiam denominatio pseudo-sacra tolli eique politica formæ & functioni politicæ respondens substitui. De quo fusius actum in *libello* modo *citato p.* 493. *usque* 506. ne quid dicamus de periculis & profundis Satanæ quæ in jactatâ superstitionum & rituum Papalium ratione sęculari & politizatione videri nobis videntur.

III. Col-

III. Collegia civica mercatorum, fabrorum, pictorum, aliarumque artium ut & armatæ cohortes civium (belgice schutterijen) à sanctis alicubi etiamnum denominantur; immo & convivia aut Sympoſia hic aut illic quotannis celebrantur ipſis feſtis diebus ſanctorum puta Georgii, Nicolai, &c. Illis tamen collegiis reformati vulgo adſcribuntur videnteccleſiâ & conſequenter approbante. *Reſp.* 1. Reſponderi poſſet, ex facto de jure alterius facti non eſſe ſtatuendum, neque enim dubium dubio, nodus nodo ſolvitur. 2. Non eſt negandum difficultatem feſtorum & titulorum vanis obſervationibus moveri ab eccleſiâ, hocque perpetuo actum fuiſſe & etiamnum agi, ut monumenta illa ſuperſtitionum penitus aboleantur, ubicunque etiamnum ſuperſunt. Quod fieri debet, & facile poteſt, ubi aut magiſtratus aut potior pars collegiorum & cohortium iſtarum reformatam religionem profitetur. Uti ad poſtulatum Synedrii alicujus eccleſiaſtici non ita pridem reſpondimus. 3. Longe diverſa ratio eſt collegiorum civicorum, & fraternitatum pſeudo ſacrarum. Illa per ſe & formaliter politica ſunt, ac propterea tantum repurganda: Iſtæ verò formaliter pſeudo-ſacrę, & religioſæ; & conſequenter abolendæ, aut penitus fugiendæ. Quod ſi collegia civica non repurgentur ab annexis ſuperſtitionibus; Chriſtum ſic didicerunt vere reformati, ut conſcientiæ potius conſulerent, quam utilitati, aut honori, aut voluptati. 4. Ubi nihil ſupereſt repurgandum in civicis collegiis præter denominationem antiquam à ſancto ſeu patrono deſumptam, & nunc ſolius diſcriminationis cauſa vulgo adhuc uſurpatam; utique cum non otioſè aut animi causâ, ſed ex debito officio erga Magiſtratum & ſecundum jura civitatum iis adſcribantur reformati, non participant cum ſuperſtitione illâ nominali, ſicut illi qui tollere nolunt cum facile poſſint: ſed tantum tolerant quod tollere nequeunt. Penes ipſos enim non eſt arbitrium & jus & norma loquendi. Contra circa hanc Marianam fraternitatem non controvertitur de nudo titulo aut nomine diſcriminante, ſed de ipſâ re, hoc eſt de fraternitatis origine, erectione, formâ, ſtatutis, proprietatibus, uſibus. Et ſiquidem de ſolo nomine ſcrupulus moveretur, is tamen prompte eximi deberet: quandoquidem penes Marianos fratres poteſtas fuit aut debuit eſſe, denominationem fratrum Mariæ & noſtræ dominæ abrogandi, non minus quam minimam quamcunque ſuperſtitionis umbram ſuſtuliſſe dicuntur. Sed de hâc exceptione ſatis ſuperque diſceptatum in *libello* jam *citato p.* 242. 464. *& p.* 479. 506. & in *appendice diſput. de Idololatriâ indirectâ.* 5. Denique ſi eccleſia alicubi hactenus videt & tolerat convivia collegiorum feſtis ſanctorum, à quibus collegia denominantur, celebrari: hinc tamen non ſequitur eccleſiaſticè talia approbari aut ſuaderi. Videantur,

tur, quæ de tolerantiâ ecclesiasticâ notat *libellus* aliquoties *citatus pag.* 458 464.

Concludimus ergo

1. Dictam Fraternitatem Marianam à reformatis non interpolandam aut reformandam; sed penitus pro nolse & polse abolendam aut saltem fugiendam.

2. Pie & prudenter facturos quotquot in eam adscripti sunt, si juramento suo renuntient & ab instituto resiliant, juxta illud Isidori in jure canonico vulgatum *in malis promissis rescinde fidem*.

3. Hæc pietatis officia si negligant, fideli admonitione & cura ecclesiarum quarum membra sunt, ad ea inducendos & ducendos esse.

Gisbert. Voetius, S.S. Theol. Doctor & Profess. in Acad. Ultraject.

Meynardus Schotanus, SS. Theol. Doct. & Profess.

Carolus Dematius, S.S. Theol. Doct. & Profess.

Excerpta hæc anno 1643 excudi curaveram, ad majorem illustrationem agitatæ tunc controversiæ de Fraternitate Mariana.

GABRIELIS ALBASPINI AURELIANENSIS EPISCOPI *Notæ & Observationes.* In Can. II. III. IV. XL. LV. LVI. LIX. Concilii Eliberini; ex ipsius Observationum libris decerptæ & seorsim editæ: Ad illustrationem loci Actor. XIX. v. 31. & controversiæ de Ololatriâ indirectâ.

LECTORI S.

GAbriel Albaspinus Episcopus Aurelianensis evulgavit anno 1623. Duos libros Observationum de veteribus Ecclesiæ ritibus, una cum notis in canones Concil. Eliberitani: in quibus inter alia observat nonnulla de sacerdotio Gentilium, de fraternitatibus Christianorum &c. Quæ quia lucem aliquam controversiis, hodie agitatis de Ololatriâ indirectâ & de Fraternitatibus Marianis allatura videbantur: putavi operam me non lusurum, si pauculas has notas & observationes ex spisso volumine decerptas, seorsim excudendas darem, in gratiam præcipuè Pontificiorum. Illos ergo coram domino obtestor, ut quia nostra legere ipsis forte religio est, non dedignentur ex tanto suæ religionis & ecclesiæ antistite discere, suffragio & exemplo Apostolicæ aut antiquæ ecclesiæ minime juvari nostro-

nostrorum conscientias ad affectandas aut subeundas Deiparæ virginis sodalitates. Quod si ab illis impetravero, nullus dubito, quin in posterum de sinceritate & Zelo nostro in detegendâ idololatriâ indirectâ, atque adeo de disputatione & libello apologetico hunc in finem edito benignius judicaturi sint. Vltrajecti VII. *Eid. Iul.* CIↃ IↃ CXLIII.

GISB. VOETIUS.

CANON II.

De Sacerdotibus (a) Gentilium qui post baptismum immolaverint.

Flamines qui post fidem lavacri, & regenerationis (b) *sacrificaverint: eo quod geminaverint scelera, accedente homicidio, vel triplicaverint facinus, cohærente mœchia, placuit eos nec in fine accipere communionem.*

FLamines, id est Christiani qui sacerdotio gentilium fungebantur: *quamvis enim non liceret Christianis, hæc munia & honores* gentilium ambire & persequi; nonnulli tamen aut ambitione ducti, aut coacti hæc sacerdotia suscipiebant & petebant: cum enim apud populares aliquo in honore essent Flamines, & populi gratiam muneribus, aut ludis facile sibi conciliarent, reperiebantur inter Christianos, qui spretâ religione hos honores flagitarent: nonnulli etiam inviti ad ea munia cogebantur, quia erant patrimonialia, à quibus nemo excusabatur, ut ex Codice Just. manifestum sit, & ex Hieronymo in vitâ Hilarionis: *his de causis reperiebantur Christiani qui essent Flamines gentilium, in quos Hispani Patres has pœnas constituunt*: neque vero audiendi sunt, qui putant hic agi de Christianis, non qui erant re ipsâ Flamines, sed qui ante lavacrum hæc sacerdotia functi essent. Nam cur potius ageret de iis, qui fuerant Flamines, quam de aliis, qui nunquam fuerant Flamines, qui nihilominus post fidem sacrificaverant? Nonne ineptum videretur si canones ita se haberent: Sutores aut Sartores, qui post fidem sacrificarunt, quia cum Flaminum, Sutorum, Sartorum non gravius sit peccatum quam aliorum, si omnes illis Diis sacrificassent, non debuit canon hos potius corrigere quam alios: deinde hæc verba, *Flamines qui munus tantum dederint*, indicant agi de Flaminibus qui revera post lavacrum flaminia susceperant: quemadmodum etiam illa, *Flamines si Catechumeni*, ostendunt agi de Catechumenis qui actu & reipsa erant Flamines, non qui fuerant.

Post fidem lavacri, cujus rei rationem supra dedimus.

a Gentium Exc. b Sacrificaverit Excu. *Sacri-*

Sacrificaverant, mos erat ut qui ludis præerant, Diis sacrificarent; Flamines igitur, qui in municipiis (nam Romæ non præsidebant ludis) tenebantur ex more sacrificare, antequam ludos aperirent.

Eo quod geminaverint, sed quomodo sacrificando triplici hoc crimine poterant sese polluere? Nam hæc verba, *eo quod*, indicare videntur, quod Flamines duo hæc alia crimina committerent sacrificando; sunt qui de Floralibus hæc accipienda esse putent, in quibus multa turpia & obscœna visebantur: & de Gladiatoriis muneribus quibus sanguine & morte miserrimorum hominum populus recreabatur: cum enim Flamines in provinciis & municipiis, hæc spectacula ederent, & mœchię & homicidii scelus commisisse dicuntur hoc canone, non quod mœchati essent, aut quempiam interfecissent; sed dicuntur ea commisisse, quod spectacula præberent in quibus hæc scelera perpetrabantur. Nonnulli hæc ita dicta putarunt, non quasi conjunctim & simul in hæc tria crimina incidissent Flamines, sed si forte reperiantur Flamines, qui præter scelus sacrificii & idololatriæ, aliis insuper sese inquinassent, ii communione in fine priventur.

Vel triplicaverint facinus, lapsi triplicabant facinus veniâque vel in morte indigni censebantur, si homicidium & mœchiam cum idololatriâ in se suscepissent: non autem si alia quævis crimina admisissent: neque hujusce judicii alia potest esse ratio, aut causa, nisi quod alia omnia, nec summa, neque capitalia unquam, aut perpetuâ pœnitentiâ & animadversione digna visa sint. Tribus vero illis, homicidio scilicet mœchiæ & idololatriæ, cum non multo ante hoc Concilium pax & venia esset relaxata meritò qui horum simul omnium reus esset factus, eâdem pœnâ, quâ paulo ante diversâ, puniebatur: atque ea est causa quamobrem de aliis criminibus non loquuntur Illiberini Patres.

CANON III. *De eisdem si idolis munus tantum* (a) *dederunt.*

Item Flamines, qui non (b) *immolaverint, sed munus tantum* (c) *dederint eo quod se à funestis abstinuerunt sacrificiis, placuit in fine eis præstari communionem, actâ tamen legitimâ pœnitentiâ: Item ipsi, si post pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulterius* (d) *his non esse dandam communionem; ne* (e) *luisse de dominicâ communione videantur.*

QUI *non immolaverint*, poterant non immolare, quamvis suis sumtibus spectacula ederentur: nam aliquis alius Flamen poterat præesse & præsidere.

Sed munus tantum dederunt, omnes hos Canones de lapsis explicant nonnulli: ideo per munera, dona intelligunt, & pecuniam quam Præsidibus

a Dederint Excu. b Immolaverunt Excu. c Dederunt Excur. d Eis Excu. e Intulisse C. Alvel.

dibus offerebant lapsi, ne sacrificarent verùm munus hoc loco, ni fallor ludos & spectacula significat, quæ Flamines præstare conabantur, & in quibus solebant sacrificare: ajunt igitur Patres veniam iis esse concedendam in fine, qui Flamines fuerint & non sacrificaverint, quamvis ludos præbuerint & munera, *si modo hanc culpam legitimâ expiaverint pœnitentiâ.*

In fine eis præstari communionem *quam gravem & acerbam vindictam exercebant in eos qui sacerdotia Gentilium ambibant aut suscipiebant, quamvis non sacrificarent!*

Acta tamen, hoc est, qui pœnitentiam sibi impositam alacriter subierant: nam si eam aut neglexissent aut segnius arripuissent, aliter cum eis erat agendum: non autem hoc ita accipiendum, quasi momento illo temporis quo morerentur, legitimam possent agere pœnitentiam.

Legitima pœnitentia, ut pœnitentia censeretur legitima, non satis erat explere tempus constitutum ab Episcopo, ut volunt Garsias & Binius, sed ea legitima vocabatur, quam bonâ fide ducebant pœnitentes, & cum domi, & in Ecclesiæ noctu, & interdiu perpetuis ærumnis sese exercerent, & lachrymis, fletibus & multis præterea signis animi dolorem clam & publicè testarentur. Illegitima autem dicebatur, quando pœnitentes languidiùs eam subirent, & parum dolerent de peccatis, quamvis præscriptum tempus explerent.

Si post pœnitentiam, id est si post concessam pœnitentiam non verò expletam; sed concessam ab Episcopo, & ita accipiendum suadent quæ priùs habentur, *in fine eis præstari communionem.* Si enim in fine duntaxat præstari debeat communio: certum est eo usque pœnitentiam durasse, & constitutam fuisse, & non finiisse ante mortem: quare illud, *post*, significat, si post concessam pœnitentiam, & si cum agunt pœnitentiam ejusmodi Flamines mœchantur.

Ne lusisse, sed quomodo quæso de communione ludere poterant quam non possidebant? Nam agit de his qui perpetuę pœnitentiæ essent addicti: sed ludere de communione dicuntur, si peccant pœnitentes dum agunt pœnitentiam: quia quo tempore magis prospicere deberent, ne eâ indigni viderentur, eo ipso novis peccatis sese obligant.

De dominicâ communione, quamvis Eucharistia nonnunquam vocetur dominica communio, simplex tamen communio, id est jus in societate & corpore fidelium hoc etiam nomine appellatur, quod uniat & conglutinet pœnitentes corpori Domini nostri Jesu Christi. Cæterùm vides hunc canonem nihil minùs adversari, quam canonibus Petri Alexandrini (ut existimat Binius in suis notis,) quibus licebat ab impiis sacrificiis pecuniâ sese redimere: nam hoc Canone agitur de Flaminibus, qui ludos ediderunt

runt populo & non sacrificaverunt, ut diximus, non verò de his qui pecunia obtinuerant à Præsidibus, ne sacrificarent.

CAN. IV. *De eisdem, si Catechumeni adhuc immolant quando* (a) *baptisentur Item Flamines, si fuerunt Catechumeni, & se* (b) *sacrificiis* (c) *abstinuerint, post triennii tempora, placuit ad baptismum admitti debere.*

Si fuerint Catechumeni, ubi statuerunt de fidelibus, mox de Catechumenis agunt, in quo lenius multo, & mitius animadvertunt, quam in fideles, ut alibi dicemus capite de Pœnitentia Catechumenorum. Sed quid agendum esset si Catechumeni Flamines sacrificassent? non explicant Patres nescio an gratia baptismi in perpetuùm punirentur; non existimo tamen sed quantum conjicere possum, ante mortem non baptisabantur.

a Baptizabuntur. b Se à Sac. Excus. c Abstinuerunt Exc.

CANON. XL. *Ne* (a) *id quod idolothytum est, fideles accipiant.*

Prohiberi placuit, ut cum rationes suas accipiunt possessores, quidquid ad idolum datum fuerit, acceptum non (b) *referant; si* (c) *post interdictum fecerint, per quinquennii spatia* (d) *temporum à communione esse arcendos.*

Ex Poëtis illud haurias è terræ frugibus Diis suis libare, & offerre solitos Ethnicos; quod per Canonem Christianis facere non licet.

a De hoc quod idolis datum est Excus. b Inserant Ex. ferant C. Alvel. c Si vero post Exc. d Temporis. exc.

CAN. LV. *De Sacerdotibus Gentium, qui jam non sacrificant.*

Sacerdotes, qui tantum (a) *coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumptibus aliquid* (b) *ad idola præstant placuit post biennium accipere communionem.*

Sacerdotes, sole meridiano clarius est de Christianis, qui Paganorum sacerdotes essent verba fieri: non autem ut quidam existimant de iis qui antequam Christianam fidem complexi essent, eo sacerdotum officio fungerentur: unde conjicias non obscurè confirmari ea, quæ prioribus canonibus attulimus, in iis de flaminibus disputari, qui Christiani essent: non autem qui fuissent, neque enim unquam per Canones videas ea castigari peccata, quæ ante baptismum committerentur: quin neque Canon neque locus ullus, neque auctoritas patrum afferri potest, quæ id probet. Plurima autem variaque erant idololatriæ genera apud Ethnicos: ideoquè præter Canones supra citatos Patres illi, genus aliud animadversionis aut pœnæ decreverunt in sacerdotes Paganorum, tametsi aliud nihil quam coronam gestarent, neque ullos, quo Diis honos persolveretur, sumptus facerent.

a Sacrificantium coronam exc. C. Al. coronas. a Idolis exc.

CANON. LVI. *De Magistratibus &* (a) *duumviratis.*

Magistratum vero uno anno, quo agit duumviratum, (b) *prohibendum* (c) *placuit, ut sese ab Ecclesia cohibeat.*

Ne

V'no anno, quod duumviri, non ultra annum unum magistratum protraherent.

a Dominantibus. b Prohibere exc. c Placet C. al.

CANON. LIX. *De fidelibus, ne ad Capitolium causa sacrificandi ascendant. Prohibendum, ne quis* (a) *ut Gentilis ad idolum Capitolii causa sacrificandi, ascendat, & videat, quod si fecerit, pari crimine teneatur. Si fuerit fidelis, post decem annos, acta pœnitentia, reciptatur.*

Arbitror ita legendum esse *causa sacrificii*, subintellige *videndi*, nam si animo sacrificandi interfuissent, atrociori supplicio afficerentur, neque in morte iis ad communionem aspirare liceret.

Quod si fuerit, si ad Capitolium ascenderit, ut sacrificio interesset, neque tamen illud aspicere, aut intueri ei licuerit, pari pœnâ supplicioque mulctetur, atque illud si oculis usurpasset, cùm ejus voluntas fuerit ut videret: neque verò sensus sententiaque ita perspicua manifestaque, si de iis sermonem fieri dicamus, qui sacrificandi causa eo pergerent, qui tamen non sacrificarent, quique tantum id à se visum esse & spectatum lætarentur, quia nec in morte communione erant donandi, qui sacrificârant, ut ex primo canone constat.

a Aut exc.

Observatio. XXII. De Ethnicorum Sacerdotio aliquid in hisce notis scholiisque inserere, non alienum, neque inutile erit: non eo quidem consilio, ut ritus omnes, ceremoniasque perscrutemur; sed ut canonum quorundam explicatio illustrior multò existat, quorumvis, intelligentiaque quamplurimos interpretes effugit: cujus rei perficiendæ causa primùm illud observandum erit, *Christianos cùm omnes falsorum Deorum cultus, anilesque fabulas non ignorarent, eo tamen flagitiosè progressos, ut Sacerdotia Gentilium ambitiosâ quâdam prensatione nundinarentur.* Deinde, non omittemus oculis subjicere edicta illa, & rationes quibus Ecclesia vetuit ne dignitatum illi gradus expeterentur. Tertiò quantùm erit in nobis, connitemur ex his quæ dicta erunt, afferre lucem quibusdam canonibus, quorum alium fuisse sensum, ac sententiam, ac antiqui Patres censetur, plerique judicarunt.

2 Trium rationum momenta quædam impellebant Christianos ad Sacerdotii Ethnicorum petitionem: 1. *Primùm ambitio*, cujus incensâ cupiditate conflagrabant homines ætate florentes, nihil enim æquè, cùm Romæ, tum in aliis Provinciis, ad consequendos honores authoritatemque, & nominis existimationem comparandam valuit, ac ludorum quorundam apparatus & magnificentia, quod eorum commissio, populi gratiam animasque conciliaret: iis autem in provinciis, & municipiis flamines præsidebant, nonnunquam etiam eos populi, suis sumtibus exhibe-

bant: ad civium ergo benevolentiam eo genere obsequii devinciendam, non pauci Christiani spretâ religione incitabantur, ut ejusmodi honorum gradus, & flaminium sibi deferri vehementer postularent, quò faciliùs editione spectaculorum, & scœnæ pompa maxima, imperitæ multitudinis applausum, & acclamationem promererentur. Id perspici potest ex L. unica 4. tit. 61. libri 10. Cod. in quâ, rogatione interpositâ, sumptus necessarios & liberales qui ad ludorum commissionem requirerentur, se suppeditaturum Parens quidam profiteretur, modò filio ad Sacerdotium venire liceret. *Si de proprio suo patrimonio muneris editionem tuo nomine pater tuus repromiserit, ideoque etiam sacerdotem te creari impetravit, onus erogationis commune omnium hæredum ejus esse, Præses provinciæ non ignorabit.* Verùm id ita esse facilè crediderint, qui tempore Tertulliani didicerint Christianos, qui idola fabricarentur, extitisse: *adleguntur in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum*: quin tempore Siricii, & Innocentii non deerant, (quamvis otio & tranquillitate maximè Ecclesia frueretur, rerumque publicarum munera à Christianis hominibus administrarentur,) qui ad impia illa sacerdotia provehi se cuperent, eorumque officio fungerentur. Siricius Episcopo Tarraconensi c. 5. *De iis vero, qui acta pœnitentia, tanquam canes, ac sues ad vomitus pristinos & volutabra redeuntes. & militiæ cingulum, & ludicras voluptates.* Innocentius epistola. 4. c. 3. *De Curialibus autem manifesta ratio est, quoniam, & si inveniantur hujusmodi viri, qui debeant clerici fieri.* Item epist. 24. c. 4. *Neque de Curialibus aliquem ad ecclesiasticum ordinem venire posse, qui post Baptismum, vel coronati fuerint, vel sacerdotium, quod dicitur sustinuerint, & editiones publicas celebraverint.* 2. Secundò, metu quandoque perculsi aliquo cogebantur obire illa spectaculorum seu ludorum munia, ne si id facere detrectarent, pro Christianis haberentur: ætate namque & opibus florentes, si ea pro nihilo habuissent, in suspicionem venissent Christianæ fidei, & religionis admissæ: accedit & illud, exerceri illa potuisse munia, etiamsi sacrificium nullum feciissent, ut planum est, can. 55. Concilii Eliberini. Quare Ecclesia cùm videret homines mortis oppetendæ proposito horrore magnopere commoveri, in eos non ita graviter animadvertere consueverat, quamvis munera illa non defugissent, modò ab omni sacrificio, manus, oculosque cohibuissent, eamque ob causam eodem in Concilio non duriùs quicquam statuendum in illos judicat, qui domi suæ idola reservarent, modò ab eorum adoratione, atque cultu abstinerent, atque ea suis ex ædibus deturbare non possent, quin à servis judicibus deferrentur, can. 41. *Admonere placuit fideles, quantùm possunt, prohibeant, ne idola in domibus suis habeant, si vero vim metuunt servorum, vel seipsos conservent, si non fecerint, alieni ab Ecclesiâ habeantur.*

Ter-

Tertiò, ratio illa afferri potest, quæ Christianis eam vim afferebat, ut illa quasi munera, officiaque non recusarent, quod sacerdotia illa erant munera patrimonialia, ut ajunt Jurisconsulti, à quibus Curiales non poterant excusari. Quare Christiani quocumque locorum, aut gentium concessissent, si essent Curiales, aut fortunæ amplissimę, sustinere illa munera cogebantur, aliter ad eos bona illa omnino tanquam hæreditates perveniissent, qui illorum vicem in administratione eorum munerum subiissent. Sacerdotium autem fuisse quoddam officium, ceu munus patrimoniale, probatur, lege 8. tit. 41. l. 10. Cod. *Nec protostasiæ vel sacerdotii vel decaprotiæ, munera corporalia sunt, sed tantùm patrimonii esse non ambigitur.* In quam legem Cujacius hoc habet. *Sacerdotium autem interpretor, veluti Alytarchiam, Asiarchiam, Syriarchiam, Phœniciarchiam, quo qui funguntur: ludis præsunt in honorem Deorum institutis, cum sumptu aliquo:* Idem auctor in l. Unicum de mulieribus, in quo loco Cod. ait. *Sacerdotium Provinciæ munus patrimoniale est, veluti Asiarchia, nam qui eo fungitur, sumtu ejus eduntur certamina, & ludi in honorem Deorum:* & observat. lib. 2. c. 13. asserit: *inde sacerdotium ipsum, Alytarchia dicitur, eâ formâ, quâ & Asiarchia, & his similia sacerdotiorum nomina, & flaminum.* Præter ea, quæ narrat Cujacius, magistratus & sacerdotes solere spectacula ceu certamina edere, succurrunt & alia testimonia l. 1. Cod. Theod. lib 15. tit. de spectaculis. *Magistratus, & sacerdotiorum editiones, quæ aut in civitatibus, aut certè in his debent exigi, quas delegit antiquitas.* Tertullianus de spectaculis. *Quis tibi Prætor, aut Consul, aut Quæstor, aut Sacerdos de suâ liberalitate præstabit.* Munera vero patrimonialia ab unoquoque sustineri oportere plurimæ leges testantur. 1. tit. 41. lib. 10. Cod. *Civilia munera per ordinem, pro modo fortunarum, sustinenda sint.* Ubi Cujacius ait, *Et non omnia, sed patrimonialia, ut apparet,* ex l. 2. ejusdem tituli. *Munera quæ publicæ utilitatis causâ indicuntur, ab omnibus subeunda,* & aliis omnibus legibus illius tituli: apparet ab ejusmodi muneribus neminem liberum solutumque videri. Cum igitur Christianus suo quasi ordine ac per vices, illius in quo commorabatur loci, designari flamen aut sacerdos deberet, tametsi illa renunciatio, creatioque suæ religioni fideique repugnaret, cogebatur eam oblatam admittere, ejusque perinde ac aliorum munerum, procurationem capessere. Ex his verò locis quos ex Divo Innocentio dedimus, satis constat Curiales ab ordinibus Ecclesiasticis prohibitos, quod quibus in locis Curiales essent, inde digredi iis non liceret, suæque Reipubl. ac publicorum habere eos rationem oporteret: nec quæ in iisdem locis ex præscripto, institutoque legum prętanda essent, negligere; cum autem ex iis locis quorum Curiales erant, demigrarent, eo

postli-

postliminio reverti necesse erat, quamvis in ordines sacros adlecti essent : quæ causa esse potest, cur Patres præcisè & asseveranter Curiales ad illos sacros ordinum ritus accipiendos, urgeri, aut admitti non oportere arbitrarentur; quia eo honore affecti, adigi poterant, ut eo unde decesserant, quod ibi Curiales, essent, redirent, atque adeo Provinciis publicis defungerentur: in quorum numero ac recensione, (ut non dubiè, neque obscurè apud Sanctum Innocentium videbis) Sacerdotia, Flaminia Paganorum, ludique publici committebantur, quo tempore nullum genus idolatriæ, peccatorumque ac flagitiorum prætermitti soleret.

Illud autem perpendendum est, totum illud de quo agimus, munus usurpari solitum, tum, cùm Imperatores Christiani Imperii clavum tenerent, Ecclesiaque compressis persecutionum procellis conquiesceret, illudque mirum videri debet, si quis se tali munere abdicare voluisset, desiderio quodam incensus vitæ asperioris intra claustra religiosæ familiæ, aut etiam in desertâ aliquâ regione, ac solitudine traducendæ, cogi potuisse, ut ad suam illam urbem, quo publica illa munera exerceret, volens, nolens reverteretur. l. 26. tit. 32. 10. Cod. *Quidam ignaviæ sectatores, desertis civitatum muneribus, captant solitudines ac secreta, hos igitur atque in hujusmodi deprehensos erui latebris consultâ præceptione mandamus, atque ad munia patriarum subeunda revocari.* Sacerdotia igitur Gentilium in Provinciis, earumque civitatibus erant munera patrimonialia, à quibus se vindicare nemo cùm posset, pro ratione facultatum, ac divitiarum suo ordine ad illa obtinenda, gerendave assumebatur, quemadmodum primâ illâ lege tit. 41. decernitur.

Quæ apud Eusebium de quodam Asiarcha leguntur, ad rem pertinet hoc loco referre : Cùm igitur Sancto Polycarpo mors esset obeunda, Philippus quidam Asiarcha, sacerdosque Ephesi cùm esset, Sacerdotii suo exacto, expletoque tempore, postulanti turbæ leonem, ut in Polycarpum immitteret, respondisse fertur munus se dedisse, quod apparare debuerat, eoque se posthac liberum, solutumque munere videri. *His dictis succlamabant, & à Philippo Præside Asiæ petebant, ut Polycarpo leonem immitteret, quibus ille respondit, non hæc licere sibi, eo quod munus venandi* jam adimplisset: ubi verbum, *Munerario*, pro *Præside Asiæ substituendum*. Quod ἀσιάρχης non Præsidem, aut Principem, sed Sacerdotem Asiæ, & Munerarium significet, eundemque qui *ludos præstat suis sumptibus*. Ita vertit Rufinus : & Cujacius in legem primam tit, 62. l. 10. observavit, cui cùm Rufini explicatio, versioque hanc lucem attulisse, quia ita hoc verbum Ασιάρχην Munerarium expositit, ea cogitavit, sed acutè & solerter meo judicio, non rejiciendam

jiciendam emendationem *Actorum Apostolorum cap.* 19. Nam cùm in ordinaria & vulgata legas, *quidam ex Asiæ principibus*, contendit reponendam esse; *sed quidam Munerariorum*, & sanè correctio illa non levibus, nec infirmis rationibus corroboratur; nam qui tandem Principes in Asiâ esse poterant, cùm in Romanorum potestatem, ditionemque longè antea tota cessisset, & ad Provinciæ formam esset redacta. Quod si qui principem locum Ephesi occupant, Principes Asiæ dicuntur; quæ tandem ea de reafferri ratio potest, aut cur unius singularis urbis Principes non modò civitatis, sed & totius Provinciæ, quæ ex variis plurimisque constabat provinciis, Principes nominabantur. Et quanquam non mihi dubium fit, quin, ut ex Cicerone didici, in Asiâ Magistratus de rerum publicarum statu in theatris deliberarent, ipsaque theatra non modò publicis ludis locum, sed etiam senatorio ordini præberent, verisimilius tamen est, qui è theatro se commoverat, ut D. Paulum moneret, quò minùs in theatrum se daret, fuisse paganorum sacerdotem, & munerarium, qui tum ludos edebat, non autem magistratum, quandoquidem locus ille Eusebii in versione Rufini, non mediocriter hanc explicationem sublevet; sed ut ad ea quæ probata jam sunt, iterum gradum faciamus, locus ille D. Hieronymi in vita sancti Hilarionis, quod diximus, tuetur, & confirmat Christianos cogi solitos ea munera patrimonialia obire, quibus ludi, & sacerdotia Ethnicorum continebantur. *Sed & Italicus ejusdem oppidi municeps Christianus, adversum Gazensem Duumvirum Marnæ idolo deditum, Circenses equos nutriebat, venit ad beatum Hilarionem; cumque subrideret, cur enim non magis equorum pretium pro salute animæ tuæ, pauperibus erogas? ille respondit functionem esse publicam, & hoc non tam se velle, quam cogi.* Christiano quidem nihil optatius fuisset, quam ut ipsi liceret non profundere pecuniam ad illos ludos faciendos, & ad multitudinem Ethnicorum tali lenocinio deliniendam, sed de consilio sententiâque optimi Patris ad inopum & egenorum inopiam sustentandam, sed respondet se ad id præstandum compelli quod bona quæ à parentibus hæreditario jure acceperat, iis scilicet muneribus publicis obeundis, & ludis coram populo exhibendis, tenerentur.

Extra vero controversiam & illud est, pro potestate imperioque Ecclesiam vetuisse, quò minùs Christiani ambirent, aut sustinerent, sacerdotia Ethnicorum, canonibus id contestantibus, quibus eos qui iis functi fuissent muneribus, mulctam irrogatam legimus, ut can. 2. 3. 4. &c. SS. Concilii Eliberini. Quanquam autem nulla lex esset, quæ id prohiberet, aut pœnâ aliquâ comprimeret, certum tamen, & omnino planum est, horum munerum actionem, *ceu administrationem magnopere Christianæ re-*

næ religioni adversatam fuisse, quod ea exercere omninò non sine execrabili idololatriæ crimine posset. Neque verò proferendus est canon ejusdem Concilii SS. qui non ita graviter, & atrociter paganorum sacerdotes incusat, punitque, cùm non nisi ad biennii pœnitentiam perferendam in eo adigantur. Nemo autem nescius temporibus illis lethalem noxam viginti aut triginta annorum perpessione ceu pœnitentia castigatam, unde non à quoquam mortiferum committi posse peccatum Patres illi antiqui existimabant, si sacerdotem se, aut flaminem Paganorum siviſſet renunciari, cùm non tanquam capitalia, quæ dixi, peccata illa duo punirent. Respondebo, canone illo, eos designari, quos necessitas quædam impulisset, ut impositam istam flaminis provinciam detrectare non possent, vel qui, cùm fortunis opibusque abundarent, oblata mandataque sacerdotia quæ erant munera patrimonialia subterfugere non poterant: vel quia ad illos honorum gradus ascendissent, ut ex hominum animis, fidei Christianæ quam profiteri coram non audebant, suspicionem opinionemque evellerent; Ecclesia autem tanquam optima & indulgentissima mater, cùm illa duo quæ propè vim afferebant, perpenderet, non in eos quicquam durius statuendum ducebat: modo non idolis immolassent: neque quicquam quo delatus quidam illis bonos diceretur, obtulissent. Quemadmodum eodem consilio non graviori severitate Ecclesiam esse usam, videns in eos, qui intra privatos parietes idola reservarent, modò iis non adolerent; neque ea aliò, sine aperto vitæ discrimine, aut sine manifestâ nominis Christiani delatione quam reformidabant, exportare liceret.

Reliquum est, ut ex iis quæ attulimus, explicationem eruamus quatuor Canonum Concilii Eliberini, & locorum quorumdam, quæ ex sancto Innocentio citavimus. Verùm quò apertior, planiorque fiat res ipsa, postulat, ut hoc loco commodiore aliam explicationem refellamus, ad quod præstandum, invitus sanè, ac omninò prope reluctando accederem, quod præsertim apud Baronium ea reperiatur, qui sit optimè de Christianâ religione meritus, cùm quamplurima densissimis sempiterni quasi silentii demersa, sepultaque tenebris, in lucem evocarit, ut ejus singularem admirari eruditionem potiùs liceat, quàm ut quisquam eum reprehendat, sed cùm nihil æquè, ac Ecclesiæ veteres ritus, mores, & disciplinam explanare, & eruere nos oporteat, nihil detrectandum est, ut antiquis constitutionibus lucem aliquam afferamus numero 40. 41. 2. 3. 4. anni Domini nostri 305. canones illos exponit, ac si contra lapsorum causam confecti essent, nec flamines fermè à lapsis distinguit, quales à Divo Cypriano, & ab aliis ejusdem temporis authoribus depinguntur: quin etiam

etiam sibi persuadet Sanctum Innocentium, cum ipse antiquarum constitutionum vim, ac severitatem excusaret ac emolliret, voluisse intellgi, & verba fieri de illo consilio, constitutionemque, secundum sancti Innocentii ad Archiepiscopum Tolosanum esse contra lapsos qui Christi fidem deseruerant præscriptam: Ad extremum in 3. canone opinatur verbum illud, *Munera*, accipi pro pecuniâ, quam ut se aliquis lapsus immolationis metu liberaret, obtulerat: omnia tamen illa, non consentanea, imo contraria canonum illorum sententiæ videri. Primùm enim quantum intervallum interjectum esse putas inter flamines illos, quorum in his canonibus facta est mentio, & lapsos. Lapsi enim Christiani sunt, & judicio omnium tales existimantur, quos vis suppliciorum, aut metus coegit ad immolandum Diis, & ad Christum ejurandum. Flamines autem de quibus est mentio in Concilio Eliberino, pro Christianis non habebantur, imò ad illa munera capessenda animum adjiciebant, desiderio quodam dissimulandæ & occultandæ religionis in Christum: sive quod divitiis affluerent, ad eorum publicorum munerum administrationem ex ordine procurandam, tanquam ministri, sacerdotesque sacrificiorum accedere cogebantur. Illos enim Ethnici, ut veros, legitimosque idolorum sacerdotes, non ut Christianos nominabant, atque hoc est flaminum, & lapsorum discrimen, veluti Apostatarum nomen, ceu appellatio non proprie cadit in lapsos, tametsi religionis essent desertores. Illam namque non cujusquam impulsu, aut tormentis coacti, sed suapte sponte tum cum summo otio Ecclesia frueretur, neque ad id scelus mortis metu instigarentur, pernegabant. Quod autem ad constitutionem secundam epistolæ sancti Innocentii ad Archiepiscopum Tolosanum, attinet, non illa quidem ad horum canonum severitatem, magis respicere potuit, quam ad totius Ecclesiæ disciplinam, quæ prioribus illis sæculis, non solum à communione, id est, absolutione, gravia crimina in perpetuum removebat, sed vix jus pœnitendi eis indulgebat: in ea enim constitutione, ne verbum quidem de flaminibus factum sed quæstio quæ dijudicatur ab Innocentio in eâ constitutione ejusmodi est, nimirum, quid faciendum sit iis, qui post Baptismum propter vitæ flagitiosæ rationem, quam ad mortem usque produxerunt, excommunicati fuissent, si in periculum vitæ adducti, communionem, & pœnitentiam sibi concedi efflagitarent. Divus Innocentius respondet per veteres leges communionem in morte, non autem pœnitentiam illis adimi: legemque hanc severam quidem, sed justam & necessariam pro ratione temporis videri. Nam si ejusmodi hominum generi perfacilè Ecclesia peccatorum relaxationem, & communionem impertiisset, lapsis, sine dubio,

eandem beneficentiam negare non potuisset, quorum magna vis, ac multitudo, tali præsertim tempore, cerneretur, cum ubique ad necem & supplicium Christiani quærerentur, atque est, meo judicio census illius canonis Sancti Innocentii, quo ad hunc modum explicati, non potuit illos Eliberini canones, neq; eorum severitatem respexisse. Nam Sanctus Innocentius non de lapsis disputat ut definitè quicquam de iis statuat, sed solum contendit disciplinæ ecclesiasticæ statum eo tempore non tulisse, ut excommunicati reciperentur, ne lapsis, ob easdem rationes, veniam laxare cogeretur, quorum causâ, conditioque multò æquior, justiorque, quam aliorum esset futura, ob id maximè quod dicit Tertullianus, *Magis negat Christum, qui delectatus, quàm qui vexatus amisit, & qui tùm averteret doluit, quam qui eum amitteret, lusit.* Denique multò ante Concilium Eliberinum, de lapsis revocandis res erat expedita, & in Ecclesiam post pœnitentiam admittebantur. Quapropter ad alia tempora, & ad alias constitutiones referenda sunt verba Divi Innocentii, quam ad Concilium Eliberinum.

Ad extremum verbum hoc, *Munera*, quod in tertio canone legitur, non potes explicare, ut ait, numero 44. *Sed quod non sine aliquâ animadversione eum esse sinerent, qui aliquo ablato munere, à necessitate sacrificandi se redemisset.* Nam ibi, *Munus*, proludis publicis, qui populo dabantur, sumitur, & quos antiqui deliniendæ plebis causâ, & aliquâ voluptate demulcendæ gratia, partim Romæ, aliisque in locis instituerant, ut vulgo fertur. *Panem & Circenses.* Neque vero capi potest pro pecuniâ, quam flamines, ut sacrificandi munere liberarentur largiebantur, non enim hæc explicatio ullo modo congruere potest explicationi sententiæque textus. Deinde quamobrem quæso hominem, qui non immolasset, ad tam duram, & austeram pœnitentiam subeundam sententia sua Ecclesia adegisset. *Non jum quidem nescius eos non caruisse reprehensionis infamia, qui quo se à necessitate sacrificandi redimerent, pecuniam muneravissent.* Imò & in eosdem supplicium aliquod decretum fuisse constat. Sed tempore Divi Cypriani planum est morem illum è medio sublatum: idemque author Libellaticos excusandos censet, qui pecuniam dederunt, quo quidem Cyprianus, multo antequam Concilium Eliberinum extitisset, floruit. Quamobrem non video cur Patres istius Concilii, pœnitentiam differre, ac protrahere ad mortem ipsam voluissent eos, qui pecuniam aliquam quo minùs sacrificarent, profudissent, præsertim cum can. 55. biennii pœnitentiâ mulctarentur, ii qui Paganorum Sacerdotes fuissent, & vestes coronasque gessissent, mihi quidem videtur id quod can. 55. profertur in majori crimine ponendum, quàm quod canone tertio dicitur, eos-

eosq; qui sacerdotio Paganorum præditi in Capitolio, aliisque in sacrificiis sacerdotalem vestem, coronamque tulerunt; majori supplicio coercendos esse, quàm qui pecuniam tantum, ut tormenta, & cruciamenta vitarent, seque è sacrificio eximerent, dederint. Unde colligi quidem illud verè potest, non esse hujus rei sententiam, aliumque esse hujus canonis tertii sensum investigandum: quò autem hæc explicatio apertior, illustriorque sit, in tres classes dividi posse Christianos judicasse Patres, perpendendum est Christianos in quàm, quibus necessitas quædam imposita fuissent, ut sacerdotium Paganorum susciperent.

Prima classis eorum fuit, qui inviti & reluctantes sacerdotium iniissent, sed qui ejus curationem non attigissent, neque populum ludis oblectassent, neque Diis honorem supremo Numini debitum persolvissent (demonstravimus autem Sacerdotes ludorum spectaculis retinere plebem, & delectare solitos.) Ii autem can. 55. duorum duntaxat annorum pœnitentiâ castigantur, quod ad illa munera obeunda, & capessenda essent coacti, ne se Christianos palàm proderent, vel quod bona quædam possiderent, quæ muneribus patrimonialibus obligata essent. Ecclesia sagacissimè prospiciebat, ad ea munera repugnanter admotos fuisse, propterea que cum illis leniùs agendum esse.

Secunda classis eorum, est qui Flamines contra quam volebant creati, & renuntiati fuissent, eoque sacerdotio affecti, & ornati ludos fecerant. Sed qui à sacrificio abstinuerant, Patres istius Concilii can. 3. perpetuæ eos pœnitentiæ peragendæ addicunt, communione tamen illis in morte non erepta: hic est sensus, sententiaque canonis tertii.

Tertia classis, fuit eorum qui flamines, & sacerdotes sua summa voluntate se designari curarent, quique non solùm ludorum celebritate populum leniissent, sed etiam thura Diis adoleviissent, Patres eos ex vi canonis. 2. excommunicationis perpetuę fulmine percellunt: eosdemque in morte communionis beneficio privant: si cui horum trium canonum alius sensus atque intelligentia occurrerit, ex ejus ego laude præclari inventi, ceu explicationis nihil decerpo: ego quidem hanc quam attuli, non à textu ipso ullo modo discrepare, sed & sententiæ & judicio Patrum congruere, rebusque illis quæ tum à Paganis temporum illarum, quibus Concilium illud indictum fuit, gerebantur, exstimo, quemadmodum in notis diximus, quas in illud Concilium protulimus. Supereſt explicetur, & interpretatio proferatur quæ consentanea fit iis, quæ in secundo canone dicuntur, *si geminaverint scelera*. Quatuor fuisse ludorum genera nemo non audiit, Circenses, rem scenicam, Agones, & munera, quibus omnibus Diis immolare mos erat, cùm illis ipsis ludi dedicarentur. In muneribus

autem, ceu spectaculis, gladiatores mutuis se vulneribus conficiebant, plurima cæde facta, ut populi spectantis oculi sanguine pascerentur. In scenicis ludis, nullum genus impuritatis, & libidinis prętermittebatur Tertulliano teste. *Theatrum proprie Veneris sacrarium est.* Item *non theatrum, sed & Veneris templum nuncupavit:* à quibus impuritatibus, quasi à quodam fonte & seminario innumerabilium peccatorum, & vitiorum vis incredibilis profluxit, in quibus etiam floralia exhiberi & exerceri solita constat. *Sacerdotes igitur, & Flamines, cùm populum spectaculis recrearent, tria in se peccata admittere poterant, Idololatriam, Homicidium, & Adulterium:* sacrificabant namque ipso aditu, initioque ludorum in gladiatoria pugna; aut scenicis spectaculis adulterio se, & homicidio polluebant; aut saltem authores se illorum scelerum constituebant, cùm ludorum illorum sumptus sustinerent, iisque præessent.

Alia etiam substitui potest explicatio, in illis canonibus mentionem fieri illorum, qui non tantùm sacrificaverant, sed etiam præter idololatriam, privatim homicidia, & adulteria perretrarant. Nam in 3. can. verba illa ad hunc torquenda sunt sensum, nec cum priore explicatione satis conveniunt (*Ipsi post pœnitentiam fuerunt mœchati*) quibus apparet Patres loqui de Flaminibus, qui ob flaminia & sacerdotia susceptа agerent pœnitentiam: quod si ita est, prior explicatio non admittetur, credibile enim non est quo tempore à se pœnitentiæ pœnas repeterent, Flaminum munera exercere, & obire voluisse, cùm ejus rei causâ pœnitentiâ ferirentur.

Canone autem statui decernique sentimus, ut pœnitentiæ locus ejusmodi Flaminibus tribuatur, si pœnitentiæ tempore adulterari eos contingat, tum demum indignos censeri, qui in exitu absolventur, quod ludibrio quodam communionem & pœnitentiam habuerint, cùm quo tempore eos pœniteret, peccarint. Quo in loco negotioque illud verbum, *post pœnitentiam*, quasi per transennam ponderandum est, ut discamus id quoque non dici, aut significare post peractam pœnitentiam, aut si Flamen ipse, absolutâ antè pœnitentiâ, in adulterium incurreret: nam cùm canon perpetuâ illum pœnitentiâ puniendum censeat, ejus non erat unquam pœnitentiæ finis aut modus expectandus: neque canon de illo pœnitente dicere poerat: *Si post pœnitentiam fuerint mœchati*, sed esto hic sensus, ubi Ecclesia beneficium tribuerit, ut pœnitentiæ remedio sese erigat si in peccatum prolabatur, neque enim Ecclesia omni generi hominum eam impertiendam duxit: neque quisque sine ejus præscripto atque imperio ea uti poterat: si igitur Flamen admissus ad pœnitentiam quæ ei data fuerat ob populo datos, adulterio sese pœnitentiæ tempore contaminaret,

naret, is per Ecclesiam communionis beneficio in morte privabatur: atque ego quidem sentio aliter explicari non posse verba illa, *Si post pœnitentiam.* Quartus canon de Catechumenis sermonem instituit, qui in ipso Catechumenatu, Sacerdotio, & Flaminio paganorum fungerentur: neq; tamen sacrificassent. Ii autem canone illo, triennii pœnitentia, puniebantur, quâ in re sese duæ objiciunt difficultates: una, an triennii tempora, aut pœnitentiam, aut catechumenatum respiciant, hoc est, an Patres triennium pœnitentiæ, aut catechumenatus prorogent: mihi quidem videtur, triennium illud ad tres annos pœnitentiæ reduci posse: catechumeni namque publicâ pœnitentiâ castigabantur, ob illa quæ in ipso catechumenatu peccata commiserant, ex vi canonum, 5. *can. Neocæs. &* 14. *Nicæni Concilii.*

Secunda difficultas, hoc Concilio graviùs in Catechumenos animadverti, qui ad sacerdotia accesserant, quàm in Baptizatos, nam hi canone 55. non nisi duorum annorum pœnitentiam subeunt, illi autem trium: ad id respondeti potest, triennium pœnitentiæ, quâ catechumenus mulctabatur, non ita grave acerbumque videri, ut biennium, quo baptizatus puniebatur, non enim Catechumenus excommunicatus erat: neque ab Ecclesiâ illi, ut baptizato, interdictum erat, ob id maximè quod in Ecclesiæ gremium sinumque nunquam admissus fuisset, quod unum baptizatus ignominiæ, & supplicii gravioris loco duceret. Quod ad S. Innocentii loca attinet, eorum perfacilis est solutio ex iis quæ suprà allata sunt, si meminerimus Curiales ad ea procuranda quæ ipsorum curæ commissa erant, & ad alia officia quæ alibi administranda susceperant, obligari: quod si à suis digressi civitatibus aliò longiùs concessissent, legum vi teneri eò redire, ut suarum urbium munera obirent, quæ & ludos, & sacerdotia complecterentur, ideoque *S. Innocentius vetat omnino ad ordines Ecclesiasticos ejusmodi genus hominum promoveri.*

De Fraternitate Christianorum. Observatio. XIX.

QUæ de Fraternitate Christianorum apud Antiquos Authores commemorantur, neminem reperies, qui se ignorare putet; cùm nulla sit pagina quæ hujusce affinitatis mentionem non faciat, verum in hisce tritis & vulgatis plerumque evenire solet, ut non satis intelligantur, quia plus satis cognosci, & intelligi putantur, quod in hâc re mihi videor observasse: quis enim in Apologeticis non legit Christianos fratres esse, totamque Ecclesiam Fraternitatem appellari? verùm hujusce necessitudinis rationes, aut quo modo id juris acquireretur, grave ex causâ amitteretur, non tam facilè reperies, qui tibi explicet à Tertulliano, & Minutio

Fœli-

Fœlice; hujuſce conſanguinitatis cauſæ, hæ afferuntur, qui unum Patrem Deum agnoverunt. Item, *qui unum ſpiritum biberunt ſanctitatis*: item, *qui de uno utero ignorantiæ, ejuſdem ad unam lucem expaverint ſanctitatis*, item, *ſic nos, quod invidetis, fratres vocemus, & unius Dei parentis homines, ut conſortes fidei, ut ſpei cohæredes.*

Hæc amicitia religionis ſocietate tam fortiter erat conjuncta, ut Gentilibus ſuſpecta eſſet, eamque magno aliquo ſacramento aut myſterio contractam, & conjuratam eſſe crederent; *ut pro alterutro mori ſint parati.* Ab hâc ſocietate, non ſolùm arcebantur hæretici, Schiſmatici, Abſtenti; ſed etiam Pœnitentes, & Catechumeni; qui omnes à cæteris fidelibus fratres non appellabantur, quod ſcilicet, neq; ſui hæredes, neque jus ad hereditatem Chriſti habere cenſerentur. Hoc jus fraternitatis in quâdam bonorum, precum, meritorum, voluntatis denique, ac animę conjunctione, ſocietate, & communione conſiſtebat, unuſquiſque pro facultate, & modo fortunæ cæteros libenter juvabat, neque erat quiſquam inter Chriſtianos eâ tempeſtate, qui oſtiatim mendicaret, in ægrotis curandis, in viduis, captivis, & iis qui ad metalla, aut arenarias damnati eſſent, alendis, quantam diligentiam, quantam curam adhiberent? Puellis quę tempeſtivæ viro ad ætatem nubendi pervenerant, ex publicâ pecuniâ dos aſſignabatur. Prorſus nullum officii genus prætermittebatur, omnia præter uxores, ut ait Tertullianus, illis erant communia. Si quiſpiam fratrum obviam fieret, ſi è longinquo rediret, ſi peregrè proficiſceretur, continuo ad amplexum, & ad oſculum currebant: mutuâ ſibi fratrum appellatione, & ſalutatione congratulabantur.

His legibus, atque his moribus, Eccleſia in eam quam videmus amplitudinem, & magnitudinem excrevit. Ex hâc etiam conſuetudine & Jure D. Polycarpi verba ad Marcionem clariora multò ac magis perſpicua evadunt: quem ut ſeſe vellet agnoſcere roganti, ferunt reſpondiſſe, *Agnoſco primogenitum Satanæ*, ſatis ex facie, & conſuetudine notus erat D. Polycarpo Marcion, neque hoc petebat, ut ſe pro noto, & familiari intueri vellet; ſed cùm moris eſſet apud Chriſtianos hoc nomine ſeſe ſalutare, optabat, plurimum Marcion pro fratre haberi, & appellari à D. Polycarpo: quem cum ab Eccleſiâ receſſiſſe, & novam ſectam inſtituiſſe ſciret, eum ſe pro fratre habiturum negavit, qui communem matrem deſerviſſet: quod reſponſum niſi in hanc conſuetudinem referas, non video quomodo convenire poſſit.

Cæterùm, quemadmodum hoc jure non uterentur, ita non niſi à lavacro Dei & Jeſu Chriſti filii nuncupabantur. S. Cyrillus Hieroſolymitanus in præfatione *unius matris filii, & filiæ facti eſtis omnes quicumque hic nomine dedi-*

dedistis in prima Catecheſi, *ad ingenuam adoptionis regenerationem pervenire.* D. Ambroſius lib. 5. de Sacramentis cap. 4. *Ex malo ſervo factus es bonus filius.* D. Cyprianus ad Pompejum, *qui filius Eccleſia non eſt, ut habere quis poſſit Deum patrem ante matrem Eccleſiam.*

Hoc loco collocandum mihi videtur quod obſervavi de Oratione dominica, nam ad idem argumentum pertinet, quâ enim ratione iidem ipſi Catechumeni, neque fratres, neque filii Dei cenſebantur, eâdem prorſus Deum patrem neque appellant, neque orationem dominicam, qua ipſius vocis ſignificatio continetur, antequam ſalutaribus aquis purgati eſſent, recitabant; indignum enim illis videbatur Deum Patrem eos invocare, qui nondum à diabolo manumiſſi, filii tenebrarum eſſent. D. Ambroſius ibidem, *ergo attollere oculos ad Patrem qui te per lavacrum genuit, ad Patrem qui te per Filium redemit, & dic Pater noſter*: item, *Dic ergo & tu per gratiam Pater noſter, ut filius eſſe merearis.*

Hujuſce obſervationis confirmatio dubia non erit intuenti, quo tempore, & hora eandem ipſam orationem dicebant: nemo noſtrum ignorat Catechumenos ab Eccleſia poſt primas conciones, & antequam ſacrificium celebraretur, ex templo receſſiſſe; neminem etiam latere puto, hanc orationem ad ſacrificium faciendum adhibitam fuiſſe, unde rectè ſequitur ne quidem eos in ipſius orationis recitatione interfuiſſe: At verò de hac oratione, quomodo ſcripſerunt Patres, aut quibus ſcripſerunt? neminem reperies, qui non eodem tractatu, eâdem paginâ, eodem denique loco & linea, de Euchariſtia ſimul cum ea ipſa oratione verba non fecerit: quod argumento eſt Catechumenos orationem illam non didiciſſe, neque recitaſſe, cujus explicatio, & cognitio eis occultabatur: conſule D. Cyprianum Oratione Dominica, Tertull: in eodem libello, D. Ambroſium de Sacramentis D. Cyrillum in Catecheſibus, cæteroſque qui de eadem oratione commentarios reliquerunt, conjunctam ſemper utriuſque & Euchariſtiæ, & orationis explicationem reperies.

Addam quædam ex D. Cyprian. in probationem ejuſdem obſervationis, *homo novus renatus, & Deo ſuo per gratiam ejus reſtitutus, pater primò in loco dicit*, item de eadem oratione verba faciens, *Et profiteatur ſe Dei filium, dum nominat Patrem ſibi eſſe in cœlis Deum*: item: *Nec hoc ſolùm fratres dilectiſſimi animadvertere, & intelligere debemus, quod appellamus Patrem qui ſit in cœlis, ſed conjungimus, & dicimus Pater noſter, id eſt eorum qui credunt, eorum qui per eum ſanctificati, & gratiæ ſpiritualis nativitate reparati filii Dei eſſe cœperunt.*

Præterea ſi ab illa prima Eccleſiæ ætate ad poſteriora demum tempora deſcendamus, & hujuſce ritus & conſuetudinis veſtigiis inſiſtamus, non-

ne à D. Augustino monentur competentes in illa homilia 42. quam habuit feria secunda palmarum, orationem Dominicam ita edisce re, ut eam memoriter Sabbatho sequenti & proximo post Baptismum reddere possent? *Accipite hodie quomodo invocatur Deus*, & paulò post, *tenete ergo, & orationem hanc quam reddituri estis die Sabbathi noviſſimi quo baptizandi estis*: Nonne in ordine Romano, & cæteris qui de ritibus Ecclesiasticis, atque de divinis officiis scripserunt, inter cæteros ritus reperies, certis quibusdam diebus quadragesimæ Catechumenos orationem dominicam percepisse, ad eam scilicet Sabbatho Paschæ reddendam?

Possem etiam authoritatem septimi Canonis eorum novem qui in calce sextæ Synodi Constantinopolitanæ suspecti habentur, addere, sed nullus est, ut puto, quin ex his quæ tum attulimus, existimet Catechumenos toto tyrocinii tempore, ac decursu ad Deum invocandum, & adorandum eâ oratione usos fuisse: nam si tribus modò aut quatuor diebus antequam Baptismo purgarentur, ejus verba, non dicam explicationem, aut mysteria docerentur, nonne vinco orationem ipsam olim illis ignotam fuisse? atque ut eam tantùm memoriæ mandarent, paucos dies eis ante lavacrum creditam, non verò ut Deum antequam filii lucis essent, hâc oratione interpellarent.

Denique ut hanc observationem concludam, eorum mihi nequaquam probatur sententia, uti *Vicecomitis lib. 3. c. 16.* qui existimat ejusdem orationis arcana, & mysteria ante Baptismum exposita fuisse Catechumenis, & competentibus; quod fieri potuisse mecum negabit, si animo repetat hæc verba *panem nostrum quotidianum*, ab omnibus penè de Eucharistia explicari, cujus mysterii participes esse non poterant Catechumeni, ut ex eâdem ipsâ homiliâ 42. Divi Augustini nemini dubium erit: quâ etsi verba orationis moneat esse discenda, paucaque de eorum explicatione, & significatione perstringat, nihilominus ubi ex ordine ad illa *panem nostrum* ventum est, eadem consultò prætermisit, fidelibusque nota esse maluit dicere, quàm explicare: *nôrunt*, inquit, *fideles quid accipiant, & bonum est accipere panem quotidianum huic tempori necessarium.*

DE CANONIZATIONE SANCTORUM.

Resp. HENRICO BERDENIO Daventriensi, *Ad diem 24. Februarii 1654.*

Cultum Sanctorum in Papatu ipsi infinitis pene libris exponunt ac proponunt, quamplurimis defendunt, & nostri non paucis eundem oppugnant. Inter alios indico Amesium *&* Franc. Junium *contra* Bellarminum; Chemnitium in Examine

Examine Concilii Tridentini; Plesleum lib. 3. de Missa cap. 12. & seqq.; Riveti Cathol. Orthodoxum, ejusdemque apologiam Mariæ; Petri Molinæi Novitatem Papismi *Gallicè*, Jac. Usheri adversus provocationem Jesuitæ Hyberni, *Anglicè*; Chamieri Panstratiæ tom. 3. lib. 18. & 19. *ad quæ scripta compendiosam manuductionem præstant* Theses Academicæ (*quales* Leidensium, Sedanensium, Gerardi Joh. Vossii), *aut* lectio 15. Joh. Prideaux. *Sed quia canonizatio proximum hagioduliæ fundamentum est, erit è re Studiosorum nostrorum, ut in curriculo Academico mysterium hoc Romanum paulò penitius introspiciant: in quem finem consultum duxi hoc spicilegium seu hanc appendiculam ad eruditas aliorum Theses ac Diatribas de Invocatione Sanctorum adornare. Complectetur autem ista quatuor*: I. Descriptionem Canonizationis. II. Ejusdem Examen. III. Problemata. IV. Consectaria.

CAnonizationem describit Sylvester Prieras in summâ, *quod sit canonicè & regulariter instituere, quod aliquis pro sancto honoretur; puta quod fiat pro eo solenne officium, sicut pro aliis sanctis ejusdem conditionis.* Lælius Zecchus de Republ. Ecclesiast. tit. de Statu sanctiss. & beatiss. Papæ §. 11. *quod aliquis in sanctos referatur, & pro sancto honoretur, ac pro eo solenne officium fiat.* Ibid. addit, tria præcipuè requiri ad canonizationem, *primo approbationem ejus sanctitatis: Secundo venerationem ejusdem à toto populo: Tertio fidei Ecclesiasticæ beneficio ejus sancti gratias à Deo poscentis confirmatio.* Ante sæcula aliquot Antoninus in summâ part. 5. tit. 12. cap. 8. sic describebat: *Quod per eam sancti proponantur à Papâ, ut exemplar fidei & vitæ sanctæ, & ab omnibus adorandi, & in necessitatibus invocandi.* Bellarminus lib. 1. de Eccles. triumphante cap. 7. *Nihil aliud est quam publicum Ecclesiæ testimonium de verâ sanctitate, & gloria alicujus hominis jam defuncti: & simul est judicium & sententia, qua decernuntur ei honores illi, qui debentur iis, qui cum Deo feliciter regnant; qui quidem honores &c. septem esse solent.* In quâ descriptione tergiversatio, & occultatio dedecoris animadverti potest. Dicit enim *Ecclesiæ.* Et cur non distinctè & apertè nominat causam proximam, Papam scil.: uti *seq. cap.* 8. determinat? Dicit *de verâ sanctitate & gloriâ.* Cur non specificat objectum proximum, aut proxima in objecto canonizando requisita, quæ ab aliis immo ab ipsis Papis infra citandis ponuntur, sanctitas in vitâ, & miracula in vitâ aut post mortem. Neque enim omnes qui hic verè sancti fuerunt, & ex hâc vitâ immediatè, aut mediatè per purgatorium translati in vitam æternam, secundum ipsos sunt canonizandi aut canonizabiles.

I.

Sed missâ descriptionis hujus censura, ad evolutionem ejus aliarum què modò exhibitarum quinque ex Pontificiorum mente notanda sunt: 1. Ipse actus canonizandi. 2. Ejus formalis effectus. 3. Modus seu forma. 4. Distinctio à beatificatione, & elevatione. 5. Distinctio seu divisio ejus in species.

2. *Actus* canonizationis sanctorum *(quæ apotheosis divorum nostrorum* appellatur in præfatiunculâ præmissâ Ceremoniali Romano edit. Colon. apud Birckmannum 1558. in 8.) propriè & formaliter consistit in publico, & infallibili tum testimonio tum judicio seu sententiâ jurisdictionis. Ubi consideranda, agens, subjectum, actio. 1. *Agens* est solus Papa Romanus, secundum theologiam & jus modernum: de quo infra in problematis. 2. *Subjectum* remotum est singulariter sanctus in vitâ: Propinquum est miraculis honoratus post mortem: Proximum beatificatus. Hæc enim tria præsupposita & prærequisita ad canonizationem: ut duo priora ad beatificationem. 3. Actio ipsa duo momenta complectitur, quorum *prius* & publicum & autoritativum, immo & infallibile testimonium ac judicium de præterito, hoc est, de sanctitate alicujus in vitâ, & miraculis post mortem, & consequenter de præsenti ejusdem beatitudine: *alterum* est judicium & sententia, quâ beatus ille dignus honore & cultu religioso, publicè ab ecclesiâ aut in ecclesiâ deferendo declaratur, eique talis honor auctoritate Papali in futurum decernitur, & ecclesiæ universæ, aut aliquibus in ecclesia imponitur. Est ergo in canonizatione geminum judicium, *assertorium primò*, de factis præteritis & præsentibus, deinde de merito ac dignitate inde resultante: & *decretorium* de futuro; quo mandatur ecclesiæ aut aliquibus in ecclesia cultus sancto illi tribuendus.

3. Vidimus jam quænam sint hujus motus seu actus movens, & mobile: sequitur consideranda res motu facta, hoc est, *terminus & effectus* canonizationis, qui est sanctitas, publico & solenni cultu ab ecclesia agnoscenda; seu promotio & relatio in numerum sanctorum, quibus κατ' ἐξοχὴν & peculiariter sic dictis religiosus & publicus honor ac cultus tribuitur, aut tribui debet. Effectum illud in septem partes à *Bellarmino loc. cit.* dispescitur, 1. inscribuntur in catalogo sanctorum, id est, statuitur ac jubetur, ut ab omnibus publicè habeantur & dicantur sancti. 2. Invocantur in publicis ecclesiæ precibus. 3. Templa & aræ in eorum memoriam dicantur Deo. 4. Sacrificia tam eucharistiæ, quàm laudum & precum, quod vulgò officium sive horæ canonicæ nuncupatur, in honorem eorum publicè Deo offeruntur. 5. Dies Festi in eorum memoriam celebrantur. 6. Pinguntur eorum imagines addito certo quodam lumine in signum gloriæ, quam habent in cœlis. 7. Eorum reliquiæ pretiosis thecis includuntur, &

publicè

publicè honorantur. His addi possunt ista 1. Quod nomen eorum calendario ecclesiastico inscribatur. 2. Vota ipsis nuncupentur. 3. Quod per eorum nomen juretur. 4. Quod regulæ & societates monachorum, item confraternitates sub eorum nomine & invocatione instituantur. 5. Quod tutelæ, patronatus, præfecturæ rerum quarumvis, ut jumentorum, frugum &c. populorum, regnorum, urbium, navium, artium, facultatum, morborum, item personarum, communitatum, &c. ipsis assignentur; & consequenter denominationes locorum, temporum, rerum, personarum ab illis sumantur.

Modus & forma canonizationis describitur *à Christophoro Marcello Archiepiscopo Corcyrensi, lib. 1. sacr. ceremon. Rom. ecclesiæ sect. 6. cap. 1. & 2.* Continet autem totus hic processus, tria; *cognitionem, judicium, executionem.* 1. *Cognitio* includit, *primò*, increbescentem famam de excellentia vitæ, opinione sanctitatis, & miraculorum coruscatione. *Secundo*, iteratam de his notificationem atque unà petitionem, Papæ per reges, principes, seu populos factam, non sine mediantibus illis. *Tertiò*, Deliberationem Papæ cum Cardinalibus, an procedendum sit ad inquisitionem. *Quartò*, Causæ commissionem, cum Papa committit prælatis quibusdam in illis partibus, ubi canonizandus vixit, *ut se diligenter informent & solerter inquirant, de fama, opinione & devotione populorum circa illum talem*, quod ad vitæ exemplarem sanctitatem, opinionem sanctitatis in morte, & miracula post mortem: & hæc quidem in genere sine testium juridicâ examinatione. Ad testimonia hominum de eximiis moribus, & meritis, deque zelo pro fide & contemplationis atque ἀσκήσεως excellentia, accedunt subinde miracula & signa, revelationes & apparitiones. *Quintò*, Super informatione & literis commissariorum diligenter ad Pontificem perscriptis, deliberationem cum Cardinalibus, an satis digna videantur, quæ relata sunt, ad ulterius inquirendum. *Sextò*, Novam commissionem, ut iidem prælati aut alii de rei veritate diligentissimè inquirant, testes examinent, secundum interrogatoria, & articulos sub bulla Apostolica missos. *Septimò*, commissionem, quâ tribus sacri palatii auditoribus depositiones testium & tota informatio per literas prælatorum suis sigillis signatas, & ad curiam transmissas examinanda mandatur, ut videant & ordinent processum, & videant an inquisitio & probatio sit legitima, & sufficienter facta. *Octavò*, Commissionem de consilio consistorii, qua tribus Cardinalibus episcopo scil., & presbytero, & diacono imponitur, ut ab auditoribus examinatam inquisitionem, probationes & depositiones testium denuò diligenter examinent, & considerent solertissimè omnia considerando. *Nonò*, Relationem hujus examinis in secreto consistorio, si & ubi Papæ hoc 4.

placuerit. Atque hæc judiciis cognitio. In quâ tamen praxis cujusque Papæ subinde nonnihil variat à forma ceremoniali Romano delineata. Ut e. gr. Clemens VIII. negotium canonizationis Borromæi congregationi Cardinal. super sacris ritibus commisit &c. : de quo *bulla Pauli V. anno* 1610. II. *Indicium* duplex, unum præliminare, alterum peremtorium. *Illo* definit Pontifex de Cardinalium consensu, vitam & miracula, tanquam sufficienter probata. *Isto*, præeunte deliberatione, an quæ probata sunt videantur talia propter quæ merito sit decernenda canonizatio, definitur faciendam esse canonizationem. III. *Executio* constat istis tribus. 1. Solenni sententiæ promulgatione, & sancti istius συνθρονισμῷ Romę peragi solito: 2. Cultus solenni inchoatione, & novi sancti receptione apud illos, qui ejus canonizationem petierunt: 3. Similis cultus inde ad alios propagatione, ac continuatione. De membris duobus posterioribus consulendæ universalis hujus sæculi historiæ populorum aut regnorum, præsertim Hispaniæ, & Italię: ubi de Ignatio, Borromæo, Xaverio, Philippo Nærio &c. Primi membri sciographiam per actus & scenas solummodo hic digito indicamus ex *Leonis X. bullâ canonizationis Francisci de Paulâ* (extat *tom. 1. bullarii per Laërtium Cherubinum*), & ex *Marcelli Archiepisc. Corcirensis Ceremoniali ad Leonem X.* Fit ergo *actus primus* publicum consistorium in quo Pontifex cum pluviali rubeo & mitrâ pretiosis residet; & advocatus causæ longâ oratione proponit vitam, gesta, miracula canonizandi, ac nomine principum & populorum canonizationem „petentium denuo supplicat. Pontifex auditâ oratione respondet, liben„ter se audivisse tam miranda illius viri præconia: velle tamen super hâc „re maturius cum fratribus suis deliberare, hortari atque monere o„mnes, ut divinam clementiam implorent &c. Prælatos vero monet, ut „super his cogitare debeant, ut cum requisiti fuerint, maturè possint re„spondere. His dictis finitur hoc consistorium. *Actus secundus* est secretum consistorium, ubi Papæ hoc placuerit, ad quod vocantur omnes prælati curiæ cum Pontifice & sacro collegio. Ubi Pontifex breviter proponit ad quod convocati sint: deinde per advocatum facit summatim re„peti vitam & miracula canonizandi, & quæ sint probationes in genere „tantum. Post hæc narrat quantâ cum diligentiâ & fide inquisitio & pro„cessus super hâc re factus sit &c. Et demum conscientiam illorum one„rando exquirit sigillatim à quolibet suam in eâ re sententiam, & cum o„mnes finierint, agit gratias de bono consilio, & hortatur eos ut orent „Deum, ne se sinat errare in tanto negotio. *Tanta molis erat Romanum condere sanctum.* Cum tamen jam ante magnus Pantalon cum sociis & fratribus histrionibus peremtorię canonizationem decreverit. *Actus*

tertius

tertius continet ea quæ fiunt ipso die canonizationis: quem præcedit præparatio loci, suggesti, capellæ, thronorum, ornamentorum & utensilium &c. quas nugas operosè descriptas exhibet dictum *Ceremoniale Romanum*. In ipso die canonizationis tria peraguntur, præambula, ipla pronuntiatio seu declaratio, & proximè sequentia seu annexa. *Præambula* sunt processionalis descensus Papæ cum Cardinalibus, Prælatis, Officialibus ad Ecclesiam Petri: exceptio ejusdem à clero urbis: cerei accensi, orationes, litaniæ, cantus: instans petitio procuratoris causæ, qua nomine procuratorio & nomine principum &c. petit, pronuntiari & declarari beatum N, in sanctorum Catalogum adscribendum, &c. Denique „ protestatio Papæ, cujus hæc formula: Antequam ad pronuntiationem „ veniamus, protestamur publicè apud vos præsentes, quod per hunc „ actum canonizationis non intendimus aliquid facere quod sit contra fi„ dem aut Ecclesiam Catholicam sive honorem Dei. *Pronunciatio* fit altâ „ voce hunc in modum; Ad honorem sanctę & individuæ Trinitatis, & „ exaltationem fidei Catholicæ, ac Christianæ religionis augmentum, „ autoritate, ejusdem Dei omnipotentis Patris, Filii & Spiritus S. & be„ atorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostra, de fratrum nostrorum „ consilio decernimus & definimus, bonæ memoriæ N. sanctum esse, & „ sanctorum Catalogo adscribendum, ipsumque catalogo hujusmodi ad„ scribimus: statuentes ut ab universali Ecclesiâ anno quolibet in die tali „ festum ipsius & officium, sicut pro uno confessore (*si sit Confessor*), vel „ Martyre (*si Martyr*) devotè & solenniter celebretur. *Sequentia* proximè sunt, 1. *Quod* Procurator Fiscalis rogat Protonotarios; &c. de protestatione facta per Papam, & Procurator causæ simpliciter rogat de solenni pronuntiatione Canonizationis, & petit instrumentum, & à Papa decerni bullas super his opportunas. 2. Hymnodia, precatio, confessio (in quibus novus canonizatus partem facit) concessio indulgentiarum; celebratio missæ per Papam, aut, si is non possit, per Cardinalem; oblationes variæ per tres Cardinales commissarios & per legatos, dum missa celebratur, duorum scil. magnorum cereorum per Cardinalem Episcopum, cum quo primus Legatus offert cereum suum & canistellum deauratum cum duabus turturibus: duorum magnorum panum cum mappulis, per Cardinalem presbyterum cum quo secundus Orator offert cereum suum, & canistellum argentatum cum duabus columbis albis: duorum vasorum vini per Cardinalem diaconum, cum quo tertius Orator offert cereum suum, & canistellum diversorum colorum cum variis aviculis. 3. Deosculatio partim genu, partim pedum Pontificis per Cardinales. Atque hæc omnia inter missæ celebrationem: quod his verbis narrationem totius fabulę

bulæ concludentibus innuit ceremoniale: *proceditur deinde in missa, ut alias.*

4. Publicatio bullæ canonizationis, quæ fit ejusdem in urbe affixione, & typographorum descriptione, ac per orbem Papalem sparsione. Quis autem sit tenor (ut loquar cum curialibus & canonistis Romanis) & quis stylus ejusmodi bullarum, ex *bullario* discat, cui libet. Festivitates & triumphi, qui Romę, præcipuè apud legatos istorum populorum & regum, qui canonizationem sollicitarunt, & apud regulares istius ordinis, ex quo fuit canonizatus, instituuntur. Sed quid Romæ & alibi concionum & orationum habeatur, carminum canatur, festivitatum celebretur, etiam usque ad accensos ignes triumphales, explosiones scloporum & majorum tormentorum, actiones fabularum &c. in *Novellis* & *Mercuriis*, uti supra monuimus, legendum est. Specimen dabant & dari faciebant in toto orbe Papali Jesuitę, post canonizatum suum patriarcham Ignatium. Et memini tunc à Sorbona Parensi tres conciones tempore hujus solennitatis habitas, tanquam nimium exorbitantes à Jesuitis habitas, censurâ notatas fuisse.

5. Distinguenda nunc *canonizatio* à *beatificatione* & *elevatione*. De *quo* inter Pontificios non satis convenit, nec ipsi sibi constant. 1. *Duo* priora quod ad finem & effectum in eo distingui videntur, quod canonizatio faciat aliquem publicè & universaliter ab aut in ecclesia Romana colendum: *beatificatio* vero faciat tantum aut privatim privatâ fidelium devotione, aut particulariter ab hoc aut illo populo, aut oppido, aut ordine hominum, sive laicali sive clericali, colendum. Quod ad proximum fundamentum beatificationis, invenio illud triplex, 1. *Primo* antiquam consuetudinem & devotionem populi, per quam tanta fit præscriptio, ut veteres sancti & Dii indigetes eorumque reliquiæ, delubra, picturæ, tutelæ, votivæ peregrinationes &c. de possessione deturbanda non sint, quamvis de eorum sanctitate & beatitudine dubitetur. Hæc videor mihi colligere ex collatis *Zypæo l. 3. explic. analyt. juris canonici tit. de Reliquiis* & *Iesuita Bressero* &c. infra cit. *de conscientia lib. 6. c. 21. §. 302.* & *Ioh. Molano de picturis sacris* &c. 2. *Secundo* judiciũ Episcopi habito consilio theologorum; aut etiam Concilii provincialis. Vide *Zypæum loc. cit.* 3. *Tertio*, judicium Papæ subsequens & approbans. De quo *ibid.* Et *in bullario*, ut & *in collectaneis Barbosæ ad Bullarium habentur bullæ Pii IV.* & *Urbani VIII.* & *decisio SS. congregat. de cultu S. Rochi*, consequenter de beatitudine; de quo infra, *tit. de sanctis chimæricis*. Atqui SS. congregationis illius declarationes sunt definitivæ & obligatoriæ, uti monet *Cherubinus in compendio bullarii ad constit.* 74. *Sixti V.* Adde non paucos per antecedens judicium Papæ beatificari, idque *vel* secretum in consistorio, quod judi-

judicium semper præmittitur canonizationi, uti supra vidimus: *vel* publicatum; qualia sunt de sanctis, quorum canonizatio & promotio adhuc differtur; interim præparatorie & provisionaliter beatificantur, cultusque aliquis eorum permittitur; qui *candidati* canonizationis seu *competentes*, seu *licentiati* appellari possent. Et tales erant anno 1633. Andreas Avellinus aliique infra in problematis nominandi. II. *Elevatio* est, per quam reliquiæ sancti alicujus à communi sorte & loco defunctorum eximuntur, & tanquam sacræ in loco & capsa sacra reponuntur ad veneration nem. Cum quâ subinde coincidit *translatio* reliquiarum. Quæ si præcedat canonizationem fundat & declarat solummodo cultum privatum particularem: sin sequatur est tantum accidens canonizationis, quod potest adesse aut abesse.

DE CANONIZATIONE SANCTORUM, *PARS SECUNDA.*

Resp. BALDUINUS de KOUSSEMAKER Scherp.-Zeland. *Add.* 24. *Febr.* 1654.

ADdamus nunc aliquot apotheosios Romanę distinctiones. 1. Prima distinctio est vocis homonymæ, in propriam & impropriam. *Illa* est, cum Papa sive antecedente, explicito & formali, sive subsequente, implicito & materiali, seu æquivalente judicio, dictialicujus sancti cultum constituit aut confirmat. Alterutrâ apotheosi gaudent omnes sancti in *Kalendario Romano* designati. *Ista* est, cum Papa cultum ignotis sanctis hactenus privato hominum studio delatum, tolerat aut non prohibet, aut ad eum connivet, sive volente, sive nolente animo, sive ignorantiâ, sive securitate, sive negligentiâ. Sic in omnibus regni Papalis angulis multi sancti coluntur à *Philippo Ferrario in* vasto illo *catalogo sanctorum* extra martyrologium Romanum ex omnibus Scriptoribus collecti & in lucem protracti: de quorum canonizatione antecedente, aut subsequente seu approbante, nec Papa, nec sacrum consistorium, nec sacra congr. Cardinal. per somnium cogitârunt. Sic connivet Papa ad cultum Rochi, immo permissionem ejus decreto confirmavit. De quo in *disp. de Sanctis Chimaricis.* Idem dicendum de cultu Caroli Magni; qui à Paschali II. Illegitimo Anti-Papa (juxta judiciũ sc. Papæ tunc viventis, siquidem hic etiam valet axioma Pii II. *Rex est qui regnum tenet*) illegitimè canonizatus erat, & cujus canonizationis actus cum omnibus aliis actibus Papalibus rescissus, irritus, immo ipso jure nullus, fide Romanâ credi debet. II. Secunda distinctio est gene- I.

ris analogi in sua analogata. Eaque duplex: quarum *prior* est in solemnem, specialem, & expressam; & in generalem, non solemnem, implicitam. *Illa* hujus disput. parte præced. descripta est, & propriè ac κατ' ἐξοχὴν canonizatio dicitur; qualis est omnium sanctorum illorum qui usque in hunc diem cum figurâ processus canonizati sunt, & quorum processus Romæ inter archiva servantur. *Ista* est quæ fit absque strepitu & figura processus, absque solemnitate & pompa, tacita planè & implicata: qualis est eorum Sanctorum, qui in *Kalendariis Romanis, Breviariis, Diurnalibus, Officiis Mariæ, Hymnariis, Gradualibus, Antiphonariis, Pastoralibus, Missalibus, Martyrologiis* locum obtinuerunt, & sic per receptionem & usum istorum autenticorum quasi librorum in cultu publico sub approbatione seu authorizatione Papę, inter canonizatos coluntur. Possunt autem hi sancti eorumque canonizationes rursum distingui in ante conciliares, quæ ante Concilium Tridentinum; & post-conciliares, quæ post concil. Trident. obtinuerunt. Ante concilium solâ ferè usus recepti præscriptione obtinebant. Post concilium accessit reformatio & emendatio, quam *Kalendaria, Breviaria, Missalia, Pastoralia* &c. ex decreto Concilii Tridentini & jussu Papæ induerunt, eoque titulo edita sunt. Ita ut inter prioris & posterioris generis canonizationes & sanctos, gradualis differentia statui possit, tanta ferè, quanta inter milites per inferiorem quem officiarium hinc inde collectos & designatos, & inter eosdem ad sua quosque signa vocatos, ac post armilustrium & recensionem juramento auctoratos. Inter alba sanctorum seu autenticas recensionum tabulas, an *Octaviaria* & *Processionalia*, referenda sint, meritò dubitari posset: cum ista Episcopali autoritate concepta aut saltem scripta imposita sint; illa à privato & fallibili Theologo seu rituum magistro concepta atque edita sint (e.gr. *à Bartholomæo Gavanto*) sed jussu Papæ. De *libris Exorcisticis*, præcipuè illis, qui Episcopali jussu & approbatione præfulgent, quale est *Manuale Maximil. ab Eynatten*, ut & omnibus agendariis particularibus, idem dubitari posset. Sed hæc aliaque dubia Romanis Theologis agitanda & dictis SS. congrr. Cardinalibus determinanda relinquimus. *Posterior* distinctio canonizationis, tanquam generis analogi, est, in Papalem & Cardinalitiam. *Illa* est, quæ facta intelligitur per antecedens, aut subsequens judicium ipsius Papæ, dum aut bullâ aliquâ peculiari, aut libris & tabulis communibus jussu ipsius recensitis atque editis (ex.gr. *Breviariis, Missalibus*, &c.) publicum cultum hujus aut illius sancti approbat, aut saltem permittit. *Ista* est quæ immediatè & directè fit judicio & declaratione SS. congreg. Cardd. Cujus exemplum datum fuit 17. Septembr. 1611. in approbatione lectionum Firmi & Rustici pro ecclesiâ Bergomensi, & 26. Januar.

1611.

1611. in approbatione corporis S. Flaviæ, Messinæ inventi. Excipient fortè hæc exempla ad rhombum non facere, quippe quæ ad beatificationem pertineant. Nos regerimus magis & minus, non variare speciem: quidquid illi distinguant. III. *Tertia* distinctio est, ex causa impulsiva: alia enim canonizatio fit ex motu proprio Papæ, alia ex motione aliorum. *Illius* generis pauciores sunt. Fortè sic Thomas Aquinas per Joh. XXII. Thomas Cantuariensis per Alex. III. Item Bonav., Brigitta &c. canonizati. Intus autem movetur Papa aut superstitioso affectu erga talem sanctum (quod tamen rariùs puto accidisse), aut rationibus propriis Papalis Sedis autoritatem, aut familiæ, aut gentis, aut ordinis sui splendorem tangentibus. *Istius* generis complures; uti Papæ in Bullis canonizationum plerumque tales instantias sibi factas profitentur. Vide ex. gr. *Bullas de Antonino per Clementem* VIII. imprimis *Carolo Borromæo per Paulum* V., & *Raymundo de pennâ forti per Clementem* VIII. canonizatis. Postremi bullam supra alias operosam & diffusam exhibet *bullarium*, & *Quaranta in constitut. Pontificum*: ex quâ plurima mysteria & solemnitates canonizationum discent harum novitatũ φιλομαθεῖς. Quas rursum dispescere possumus in emendicatas seu sollicitatas, in coactas, & in emptas seu venditas: *emendicatæ* seu sollicitatæ sunt, quæ fiunt per & post longam, saltem seriam ac vehementem sollicitationem regum, principum, populorum, ordinum religiosorum. Sollicitationem Mediolanensium pro Car. Borromeo refert *Petrus Mathæus*, *in historiâ suâ*: eandem indicat *bulla*. Vehementissimam & diuturnam Regum Hispaniæ pro Raymundo de penna forti, *bulla* modò *cit.* *Coactæ* sunt, quæ invitis Papis extorquentur ab importunis petitoribus & intercessione Magnatum. *Emptæ* jam posterioribus his sæculis sunt ferè omnes. Nec est quod ex rationariis Regum, Principum &c. probationes speciales petamus: sufficiunt generales illę gnomæ de emporio Romano jactatæ: *Dantes exaudit, non dantibus ostia claudit* &c. Et illud Mantuani lib. 3. de calamitat. mundi: *Venalia nobis, Templa sacerdotes* &c. Et aliud Sannazarii: *Vendit Alexander cruces, altaria, Christum. Emerat ipse prius: vendere jure potest.* IV. Distinctio est ex termino seu effectu. Alia enim canonizatio metonymicè potest dici rubra, alia nigra. *Illa* est sanctorum illorum, qui in Kalendariis Romanis rubro signantur, & quorum festa sub præcepto ab universali ecclesiâ Romanâ, omnibusque & singulis ejus subditis celebranda instituuntur. *Ista* est sanctorum, quorum festa nigro in Kalendariis notantur, & sub consilio tantùm celebrantur. Confer *disp. nostram de Festis*. Prioris generis canonizationes explicitæ, & solemnes nullæ quod sciam, in archivis & bullis Papalibus comparent. V. Distinctio est ex temporis circumstantia. Et sic alia potest

dici præcox, alia sera. *Illa* est, quæ fit brevissimo temporis intervallo post sancti mortem: ut ex. gr. Bernardi, defuncti anno 1164. Et tales sunt rarissimæ; immo eas non debere fieri, asserit *Viguerius in Institut. cap.* 10. §. 3. *Ista*, quæ fit longo tempore post mortem. Et tales sunt complures, ut Eduardi Regis Angliæ, canonizati centum ferè annis postmortem; Stanislai, 175. post martyriũ; adhæc Antonini, Raymundi de penna forti, &c. VI. Distinctio est ex adjuncto, quòd alia sit certa, alia dubia. *Illa* est, de qua in ecclesia Romana non dubitatur, aut dubitare non licet. Quales sunt omnes solennes & explicitę seu formales, quarum processus Romæ in archivis servantur, aut de quibus ex *vitis Pontificum, annalibus, & actis publicis* sufficiens notitia haberi potest. *Ista* est, de qua dubitatur, & à Theologis aut Canonistis diversimodè sentitur. Ex. gr. Bruno Carthusiani ordinis institutor, dicitur canonizatus per Leonem X. à *Baronio* in *notis ad Martyrolog. Romanum*, & *Laurentio Surio, in vitis sanctorum ad 6. Octobr.* ubi ait, *diploma Leonis* in magna Carthusia asservari. Et *Roderico tom. 1. quæst. regular. qu. 3. art. 8.* Contrà negat *Flavius Cherubinus, in scholiis ad bullam Iulii* II. anno 1508. Rationem hanc adducit, quod pater ipsius *Laërtius Cherubinus*, qui bullas diligenter conquisiverat, & *in bullario suo* exhibuerat, hanc non ediderit nec in bibliotheca sua habuerit. Sed hæc ratio non videtur mihi adamantina: quia Pater ejus etiam aliis Bullis caruit, aut eas edere noluit, quales sunt ex. gr. *Sixti* V. *Bulla excommunicationis Henrici Regis Navarr. & Principis Condæi, Bullæ Bonifacii* VIII. & *Hadriani* VI. quibus indulgentias concedebant Germanis bibentibus post gratiarum actionem. De qua vide *Augustinum VVichmans in Sabbathismo Mariæ.* VII. Distinctio est, ex causa, quæ vel solitaria vel socia: sic alia fit ab uno Pontifice, cum scil. totus processus ejus ductu & præsidio absolvitur: alia à duobus, aut tribus, aut pluribus; sic ex. gr. Nicolai de Tolentino canonizatio ab Innoc. VI. Et Johanne XXII. tentata, & ab Eugenio IV. perfecta dicitur in *Bullâ Sixti* V. anno 1585. Et plura ejusmodi exempla occurrunt, ut Vincentii Valentini anno 1458. &c. VIII. Distinctio est ex subjectis: alii enim sunt martyres qui martyrum, alii confessores qui confessorum catalogo adscribuntur: uti hæc distincta qualificatio in bullis exprimitur. Quod ad alios titulos & gradus sanctorum in Papatu, scilicet Doctorum, virginum, viduarum &c. Non video eos in *bullis* distinctè exprimi: quod tamen fit in vulgaribus litaniis.

2. Accidunt canonizationi & beatificationi inter alia, hæc quatuor imprimis notanda; repulsa, abortus, dilatio, revocatio seu irritatio. 1. *Negatio* seu repulsa est, cum non obstantibus petitionibus & instantiis non visum est Papæ negotium canonizationis aut beatificationis suscipere, &

Cardi-

Cardinalibus, auditoribus rotæ aliisque ad id delegatis demandare. Exemplum habemus in Balthazare Gerardo, percussore sublimis & bened. memor. Herois, Wilhelmi Principis Auriaci, veri Patriæ Patris, quem Dux Parmensis sanctorum numero adscribi à Papa postulabat: referente *anonymo* quo istius paricidę encomiaste, *in carmine hexametro* Lovanii edito, & ab Henrico Cuyckio librorum censore (postea episcopo Ruræmundano) approbato. Sed Papa plus prudentiæ cum filiis hujus sæculi hac in parte ostendit, cùm tam fœdum & odiosum negotium attingere noluit.

11. *Abortus* est, cum inchoata & properata aliqua beatificatio & quasi apotheosis in spongiam incumbit, nec unquam consummatio ejus tentatur. Exemplum dedit μακελισμὸς Jacobi Clementis paricidæ, tanquam martyris per Sixtum V. in *vitis Pontificum & historiis istius temporis*: de quo tamen rotæ, consistoria, & tripodes Romanæ postea plane conticuerunt. In Garneto celebri proditore & paricida Anglicano ferè simile quid obtinuit; quidquid dicti socii Jesu sategerint eum ad sanctitatis titulum provehere, ficto in eum finem miraculo imaginis Garnetianæ in spica, buccinato martyrio, scriptis apologiis, & adornatis sacris (secundum ipsos) picturis. Vide hæc detecta ab eruditiss. Theologis Anglis *in dispp. de Papa potestate temporali, & de Sede Romana incompatibili &c.* antehac indicatis.

111. *Dilatio* est, per quam, quidquid obnixè petatur, in multos annos beatificati alicujus canonizatio protelatur. Curiales Romani, ut Papæ honori consulant, varias causas hujus dilationis comminiscuntur; & peculiarem tract. de ea conscripsit Castellinus. Sed frustra ad populum phaleras. Si enim verum est, talem fuisse in vita sanctum, & in cœlis nunc esse beatum, & posse cultum ac devotionem fidelium per eum augeri, nec Papa in canonizando falli possit (juxta *Bellarminum*, *Viguerium*, aliosque Doctores infra *cit.*) cur hoc bono ecclesiam privat? cur non citò dat, ut bis det? Sed excipiunt fortè cum *Flavio Cherubino* & *Viguerio*, magnam diligentiam nunc adhibendam, & lentè festinandum, quia nunc ita non fiunt miracula, & multæ dæmonum illusiones & hominum deceptiones intervenire possunt. Quibus responsionem hanc ad hominem repono: Papæ infallibilitatem in eo consistere, quod sive diligentiam adhibeat sive non adhibeat, rectè semper determinet, quandocunque determinat: Uti tradit *Gregor. de Valentia in analysi fidei*. Ego genuinam dilationis causam puto esse velificationem Papæ; qui judicio & affectu suo à postulata canonizatione alienus, eam tamen negare non audet nimis magnis, sæpe maximis petitoribus. Exempla dilationis & sanctitatis seu canonizationis candidatorum, ac competentium sunt varia: Infra hodiernum catalogum contexemus. Compulsoria & adjutoria contra hanc tarditatem &

dilationem, quæ adhibenda sint, ex gloſſemate taxæ pœnitentiariæ facilè colligitur; *Et diligenter notandum, quod hæ gratiæ non dantur niſi qualificatis* &c. IV. *Irritatio* ſeu revocatio eſt per quam implicitè aut explicitè ſive canonizatus, ſive beatificatus, ſive inter ſanctos habitus & cultus, degradatur & excanonizatur, ſeu exbeatificatur. Fit autem talis degradatio ſeu exauctoratio vel ſolemniter, & publicè, vel privatim. *Prioris* exemplum eſt in Hermanno de Ferraria, cujus memoria, cum jam viginti annis pro ſancto habitus & cultus fuiſſet, per Bonifacium VIII, damnata eſt. *Poſterior* fit vel magis apertè, vel magis tacitè. *Magis apertè*, cum Doctores armiluſtrio & recenſione ſanctorum hactenus militiam hanc militantium inſtitutâ, aliquorum nomina diſpungunt aut inducunt. Sic ex. gr. *Philippus Ferrarius ad* 28. *Ianuarii* notat S. Turpinum Epiſcopum Rhemenſem inter ſanctos non haberi, idque probat autoritate tabularum Democharis. Huc imprimis referendum exemplum iſtius monachi nebulonis nebulonum, quem deſcribit *Bocacius in Dodecaëmero*, & cujus hiſtoriam inde in Latinum tranſcripſit literata & pia *Olympia Fulvia Morata p.* 18. edit. *opuſculorum in* 8. *Magis tacitè* hoc fit triplici modo. 1. *Cum* radios beatificationis, cum quibus pingi ſolent, in picturis omittunt. 2. *Cum τὸ* S. nominibus eorum præfigi ſolitum ſive omittunt ſive obliterant. Vide *præfat. Coci ad cenſuram patrum.* 3. *Cum* in libris autenticis in publico cultu adhibendis, (quos ſupra indicavi) nomina & officia eorum non ampliùs deſignantur. Confer *diſp. noſtram de Sanctis Chimæricis.* Atque hactenus deſcriptio canonizationis. Deprehendo duos de ea peculiares tractatus paſſim citari & commendari, *Angeli Rocca*, & *Troili Malvetii*: quorum priorem hactenus non vidi; poſteriorem, qui exſtat in publica Bibliotheca inſertus ſcil. *Oceano juris tom.* 14., nunc non vacat conferre.

3. Accedamus nunc ad canonizationis examen. Pontificii hodie eam defendunt: inter quos imprimis nominandi *Bellarminus loc. cit. Viguerius Inſtit. c.* 12. *§.* 3. *Feuardentius lib.* 8. *Theomachiæ Calviniſticæ c.* 15. Ut autem conſtet quid defendant, definitiones eorum præcognoſcendæ, & factum ipſum cum ea conferendum: quæ præced. parte exhibuimus. Cum *Bellarmini* definitione *Feuardentii* & *Viguerii ferè* conveniunt. Nos ergo canonizationi ita deſcriptæ iſta opponimus 1. *Rat.* Quia terminus & finis canonizationis, religioſus ſcil. cultus ſanctorum, repugnat verbo Dei: ergò & ipſa canonizatio, quæ eſt motus ad illum terminum, & proprium medium ad illum finem. Minor probatur in genere ab *autoribus præced. parte in principio indicatis*: & per ſingulas cultus partes *theſi* 3. *ibid.* enumeratas in *diſpp. de Roſariis & Litaniis, de Templis, tutelis & præfecturis ſanctorum &c.* 11. *Rat.* Quia nullum Papalis canonizationis præceptum in ſcri-

scripturâ occurrit. III. *Rat.* Quia dato, eam in se malam & idololatricam non esse, nulla tamen potestas & potentia canonizandi post tempora Apostolorum in ecclesiâ N.T. reperiri posset. Probatur, quia nec penes Papam, aut ullum Doctorem, nec penes concilium quodcunque, sive universale, sive maximum, sive particulare, residet infallibilitas in determinando cultu divino; qualis fuit in Prophetis & Apostolis. Applicatum hoc vide ad Papam & Concilium à *Plesseo*, *Whittakero*, *Chamiero*, *Molinæo* aliisque veritatis divinæ contra Pontificios Promachis. IV. *Rat.* Quia præter dictam usurpationem Papæ, quæ illegitimam & nullam faciunt canonizationem abusus & errores ejus multiplices de facto commissi, novam earum nullitatem inducunt. Notum enim, & in medio Papatu haut obscurè fatentur (quorum aliquos infra notamus), quales subinde canonizentur, & quorum fallibili, immo & fallaci informatione Papa hic utatur, Episcoporum scil., Cardinalium, auditorum Rotæ, advocatorum: quorum omnium ultima analysis est in testimonia rudium laicorum, stolidarum & superstitiosarum mulierculorum, fantasticorum aut mendacium monachorum, sacerdotum impostorum, & similis farinæ testium non testium; quos pejeranti Proculo (uti eum insignit Minutius Felix), & Numerio Attico, ac Livio Geminio comparare liceat: quorum ille testis oculatus jurabat se vidisse Romulum (apud *Livium lib.* 1. *c.* 15. & *Plutarchum in Romulo*) : iste Augustum in cœlos euntem; quo nomine decies sestertiũ à Liviâ accipiebat: (*apud Dionem lib.* 56.): Hic similiter jurans se vidisse Drusillam sororem Caligulæ in cœlum ascendentem, decies sestertium meruit; teste *Dione lib.* 59. Ex abundanti suggerimus Pontificiis, nondum esse nec unquam fuisse hæc duo determinata tanquam de fide, Papam in quæstionibus facti, & consequenter in informatione ad canonizationem necessariâ, non posse errare: Et hæc aut illa certa ac infallibilia signa esse, quibus apparitiones, visiones, revelationes, miracula, indubitatè probari, & à diabolicis illusionibus discerni possint. Prius vide probatum *ab ipso Bellarmino de Pontifice*: posterius à nobis ex variis eorum scriptoribus, in *parte* 2. *select. disp. tit. de probationibus spirituum.* V. *Rat.* Quia formalitates canonizationis sunt superstitiosę, idololatricæ, vanæ. Quod patet lustranti ceremoniale Romanum, ubi describuntur. VI. *Rat.* Quia hâc ratione religio seu cultus religiosus in Papatu non tantum redditur incertus (adorant enim quod nesciunt an sit ἄθυρμα hoc est, numen seu adorabile), sed vagus, desultorius, & potentiâ quasi infinitus, quod ad certum ac definitum cultus devotionisque objectum. Semper enim nova placent, aut placere debent, semper extensionem & ampliationem aliquam exspectant, semper de cultu ad cultum, de numine ad numen trahuntur;

huntur; & animus, inter illa numina, sacrificia, festa, reliquias, imagines ut dividitur, sic per illa distrahitur. Nunquam cultus perfectus & consummatus, semper mutandus & perficiendus. Nobis autem Deo adhærere bonnm est *Psal.* 73. Dilectus meus mihi & ego illi *Cantic.* 2. Nos adoramus quod scimus *Ioh.* 4. Nihil inter vos volui scire, nisi Christum 1 *Corint.* 2. VII. *Rat.* Quia nulla hujus canonizationis antiquitas, nulla successio, nullus catholicismus. Quod in ipso Papatu fatentur, quoties primam canonizationem tali anno à tali Papâ peractam dicunt. Autores infra indicabimus. Rationes reliquas, quæ sunt ad hominem, sequenti parte pertexemus.

DE CANONIZATIONE SANCTORUM.

PARS TERTIA.

Resp. HENRICO BERDENIO Daventriensi, *Ad diem* 24. *Februarii* 1654.

1. *AT.* VIII. Quia Papalis canonizatio symbolizat cum apotheosi Deorum Gentilium. Vide & confer Gentilem descriptam apud *Herodianum lib.* 4. *Rosinum & Dempsterum lib.* 3. *antiq. Rom. cap.* 18. ubi varii authores veteres & recentiores indicantur. *Vossium lib.* 1. *de Idololatriâ cap.* 12. Et qui ante ipsum hoc egit, *Gyraldum in syntagm. de Diis*; ubi agens de apotheosi, dicit se ejus vidisse similem in apotheosi alicujus Romæ factam. Adde *Tertullian. Apolog. cap.* 11. & ibi *Heraldum digres. lib.* 1. *cap.* 11. *Minutium Felicem in Octavio circa medium*: quem velim percurri; cum notis & commentar. *Ioh. à VVouvveren*, & *Elmenhorstii* viri diligentissimi & diffusissimæ lectionis. Ex Theologis nostris *Hospinian. de Festis Christianorum cap.* 6. & *Ioh. Prideaux orat.* 13. Adeò ut de Papatu usurpare liceat illud *Iulii Firmici Materni* (pag. 39. edit. in 8.) olim Gentilibus objectum: *Scenam de Cœlo fecistis.* Et *Clementis Alexandr. in Protreptico p.* 29. *ed. gr. lat. in fol.*) Οἴμοι τῆς ἀθεότητος· σκηνὴν πεποιήκατε τὸν οὐρανὸν, καὶ τὸ θεῖον ὑμῖν δρᾶμα γεγένηται), id est, *O impietatem! scenam cœlum fecistis, & Deus vobis factus est drama.* Vide *eundem de Theopœia Gentilium p.* 12. Et *Rittershusium lib.* 7. *lection. sacrar. c.* 22. Et ne quid desit imitationi Gentilium astris suos θεοδέκτους seu canonizatos inferentium, providit quidam *Iulius Scillerus*, qui ante annos circiter 37. Augustæ *Cœlum stellatum Christianum dedit*; ubi omnia planetarum & syderum nomina in sanctorum nomina commutavit. Quod

ad

ad Judæorum θεοποίας seu apotheoses, quas *Prideaux loc. cit.* perstringit, illæ magis pertinent ad generalem titulum de Idolis & origine idololatriæ, quam ad specialem subtitulum de Canonizatione. Porro de Idolis eorum ex professo & doctè agit *Seldenus de DIs Syris.* IX. *Rat.* continet ea, quæ ad hominem ex ipsis Pontificiorum sive rationibus sive dubitationibus, sive testimoniis histrionicæ & stolidæ huic apotheosi opponi possent. Qualia sunt: 1. quod nondum communi fide Papisticâ constet, an scripturis an verò traditione nitatur: uti infra videbitur. 2. *Quod* communi fide nondum constet, nec teneri possit, sintne canonizati omnes, Dii Deæque, qui illic coluntur: adhæc, si directè aut indirectè seu interpretativè, formaliter aut materialiter canonizati credantur, an legitimè sint canonizati à Papâ legitimo, legitimo more & modo. Nondum enim determinatum est à sede Romanâ, aut à Concilio universali Papatus, aut communi & currente doctrinâ scholarum, an Papa in ipso actu judiciali, aut saltem in præparatoriis actibus circa inquisitionem in testes & testimonia errare aut non errare possit: cum omnes quæstiones hîc sint quæstiones facti, non juris; in quibus eum malè informari posse, vix quisquam gnathonum ejus negare ausit. Denique dubium maximum est, si interveniat simonia & sacra διαφαγία, per quam obtineatur canonizatio, an tunc illa sit legitima. Hæ lites cum sint sub judice, nihilominus pergunt miseri Papicolæ cum Samaritis adorare, quod nesciunt *Ioh.* 4. & cum Athenienſibus aram figere ignoto Deo *Actor.* 17. & sacra ac religionem exercere sine fide (divinâ scil.) cui non debet nec potest subesse falsum; solâ humanâ atque incertâ conjectatione, aut dubitatione, aut fide implicitâ, quæ explicita ignorantia est, contenti; cum tamen verbum Dei moneat, peccatum esse quidquid non est ex fide; *Roman.* 14. & impossibile esse, ut quis Deo placeat sine fide. *Hebr.* 11. 3. *Quod* de facto, aliqui canonizati & tanquam sancti culti sunt in Papatu, quos tamen doctrina aut vita, aut utraque sanctorum titulo indignos reddit. Sic ex. gr. Dionysius Alexandrinus *in martyrologio Romano ad* 17. *Novembris* inter sanctos colendus proponitur, quem tamen *Augustinus de Cathol. dogmate cap.* 3. fontem Arrianorum appellat. Simile quid de illo *Basilius epist.* 41. *ad Maximum Philosophum*. *Baronius in notis ad martyrologium* conatur eum ab hæresi excusare. Sed dato ægrè eum ab hâc maculâ purgari, purgari tamen; quomodo tamen coronam sanctitatis ipsi imponent. De similibus pseudo-sanctis, vide quæ diximus *in Diatribâ de Sanctis Chimæricis.* Confer testimonia *Caroli Magni lib.* 1. *de Imaginibus cap.* 3. Cujus libri veritatem, authoritatem, & præstantiam decantat *Cassander in epistolis, epist.* 19. *anno* 1590. *ad Ioh. Molinæum; ejusdemque libri editor anno* 1549. *in* 16. *in præfatione.* Quid Canus.

Ludovicus Vives, Cassander, Erasmus, in hagiologiis & ἁγιοθρησκείᾳ Romanâ desiderârint, hîc non referam, quia charta hæc non capit. Tantùm exhibebo nostris verba, quæ nuper rimè viro erudito Petr. Streithagen vis veritatis expressit in tract. de Instruendâ vitâ Canonicor. sæcular. c. 19. p. 121. *Nunc passim homines quæsitis causis in cœlestium numerum & syllabum æterni tablini inseruntur, sive propter institutum aliquod vitæ genus, sive propter exercitam specie tenus sanctimoniam*, & ante paucos dies luctu publico mortui confessi, *procuratâ ambitiosè Apotheosi* Divi fiunt, cum vix vivi esse desierunt. *Hæreticus aliquis consecrationem veterum Imperatorum in Ecclesiâ renovatam diceret, ego reverentiùs de Matre meâ sentire soleo, iis tantum indignans, qui data opera simplicitate credulorum abutuntur. Si verò id eo usu venit, quòd nescio quibus hominibus divini cultus dispositio committatur. Sedis Apostolicæ nomine multa fiunt, & auctoritatem sub tantâ protectione sibi conciliant, quæ alioquin duriorem censuram paterentur.*

2. Occurramus nunc rationibus adversariorum, quibus demonstrare conantur (inter alios *Bellarminus lib. 1. de Ecclesiâ triumphante cap. 7.*) utile esse, ut sancti canonicentur: necessarium esse, non audet dicere; cum tamen rationes quædam, si valerent, manifestè concluderent necessitatem. 1. Argum. *Quia Deus ipse voluit à sanctis scriptoribus annotari in particulari gloriosam vitam & mortem eorum, qui tempore ipsorum floruerunt, ut patet ex* Ecclesiastici cap. 44. &c. & Luca in Actis, *qui plurimos sanctos canonizârunt &c. igitur credibile est eodem modo Deum velle, ut deinceps fiat.* Resp. 1. Debuerat meminisse definitionis à se immediatè præmissæ, & septem in canonizatione collatorum; de quibus 1. *part. hujus disp.*; ubi & alias ex aliis authoribus adjecimus. Aliud enim est annotare gloriosam vitam & mortem Henoch, Noach, Abraham, &c. Stephani, Jacobi, Petri, Pauli, &c. quod suo modo competit omni historico, aut actuario, sive privato sive publico, adhæc Poëtis & Oratoribus: & aliud Papalis canonizatio cum requisitis supra descripta: de quâ ne γρῦ in locis cit. imprimis nihil ibi comparet de publicâ sanctorum invocatione, festis, imaginibus, reliquiis, templis, aris, sacrificiis missæ, horis canonicis, quæ ipsis decreta aut delata sunt. Committit ergo fallaciam ἑτεροζητήσεως seu ignorationis elenchi. *Resp.* 2. Sequeretur ex antecedente hujus argumenti, quod affirmatur, Petrum esse canonizatum à Lucâ, Abrahamum à Syracide (uti *in terminis* loquitur *Bellarminus*); Syracidem & Lucam fuisse Pontifices maximos, atque adeò majores Abrahamo & Petro, quos canonizabant: Siquidem *ut sine omni contradictione id quod minus est, ab eo quod majus est benedicitur, Hebr. 7. vers. 7.* sic minor est consecratus & canonizatus consecrante & canonizante. *Resp.* 3. Sequeretur Pontificios esse profanos, qui multipli-

tiplicem illum honorem religiosum sanctis illis à Deo per amanuenses suos διαπόνους (ex sententiâ ipsorum) decretum, iisdem non tribuunt & persolvunt. Nusquam enim ex.gr. Phinees, Josue, Caleb, &c. à Syracide, & Silas aliique per Lucam canonizati (uti affirmat *Bellarminus*) in *Breviariis*, *Missalibus*, *Kalendariis*, *Martyrologiis*, aliisque authenthicis Papatus tablinis comparent. *Resp.* 4. Frustrà scriptura ad partes trahitur: cum doctiores inter Pontificios fateantur haberi eam ex traditione, *Canus de loc. theol. lib.* 3. *c.* 3. *Pegna in notis ad Eymerici director. Inquisitor.* „*part.* 2. *commentar.* 42. II. *Argum.* Tenemur sanctos honorare & laudare &c. At nisi sciamus qui sint veri sancti, & qui non, non possumus „eos colere, ut oportet. *Resp.* 1. Rursum ignoratur elenchus, aut potius subdolè pervertitur status controversiæ & mutantur termini: quod malæ causæ & conscientiæ signum est. Aliud enim est sanctos *honorare & laudare*; uti loquitur in antecedente: & aliud *eos colerè ut oportet*; uti loquitur in consequente. Illud docet scriptura *Luc.* 1. *vers.* 48. *Hebr.* 13. *vers.* 7. Et celebre illud dictum Augustini: *honorandi sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.* Confer *eundem contra Faustum Manichæum lib.* 26. *cap.* 21. imprimis *lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 27. & ibi ingenuam confessionem *Ludovici Vivis*, „Multi Christiani Divos Divasque non aliter venerantur quam Deum. Nec video in multis quod sit discrimen inter eorum „opinionem de sanctis, & id quod Gentiles putabant de Diis suis. Istud nusquam docet Scriptura; siquidem cultus Papalis intelligitur. Ubi enim septem illa sanctis tribuenda, decernenda, conferenda præscribuntur? Quod si per *cultum debitum*, non intelligit cultum Papalem cum proprio suo fundamento (canonizatione scil.), jam argumentum est ἀπροσδιόνυσον. *Resp.* 2. Non audet exlertè dicere, quod dicere debebat; Necessariò fieri canonizationes, ut discernantur veri sancti à falsis: aliter enim hoc non posse fieri. Verebatur scil. in promtu futuram fuisse responsionem, in scripturis talia criteria nobis proponi, quibus quantum quidem nobis hic sufficit, genuini sancti à falsis discernantur; Hoc etiam absurdo urgendum, ante constitutum Papatum Romanum, & frequentatas Paparum canonizationes, nunquam potuisse discerni veros sanctos à fu„catis. III. *Argum.* Ex ratione imitationis. Non possumus, inquit, „accendi ad imitationem, nisi in particulari sciamus, qui sint imitandi, & „quid illi egerint, aut passi sint. Et lucerna in candelabro poni debet, id „quod fit per canonizationem. *Resp.* 1. Atqui septem illi honores per canonizationem collati longè aliud sonant, quam imitationem. De illis nihil concluditur: quod tamen fieri debebat, hoc scil. aut simili argumento: Qui sunt imitandi, illi debent per Papalem canonizationem in

candelabro poni ad publicum religiosum cultum, invocationis scil. festorum, sacrificiorum &c. Sed sancti sunt imitandi. Ergo. Jam *Neg.* major. *Resp.* 2. Imitandi nobis proponuntur in Scripturis descripti infallibiliter; in Historiis fallibiliter. Supervacua igitur est superstitiosa & theatralis apotheosis. 3. *Resp.* Longè aliud est testimonium & judicium Ecclesiæ, aut alterius Collegii de genuinis aut nothis, chartis & historiis vitas sanctorum describentibus; & aliud solennis canonizatio supra descripta. Illud enim cuivis Theologo aut Historico, Critico, aut facultati Theologicæ, aut Censori librorum, in Papatu tribui potest & solet; nedum S. congregat. Cardinalium: ista minimè; sed soli Papæ. Qui tamen ut scripturam sacram non potest facere fallibilem, sic historias humanas non potest facere infallibiles; ne quidem criticè discernere (ut est plerorumque Paparum in istis rebus ignorantia & ἀπειρία) sintne veræ an fabulosæ, genuinæ an hypobolimææ. Multò minùs certò statuere potest, an canoni-
„zandi sint in Cœlo, an vero in inferno aut purgatorio. IV. *Argum.* Ex
„conjunctione quam cum illis habemus. Siquidem sumus membra unius
„corporis, & membra invicem compatiuntur & congaudent: oportet er-
„gò eos compati & pro nobis sollicitos esse, quod sine dubio faciunt, et-
„jam in particulari, &c. & è contrario nos illis congaudere, & pro illorum
„gloriâ Deo gratias agere: quæ sine particulari notitiâ fieri non possunt.
Resp. Arena sine calce: nam 1. Unde probatur eos in particulari de nobis sollicitos esse? 2. Dato esse, unde probatur eorum meritis precibusque nos in particulari quâvis necessitate secundum partitas cujusque præfecturas & tutelas juvari & exaudiri? 3. Et hoc dato (quod tamen falsissimum), unde probatur, hoc sine particulari notitiâ fieri non posse, ut nec sine particulari invocatione? An Pontificii particularem notitiam habent quorumvis archangelorum & angelorum, & particularis singulorum tutelæ & præfecturæ; quos tamen litaniis suis & preculis ad angelum custodem invocant? 4. Dato etiam sine particulari notitiâ omnium beatorum in Cœlo fieri non posse, ut Pontificii Deo gratias agant pro illorum gloriâ & illis congaudeant, & beati vicissim pro Pontificiis in particulari sollicitis sint: non tamen hinc sequeretur, sine descriptâ canonizatione, & per canonizationem decreta ac tributa invocatione religiosâ, & cultu per festa, templa, sacrificia &c. hoc fieri non posse? Angelos enim non canonizant, nec omnes beatos in Cœlo: quod fieri deberet; siquidem seriò sentiant, pro omnium & singulorum tum beatorum tum angelorum gloriâ in particulari gratias Deo agendas, & omnes religiosè invocandos ac more Romano colendos; nec hoc fieri posse sine præcedente canonizatione? Alterutrum enim necessariò ex hypothesi hujus argumenti admitten-

mittendum esset, aut omnes & singulos tum angelos tum beatos esse canonizandos; aut omnes & singulos non canonizatos de nobis sollicitos non esse, nobisque vicissim pro eorum gloriâ non esse agendas Deo gratias, nec ipsis congaudendum. v. *Argum.* Ex commodis. Nam nisi judicio Ecclesiæ certi sancti proponerentur colendi, facilè fieri posset, ut populus fœdè erraret, & pro beatis damnatos coleret. Et adfert exemplum ex *Sulpitio in vitâ Martini*, & ex *c. audivimus Extravag. de Reliquiis*; *Resp.* 1. Tacitè hoc falsum præsupponitur, sanctos religiosè colendos per preces, festa, sacrificia, aras, templa, &c. Quod nos negamus. Tollatur hæc idololatria, & tale periculum non erit metuendum. *Resp.* 2. Quomodo certo judicio Papæ canonizantis, & hâc ratione infallibiliter discernentis defunctum beatum à damnato, innitetur cultus sanctorum inter Papistas, quamdiu illic certum & de fide determinatum non est, Papam in quæstionibus facti, & specialiter in canonizatione sanctorum non posse errare? Atqui illa reciprocantibus oppositarum opinionum æstibus perpetuò illic agitantur: uti mox infra videbitur. 3. *Resp.* Nihil certius est, quam multos, si non plerosque in Papatu canonizatos esse, quorum fides aut vita, aut utraque ab exemplari sanctitate longè abfuit: nec desunt inter Pontificios, qui de nonnullis hoc fateantur. De quo *diatribe nostra de Sanctis Chimaricis.*

Adjicimus nunc aliquot Problemata, partim thetica', partim hypothetica seu historica: quæ maximam partem in ipso Papatu controversa agitari solent. Inter thetica seligam primùm tria principalia à *Bellarmino* tractata: deinde alia quædam adjiciam ex aliis authoribus desumta, aut à me formata. 1. *Probl.* Cujus sit sanctos canonizare? *Resp. Bellarminus cap.* 8. duplicem distinguit canonizationem, unam particularem, ita ut solùm in unâ Provinciâ habeatur & colatur pro sancto: alteram generalem, ita ut in totâ Ecclesiâ habeatur pro sancto, *nec ulli (N.B.) liceat de ejus sanctitate dubitare. Primo* modo secundum communem sententiam pertinet ad solum Papam. Ratio est, quia ejus est toti Ecclesiæ proponere quid sit credendum & quid agendum in religione; item declarare qui sint hæretici &c. *Secundo* modo poterat antehac canonizare quilibet episcopus: sed hoc nunc abrogatum per Alexandr. 3. & Innocent. 3. uti patet ex *Decretalibus cap.* 1. & 2. *de reliquiis & sanctorum veneratione.* Subjicit hanc prolepsin, quod plurimi sancti veteres, qui in Ecclesiâ coluntur, quamvis à Papis non canonizati, cœperint olim coli in Ecclesiâ universali non tam lege aliquâ, quam consuetudine: quæ consuetudo cœpit habere vim legis ex approbatione tacitâ vel expressâ summi Pontificis. Quàm multa hic laxa & lubrica! *Nulli*, inquit, *licet de sanctitate papaliter canonizati dubitare*

3.

bitare : quam multos ergo habent hæreticos inter suos : siquidem dubius in fide est hæreticus. Dubitantes autem illic esse non paucos immo & contradicentes, ne ipsi quidem dubitant. De quo *sequ. Probl.* De nullitate præsumtæ potestatis Papæ, alibi disputatur. In materiâ canonizationis, ei potestatem auferendam, & Concilio Generali tribuendam, disputat *Marsilius de Menandrino alias Patavinus part.2.defens.pacis cap.21.* Quem videat, cui vacat. Quam ἄτοπον illud de populi consuetudine, viâ Papalis approbationis multis sæculis pòst secutæ, legem fidei & religioni irrefragabilem figente! Quanta ἀνιστορησία, sanctos veteres cœpisse coli (Papisticè scil.) in Ecclesiâ universali, antiquâ scil.! Ex quo historiæ Ecclesiasticæ, Patrum, Conciliorum consensu hoc probatur? Contrarium vide probatum in *Molinæi Novit. Papismi, Plessæo de Missa, Forbesii Instructionibus Historico-Theolog. Usserio contra Iesuitam Hybernum*, aliisq;. 11. *Probl.* An Papa in canonizatione errare possit? *Resp.* tract. *Bellarminus* hanc quæstionem *c.9.* & affirmat hæreticos affirmare: sed certam esse Catholicorum sententiam, non errare. Quâ conscientiâ hoc asseruerit, satis constat ex authoribus in *fine capitis* cit. ad quos lectorem remittit; dissimulato tamen eorum dissensu. Ipse ergò, siquidem eos unquam inspexerat, satis nôrat aliter sentire Catholicos sequentes, non hæreticos (ipsius judicio), *Thomam quodlib.9.cap.ult.qu.ult. Antoninum part.3.summæ tit.12.cap.8. Canum locor. Theolog.lib.5.cap.5. Cajetanum opusc.de Indulgentiis cap.8.* : quem hoc nomine perstringit *Catharinus in tract. de 208. erroribus Cajetani.* Quod ad quinque rationes Bellarmini, eæ apud nos petunt principium aut præsupponunt falsum; & adversæ sententiæ patronos in Papatu minimè movent. Coram in ipsâ collatione siquidem producantur, eas solvemus. Confer *Hospinianum de Festis*, ubi ex professo has rationes refutat. Bellarmini opinionem rigidè tuetur *Martinus Alphonsus Vivaldus in candelabro aureo, supplem.c.12. Feuardentius, Valentia &c.* 111. *Probl.* An liceat colere sanctũ non canonizatum? *Resp. Bellarminus* cum Doctoribus (*Canonistis* scil.) in cultus *c.1.& 2.de reliquiis & veneratione sanctorum, Aff.* sub distinctione privati & publici; quorum illum concedi dicit, istum minimè. Publicum dicit esse eum, qui nomine totius Ecclesiæ, & tanquam ab Ecclesiâ institutus exhibetur. Unde sequitur, quemque laicum & clericum, sive inferiorem sive superiorem, credere & devotionem seu religionem exercere arbitrio & ductu suo. Ab alterâ tamen parte jubentur nihil aliud credere, quàm quod Ecclesia credit. *Licet enim*, ut ait, *non canonizatum credere & vocare sanctum.* Quod si Papa non credat: quo jure & quo fundamento quis credet? Et quomodo analysis hujus fidei Romanæ erit in Papam? Quod ad reliqua sex honorum genera, miseré fluctuat, aut ineptit, præterquam

quod

quòd in Papatu non exiguum sit divortium moris à lege; ut quidem Bellarm. eam explicat. De secundo sic determinat, *licet invocare &c. etiam aliis audientibus &c.* *Aff. At non liceret in litaniis & sacro officio.* Circa tertium & quartum sic trepidat: *Non videtur ullo modo &c.* templa scil., altaria, sacrificia ipsis tribuere. De quinto, *non licet publicum festum celebrare: liceret tamen in die natali &c. peculiariter lætari, & Deo vacare in memoriam ejus.* De sexto: *licet imaginem pingere & venerari: non tamen in templo constituere eo modo (N.B.) quo aliorum sanctorum.* Vah quam σοφὴ seu μωρὰ hæc φάρμακα! De septimo, *non licet reliquias in templo constituere publicè honorandas: licet tamen eas habere & venerari aliis videntibus; modò scandalum absit.* Atque hæc detecta se refutant & explodunt.

Secundaria problemata sunt. 1. *Probl.* An ad sanctitatem alicujus, ob quam dignus veneratione apud cæteros homines & verus Dei servus atque amicus existimandus sit, requiratur vitæ innocentia, & miraculorum evidentia? *Resp.* Si veneratio intelligatur ab omni superstitione alienâ. *Aff. pr. Neg. poster.* contra Pontificios *Canonistas ad cap. 1. de reliq. & vener. sanct.*; & cap. *Venerab. de Testibus. Barthol. Cassan.* in *catal. gloriæ mundi part. 3. consider. 49.* Sancti enim & amici ac servi Dei, stylo scripturæ dicuntur, omnes verè fideles & conversi *Rom. 1. 7. & 8. 27. & 12. 13. & 15. 25. 1 Corinth. 1. 2. & 6. 1. & 14. 33. &c.* Et omnes illi veneratione digni; nec tamen omnes miracula ediderunt; nisi pietatis & caritatis; uti loquitur *Gregor. M. à nobis cit. in disp. de Miraculis.* 11. *Probl.* An ad probandam alicujus sanctitatem requirantur miracula post mortem facta? *Resp. Rota Romana in relatione canonizationis B. Andreæ Corsini part. 2. & 4. §. 1.* (citante *Paulo Zacchiâ lib. 4. quæst. Medico-legalium tit. 1. quæst. 1. §. 13. 14.*) determinat in partem *Aff.* Ratio est, quia etiam mali operantur miracula viventes, sed post mortem non nisi Dei amici & verè sancti: hinc est, quod absque miraculis in vitâ factis possit quis canonizari; sed non absque miraculis post mortem factis. Nos contra *Neg.* Quia probari non potest apostolos, euangelistas, sanctos martyres & ecclesiæ Doctores, Polycarpum, Ignatium, Justinum Martyrem, Irenæum, Cyprianum &c. post mortem miracula fecisse: multò minùs probari potest, Deum miracula post mortem edita in πιμήλια sanctitatis constituisse. 111. *Probl.* An sancti non canonizati, hoc est, de quorum sanctitate dubitatur, aut saltem non constat, sint colendi. *Resp.* Ex Pontificiis recentiores plerique affirmant, & præit ipsis currens praxis. Vide Jesuitam *Bresserum lib. 6. de conscientiâ cap. 22. §. 302.* ubi ait, absque scrupulo à fidelibus coli quoslibet, qui prudenter credantur sancti, id est, cœlesti gloriâ donati, cultu scil. privato: publico non nisi beatificatos vel canonizatos

„zatos, aut diplomate, ut nunc fit, Pontificio, aut consensu, ut olim, ec„clesiæ: quales item censentur, quotquot recensentur in *Martyrologia* „Romano, ut bene notawit *Granadus controv. 1. de fide disp. 3. sect. 3. §. 14.* „scilicet in ordine ad cultum peculiarem canonizatis, erectionem in eo„rum honorem altarium, & oblationem sacrificiorum. Adductis *ibidem* exemplis Pipini Landensis, Idubergæ seu Ittæ, Beggæ, Caroli boni comitis Flandriæ, Liduinæ, Gertrudis ab Ooften; concludit, *non esse super„stitionem per excessum illos colere.* Denique addit regulam servandam: quæ „consuetudine aliove probabili fundamento nituntur, & conducunt ad „excitandam devotionem fidelium, non improbentur & negligantur, sed „laudentur & exerceantur. Similia canunt de reliquiis dubiis *Arn. Raisse in hierogazophylaci Belgico p. 131. 132. 174. Ioh. Molanus de picturis, in libro de picturis sacris c. 21.* Nos uno dicto Christi *Ioh. 4. Vos adoratis quod nescitis* &c. hæc omnia difflamus. Quomodo enim invocabunt in quem non credunt? *Rom. 10.* Qualis invocatio & religio sine fide divinâ, cui non debet subesse falsum? IV. *Probl.* An omnes sancti extra martyrologium sint colendi; quippe diplomate Papali, aut consensu ecclesiæ canonizati? *Resp.* Millia aliquot sanctorum numerat *Philippus Ferrarius*; & plures addi possent. De iis ergò determinandum, an consuetudo & praxis in regione, aut civitate, aut vico retinenda & exercenda, juxta regulam *Bressseri* modo allatam? Quod si negent; abjiciatur ergo Lesbia hæc regula: sin ajant, revocanda ipsis erit Bresseri Resp. & determinatio ad præcedens probl., de cultu publico non impendendo nisi in canonizatos. Publicè enim non-canonizati, Rochus Venetiis, Carolus M. Aquisgrani, alii indigetes alibi coluntur: de quibus vide infra *disp. de Sanctis Chimæricis. v. Probl.* An ab Anti-Papis canonizati, publicè aut saltem privatim colendi sint? *Resp.* Notum est publicè quosdam coli ex. gr. Carolum Magnum Aquisgrani. Quod quomodo cum theologiâ & praxi Papali consistat, ipsi viderint: irritari enim solent & rescindi à legitimis Papis (ita dictis) omnia acta Anti-Papalia; immo ipsi Anti-Papæ cum omnibus suis assecliis anathematizari. VI. *Probl.* An & quomodo quis certus esse possit, A. esse legitimum Papam, B. vero esse Anti-Papam, & consequenter illius canonizationem valere, istius non. *Resp.* Non video quomodo Pontificii hîc se expediant? siquidem nulla conciliorũ aut Paparum determinatio in hanc illamve partem hactenus haberi potuit; nec unquam, uti arbitror, habebitur: & quidquid hic fieret, semper tamen manerent incerti; quia secundum ipsos Papa errare potest in quæstionibus facti, & ut particularis persona: teste *Viguerio in Institut. cap. 10. §. 3. v. 4.* Et sic illi absque fide adorant quod nesciunt. VII. *Probl.* An & quomodo quis adorans sanctum præsen-

præsertim novellum χθὲς & πρώην promotum, certus esse possit, Papam beatificasse aut canonizasse tanquam Papam, & non tanquam particularem hominem errori obnoxium. *Resp.* Hic omnia ipsis incerta sunt quidquid sudet *Viguerius*: ita ut ex scepticâ fide non nisi dubitantis conscientiæ adoratio prodire possit. VIII. *Probl.* An ostendi possit à Pontificiis, in quo formaliter & specificè differat cultus religiosus qui canonizato, à cultu qui beatificato defertur? *Resp.* Non arbitror. Quod si fingant, posse: jam hoc incommodo eos urgebo, quòd theologia ipsorum malè ad praxin conscientias informet, distinguendo adorationem seu religionem solummodo in latriam, hyperduliam, duliam: cùm insuper distingui debeat hagio dulia in publicam & privatam; & illa rursum in beatificatorum à Papâ, & in canonizatorum. IX. *Probl.* Cur plures sint canonizati hoc præsenti & proximè præcedenti sæculo, quam decimo, aut undeci-
„mo, aut duodecimo &c.: cùm his temporibus novissimis magna sit ra-
„ritas verorum miraculorum, quæ sunt signa attestationis: fatente *Viguerio loc. cit.*? *Resp.* Audiemus quid dicturi sint. X. *Probl.* An ad canonizationem requiratur temporis diuturnitas? *Resp.* Negant ex *Canonistis Innocentius, Hostiensis, Zabarella ad cap. 1. de reliquiis & venerat. sanctorum*; & cum iis *Flavius Cherubinus in scholis ad compendium Bullarii, ad bullam Alexandri* IV. anno 1255. quâ canonizatur Clara, quæ anno 1253. obierat.
„Contra statuit *Viguerius loc. cit.* Notandum tamen, quod ad hoc quod
„Papa in canonizatione sanctorum procedat ut Papa, non debet esse præ-
„ceps, nec statim aliquem sibi denuntiatum sanctum canonizare, maximè
„his temporibus novissimis &c.: ne à dæmone vel necromanticis ficta
„ miracula narrentur, turpis lucri gratiâ, vel humanæ laudis appetitu." Et post allatas rationes aliquot, subdit quod in canonizatione secundũ ritum Romanum duodecim per ordinem sint observanda 1. frequens denuntiatio miraculorum, & requisitio canonizationis. 2. commissio examinationis faciendæ. 3. Commissionis executio & inquisitio. 4. Inquisitionis factæ relatio in consistorio. 5. Relationis factæ diligens & matura examinatio. 6. Examinationis factæ per consistorium discussio. 7. Secreta definitio & terminatio. 8. Manifesta publicatio. 9. Diei canonizationis assignatio. 10. Domini Papæ & assistentium genuflexio, devota oratio, & spir. s. invocatio &c. 11. Sermocinatio, & miraculorum ac operum misericordię recitatio, nec non ipsius sancti in catalogo sanctorum descriptio. 12. Missæ in honorem ipsius sancti celebratio, & canticorum spiritualium personatio, & beneficiorum Dei ad ipsius sancti canonizati invocationem postulatio. Hactenus *Viguerius*: quæ tamen negat in primitivâ ecclesiâ fuisse observata, quòd sancti plerique essent martyres; &

quòd miracula & alia operatam erant evidentia, ut non potuerint celari. Concilient hæc cum Canonistis modo citatis; & cum Papæ infallibilitate, in cujus pectore scrinium omnis juris, & qui *sive in definiendo studium adhibeat, sive non adhibeat* (N.B.): *modò tamen controversiam definiat; infallibiliter definiet, atque adeò re ipsâ utetur autoritate sibi à Christo concessâ.* Sunt verba Gregorii de Valentiâ, de analysi fidei part. 8. in resp. ad 6. object. pag. 325. edit. in 4. Quod etiam infallibilitati in canonizatione applicatum vult, & pro quâ ibidem exsertè disputaverat. XI. *Probl.* Cur nullus patrum V.T. ab ecclesiâ canonizatus est? *Resp. Viguerius loc. cit.* has adfert rationes, 1. *qui* à Deo tanquam superiore est canonizatus & approbatus, non eget canonizari & approbari ab hominibus. Fuisse autem multos eorum approbatos constat ex *Ecclesiast.* 44. & *Hebr.* 11. 2. *Quia* erant in limbo. Sed hæ duæ rationes sibi mutuò contradicunt. Prior enim ponit factam beatificationem & canonizationem: posterior eandem tollit. Nihilominus manet quæstio, cur ecclesia Romana nullum ex iis canonizaverit, nec festa pro illis indixerit; cùm nunc certum sit eos esse „in cœlo. *Viguerius* respondet: *Primò. Ne* videatur ceremonias Ju„dæorum observare. *Secundò*, quia mors illorum non introducebat eos „in paradisum, sed in limbo recludebantur, & adhuc in pœnâ peccati ori„ginalis detinebantur: ideò mors illorum non poterat nativitas nomina„ri. sicut mors sanctorum post Christi ascensionem &c. Quod ad *pr. rat.* ea frivola est, & nullo modo alleganda à Pontificiis, qui in festis suis, aliisque compluribus tam craslè Judaizant: uti alibi ostensum est. *Post. rat.* est inconsequens: Quamvis enim fuissent in limbo, (secundum Pontificios) nunc tamen fulgent in cœlo, uti in vita sua (ex. gr. Moses, Elias) & miraculis & sanctitate coruscarunt, & *Pontificii eorum orationibus in generali* (ut loquitur Viguerius) *se commendant, eorumque sanctitas & exemplaritas proponitur imitanda.* Quid igitur ipsis deest? dices, miracula post mortem. Sed reponimus 1. Pontificii solent aliàs deprædicare prophetiam Samuelis, post mortem, ex *Syrac.* 44. & miraculum Elizæi, ex 2. *Reg.* 13. 21. Illis ergo nihil deesset. 2. Nunquam vidimus probatam ab illis necessitatem miraculorum post mortem, tanquam signi, unde certò constare possit de defuncti beatitudine ac gloriâ. 3. *Signo* hoc probante sanctitatem in vitâ ac præsentem gloriam, non indigent sancti V.T.; quia à Deo tanquam superiore (ut Viguerium ex Viguerio refutem) sunt canonizati & approbati, tum in scriptis V.T. ubi tanquam Dei amici laudantur, & facta eorum recensentur; tum imprimis *Hebr.* 11. ubi de gloriâ eorum testimonium perhibetur.

5. Sequuntur problemata aliquot magis hypothetica, & historica 1. *Probl.*

Quæ

Quæ canonizatio primùm ſolenniter à Pontifice acta fuit? *Reſp.* Suitberti epiſcopi Werdenſis per Leonem III. anno 804. Ita *Bellarmin. de ſanct. beatit. & canonizat. cap.* 8. & *Baronius in annal.* 804. §. 2. Habetis hic jactatam antiquitatem χειροτόνιας ſeu apotheoſios Papalis. 11. *Probl.* An & cur latro converſus inter ſanctos conſenſu Romanæ eccleſiæ canonizatos numeretur? *Reſp. Aff. pr.* quia feſtum ejus 25. Martii celebratur (vide *martyrolog. Romanum*); & nomine Dimæ nonnulla ſacella dicata reperiri, memoriaſque eodem titulo erectas, teſtatur *Baronius in notis ad Martyrol.* ubi tamen fatetur, nomen *Dimæ* ex apocryphis ſcriptis haberi. Quod ad *poſter.* non video ullam adduci poſſe rationem cum propriis hypotheſibus convenientem, quas habent *Bellarminus, Viguerius, Vivaldus, Valentia loc. cit. Feuardentius lib.* 8. *Theomachiæ Calviniſt. cap.* 15. aliique qui cum ipſis defendunt Papæ in canonizando infallibilitatem. Non fuit enim verus martyr; quia propter pietatem & fidem Chriſti non eſt paſſus, ſed propter flagitia, ipſo fatente *Luc.* 23. *v.* 41. nec in vitâ miraculis & exemplari ſanctitate fulſit: nec poſt mortem miraculis à Deo decoratus eſt: Breviter, non fuit eccleſia Romana cœlitus confirmata (uti *Feuardentius* hoc requirit) miraculis ante & poſt mortem editis ope precum & meritorum ejus. 111. *Probl.* Cur Papæ non canonizentur ordinariò, ut olim Imperatores Romani Divi fiebant; aut cur vix ulli ex iis ſequioribus ſæculis canonizati ſint! cùm multi regulares tum viri tum fœminæ, aliqui ſæculares clerici, etiam nonnulli ſæculares principes & principiſſæ ſint canonizatę? *Reſp.* Non video quid convenienter ſuis hypotheſibus reſpondere queant: præſertim ſi monſtris & diabolis incarnatis præteritis, quæratur de cultis & civilibus ſupra alios, Hadriano VI. Marcello II. Pio V. Fortè dicent, quod *Viguerius* de ſanctis V. T., quòd ſedes illa tam illuſtres eos reddit, ut ſicuti nobiles titulo Doctoris nobilitari nolunt, ne videantur avitam nobilitatem in dubium trahere, ſic & Papæ aſpernentur titulum ſancti per promotionem ſeu canonizationem tribuendum. Videtur huic conjecturæ noſtræ favere quod habet Iſidorus Moſconius de majeſtate *militantis eccleſiæ lib.* 1. *part.* 1. *pag.* 30. *Dum itaque Papa fideliter agit circa Dei mandata, ſic majori Sancta Sedes exaltatur honore; inde dicitur, quòd Papa aut ſanctus eſt, aut præſumendus, eò quòd non ſine Dei voluntate ſedet in Sanctâ Sede Apoſtolicâ; tenet etiam loca ſanctorum; Eccleſiam ſanctam regit, & ſummi Dei conſtitutus eſt Vicarius in terrâ. Pelagius lib.* 1. *cap.* 35. *Alphonſus de Caſtro adverſus hæreſes, lib.* 12. *Hoſius Veramenſis, cap.* 9. *Direct.* 2. *part. quæſt.* 12. *hæreſ.* 11. Symmachus Papa: *Quis enim, inquit, ſanctum dubitet eſſe, quem apex tantæ dignitatis attollit? in quo ſi deſunt bona acquiſita per meritum, ſufficiunt quæ à loci decentia præſtantur, aut enim claros ad*

hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur illustrat. IV. *Probl.* Cur nunquam canonizati sint viventes aliqui, & tanquam sancti habiti & culti, qui miraculorum gloriâ, & theologiæ visionis lumine præaliis dotati fuerunt? *Resp.* Certè Pontificii miraculorum gloriam, si *aureis legendis & hagiologicis* suis *scriptoribus* credant, negare nequeunt. Theologiam visionis, hoc est, beatitudinem, quibusdam in hâc vitâ à suis tribui negare nequeunt. Vide *tract. Maximil. Sande; de theologiâ variâ.* Sed dato, neutrum ex.gr. Mariæ virgini, in hâc vitâ adfuisse, modò adfuisset perfecta sanctitas (uti ipsorum sensu adfuit), cur non potuisset publicè declarari sancta, & omnibus imitanda proponi? Cur exspectanda miracula post mortem: cùm secundum ipsos mortua resurrexerit, & animâ, ac corpore in cœlum translata sit „(*Baronius ann.* 44. §. 6.)? Si primis à Christo sæculis permulti (teste *Corn.* „*à Lapide in Syrachi* 44. *v.* 1.) canonizabantur sancti martyres & confes- „sores ob gloriam virtutum, non miraculorum: virtus enim sanctum ef- „ficit, eaque si heroica sit, glorioſum, non miracula; cùm hæc subinde „patrari possint ab impiis, in testimonium veritatis & fidei, ut patet *Math.* 7. 22. Cur non Maria aliique eximii sancti potuissent canonizari? Hæc quæstio mea scholastica ad hominem est. V. *Probl.* Cur tam pauci Cardinales, Episcopi, aliique clerici sæculares canonizati sint; & tam multi regulares? *Resp.* Sorbonistica theologia statum episcopalem perfectiorem facit regulari seu Monachali. Velim ipsi hîc respondeant. VI. *Probl.* Cur tam diu differtur canonizatio Rochi, cujus cultum religioſum publicum, sponte alicubi susceptum, Papa Urbanus VIII. approbavit: de quo in *disp. seq. de Sanctis Chimæricis.* Et cur canonizatio Andreæ Avellini, Cajetani, Threnæi, Felicis de Cantalicio, Francisci Borgiæ, Jacobi de Marchiâ, Johannis Dei, Ludovici Bertrandi, 23. Fratrum Minorum Francisci de Observantiâ, discalceatorum in Japoniâ crucifixorum, Mariæ Magdalenę de Pazzis, Petri de Alcantara, Paschalis Baylon, Philippi Bennitii, Thomæ à Villanovâ; qui omnes à Papis gradum beatificationis (qui habet se instar licentiæ ad doctoratum) jam adepti sunt, & aliquis cultus Romanus per templa & festa, aut officia & Missas à Papis concessus, & de eorum Canonizatione nunc agitur. Vide *constitutiones Pontificum* adductas ab *Augustino Barbosa, in collectaneis bullarii in voce beatificatio*, anno 1634. editi. Inter canonizationis candidatos numeratur Ludovicus Bertrandus, Thomas Villanovanus, Paschalis Baylon; quos *Miræus in Fastis Belgicis & Burgundicis* anno 1622. editis, dicit cœlo insertos esse. *Resp. Castellini tractatus*, à *Barbosa* citatus, de istâ dilatione, quas rationes fingat, ignoro: quia librum illum hactenus non vidi. VII. *Probl.* An Papa sine collegio Cardinalium canonizet? *Resp.* Quidquid sit de facto, eum posse ait

Zeu-

Zecchus de Republ. eccles. tit. de statu Pontificis §. 11. *quia collegium*, inquit, *non assistit Papæ per modum determinationis, seu limitationis ejus potestatis, sed potiùs per modum ministerii & consilii.* VIII. *Probl.* An privatim ex arbitrio privatæ devotionis, coli possint, quos dicunt non sine opinione sanctitatis mortuos: quales non paucos Loiolitas designat *Philippus Alegambe in Bibliotheca?* *Resp.* determinationem super hoc exspecto à Dominicanis, & Sorbona Parisiensi. V. *Probl.* Quomodo conciliari possint illa duo apud *Lælium Zecchum loc. cit.* Quod tantum probabile sit, sanctos canonizatos esse in vitâ æternâ: Et nihilominus credendum sit Papam in canonizatione non errare? *Resp.* Ipsi viderint. IX. *Probl.* Cur angeli non canonizentur, æquè ac B. virgo, Apostoli &c. *Resp.* Sunt enim in gloriâ, & ea exempla sanctitatis dant (*Psal.* 103.), quæ nobis in oratione dominicâ peculiariter imitanda proponimus. Audiemus rationes, siquidem eas unquam daturi sint. X. *Probl.* An Jacobus Clemens, paricida Henrici III. sit canonizatus? *Resp.* Videntur id affirmare *Beza homil.* 18. *in passionem, sub finem*, ubi dicit: ejusdem sceleris conjuratos cum sicario in Divorum & indigetum album relatos esse. Sed quia nomen ejus in *catalogo Philippi* non invenio, suspicor intentatam & inchoatam ejus solennem canonizationem à Sixto V. (vide *histor. Thuani*) per sequentes Papas suppressam; ne Gallos irritarent. XI. *Probl.* Quid de canonizatione Balthazaris Gerardi, quem sanctum martyrem facit, *Gulielm. Estius* Gorcomiensis, theologus Duacenus *in historia Martyrum Gorcomiensium*; & ejus canonizationem à Papa postulatam per Ducem Parmensem, canit versificator quis Lovânienſis, approbatus ab Henr. Cuyckio, postea Episcopo Ruræmondensi? *Resp.* arbitror eidem evenisse quod Jacobo Clementi: ita ut talibus honor ille competat quidem, & actu privatim tribuatur; non tamen solenniter & publicè; quòd paricidia talia in oculis multorum Papistarum abominanda sint; aliis saltem indecora paricidarum laudatio videatur: Non æquè proditorem amant, ac proditionem. XII. *Probl.* Quid de Jesuitâ Garneto, proditionis pulverariæ anno 1605. in Anglia conscio? *Resp. Eudæmon-Iohannes in apologiâ pro Garneto* eum non tantum martyrem facit: sed insuper miraculum spicæ, facie humana insignitæ & è sanguine Garneti natæ, mendaciſſimè jactat: & post eum *Philippus Alegambe in Bibliothecâ.* Quod commentum detectum vide apud *Robertum Abotum in antologiâ adversus apologiam Eudæmon Iohannis cap.* 14. Amplius hîc inquirendum, an non ejusmodi paricidarum & proditorum secreta sit beatificatio, quæ fundet cultum istorum sanctorum. Idem quæri posset, de omnibus aliis ob paricidium aut proditionem in Angliâ & Belgio nostro passis. De quibus alibi agendum. XIII. *Probl.* Cur

Petrus de Luxenburgio non canonizatur, qui patronus Avenonienſis, cognominatus thaumaturgus, quòd 964. miracula intra primum ab obitu ejus biennium patrata legantur, tribus voluminibus juſſu Clementis VII. anti-Papæ deſcripta. De quo *Molanus in Natalibus ſanctorum Belgii ad 2. Iulii, & Miræus in Faſtis Belgicis ad 5. Iul. pag. 367. Reſp.* Obiit is anno 1387. anno ætatis 18. Petiit ejus canonizationem promoveri à *Concil. Baſil.* Philippus Bonus, Belgarum Princeps, cujus literæ Bruxellis 30. Jan. anno 1437. ſcriptæ, actis Concilii inſertę ſunt. Clemens VII. Medicæus eum anno 1527. beatificavit: ſed in diplomate (cujus exemplum exhibet *Miræus loc. cit.*) exſertè præmonet, ſe propterea non intendiſſe relationem ejus in catalogum ſanctorum. Nimirum lupum tenent auribus. Trecenti ferè anni ſunt, quod obierit tantus thaumaturgus; non audent promittere, aut negare canonizationem. Ob magna miracula & magna nomina majorum & conſanguineorum deberet canonizari. Sed Cardinalis fuit Clementis VII. Papæ ſciſmatici (uti nunc judicant); itaque haut videtur canonizandus. Sed quæro quomodo potuerit beatificari, qui in ſchiſmate & ſub anathemate legitimi (ſecundum ipſos) Papæ & vixit & mortuus eſt? Hìc labyrinthum ſibi paratum vident. x1. *Probl.* An bulla Pii V. anno 1568. Julii 7. deroget bullis canonizationum, quæ facultatem dant recitandi officium de canonizato, in die mortis ejus, ſolenniter ad formam in rubricis breviarii Romani præſcriptam? *Reſp.* Nodum hunc nectit ſibi *Gavantus in Theſauro rituum tom. 2. pag. 17.* Quem ita ſolvere „aut potius rumpere conatur: Ex rubricis breviarii non apparet de uno„quoque canonizato, an ſimplex, ſemiduplex, duplex officium fieri de„bet; & eſt neceſſarium novum decretum de ritu quo fieri debet offici„um: quod expreſſè decrevit ſacra rituum congregatio 9. Decembris „1628. de hoc ipſo caſu interrogata. Subjicit *ibidem* & aliam ſolutionem; quam ibi videat, qui circa has nugas curioſus eſt. *Mantiſſa:* Numiſma vetus Conſtantini Magni animam linteo velatam exhibet, quæ quadrigis in cœlum vehitur, brachioque exſerto excipitur à brachio altero cœlitus porrecto: cum hâc ſubſcriptione CONS. id eſt, *conſecratio*, quâ phraſi *Iul. Capitolinus* apotheoſin M. Antonini philoſophi ſignificat. Quod quidem mihi conſuetudinem Ethnicam, & idololatriam atque adulationem aulicam ſapere videtur: quamvis polyhiſtor *Voſſius lib. 1. de idololatriâ cap. 12.* ſenſu Chriſtiano de cœlorum gloriâ divinitus donata hæc accipi malit. Si mores & ritus illorum temporum, præſertim in aulis, ſpectemus, vix tam benignè illa interpretari licet. Repete, quæ in *diſp. præced. de Idololatriâ indirectâ*, de ſpectaculis, de Imperatorum Pontificatu & genio, de ſpectaculis & feſtis, deque aliis ritibus Ethnicis poſt receptum Chriſtianiſmum hærentibus notavimus.

De

DE PATRONATIBUS, TUTELIS, ET PRÆFECTURIS SANCTORUM.

Resp. TIELMANNO à BREUGEL, Sylvæ-Ducensi, Ad diem 26. *Maj.* 1652.

Quanta & quàm varia Idololatria Papatus, satis superque à nostris ostensum in generalibus capitibus. 1. *De Artolatriâ missaticâ.* 2. *De Mariolatriâ.* 3. *De Cultu sanctorum.* 4. *De Cultu Angelorum.* 5. *De Staurolatriâ.* 6. *De Iconolatriâ.* 7. *De Cultu reliquiarum.* 8. *De Cultu rerum consecratarum.* 9. *De Cultu Idoli Romani, h. e.* Papæ. *Nos speciales partes, aut hypotheses; aut consectaria quædam de Idololatriâ indirectâ, de sanctis Chimæricis, de Angelis tutelaribus, de Rosariis, Litaniis, horis canonicis, processionibus, Iubileis, benedictionibus, agnis Dei, peregrinationibus, cruce, imaginibus, Festis, Templis, Nomine Iesu, aliasque superstitiones, pro ratione thesium perstringere conati sumus. Visum nunc est ad caput de Cultu Sanctorum aliquid conferre, de eorum Patronatibus seu Præfecturis: idque tum in genere: tum etiam in specie de Martino Turonensi, antehac Ecclesiæ & urbis Vltrajectinæ fictitio Patrono. Quod ad præfecturas in genere.* 1. *Historicè eas delineabimus.* 11. *Problemata subjiciemus.*

QUod ad prius, primò descriptionem: Deinde accidentia aliquot, & divisiones proponemus. 1. Est ergo *Patronatus* specialis potestas, & cura, circa personas, res, loca, tempora, divinitus Angelis aut Sanctis demandata, & Ecclesiasticè, aut papaliter, sive explicitè & positivè, sive implicitè aut permissivè declarata, ut fide divinâ (Papali scil.) à Papistis agnosci, & religiosè patroni illi coli possint ad animæ corporisque salutem. In explicatione hujus descriptionis, consideranda. 1. Nomen. 2. Subjectum. 3. Objectum. 4. Fundamentum. 5. Finis. 1. Nomina sunt patrocinium seu patronatus. Quorum origo & acceptio in Jure Civili & Canonico explicata, analogicè huc applicari potest. Horum synonyma sunt *præfectura & tutela*: unde concretum *Divi Tutelares*, Pontificiis Scriptoribus passim frequentatum, cùm de Patronis nationum aut urbium loquuntur. Notandum hic discrimen inter sanctum Ecclesiæ alicujus, titularem, & sanctum tutelarem seu patronum: Haut aliter ac apud Gentiles alius navium titulus seu insigne, quod in prorâ pingebatur, & alius patronus, qui in puppi: uti observat *Grotius in Actor.* 28. *v.* 11. Per insigne seu picturam (quam *Græci* παράσημον vocant) naves inter se discernebantur. De

quo

quo vide *Schefferi Militiam navalem lib.3.cap.1.*, ubi etiam observat, eandem picturam in navi aliquando fuisse tutelam & insigne. Quomodo in Papatu idem sanctus ejusdem ecclesię aut loci aliquando & titularis & tutelaris est. *Ille* est, à quo denominatur Ecclesia. *Iste*, qui majorum autoritate & communi sensu populi recolitur ut patronus loci. 11. *Subjectum* est vel primarium seu absolutum, vel secundarium seu relatum. *Absolutum subjectum* faciunt Deum, Christum, Spiritum Sanctum, Angelos, Sanctos. De Deo, Christo, Spiritu sancto, fidem faciunt, templa corporis Christi, confraternitates Sacramenti, confraternitates nominis Dei, equites Spiritus sancti. Quod ad Angelos, eos secundum Pseudo-Dionysii Pseudo-hierarchiam in novem choros dispescunt, & in tres hierarchias; ex quibus infimam hierarchiam rebus humanis præficiunt, & inde seligunt sibi Angelos specialiter dictos tutelares, quorum alii singulis hominibus (qui Angeli custodes dicuntur) alii nationibus, Provinciis, &c. præesse dicuntur. De quâ meteorologicâ & superstitiosâ speculatione egimus in *disp. de Hierarchiâ cœlesti* & *Angelis tutelaribus*: nec hîc repetimus. *Propriè* ergò hic agendum de sanctis (ita dictis): quos distinguimus in verè dictos sanctos (falsò tamen dictos *Divos*, Patronos, & numina religiosè colenda), & in sanctos chimæricos seu fictitios, qui aut ex rei veritate, aut ex communi fide Christianorum, aut etiam ex communi & constanti fide Papatus pro sanctis haberi non possunt: quos peculiaribus *dispp. de sanctis Chimæricis* delineavimus. Ex istis generis sanctis Patronos & Patronas seligi & coli docent exempla Georgii, Margaretæ, Catharinæ, &c. Rochi, Caroli Magni, &c. *Relatum subjectum*, faciunt reliquias Christi & sanctorum: inter quas imprimis notandum sanctum sudarium Vesontinum, quod peculiariter præest visui. Exempla sanationum, cum cultibus religiosis huic Patrono delatis, vide apud *Chiefletium cap.* 13.14. 15. *& ult. tractatus de linteis sepulcralibus Christi.* Et quæ ex nostris *Antonius Zadeel* indicavit de patrocinio & cultu sancti sudarii Cadurcensis: de quo in *dispp. de Sanctis Chimæricis*, & *de Perfosso latere Christi.* Quod ad veros sanctos sunt illi vel Prophetæ, vel Apostoli, vel Euangelistæ, vel Martyres, vel Confessores, vel insignes Ecclesiæ Doctores, vel virgines, vel quicunque alii, qui in hâc vitâ exemplo sanctitatis præcelluerunt. Ex omni genere Patroni seliguntur: & inter omnes maximè B. Maria, quæ quod ad universalitatem omnibus aliis longè antistat.

2. 111. Objectum præfecturæ, patrocinii, & tutelæ sanctorum, sunt vel homines, vel bestiæ, vel vegetabilia, vel aliæ res quæcunque tum naturales, tum artificiales. Quod ad homines, illi vel sigillatim considerantur, vel collectim. Sigillatim considerati, quique, ut à Deo jam inde à nativitate

vitate assignatum sibi habent proprium Angelum custodem, sic arbitrio suo sibi ex omnibus sanctis eligunt peculiarem Patronum. Collectim considerati in societate Politicâ, aut Ecclesiasticâ, adsciscunt Patronos nationales, provinciales, urbicos, vicanos, navales, collegiorum quorumcumque civicorum, legionum & cohortium militarium, Ecclesiarum, Ordinum seu religionum, confraternitatum sacrarum. Quod ad bestias, quibusdam earum directè præficiuntur, ut equis, porcis, aliisque jumentis (de quibus infrà); quibusdam non ita directè, ut feris quibusque, leonibus, scil. lupis, ursis, serpentibus &c. Idem dicendum de piscibus, avibus (nonnullis domesticis exceptis), deque asinis, felibus &c. Quibus non memini directè & exsertè Patronos assignatos. Excepto quòd Huberto præfectura canum venaticorum, & consequenter ferarum ac totius choragii venatorii demandata sit. Vide de eo *legendas*, & *conciones de sanctis*. Vegetabilia sunt, plantæ tum alimentariæ, tum medicamentariæ. Inter illas excellunt fruges, aliique agrorum proventus, qui variis sanctis in tutelam dati sunt. Herbæ medicamentariæ quædam ipso titulo, & denominatione patronum suum haut obscurè indicant: quarum nomina inter vulgaria seu officinalia in herbariis quærenda: omnia ea collegit & peculiari *tractatu* explicuit an. 1591. *Iohannes Bauhinus*, Caspari frater, Medicus Principum Wirtenbergic. Aliæ res naturales sunt, cœlum cum stellis, aër, mare, flumina, fontes; adhæc meteora, fossilia, ut metalla, lapides &c. quorum omnium patronos & curatores non memini directè & separatim constitutos. Qui tempestatibus, serenitati, fertilitati, navigationi, piscationi, aucupio, venationi præsunt (infra *thesi* 6. indicandi) iidem stellis, aëri, aquis, terræ, meteoris per concomitantiam præesse, intelligendi sunt. Non parùm promoveret novos stellarum patronos ac præfectos in formâ constituendos, si ipsis & diebus hebdomadis, mensibus, anni partibus nomina sanctorum indantur: uti hoc nuper tentavit inter Astronomos Papicolas *Schillerus*: de quo *disp. præced. de Canonizatione Sanctorum*. Præiverunt hîc Gentiles, qui omnibus sylvis, saltibus, montibus, vallibus, maribus, fontibus, fluviis, stellis, aëri, peculiares Deos præfecerunt; & inter eos quosdam simul tutelares & titulares, uti docent nomina planetarum, & complurium stellarum fixarum; ut & nomina dierum, & quorundam mensium. Quin & magiæ Doctores (inter quos celebris in Papatu Theologus *Ioh. Trithemius in libro de 7. Intelligentiis* Colon. an. 1567. apud Joh. Birckmannum recuso in 8. cum *Agrippa de ceremoniis Magicis*, & *Petri de Abano elementis Magicis*) tanquam fundamenta huic nefariæ arti substernunt, præfecturas stellarum, temporum, tempestatum certis quibusdam intelligentiis, hoc est, dæmonibus neu-

tris quos fingunt, assignatas. Ad res naturales, quæ patronis gaudent, referendi sunt morbi, quorum sui quique Medici inter sanctos designati. Quod ad res artificiales, considerandæ sunt tum ipsę artes & artifices, tum opera arte facta. Artium & artificum, ut Pictorum, Sutorum, Musicorum, Medicorum, &c. præfectos infrà indicamus. Inter opera artificialia, excellunt urbium muri, turres, portæ, porticus, portus, palatia, curiæ, templa, altaria, &c. Nec prætereundę naves tum mercatoriæ, tum bellicæ, quarum præfecturæ singulis suis tutelaribus & titularibus (e. gr. Mariæ, Francisco, Jacobo, &c.) committi solent: & quidem nomine illo solemniter cum aliquâ baptismi specie ac pompâ impositio.

3. IV. Fundamentum hujus patronatus est remotum, propinquum, proximum. *Remotum* consideratur vel à parte Dei & sanctorum, vel à parte Ecclesiæ. *Illud*, quod in his terris cum viverent, peculiariter tale quid sanctitate suâ meriti sint, & nunc in cœlis excellentiori glorià fruentes meritis & precibus suis apud Deum intercedant, causam ac salutem clientum suorum ei commendent, bonorum collationem & malorum averruncationem ipsis impetrent ac procurent, & sic peculiarem eorum curam gerant. *Istud*, est geminum: *prius* quod ab Ecclesiâ canonizati, h. e. per Romanam apotheosin in Papalium Divorum numerum relati sint. Hoc enim electioni alicujus in patronum (saltem publicum) necessariò nunc prę supponendum est: juxta *decretum à SS. rituum congregatione* de ordine Papæ Urbani 8. Martii 23. ann. 1630. emanatum; quod mox subjiciemus. *Posterius* est, Ecclesiastica electionis approbatio, sive actualiter & explicitè, sive virtualiter & implicitè facta. *Propinquum* fundamentum sunt miracula à sancto illo in vità, aut post mortem circa tales personas aut res (quarum patrocinium ipsi committitur) præstita. Huc refer apparitiones, quibus homines certiores redduntur, de potestate & voluntate ipsorum sanctorum ad tale patrocinium requisità. Factæ autem dicuntur istę apparitiones vel per Deum aut Christum immediatè, vel per Angelos, vel per alios sanctos, vel per ipsos illos sanctos ad patronatum promovendos. *Proximum* fundamentum est constitutio & designatio patroni: quę, quod ad privatum quemque, fit solo arbitrio & liberâ electione cujusque hominis, præhabito consilio confessarii; aut post factum possessione & installatione patroni cum eo communicatâ. Quod vero ad publicum patronum communitatis alicujus, constat ejus designatio. 1. electione populi. 2. consensu Episcopi & Cleri. 3. approbatione & confirmatione sacræ congregationis rituum. 4. Adderem ego solennem εἰθρονισμὸν & investituram, cum pompis, spectaculis, & hilariis tantæ solennitati & solitæ Papatus devotioni convenientibus. *Motivas*, cur hic aut ille sanctus, sive

verus

verus sive putatitius, præ omnibus aliis in patronum eligi solet, ne ipsi quidem Papatus Doctores, uti arbitror, enumerent. Quis enim infinitum illud vulgarium opinionum, studiorum, devotionum, & intentionum hâc in parte chaos pertransire valeat. Quin arbitror, complures patronos ad fastigium hoc promotos, haut aliter ac vocabulis imposita est significatio, juxta illud Poëtæ: *Multa renascentur*, &c. *si valet usus*, *Quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi.* Cœca & fortuita privatorum devotio aut temeraria ac stolida persuasio plerumque inchoavit: inde paulatim enata plebis consuetudo: cui tandem ad fastigium, à Clerico aut Theologo quo rationes excogitatæ, superimpositæ sunt. Artificii illius exempla abundè suppetunt in *Durantis Rationali divin. offic.* Possent ergò Patroni tum privati tum publici, quod ad primam sui originem dici, alii ἀπὸ τύχης, id est, *à casu*, alii ἀπὸ βάλης, id est, *à consilio*, quomodo Philosophus in antepredicamentis homonyma sua distinguit. Causæ particulares electionis, si quæ electores moveant, istæ ferè sunt, aut saltem mihi in præsentiarum occurrunt. 1. *Quia*, sanctus ille in vitâ specimina curæ & præfecturæ suæ circa talem rem edidit, ut Cosmas, Damianus, Blasius, in variis morbis curandis, Rochus in peste curanda. Sic Leonardus in captivis liberandis; Antonius pavit porcos; Cæcilia cantantibus organis Deum laudabat; Medardus custos & patronus est vinearum; quia furem in vineâ suâ uvas rapientem ita ligaverat, ut inde exire nequiverit, nisi de ipsius voluntate. 2. *Quia* in vitâ suâ artem illam exercuit, ut Lucas pictoriam, (secundum fidem Romanam) Crispus & Crispinus sutoriam, Josephus fabrilem, &c. 3. *Quia* actiones aliquas edidit, ad illam artem & particularem vocationem, directè aut indirectè, propriè aut analogicè, remotè aut propinquè pertinentes, ut Georgius militibus & armatis præest, quia cum Dracone pugnavit, eumque vicit; Ivo Episcopus Carnutensis, panormiam (pannomiam voluerunt dicere, h. e. corpus legum canonicarum) construxit: hinc patronus Advocatorum & JCCtorum. 4. *Quia* similitudo aliqua seu analogia est in qualitate, aut actione, aut relatione istorum Sanctorum, & rerum ac personarum, quarum patroni constituuntur. Sic e. gr. Johannes Euangelista comparatur aquilæ; hinc patronus est aucupum, qui anniversaria sua hilaria in ipsius festum rejiciunt. Nicolaus marsupia nummis repleta clam in domum cujusdam nobilis depauperati injecerat; hinc patronus mercatorum. 5. *Quia* in nominibus aliqua est convenientia. Sic e. g. S. Clara clarificat oculos, Mammartus medetur mammis. Inprimis autem nominum convenientias captant ex horoscopo Romano. Nomen sancti, aut sanctæ, cujus die solenni quis nascitur, plerumque infanti imponitur: & sic sanctus ille, ut & quicunque

aliàs cognominis, in patronum particularem eligitur; seu mavis hâc occasione designatus intelligitur. *Bellarminus in parvâ Catechesi* (titul. *doctrina Christiana*, quæ anno 1613. ex Italico in Arabicum idioma traducta, & anno 1635. Arabic. latin. Parisiis edita) pag. 67. ad quæst. *Nonne confugis etiam ad alios sanctos*, sic Respondet: *Ita: confugio ad omnes sanctos, & præcipuè ad sanctum, cujus nomine sum appellatus, & ad Angelum, qui me custodit.* 6. *Quia*, idem malum, aut simile passi sunt. Idem malum passi sunt, ut Petronella Petri Apostoli filia (uti fingitur) Romæ febricitans à Patre miraculosè sanata est; ergò ritè à febricitantibus invocatur. Cur non potiùs Petrus, qui eam sanaverat? *Simile aut analogicum* quid passi sunt, Sebastianus sagittis confossus; ideò inter Divos pestis (quę metaphoricè Dei sagitta dicitur) averruncos colitur; ejusdemque patrocinio sagittarii & sclopetarii utuntur. Margareta à dracone devorata, rupto ventre draconis, inde incolumis exiit; ideò à parturientibus invocatur. 7. *Quia*, in illâ gente, aut Provinciâ, aut urbe nati sunt: hinc ab indigenis, præ aliis sanctis in patronos privatos aut publicos adoptantur. Immo si in viciniâ nati sunt: sic miraculum edidisse dicitur Martinus Turonensis in defensione urbis, quę vicina erat ipsius natali solo. *Surius in commentariis rerum in orbe gestarum ad annum* 1532. Verba ejus vide infra *part.* 3. *§.* 5. 8. *Quia*, ibi prædicârunt, aut martyrio affecti sunt, aut sepulti, aut aliquæ ipsorum reliquiæ ibi servantur. Ita Dionysius factus patronus Galliarum, Jacobus Hispaniæ, Ambrosius Mediolani, Servatius Traject. ad Mosam, &c. 9. *Quia*, in illo templo, aut urbe, aut provinciâ, aut populo, quorum Patroni fiunt, plurima miracula patrârunt. Et hoc ferè communiter movet populum ad suffragia in talem sanctum conferenda. 10. *Quia*, apparitione aut revelatione aliquâ extraordinariâ ipsorum sanctorum, aut saltem in commendationem eorum divinitus factâ, monitos se putant, ut eorundem patrocinium & tutelam potissimùm affectent. Ita Jacobus factus Patronus Hispaniæ. Vide plura de apparitionibus, in *Disp. de Probationibus Spirituum.* 11. *Quia*, primi ordines illos religiosorum excogitârunt & fundârunt: hinc æquum & justum est, ut tanquam ordinis quisque sui Patronus peculiariter ab eodem colatur, e. gr. Dominicus, Franciscus, Benedictus, Ignatius, Wilhelmus Aquitanus, &c. 12. *Quia*, vulgaris & ἄλογος consuetudo ac plebis devotio jam præjudicavit. In quam solam multorum abusuum excusatio aut defensio resolvitur, apud *Casuistas*, & „ *Bresserum de conscientia lib. 6. cap.* 22. §. 302.: quæ consuetudine aliove „ probabili fundamento nituntur, & conducunt ad excitandam pietatem „ ac devotionem fidelium, non improbentur, sed excitentur. *Molanum de* „ *picturis*: Sic e. gr. *cap.* 66. *de picturâ Christophori*: Itaque pictura hæc ex-

„ exprimens numeranda est inter eas quæ probabiles sunt apud simplicem „ populum: quamvis apud doctos aut parùm aut nihil probabilitatis ha- „ beant: ac proinde nec ab istis est extendenda. *Iesuita Cottonus in epistolâ ad Chamierum* (edita est cum aliis hoc tit. *Epistolæ Iesuiticæ* in 8.) excusaturus fabulosum cultum Georgii, confugit ad consuetudinem & devotionem popularem: de quo alibi ex professo agendum. Sed nequid nimis, hîc *αἰπολογίαν* tutelarem abrumpo. Siquidem nunc otium esset *legendarios, hagiologia & Martyrologia, tum generalia, tum particularia, historias particularium Ecclesiarum, Monasteriorum, Capitulorum, Ordinum*, & similes operosas nugas denuò percurrere, facilè complures motivæ electionum se offerrent. Tantùm in gratiam juniorum hîc subjicio frenum, quod stolidis, *ἀλόγοις* & *ἀορίστοις* quorumvis Patronorum electionibus, injicere conatus est Papa Urbanus octavus, cum sacrâ rituum congregatione. Extat illud apud Gavantum in Thesauro sacrorum rituum tom. 2. p. 45.

Sacra Rituum Congregatio, annuente sanctissimo D. N. in electione Patronorum mandavit, in frà scripta in posterum servari debere, declarans; quòd aliter facta electio nulla sit ipso jure.

Primò, quòd eligi possunt in Patronos ii solùm, qui ab Ecclesiâ universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati duntaxat.

Secundò, quod de Patrono civitatis electio fieri debeat per suffragia à populo, mediante Consilio generali illius Civitatis, vel loci, non autem ab Officialibus solùm; & quòd accedere debeat consensus Episcopi & Cleri illius loci.

Idemque servari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia à populo singularum civitatum Provinciæ.

Et quod repræsentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam, nulla competat facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, & ulteriùs interveniat consensus Episcopi, & Cleri dictarum civitatum.

Et Tertiò, quod causæ electionis novorum Patronorum debeant in sacrâ Congregatione deduci, & ab eâ examinari, ac demum causâ cognitâ, ab eâdem Congregatione approbari, & confirmari.

Et ne præmissorum ignorantia ullo unquam tempore possit allegari, eadem sacra Rituum Congregatio supradictum Decretum imprimi & publicari mandavit.

Consectar. I. Ex hoc decreto, ut & ex *bullis Vrbani octavi de Imaginibus, de Festis, de Iesuitissis*, nec non *ex Missalibus, Breviariis, Pastoralibus, Officiis B. Mariæ, Pontificialibus post Concil. Trident.* reformatis, Lector colligat, an nihil ante aut post Concilium Tridentinum in Religione Romanâ fuerit reformandum.

Consectar. II. Ex secundo hujus decreti articulo collige, populo Chri-

ſtiano in electione Patroni ex cœlitibus, plus poteſtatis & libertatis, contra prætenſa jura patronatus ac regalia, aut ſimiles Principum ac magnatum prætenſiones aſſeri, quam in electione Paſtorum ex Clericis in his terris: ubi Papa & Epiſcopi aut ſpolium cum ſæcularibus partiti ſunt, aut per innominatum contractum, *do ut des*, cum illis colluſerunt; aut turpibus quibuſdam conditionibus tranſegerunt. Confer *Diatribem noſtram de vocatione Miniſtrorum & Iure Patronatus.*

4. V. Finis conſtituti Patroni eſt vel proximus, vel remotus, vel ultimus. 1. *Proximus* eſt, ut Homo ille, aut communitas illa, ſpeciali cultu eum præ aliis omnibus ſanctis honoret; ad ejus merita & interceſſionem confugiat; in illo promptum auxilium & præſidium inveniat; deniq; à malis liberetur, & omni benedictione cumuletur, ſive ordinariò, ſive extraordinariò & per miraculum. Finem hunc (ſecundum Logicam Romanam loquor: alioquin mali propriè nullus eſt finis) imprimis detectum videmus in inſtrumentis & erectionibus confraternitatum: ubi occurrunt formulæ *ſub invocatione*, aut *ſub patrocinio* Rocchi, Sebaſtiani, Antonii, Mariæ de ſeptem doloribus, de ſcapulari, &c. Sed de his alibi actum eſt. 2. *Remotus* finis eſt, ſalus animarum poſt hanc vitam: quæ ſecundum fidem Romanam conſiſtit, in beatificatione, & liberatione ab inferno, etiam à pœnis purgatorii. 3. *Ultimus* finis eſt vel in hoc genere, vel abſolutè. *Ille* eſt gloria ſanctorum. *Iſte* eſt gloria Dei.

5. Explicatâ definitione, accedimus ad quaſdam patronatus affectiones, tum abſolutas tum comparatas. Abſolutæ ſunt 1. Imagines, & picturæ: quarum varias formas & colores, videre eſt in templis, ſacellis, monaſteriis, libris iconum, & officinis artificum. Quid autem in ſingulis reformari velint, & quid pertinaciter defendant, docebit liber *Molani de picturis ſacris.* 11. Inſignia imaginibus addita ſunt, e. gr. porcus & tintinnabulum Antonii, haſta Longini, claves Petri, gladius Pauli, draco Georgii, leo Marci, vitulus Lucæ, ulcera Jobi (qui patronus Weſemalienſis in Brabantiâ); ulcera Lazari, qui patronus leproſorum; rota Catharinæ, &c. Vide infra *part.* 2. §. 1. 111. Numerus eorum: quamvis enim ut plurimùm uno patrono contenti ſint, non rarò tamen uni alter ſuperinducitur, immò & plures adſciſcuntur, ſed impari honoris gradu colendi. Ita ut hinc nata diſtinctio patroni in principalem & minus principalem. Vide de hâc re *Gavantum tom.* 2. *pag.* 46. Sic Galliæ patronatus antea Dionyſio, Michaëli, Remigio, conceſſus, tandem anno 1638. diplomate Regio publicè edito, delatus fuit B. Mariæ, cui rex *ſe ac populum regnumque ſuum, atque adeò univerſam rem Francicam in clientelam ſolenni voto dedit & dicavit*, ut loquitur Jac. Eveillon Canonicus Andegavenſis tract. de Proceſſionibus

sionibus Ecclesiasticis, cap. 26. Eandem fortunam S. Johannes, præsumtus patronus Sylvæducensis, A. 1629. proculdubio subiisset, siquidem urbs ab obsidione per Mariam Sylvęducensem, confraternitate suâ & cultu, & miraculis (quæ Jesuita *Zylius libro* complexus est) celebratam, liberata fuisset. Sed quia per ipsius imaginem tempore obsidionis toties circumgestatam, claveſque argenteas repręsentantes claves urbis, (metonymicè scil. significantes custodiam urbis) dictæ imagini appensas, & vota de sacello Mariæ Liberatrici in memoriam beneficii erigendo, nulla liberatio obtineri potuit, non magis quam ab antiquo patrono & divo tutelari Johanne; decollavit & spes & consilium de novo principalis patroni superinducendo patronatu: Diva enim hæc post captam urbem adytis excessit, imaginemque ejus domicella quædam *Ilium in exilium portans victosque penates* cum luctu & lachrymis Bruxellas transtulit; ubi ab archiducissâ Isabellâ (uti ferunt) obviam ei procedente religiosè excepta est. Mansit ergo Johannes in possessione (siquidem hoc rerum statu possessio dicenda sit) patronatus sui principalis; & proculdubio, si urbs illa aliquando Papatui restitueretur, eâdem oratione patrocinium ejus à Papicolis postliminiò peteretur, quâ usque ad urbis deditionem petitum fuerat, publicè portæ dictæ S. Johannis inscriptâ:

Hanc portam civesque tuos, arasque, focosque.
Custodi dilecte Deo, patrone Iohannes.

IV. Translatio corporum: Hinc fit ut nonnunquam contentiones oriantur inter Urbes aut Ecclesias, unde & quò translata dicuntur. Sic inter Turonenses & Pictavienses contentio de Martino, referente *Iac. de Voragine in legendâ aureâ*: Vide exempla translationum Norberti, Udalrici, &c. Huc refer elevationem corporum sepultorum: Exempla notat *Miræus in Fastis Belg. p.* 745. & 338. ubi de S. Vivinâ & S. Mariâ Ogniacensi. V. Translatio patronatus; cum scil. hic deponitur, iste substituitur. Exemplum moriæ Papalis, habet Nobilisſ. *Philip. Marnixius Sanct. Aldegondius in tabulis seu alveario tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 8. ubi refert post ferale hoc carmen cantatum: *Morere Abbas S. Antonii prope Balleolos*, aliasque ceremonias peractas, Antonium deturbatum & Ecclesiastico ritu sepultum, antiquum monasterii & Ecclesiæ Patronum, eique novum patronum S. Johannem substitutum. Charta non patitur integram historiolam exscribi. VI. Peculiaris cultus & religio patronorum, per templa, altaria, imagines; cereos, festa, eorumque translationes, octavas, vigilias, encænia; lectiones, hymnos, officia, litanias, missas, processiones. De dubiis & vexis innumeris, circa ordinem, modum, ritus, &c. eorum, vide passim *Gavantum tom.* 1. *pag.* 29. & *tom.* 2. *pag.* 46. 49. 99. 197. Ad hunc cultum

tum pertinent sed per accidens, sicut privationes ad prædicamenta, plagæ, & ignominia, quibus Patroni officio non benè functi nonnunquam afficiuntur. Sic imago Petri & corpus S. Feliciæ apud Navarros, alibi imago Urbani (vide de Germaniâ hoc referentem *Ioh. Boëmum Aubanum lib. 3. de moribus Gentium cap.* 15.) apud nostrates Ultrajectinos imago Pauli aquis mergi aut in eas præcipitari solet, si sanitatem non procurasset. Conferantur *Hospinianus de Festis pag.* 38. imprimis *Molanus de picturis sacris pag.* 57. 58. & *ibidem* ab illo citati *Frid. Schenckius* ultimus Ultrajectinorum Episcopus, *lib. de imaginibus cap.* 13. *Martinus Arles in lib. de superstitionibus.* VII. Denominatio locorum & hominum, ab illis patronis: quæ passim obtinet. Sic aliquæ civitates ab Audomaro, Amando, Johanne, Maria, Vito, Geertrude, &c. & templa pleraque à patronis: Similiter homines ab iisdem denominantur, ut confraternitates omnes ab iis, sub quorum patrocinio erectæ sunt; e. gr. Mariani, seu confratres Mariæ, Georgii, Antonii, &c. Nec non locorum urbiumque incolæ & cives, e. gr. cives Veneti à Marco dicti *cives S. Marci*; Ultrajectini nostri olim à Martino in antiquis diplomatis „Martens-mannen/ id est, *viri Martini*, & „S. Martens dienst-mannen/ id est, *Famuli S. Martini*, & Lovanienses à Petro Patrono „Peters mannen. Affectiones comparatæ sunt, duûm generum, vel quibus inter se, vel quibus cum Ethnicis Patronis conferri possunt. *Collationes patronorum inter se*, pariunt infinitas speculationes, quæstiones, & determinationes de præcedentiis, de loco in templis, in processionibus seu theophoriis, in recitandis & peragendis officiis, &c. Sic sancti distinguuntur in apostolos, martyres, confessores, virgines. Nobilior ergò est, & præcedit patronus apostolus martyrem, &c. Et distinguuntur ex prioritate temporis, excellentiâ & magnitudine effectuum, ex frequentiâ & multitudine effectuum. Rursum nobilior est sanctus patronus Ecclesiæ, quam sanctus titularis (*Gavantus tom.* 2. *pag.* 45.): ubi scil. hi distincti sunt; nam aliquando unus idemque sanctus utroque munere decoratur. Vide & alios casus de præcedentiis, *ibid. pag.* 38. 39. & *tom.* 1. *pag.* 296. Et conferantur *decisiones SS. congreg. Cardin.* apud *Barbosam in collectaneis ad Bullarium. Collationes patronorum*, cum Ethnicis, ostendunt ex eodem luto, utraque putatitia patrocinia formata esse. Erant enim Ethnicis sua rustica numina, agrorum, arborum, sylvarum, fontium, montium, populorum, civitatum, domuum, ferarum, jumentorum, pecudum, custodes & præsides; artium, rerum quarumcunque artificialium & naturalium præfecti; hominum quorumcunque domi, foris, in terrâ, in mari, custodes, Dii viales, Dii præstites, Dii tutelares, usque ad Deam cloacinam, & Deum stercutium. Herculi vovebant decimas,

cimas, ut divitiis abundarent; Æsculapio gallum mactabant, ut à morbo sanarentur, Neptuno taurum immolabant, ut feliciter navigarent. *Nationes*, Provinciæ, Urbes, suos quæque Deos habebant, ut Ægyptii Isidem & Osirin, Aphri Neptunum, Rhodii Solem, Paphos Venerem, Athenæ Minervam, &c. *Naturalium corporum* Dii erant, cœli Jupiter, aëris Juno, maris Neptunus, Terræ Cybele seu Ops, Inferorum Pluto, montium Oreades, fontium Najades, &c. *Fructuum terræ* Dii, frugum Apollo & Ceres, vini Bacchus, pomorum Pomona, florum Flora, &c. *Animalium* Dii, ovium Apollo, Pan; columbarum Venus, &c. *Artium* Dii, literarum Apollo, Minerva, Musæ; fabrorum Vulcanus; Medicorum Apollo & Æsculapius; militum Mars; Venatorum Diana; nautarum Castor & Pollux (*Actor.* 28.) *Morborum* Dii, pestis Apollo; comitialis morbi Hercules; partus Lucina, &c. *Vitiorum & scelerum* Dii, mendacii & furti Mercurius; scortationum & impuritatum Venus & Flora, &c. *Singulorum hominum* Dii & Patroni, qui dicebantur genii. De geniis videatur *Censorinus de die natali cap.* 3. ubi etymon deducit à genendo, sive, quòd ut genamur curat, sive, quòd unà genitur nobiscum, sive etiam, quòd nos genitos suscipit ac tuetur. Definit *ibidem* genium, quòd sit *Deus, cujus in tutelâ, ut quisque natus est, vivit.* Deos tamen tutelares locorum etiam genios appellabant. Videat, cui vacat, quæ *ibidem* de geniis differit; & quæ in *eruditis notis ad cap. cit.* observat de variâ nominis interpretatione, *Henricus Lindenbrogius*, anno 1614. & post eum *Vossius lib.* 1. *de Idololatriâ cap.* 18. Confer *disp. nostram de Angelis. Mortuorum*, & animarum Dii, qui & quales, & quis eorum cultus, vide apud *Vossium lib.* 1. *cap.* 11. *&* 12. Et *scriptores de funeribus*, inter eos, *Gutherium de jure manium.* Inter alia circa Deos Gentilium observanda studia partium, & hinc ortæ mutuę inimicitiæ & pugnæ, ut & adhibitæ prensationes, evocationes, & à parte ad partem adversam traductiones: quod facit ad interpretationem. *Numer.* 22. & *cap.* 23. *Iudic.* 11. *vers.* 24. 2 *Paralip.* 28. 23. & 25. 14. 15. & 32. 13. 14. 2 *Reg.* 18. 33. 34. 35. Hîc consulendi *Macrobius lib.* 3. *Saturnal. c.* 9. *Plinius lib.* 28. *cap.* 2. *Plutarchus probl.* 61. *Livius dec.* 1. *lib.* 5. *Servius aliique Commentatores*, (inter quos *Taubmannus* & *Ioh. Ludov. de la Cerda*) *ad Æneid.* 2. ad illa verba: *Excessere adytis omnes*, &c. *Disp. præced. de Idololatriâ indirectâ part.* 2. *§.* 4. aliquid attigi de tutelis deorum Gentilium: Oceanum si quis hîc navigare desiderat, illi consulendi *Scriptores de Diis Gentilium*, quales *Fulgentius, Phornutus, Palæphatus, Albericus* simul in fol. & in octavo editi; *Gyraldus in Syntagmate de Diis*; *Hesiodi & Iohannis Bocacii Deorum genealogiæ, Natalis comes in Mythologia, Rosinus cum Demstero in antiquit. Romanis. Vossius de Idololatriâ, Vincentius Carta-*

rus de imaginibus Deorum. Legi etiam possunt ex antiquis Patribus, *Minutius in Octavio, circa medium, Iulius Firmicus de errore profanarum religionum, Arnobius contra gentes:* iique *cum notis* aut *commentariis* quique *suis*, alibi indicatis. Specimen collationis Papismi & Gentilismi hâc in parte, & in aliis plerisque superstitionibus dedit *Marnixius* modò laudatus *tom. 1. part. 5. cap. 6. Zegedinus in locis commun. loc. 1. tab. 2. pag. 5.* Idem egit *Casparus Grevinckhovius tract. peculiari* Belgicè. Ex Pontificiis *Gulielmus du Choul*, Consiliarius Regis Galliæ, in *Discursu* Gallico *de Religione antiquorum Romanorum sub finem.*

DE PATRONATIBUS, TUTELIS, ET PRÆFECTURIS SANCTORUM.

PARS SECUNDA.

Resp. NICOLAO LEYDECKER, Vlissing. Zeland. *Ad diem 5. Iunii 1652.*

1. INdicemus nunc aliquot patronorum divisiones, quæ desumi possunt ex gradibus, subjectis, objectis, aliisque affectionibus & effectis. I. Primi generis divisiones sunt. 1. *In* honoratos simplices, & duplices; illos appello, qui tantùm sunt patroni, istos qui etiam titulares Ecclesiarum. Sic ex. gr. Martinus olim, dum res Papatus hîc starent, & patronus erat tutelaris & sanctus titularis Ecclesiæ Ultrajectinæ: erat enim templum hujus urbis (quod posteà aliis templis in urbe exstructis, distinctionis causâ, cathedrale & dominicum appellatum fuit), templum S. Martini. 2. *In* solitarios, & in socios: Sic Paulus & Petrus patroni urbis Romæ, tres reges Coloniæ. 3. *In* principales & minus principales. 4. *In* novos, & antiquos. 5. *In* substitutos & destitutos, hoc est, vel capite diminutos, quando ex solitariis fiunt socii, ex principalibus minus principales; vel planè depositos (ut e. gr. Antonius Balleolanus in Flandriâ: de quo *parte præced.*) qui propterea æquivocè patroni dicuntur, haut aliter ac homo mortuus dicitur homo. II. Generis divisiones sunt in latricos seu latreuticos, hyperdulicos, dulicos. *Latrici* sunt, quorum numen latriâ colitur: ut sacramentum (fuit hîc Ultrajecti inter 58. confraternitates, una, *venerabilis sacramenti*) nomen Jesu, Crux, sanguis Christi, umbilicus, sudaria, aut sindones, imagines Christi sindonibus aut sudariis impressæ, & similes, si quæ sint, reliquiæ. Scimus hoc membrum divisionis, ad patronatus sanctorum non pertinere. Hîc tamen melioris doctrinæ causâ, ut omnes omnium rerum

rerum & personarum patronos exhibeamus, locum ei dandum putavimus. *Hyperdulici* nulli alii ipsis agnoscuntur, præter B. Mariam. Ejus tamen numinis tot species, tot formæ, tot individua passim occurrunt, ut loquacem Fabium delassare valeant. Nobiliss. Marnixius dicto tom. 1. part. 4. cap. 2. fol. 204. a. aliqua ἐν παρόδῳ indigitavit: *Dont l'une a nom nostre Dame de liesse: l'autre nostre Dame toutes beautès, l'autre nostre Dame en couche, nostre Dame de larmes, nostre Dame de confort, nostre Dame à sept glaives, nostre Dame de pitié, nostre Dame d'enhaut, nostre Dame d'embas, nostre Dame de crotes, nostre Dame de neiges, nostre Dame de toutes joyes, nostre Dame de vertus, nostre Dame de bon desir, nostre Dame des aides, nostre Dame des bonnes nouvelles, nostre Dame de Cunauld, nostre Dame d' Aix, nostre Dame de Cambray, nostre Dame de Puy, nostre Dame de Lorette, nostre Dame de Boulogne, nostre Dame de Nantueil, de Francueil, de Haux, de VVavre, de VVasmes, de Monserrat, nostre Dame au croissant, nostre Dame en pleine lune, nostre Dame au Soleil, nostre Dame aux estoilles: avec dix millions d'autres sans fin, sans nombre & sans mesure.* Addimus nos hæc numina ejus localia seu individua, Mariam Hallensem, Aspricollensem, Sylvæducensem, Trajectensem ad Mosam, Tungrensem, Arlensem, Meenensem in Flandriâ, Cigniacensem apud Ruthenos, Provenzanam Senis in Italiâ, Vicensem apud Montem regalem (*Mondevi*) in Pedemontio; Suessonicnsem in Galliâ; Augustanam; denique Heuclemensem & Elshoutanam in Hollandiâ: Elshout vicus est uno lapide à civitate Heusdanâ patriâ meâ distans: ubi sacellum, quod olim imagunculâ Mariæ nobilitatum erat. Plures alias per orbem Romano-Papalem indicant *Itineraria, Topographi, & speciales Nationum, Provinciarum, urbium Historici.* In Belgio, præsertim in ducatu Brabantiæ investiget, cui vacat, apud *Augustinum VVichmans* in blasphemo & spisso libro, cui tit. *Brabantia Mariana:* cui addat *Mirei fastos Belgicos, Dionysii Mutzart Historiam Ecclesiasticam* Belgicè, *Arn. Roisse hierogazophilacium Belgicum. Dulici* patroni sunt *vel* ex Diis majorum gentium, quales rubro in Kalendariis signati: *vel* ex sanctis minorum gentium, quales reliqua turba nigro ibidem signata, & porrò in *martyrologio Romano*, & immenso illo *Philippi Ferrarii catalogo sanctorum* extra martyrologium lustranda. Inter Minorum gentium divos, notari possunt aliqui tanquam minimi; quales sunt sancti nu per canonizati, item chimærici, dubii, exsancti, nondum canonizati, sed aut tantùm beatificati, aut proximi canonizationis candidati, aut competentes, aut canonizabiles, (uti *Perronus in epistolis*, Cardinales quosdam vocat *Papabiles*) quos etiam aliquando canonizandos moraliter credi potest, si modò accedant aut intercedant illa, quibus mediantibus nihil non Romæ impetrari solet. Imprimis respici-

endum est ad Bellarminum, alioſque ex ordine Jeſuitarum non paucos, quos vitarum ſcriptores, & *Phil. Alegambe in Bibliothecâ*, hâc formulâ commendatitiâ inſignierunt: *Non ſine opinione ſanctitatis mortuus eſt.* Dulici patroni rurſum ſubdividi poſſunt in patriarchas (inter quos Joſephus ſponſus B. Mariæ nunc recenſetur, & novo ac peculiari cultu ſupra omnes extollitur), Prophetas, Apoſtolos, Euangeliſtas, Martyres, Confeſſores, Virgines, Doctores, Monachos & Monachas, &c. III. Generis diviſiones ſunt: alii patroni ſeu tutelares elementorum, alii brutorum, alii vegetabilium & foſſilium, alii rerum artificialium, alii hominum. *Elementorum*, ut ignis, Agatha; maris, Nicolaus; tempeſtatum, Valeſianus & Theodorus. *Brutorum*, e. gr. equorum, Eligius ſeu Eulogius; boum, Pelagius; canum, Hubertus; ovium, Wandlinus; porcorum, Antonius; agnorum, Joh. Baptiſta; anſerum, Feriolus; gallinarum, Gallus; murium & glirium averrunci, Udalricus & Geertrudis; de quibus *Mireus in Faſtis Belgicis*. Mirari quis poſſet, cur Franciſcum mendicis, furibus, pediculis, & fratribus ipſius aſinis, ac lupis, nec non ſororibus hirundinibus, ac corvis non prætecerint. *Vegetabilium* & proventuum terræ; quorum fertilitati præſident Medardus, Urbanus, Paulus, Martinus, Johannes Euangeliſta; qui poſtremus peculiariter præeſt vino & vini potoribus. De quibus vide *Hoſpiniani librum de Feſtis*. Frugibus Judocus præeſt. *Rerum artificialium*, ut portarum, ſic e. gr. portæ Sylvæducenſi Johannes præfectus fuit, quę etiam nomine ejus inſignita: Portuum & promontoriorum e. gr. Omnium ſanctorum, Auguſtini, &c. (vide paſſim *Scriptores Geographos*, imprimis *deſcriptionem Americæ*): Vallorum in locis limitaneis, quorum tutelares ex nominibus deprehenduntur; arcium & caſtellorum, ut paſſim in Belgio noſtro Andreæ, Mariæ, Donati, Jacobi, &c. qui tutelares & titulares caſtellorum ab Hiſpanis conditorum: Palatiorum, monaſteriorum, curiarum, ut S. Laurentii Eſcuriale in Hiſpaniâ, &c. Et ſic omnes naves, tum mercatoriæ tum bellicæ, titulares & tutelares patronos adſciſcunt: intercedente plerumque ſi non ſemper, mimico quodam baptiſmo. De templis, ſacellis, choris, altaribus, campanis, &c. non eſt quod referam apud illos, qui unquam aliqua ex iis in Papatu viderunt. Scholas, collegia, &c. paſſim ab Hieronymo, Laurentio, Maturino, Magdalena, &c. denominari, notiſſimum eſt. *Hominum* patroni variè dividuntur, 1. Secundum ſtatus, vocationes, artes & exercitia. 2. Secundum communitates & collegia. 3. Secundum partes corporis. 4. Secundum mala & morbos. 5. Secundum peccata. *Quoad* 1. Patronus textorum; Severinus: ſutorum, Criſpinus & Criſpinianus: agricolarum, Lucia: molitorum, Arnoldus: parafrænariorum, Anna Mater Mariæ: ſtudioſorum, Catharina & Gregorius Magnus: Juriſconſul-

consultorum & pragmaticorum, Ivo: de quo extat *Oratio Boëthii Eponis Frisii* J. C. Duaceni. In ejusdem honorem Romæ & alibi feriantur Theologi & Physici: Medicorum, Cosmas & Damianus (plures indicat *Molanus in diario medicorum*, Cyrum & Johannem, Blasium, Agatham, Silvanum, &c. vide ipsum): peregrinantium, Julianus: Venatorum, Hubertus, & Eustachius: Pistorum, Honoratus; sartorum, Gutmannus, & Joh. Baptista: cerevisiariorum Adrianus: Fabrorum lignariorum, Josephus: Ferrariorum, Eulogius; Hortulanorum Urbanus: Aurifabrorum Dunstanus: Figulorum, Guarus seu Goarus: pictorum, Lucas: nautarum, Nicolaus: militum & armatorum, Georgius: sagittariorum & sclopetariorum, Sebastianus. Huc refer omnes ordines equitum, Mariæ, Johannis, Jacobi, &c. ut & confraternitatum, & monachorum, de quibus vide *dispp. nostras de Monachis*. *Quod ad* 2. Germaniæ, Angliæ, Genuæ patronus, Georgius; Scotiæ & Burgundiæ, Andreas; Hiberniæ, Patricius; Helvetiæ, Maria; Leodii, Lambertus; Gandavi, Lævinus & Bavo: Trevirorum, Mathias; Poloniæ, Stanislaus; Hungariæ, Ludovicus, & Ladislaus; Galliæ, Michaël & Dionysius; Hispaniæ, Jacobus; Venetiarum, Marcus; Augustę, Udalricus; Romę, Petrus & Paulus; Coloniæ, tres Reges; Saxoniæ, Vitus; Borussię, Albertus: Mediolani, Ambrosius; Lutetiæ, Romanus & Genofeva; Bruxellarum, Goedela; Mechliniæ, Romboutius; Lovanii, Petrus, &c. Imprimis hîc notanda, civitates, vici, aliaque loca, quæ à patronis suis denominantur, ut Andreæ, Mariæ, Viti, Trudonis, Geertrudis, Aldegondis, Audomari, Johannis, Amandi, Hildegundis, &c. *Quod ad* 3. Odilia præest capiti; Laurentius dorso & scapulis; Erasmus ventri & intestinis; Apollinaris & Briccius pudendis, &c. *Quod ad* 4. Partui præsidet Margareta & Noirpurgis; captivis, Leonardus: rubigini, Jodocus; incendio, Agatha; tempestati, Nicolaus, Florianus; grandini, Johannes & Paulus; squalori seu siccitati, Genofeva; fulmini, Barbara; paupertati, jacturæ & rebus perditis, Anna, Vincentius, Arnoldus. Morbis singulis, singuli præsunt averrunci, ut stultitiæ, maniæ, phrenesi, Mattelinus, Romanus, Dympna; atrophiæ infantium Machutus, (qui inde infantes S. Machuti dicuntur), & nostras Bernulphus; Odontalgiæ Apollonia & Christophorus; dolori crurum, Burchardus; podagrico dolori in genibus, Genovus, Mauritius, Quirinus; hæmorrhoidibus Fiacrius; hydropi, Liberius & Eutropius, seu Hydropius; calculo, Apollinaris; tussi, Quintinus; doloribus dorsi, Laurentius; doloribus ventris, Briccius; exulcerationibus mammarum, Agatha & Mammartus; doloribus & vitiis oculorum, Clara, Lucia, Otilia: (hîc adde imprimis sanctum sudarium Vesontinum, cujus eximia circa cœcos & ex oculis laborantes miracula recenset

Chifletius tract. de linteis sepulcralibus Christi; cephalalgiæ, Athanasius; doloribus colli, Blasius; lui Hispanicæ, Jobus, Flaccius: sterilitati fœminarum, Florianus, Ægidius Renatus; igni volanti (uti Belgæ eum vocant) Benedictus & Antonius; venenis & deleteriis, Johannes Euangelista & Benedictus; pesti, Rochus, Adrianus, Sebastianus, Antonius, (confer *nostram diatriben de Peste*); scabiei, Jobus; febri, Petronella: paralysi Wolfgangus; morbo comitiali seu caduco, Cornelius, Valentinus, Johannes, isque triplex, Baptista, Euangelista, Chrysostomus; siquidem attendamus ad amuletum, formulam scil. thaumaturgicam, quam paroxysmo ejus morbi correptis in aurem insusurrare solent, (ut quidem memini, mihi olim quærenti ex fœminâ quâdam, quid me præsente insusurrasset, ita relatam) Sint Jan Baptist/ Sint Jan Euangelist/ Sint Jan Guldemont/ Helpt desen Pelgrim in hoyter stont: A repentinâ aut malâ morte liberat Marcus, Christophorus, Barbara. Rebus benè servandis, Servatius invigilat; argumento cabalistico ducto ex similitudine nominis; sicuti simili argumento ducto ex linguâ nostrate, in quâ binden notat *invenire*, Vincentii patrocinium ambire solent ad res perditas inveniendas, &c. Huc referendæ denominationes morborum à sanctis, ut ignis Antonii, morbus Huberti; item complures herbæ à sanctis denominatæ (de quibus suprà); denique & antidota morborum, e. gr. unguentum Apostolorum. Plura require in antidotariis, seu dispensatoriis. Ut nihil dicam de merè superstitiosis amuletis, qualia annuli vulgò dicti Cornelii aut Bernardi, quos stipe mendicatâ sibi comparant & gestant contra morbum caducum. *Quod ad* 5. Magdalena & Aphra tutelares meretricum; Vitus, saltatorum; Martinus, compotorum & comessatorum. IV. Generis divisiones complures fabricari possent. In præsentiarum duas solummodo notabo. Quarum *prior*, quòd alii sint cognomines urbibus, templis, monasteriis, & collegiis, quibus præsunt, ut S. Viti, S. Audomari, &c. *Posterior*, quod imagines ipsorum sint pro insignibus loci, ut ex. gr. S. Fridolini, Glaronensium in Helvetiâ patroni. V. Distingui etiam possunt secundum reliquias eorum, quæ habentur. Quorundam enim patronorum, corpora, ut trium regum, quorundam partes corporum, quorundam alia adjuncta, &c. de quibus *Scriptores de Reliquiis*. VI. Postrema sit distinctio secundum insignia, quorum aliqua suprà *part.* 1. §. 5. indicavimus: adde Agnes agnum, Genovefæ candelam, Ignatii leones, Thomæ Aquinatis calicem, Patritii serpentes, Gertrudis mures, Ambrosii flagellum, Jacobi Compostellani baculum & concham, Dominici catulum cum faculâ ardente, Augustini cor transfixum, Ægidii cervam, Dionysii caput manibus gestatum, Eligii malleum, &c. Plura require in *Molani tract. de Picturis sacris*.

Papalem

Papalem hanc superstitionem & crassam idololatriam satis superque 2.
expositam, breviter nunc profligemus. Est ergò controversia principalis, an patroni tales constituendi, & ad eorum patrocinium more Romano-papali confugiendum sit? *Illi Aff. Nos Neg.* 1. *Quia*, nullum mandatum, nullum probatum exemplum in Scripturis comparet, quo patronatus suprà descriptus probari posset. Ergo ad φιλοθρησκείαν & cultum alienum referri debet. 11. *Quia* multis modis Scripturæ repugnat, dum falsò ponuntur & supponuntur sequentes hypotheses. 1. *Hypoth.* Præter Deum supremum custodem, tutelarem, averruncum, &c. *Psal.* 68. & prçter angelorum ministerium *Hebr.* 1. *Psal.* 34. & 91. sanctis demortuis, tanquam tutelaribus tutelam ac curam hominum, jumentorum, & quarumcunque rerum humanarum esse commissam: cùm illi à curâ & labore omni, consequenter etiam à curâ & labore circa Ecclesiam, & homines viatores, per mortem liberati sint, nec rebus hujus vitæ se immisceant, *Hebr.* 4. *vers.* 10. *Apocal.* 14. *Eccles. ult.* 9. 6. 2. *Hypoth.* Præter Christum unicum mediatorem, patronum, & advocatum 1 *Timoth.* 2. 5. 1 *Ioh.* 2. 1. 2. *Ioh.* 14. 6. *Actor.* 4. 12. *Hebr.* 12. 24. & 13. 10. esse alios patronos, advocatos, & mediatores, quos distinctionis causâ, vocant *mediatores intercessionis*, qui pro nobis & satisfecerint & meriti sint, & quorum meritis precibusque Deus nobis propitius factus auxilium præstet. Contra orthodoxam fidem, de unico mediatore Christo, deque perfectissimo ejus merito, & de nullis humanis satisfactionibus & meritis. Quæ alibi ex professo discutienda sunt. 3. *Hypoth.* Sanctos in cœlo videre omnes particulares necessitates hominum, præsertim eorum, qui ad ipsorum patrocinium confugiunt. Sed unde hoc probatur? an ex meris conjecturis? an verò ex fabulosis visionibus & revelationibus? 4. *Hypoth.* Sanctos demortuos religiosè colendos & invocandos. Quod variis argumentorum classibus, à thesium & locorum communium scriptoribus, expugnatum vide; ut & exceptiones omnes à Pontificiorum antagonistis profligatas. 5. *Hypoth.* Sanctos à Pontifice canonizatos, demum fieri, seu mavis declarari sanctos; & ex vi istius canonizationis, religiosè colendos, & invocandos, eorumque patrocinium expetendum. De historiolâ Romanæ canonizationis, suprà ex professo egimus. 6. *Hypoth.* In hominum arbitrio & electione positum esse, quinam sanctorum patrocinio, præsidio, tutelæ, hujus loci, personæ, ordinis, communitatis, rerum quarumcunque potissimum astricti & applicati teneantur: haut aliter ac intelligentiæ Aristotelicæ suis quæque orbibus. Ita, ut quidquid in terris à quoque Pontificio, aut à quoq; populo, per libera & potiora suffragia, hîc in terris, approbante clero, ligetur, ligatum sit in cœlis. 111. *Arg.* ad hominem. Quia totus

tus hic apparatus & cultus patronorum in opinione consistit, & absque fide peragitur. Adorant ergò quod nesciunt, *Ioh. 4. vers. 22.* & quidquid sine fide est, peccatum est, *Rom. 14. 13.* Nam 1. *Quâ* certâ fide non dico divina, sed Papali, persuasi sunt, patronum aliquem ex. gr. Rochum, aut Carolum Magnum, reverà esse sanctos religiosè colendos. *Ille* enim nunquam est canonizatus, immò ejus cultus Venetis à Papis non semel prohibitus; quamvis anno 1629. ab Urbano VIII. provisionaliter concessum sit ejus officium & missa in iis locis, ubi adsunt Ecclesiæ in ejus honorem ædificatæ: uti refert *Castellinus de dilatione canonizationis sanctorum, p. 81.* & ex eo *August. Barbosa in collectan. Bullarii, in voce S. Rochus. Istius* canonizatio planè dubia est, & pendet adhuc lis illa sub judice. Et certè qui Romanam superstitionem, de imaginibus, tam peremptoriè condemnavit ac profligavit, quomodo inter sanctos Romanos nomen tueri potest? 2. *Quâ* certâ fide persuasi sunt, sanctos ritè beatificatos & canonizatos esse: cùm fateantur, Papam in quæstionibus facti errare posse: insuper constet gratiæ & favori, sive Regum ac Principum, sive ordinum religiosorum, nec non importunis petitionibus non rarò armatis seu nummatis, tum à Papâ, tum ab iis, qui ad inquisitionem & disceptationem causæ delegati sunt, quamplurimum hîc tribui. 3. *Quâ* certâ fide persuasi sunt, sanctos canonizatos, aut fuisse in rerum naturâ (vide *disp. de Sanctis chimæricis*), aut si exstiterint revera fuisse sanctos, in vitâ suâ talia miracula patrasse, tales personas & res, quibus nunc tanquam patroni præficiuntur, peculiariter curasse? Quinimmo quâ fide Romanâ persuasi sunt, Cyprianum inter sanctos Romanos numerandum, qui Papæ Romano in rebus fidei se non subjecerit, sed usque ad finem vitæ constanter eidem se opposuerit. 4. *Quâ* certâ fide persuasi sunt, particularem quemque tutelarem sanctum, tanquam inter millenos alios sanctos sibi aut negotiis suis maximè convenientem, à se ritè electum, & tutelari angelo ritè associatum, ita ut inter ipsos conveniat, & electio hæc in cœlo approbata sit, ac secundum eam particularis tutela & patrocinium à dicto sancto susceptum, atque à Deo eidem impositum sit. Idem quæro, de electione patroni cujusque, factâ à natione, aut urbe, aut collegio, aut quâlibet aliâ communitate. An non potuisset hîc interveniisse aliqua species simoniæ, aut intrusionis, aut ambitus, aut similis ἀναξίας, per quam canonica talis electio sic vitiaretur, ut ipso jure nulla esset? Imprimis etiam hæc difficultas moveri potest, circa depositionem antiqui patroni, & substitutionem alterius. Unde enim constat ipsis, hanc tantæ mutationis histrioniam in cœlis à Deo, & ab utroque sancto, tàm depositio quàm substituto, approbatam esse? 5. *Quâ* certâ fide persuasi sunt patronum, quem colunt, & ad quem confu-

confugiunt, non esse hoc tempore à clientibus suis aversum, propter peccata scil. eorum, aut alias ob causas: quomodo de angelo suo tutelari vulgaribus libellis practicis θεολογοῦσι? IV. *Quia* tota hæc scena patronatus, ad novitates Papales rejicienda est. Nam non tantùm antiquitatem, catholicismum, successionem ejus ex communi consensu Ecclesiæ non probant, immò ne quidem probare conantur: sed ne unius quidem concilii decretum, unius probati Doctoris aut antiqui patris suffragium, unius martyris testimonium ex prioribus sæculis (quibus decantatam antiquitatem & successionem suam cum Cardinali Perrono circumscribere solent), producere poterunt, unde patronatus suprà ex theologiâ & praxi Papali descriptus demonstretur. V. *Quia* totum hoc patronatus choragium colludit cum antiquo Ethnicismo. Illic enim Mars & Pallas bello, Mercurius mercaturæ, Pan pastoribus, Neptunus mari, Æolus ventis, Ceres frugibus, Flora floribus, Pomona pomis, Bacchus vineis & vini potoribus, Vulcanus fabris ferrariis, Diana venationi, Apollo & Venus Trojanis, Venus Cypro, Saturnus Latio, Jupiter Cretæ, &c. tanquam tutelares & patroni præsidebant. Mensium tutela, Januarii Junoni, Februarii Neptuno, Martii Minervæ, Aprilis Veneri, Maji Apollini, Junii Mercurio, Julii Jovi, Augusti Cereri, Septembris Vulcano, Octobris Marti, Novembris Dianæ, Decembris Vestæ demandata erat. Quibus nunc substituti sunt: 1. Paulus. 2. Petrus. 3. Mathias. 4. Philippus. 5. Jacobus minor. 6. Barnabas. 7. Jacobus major. 8. Bartholomeus. 9. Matthæus. 10. Simon Apostolus. 11. Andreas. 12. Thomas Apostolus. Uti hanc substitutionem indicat *Ambrosius Novidius Fraccus in Fastis sacris* ad imitationem Ovidii elegiaco carmine descriptis, & Paulo III. dedicatis. Ubi autor ille solennes & ludicros ritus Papatus per totum annum describit.

Restant aliquot problemata tribus verbis expedienda. 1. *Probl.* An, 3. & quomodo reliquiæ patronatuum tempore dominantis Papatus constitutorum, inter Reformatos abolendæ? *Resp.* Quod *ad prius Aff.* ob rationes *in dispp. de Idololatriâ indirectâ & participatâ* adductas; quæ huc applicari possunt. Quod *ad posterius*, servandas dicimus has conditiones. 1. Ut fiat ab iis penes quos est potestas & potentia. 2. Ut fiat cautè ac prudenter, distinguendo, inter res per se civiles, utiles, immo necessarias; & inter τὸ παραφυὲς, id est, adnatum aut intercurrens Papistico-religiosum. Istud tollendum & expurgandum: illud verò relinquendum, & solummodò à vitio illo liberandum ac purgandum. 3. Ut fiat opportunè; cùm scil. fieri potest, absque destructione, aut absque periculo concussionis & ecclesiæ & politiæ. Alioquin tantisper tolerandę sunt, donec meliora tem-

pora affulserint. II. *Probl.* An stante tolerantiâ mali, quod nondum tollitur, pii reliquiis patronatuum immiscere se possint? *Resp.* De rebus, negotiis, ordinibus, actionibus, sive politicis, sive ecclesiasticis per se utilibus & necessariis *Aff.* Sic tamen, ut reliquiis patronatus Papalis se nullo modo misceant, aut approbando eas, aut promovendo, aut fovendo; sed passivè & tolerativè circa eas se habeant, nec cessent interim ἀκαίρως εὐκαίρως earum abolitionem doctrinâ, consilio, opere (pro modulo vocationis suæ) promovere. Sic in templis concionantur, & passim eadem frequentant reformati; in scholis docent & discunt; in curiis consulunt & causas tractant; in domibus aut hospitiis commorantur & divertunt; in collegiis & fraternitatibus civicis ex officio comparent; non obstante quòd insignia aut imagines Papalium patronorum, & consequenter memoria eorum illic nondum sublata sit, e.gr. conspicitur adhuc in turre magni templi Ultrajectini, Martino olim tanquam titulari sancto & tutelari patrono sacri, imago ejusdem Martini, alibi cruces aut imagines in vitris templorum, cruces cum gallis in turribus, cruces in sepulcris & cœmiteriis: nec tamen templa illa deserunt reformati, aut iis utendo vestigia Papalis patronatus fovent, nedum ut adorent. III. *Probl.* An quis collegiis, aut confraternitatibus ex suâ institutione, & per se ac formaliter sacris, seu Romano-Religiosis, nec ullo modo civilibus, nisi per accidens seu per subsequentem heterogeniam superinductionem (quomodo gryphes junguntur equis, & abusus abusui) nec etiam per se utilibus & necessariis, hactenus se immiscere possit, ut partem eorum constituat, in eorum defensionem juret, & sic abusus illos pro suâ parte & pro modulo canonizet, ne unquam reformentur? *Resp. Neg.* Neque enim hîc valet regula, tollatur abusus & maneat rerum substantia. Quia quidquid otiosum est, & Papales reliquias in patronatibus, aut in aliis vel minimum redolet, totum resecandum est; aut si hoc non fiat, saltem pii ab excelsis illis Papatus se integros servare debent. IV. *Probl.* An solennibus festivitatibus, seu festivis conviviis aut symposiis, à fraternitatibus illis Romano-religiosis aut collegiis Romano-ecclesiasticis, die antiqui patroni aut patronæ, ex. gr. Petri, Johannis, Sebastiani, Catharinæ, Mariæ, Agathæ, &c. celebrari solitis, interesse quis possit? *Resp. Neg.* tum propter speciem mali, tum propter scandalum. Vide & expende rationes ex 1 *Corinth.* 8. & 10. aliasque in *disp. de Idololatriâ indirectâ* adductas. V. *Probl.* An non liceat confraternitatibus aut collegiis olim Romano-religiosis, aut Romano-ecclesiasticis, sub patrocinio & invocatione alicujus sancti erectis, nomen dare, boni publici causâ, aut etiam lucri & honoris causâ? *Resp.* Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Nonnulli Augustanæ confessioni satis

addicti

addicti inseruerunt se capitulis Colonienſi, Monaſterienſi, Oſnaburgenſi &c. ut hâc ratione dignitates & privilegia familiarum ſuarum tuerentur, & viam ad decanatus atque epiſcopatus iiſque annexa bona, toparchias, principatus, ſibi munirent, inſuper Reipublicæ & eccleſiæ bonum promoverent, ſaltem graviora mala ab iis averterent. Sed quomodo à labyrintho turbatæ conſcientię ſe illo in ſtatu expedire potuerint, ſatis conſtat ex *epiſtolâ Ketleri* epiſcopi Monaſterienſis *ad Caſſandrum* (quæ extat in *epiſtolis Illuſtrium Belgarum*) quâ Caſſandrum convincit, non poſſe juramentum epiſcopale bonâ conſcientiâ pręſtari. Similiter dico de otioſis collegiis & confraternitatibus olim Papalibus, nunc à craſſâ idololatriâ liberatis: quæ ſiquidem retinenda putentur, ita ut non transformentur in alia planè collegia civilia aut eccleſiaſtica, aut ſcholaſtica per ſe utilia & neceſſaria, quæ iis ſubſtituantur, non video quomodo à piis affectari, & ſerenâ conſcientiâ in ea jurari poſſit. VI. *Probl.* Quid faciendum de titulis, denominationibus templorum, collegiorum, platearum, vallorum, urbium, ab antiquo Papali patrono deſumtis? *Reſp.* Facilè omnes, exceptis urbium nominibus mutari poſſunt, ab iis, penes quos poteſtas & potentia. Quod ſi non faciant, aut differant, nihil vetat ſolitis nominibus uti; quamvis à Diis Gentilium aut Papalibus patronis deſumta ſint. VII. *Probl.* Quo fundamento nitantur Pontificii cum Lucam Euangeliſtam pictorum patronum deſignant. *Reſp*: Nullo, niſi vanæ imaginationis & fabulæ. *Ioh. Molanus in Medicorum Eccleſiaſtico diario ad* 18. *Octobris*, ex *Coloſſ.* 4. & *Hieronymi catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum*, & veterum conſenſu, contra Eraſmum & Calvinum contendit, Lucam fuiſſe Medicum, poſteà factum Medicum animarum, nunc patronum Medicorum, nullâ picturæ factâ mentione. Addit *ibid. p.* 31. eſſe hoc *publicum* & *vetuſtate firmatum judicium*. Joh. Viringus medicus Lovanienſis in præfat. ad dictum librum Molâni idem affirmat his verbis: *Quid mirum, quando Medici Lucam anniverſariâ feſtivitate recolunt, ſi quotidiè novum divum aſſumant? cujus veluti adjutorio fulti proſperiores actiones ſuas inſtituunt.* VIII. *Probl.* An lues Hiſpanica ſeu Venerea Jobum in Divos retulerit? *Reſp.* Ita quidem affirmat *Henr. Cornelius Agrippa*. Quem redarguit *Molanus dicto libro ad* 10. *Maji*: eò quòd Veneti memoriam ejus multò antè & feſto & templo celebrârint; & *Vſuardus* (qui vixit tempore Caroli Magni) ac poſt eum *Vandelbertus martyrologiis* ſuis eum inſeruerint, ut & *Græci Menologiis ad* 6. *Maji*. Quamvis hæc inteſtina controverſia nos minimè tangat, dici tamen poteſt ad defenſionem *Agrippæ*, Jobum inter divos tutelares, & quidem fœdi iſtius morbi, poſt ejuſdem morbi exortum, demum fuiſſe relatum. Quidquid ſit, tanquam divus alexicacus ab hujus morbi myſtis, annuente

nuente Romanâ ecclesiâ, salutatur. Hinc in hâc urbe Xenodochium S. Jobi olim dominante Papatu, constitutum, ubi illo morbo laborantes curari solent. IX. *Probl.* An rectè Medici quidam Jesaiam prophetam suo collegio annumerent, ut refert *Molanus libro cit. ad 6. Iulii*, & ab hâc opinione se non alienum ostendit. *Resp.* Non videtur. Nam quòd 2 *Reg.* 20. palatham ficuum dicitur applicasse regi Hiskię: Illud ilicò non facit eum medicum, ut nec Pauli consilium seu monitum diæteticum, 1 *Tim.* 5. ut nec una hirundo facit ver. *Tertullianus de corona militis* videtur Æsculapio primo medelarum exploratori Jesaiam & Paulum opponere. Quidquid de eo sit, saltem patronorum suorum numerum hinc Medici augere nequeunt, nisi præter Damianum, Cosmam, Pantaleonem, Blasium Franciscum de Paulâ, alioque quamplurimos *in diario Molani* per singulos menses notatos, aliquot millia Sanctorum Papalium in consortium hujus patronatus admittere velint. Quis enim inter illos hoc aut simili modo sibi aut aliis non fuit Medicus? Ne dicam, miraculosum quid in medicatione Jesaiæ cogitari posse. Quod si hoc detur, tùm omnes, qui miracula ediderunt & Medici & Medicorum patroni dicendi essent.

DE PATRONATIBUS, TUTELIS, ET PRÆFECTURIS SANCTORUM.

PARS TERTIA.

Quæ est,

Historico-Theologica, de MARTINO TURONENSI, quondam Patrono Ultrajectino.

Resp. MATTHEO PARENT, Slusâ-Fland. *Ad diem* 23. *Iunii*, 1652.

Duabus partibus hanc tractationem absolvimus, historicâ *scil.* & criticâ. *Priorem dispescimus in duas sectiones: quarum prior quasi digito indicabit vitam & gesta Martini: altera referet cultum, qui ipsi in Papatu exhiberi solet; tum communiter ubivis, tum specialiter Vltrajecti.*

1. DE nomine Martini, Jacobus de Voragine in legendâ aureâ sic commentatur: *Martinus quasi martem tenens, id est, bellum contra vitia & peccata. Vel Martinus quasi martyrum unus. Fuit enim martyr saltem voluntate & carnis mortificatione. Vel Martinus interpretatur quasi irritans vel provocans seu dominans. Ipse namque per meritum*

suæ

ſuæ ſanctitatis irritavit diabolum ad invidiam, provocavit dominum ad miſericordiam: dominatus eſt carni ſuæ per macerationem continuam. Ejuſdem nominis plures eſſe divos Romanos diſcimus ex *martyrologio Baronii*, & *Catalogo Philippi Ferrarii*: illic enim ſex, & hic quinque enumerantur, Martinus ſcil. Epiſcopus Tungrenſis, Epiſcopus Viennenſis, Epiſcopus Trevirenſis & martyr, Abbas Monaſterii Vertani, Papa & martyr, Abbas Santonenſis, Preſbyter Legionenſis, Epiſcopus Dumienſis in Luſitaniâ, Abbas Arvernis, Abbas Camaldulenſis, Martyr Lemovicis. *Petrus de Natalibus in Catalogo ſanctorum* tantum trium ex illis meminit, duorum ſcil. Abbatum & Papæ, Nos *duodecimum Martinum*, diſtinctionis cauſâ, vocabimus *Turonenſem*. Ortus hujus Martini, educatio, religionis profeſſio & zelus, miniſterium eccleſiaſticum, miracula, aliæque res præclarè geſtę, ſtyli purpuriſſo pinguntur à *Sulpitio Severo in Vitâ Martini*, *dialogis*, *epiſtolis*, ex profeſſo; etiam ὡς παρόδῳ in *Hiſtor. lib. 2. ſub finem.* Floruit hic hiſtoricus circa annum 420. Quem verborum elegantiâ excelluiſſe, nemo qui modò eum inſpexerit, negare poterit. Sed in hiſtoriæ legibus ſervandis, judicium & prudentiam deſideramus: in rerum ſacrarum cognitione multiplicem ejus infantiam, quin & periculoſam heterodoxiam jure merito improbamus. Ne quis autem partium ſtudio, quod nullum eſt, nos hæc ita cenſere ſuſpicetur, adeat ex Pontificiis *Bellarminum de ſcriptoribus eccleſiaſticis*, *Poſſevinum lib. 5. biblioth. cap. 16. & 18. eundemque in apparatu ſacro*; *Baronium ad ann. 431.* ubi varia in ipſo & de ipſo notata inveniet: quamvis longè plura notari deberent: *Itaque libri ejus de ſacrâ hiſtoriâ & dialogi de converſatione Orientalium cautè legendi ſunt*: inquit Bellarminus. *Neque verò ſuaſerim, ut Severi Sulpitii hac de re clericis liber prælegatur, &c. Nimirum Sulpitio ſua ſunt quædam, qualia diximus in Apparatu ſacro, &c.* Poſſevinus lib. 5. biblioth. cap. 16. *Quem Sulpitium cum Sigonius appellaverit beatum, nos eum ſanctitatis nomine illuſtrem nunquam apud probatos autores legimus, &c. Idem in appar. ſacro.* Ex adverſo eum *ſanctum* appellat *Molanus de Picturis ſacris cap. 71.* De imperito & iniquo ejus judicio circa cauſam Priſcilliani, idque ex cœco ſtudio quævis dicta & facta Martiniana defendendi, quilibet æquus lector ſtatuat; & ſi Pontificius ſit, audiat Franciſcum Bivarium in commentar. ad chronicon Dextri anno 384. pag. 403. Ubi Sulpitium ita perſtringit. *Hic tantus vir* (Iſidorus ſcil. Bracarenſis epiſcopus) *de fide catholicâ contra Priſcillianum & ejus ſequaces optimè meritus, paſſus eſt Severum detractorem &c. Sed cui potiùs, lector, aſſentiendum, Severo an Iſidoro, &c.* Ut verbo dicam, inter ſanctos viros, nedum eccleſiæ Doctores, nunquam fuit numeratus: fatentibus *Poſſevino in appar.* & *Baronio*; qui eum à Sancto Sulpitio Severo, facto anno 587. Bi-

turicensium episcopo distinguendum docent. Vide de hoc S. Sulpitio *Baronium in notis ad Martyrolog. Romanum*, & *in annalibus*, *Possevinum in appar.*; & post omnes *Iohannem Chenu* Bituricensem, JC. Parisiensem, *in chronologicâ historiâ Patriarcharum & Archiepiscop. Bituricens.* 2. edit. an. 1621. *pag.* 2. Adde ex nostris *Vossium lib.* 2. *de Historicis latinis cap.* 12. *Elogia variorum* à *Georgio Hornio*, ut novissimo sic & instructissimo Sulpitii editore collecta, si quæ stylum Sulpitii respiciant, minimè hyperbolica fateor: secus censeo de iis, quæ sapientiæ sacræ aut prudentiæ justorum aliquam ipsi ὑπερβολὴν tribuunt. Ex hoc Martini panegyristâ & Homero, ceu fonte perenni, subsequentes Martini præcones, non tàm historias, quàm poëmata & panegyricos suos instruxerunt. Qualis fertur inter antiquos, *Paulinus* Episcopus Nolanus, Sulpitio coætaneus, cujus *sex libri de vitâ Martini* circumferuntur, & tandem editi sunt cum *Bibliothecâ patrum tom.* 8. 2. edit. Sed meritò quis dubitet, an hic genuinus Paulini fœtus sit, cùm *Gennadius in catalogo* operum Paulini, ejus non meminerit, nec etiam *Trithemius* & *Possevinus*; nec eum hactenus agnoverint editores operum Paulini; quin ipse Bellarminus frigidè catalogo operum ejus subjiciat: *Exstant præterea in Bibliothecâ SS. patrum tom.* 8. *secundæ edit. libri sex de vitâ S. Martini carmine conscripti.* Et frigidiùs *Possevinus* poëma illud indicet, nec probans, nec improbans, sed sub nomine alterius Paulini, Aquitani scil. Et cum Sulpitio lucem vulgò fœnerari conentur, ex *Paulini Nolani epistol.* illi inscriptis, non absonum fortè esset, cum Bivario, in commentar. ad Dextri chronicon, conjectare, *Ad hunc* (Severum scil. Episcopum Lamacensem) *forsan Paulinus scripsit epistolas.* Videt lector, quanti merces illæ nuper extrusæ, faciendæ sint. Succedit *Venantius Fortunatus*, qui floruit anno 570. *& carmine quatuor libris miracula Martini* complexus est. Editi sunt à *Margarino de la Bigne* in *Biblioth. patrum tom.* 8. *edit.* 2. Sed tanti non fuit ille autor, quin *Magister sacri Palatii pag.* 113. *sui* 1. *tomi Indicis Palat.* negaverit, nomen ejus inter reliquos sanctos adscriptum Romanæ martyrologiæ: referente *Possevino in appar.* Et hæc theologia nova seu potiùs novissima Papatus, quæ non minùs à veteri & novâ distinguenda, quàm ipsorum jura canonica nova à veteribus, *Molanus* enim *lib. de picturis cap.* 71. salutat eum *sanctum Fortunatum.* Sequitur *Gregorius Turonensis*, anno 596. qui in *historiâ Francorum lib.* 10. *sub finem* de Martino agit, & seorsim *libris quatuor miracula ejus* describit. Quanta verò sit hujus historici scientia, prudentia, fides, vel ex ipsis Pontificiis disce, apud *Baronium ad ann.* 369. & 397. & in *notis ad martyrolog* 17. *Novembris*, *& Molanum de picturis sacris. cap.* 38. ubi citat *judicium Hilduini Abbatis S. Dionysii* Parisiensis, qui floruit anno 849. qui in *prvfat. de vitâ Areopagitæ*

sic

„ sic loquitur: Parcendum est simplicitati viri religiosi Gregorii Turo-
„ nensis episcopi, qui multa (sive potiùs quædam) quàm se veritas habe-
„ at æstimans, non calliditatis astu, sed benignitatis ac simplicitatis voto,
„ literis commendavit. Et *Possevinum in appar.* Confer ex nostris *Vossium de Histor. latinis*, ubi verba Hilduini exhibentur. Quidquid sit, de nimiâ simplicitate hujus scriptoris, satis constat, & ipse haut obscurè innuit, se vitulo Sulpitii arasse. Sunt & alii inter antiquos & mediæ ætatis scriptores, qui sanctitatis & miraculorum Martini in genere meminerunt, ut *Sozomenus l. 3. c. 13. Fl. Lucius Dexter in Chronico ad ann. 382. Beda in martyrologio; Sidonius Apollinaris lib. 4. epist. 18. Haymo Halberstatensis in Breviario histor. eccles. cap. 8. Vsuardus & VVandelb. Prumiensis in Martyrol.*; denique *Alcuinus Flaccus*. Ex corruptæ planè & barbaræ ætatis scriptoribus, Martini gesta & sanctitatem ex professo deprædicant *Postillatores seu concionatores de sanctis*, quales, *author thesauri novi sermonum de sanctis*, ubi 2. *sermones de Martino*; *Gabriel Biel*, ubi 6. *sermones*; *Iacob. de Voragine*, ubi *sermones* 4. Quibus præluxit *Bernardus in sermone, in festo S. Martini.* Citatur & *Anselmus Cantuariensis* à *Gabr. Biel:* sed hactenus, quod sciam, ineditus. *Scripsit* (ait Bellarminus de scriptor. eccles.) *multa opera; sed multò plura ei falsò attribuuntur.* Accedant, qui vitas sanctorum scripserunt, ut *Petrus de Natalibus*, & *Iacobus de Voragine*. Hîc imprimis nominandi essent, siquidem exstarent, *Odo* sive *primus Abbas Cluniacensis* (uti volunt *Molanus in notis ad Vsuardum*, & *Baronius in notis ad Martyrol. Rom.*), sive *secundus Abbas Cluniacensis*, itidem vocatus *Odo* (uti vult *Possevinus in appar.*): *Herbernus* priùs *abbas*, postmodum *Archiepisc. Turonensis*; *Richerius Abbas S. Martini* juxta urbem Metensem; *Guibertus Abbas Gemblacensis*, qui *apologiam* scripsit *progestis Martini, eorumque præcone Sulpitio.* Sed illi (excepto *Odone*, quem editum puto) pluresque istius farinæ scriptores M. SS. asservantur Lovanii in bibliothecâ vallis S. Martini, teste *Molano in notis ad Vsuardum ad diem* 11. *Novembris.* Ex Græcis *Nicephorus Callistus* (qui floruit anno 1305.) *lib. 9. cap.* 16. sanctitatis & miraculorum Martini plùs quàm honorificam mentionem facit. Alios chronologos & historicos ex latinis, ut *Martinum Polonum, Vincentium Bellovacensem, Antoninum, Nauclerum, Her. Schedel. &c.* volens nunc prætereo. Ex recentioribus, qui post tempus reformationis floruerunt, eandem historiam ex Sulpitio contexuerunt aut repetiverunt *Aloysius Lipomanus*, & *Laur. Surius in vitis Sanctorum*: quorum relationibus vulgares Panegyristæ conciones suas de sanctis superstruunt. Ex historicis, qui Martini, pro ratione instituti sui meminerunt, occurrunt nunc *Baronius ad ann.* 351. *usq*; 402. *Ioh. Chenu*

in

in chronologicâ historiâ episcoporum Galliæ (sed qui sua de verbo ad verbum descripsit ex *Gregor. Turonensis lib.* 10.) *Franciscus Longus à Coriolano, in Breviario chronolog. Pontificum & Conciliorum pag.* 101. 108. 116. nonnulla de Martino refert, sed ex Sulpitio. *Gul. Eisengrein in chronologia urbis Spiræ ad ann.* 396. summam gestorum Martini breviter perstringit.

2. Et hactenus indicavimus autores. Ipsam vitæ historiam ratio Thesium non patitur exhiberi. Legat, cui vacat & cujus stomachus tantisper nauseam cohibere potest, ipsum *Sulpitium Severum*; & addat *sermones Iac. de Voragine & Gabrielis Biel*; aut saltem hujus, qui omnium profusissimè seu mavis impotentissimè Martini laudes prosequitur; adeò ut non tantùm *Apostolis & Prophetis consertus* (ut loquitur Sulpitius histor. lib. 2. & epistol. 2. & in vitâ Martini) *ac planè cum illis conferendus, ac iis per omnia similis*, sed plerisque eorum longè superior habendus esset, siquidem vera dixerit. *Fuit quippe* (hæc ejus verba) *admirandus in portentis, in virtutibus virilis, in consummatione sublimis. Primum* de miraculis sic probat, & per partes deducit: *Tantò enim divina virtus sibi adhæsit: ut penè omnis ei creatura pareret: insensibilia: vegetabilia: sensitiva:* homines: angeli: dæmones: infirmitates: *mors atque vita. Insensibilia quidem, ignis scil. & aqua, & aër* &c. *Secundum* de virtutibus probat, *quia utroque pede: cognitione scil. & affectione, per virtutum vias indeclinabiliter ad Deum ambulabat.* Et hoc sigillatim deducit per septem virtutes, quatuor scil. morales, & tres theologicas. Quin & sermone quarto, supra Petrum apostolum, & angelos, productis & laudatis ad hoc Bernardi verbis ex serm. in festo S. Martini, eundem extollit: *Magna quidem obedientia vestra sancti angeli: sed quod dicere audeam pace vestrâ, nescio an inveniatur in vobis quisquam paratus in tali aliquo ministerio mitti, in quo nec esse habeat non videre faciem Dei.* Ita Bernardus reipsâ ostendit, ab eximio quopiam theologo illud jactatum olim de Origene dicterium, non immeritò ipsi applicatum esse: *Ubi benè, optimè; ubi malè, pessimè.* Et hanc insaniam ejus imitatus est Gabriel Biel hyperbolicus in multis, cætera pro ratione sæculi sui subtilis & eruditus. Confer quæ *sequente thesi*, ex *Odone* & *Biel* exhibemus. *Tertium* de sublimi consummatione probat & in immensum amplificat sermone quarto, quinto, & sexto, beatam ejus mortem, & gloriam omnium aureolarum in cœlo, atque adeò efficaciam meritorum & precum ejus pro omnibus ad ipsum confugientibus. Imprimis notandum ex *sermone* 3. sub finem, quòd dicit eum à Michaële cum angelis assumtum, & quidem cum cantu, & à B. Virgine cum virginum choris susceptum. Addit Jac. de Voragine serm. 4. de Martino, *corpus ejus mira-*

mirabili claritate fuisse illustratum. Idem in Legenda de mortuo Martino sic inquit: *vultusq; ejus tanquam jam glorificatus resplenduit.* Similes speculationes sic firmat Biel serm. 4. sub finem: *Matrem quoque domini sui venerabiliter familiariterque alloqui quis dubitet: qua in ejus delectata colloquio, assumtis Teclâ & Agnâ pedissequis, intermisso paululum cœlo, capellanum suum terræ visitatorem dulciter visitavit.* Citat ibidem pro sublimi & omnimodâ gloriâ Martini, quendam Episcopum Trajectensem in Legendâ de sancto Odone ita scribentem: *Martinus est gemma hac pretiosissima: quæ quemadmodum sydus principale flammis perennibus ardens, inter choros angelorum splendida, inter patriarcharum decora, inter prophetarum honestissima, inter apostolorum grata, inter martyrum purpurea, inter virginum candida, inter confessorum habetur præcipua: omnibus his in cœlesti arce meritò comparanda* (N. B.), *quorum habitudines in hujus sæculi valle est consecuta.* In eodem sermone fol. 441. a. citato Alcuini testimonio pro hymno angelorum hæc subjicit: *Sed quid miramur concinentes angelos animam sanctam deduxisse, qui etiam longo pòst tempore circa corpus jam humatum lætissimas duxere excubias? In tempore Ganslini Abbatis in solemnitate Innocentium: ut sanct. in historiâ habetur. Ecce evidentia argumenta atquè miranda, quantam in cœlis gloriam consecutus est vir beatus.* Confer de hoc cantu angelorum audito Coloniæ à S. Severino, *epistolam Sulpitii ad Basselam*; ex quò referunt *Alcuinus modo cit*, & *Antoninus histor. pag. 2 tit. 10. cap. 11.* & *Iacobus de Voragine in Legendâ aureâ*, & ex recentioribus *Surius.* In iisdem lege fabulam de S. Ambrosio, qui exequiis Martini interfuerat. Et in *Voragine* ex *Odone* de campanis ultrò sonantibus. Sed charta & tempus prohibent omnes has gemmulas ex *Biele*, *Voragine*, *Sulpitio* excerpere. Tribus his elogiorum titulis, *quartus* addendus, de quamplurimis miraculis post mortem ejus editis, quæ *Venantius*, *Gregor. Turonensis*, & *Odo Cluniacensis*, specialibus libris prosecuti sunt. Ut generales miraculorum hamaxarios nunc præteream. Unum his affine adjiciendum ex Odone Cluniacensi apud Biel serm. 4. fol. 440. a. (liber ipsius Odonis ad manum non est), *Martinum*, inquit, *Deus usque quâque mirificans etiam in hoc glorificat, quòd omnes qui de illo vel prosaicè, vel metricè, vel etiam rythmicè, scripserunt & sancti perhibentur & periti fuisse: & dulci eloquio noscuntur quæ protulerunt. De quorum numero fuit magnus iste Ambrosius Mediolanensis antistes: cujus flores eloquii hodie per universam ecclesiam redolent. Beatus Severinus Colonienſis Archiepiscopus: sanctus Severus Sulpitius: Postumianus atque Gallus beatissimi viri discipuli: beatus Fulgentius episcopus: Sed & Magister Alcuinus magni Caroli præceptor eruditissimus: dulce denique spiritus sancti*

organum Bernardus doctor Mellifluus : Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus. Alii quoque plurimi, doctrinâ & virtutibus clari.

3. Altera ſectio delineabit cultum Martino in Papatu exhiberi ſolitum: eumque aut communiter, aut ſpecialiter hîc Ultrajecti. Quod ad prius, cultum ejus ſolennem & publicâ autoritate receptum in eccleſiâ Romanâ probant, *Miſſale, Breviarium & Diurnale ad 11. Novembris, & Belethi rationale divinorum offic. cap. 143. & Durantis Rationale lib. 7. cap. de Martino.* Quibus adde *hymnarium*, ubi tres hymni incipientes, *Martine Confeſſor &c. Martine par Apoſtolis &c. Fratres unanimes &c.* Quos *Commentariis* explicuit *Iudocus Clichtoveus*, *Hymni à Caſſandro editi cum ſcholiis* hos duos ſolummodò exhibent. *Martine Confeſſor Dei &c. & En gratulemur ſpiritu &c. Liber continens pſalterium, hymnos, euangelia, epiſtolas, introitus, gradualia, ſequentias &c.* Coloniæ editus anno 1614. apud Quentelium in 16. habet ſolummodò duos hymnos, quorum Prior p. 594. incipit, *Martini laudes inclyti &c.* alter p. 471. *Iſte Confeſſor Domini ſacratus &c.* Porrò ex *hymnis, antiphon. graduali*, ſequentia, aliiſque *breviarii & miſſalis deliciis gemmulas ſelectas Iac. de Voragine ſermonibus ſuis* inſpargit & explicat; qui ſerm. 4. in principio ſic concludit: Fuit dilectus *à toto mundo, quia inter cæteros confeſſores per totum mundum magis feſtivè colitur.* Quàm neceſſarius ſit ejus cultus, docet legenda de S. Odone, & ex eâ Biel ſerm. 5. fol. 441: b. *Quis de Martino tacet niſi qui mutus eſt? Quis eum non laudat niſi qui non amat? Poſtremò quis de eo narrantem faſtidit: niſi qui Chriſtum non diligit? Nihil etenim Martinum feciſſe aliud ſcimus: niſi quod Chriſtum præcepiſſe cognovimus. Atque ideò qui illi non obtemperat: Chriſto repugnat. Qui ab illo refugit: à Chriſto diſcedit; in utroque miſer: in utroque infelix: dum nec conditorem ſequitur, ut habeat vitam; nec doctorem imitatur, ut pertingat ad veniam.* Sulpitius ſimili ferè venaniâ vitam Martini concludit: *Illud facilè confido omnibus ſanctis opuſculum iſtud gratum fore. De cæteroſi quis hæc infideliter legerit, ipſe peccabit &c. Paratumque, ut ſpero, habebit à Deo præmium non quicunque legerit, ſed quicunque crediderit.* Quaſi de libris Euangeliorum loqueretur. Sed propiùs per partes religioſum Martini cultum inſpiciamus. 1. Occurrit *Feſtum* anniverſarium 11. Novembr. & quidem rubro ſignatum, conſequenter ab omnibus fidelibus celebrandum ſub mortali. Ratio eſt, quia Martinus par fuit apoſtolis. Huic feſto annectuntur *octava & vigilia*; uti teſtantur *Belethus & Durantes locis citatis.* Quid ſint *octavæ & vigilia*, alibi docemus, in *diſp. de Feſtis.* Inter feſta Papalia, que hilaria meritò dici poſſunt, quippe luſibus, compotationibus, epulis, de bacchationibus &c. peragenda, excelluit Martinale: Hiſtoriam ejus deſcriptam vide apud

Man-

Mantuanum lib. 2. fastorum & Ioh. Aubanum Teutonicum lib. 3. de moribus gentium c. 15. Conquesti sunt de eo *Biel serm. 5. & Gul. Eisengrein in Chronol. Spirensi loc. cit.* Conferantur ex nostris *Nageorgus in poëmate de regno Papistico lib. 4. & Hospinian. de Festis ad 11. Nov. Arn. Raissius in auctario ad Molani natales sanctorum Belgii ad 22. Ianuar.* refert mirabilem contemplationis mysticæ, jubili spiritualis, devotionis Romano Martinianæ ecstasin, quam passus est novus Belgarum sanctus, Johannes de Leuwis, vulgò dictus bonus cocus: *Adeò*, inquit, *denique interno spiritus fervore, cœlestisque contemplationis dulcedine plenus erat, ut vice quâdam in profesto sancti Martini fratribus ad mensam deserviens, manibusque lancem esculis plenam deportans, cum magno jubilo in hæc verba vernaculo idiomate proruperit:* Heere Sinte Merten heylich sant: Goede platte Mispelen wassen in u Lant Kyrieleys. (id est, *Domine sancte Martine, sacer sancte, bona fracida mespila crescunt in tuâ patriâ. Kyrie eleyson, id est Domine miserere*) *Quem cùm cœnobii Præpositus correctionis ergò fuisset intuitus, oculos ejus totamque faciem splendore quodam igneo inflammatam conspiciens, id ex spiritus fervore profectum planè advertens, futuræ correptioni supersedit.* Mirari subiit, cur Papalium potantium ac bacchantium in Belgio solennia Martinalia cantica, jubila & antiphonas non addiderit, inter quæ & illud: Martijn/ Martijn/ t'avont Most en morgen Wijn. De mysteriis anseris Martiniani mox infrà disquiremus. Ad celebrationem festi pertinent, officia, missæ, lectiones, conciones, orationes. Vide de his *Missale, Breviarium, Rationalia divinor. officior.*, & *sermones de sanctis* modò *cit.* & *Gavanti thesaurum rituum tom. 2. p. 172.* Huc refer, quòd in ecclesiâ Turonensi (teste *Gregor. Turonensi histor. lib. 10. sub finem*) ordinariæ vigiliæ observarentur, natali S. Johannis, Briccii, Simphoriani, Martini & Paschate, & Ascensionis die, ad Basilicam domini Martini. Et stata jejunia, bina in septimanâ de Kal. Octobr. usque depositionem domini Martini; & terna à depositione domini Martini usque natale domini. Excerpo hîc ex sacris Fastis Ambrosii Novidii lib. 11. nonnullos versus, quibus Theologiam ac devotionem Papistico-Martinianam profitetur:

Sancte, igitur cùm te celebrent ad vina poëtæ,
Quorum sæpè tibi pars ego magna fui,
Si vacat, ad proprias è cœlo labere laudes:
Quæque damus faciles, ad tua vina veni.
Proque tuis Baccho faveas, adsisque poëtis:
Sed mihi præcipuè, qui tua festa cano.

Nam si vera licet manifestâ voce fateri,
Et sequimur rectâ numina nostra fide:
Fertilior Musis es tu, quàm Bacchus & Evan:
Ingenium ex vero vatibus ipse facis.

Paulò pòst canit, *vinalia festum vetus* Gentilium *huc translatum*, & Bacchum ostendit esse *in figurâ Martini*. *Ibidem* quærit, cur Martino socium adjungant Rochum. 11. *Processiones*, in festo ejus habendæ. De quibus *Processionale pro ecclesiis ruralibus*, anno 1622. Antwerpiæ apud Wolschatium. p. 116. Quæ autem & quales sint processiones Romanæ, alibi ex professo docuimus. 111. *Reliquiæ* Martini cultæ. De quibus *Gregor. Turonensis lib.* 10.5 Et quas ab Huguonotis in Galliâ ablatas & dispersas conqueritur *Laurentius Surius in commentar. rerum in orbe gestarum ad ann.* 1562. *sub finem*: de quo infrà in *problematis*. In Belgio etiamnum servari dicitur os Martini Duaci in insigni ecclesiâ collegiatâ S. Amati: os Martini justæ magnitudinis propè Bappalmam Artesiæ oppidum in aquæcurtensi regularium canonicorum cœnobio: dens Martini in Floressiensi Nortbertinorum cœnobio propè Namurcum: Mechliniæ &c. testante *Arn. Raisse in hierogazophylacio*. Huc pertinet cappa Martini, quam *Iacob. de Voragine in Legendâ* testatur ex Beletho (sed est *Durantes in Rationali loc. cit. & lib. 2. tit. de sacerdote*) reges Franciæ in prœliis portare solitos, cujus custodes Sacerdotes inde dicti sint Capellani. Etiam sepulcrum ejus, de quo Gregor. Turonensis lib. 10. p. 591. *Turonis est sepultus in loco quo nunc adoratur sepulcrum ejus*. Et *pag.* 593. narrat, beatum corpus Martini in absida basilicæ amplioris, priori diruta ædificatę, à Perpetuo sexto Turonensium episcopo fuisse translatum. IV. *Imaginum* adornatio & dedicatio. De formâ earum vide *Molanum in libro de picturis sacris p.* 130. Et mox infrà aliquid dicemus, de Ultrajectinis insignibus. V. *Templorum, altarium*, monasteriorum, capitulorum, & collegiorum, gerontodochiorum, aliarumque domuum, quas vocant, piarum dedicatio. Sic Templum, magnum, seu primarium, seu cathedrale Turonis, Ultrajecti, Groningæ, Ipris in Belgio, Embricæ in Ducatu Clivienſi, &c. Martino sacrum dicebatur. De templo Turonensi vide *Carmen Sidonii l. 4. ep. ad Lucontium*, quæ est 18. ubi epigramma ipsi pangit. Idem describit *Gregor. Turonensis lib. 2. cap.* 14. Propè urbem Metensem fuit Monaster. S. Martini ordinis Benedict. fundatum à S. Sigeberto Galliæ & Austrasiæ rege, sed suppressum à Clemente 8. Ita refert *Mireus in Fastis p.* 67. Alterius cœnobii Martiniani Benedictinorum Tornaci, meminit *Arn. Raisse in Hierogazoph. p.* 337. Leodii capitulum seu collegium Canonicorum S. Martini fundatum fuit ab Heraclio

raclio Leodiensi episcopo anno 970. referente *Mireo in fastis Burgund. & Belgic. p.* 471, Ipris in Flandriâ monasterium S. Martini, quod anno 1599. à Paulo 4. in collegium canonicorum sæcularium mutatum est. *Mireus ibid.* p. 47. In urbe Ambianensi illustris canonicorum regularium abbatia dicitur, S. Martini de gemellis, *(S. Martin des Gemeaux) ibid. p.* 663. In diœcesi Cameracensi Abbatia Præmonstratensium, dicta mons S. Martini. *Ibid. p.* 674. Tres S. Martini parochiales ecclesiæ in Egel, Onsaniæ, Seburgi occurrunt apud dictum *Arn. Raisse p.* 349. 350. In aliis regnis & nationibus (imprimis in Galliâ & Germaniâ) plura conquirat, cui vacat. VI. *Confraternitatum sacrarum seu religiosarum* sub invocatione & patrocinio Martini erectio. Qualis fuit Vltrajecti una ex quinquaginta novem præter propter, hîc florente Papatu institutis. Solent alioquin apud nostrates communi adagio homines prodigales & cuticulam curantes dici S. Martens gilden/aut S. Martens Broeders. VII. *Patronatuum & tutelarum* in ipsum collatio, supra alios plerosque sanctos & patronos. Sic enim de universali ipsius patronatu, & refugio ad eum Biel serm. 1. fol. 436. a. *Quid multa? nulla est infirmitas quæ non Martini cedat imperio, propter quod rectè dico canit ecclesia. O per omnia laudabilem virum: cujus meritis ab omni clade &c. Verè per omnia laudabitur vir: per quem unum impleta scimus: quæ per singulos alios sanctos diversa sunt effecta. Hunc ergò nostrum patronum semper veneremur: super mirabimur: continuas ad eum in omnibus necessitatibus præces porrigamus: tantæ potentiæ virum in terris adhuc ambulantem: quantæ nunc æstimamus in cœlo triumphantem? Siquid in isto vel in illo mirabile venerandumque prædicatur: quantis hic laudibus attollendus est: quantum admirabiliter, in quo tot omnium congestæ sunt virtutes?* Urbium & ecclesiarum patronus est, e. gr. Turonensis & Ultrajectinæ. Adhæc monasteriorum, collegiorum, templorum, fraternitatum, ut jam dictum est. Aëris serenitati, tertæ fertilitati, & fructuum proventui præfectus est. Inter poma celebrantur S. Martini pyra, apud *Ioh. Bauhinum de plantis à Divis sanctisve nomen habentibus pag.* 27. Dies Martini plebi criticus fuit: de quo Mantuanus, Fastor. 2.

Sol hodiè si clarus obit, denuntiat acrem
Atque molestam hyemen. Si nubilus, aëra mitem
Prædicat hybernum. Dant hæc prognostica natis
Pastores ovium, cùm serta fantur ad ignem.

Et Ambrosius Novidius in Fastis lib. 11. p. 152.

Est quoque, ni fallor, nunc Martinalia festum,
Atque hiemis nobis sol nova signa dabit.

Nubila nam si sumta, eadem sine nube placebit,
Est si clara dies, tota madebit aquis;

VIII. *Vota* Martino nuncupata. Illustre exemplum habet *Nauclerus Generat.* 17. *de Clodoveo magno*, qui cùm equum suum Martino vovisset, eâ conditione, ut centum aureis eum redimeret, quibus missis cum equus procedere nollet, &c. IX. *Temporum* ab ejus excessu supputatio, apud *Gregorium Turonensem libr.* 1. & 10. *in fine. Baronius ad annum* 402. §. 14. notat, idem factum *veteribus scriptoribus Francicis.* Huc refer, quòd decimæ ad festum Martini in Angliâ solvi solent; uti notat *Ioh. Seldenus in Analecto Britannico, pag.* 71. Qui mos etiam in Belgio passim obtinuit. X. *Tituli* seu nomina urbium ab ipso desumta. Hinc Martinopolis *Merseburch* in Saxoniâ, uti volunt nonnulli. Apud *Iohan. Chenu in historiâ episcoporum Galliæ. p.* 109. designatur vicus *S. Martin de Cande, ubi Martinus obiit.* XI. *Titulus* Cardinalium ab eo desumtus. Sic in basilicâ S. Petri in Vaticano, quæ præter archipresbyterum Cardinalem, habet septem presbyteros Cardinales inter quos, Cardinalis tit. *S. Martini in montibus:* quod mihi indicat *Onuphrius in tract. de Pontif. & Cardinalibus, in indice ad finem pag.* 58. Sed *Aubry in historiâ generali Cardinalium* Galliæ anno 1642. editâ, titulum hunc vocat Sylvestri & Martini in montibus, & 17. Cardinalium istius tituli vitas describit. XII. *Cognomines* sancti apud *Ferrarium in Catalogo* sunt, Martinus presbyter Legionensis, Mart. episcopus Dumiensis, Mart. Abbas Arvernensis, Mart. Abbas Camaldulensis, Mart. Martyr Lemovicensis. XIII. *Papæ* ejus nomine ornati, ut Martinus I. anno 649. Martinus II. anno 1281. Martinus V. anno 1417. Martini 3. et 4. qui à nonnullis numerantur, expungendi sunt, juxta recentiores. XIV. Agmen claudat gloriatio *Campiani* qui *Rat.* 10. exclamat: nostri sunt Nicolaus & Martinus. Dato ita esse, quantum hinc Romanæ cauſæ præsidium? Debuisset tertium addere *Franciscum*, exemplo *Cotteri* Jesuitæ *in epistolâ ad Ordines Belgii fœderati.*

4. Dubia & problemata aliqua circa historiam rerum gestarum & cultus Martini in præsentiarum occurrunt ista. 1. *Probl.* An Ambrosius stans & missam Mediolani celebrans, per trium horarum visionem ecstaticam exequiis Martini interfuerit, intermisso tantisper officio, & populo exspectante. *Resp.* Hâc fabulâ ex *Gregorio Turonensi* depromtâ, miserum populum paverunt *Legendarii* & *Concionatores* supra *cit.* Nunc tamen Doctores communiter eam explodunt: quòd constet Ambrosium annis aliquot ante Martinum obiisse. Vide *Baronium ad ann.* 402. §. 14. & in *notis ad Martyrolog.* Hinc disce, an abusus in publicam doctrinam & cul-

cultum irrepserint, & consequenter, an nihil reformandum fuerit? 11. *Probl.* Quomodo cum historiâ conveniunt quæ habet *Sulpitius initio vitæ Martini*, de rudimentis militiæ anno ætatis decimo quinto ab ipso positis, deque baptismo anno decimo octavo suscepto, &c. *Resp.* Nullo modo; teste *Baronio in Martyrol. & in annalibus ad ann.* 351. ubi ex iis, quæ *Sulpitius* alibi scribit, evincit, Martinum ipso exordio anni ætatis decimi septimi militiæ nomen dedisse, & anno trigesimo quinto baptizatum, & post baptismum militasse quatuor annis, ac missionem postulasse à Juliano, cùm ageret annum quadragesimum, vixisse denique annos 84. usq; ad annum domini 402. Vide sphalmata historica Sulpitij apud *Bellarminum de scriptoribus Eccles.* Hinc disce, quàm firma sit Romano-historica fides, & decantata illa factorum lux, Sulpitio & similis furfuris scriptoribus subnixa. Et an non certior fides Christiana sacræ scripturæ subnixa? Conferquæ diximus in *Desper. causâ Papatus lib.* 3. *sect.* 1. 111. *Probl.* A quo festum Martini institutum sit, & quàm antiqua ejus observatio? *Resp.* A Papâ Martino anno 650. teste *Martino Polono in chronico*, cùmque negligentiùs celebraretur, *Synodali decreto anno* 883. ab Adalardo Archiepiscopo Turonensi, ejusque suffraganeis episcopis, statutum, ut devotè observaretur, teste *Vincentio lib.* 25. *spec. histor. c.* 54. Fit etiam mentio hujus festi, in *capitularibus Regum Franciæ lib.* 6. *c.* 186. IV. *Probl.* An templum Martini Romæ, quod Equitii titulum gerit, sit denominatum à Martino Turonensi, an vero à S. Martino Papa? *Resp. Baronius in martyr. ad* 12. *Novembr.* affirmat, primum nomine Martini Turonensis dicatum fuisse; postquam verò S. Martini Papæ corpus in idem illatum est, cessisse illud ejusdem honori & memoriæ: *licet*, inquit, *more majorum Romanus populus eandem* (ecclesiam scil.) *in die natali S. Martini Turonensis episcopi frequentare ardentiori studio perseveret.* Jam vides, cur *Aubry in historiâ Cardinalium*, titulum faciat presbyterorum Cardinalium S. Martini de montibus Equitii. v. *Probl.* Quæ fuerit solennitas, dicta *S. Martini receptio*, olim in Galliâ, in diœcesi Turonensi servari solita 14. Novembr. cujus meminit *primum concilium Turonense*, *in exordio. Resp.* Non malè conjicit *Baronius in martyrol.* fuisse memoriam ejus diei, quo post altercationes Pictavienſium super corpore Martini, illud à Turonensibus clàm ablatum, ad eorum civitatem fuit directum, *cum magnis laudibus psallentioque copioso*, ut loquitur *Gregor. Turonens. lib.* 1. *in fine*: ubi refert fabulam stolidæ concertationis, cum fictitiis miraculis. VI. *Probl.* Quid significet pictura seu imago Martini, quâ instar militis equo insidentis, & gladio chlamydem dividentis exhiberi solet? *Resp.* Quod adhuc existens miles in portâ Ambianensi pauperi alicui eleemo-

synam

synam in nomine Christi petenti, partem chlamydis dederit, cùm nummis omnibus in pauperes erogatis, nihil aliud ipsi restaret: quo factum ut sequenti nocte Christus eâdem parte chlamydis vestitus ei appareret, dicens angelis, *Martinus catechumenus hâc veste me contexit.* Sic respondet *Iohannes David* dictæ Soc. Jesu Theologus in libro belgico tit. Bloemhof der kerckelicker Ceremonien | edito Antwerpiæ apud Trognæsium anno 1607. Eandem rationem reddit *Molanus de Picturis sacris cap.* 71. VII. *Probl.* Quare subinde pingatur formâ episcopi, eleemosynas distribuentis? *Resp.* Quòd factus episcopus semper in pauperes benignus & liberalis fuerit. Sic *Ioh. David, loc. cit. ad* 11. *November.* VIII. *Probl.* Quid significat pictura stantis ad altare, cum flammâ ignis supra caput? *Resp.* Quòd aliquando sic conspectus fuerit. *Idem ibid. Belethus & Durantes loc. cit.* & ante eos *fabulosi historici* & *postillatores* ex & cum *Sulpitio* referunt igneum globum supra caput ejus visum esse. Addunt *Beleth. Durantes*, Biel, *eo declaratum fuisse, spiritum sanctum in eum descendisse, sicut apostolis ipso die Pentecostes: quapropter ergo non immeritò dictus est par Apostolis.* IX. *Probl.* Quid significat aut quid sibi vult, quòd homines in vigiliâ Martini genio indulgeant, cùm alia festa jejuniis cohonestent. *Resp.* Hoc originem habet ex eo, quòd pauperes vicini solent hoc die ad convivium vocari, aut ipsis aliquid erogari, idque in honorem & memoriam Martini, qui ita erat addictus pauperibus, ut inde ortum sit adagium den milden Marten | id est, liberalis Martinus. Sic *Ioh. David loc. cit.* Sed alia causa allegatur ab *Hospiniano de festis ad* 11. *Novembr.* Quod circa hoc tempus vindemiæ Ethnicum Æsculapii festum à vindemiatoribus post vinum expressum, celebratum fuerit, referente *Arnobio lib.* 7. Hoc festum in Martini, ejusque solennes compotationes Martinianas mutatæ videntur, juxta regulam, sic ars deluditur arte. Credebant etiam mustum virtute Martini mox sequente die in vinum converti. Et huc facit illa sive cantilena sive benedictionis formula: *Martine, Martine: hac vesperâ mustum, cras vinum. Mantuanus in Fastis lib.* 2. comparat hilaria Martiniana cum Græcorum pithoegiâ (q. d. πίθου ἀνοιγὴ) in quo festo dolia primum relinebant, & nova vina gustabant. De quo festo vide *Hospinianum de festis Iudæor. & Ethnicor. c.* 11. X. *Probl.* Quid significet aut notet, quòd pueri in vigiliâ Martini ad ignes exstructos per totum Belgium antehac canere solent; referente Belgico nostro & novo sacrarum ceremoniarum rationario Johanne Davide: Stoockt dyer | maeckt dyer: Sinte Marten komt hier / met syne bloote armen: hy soude hem geerne warmen / hoc est, *congerite ignem, struite ignem: S. Martinus huc advenit, cum nudis brachiis suis: qui cuperet se calefacere. Resp.*

Idem

Idem, qui quæstionem hanc movet, *Joh. David* hunc morem inde ortum esse dicit, quòd Martinus tunicâ suâ pauperi donatâ, tunicam pauperem & curtam ipse induerit, cujus manicæ brachia ipsius non contegerent. Pleniùs hoc refert *Sulpitius*, & ex illo alii, eum nudis ejusmodi brachiis publicè sacra fecisse, tumque conspecta ipsius brachia pretiosis armillis contecta, & igneum globum supra caput. Videtis ergò quibus mysticis ceremoniis, quâ devotione miracula & mysteria Martiniana in papatu colantur. Ex *Joh. Boëmo Aubano lib. 3. c. 15.* observo, post vindemiam pueros manu suâ fasciculos accensos tanquam faces præferre & cantillantes civitatem intrare, credentes se hâc ratione purgare autumnum. Quem morem ex Gentilium lustrationibus remansisse arbitror. Hinc conjicere est ignium apud Belgas accensorum antiquam originem, eorumque ad pseudo-Christiana martinalia malè consultam applicationem. *Eodem capite Aubanus* refert, ignes die Johan. Baptistæ per totam Germaniam accendi, & promiscuè à viris ac foeminis, senibus & juvenibus, noctem cantando & saltando transigi. XI. *Probl.* Quid mystici habeat solennis ille *anser Martinianus*, quem assare & per familias manducare solent? *Resp.* Sunt qui rationem hanc reddunt, quòd anseres strepitu suo aliquando Martinum concionantem turbârint; atquè ideò tantam gentis suæ cladem, die Martino sacro, pati cogantur. Sic memini mihi lectum alicubi, atquè etiam relatum ex Concionibus quibusdam, in Papatu antehac apud nostrates habitis. Probabilior tamen causa adfertur ab iis, qui ajunt in Germaniâ, ubi comessando & potando imprimis festum hoc celebrant, anserum in conviviis frequentiorem esse usum. XII. *Probl.* Quare plerisque in locis census ac debita die festo Martini solvuntur? *Resp. Hospinianus* moris hujus originem conjicit inde ortum, quod Martinus auri avidus & rigidus exactor visus fuerit, juxta dictum regis Clodovei suprà memoratum: *S. Martinus bonus est in consilio, sed carus in negotio.* Sed hæc conjectura est; quam suo loco relinquimus. Si quis aliam & non tam longè quæsitam rationem excogitet, utique audiemus. XIII. *Probl.* An Martinus unquam in Belgio fuerit, ibique prædicaverit & miracula ediderit? *Resp. Iohannes Cognatus in historiâ Tornacensi lib. 1. cap. 32.* & ex eo *Mireus in Fastis p. 662.* ex traditione refert eum Tornaci in monte S. Martini (ubi nunc abbatia Benedictinorum) mortuum ad vitam revocasse, & apud Fanopinenses templum idolorum evertisse. Ambiguum est, quod ex *Volaterrano ibidem* adfertur, de totâ Ultrajectinâ diœcesi cum ecclesiâ metropolitanâ Martino devotâ ob fluvium coërcitum, qui per agrum omnem exundârat: Sed non video quomodo hæc traditio conveniat cum *vitâ Martini à*

Sulpitio descripta. Quod ad miraculum in diœcesi Ultrajectinâ per absentem, aut præsentem Martinum præstitum, nescio quomodo illud ad Volaterrani aures in Italiam (Romæ enim vixit) advolârit, & nusquam ab *Encomiastis Martini*, aut *Vltrajectinis historicis* memoratum sit: præsertim cùm tanti Patronatus apud nostrates fundamentum fuisse dicatur. XIV. *Probl.* An sacræ reliquiæ incomparabilis sanctitatis episcopi Martini (ut loquitur *Surius in commentar. rerum in orbe gestarum*), quas anno 1562. à militibus in ignem projectas, cinereſque in aërem disparsos dicit, etiamnum exstent in rerum naturâ? *Resp.* Mihi hactenus non constat, quid hîc dicant Pontificii. Alioquin insolens non esset, si inter ipsos disputaretur de eorum reproductione, aut per angelos recollectione. Quod *Surius l. c.* præter historiæ leges epiphonema hoc adjicit, talia facinora (sc. cadaverum sanctorum effossiones & disparsiones) doceri à novo euangelio; facit more suo, hoc est, σπυρίζει. Facile esset in ipsos inquisitores, & Papas Romanos tale quid retorquere; & factis militum Gallorum, si quæ talia fuissent, facta Hispanorum in expugnatione Romæ anno 1527. designata, reponere: sed non est hujus loci. Videat, cui vacat, nostram *Desperat. causam Papatus.* XV. *Probl.* An ubique in ecclesiis occidentalibus (in toto orbe, ait *Iac. de Voragine supra cit.*) æquali honore Martini nomen & memoriam prosecuti sunt? *Resp. Neg.* Non videtur in Angliâ, Scotiâ, Hybernià, Daniâ, Suecià, Italiâ, Hispaniâ, tanti æstimii fuisse, ac in Germaniâ & Belgio. De Galliâ etiam dubitarem. Non absurdè quis conjecerit causam fuisse, complicationem cum festo vinario Gentilium, de quâ suprà. Confer factum Bonif. VIII. qui prætextu indulgentiæ Germanis peculiariter, quotiescunque Deo post sumtum cibum gratias acturi essent, concedendæ, more Italico gentem illam deridendam proposuit, satis subdolè familiare tunc ipsis bibendi cacoëthes notando. Indulgentiasillas *bullâ Hadriani VI.* renovatas in gratiam Germanorum & Belgarum testis est *Augustinus VVichmans in libro de Sabbato Mariæ.* Ubi addit sub Germanis, Belgas proculdubio comprehendi. Sed ne per solam devotionem vinosam apud Germanos & Belgas Martinum nimis exaltatum putemus, addimus propter præsumtum zelum viri pro fide contra Gentiles & Arrianos, memoriam apud nostrates fortè celebriorem fuisse; & hinc templa & loca religiosa (uti vocant) compluria ipsi dicata.

5. *Antoninus* Archiepiscopus Florentinus anno 1523. à nostrate Hadriano VI. Canonizatus, *part. 2. histor. tit. 10. cap. 11.* non tam historiam quàm sermonem panegyricum Martini inseruit; quem ita concludit: *honoratur etiam magnificè ab ecclesiâ: cum præceperit diem natalis sui*

ab

ab operibus manualibus feriari, de consec. dist. 3. c. pronuntiandum. *Et multa basilicæ sub ejus titulo sunt constructa.* Quod ut imprimis Belgis nostris, sic inter Belgas Ultrajectinis convenit. Eorum cultum specialem Martino tributum hîc indicamus. 1. Templum & quidem magnum, quod dominicum & cathedrale vocabant, illi dedicatum fuit & antè & rursum, ab Adelboldo 19. episc. Ultraj. aliisque 12. Episcopis anno 1023. teste *Hedâ in hist. Ultraj. p.* 9. 10. Imperator Henricus qui dedicationi interfuerat, in *diplomate donationis*, quo ecclesiæ illi donat integram Threntiam, dicit *dedicatam esse sub patrocinio beatissimi Martini Archiepiscopi.* Heda ibid. p. 113. Ita ut Martinus factus fuerit illius ecclesiæ cathedralis non tantum titularis sed & tutelaris; Et ab eo tempore civitas ac populus Ultrajectinus dicti fuerint *viri S. Martini, viri-famuli S. Martini*, quin & nobilitati isto titulo, *bene nati viri S. Martini* (belgicè welgeborẽ) ut habent *antiqua diplomata.* Quibus adde, quòd in antiquissimâ picturâ fenestrę, etiamnum hodiè exstante in domo equitum Teutonicorum, cives Ultrajectini equitum gestamine ornati cum suo vexillo conspiciantur. Tanti olim fuit esse famulum, seu mavis armigerum Martini. Quod ad templum illud cathedrale, anteà exstructum erat à Willebrordo in ruinis aut juxta ruinas templi S. Thomæ, & cruci dedicatum. 11. Collegium seu capitulum Canonicorum primò regularium & cœnobitalium, posteà seorsim viventium & irregularium, in ecclesiâ & sede hâc cathedrali à Willebrordo constitutum anno 693. & consequenter sub titulo & patrocinio *S. crucis* militans, seu *Salvatoris* (quamvis alii dicant S. Martini, vide *notas ad Bekam. p.* 17.) postea mutato ecclesiæ suæ titulari sancto & tutelari patrono ante annum 754. non diu post obitum Willebrordi, Martino patrono sacrum esse cœpit sede Episcopali ad ædem Martini translatâ, imprimis solenniter cum ecclesiâ de novo dedicata anno. 1023. Imaginem ipsius equo insidentis cum assecla mendico, sigillum capituli seu ecclesiæ (ut admodum catachresticè vocant) cathedralis, hactenus expressit. Eandem in vestibulo conventus capitularis, (ubi antehac quinque capitula convenire solent, & nunc juxta primævum institutum & morem in auditoria Academica conversus est) ut & in summitate turris templi, etiamnum videmus. De dedicatione oratorii seu ecclesię S. crucis, (quæ & Salvatoris) per Willebrordum, deque ejusdem à Danis & Normannis vastati instauratione, seu potiùs novâ ædificatione & sub titulo ac patrocinio Martini per Adelboldum dedicatione, deque translatâ cathedrali dignitate vide *Hedam & Bekam in VVillebrordo*, *Bonifacio*, *Adelboldo*, *cum* doctissimis *notis Buchelii I. C. &* antiquitatum omnium callentissimi. Et confer *Mireum in Fastis Belgicis.* Quod autem hic A-

delboldus, novam Ecclesiam cathedralem & consequenter capitulum Patrono Martino consecrârit, peculiari ipsius devotione erga Martinum factum fuisse colligitur ex scriptis ab illo editis: inter quæ enumerat *Arnoldus VVion in lib. ligni vitæ*, & ex eo Possevinus in apparatu, *De S. Martino, cantum nocturnum ac triumphum ipsius. De Danis Turoniam invadere conantibus.* Et hujus Adelboldi aut Radbodi (uterque enim Martini laudes decantavit) scripta vidit ac respexit proculdubio Gabriel Biel serm. 4. de Martino, cum ait: *Hinc de eo quidam suorum veneratorum Ecclesiæ Trajectensis Episcopus in Legendâ de sancto Odone ita scribit*: Martinus est gemma hæc pretiosissima, &c. Fortè hic Adelboldus in tantum extulit Martinum, quòd militiâ & præconio celebratum hunc virum inter omnes imitandum sibi proposuerit, cùm ipse Episcopus, etiam Clericis nonnullis (contra antiquos Canones) in militiam eductis, cruenta prœlia cum Hollandiæ Comite commiserit. Hæc de sigillo hujus Capituli: Cujus tamen scutum quadripartitum rubrum (quod quidam fingunt S. Martini) tribus aureis rotis insigne in primo & quarto quadrante, in secundo verò & tertio quadrante falciis argenteis, ad modum insignium Hungariæ. Conjiciat fortè quis, respici Martini patriam, quæ fuit Hungaria; quam tutelâ suâ honorare non desinit, si Surio fides in commentar. ad ann. 1532. pag. 220. *Referebant*, inquit, *Turcæ, se equitem districto gladio ipsis urbem invadentibus minas intentantem in aere conspexisse, quem plerique piè crediderunt D. Martinum fuisse, qui Sabarienses, à quibus Guintium parùm aberat, omnibus dubiis temporibus semper opitulari consueverit, licèt id rideant hæretici, quorum impietas nos ad imploranda Divorum suffragia multò etiam magis commovere debet. Scimus enim certâ fide, illos jam Deo conjunctissimos quid libet facilè ab eo impetrare posse.* III. Insignia civitatis hujus prætulerunt Martinum. In magno enim sigillo seu signo usurpata fuit fermè per 250. annos effigies Martini in Episcopalibus, & in contrasigillo effigies ejusdem equo insidentis & chlamydem dividentis, cum assecla mendico: quæ posterior etiam in sigillo Capituli cathedralis, & in turre Templi, & supra vestibulum maximi nunc auditorii Academici, conspicitur. Sed post translationem temporalitatis anno 1528. in Carolum V. evanuit effigies Martini, & successit forma castri turriti in majoribus sigillis (uti olim in antiquissimis fieri consueverat) cum scutis Brabantiæ, Hollandiæ, & civitatis Ultrajecti; ut & in contra-sigillo, seu sigillo secreto solum scutum civitatis: Excepto quòd perpaucæ literæ redituum (uti vocant) anno 1529. sigillo minori, quod scil. paulò majus erat vulgari, effigiem Martini equitantis exhibente, conspectę sint. Sed anno 1530. tales sigillationes planè desierunt. Ubi notet Lector, hanc exauctorationem seu capitis diminutionem

tionem passum esse dictum patronum Martinum, tempore dominantis in Ecclesiâ & Politiâ Papatus. Cur, à quibus, quo modo, & in quem finem hoc factum, inquirant, qui putant suæ causę interesse. Nobis sufficit malum illud tam benè (secundum hominem loquor) positum, tunc loco motum esse, & hoc præcurrisse reformationem; quæ alioquin miserè cum eo luctari debuisset, & forsan (ut in similibus plerumque fieri solet) sine ullo successu. Hinc patet, quâ cum distinctione accipiendum sit illud Olivarii Vredii in libro de sigillis Comitum Flandriæ pag. 312. coll. cum pag. 318. *Vltrajectum civitas, scutum argento & coccino in obliquo bipartitum: argentea pars (contra leges fecialium, ut civitatum moris est) aureâ Divi Martini partem chlamydis egeno impartientis imagine, exarata.* Hinc etiam constat, hallucinatum esse Miræum in Fastis Belgicis & Burgundicis pag. 663. scribentis: *Provincia Vltrajectina S. Martini equo insidentis effigiem scuto pro insigni à multis retrò seculis prætulit.* Ut certò mihi constaret de hâc hallucinatione, contuli super hac re cum Amplissimo & Consultissimo hujus urbis Senatore, antiquitatum nostrarum promo condo, qui ex suo archivio varia sigilla, antiqua diplomata, libros mihi communicavit, unde certo certiùs constare potuit, quid olim & nuper fuerit de distinctis insignibus civitatis Ultrajecti, & Provinciæ diœcesios Ultrajectinæ. Nunquam ergò hæc Provincia in sigillis, aliisque insignium formis, effigiem Martini habuit; sed tantùm crucem candidam in scuto rubeo. Hęc solùm mutatio intervenit, transflatis temporalibus & ab Episcopatu Ecclesiastico separatis Anno 1528., quòd Episcopus solam crucem candidam nomine diœcesios Ecclesiasticæ usurpaverit, Princeps verò nomine Provinciæ & dominii temporalis, leonem Hollandicum cruce candidâ pectori infixâ. Post exauctorationem Philippi II. Belgarum Principis, anno 1581. eadem Provincia cruce candidâ & leone Hollandico inter se quadripartitis usa est: sic tamen ut initio, in medio scuti, scutum civitatis Ultrajecti ex argento & coccino obliquè bipartitum, parmulæ instar collocaretur. IV. Imagines Martini, non est quòd seorsim referam, cum ex notitiâ sigillorum & insignium liqueat, quales fuerint. V. Quod ad bona Ecclesiastica, & opimos reditus, iis non tàm ipsum coluerunt nostrates, quàm otiosi ventres multorum ab illo (si ita fas loqui) exculti, & ad omnem luxuriam ac luxum nitidè saginati sunt; perpetua scil. martinalia cum focariis (uti appellare solent) h. e. concubinis & scortis suis celebrando. Ita ut illis egregium illud epigramma Buchanani, monachis S. Antonii dicatum, *Crederis Antoni porcos pavisse subulcus, &c.* examussim applicari possit. Ut impudentiâ & mendacitate magnam partem istorum bonorum corrasserunt (vide *Hist. Beka & Heda*) ita vicissim vulgares Canonici cum

scortis & concubinis seu focariis suas quique portiones abligurierunt, & Episcopi subinde tanquam liberales Martini, magnas & regales partes à chlamide Martini absciderunt; iisque assectantes aut assentatores divites onerârunt. Quidquid sit de usu aut abusu bonorum istorum, de quo alibi sententiam nostram, immo totius Christiani orbis explicuimus; constat patronum Martinum gratis minimè cultum fuisse: quippe qui ipse pauperrimus suis cultoribus tantum reliquerit patrimonium, uti ipsi loquuntur. Audi inter alios Molanum in natalibus sanctorum Belgii ad 7. Novembr. *Cumque sedes ea in præsulibus & clero floreret, Reges tot opibus, Provinciis, decimis, tributis, & donis eam cumulârunt, ut brevi tempore eorundem (N. B.) opes pœne adæquârit.* Et paulò pòst: *Vnde tandem Carolus Quintus sibi patrimonia sanctorum VVillebrordi & Martini, quoad civilem jurisdictionem resignari permisit: quanquam multa antea fuerint (N. B.) aut imprudenter alienata, aut violenter occupata.* VI. Festum Martinale hîc peculiari solennitate, imprimis epularum & commessationum, tum à civibus, tum imprimis à Clericis, proximis Martini hæredibus, imitatoribus, & cultoribus celebratum fuit. Vix potuit illud satis longo post Ecclesiam reformatam tempore in oblivionem & desuetudinem adduci. Memini me vidisse aliquando carmina Martinalia à ludi-moderatoribus & discipulis eorum, quotannis in festo Martini edita. Et sunt viri in primo ætatis flore, qui meminerunt, campanas olim in vigiliâ Martini impulsas fuisse. Ita jejuniis & vigiliis, aliisque pseudo-mortificationibus Papatus abolitis, hilaria satis mordicus à multis nostrorum retineri solent. Confer *disp. de Bachanalibus, & de Idololatriâ indirectâ.* VII. *Encœnia*, in memoriam dedicati templi S. Martini, quotannis mense Julio observata fuere. Nunc in anniversarias nundinas transformata, exspectant ultimam reformationis manum; ut scil., & mutatione nominis & diei, exemplo aliarum urbium, æternæ oblivionis sepulcro condantur. Quod post primam hujus disputationis editionem factum anno 1655. translatis nundinis in diem tertium post vulgò dictam pentecosten. VIII. Sunt & alia sed minutiora, quæ Martini honorem ac cultum spirabant. Ut denominatio aggeris S. Martini, qui nunc vicus est altero ferè ab urbe lapide distans: Et in ipsâ urbe, pontis S. Martini, aggeris S. Martini, quod ad Martini templum adducerent: in suburbio, gerontodochei S. Martini: denique confraternitatis Martini, quæ anno 1500. erecta est, & unà cum reliquis omnibus anno 1615. abolita, reditibus in pios & meliores usus redactis.

6. Quæstiones Romanæ circa cultum Ultrajectinum istæ formari & Martini cultoribus ventilandæ offerri possent. 1. An unquam hæc civitas Martinopolis, aut hæc Provincia, terra S. Martini, dicta fuerit; cùm seipsos

pſos populum Martini, & jus ſuum ſeu Jus Patriæ Jus S. Martini appellaverint. (Vide *Hiſtor. Hortenſii lib. 6. pag.* 144.) ; & cives, viri & famuli S. Martini, & quidem benè nati, olim appellari voluerint, (uti conſtat ex variis diplomatis) ; & cum exemplum Turonenſium hîc præluxerit, quorum civitas à Patrono Martino, Martinopolis aliquoties vocata fuit apud antiquos Scriptores, *Bernardum Silveſtrem in megacoſmo, Matthæum Vindocinenſem in præfat. ad librum Tobiæ, Monachum Anonymum*; teſte *Iohann. Chenu in chronolog. hiſtor. Epiſcoporum Galliæ p.* 108. 11. Quare Thomæ Apoſtoli titulus, quo primum oratorium à Chriſtianis hîc exſtructum inſigniebatur, à Willebrordo abolitus ſit ? Cum in Belgio alia loca religioſa, ſic dicta, à Thomâ denominata fuerint : quin & noſtrates, ſaltem pueri, memoriam Thomæ tanquam primi Eccleſiæ Patroni, ſolenniori cultu, exſtructis ſcilicet ignibus triumphalibus, honorare non deſierint ? De quo vide *Lappii notas ad hiſtor. Hortenſii.* An fortè, ut antiqui cultus, & oratorii ac plantati Chriſtianiſmi memoriâ tantò faciliùs obliteratâ, nova planè & prima plantatio videretur, & Willebrordus Apoſtolus ac primus Epiſcopus Ultrajectenſium haberetur, & hæc Eccleſia jus ſuum contra Epiſcopum Colonienſem tanto meliùs tueretur. Vide de illâ contentione *Bekam in Bonifacio II. Epiſcopo Vltrajectin.* & *Mireum in Faſtis pag.* 679. 111. Quomodo Hiſtorici dicunt Eccleſiam à Willebrordo hîc exſtructam, dedicatam fuiſſe ſub titulo crucis; & monaſterium ſeu capitulum in cathedrali Eccleſiâ ab eodem erectum, ſub titulo & in honorem Salvatoris : cùm tamen *Bonifacius in epiſtolâ ad Papam Stephanum* (quam exhibet *Beka* & *Mireus loc. cit.* & *in notitiis Eccleſiarum Belgii, cap.* 21.) dicat Eccleſiam in honorem S. Martini conſecratam ; & diplomata donationum (apud *Hedam in Bonifacio II. Epiſc.*) Eccleſiam illam appellent caſam Dei S. Martini ? Hæret hîc *Beka*, & cum illo *Buchelius in notis.* Quid ſi conjiciat quis, crucem & Salvatorem dediſſe titulum Eccleſiæ, Martinum verò fuiſſe Patronum. Aut, diſtincta eſſe; fundatam à Willebrordo Eccleſiam, & erectum capitulum ſeu collegium in illâ Eccleſiâ: ut unum conſecratum fuerit Martino, alterum cruci ſeu Salvatori. Aut ſive Eccleſiam ſive collegium ſub Bonifacio demum Martini titulo inſignitũ; in epiſtolis tamen, diplomatis, hiſtoriis, cum Willebrordi meminerunt, per anticipationem dici S. Martini. Aut diplomata & epiſtolas illas eſſe dubiæ fidei: aut non exſtare incorruptas. Hîc excogitent aliquid, qui poſt habitâ luce Scripturarum, (quam blaſphemè tenebras vocant) veritatem fidei in talibus hiſtoriis, quæ ipſis lux factorum dicuntur, quærunt. IV. Quâ devotione Romanâ, aut quâ Romano-heraldicâ præcedentiæ arte, Salvator mundi & crux Martino cedere debuerint; cùm ſcil. titulus & patronatus

natus Ecclesiæ illis ablatus, huic collatus fuit? v. Similiter quæritur, de jure ac dignitate cathedrali, seu de sede Episcopali translatâ à templo & collegio Salvatoris (vulgò dicto **Oudemunster**, h. e. *vetus monasterium*, siquidem & canonici cœnobitæ, tum etiam *monachi* vocabantur, & domus eorum *monasterium*) ad templum & collegium Martini? An ergò Salvator deponi, & collegium seu capitulum Salvatoris mori debuit, ut ex cineribus ejus exsurgeret capitulum Martini; quomodo ex Abbate Antonii mortuo, resurrexit Abbas S. Johannis propè Balliolos in Flandriâ. De quo *Marnixius in Alveario tom. 1. part. 2. cap.* 8. VI. Rursum quæri posset, cur præsidentia & præcedentia illa tot sæculis Martino tanquam titulari & tutelari relicta fuerit, postquàm præter Ecclesiam & collegia Servatoris, etiam Mariæ, Petri, Johannis in hâc urbe erecta fuerunt? præsertim cum magistri ceremoniarum (apud *Gavantum tom. 1. pag.* 269. & *tom. 2. cap. 5. tit. 2. & cap.* 8. 9. 18.) anxiè determinent, pro præcedentiâ, hoc ordine: Trinitatis, Salvatoris seu crucis, Angelorum, Mariæ, Joh. Baptistæ, Apostolorum; qui sunt Patroni totius Ecclesiæ, teste *Durante lib. 6. cap.* 60. VII. An officium S. Martini à S. Rathbodo Episcopo XIV. Ultrajectino compositum, hîc peculiariter usitatum fuerit, saltem in Ecclesiâ S. Martini? Sin minus, quæ causa? Vide de S. Martini officio Radbodiano, *Gavantum tom. 2. pag.* 172. & *Possevinum in apparatu.* VIII. Cur diœcesis Ultrajectina, pro insigni habuerit albam crucem? An quia Willebrordus Ecclesiam, & sic populum ac diœcesin suam cruci primùm consecravit? ita ut *viri* seu *populus crucis* & essent & nominarentur, sicut posteà à Martino *viri & populus Martini.* Quæ restant, sequenti parte absolvemus.

DE PATRONATIBUS, TUTELIS, ET PRÆFECTURIS SANCTORUM,

PARTIS TERTIÆ,

Quæ est,

Historico-Theologica, de MARTINO TURONENSI, quondam Patrono Ultrajectino,

SECTIO ALTERA.

Resp. GISBERTO KOCK, Ultrajectino. *Kal. Iulii*, 1652.

Absolutâ commentationis nostræ parte priori, seu Historicâ de Martino Turonensi

nensi, accedimus ad alteram, quæ est critica: quâ geminam censuram stringimus; unam communem, alteram specialem:

COmmuni censurâ in Martiniano cultu hæc tria notantur. 1. Quòd Martino homini, non Deo, tribuitur religio. Et hoc commune est omnibus aliis sanctis, qui tanquam Patroni religiosè coluntur: de quo *part. 2. hujus disp.* egimus. 11. Quòd carnali, cupediario, bacchico, ludicro cultu ipsum colunt. Et hoc commune est multis aliis, si non plerisque sanctis, quorum cultus in commessationes, compotationes, choreas, ludos, aliasque pueriles aut ridiculas ineptias, meramquè ventris devotionem plerumque desinit. De quo *disp. modo cit.* quid monuimus. Conferenda quæ de Bacchanalibus & encæniis alibi dicuntur. 111. Quòd satis temerè & indiscretè inter sanctos & Patronos assumtus sit Martinus. Et hoc ipsi commune cum aliis quamplurimis, quorum raram, admirandam, Apostolicam, & exemplarem sanctitatem aut ipsi commenti sunt, aut ab aliis sive fictam, sive pictam nimis patienter mirati sunt, & huic lubrico fundamento cultum ipsorum ac patronatum inædificârunt. Confer *disp. tertiam de Sanctis Chimæricis.* 1.

Speciali censurâ de Martino hæc paucula Lectoribus consideranda damus. 1. De sanctitate tùm in conversatione & vitâ communi, tùm in functione Ecclesiasticâ. 2. De Miraculis. 3. De revelationibus. Omnia admodum magnificè prædicat *Sulpitius Severus*, & qui eum secuti sunt: uti suprà indicavimus. Judicet Lector, an non ab aliis credulitas circumventa, & domestica aliqua ἰδιοσυγκρασία, juncta cum insigni rerum sacrarum ignorantiâ in illos hyperbolarum scopulos eum, cum sectatoribus adegerit. 1. *Dimidium chlamydis ense refectum adhuc miles pauperi injecit.* Sic *Sulpitius in vitâ Martini cap.* 2. atque hoc facto & olim & etiamnum hodiè imprimis cluit exemplar & Patronus liberalitatis. Sed compara heroicam hanc virtutem, scil., cum præceptis & exemplis Christi, Prophetarum, Apostolorum (*Matth. 6. 2 Corinth. 8.*) & vide an vera prudentia, quæ medium virtutis determinat, hìc dominata fuerit. Si enim tam præsens & inevitabilis necessitas (qualis *Luc. 10.* parabola Samaritani designatur) cur potiùs totam chlamydem non injecit, sibi posteà de aliâ prospecturus; ne ridiculus foret (uti factum refert *ibid. historicus*) & indecoræ insaniæ aut malesanæ ostentationis suspicionem incurreret. *Philip. 4. coll. cum Matth. 6.* Certè si datâ necessitatis occasione vitam fratribus impendere debemus 1 *Iohan. 3.* quidni chlamydem? In ipsâ historiâ, circumstantia 2.

illa de hyemis asperitate tantâ, *ut plerosque vis algoris extingueret* (Ambiani scil. in Galliâ), minùs suspecta esset, si in tractu Septentrionali, Islandiâ scil., Norwegiâ, Lappiniâ, Russiâ, &c. hæc gesta fuissent. 11. *Signum crucis*, ubique contra Diaboli tentationes, & in miraculorum patrationibus adhibuit *cap.* 4. & passim. Quod ignorantiâ & superstitione non caret. Nunquam ad ejusmodi arma *Ephes.* 6. 12. *Iacobi* 4. & tàm illustria Apostolorum exempla confugere docuerunt. Conferatur *disp. nostra de Stau-* „*rolatriâ.* 111. Quòd cùm reliquorum Episcoporum fœda circa Impe- „ratorem Maximinum adulatio notaretur, &c. in solo Martino Aposto- „licâ auctoritas permaneret. Nam etsi pro aliquibus, &c. Quis hîc non videt insignem aut superbiam, aut fatuitatem seu imprudentiam? Sed quia omnem fidem nolo detrahere *Sulpitio.* Sect. 1. *Ipsi patientiam & humilitatem supra humanum modum* tribuenti, posterius potiùs amplectendum est. Certè tàm profunda Scripturarum ignorantia, & tantus spiritualis prudentiæ defectus, cum eximiâ & exemplari sanctitate, humilitate, subjectione consistere nequit. Vide *Roman.* 13. *vers.* 1. -- 8. 1 *Petr.* 2. *Coloss.* 3. Quò pietate quis sublimior, eò minùs excellentiam mundani honoris in rebus externis, & conversatione Politicâ affectat: nequè enim regnum Christi de hoc mundo est, & fideles mundo crucifixi sunt. *Iohan.* 18. *Galat.* 6. *Philipp.* 3. Siccine factitabant Prophetæ & Apostoli? IV. *Gentilium templa*, delubra, *arbores* aliquoties *diruit*, *incendit*, *succidit. cap.* 10. 11. 12. 13. 14. Sed quomodo excusari potest ab ἀλλοτριοεπισκοπῇ, & usurpatione potestatis publicæ, 1. *Petr.* 4. Quomodo negligentię & teporis non arguuntur Apostoli, & zelosissimi Ecclesiæ Doctores, *Athanasius*, *Nazianzenus*, *Basilius*, *Ambrosius*, *Hilarius*, *&c.* qui nihil tale tentârunt. Audas Episcopus in Persiâ magnæ in Christianos persecutionis autor fuit, destructione pyrei (hoc est templi, in quo ignis colebatur) teste *Theodoreto lib.* 5. *cap.* 38. Quem ibidem arguit, quòd ἀκαίρως & οὐκ εἰς δίον zelo suo usus sit: adducto exemplo *Pauli Actor.* 17. qui Aram Atheniensium, quos videbat κατειδώλους, minimè diruit. ἀλλὰ λόγῳ καὶ τὴν ἄγνοιαν ἤλεγξε καὶ τὴν ἀλήθειαν ἔδειξε, id est, *sed verbo & ignorationem redarguit, & veritatem patefecit.* Idem factum arguit *Baronius ad an.* 420. §. 18. In *Concilio Carthaginensi an.* 401. legatio destinata fuit ad Imperatorem de Idolorum reliquiis in Africâ auferendis: & exstat hâc de re *canon in codice canonum Ecclesiæ Africanæ, numero* 58. 4. Et refert *Augustinus lib.* 18. *de Civitate Dei cap. ult.* à comitibus Imperat. Honorii, Gaudentio & Jovio, Carthagine fallorum Deorum templa eversa, & idola fracta. Quò etiam spectat rescriptum Arcadii ad Eutychianum PP. l. 16. de Paganis C. Th. *Si quæ in agris templa sunt, sine turbâ ac tumultu diruantur.* Conferendæ hîc *nostrorum dis-*

sertationes

sertationes de Potestate temporali Papæ, & Episcoporum; dequè Clericis Magistratui subjectis. v. Missionem petens à militiâ, hanc rationem allegat: *Ego miles Christi sum; mihi pugnare non licet. cap.* 3. Quis hîc non videt miserandam legis divinæ inscitiam? VI. Cùm Tetradius Proconsularis ipsum pro famulo obsesso oraret, ut ad domum suam descenderet, *negavit se profani Gentilis domum adire posse; cap.* 16. Hoc scil. sapiebant tempora N. T. & sublatum intergerinum parietem. *Eph.* 2. *Act.* 10. & 11. Hæc erat prolixa & diffusa charitas, misericordia, benignitas Martiniana tantoperè buccinata. *Gal.* 6. Hic scil. genuinus usus signorum. 1 *Cor.* 11. 12. VII. Episcopatum quàm prudenter gesserit, & quàm solidè omnes ejus partes impleverit, ex hoc collige. *Aliquando adhærente ad Ecclesiam cellulâ usus est: deinde cùm inquietudinem frequentantium ferre non posset, duobus ferè extra civitatem miliaribus monasterium sibi statuit. Qui locus tam secretus & remotus erat, ut eremi solitudinem non desideraret. cap.* 7. Hoccine erat Episcopatus Paulinus. *Actor.* 20. 20. & 2. *Timoth.* 4. *vers.* 2. 3. An potiùs non residentiæ species, ab ipso *Concilio Tridentino* & peculiaribus *tractat. Caranzæ*, aliorumque condemnatæ; An non Bellephorontææ istæ latebræ phantasticam quam animi imbecillitatem & ad divinum hoc munus ineptitudinem sapere videbantur; cui Homericum illud applices, *Qui miser in campis errabat solus Elæis, Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.* VIII. Episcopatum admodum refugisse dicitur *cap.* 7. Et tamen illiteratus cùm esset, aliisque requisitis ad tantum onus necessariis destitutus: per imperitæ plebis ἀγωγὴν & factionem, ad eum promoveri, si non protrudi se passus est. *Episcopis* nonnullis, quamvis electioni ejus refragantibus *aliud facere* (testè ibid. Sulpitio) *non licuit, quàm quod populus domino volente cogebat.* An hæc legitima vocatio? An non vetat *Concil. Laodicenum* electiones turbis committi? *can.* 13. An non tempora illa Gentilium & Arianorum multiplici eruditioni infesta, eximium eruditionis & prudentiæ apparatum in Episcopis requirebant, qualis in Nazianzeno, Basilio, Ambrosio, Augustino, Hilario, &c. Certè simplicem nimis, & ad tàm arduum opus minùs instructum, ipse populus diffiteri non potuit, cùm clamorem adversus Episcopos obnitentes tollerent ad lectionem textus (quam divino nutui adscribebant): *Ex ore infantium & lactentium perfeciśti laudem, &c. cap.* 7. IX. Ex diabolo ad id specialiter consulto aut compulso veritatem rei occultæ discere voluit, & didicit cap. 18. cùm inquireret, verè sancti & martyris memoria à plebe ibi coleretur, nec ne? Sed quomodo hoc à vanâ curiositate, à periculosâ & absurdâ credulitate, à pudendâ ignorantiâ excusari potest? Diabolo sponte suâ communem & notam aliquam fidei veritatem referenti, os obstruxit Servator. *Luc.* 4.

Tantum abeſt, ut ipſe aut Apoſtoli Diabolum acceſſerint, ſciſcitatum de occultis quibuſdam. Confer *diſpp. noſtras de Exorciſmo, Magiâ, Spectris, Energumenis.* x. In totâ formâ & ratione vitæ aſceticæ (quam Pontificii formaliter eandem velint cum monachatu Papiſtico, ſed perperam, ut alibi oſtendimus) fidem, prudentiam, & ſolidam atque Apoſtolicam pietatem meritò deſideramus. *Mirum in modum totus in Dei opere converſus, cùm eſſet annorum duodecim, eremum concupivit.* cap. 1. in adoleſcentiâ cùm militaret, ſervulo ſuo *vice versâ dominus ſerviebat: adeò ut plerumque ei & calceamenta detraheret, & ipſe detergeret: cibum unà caperent, hic tamen ſæpiùs miniſtraret.* Ibid. Et jam Epiſcopus factus, extra caſum perſecutionis aut alterius neceſſitatis, inter præciſam excelſamque rupem & inter planitiem Ligeri flumine clauſam exſtruebat ſibi cellulam, & ipſius ductu, multi alii ex ſaxo montis cavato receptacula ſibi fecerant. Hîc *nemo proprium quod habebat,* &c. *non emere aut vendere licebat* &c. *rarus cuiquam extra cellulam egreſſus, niſi cùm ad locum orationis conveniebant,* &c. *vinum nemo noverat, niſi quem infirmitas coegiſſet. Plerique camelorum ſetis veſtiebantur. Mollior habitus pro crimine erat.* cap. 7. Quis non videt ſublimatâ hâc ſanctitate tacitè perſtringi ac confundi Chriſtum & Apoſtolos, qui non veriti ſunt, cum hominibus converſari, urbes, vicos, & domos obire, edere quod apponebatur, &c. *Matth.* 11. *Luc.* 10. Quorum exemplum imitari præſtat, quàm Martini & ſociorum prædicatam *Sulpitio (cap. 7.) humilitatem & patientiam.* Diſcite à me, quòd humilis & mitis, &c. *Matth.* 11. Hunc audiant & imitentur animarum Paſtores, quamvis à vitâ Martini longè diverſum. Quis non videt hîc ſymbolizationem cum Montaniſtarum & Encratitarum ſuperſtitionibus potiùs, quàm cum perfectione Chriſti, pietate Pauli, Petri, aliorumquè Apoſtolorum; præſertim cùm ſine neceſſitate propriam carnem fovere noluerit ſtramine, tegmine, lecto repudiato. *Epiſt.* 3. *ad Baſs.* Quod eſt contra *Epheſ.* 5. 29. & convenit cum 1 *Reg.* 18. 28. xi. Cùm Maximinus Imperator, eum menſæ admoviſſet, & primum poculum ipſi fundi juſſiſſet, exſpectans ut ſibi à Martino propinaretur, tradidit preſbytero ſibi aſſidenti, *cap.* 23. Etiam cum Imperatrix illi miniſtraret, & quidem in viliſſimis officiis, admiſit hoc humile ſervitium, *Dial.* 3. *ſect.* 7. Quàm vecors & inſana hæc in humili corpore & habitu ſuperbia? Quam diſſimilia ſunt inſervire ſervulo ſuo & humillima ac viliſſima miniſteria Imperatricis admittere? Certè non ſic factitarunt Prophetæ & Apoſtoli. xii. Totis ſexdecim annis noluit ullis Epiſcoporum conventibus intereſſe. *Sulpit. Dial.* 2. *ſect.* 15. Noluit etiam cum Epiſcopis communicare, qui cauſam contra Priſcillianum agebant; & tamen in gratiam Imperatoris ſemel cum illis communica-

municabat. *Dial.* 3. §. 15. Unde colligitur, eum fuisse ἰδιοχρόνως, indiscretum; Phantastici, si non Donatistici & Scismatici spiritus. XIII. Plagas otiosè passus est, non sine aliquâ mixturâ Delrii. *Dial.* 2. *sect.* 4. XIV. Militem separat ab uxore. *Dial.* 2. §. 11. 12. XV. Ex pauculis illis, quæ notavimus, facillimè colligitur, aut falsò & ineptè tàm multa de Martino prædicata; aut ubicunque historiæ sua constat veritas, non posse gloriam exsuperantis & exemplaris sanctitatis illi tribui, cui toties oculus spiritualis defuit; adeò ut impetus & zelus in contemtu mundi & ardore cœlestium (quem omnem negare nolumus) destitutus scientię lumine & prudentiæ sale, inter sanctos cespitantes atque ignorantes, & inter simplicianos, seu infimi subsellii Pastores seu Episcopos, illum reliquerit, neutiquam cum Cypriano, Chrysostomo, Basilio, Nazianzeno, Ambrosio, Augustino, Hilario, & similibus eruditæ pietatis luminibus, nedum cum Apostolis comparandum. Si enim legem Dei & officia pietatis non didicerat, judicii & prudentiæ gubernaculum ipsi deerat, quomodo ipso opere tam sublimia præstare, & aliis in iis præire potuit? Vide & expende *Ephes.* 5. *vers.* 14. *Matth.* 10. *vers.* 16. 1 *Corinth.* 3. *vers.* 1. 2. *Hebr.* 5. *vers.* 12. 13. Breviter, (ut verbo concludamus) fuit in illo viro mentis & judicii infirmitas, nec non prudentiæ atque eruditionis spiritualis defectus. Tales judicantur ἀφρωσίᾳ infirmitate judicii laborare, si qui inter nostros occurrant, quamvis omni pietatis zelo non destituti: quos ideò tanquam rara exempla & magna Ecclesiæ luminaria, non proponimus imitandos, nec mendacibus panegyricis celebramus; nedum ut Ecclesiæ præfecturam ipsis committamus. In curiâ Romanâ, tales vulgò, boni Christiani dicuntur, & consequenter ad dignitates (uti vocant) Ecclesiasticas, minimè idonei judicantur. Confer *disp. nostram, de Simplicitate & Hypocrisi.* Et sanè videntur, tale quid vidisse Episcopi illi, qui indiscreto plebis studio ad ipsius electionem & constitutionem Episcopalem evocati, repugnârunt, dicentes (*cap.* 7.) *contemptibilem esse personam, indignum Episcopum, hominem vultu deformem, veste sordidum, crine deformem*: hoc est, ut absque fuco hoc exprimam, fuisse phantasticum. Suprà indicavimus Pontificios, qui *Sulpitii Severi historiam* censurâ notârunt: Non obstante, quòd in præfat. ad vitam Martini protestetur, *se nihil nisi compertum & probatum scripsisse*, immò ex iis, *quæ comperta ipsi erant, tantùm excellentiora notasse.*

In Miraculis Martini, hæc Lectori expendenda subjicimus: ac primùm quidem de Miraculis, velim judicet Lector, an si omnia illa verè à mirabiliario illo tentata sint, quæ scribuntur *Dialog.* 2. & 3. *sect.* 2. -- 14., eventum semper respondisse credendum sit, & tales Martinianos conatus delirii melancolici aut admixtæ fatuitatis intervallo, aut quâcunque mentis 30

tis ac judicii ἀφωνίᾳ, semper caruisse. In tres Classes ea distribuimus. *I. Classis* sit eorum, quæ quoad occasionem, materiam, modum cum Christi & Apostolorum miraculis non ita convenire videntur: sed suspicionem movent, Martinum illusiones spirituales passum, & Deum temerè tentatum fuisse, cùm talia conaretur, & sibi tribueret. Ordiamur à miraculo *cap.* 9. ubi rusticos corpus quoddam ad sepulcrum deferentes procul conspicatus, ignarus quidnam id esset, profanos sacrificiorum ritus agi credidit, eos signo crucis adhibito constrinxit, ne loco moverentur, &c. Sed quis non dubitet, an dono & fide miraculorum præditus fuerit, qui procul conspicatus rusticos mortuum efferentes, opinatus est eos idola sua circumferre. An Spiritus Dei, movens quem dono & fide miraculorum præditum, circa materiam & occasionem miraculi falli potest? An non, siquidem hoc concedatur, manifestè prostituitur coram gentilibus causa & fides Christi miraculo confirmanda? *Secundum* est *cap.* 10. Quòd, cùm ad provocationē unius ex Gentilibus, vastę pinus idololatricæ, quam succidebant, ruinæ se confidenter supponeret, pinus oppositò signo crucis in diversam partem rueret. Sed quomodo hæc Martini confidentia & similis *cap.* 3. à temeritate & Dei tentatione vindicabitur, si spectes Christi in simili casu, exemplum *Matth.* 4. *Tertium* est, *cap.* 12. Quòd, cùm templum opulentissimum conatus evertere, impediretur à Gentilibus, triduano jejunio, tectus cilicio & cinere, Deum oraret, ut divina virtus dirueret, quod humanâ manu everti non potuisset; quòdquè duo Angeli hastati atque scutati ei se offerrent, dicentes, se missos à domino ut rusticam multitudinem fugarent, &c. Quomodo tàm frequens & prompta petitio miraculi convenit, cum dono & fide miraculorum, & cum reprehensione Scripturæ, *Iohan.* 4. *vers.* 48. 1 *Corinth.* 1. *vers.* 22. *Luc.* 9. *vers.* 55. *Quartum* est *cap.* 13. Ubi, cùm propter eversionem templi Gentilium furens multitudo in eum irrueret, atque unus ex illis stricto gladio ipsum peteret, rejecto pallio nudam cervicem percussori præbuisse dicitur, & aggressor ille resupinus ruisse, cùm dexteram altiùs retulisset. Considerent prudentiores, an factum hoc à temerariâ confidentiâ, & Dei tentatione purgari possit. *Quintum*, præcedentibus simile est *cap.* 17. U-
„ bi Martinus dæmoni in hominem ingresso, cunctis fugientibus, solus
„ se objecisse dicitur; cùmquè hianti ore morsum minaretur, digitos ei in
„ os intulisse: *si habes*, inquit, *aliquid potestatis, hos devora.* Tum verò, ac
„ si candens ferrum faucibus accepisset, longè reductis dentibus digitos be-
„ ati viri vitabat attingere: & cùm fugere de obsesso corpore pœnis &
„ cruciatibus cogeretur, nec tamen exire ei per os liceret, fœda relin-
„ quens vestigia, fluxu ventris egestus est. Scilicet tam religiosè aut curiosè

riosè attendebant Christus & Apostoli dæmonium ejecturi, an per superius, an verò per inferius guttur egrederetur? Credebant ne illi dæmonem tàm crasso corpore præditum, ut portâ aliquâ patenti ad egressum indigeret? Iidemne etiam digitos in ora dæmoniacorum immittebant? *Sextum cap.* 15. ostendit, quàm procul ab infidelitate, addo & à vacuitate doni miraculorum, abfuerit Martinus: cùm postulante quodam, ut filiæ gravissimè laboranti succurreret, eodemque confidente per eum restituendam, ipse tamen confusus obstupesceret & refugeret, dicens: hoc „ suæ non esse virtutis, senem errare judicio, non esse se dignum, per „ quem Dominus signum virtutis ostenderet. Simile habes *Dial.* 3. *sect.* 2. „ *Septimum* est: Quòd apud Parisios leprosum miserabili facie, horrentibus cunctis, osculatus est, atque benedixit, statimque omni malo emundatus est *cap.* 16. Christus verè languores nostros tulit *Matth.* 4. & leprosos mundavit. *Matth.* 11. nec tamen leprosos osculatus est. Debebat ergò Martinus humilitate, patientiâ, caritate, Christum longè superare. Scil. Confer *disp. nostram de Pseudomortificationibus. Octavum* est, quòd quis in nomine Martini cani latranti, miraculosè silentium imposuerit; dicendo, *In nomine Martini obmutesce. Dial.* 3. *sect.* 4. An Christus, Apostoli, aliique sancti tam phantasticam materiam & occasionem miraculi unquam quæsiverunt? *Nonum* est, quòd vacca à dæmone possessa & agitata per Martinum miraculosè liberata sit, ad pedes ejus mitis se dimiserit, *Dial.* 2. *sect.* 9. An fortè hîc lupus & asinus Franciſci, cum sororibus hirundine & corvo, typicè repræsentati fuerunt? *Decimum* est, quòd leporem, cui rictus canum inhiabant, miraculosè liberaverit. *Dial.* 2. *sect.* 10. Symbolizat hoc cum Pythagoræ & hodiernorum Brachmanum *(Bramines)* transcendente misericordiâ, *Quid meruere boves, animal sine fraude doloque?* Fuit etiam Martinus hâc in parte prodromus Franciſci, qui agnos in macello mactandos sæpè pretio liberabat, in recordationem agni Jesu Christi. Certè tàm ecstatica & phantastica miracula Christus, Moses, aliique Prophetæ cum Apostolis nunquam ediderunt. *Undecimum* est, Quòd mutæ puellæ loquelam restituit, oleum cum præfatione exorcismi benedictum in os ejus inferendo. *Dial.* 3. §. 2. & §. 3. ubi olei ad morbos necessarii benedictio. Tale oleum ad morbos sanandos paratum & benedictum non videntur habuisse Apostoli. *Duodecimum*, Quòd quis nondum Christianus clamans, *Deus Martini eripe nos*, à tempestate liberatus sit, *Dial.* 3. §. 17. *II. Classis* eorum, quæ fabulosè ex nimiâ indulgentiâ & credulitate narrari meritò quis credat, aut saltem suspicetur, ex. gr. quòd Gentiles, ex conspecto uno miraculo Martini, Dominum Jesum, relicto errore crediderint, & Christianissimum professi sint, *cap.* 10. & 1.

Quod

Quòd Gentiles rustici plerumque sanctâ prædicatione mitigati, propria templa everterint. *cap.* 14. Quòd curationum tam potens in eo gratia erat, ut nullus ferè ægrotus ad eum accesserit, qui non continuò recepérit sanitatem. *cap.* 14. Quòd fimbriæ vestimenti ejus, cilicioque detractæ, crebras, super infirmantibus egere virtutes. Nam aut digitis illigatæ, aut collo inditæ persæpè ab ægrotantibus morbos effugaverunt. *cap.* 19. De mortuorum suscitatione, quam tàm facili cum successu tentasse dicitur (*cap.* 5, & 6.) si quis dubitet, non arbitror eum infidelibus aut hæreticis annumerandum. Quasi scil. Martinus Petrum & Paulum, immò & ipsum Christum superasset. Nec authentica mihi est relatio miraculi, quo Senonensis ager 20. annis à grandine immunis fuisse dicitur. *Dial.* 3. §. 7. Adde hîc fabulam ex *Antonino part.* 3. *tit.* 10. *cap.* 11. §. 3. de mortuo non tantùm precibus ejus in vitam revocato, sed & animâ ejusdem ab inferis eductâ. Longè magis blasphema est fabula quam *ibid.* (vide & *Sulpitium in vitâ Martini cap.* 5.) præmitttit, de catechumeno itidem per Martinum suscitato, qui vivificatus referre solet: *Quòd cùm anima ejus à corpore soluta, à judice cui præsentata fuerat, tristem excepisset sententiam, ad loca scil. tenebrarum: subitò angelo* (lege angelos aut angelum, fortè tutelarem seu custodem) *judici suggessisse, hunc esse pro quo Martinus oraret. Unde mandatum est animam ad corpus redire: ut Martinus optata perciperet.* Vah blasphemas nugas! Quasi Deus recordari non posset, pro quo & per quem interceſſio facta esset. Mirum, eos Deo non attribuere nomenclatores aut cancellarios, aut המוכירים *hammaskirim*. Quæri hîc posset, cur inter miracula Martiniana non referatur miraculosa percussio monachorum ipsius genialiter Turonis viventium? Aut cur merita & preces Martini miraculosè non succurrerint iisdem monachis Martini Turonensibus, qui tempore Caroli Magni ob infamem luxum, aliaque flagitia omnes (uno excepto) eâdem nocte ab angelo percussore dicuntur enecti; ita ut manè reperirentur mortui? Quâ occasione Carolus Magnus cœnobium monachorum in collegium canonicorum S. Martini mutaverit. Refert hanc historiam scriptor Gallus *Nicol. Gilles vol.* 1. *chronici Galliæ*; & ex eo *Ioh. Chassanion in historiâ memorabili judiciorum Dei, &c*: Gallicè *cap.* 28. *III.* Tertia classis continet ea, quæ inter miracula numerantur, nec tamen quod ad materiam suam, talia censeri necesse est. e.gr. quòd, cùm latronum unus *securim elevatam in caput ejus* vibraret, alter *ictum ferientis dexterâ sustinuerit*. cap. 4. Quòd puella à quartanâ febri liberata sit, applicatâ ad pectus ejus, in accessu ardoris *epistolâ* quâdam *Martini cap.* 20. Quòd latronem per Euangelii prædicationem convertit *cap.* 4. Quòd in insulâ Gallinariâ radicibus her-

herbarum victitans cùm *elleborum, venenatum, ut ferunt, gramen, in cibum sumsisset, & vim veneni in se grassantis vicinâ iam morte sensisset, imminens periculum oratione repulerit, statimque omnis dolor fugatus sit.* cap. 4. Judicent Botanici, & Medici an necessariò, miraculum hîc statuendum sit. Quòd Paulino oculum dolere incipienti, peniculo contigit, & sanitatem restituit. *cap.* 21. Confer *disp. nostram de Miraculis*, & *anonymi* doctissimam *dissertationem de Idolo Hallensi*, & *Thomsonum c. Lipsii virginem Sichemiensem.* De *Exorcista* munere, quod imponente Hilario ab illo susceptum dicitur. *cap.* 4. & ejectionibus dæmonum, *cap.* 16. 17. dubium aliquod moveri posset. Confer *Disp. nostras de Energumenis*, & *de Exorcismo.* IV. classis, continet judicium de Miraculis post mortem ejus per aliquot sæcula editis. Qualia sunt, cùm quis liberatus ab aliquo malo, ope Martini se liberatum somniat: quia eum fortè in patronum sibi elegit; aut quia in templo aliquo, cujus tutelaris aut titularis Martinus, oravit; aut quia vicinus est Martini reliquiis; aut quia liberatio contigit die festo Martini. Sed quâ certitudine Martino potiùs, quàm angelo tutelari, aut aliis sanctis tutelaribus, eorumquè statuis, reliquiis &c. miraculum hoc vindicabunt? Ex. gr. Everrarus (al. Everacrus) Episcopus Leodiensis an. 963. ecclesiam & capitulum S. Martini Leodii fundavit; quòd anteà Turonis ad sepulcrum S. Martini miraculosè sanatus fuisset: uti ex capituli illius monumentis refert *Bucherius in chronico*; & ex eo *Miræus de collegiis canonicorum cap.* 58. Alia Martini miracula vide apud *Sulpitium Dial.* 3. §. 2.-21.

De *Revelationibus*, *Apparitionibus*, & *Prophetiis* Martini, hæc Lectori 4.
consideranda proponimus. Non fuisse extraordinarias & immediatè divinas: quippe quæ 1. *aut* certò probari non possint, superasse conjecturas & præsagia humana aut illusiones diabolicas, quam vis eventus iis responderet; 2. *aut* de quibus certò probari possit, quòd falsissimè ipsi tributæ sint. Quod ad 1. considera, quòd Christus nocte insecutâ divisionem chlamydis, in somno ipsi visus dicere: *Martinus adhuc Catechumenus hâc me veste contexit* &c. *cap.* 2. Et talia somnia pro viri istius temperie & ingenio minimè admiranda. Quòd Martino Christum sequenti diabolus humanâ specie apparens dixerit, *quocunquè ieris, vel quæcunque tentaveris, diabolus tibi adversabitur*; eiquè Martinus responderit: *Dominus mihi adjutor est, non timebo, quid faciat mihi homo*: & quòd hoc audito, *inimicus ex conspectu ejus evanuerit*, cap. 4. Quòd Martinus *à loco vicino, ubi memoria martyris colebatur, se abstineret, ne derogans religioni quia incertus erat: nec autoritatem suam vulgo accommodans, ne superstitio convaleseeret.* cap. 8. Ecce hîc virum θεόπνευστον, spiritu Prophetico & Apostolico præditum. Sed

„longè absurdius, quod ibidem sequitur: Super sepulcrum ipsum adstans „oravit ad Dominum, ut quis esset, vel cujus meriti sepultus, ostenderet. „Tum conversus ad lævam, vidit propè adsistere umbram sordidam, tru„cem. Imperat nomen, meritumquè ut loqueretur. Nomen edidit, de „crimine confitetur; *latronem se fuisse, ob scelera percussum, vulgi errore ce„lebratum, sibi nihil cum martyribus esse commune, cùm illos gloria, se pœna re„tineret.* Mirum in modum vocem loquentis, qui aderant, audiebant, „personam tamen non videbant. Tùm Martinus, quid vidisset, exposuit: „jussitquè ex loco eo altare, quod ibi fuerat, submoveri: atque ita po„pulum superstitionis illius absolvere. Ergò ad Dei cultum constituendum, aut reformandum & ab errore populari liberandum, Dæmonis oraculum consuluit, aut saltem (si Martini & Sulpitii opinioni, sed falsæ, locus dandus) animæ damnatæ. Quod quomodo fidei & pietati repugnet, docuimus in *disp. de Probationibus Spirituum, de Spectris, de Exor„cismo, de Magiâ.* Exemplum consulti oraculi diabolici longè deterius à „nobis *thesi præced.* notatum, refertur *cap.* 18. Cùm de motu atque im„petu Barbarorum subita civitatem fama turbasset, dæmoniacum ad se „exhiberi jubet, imperat, ut an verus esset hic nuntius, fateretur. *Tunc „confessus est; sedecim dæmones fuisse, qui rumorem hunc per populum dissemi„nassent, ut hoc saltem metu ex illo Martinus oppido fugaretur: Barbaros nihil „minùs, quàm irruptionem cogitare.* Ita cùm hæc immundus Spiritus me„diâ in Ecclesiâ fateretur, metu & turbatione præsenti civitas liberata est. Has abominationes detegere, est refutare. Confer *disp. nostras modo cit. Dial.* 2. *§.* 14. jactat frequentes visitationes & colloquia angelorum, Agnetis, Theclę, Petri, Pauli, Marię. *Ibid. sect.* 15. Quod angelus ei nuntiabat, quæ gesta essent in Synodo Nemausensi, cui interesse noluerat. 24. re„fert Angelos ab eo plerumquè visos, ita ut conferto invicem apud eum „sermone loquerentur: Diabolum verò tam conspicabilem & subjectum „oculis habuisse, ut sive se in propriâ substantiâ contineret, sive in diver„sas figuras spiritualesque nequitias transtulisset, quâlibet ab eo sub imagine videretur &c. Adde ex *dial.* 2. *§.* 14. quòd dæmonas sæpè suis nominibus increparet. Et *in Vitâ cap.* 24. 25. quòd cum illis sæpè disceptaverit. Sed unde constabit, modum hunc colloquendi atque agendi cum dæmonibus Deo probari? Unde probabitur, donum extraordinarium probandi spiritus apparentes, magis adfuisse Martino, quàm aliis sanctis, quos à diabolis aut propriâ phantasiâ toties delusos scribunt? (Vide *disp. de Probationibus Spirituum*); præsertim sæculo illusionum istarum tàm ferace; siquidem *Sulpitii* narrationibus *cap.* 24. 25. & *Dial.* 1. *f.* 14. fides habenda.

11. Revelationes & inspirationes divinas, atquè adeò Theologiam revelationes

velationis, hoc est, rerum divinarum scientiam θεόπνευστον, & consequenter infallibilem, ipsi haut obscurè tribui à *Sulpitio*, constat ex *cap.* 24. & 26. ubi sic loquitur: *Quàm alacer, quàm efficax, & quàm in exsolvendis Scripturarum quæstionibus promtus & facilis* Ibid. Jesum testatur, *nunquam se ex ullius ore tantum scientiæ, tantum ingenii, tàm boni & tàm rari sermonis audiisse.* Sed quàm facilè, aut crassę ignorantiæ, aut corruptissimi judicii, aut mythologicæ credulitatis convinci possit, ex istis patet. 1. *Quòd* fuerit rudis & indoctus idiota: uti constat ex testimoniis *Sulpitii cap. cit.* ubi dicit, *hominem illiteratum.* Sed quando illiteratis hæc admiranda *gratia*, uti vocat, unquam data fuit, absque immediatâ revelatione. 2. *Quòd* in negotio religionis vulgares sui temporis errores juxtà cum aliis, immò & supra eos excellenti quâdam ratione erraverit; & ut muscæ exulceratis insident, ibique se pascunt, sic ille, δοκησισοφίας, μωροσοφίας, & ἐθελοθρησκείας defectibus & abusibus: ut usui crucis, *cap.* 3. 10. 24. Templa sanctis constituxit, reliquias transtulit (*Gregor. Turonens. pag.* 591. 593.) Et siquidem Severus hoc ab illo didicit, beatis in cœlo tribuit præter Scripturas, quòd nos custodiant & actiones nostras respiciant. Sic enim *Sulpitius* de Martino *in fine epistol. ad Bassulam.* Et *Dial.* 2. *sect.* 8. quòd stramen, cui Martinus incubuerat, pelleret dæmonas. Idem *Sulpitius*, siquidem hic Martini discipulus, suum & præceptoris errorem prodit, cùm cœcam obedientiam, & vitam monasticam desertâ uxore & liberis extollit, *Dial.* 1. §. 12. & 15. 3. *Quòd* specialiter hæc falsa axiomata tradiderit: *Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet.* cap. 3. Et illud longè absurdissimum, omnem Encratitarum & Montanistarum imprudentiam & superbam humiliationem superans: *Christianum non decet nisi in cinere mori, ego si aliud vobis exemplum relinquo, ipse peccavi.* Cùm letali morbo afflictus humi cubaret, & vilia stramenta, ad postulatum suorum, sibi substerni nollet. *Epist.* 3. *ad Bassulam*, quæ est de obitu Martini. Adde, quòd diaboli illusionem, dicentis se Christum esse primum, non potuerit deprehendere, sed dubitaverit. Hiccine vir θεόπνευστος? Paulò pòst tamen, *revelante sibi Spiritu* intellexisse, esse diabolum, eiquè respondisse: *Non se Iesus dominus purpuratum & diademate renitentem venturum esse dicit. Ego Christum, nisi in eo habitu formâque, quâ passus est, nisi crucis stigmata proferentem, venisse non credam.* cap. 25. An hanc probationem spirituum approbarent Pontificii? Adde, quòd moribundus dixerit diabolo, *Nihil in me invenies:* & hoc Panegyrici ipsius declamatores supra cit. de ipsius perfectione & puritate à peccato, accipiunt. Sed alium longè clypeum diabolo opposuerunt, *Augustinus, Ambrosius, Bernardus:* (vide *vitas eorum*), & opponere docuit *Anselmus*, aliiquè ipsum secuti, in editione *libelli de modo visitandi & consolandi moribun-*

dos; de quo vide *disp.* cui tit. *Vis veritatis &c.* Nec prætereundum ejusdem absurdè & non absque specie blasphemiæ prolatum apophthegma de ove recenter tonsâ, quod refert Sulpitius Dial. 2. sect. 11. *Euangelicum mandatum ista complevit: duas habuit tunicas, unam earum largita est non habenti.* Quid dicemus de hâc ipsius opinione (*dial.* 2. §. 16.); quòd Nero & Antichristus venturi sunt ante finem mundi & ille per istum occidendus sit. Quod ad judicium ejus super negotio Priscilliani, illud minimè Apostolicum fuit: de quo *thesi sequente.*

5. Ad illustrationem criticæ nostræ subjicimus paucula hæc problemata. 1. *Probl.* Quid de judicio & zelo Martini circa supplicium Priscilliani statuendum sit: quo nomine laudatur *à Sulpitio. Resp.* Saltem quod ad Pontificios, à gravi errore & peccato excusari non potest: nec etiam à nostris omninò absolvi, saltem non laudari; nisi ab omni defensione destitutum vellent, factum Basilienſium, qui Davidem Georgium triennio post obitum effossum in cineres redegerunt; Tigurinorum, qui Valentinum Gentilem decapitârunt; & Anglorum, qui sub rege Jacobo anno 1612. (ni fallor) blasphemum quem Socinianum Londini combusserunt; & Genevensium supplicium de Serveto sumtum; approbantibus Theologis Helveticis & Rhæticis, & inter Germanos Melanthone, inter Danos Hemmingio. Quod ad Pontificios, illi ex hypothesibus communis doctrinæ suæ de hæreticis puniendis (vide *Bellarm. de membr. Eccl. milit. lib.* 3. *c.* 21.) Martinum cum suo panegyristâ Sulpitio hîc condemnare debent. Priscillianus enim renovasse dicitur Gnosticorum, & Manichæorum furores, magiam exercuisse, aliaquè infanda & spurca flagitia & patrasse & sectatores suos docuisse. Vide *Augustin. de hæres. cap.* 70. & *Epiphan. hæres.* 26. *Orosium in epist. ad Augustinum, Hieronymum adversus Pelagianos ad Ctesiphontem, Leonem epist.* 93. *ad Thuribium, Lucium Dextrum in chronico ad an.* 384. §. 14.-17. à quibus dogmata recensentur. Quin ipse *Sulpitius lib.* 2. *histor. sub finem*, infamem & exitiabilem hæresin ei tribuit, & magiam ab adolescentiâ exercitam, vagamquè & promiscuam libidinem; deniquè Priscillianum post Synodorum condemnationes, per Evodium Præfectum *gemino judicio auditum, convictumquè maleficii, nec diffitentem obscœnis se studuisse doctrinis, nocturnos etiam turpium fœminarum egisse conventus, nudumquè orare solitum.* Quomodo ergò tantoperè pro Priscilliano laborare potuit Martinus, & hoc ejus factum à Pontificiis excusari? *Non desinebat*, inquit Sulpitius, *Ithacium increpare ut ab accusatione desisteret: Maximum orare, ut sanguine infelicium abstineret: satis superquè sufficere, ut Episcopali* sententiâ hæretici judicati ab Ecclesiis *pellerentur: novum esse & inauditum nefas, ut causam Ecclesiæ judex sæculi judicaret.* Quis non videt hîc anabaptisticum

ptisticum aut phantasticum quem afflatum? *Baronius loc. cit. coll. ad ann.* 385. §. 6. admodum fluctuat. Ut tamen Martinum cum Sulpitio defendere, & zelum Ithacii aliorumque Episcoporum condemnare possit, hunc colorem quærit: Quod pœna capitis adversus hæreticos non debeat procurari ab Episcopis: & addit, morem esse in Ecclesiâ Catholicâ, ut quoties opem Magistratuum contra hæreticos implorat, hanc contestationem consultè præmittat, se sic incorrigibilium correctionem petere, ut citra pœnam sanguinis puniantur. Sed ad confusionem Martini, Sulpitii, Baronii ista notentur. 1. *Non* probari Ithacium rerum capitalium judiciis astitisse: Quin ipse *Sulpitius* ferè in *fine lib. cit.* contrarium testari cogitur; quamvis virulentam suspicionem contra eundem concitare conetur. Hâc hypothesi sublatâ, nihil est quod in Ithacio à Pontificiis, secundùm ipsorum Theologiam culpari possit. 2. Nec probatum, Priscillianum judicio Ecclesiastico jam bis legitimè condemnatum, & confugientem ad Imperatorem, non debuisse illic accusari, ut judicium Ecclesiasticum & judices excusarentur. 3. Multò minùs probatum, judicem Politicum non posse quid statuere contra ejusmodi flagitia. 4. Minimè omnium probatum tantam pietatem fuisse, quòd quis protantorum flagitiorum (ut hæreses & horrendas blasphemias præteream) reo & convicto tantâ cum contentione usque ad scisma, intercederet; & Episcopos, qui monstrum hoc hominis apud Imperatorem, quò ipsi non provocârant, sed volentes nolentes tracti erant, accusabant, communione indignos judicaret, immò & sceleris argueret: quorum illud fecit Martinus, hoc *Sulpitius*. Vide *Hist. lib.* 2. & *Dial.* 3. *sect.* 15. Nec mirum fanaticos & Pythagoricos illos homines phantasticâ hâc sanctitate voluisse excellere, cùm Martinus piâ mente miseratus leporem morti subtraxerit, & canibus mandaverit: teste *Sulpitio Dial.* 2. *sect.* 10. Idemquè *Sulpitius Dial.* 1. *sect.* 8. lupæ titulos personæ, reatus, sceleris, conscientiæ, profundi pudoris, pœnitentiæ, & quid non adscribat; concludens stolido & blasphemo epiphonemate ibi legendo, *Dial.* 2. *sect.* 9. *intellectum* vaccæ tribuat, eamquè ante pedes Martini prostratam, ab illo accepisse dicat mandatum, ad gregem suum revertendi. Conferantur *Franciſci conformitates* de asino, lupo, corvo &c. Certè ex facto Martini & contentioso Sulpitii judicio, nihil directè adferri potest c. promiscuum & injustum Papistarum hæreticidium, nisi quis ad hominem velit argumentari: nec Pontificii Martinum & Sulpitium hîc excusare possunt, nisi propriam doctrinam condemnent. *Bivarius ad chronicon Dextri p.* 403. Idatium, cui Martinus adversabatur, & cui Sulpitius tàm impotenter detrahit, tuetur, & *pag.* 408. 412. *justam* pronuntiat *Priſcilliani punitionem*. Ergò injustè egit Martinus cum suo Sulpitio. 11. *Probl.*

An apud omnes Theologos antiquos, & mediæ ætatis, & deinceps tanti habitus fuit Martinus, quantum eum de prædicat & planè Apostolis parem facit *Sulpitius*, præsertim *c.*26.& *hist.l.*2.& *dial.*1.*sect.*17.& *dial.*3.*sect. ult. Resp.* 1. Pauciſſimi ex antiquis Patribus de illo loquuntur. Et ſi quis in genere quid de ejus ſanctitate ex auditu referat, is tamen non intelligit talem, qualem depingit *Sulpitius*, aut propiùs ejus vitam & geſta non habuit perſpecta. Quin ipſe *Sulpitius*, fatetur fuiſſe inter Epiſc.& Cleric., qui eum tanti non facerent: quos ille ideò vocat æmulos virtutum ejus *c.* 7.& *ult.& ep.* 1.& *dial.* 1.*ſect.* 18. Idacius Martinianum Montaniſmum cum Priſcilliano ſymbolizantem improbabat, & ejus ignorantem zelum hæreſios accuſabat: quem propterea *Sulpitius lib.* 2.*hiſt.* multis conviciis inceſſit. Quod ad paritatem Apoſtolicam in ſanctitate & miraculis, *Belethus c.*143. quærit eam in igneo globo, qui ſupra caput ejus conſpectus fuit (de quo *Sulpit.dial.*2.*ſect.*1.2. & 3.*ſect.*14) cùm curtis manicis, & nudatis brachiis celebraret, *quo quidem declaratum fuiſſet* deſcendiſſe in eum Spir. Sanct., ſicut in Apoſtolos. Quem ſequitur *Durantes in Rational. loc. cit.* Qui reliqua ejus admiranda vix videtur credidiſſe. Quàm parvi fecerit eum Briccius, poſteà ſucceſſor illius factus, conſtat ex eo, quòd illum *delirum* ſæpè vocaret, & phantaſmata ac ſuperſtitiones exprobraret, teſte *Sulpit.dial.*3.*ſect.*20. Etiam tenebricoſâ illâ ætate, fuiſſe, qui longè aliter de eo ſentirent, docet *Guiberti Abbatis Gemblacenſis Apol.pro Martino & Sulpitio*: cujus meminit *Poſſevin.* III.*Probl.* Cur noſtri qui Legendas, & fabuloſos legendarios, datâ occaſione perſtringere ſolent, Sulpitio magis videantur peperciſſe; ſaltem rarò eum attigiſſe, quod ſciam. *Reſp.* An quia ſtylus eximius, & opera non malè præſtita in hiſtoriâ ſacrâ, præteritionem aliquam illi conciliavit? An verò reverentia vetuſtatis, & ætatis tam eruditæ, quâ vixit Sulpitius, rigidiores cenſuras avertit? IV. *Probl.* An ergò planè contemtum velimus Martinum, & ex numero ſanctorum, quos κατ' ἐξοχὴν ſic vocamus, expungendum? *Reſp.* Equidem ab illo tam multa abſurdè & imprudenter commiſſa, & multa abſurdiùs de illo buccinata æterno ſilentio tecta relinquerem; ſiquidem liceret per inſipientem eorum ſuperſtitionem, qui illum tanquam tantum ſanctum & Patronum honorare, eumque ſupra alios verè ſanctos imitandum proponere non deſinunt.

6. His ita diſputatis elicimus aliquot Conſectaria: quorum 1. De ſtatu & hiſtoriâ antiquę Eccleſiæ, non ſine judicio & magnâ cautione ſentiendum eſſe: ita ut non immeritò ſuſpicari liceat, ſaniora & ſolidiora doctrinæ ſacrę meletemata & monumenta, nonnunquam pro ſtudio ſcriptorum & Doctorum tunc Epiſcopali, aut Archiepiſcopali, aut Patriarchali poteſtate

ſtate ſuffultorum, aut obſcurata fuiſſe, aut neglecta jacuiſſe. Adhęc viros ſimplicitatis Apoſtolicæ, & ſcripturariæ puritatis, ac ſolidioris pietatis amantiores, ſilentii tenebris involutos, & monita, exempla, ſcripta eorum preſſa, eoſque ad dignitates, uti vocant, Eccleſiaſticas non ita promotos. II. Torrentem complurium vacuarum obſervationum & ſuperſtitionum, tùm in ritibus cultus publici, tùm in vitâ communi paulatim ſtudio plebis, accedente conniventiâ ac tepore, aut imperitiâ, aut κακοζηλίᾳ, Epiſcoporum, quarto & quinto & imprimis ſexto ſæculo tranſiiſſe: nec tamen inde inferendum, nullos fuiſſe aut ex populo, aut ex clero, qui meliora ſaperent, aut qui meliora ſuſpirarent, aut qui pro modulo inundanti huic malo, quamvis fruſtrà, obniterentur. Vide quæ alibi *part.* 2 *ſelect. diſpp.* diſputamus contra antiquitatem, ſucceſſionem, catholiciſmum Papatus. III. Hiſtoricos Eccleſiaſticos quarti & quinti ſæculi, imprimis Sulpitium Severum, res ſuo tempore, aut ante ſua tempora geſtas, tantâ judicii, prudentiæ, & veracitatis ἀκριβείᾳ non deſcripſiſſe, ut ipſis abſque omni exceptione credendum ſit; nedum ut ipſorum hiſtoriæ in aliquam vel minimam partem principiorum fidei venire debeant. Vide, quæ monemus I. *part. ſelect. diſpp.* in *diſp. de Patribus*, & *lib.* 3. *Deſperatæ cauſæ Papatus ſect.* I. *c.* 7. IV. Vitarum Scriptores, ut *Sulpitium in vitâ Martini*, & qui eos in παρακμῇ Chriſtianiſmi ſequioribus ſæculis ſecuti ſunt, cum judicio legendos: quòd non rarò propriis phantaſmatis nimium indulſiſſe, adhæc rumoribus alibi ſparſis nimis credulè aures præbuiſſe, inſuper affectui in viros illos magis videantur ſtuduiſſe, quàm veritati; adeòquè non tàm hiſtorias, quàm mendaces panegyricos ſcripſiſſe, partim fabuloſa à ſtolidâ plebe aut ſubdolis Clericis relata in chartas conjiciendo, partim mangonio & phaleris ſuis hyperbolicis eadem exornando. Vide quæ hactenus de Sulpitio & de Martino notavimus. V. Martinum, quamvis in ritibus & vacuis, ſi non Montaniſticis, ſuperſtitionibus ſimiliorem Papiſtis, & quod ad fundamentalem fidem ac fiduciam in Chriſtum non parùm aut ignorantem & ſecurum, aut nobis ſaltem obſcurum, atquè incognitum; non tamen probari poſſe, in formâ Papiſtam fuiſſe: Et quidquid de illius ἰδιοζηλώμοσυνῃ & phantaſticâ ἰδιοσυγκρασίᾳ fuiſſet, ejuſque tolerantiâ; minimè tamen concludi poſſe, univerſalem Eccleſiam, omneſquè probatos Eccleſiæ Doctores, ipſo longè doctiores ac prudentiores, religione & praxi fuiſſe Martinianos & Sulpitianos: nedum ut fuerint Papiſtæ. Confer *part.* 2. *ſel. diſpp. diſp. noſtram de Methodo elidendi Succeſſionem, Antiquitatem, catholiciſmum Papatus.* VI. Nullam Martini, aliorumq; ſanctorum tutelariũ & Patronorum ſuperſtitioſam conſcientiam & memoriam retinendam, ſed contràab Eccleſiaſticis eccleſiaſt., à Politicis politicè (quantum in ipſis eſt) exſtir-

ſtirpandam. Quod fiet, ſi imagines, inſignia, feſtivitates, confraternitates, denominationes, aliaquè antiquæ ſuperſtitionis veſtigia, quantum fieri poteſt, penitùs aboleantur, modo in *diſp. de Idololatriâ indirectâ & participatâ* indicato. VII. Pontificios legendarum & vitarum Scriptores, imprimis Poſtilliſtas & declamatores in ſermonibus de ſanctis, hoc agere ſive ſtudio, ſive per imprudentiam, ut eos in mortuorum ſuſcitatione, aut aliorum miraculorum frequentiâ, magnitudine, aut in vitæ ſimplicitate, aut tranſcendentali obedientiâ, aut in laborum & mortificationum rigore, ſupra ipſos Apoſtolos, & antiquos martyres, ac Patres doctrinâ & pietate celebres, quin etiam ſupra ipſum perfectionis exemplar Dominum Jeſum longè extollant. Conſulantur modo blaſphemæ *conformitates Franciſci, vita Dominici, Ignatii, Xaverii*, &c. & *Martini Turonenſis*, prout à *Sulpitio, Odone, Legendâ aureâ, Antonino*, & in *concionibus Iacobi de Voragine, Gabrielis Biel, Roberti de Licio, Franciſcani* & *epiſcopi Aquinatis in ſermonibus de laudibus ſanctorum*, Antwerpiæ 1490. apud Gerardum de Leeu, decantatur. *Rathbodus* 14. Epiſcopus Ultrajectinus *laudes Martini peculiari libro* complexus eſt, adhæc integrum de Martini tranſlatione officium compoſuit. *Adelboldus* 19. epiſcopus ſcripſit *vitam Martini* teſtibus *Trithemio* & *Poſſevino*. Sed utriuſquè ſcripta de Martino, edita an in edita ſint neſcio: ſaltem hactenus non vidi.

DE DIVIS SEU SANCTIS QUIBUSDAM CHIMÆRICIS.

PRIMA Quæſt

DE URSULA & 11000. VIRGINIBUS.

Reſp. JOANNE PETRO CUPIO Ultraj. *Ad diem 16. Nov. 1644.*

1. MYſterium iniquitatis in Papatu magnam partem conſtat in idololatriâ, & mendaciis: quæ utraquè inſigniter ſe exerunt in cultu & invocatione ſanctorum. Hæc profunda Satanæ ac Babylonis ſi quis uſquè ad fundum penitiſſimè luſtrare & detegere velit, is tractatus ſequentes in bibliothecis conquirat. 1. De vitis ſanctorum & martyrologia, cum annalibus eccleſiaſticis. 2. De Beatificatione & Canonizatione ſanctorum. 3. De reliquiis ſanctorum. 4. Miſſalia, Breviaria, Hymni; cum tractatibus, de Litaniis, Officiis,

ficiis, Missis, cum Calendariis Ecclesiasticis, & Martyrologiis. 5. De Festis sanctorum, cum Vigiliis, Octavis, & Jejuniis. 6. De Templis & Altaribus. 7. De ordinibus religiosis sanctorum. 8. De Fratriis seu Fraternitatibus Sanctorum. 9. De picturis & imaginibus. 10. De Miraculis sanctorum. 11. De apparitionibus, revelationibus & prophetiis. 12. De peregrinationibus ad sanctorum loca & reliquias. 13. De processionibus ad eadem. 14. De libris & scriptis sanctorum: ut hic compendio quis studeat, ex recentioribus consulat, *Posse vini apparatum sacrum*, & *Phil. Alegambe bibliothecam*. 15. De dictis & factis seu exemplis eorundem, quæ peculiaribus eclogis & collectaneis edita sunt. 16. De inventione & translatione cadaverum & reliquiarum; & libelli precum. Atquè hic apparatus generalis ad cultum sanctorum pernoscendum ac describendum. Apparatum cujusquè sancti in particulari, ubi res ita postulârit, facile erit cuiquè secundùm hos titulos investigare. Nos exemplum dedimus in B. Mariâ, *disp. de Rosariis, Litaniis*, &c. ubi vide. Animus nunc est horrendam idololatriam, & damnosa Papatus mendacia detegere in non entibus seu mentitis ac chimæricis ipsorum Divis & sanctis.

Possunt autem mentiti & chimærici Divi seu numina dici 1. Univer- 2.
saliter omnes, & omnia, qui & quæ ab ipsis religiosè coluntur, præter unum Deum Patrem, Filium, Spir. sanct.; qualia sunt præter rationales creaturas, angelos (scil. & homines; infinitæ imagines, reliquiæ, aliæquè res sacræ ipsis sic dictæ & adorabiles: de quibus vide *disp. nostram de Sacramentalibus*. Quæ & quos formaliter sumtos, tanquam numina & objecta adoranda (ex opinione & praxi eorum qui colunt eos) phrasi scripturæ appellare debemus idola, & אלילים, & און hoc est μάταια, Actor. 14. 14. q.d. *nihilitates, vanitates, mendacia*, Doctores mendacii *Ierem.* 10. 8. 14. *Habacuc.* 2. 1. *Zachar.* 10. 2. quæ nihil sunt in mundo 1 *Corinth.* 8. 4. formaliter scil. considerata ut σβάσματα; quia nihil sunt ejus quod esse putantur & dicuntur tum falsâ fide tum falsâ professione & falso cultu idololatrarum. Papistarum sanctos quà sanctos ergò non dicimus esse putatitios & chimæricos, qui reverâ fuerunt tales, sed eos omnes dicimus esse mentita numina, putatitios & chimæricos Divos 11. Specialiter Divos quosdam materialiter consideratos sive ut homines existentes, sive ut homines sanctos, vocamus fictitios, & chimæricos: quia aut nunquam fuerunt in rerum naturâ; aut saltem nunquam reverâ fuerunt sancti; aut non sunt tales ex hypothesi & fide Papisticâ. De posterioris generis chimæricis Divis nunc agemus. Quos distribuimus in duas classes. *Prior* classis continebit illos. *Qui* revera nunquam fuerunt: saltem eos fuisse nulla fide humanâ & vulgari historicâ constare potest; quales sunt, Ursula cum

11000. Virginibus, Catharina, Christophorus, Georgius, Margareta, Septem dormientes, Longinus, Tres Reges, Martialis, &c. 2. *Qui* fuerunt quidem, aut potuerunt esse homines; sed minime probari potest fuisse sanctos: quippe hæretici, aut improbi & persecutores ecclesiæ, aut fatui & phantastice superstitiosi; quales, Simeon Stylites, Dominicus, Franciscus, Brigitta, Elizabetha Schanowgia, Ignatius Loyola &c. *Posterior* classis, continebit illos. 1. *Qui* pro sanctis antehac vulgò honorati, nunc sanctorum titulis exuti sunt: quales Eusebius Emissenus, & similes quàmplurimi, qui antehac cum præfixo S. signari solent, nuncautem inermes comparent. 2. *Qui* etiam Papaliter canonizati, posteà eâdem autoritate excanonizati & degradati sunt: quali: Hermannus de Ferrarâ. 3. *Qui* nunquam canonizati sunt; nihilominùs jam sæculis aliquot tanquam sancti & Divi coluntur, Papis plerunquè invitis, tandem permittentibus aut conniventibus: qualis ex. gr. Rochus. Incipiamus ergò à classis prioris chimæris, inter eas, Ursulâ, cum suis virginibus. Ubi hanc methodum servabimus, 1. Præmissâ & præsuppositâ narratione mythologicâ, 11. Statum controversiæ à parte nostrâ, seu thesin negantem constituemus; eamquè argumentis & demonstrationibus (pro subjectâ materiâ) firmabimus. 111. Antithesin adversariorum, seu thesin affirmantem cum rationibus & exceptionibus suis refutabimus. 1v. Porismata educemus.

3. Mythologiam præsupponimus (non describimus, propter chartæ angustiam) ex *Legendâ aureâ, cap.* 153. cujus duabus editionibus utar, cùm verba nonnulla infrà citabo; unâ scil. Argentinensi, anno 1492. in fol., & alterâ auctiori & emendatiori (uti titulus præse fert) per *Claudium à Rotâ* Theologum Dominicanum, Rhotomagi apud Petrum Regnaud 1546. in fol. ubi est *cap.* 154. Cum *Legendâ* conferri possint *Beda in histor. ecclesiast. Anglorum*, quam deduxit ad ann. 731. Nova editio *operum Bedæ* Coloniensis anno 1607. (ni fallor) frontispicium pictura navium seu classis, quæ veheret hunc Virginum exercitum, exornat. *Gaufridus Monometensis*, posteà Episcopus Landaphensis, *de rebus gestis Anglorum*, eandem historiam refert, sed haut paulò aliter: ita ut *Lindanus* apud *Baronium*, *in notis ad martyrologium Romanum, ad* 21. *Octobr.*, sibi eâ minimè satisfactum testetur, aliamquè ideò interpolationem commentus sit: quam ibi vide. Meminit ejusdem historiæ sed absquè explicatis circumstantiis, *Martyrologium Romanum ad* 21. *Octobris*. Meminit & Martyrii virginum Coloniæ (absquè nomine Archiducis Ursulę) *VVandelbertus Prumiensis in martyrologio metrico*, quod scripsit circà anno 830: edidit illud Molanus unà cum Usuardo. Cum *aureâ Legenda* ferè convenit (teste *Baronio*) *Mombritius tom.* 2. *de vitis sanctorum*, *Petrus de Natalibus in Catalogo lib.* 9. *cap* 87. *Surius in vitis sancto-*

ſanctorum tom. 5. *Bonfinius de rebus Hungaricis decad.* 1. *lib.* 5. His adjungi debet *Vincentius in ſpeculo hiſtor. Antonini hiſtoria, Philippi Bergom. ſupplementum Chronicorum* & de *claris mulieribus; Otto Friſingenſis* ? *Hermannus Schedel* Doctor Nurembergenſis (qui ſcripſit anno 1496.) in *Chronico ætate ſexta fol.* 156. titulus libri eſt; *Liber chronicarum cum figuris*, &c. Auguſtæ 1497. in fol. *Miræus in faſtis Belgicis* Metamorphoſin hiſtoriæ inſtituit, aliamquè prorſùs ſubſtituit idquè ex ingenio, & per *conjecturam*, uti ipſe loquitur: qui idcircò infrà citandus erit. *Molanus in Natalibus ſanctorum Belgii ad* 22. *Octobr.* indicatâ modò hiſtoriâ, addit Cuneram unam ex ſociabus Urſulę, apud Rhenanos, in territorio hoc noſtro Ultrajectenſi valdè celebrem eſſe, quòd eò loci paſſa ſit. Refert *ibidem*, inter illas ſocias etiam à quibuſdam numerari Germanam & Luciam, Principis Flandrenſis filias, cum matre Theodorâ. Addit ex diverſis cauſis multa corpora virginum ſparſim in Belgio haberi, Coloniâ advecta: citatquè *ibidem Martyrologium monaſterii S. Amandi, & Mejeri annales Flandriæ ad ann.* 1279. *Surius*, ejuſquè epitomator *Haræus* Ultrajectinus, (ut & *Lindanus* apud *Baronium*) hiſtoriam amplificant à conſequenti devotione & religione Colonienſium erga corpora virginum, & templi ædificatione atque inſtauratione, nec non monaſterii nobilium virginum. Eandem amplificationem auget *Ægidius Gelenius in hiſtoriâ proceſſionis Colonienſis* anno 1639. cui tit. *Colonia ſupplex* p. 60. ubi ex eodem Urſulano templo in aciem producit duos reges (quorum alter Æthereus ſponſus Urſulæ) ſocios parthenicæ ſocietatis & virgineæ claſſis; qui martyrio affecti, eodemquè in ſacrario conditi, *tanquam ſingulares Vrbis Agrippinenſis apud Deum patroni invocantur.* Attingit eandem *hiſtoriam Gerbr. Leidenſis in Chronico Hollandiæ; Hadr. Iunius in ſua Batavia*, quem etiam citat *Miræus in faſtis Belgicis p.* 596. 597. *Molanus in additionibus ad Vſuardum* 21. *Octobris; Matheneſius* Canonicus & Profeſſor Colonienſis, in *Theophoriâ Colonienſi pag.* 97. 80. Nec prætereundi autores, qui Hiſtoriam (& conſequenter cultum ei ſubnixum) non quidem explicant, ſed præſupponunt & approbant. Quales; *autor ſermonum theſauri novi de ſanctis ſerm.* 142. ubi ſub hoc titulo tractat de excellentiâ virginitatis. Conferri poterunt & alii *concionatores de feſtis ſanctorum. Miſſale, Breviarum*, & *Rituales* infrà citabo. Imprimis huc faciunt monumenta Colonenſia notata in *Theatris Vrbium, Itinerariis, topographis.*

Demonſtrationes (pro ratione ſcil. materiæ, juxta doctrinam *Philoſophi lib.* 1. *Ethic. ad Nicom. cap.* 3.) contra hanc fabulam ſic inſtruimus, ut alię ſint externæ ſuæ aſſitæ, aliæ internæ ſeu inſitæ. *Illæ* ſunt triplices 1. ex ſilentio hiſtoricorum, & teſtium, illius temporis, immò etiam aliquot ſe- 4.

quentium sæculorum: qui hîc loqui debebant. 2. Ex insufficientiâ testium, qui hîc loquuntur: quorum pleriquè intestabiles sunt, alii dubiæ fidei: ideoquè à testimonio in re tanti momenti dicendo submovendi. 3. Ex testimoniis, testibus & semi-testibus contrariis, etiam adversæ partis: ex quibus tantò faciliùs apparet, eos esse ἀυτοκατακρίτους. *Istæ* ducuntur 1. ex nullitate temporis. 2. Ex nullitate loci. 3. Ex absurdis & ἀσυσταθείς in descriptione & assignatione personarum, rerum, dictorum, factorum. 4. Ex variis contradictionibus. 5. Quibus tanquam supernumeraria addi potest, ab indicio originis erroris, seu fabulæ. Erunt ergò octo nobis loca inventionum, quæ in hâc non tantùm, sed etiam in aliis quibuscunquè controversiis historicis à studiosis nostris observari & respici velimus. Sit ergo. 1. *Arg.* Scriptores & Historici istius temporis, immò & sequentium aliquot sæculorum, sive politici sive ecclesiastici, sive universales sive particulares nationum, regnorum &c. nihil tale referunt: sed primi, qui memorabilis hujus historiæ meminisse dicuntur, sunt *Wandelbertus Prumiensis* anno 850. *& anonymus scriptor vitæ Cuniberti* Episcopi Colonienſis. Quorum *ille* tamen in genere & indefinitè virgines cæsas dicit (Ursulę enim & reliquarum circumstantiarum altum apud ipsum silentium): *iste* basilicam sanctarum virginum solummodò memorat. Scriptores autem, apud quos memorabilis hæc historia exstare debebat, sunt; *Eusebius, Socrates, Sozomenus, Euagrius, Theodoretus, Philostorgius*, seu mavis *Photius* ejus *epitomator*, *Sulpitius Severus, Paulus Orosius, Cassiodorus* seu autor *historiæ tripartitæ*. Ne quid dicam de *martyrologio Vsuardi*; deque *historicis illis*, qui res *Imperii Romani, Germanorum, Hunnorum* scripsere. Esse autem tale argumentum alicujus momenti, docebit *Bellarminus lib. 3. de Pontifice cap. 24. & ibidem hyperaspistes ejus Gretserus*; & *Baronius ad ann. 853.*, *Gretserus in Mystâ Salmurienſi contra Plessæum cap. 38. Serrarius lib. 1. rerum Moguntiacar.*, adeoquè omnes Pontificii jam inde à *Florimundo Raemundo* seu anno 1566. usque in hunc diem, *in controversiâ historicâ de Papissâ Iohannâ*. Ibi enim palmarium argumentum ipsis facit, quòd scriptores coætanei Papissæ non meminerint, sed primus *Martinus Polonus* anno 1288., hoc est, 430. annis pòst. Quàmvis hoc verum non sit: nam ante Martinum scripserat hæc *Marianus Scotus* anno scil. 1083. Sed de hoc nolumus nunc contendere. Similiter argui & excipi solet in controversiis historicis de Liberio, dequè aliis Papis hæreticis, Magis, improbis nebulonibus; de translatione Imperii, de Monarchiâ Siciliæ, de donatione Constantini, de adventu Jacobi in Hispaniam &c. Applica modo ad præsentem controversiam. Historiæ Virginum primi meminere *Beda in Martyrologio* (teste *Baronio*; nam ipse Beda ad manum

num non est) ann. 731. aut *V. Vandelbertus Prumiensis* anno 850. uti vult *Miræus in fastis Belgicis p.* 629. Historiam de Ursulæ origine, profectione, gestis &c. primus post *revelationes Elizabethæ* exhibuit *Iacobus de Voragine* Episcopus Januensis seu Genuensis circa ann. 1300. Atqui res Ursulanæ gestæ dicuntur anno 238. aut uti recentiores nunc corrigere & conjicere malunt, anno 383. (sic *Miræus. pag.* 628.) *Lipsius in epistolâ ad „Cambdenum*, opinioni de Constantini patriâ hæc solùm opponit: Legi „quæ pro Constantini patriâ & veteri de eâ sensu, scripsisti. Inquisitè & „eruditè, non nego: sed in quibus parùm etiam comperti esse, mihi videbatur. Vestri ita: (Britanni scil.) quis aliorum adsentit? Non *Beda*: „quod jure observes. Ille antiquus & fidus, an gloriæ gentis suæ non favit? Atqui ubi locus dicendi erat (*Histor. lib.* 1. *cap.* 8.) duntaxat ex *Eu„tropio* creatum in Britanniâ Imperatorem scripsit. Cæteri vestri quàm fabulosi, non nescis. Quomodo hanc Lipsii exceptionem refutaverit per eruditus & operosissimæ lectionis vir *Iac. Usserius*, videat, cui vacat in *Antiquit. Britannic. eccles. c.* 8. Sufficit hæc adduxisse, ut constet, quomodo historici disputatores argumentari soleant.

11. *Arg.* Est ex insufficientiâ testium, 1. *Quia* sunt notoriè mendaces, & consequenter intestabiles, nec ab ipsis adversariis admittuntur. De *Legendâ aureâ* notum est, quid Espenceus Theologus Parisiensis censuerit, appellans eam legendam terream (referente *Thuano in hist. l.* 16. ad 1555. & *Lud. Vives, qui lib.* 2. *de corruptis disciplin.* autorem ejus dicit fuisse plumbei cordis & ferrei oris. De *vitis sanctorum & martyrum* in genere sic Melchior Canus l. 11. locorum Theologicorum cap. 6. p. 650. *Dolenter hoc dico potiùs quam contumeliosè, multò à Laërtio severiùs vitas Philosophorum scriptas, quàm à Christianis vitas sanctorum* &c. Vide reliqua. Postea subdit: *Mendaci quippe homini ne verum quidem credere solemus*, &c. Vide reliqua ibid. *Baronius in annalibus*, & in *notis ad martyrologium*, passim excipit adversus fidem eorum qui vitas scripserunt: nominatim de *historiâ Ursulanâ* (quam *Legenda*, ejusquè interpolator *Cl. Rota, Richardus Pramonstratensis apud Mambritium, & Surius*, & *Petrus de Natalibus* describunt) in notis ad martyrol. 21. Octobr. sic statuit: *Accidit in his quidem, ut deperditâ verâ germanâque earum virginum historiâ, quisquis (ut libuit) sive quæ suo ingenio commentatus fuerit, sive quæ ab aliis levi quodam vulgi rumore accepit, scripturæ monumentis commendârit, non sine magno veritatis detrimento, cùm gravissimam historiam commentitiam pænè reddiderint.* Postea post aliam fabulæ interpolationem ex Gaufrido recensitam, subjicit: Hæc quidem *nobis longè magis probantur, quàm alia prædictorum figmenta ab omni etiam verisimili ratione remota.* Idem de eâdem historiâ judicant autores Pontificii, proxi- 5.

mè sequenti argumento citandi. De *Bedæ historiis* Melchior Canus loc. modò cit. p. 658. *Eas probarem magis, si earum autor juxta præfinitam normam rei veritati judicii curam in eligendo majorem adjunxisset.* De *Elizabethæ Schonavvgiæ revelationibus* infrà in responsione ad objectiones dicendum. 2. *Quia* primi scriptores (*Beda, VVandelbertus Prumiensis, autor vitæ Cuniberti*) qui indefinite virginum quarundam cæsarum meminerunt, longè ab illo tempore remoti sunt; qui verò historiam ipsam describunt, longè remotiores: ut *Rogerius Cistercienſis*, qui *peculiarem librum de illis* scripsit anno 1180, teste *Posſevino in appar.* quamvis dubitet *Baronius loc. cit.* an non autor ejus sit *Richardus Præmonstratenſis*, qui vixit an. 1100, cuique vitam Ursulæ attribuit Idem *Posſevin. in appar.* Ex alterutro (fortè ex utroquè eorum) sua descripsisse *Mombritium* testatur *Baronius loc. cit.* Ex his fabularum consarcinatoribus cùm posteriores sua hauserint: facilè constat, quantum testimonio eorum tribuendum sit. *Iacobus de Voragine* compilator Legendæ aureæ floruit circa annum 1300. *Gaufridus*, quem in auxilium advocat *Baronius*, floruit post annum 1160. 3. *Quia*, nec priores testes, nec posteriores, tanquam auxiliares nuper ex desperatione huc advocati, inter se conveniunt: uti ex comparatione utriusquè fabulæ videre est. Adi *Baronium loc. cit.* Quare ergò illis magis aut minùs credam, quàm istis? præsertim cùm ipse *Baronius*, imprimis *Lindanus ibidem cit.* Gaufridi fabulæ non credant, eamquè de novo interpolent. Cur mihi non liceat pronuntiare de Gaufrido, aliisquè recentioribus mythologicis & conjectatoribus, quod Baronio de antiquis & primis testibus. *Harum historiam diversimodè à diversis scriptam reperimus.* Et post recensitam priorem seu antiquam fabulæ compositionem: *Accidit in his quidem, ut deperdita vera germanaque historia* &c. Vide supra. Dicam de testibus quibuscunquè & quomodocunquè subornatis, quod *Math.* 26. 60. cum *Marc.* 14. 56. 4. *Quia* testes in testimonio dicendo sibi ipsis non fidunt, nec constant. *Iacobus de Voragine* qui auream Legendam consarcinavit, & *Claudius Rota* qui eandem interpolavit, (quem posteriorem *Baronius* exsertè citat tanquam autorem principalem, dissimulato infausto nomine Legendæ aureæ) sic ipsam fidem hujus fabulæ elevant: *Passæ sunt autem anno domini* 238. *Ratio autem temporis non sustinet, quòd hæc tali tempore sint peracta &c. Verius creditur, quòd diu post Constantinum &c. tempore scil. Martiani Imperatoris, ut in quâdam chronicâ legitur, qui regnavit anno* 452. 5. *Quia* antiquiores, quos huc advocant testes, ut simplicioribus fucum faciant, *VVandelbertus*, & *scriptor vitæ Cuniberti* illa non testantur de Ursulâ & virginibus, quibus jam sæculis aliquot saccaria Romana ludificavit plebem Christianam immò & ipsos concionatores ac Doctores publicos;

quibus-

quibusque religionem suam & millenas superstitiones superstruxit. Conferantur, quæ ex *VVandelberto & scriptore vitæ Cuniberti* adducit *Miræus loc. cit.* Ne dicam incertum esse, quis fuerit autor vitę Cuniberti, & quando scripserit. Ipse Cunibertus decessit circa annum 697. Sed quando miracula & vita ipsius descripta sint, non indicat *Miræus*, qui scriptorem hunc advocat, aut *Possevinus in appar.*, aut *Surius*, qui eum transcripsit. Argumentum hoc secundum ab insufficientiâ testium, quibus nec ipsa pars adversa stare velit, quantum valeat in controversiis historicis, docebunt *Baronius in annalibus, Bellarminus in controversiis de Pontifice, Gretserus ibidem* & imprimis in *libro contra Mysterium iniquitatis Plessæi*, ut & *Couffetellus contra eundem Plessæum*, & *Iesuitæ in suis apologeticis pro Garneto.* Ne quid dicam de Jurisconsultorum sanctionibus aut placitis, in materiâ de Testibus.

III. *Argum.* ex testimoniis & testibus contrariis, imprimis eorum qui ἐξ ἐναντίας. Esse nonnullos innuit Gelenius in Coloniâ supplice p. 59. *Certè Vrsulanæ sodalitatis immortali laude, quam frustrà diaboli malitia, hæreticorum insania, & (paucorum tamen) Catholicorum indocta vecordia dissipare conata fuit, latiùs unius Coloniæ nomen & honor, quàm ipsius Germanicæ nationis notitia effulsit.* Quot & quos ille ex suis designet, ignoro. Mihi occurrunt nunc isti, *Gobelinus Persona* Decanus Bilfeldensis, & officialis Paderbornensis (qui scripsit anno 1418.) *in Cosmodromio seu chronico universali ætate 6. cap. 14.* quod recusum est in offic. Wecheliana anno 1599. in folio. Nullam ejus mentionem facit *Possevinus in apparatu*: an oblivione aut incuriâ, an potiùs studio, disquiri potest? Refutat autem *Gobelinus* has fabulas (uti loquitur.) 1. Ex eo, *quòd* nullus fuerit Papa Cyriacus. 2. *Quod* nomen Hunnorum, qui eas occidisse dicuntur, nondum mundo cognitum esset, nec illi egressi Mæotides paludes. 3. *Quòd* regnum Angliæ tunc nondum ortum esset: non potuisse ergò patrem Ursulæ fuisse regem Britanniæ, & sponsum ejusdem regem Angliæ. 4. *Quòd* Sicilia nondum tunc regnum esset. 5. *Quod* non fuerit tunc civitas nominata Constantinopolis: *de quibus omnibus*, inquit, *prædicti fabulantes aliquos homines vel fœminas in virginum prædictarum comitatu fuisse, asseverant.* 6. *Quod* non sit „verisimile, Christianos illis temporibus ita publicè urbem Romam potu„isse visitasse in tantâ comitivâ: cùm necdum solitum erat, eandem ur„bem, paucas adhuc habentem ecclesias, pro indulgentiis visitari; nec et„jam aliqui Imperator fidem Christi adhuc susceperat. Addit ibidem fa„bulam hanc ortam ex monachâ vel inclusâ apud Sconowgiam, quæ circa anno 1156. asseruit talia & multa alia sibi revelationibus divinis patefacta: se ejusmodi revelationes perlegisse, & in multis contrariari chronicis & 6.

cis & historiis: sequè ea quæ collegerat contra illas revelationes, in quantum historiam prædictarum virginum contingunt, Coloniam examinanda destinasse, sed non valuisse obtinere solutionem eorum: quamvis plures viri solennes & magnæ reputationis illa perlegissent. *Idem autor c. seq. p.* 151. in dubium vocat historiam Catharinæ. Ne quis autem fidem & judicium hujus historici contemnat, observent juniores, quæ de illo annot. *Cassander in notis ad hymnum Catharinæ; & Cl. Vossius* in præclaro opere *de hist. latinis:* quòd sc. ex hoc fonte hauserint sua *Crantzius in Metropoli Herm. Kesenbroch in Catalogo Episcop. Paderborn., Canonicus regularis, autor magni chronici Belgici;* quòdquè *Molanus & Surius* ex eo habeant vitam Meinulphi Episc. Paderbornensis, & hanc vitam ex *M. SS.* ediderit *Christ. Brouverius.* Atquè hic primus sit contrarius testis. Secundus sit *Baronius*, qui in *notis ad martyrologium* apertè historiam traducit, tanquam omni veritate immò & verisimili destitutam. Quòd autem præ se ferre vult, aliâ sellâ sedere se posse, hoc est, refugium in hâc desperatione (quandoquidem ecclesia Romana memoriam earum quotannis celebrat) aliquod restare in substitutâ *historiâ Gaufredi*: illud infrà diluemus in solutione objectionum. Satis enim *in annalibus ad ann.* 383. §. 2. ostendit se esse ἀντικατάθεσιν. *Tertius* sit *Lindanus* apud *Baronium in martyrologio*; qui nec antiquâ, nec novâ fabulæ poësi contentum se ostendit. Vide quæso ambages novæ ipsius interpolationis. *Quartus* sit *Aubertus Miræus in fastis Belgicis p.* 628. qui quamvis labanti causæ succurrere velit, tacitè tamen satis contra eam testatur, & interioris conscientiæ recalcitrationem cum *Baronio & Lindano* sentire se prodit. Novam enim & quartam commenisci tur fabulam, eamquè vocat *conjecturam*, & probatam dicit, ab ipso consultis *Barthol. Petro* Theologo Duaceno, *Heriberto Rosvveido & Ægid. Buccherio* Jesuitis, *& Nicolaus Fabro* Ludovic. XIII. Regis Galliarum præceptori, deniquè *Marco Velsero* duûm viro Augustano: quem postremum tamen ut approbatorem secundę fabulę ex *Gaufrido* concinnatæ laudat *Baronius in annalibus ann.* 383. §. 2. Consistit autem anima hujus conjecturæ in eo, quod anno 383. cum *Maximus è Britanniâ in Galliam festinanter trajiceret, indubiè ingens erat virginum sexus utriusquè ac mulierum turba, ab universo ejusdem Maximi exercitu, tanquam subitæ expeditionis impedimentum in Britanniâ, tantisper dum res melius fluerent relicta. Quæ quidem turba cæso Gratiano, partâquè jam per Maximum victoriâ, dum ad parentes, amicos, propinquos per ostia Rheni, perquè Veronam Frisiorum &c. eodem quo illi prius itinere venerant, duce agminis Vrsulâ properat, in Hunnos Grattani fautores incidit,* &c. Eâdem arte & methodo compositas arbitror historias Amadisi, & historias Æthiopicas Heliodori, & Simeonis Metaphrastæ,

phraſtæ, qui (teſte Bellarmino de ſcriptor. eccleſiaſt.) ſcripſit *hiſtorias de vitis ſanctorum, multis additis ex proprio ingenio, non ut res geſtæ fuerunt, ſed ut geri potuerunt* &c. *Quintus* teſtis ſit *Ioh. Heſſels de Lovanio*, Regius, cùm viveret, Profeſſor in *cenſurâ de quibuſdam ſanctorum hiſtoriis*, quam cum *Vſuardo* ſuo edidit *Molanus*; *ad 21. Octobr. Placet ſermo: hiſtoria paſſionis toleratur.* Tolerantur ſcil. mala, non probantur. Quæ porrò contraria teſtimonia hic adduci poſſent, ad ſequentia argumenta commodè referemus.

IV. *Argum.* Ex nullitate ſeu incompetentiâ (liceat nunc ſignificantibus his technologematis uti) temporis. Nullo enim modo hiſtoria cum illo conciliari poteſt. Non erat regnum Siculum, nec urbs dicta Conſtantinopolis, nec regnum Britannicum & Anglicum, nec peregrinatio ad eccleſiam Romanam, nec Hunnorum effuſio in Europam. Quod viderunt *Iacob. Philipp. Bergomas*, *Bonfinius*, *aliique* mox citandi, & *Baronius*, *Lindanus*, *Miræus* cum ſuis approbatoribus: qui id circo aliud tempus ex mero ingenio ſuo fingere & conjicere coacti ſunt, ad ann. ſcil. 383. Sed imprimis patet hoc ex veterum & recentiorum hâc in parte contradictionibus, qui temporis aſſignationem emendatum iverunt. *Iac. de Voragine in Legendâ aureâ*, refert ad annum 238. & ſubdit, potiùs referendum ad 452. *Faſciculus temporum* refert ad ann. 444. Nonnulli apud *Nauclerum ad* ann. 218. *Iohannes Major lib. 1. hiſtor. Scoticæ cap.* 14. ad an. 225. *Iac. Philippus Bergomas de claris mulieribus cap.* 134. ad ann. 455. *Bonfinius decad. 1. hiſtor. Hungar. lib.* 5. ad ann. 452. *Petrus de Natalibus in catalogo ſanctorum lib. 9. c.* 87. ad ann. 450. *Laur. Surius* cum *epitomatore Hareo*, ad ann. 453. ubi autorem ſuum laudant Sigebertum. *Sigonius lib.* 13. *de imperio occid.* ad ann. 454. *Dempſterus lib. 1. hiſtor. eccleſ. Scotor. num.* 21. 39. 41. ad ann. 466. *Cratepolius in Catal. Archiepiſcop. Colonienſ. num.* 4. ad ann. 442. *Alphonſus Garſias in Concil. Baſilenſi*, ad ann. 442. (vide hęc acta apud maximum theologum & antiquarium *Iac. Vſſerium antiq. eccleſ. Britann. p.* 23. cum 631.) *Lindanus* cum *Baron. in annalibus ad annum* 383. *§.* 2. & *Miræo loc. cit.* referunt ad ann. 383. Sunt & alii Pontificii, *Bergomas*, *Bonfinius*, *Legenda* &c. qui conqueruntur de tempore malè aſſignato. Jam verò hoc argumentum à nullitate temporis ſumtum non eſſe contemnendum, inde patet, quòd Chronographia hiſtoriæ quaſi anima ſit, aut ſaltem oculus. *Vbi namquè* (inquit Tatianus in orat. c. Græcos) *temporum ratio non cohæret, ibi ne hiſtoria quidem vera eſſe poteſt.* Docet hoc communis conſenſus & praxis adverſariorum, qui in controverſiis hiſtoricis Papatum tangentibus, nihil prius habent, quàm ad hoc argumentum confugere. Videantur paſſim *Baronius*, *Gretſerus*, *Couffetellus ſupra cit.*; quibus addo nunc *Schultingium in Theſauro antiquit. eccleſiaſtic.* Quidquid 7.

per contentionem contra hujus argumenti vim excipi posset: solidè diluit *Nic. Vedelius in tract. de Cathedrâ Petri lib. 1. cap. 1. & 2.* Quem aliquando videant studiosi: ne hîc actum agam.

DE DIVIS SEU SANCTIS QUIBUSDAM CHIMÆRICIS

PRIMÆ, Quæst

DE URSULA & 11000. VIRGINIBUS

PARS SECVNDA.

Resp. JOANNE PETRO CUPIO Ultraj. *Ad diem 23. Nov. 1644.*

1. V.  *Rgum.* Ex nullitate & inconvenientiâ locorum, regionum, urbium, nationum, regnorum. Nullo modo hîc sibi constare historiam haut obscurè agnoscunt recentiores *Baronius, Lindanus, Miræus*, qui longè aliam topographiam conjectando commenti sunt, & comminiscendo conjectârunt. Tetigerat jam antè hoc ulcus *Gobelinus Persona* suprà *citatus. Lindani & Mirei* sudores ipse lector inspiciat: verba omnia transcribi non patitur chartæ angustia. Sufficit nunc indicare legendas & fabulas, de Siciliæ & Constantinopolis Reginis, & Regnis; de stationibus Romanis & visitationibus liminum Apostolicorum, ac peregrinationibus religiosis; de coloniis Britannorum in Armoricam deductis; ac plura istius farinæ: quæ sequentibus argumentis sexto scil. & septimo commodius perstringemus.

2. VI. *Argum.* Ab absurdis, aut notoriè falsis atque ἀσυστάτοις, quæ in descriptione & notatione rerum, personarum, factorum occurrunt; ex quibus tota hæc fabula ferruminata est. Suprà triplicem ejus structuram seu fabricam distinximus, 1. ut habetur in *vitâ Vrsulæ*, autore *Richardo Præmonstratensi*, nec non in *visionibus Elizabethæ Schonavvgiensis*, & qui ex illis sua depromsit, *Iacobo de Voragine*, autore *Legendæ aureæ, reliquisquè historicis, & hagiologis*, qui ipsius vestigiis inhærent. 2. In *Gaufrido*, & qui eum sequuntur *Baronio*, ac *Lindano*. 3. In *Miræi Fastis Belgicis*. 1. *In primâ* structurâ ista notamus. 1. *Quòd* exercitus ille tot virginum in Britanniâ congregatus fuerit, & quidem palàm, ita ut fama longè latèque sparsa sit, & multi ad virgines spectandas undiquè confluxerint. 2. *Quòd*

Ursu-

Ursula, exercitum illum distribuerit in millenarias, & toti præfecerit quinque, undecim verò millenariis undecim duces seu chiliarchas: Unius ex illis nomen suprà indicavimus. 3. *Quòd* Ursulano illi exercitui Comites se dederint quinque *Episcopi Britannici*, qui Romam cum iis pervenerunt: & *Pantulus* Episcopus Basileensis, qui virgines sacras Romam perduxit, inde reversus Coloniam pervenit, ibique cum iis martyrium suscepit: *Iacobus* Archiepiscopus Antiochenus, natione Britannus, qui fortè inviserat Cyriacum Papam Romanum, itidem natione Britannum, cum Virginibus Coloniam rediit, & Martyrum nomina ac titulos sepulcrales dum signat, in medio opere martyrio coronatur; cui tamen petenti concessum proprium nomen lapidi inscribere: *Cyriacus* Papa Romanus XIII. modò memoratus, qui resignato Papatu coram Cardinalibus & Clero ecclesiæ Romanæ & substituto sibi successore, Anthero scil., cum Ursulano exercitu profectionem suscepit, & Coloniæ cum iis martyrium subiit: *Etherius* (*Gelenius* scribit *Æthereus*) sponsus Ursulæ rex Britannicus, Angelicâ visione admonitus, egressus est de terrâ suâ, & Ursulæ Româ jam regredienti occurrit, & cum eâ Coloniam profectus martyrio coronatus est. Atquè hæc in *visionibus Elizabethæ*. Addit *Richardus Præmonstratensis*, reges II. alioquè infrà notandos. *Gelenius in Coloniâ supplice p.* 60. 61. *Valerium* socium Etherii itidem regem, & martyrem: Multi *ex clero Romano*, immò ex aliis hominum (virginum) ordinibus admodum auxerunt exercitum: uti innuit *ibid. Gelenius*. 4. *Quòd* Ursula sponso desponsata delusserit sponsum specie apparatus nuptialis, atquè ita in longè dissitas terras non tam remigârit, quàm evolârit. Sic *Gelenius lib. cit. p.* 60. 61. Uberiùs hoc ἀ'πατον (specimen scil. sanctitatis canonizandæ) enarrat *Surius* & ex eo Haræus: Ursula *filia unica Noti nobilissimi Britannorum principis, cùm nondum nubilis à filio cujusdam ferissimi tyranni ad nuptias expeteretur, & patrem suum super hoc anxiari videret (qui Deum metuebat, si filiam Deo jam devotam nubere cogeret; & Tyrannum timebat, si ei filiam denegaret) divinitus inspirata, nutanti patri suasit, ut & Tyranno assentiretur, eâ tamen illi propositâ conditione, ut & ipse tyrannus decem virgines genere, formâ & ætate electas sibi traderet, & tam sibi quàm singulis illarum mille virgines subscriberent, & comparatis ad numerum earum undecim trieribus, inducias triennii sibi darent ad exercitium virginitatis suæ; novo usa consilio, ut aut difficultate conditionis, animum ejus à se averteret, aut hâc oportunitate omnes coævas suas secum dedicaret?* *Quòd duce Vrsulâ candidatus* 11000. *Virginum exercitus bellum susceperit, omnibus bellis* famosius, ut loquitur Hareus, Laur. Surii epitomator: *quòdquè conducto, virginibus, trieribus, & sumtibus comparatis, per triennium belli præludia, cunctis mirantibus, celebrârunt. Ibid.* Quòd

Gerasina regina Siciliæ, soror Episcopi Matryfii & Dariæ, matris Ursulæ de consilio hoc certior facta per patrem Ursulæ, relictâ administratione regni in manu unius filii in Angliam cum quatuor filiabus & filiolo Adriano advolârit, & consilio suo procurârit collectionem virginum ex diversis regnis, itineris sociam & ductricem se præbuerit, ac tandem cum iis martyrium passa fuerit. Sic *Legenda aurea.* Quòd regina (Siciliæ scil., Gerasina nomine) omnibus præparatis, secreta revelârit, *ut in novam militiam omnes conjurârint. Nam modò*, inquit Legenda, *belli præludia inchoant, modò currunt, modò discurrunt. Interdum belli causâ plerumquè fugam simulant, omniquè ludorum genere exercitatæ, nihil quod animo occurrebat, relinquebant intactum. Aliquando meridie, aliquando vix vespere redibant. Confluebant proceres & primates ad tam grave spectaculum, & omnes admiratione & gaudio replebantur. Tandem cum omnes Vrsula ad fidem virgines convertisset, sub unius diei spatio flante prospero vento ad portum Galliæ, qui Tiella dicitur, & inde Coloniam devenerunt &c. Ibid.* 6. *Quòd* ex Britanniâ Coloniam profectæ, (aut ut alii interpolant) tempestate eò ejectæ sint; inde Basileam, atque inde pedestri itinere Romam contenderint; inde Coloniam ab Hunnis jam obsessam redierint. 7. *Quòd* Hunni videntes hunc exercitum virginum, cum comitibus Vincentio presbytero Cardinale, Mauricio Levicanæ urbis Episcopo, Sollario Lucensi Episcopo, Sulpitio Ravenensi Episcopo, Marcello Episcopo Græciæ, Jacobo Archiepiscopo Antiocheno, Cyriaco Papâ Romano, Etherio sponso Ursulæ, Valerio ejusdem sponsi socio (teste *Elizabethâ Schonavvgiensi & Legendâ aureâ*, nec non *Gelenio in Coloniâ supplice*,) in eas irruerint, easquè occiderint. 8. *Quòd* cum ad Ursulam cæteris jugulatis perveniissent Barbari, princeps eorum, videns miram ejus pulcritudinem, voluerit eam in conjugem sibi copulare: sed cùm hoc illa penitus respuisset, ab eo transfixa sit. 8. *Quòd* facer ille virginum chorus omnem gratiam, quam in curiâ Romanâ habuerat, ideo amiserit, eò quòd Cyriacus Papa Romanus invito Clero Pontificatum deposuerat, & Ametos (quem *visiones Elizabethæ* vocant Antherum) loco sui in Pontificem ordinârat, ut virginibus itineris & martyrii comitem se præberet: cujus nomen propterea è catalogo Pontificum à clero erasum sit. 9. *Quòd* duo principes Romanæ militiæ, videntes magnam virginum multitudinem, & quam multi multæquè ad eas confluerent, timuerint, ne per eas nimiùm crescceret Christiana religio: quòdquè iter earum diligentiùs explorantes nuntios miserint ad Julium cognatum suum, principem gentis Humanorum (Hunnorum dicere voluit *Legenda*, & *interpolator* ejus *Claudius à Rotâ*,) ut educto contra eas exercitu, ipsas, cùm Christianæ essent, dum venirent Coloniam, trucidarent.

10. *Quòd*

10. *Quòd* anno demum 1154. tituli sepulcrales earum Coloniæ detecti; quòdquè hâc occasione Elizabetha Schonawgiensis per Abbatem quendam postulata ut ex angelo, qui ipsi apparere solebat, de certitudine rerum Ursulanarum inquireret, per visiones de iisdem edocta sit. Quòd etiam aliis apparitionibus & miraculis sanctitas & beatitudo istarum virginum confirmata sit. De quibus vide *Legendam auream*, & *Laur. Surium & scriptores, de sacrario & reliquiis Colonienſium*, & *Arnoldum Raiſſe in appendice ad Molani natales ſanctorum Belgii*, *p.* 223. 6. ubi de duabus exercitus Vrsulani chiliarchis (ita eas dicere liceat,) Honoratâ & Florinâ. Atquè hæc quidem absurda, quæ in primâ hujus fabulæ structurâ notanda duximus. 11. *In ſecundâ* apud *Gaufridum Aſaphenſem* (quam *Baronius*, *Lindanus*, *Velſerus* primæ præferunt) sunt ista. 1. *Quòd* Maximianus Gallos ex Armoricâ (hodie dictâ *Bretagne*) expulerit, & coloniam virorum ac fœminarum ex Britanniâ illuc traduxerit. Quod figmentum ex Pontificiis *Chriſtoph. Brovverus in notis ad Venantii Fortunati lib.* 3. *epigramm.*8. funditus tollit. 2. *Quòd* Maximianus Armoricam Conano Meridiaco Britanno legionum Britannicarum ductori dederit. Ex quibus antiquitatis monumentis hoc probabitur? 3. *Quòd* hic Conanus per nuntios petierit & impetraverit à Dionoto rege Cornubiæ (cui Maximianus Britanniæ principatum commendaverat) non solùm filiam ipsius Ursulam sibi matrimonio copulandam, sed etiam nobilium filias numero 11000, & plebeiorum 60000, quæ novis colonis uxores jungerentur. 4. *Quòd* omnes illę virgines cum mari se commisissent, maximam partem tempestate obortâ perierint; reliquæ ab exercitu Guanii Hunnorum, & Melgæ Pictorum regis, partim trucidatæ partim pudendo servitio traditæ fuerint. Hæc quàm bellè inter se cohærent, tam pulcrè conveniunt cum *Legendâ aureâ* & cultu legendario Papistarum, atquè apotheosi istarum virginum. 111. *In tertiâ* fabulæ structurâ, seu novâ conjecturâ apud *Miræum* (quæ extrema post multiplex naufragium tabula, donec aliunde melioris spei caput se ostenderit) ista breviter notamus. 1. *Quod* Maximo è Britanniâ festinanter in Galliam trajiciente, ab exercitu ejus indubiè ingens virginum sexus utriusque ac mulierum turba relicta fuerit. 2. *Quod* hæc turba cæso Gratiano, dum ad parentes, maritos, propinquos & amicos, per ostia Rheni, perquè Veronam Frisiorum &c. duce agminis Ursulâ properat, in Hunnos Gratiani fautores incidit &c. Quàm concinnè hæc cohærent: Milites tunc temporis, non tantùm uxores suas, sed & myriadas virginum (filiarum scil., & propinquarum) circumducere solent. Fœminę illę & virgines, pueris ac adolescentibus (filiis scil. & propinquis eorundem militum) permixtæ classem instruunt, naves conscendunt, & ex

Angliâ ſolventes ad exercitum ſeu milites illos Maximi, quorum operâ in Galliâ & alibi utebatur, quoſquè oportuit tunc uno in loco conſtitiſſe, properant. Sed in quem finem tot millia virginum, & quidem nobilium, multarum etiam regiarum? An ut virginitatem Deo conſecrarent, ad exercitum properabant? Virilis ſexus & turbæ nulla tunc habita ratio? nec etiam mulierum? ſolæ ſcil. virgines exercitum conſtituebant, ſaltem nomen illi dabant tanquam elementum prædominans: ut quidam autores Pontificii hiſtoriam hanc explicant. Urſula tanquam Pentheſilea inter Amazonidas illas, ducem ſe conſtituit, aut ab aliis conſtituitur. Et quomodo tales fœminæ in hoſtium manus incidentes & barbaro ac militari more malè multatæ, magis ſanctæ & martyres dicentur, quàm aliæ quæcunquè militaribus calamitatibus obnoxiæ? Unde autem conſtabit illas omnes virgines aut in Angliâ fuiſſe aut poſteà in itinere factas eſſe Chriſtianas magis, quàm myriadas mulierum & juvenum, adoleſcentum, puerorum? Cur virgines magis martyres dicuntur, & feſtis anniverſariis, proceſſionibus, miſſis, officiis &c. tanquam divi tutelares magis colluntur, quàm reges, reginæ, principes, Papa, Cardinales, Epiſcopi, aliiquè Clerici & viri ultra 200. martyres, quorum meminit *Elizabetha in viſionibus* interpolatis *à Richardo Præmonſtratenſi*? Cur virgines magis, quam reliqua turba; quæ proculdubio longè maximam partem conſtituit? Cur illæ magis pro pudicitiâ ſuâ pugnârunt & paſſæ ſunt, quam fœminæ maritatæ?

3. VII. *Argum.* Ex infinitis contradictionibus. 1. *Circa* tempus: de „quibus ſuprà. Addo nunc ex *antiquit. Britannic.* ſummi antiquarii *I. Uſſerii p.* 993. Id tantum, inquit, ad extremum hîc monentes, *à Matthæo „Florilego & Radulpho de Baldoc* Londinenſi Epiſcopo ad ann. 392. (qua„driennio poſt Maximi cædem integro) ab aliis quibuſdam (in earum „*Legenda*, *Sanctilogio Iohann. Tinmuthenſis* inſerta commemoratis) ad ann. „385. *à Baronio in 4. annal. tom. ad a.* 383. virginum cladem referri: quan„quam anno demum 386. Armoricum regnum Conano Meriadoco tra„ditum, & expulſis indigenis à Britannici generis colonis occupatum fu„iſſe ſcribat *Ioh. Fordonus in Scoti-chronico.* 11. *Circa* loca. 1. *Locus* nativitatis & imperii paterni Urſulæ, *Iacobo de Voragine* & aſſeclis ejus ut & *Ioh. Majori* eſt *Britannia* (quaſi tunc fuerit rex Britanniæ:) *Gaufrido lib. 5. cap.* 15. eſt *regnum Cornubiæ*; in quo ſucceſſerat fratri ſuo Carodoco: *Elizabethæ Schonavvgienſi, & Petro de Natalibus & Petro Chalybi in hymno apud Georg. VVicelium in hiſtor. ſanctorum, Britannia Scotica* & *regnum Scotiæ*: *Ieſuitæ* editori *florum ſanctorum Ribadeneiræ* edit. lat. anno 1630. Coloniæ, *Hibernia*, ſeu *Scotia major.* 2. *Locus*, nativitatis, habitationis, & imperii

ſponſi

ſponſi Urſulani, *Iacobo de Voragine* cum ſuis eſt, *Anglia* (quaſi tunc *Angli* inferioris Saxoniæ populus incoluerint Britanniam, quam demum intrârunt ducibus Hengiſto & Horsâ ann. 453.); *Gaufrido*, prout *Baronius* refert, *Magnæ Britanniæ inſula*; eidemquè locus commorationis Armorica, ubi tunc Conanus ſponſus regulus Britannicus, cui donata erat Armorica, cum legionibus Britannicis agebat. 3. *Locus* unde navibus iter ingreſſæ ſunt. *Ioh. Majori*, & *Gaufrido*, eſt *Lindonum*: *Iac. de Voragine*, aliiſquè nullus nominatur. 4. *Locus* ubi primum appulerunt, *Miræo*, & quos citat, *Suffrido P. ac Hadr. Iunio*, eſt *Verona* urbs Friſiorum prope Alcmariam: *Hagiologis* quibuſdam *Verona* urbs Italiæ: aliis tamen hoc emendantibus & ex ingenio conjectantibus *Bonna* propè Coloniam: *Ioh. Majori Colonia*: *Gaufrido*, uti eum refert *Baronius*, *littus Germanicum*: *Lindano & Gelenio Tiela Geldrorum*: *autori Legendæ aureæ* Thiella portus Galliæ, unde Coloniam deveniſſe dicit, atque ita Romam tendiſſe. 5. *Locus*, quo exercitus ille peregrinantium ex Britanniâ ſolvens tenderet, *Elizabethæ Schonavvgienſi*, & *autori Legendæ* cum aſſeclis eſt *Roma*: *Gaufrido* eſt *Armorica*, quò invitæ deſtinabantur totidem militibus 11000. matrimonio jungendæ: *Miræo* Galliæ & adjacentium locorum illi tractus, ubi mariti, parentes, propinqui earum militantes Maximo aut in exercitu aut in præſidiis erant. 6. *Locus* martyrii, quò invitæ aut à nautis proditę, (uti *Lindanus* & *hiſtoria Colonienſis*); aut vi tempeſtatis delatæ (uti *Miræus*, *Suffridus Petri*. & *Gaufridus*); aut ſponte Româ eò profectæ, quippe anteà divinitùs admonitæ de martyrio illic ſubeundo (uti *Legenda*, *Elizabetha Schonavvgienſis*, & qui eas ſequuntur) *Colonienſibus*, *Miræo*, *autori Legendæ*, *Surio*, *Molano*, *Martyrologio Romano*, eſt *Colonia Agrippina*: *Lindano*, apud *Baronium in notis ad martyrologium*, eſt *Vpen* ſeu *Vben*, olim oppidum non obſcurum, ubi collegium Urſulæ virginum nobilium, cum *Lindanus* iſta ſcriberet. 7. *Locum* ſepulturę, & reliquiarum, mox indicabimus. *De regno Siciliæ*, dequè urbe & regno Conſtantinopolis ſuprà indicato refutavimus. III. *Circa perſonas*. 1. *Pater* Urſulæ, *Iac. de Voragine & Claudio de Rota*, eſt *Nothus* rex ſcil. quidam Chriſtianiſſimus in Britannica: *Iohan. Majori Dionoth* Britannorum Rector: *Breviario Ciſtercienſi* Pariſ. 1516. (exemplar habuit *Uſſerius*, cujus indicium *p.* 618. hîc ſequor,) & *Surio Deo notus*: editori *Flor. ſanctorum Ribadeneiræ Dionetus*: autori *Legendæ*, & *Elizabethæ* & *Petro Equilino*, ſeu *Petro de Natalibus Maurus*; qui duo poſteriores regem Scotiæ appellant. 2. *Ipſa Vrſula* ab omnibus *filia* regis Britannici, aut Scotici dicitur: ab Elizabethâ, *Regina Britannica*. 3. *Sponſus* Urſulæ, *autori Legendæ* cum *ſuis eſt filius unicus* regis Angliæ, Elizabethæ, *Colonienſibus & ſanctor*, ac reliquiarum *recentibus ſcriptoribus* dictus

ctus *Ætherius* aut *Æthereus*: *Gaufrido* Connanus dux legionum Britannicar. & dominus Armoricæ ex donatione Imperatoris Maximi: *interpolatis visionibus Elizabethæ* per *Rich. Præmonstratensem*, *Olophernes*, unus ex undecim regibus, qui Ursulanum virginum exercitum comitati sunt. 4. *Mater* Ursulę in visionibus Elizabethæ est *Daria*: *Phil. Bergomati de claris mulieribus cap.* 154. est *Demetria*. 5. *Numerus Virginum* communiter à Legendariis, aliisquè fabularum scriptoribus *supra cit.* statuitur 11000, à *Gelenio* in itinere Romano, & reditu ad locum martyrii, admodum auctus dicitur. *Elizabetha*, & *aurea Legenda* comitibus virilis & fœminæi sexus exercitum auctum scribunt: *VVandelbertus Prumiensis*, & *martyrologium Romanum* indefinitè virgines & socias Vrsulæ dicunt, nullo definito numero expresso. 6. *Cyriacus* Papa comes & præfectus hujus virginei exercitus, chimæra est & non-ens, *Gobelino*, & recentioribus *Baronio*, *Lindano &c.* agnoscit tamen eum *glossa in 6. decretal. lib. 1. tit. 7. de renuntiatione cap. quoniam.* Quam glossam nova editio Romana expungit. *Legenda*, cum suis dicit eum fuisse à clero expunctum ex catalogo, quòd sedem Papalem deseruisset: sed referente *glossâ modo cit.* ex Chronico Martini Poloni ad annum 238. *creditum fuit à Cardinalibus, quod non propter devotionem, sed propter oblectamenta virginum Papatum dimisisset.* 7. *Reginas & filias* regum Siciliæ, ac Constantinopolis, hujus expeditionis Ursulanæ, & martyrii comites, refert *Legenda aurea cum suis*: sed silentio eas tegunt recentiores cum *Gaufrido*. Absque virorum comitatu peregrinatas fuisse creditum & scriptum usquè ad an. 1154. referente *Elizabethâ*: posteà tamen contrarium. 8. *Percussores* virginum *autori Legendæ* aliisquè ipsum sequentibus sunt *Hunni*, qui Coloniam tunc obsidebant: *Gaufrido*, *Melga* Pictorum & Gaunus Hunnorum pyratæ: *Ottoni Frisingensi lib. 4. histor. cap.* 28. *Attila* rex Hunnorum: *Ioh. Majori Gonanus terra* (Colonienſis) *Rex*, & Elga ejus frater, cum suis clientibus: alii *supra cit.* maximam partem naufragio periisse volunt. 10. *Circa* facta, seu actiones & passiones. 1. *Elizabetha* & *Legenda aurea* innuunt, voluisse eas unâ cum fide Christi virginitatem seu cœlibatū virginalem custodire, & hanc ob causam peregrinationem Rom. suscepisse: *Gaufredus* & *Ioh. Major* cum *Baronio*, *Lindano*, & *Miræo*, casui seu infortunio adscribunt, quòd ipsæ insciæ & invitæ, cùm Galliam peterent, in oras illas delatæ sint, ubi crudeliter cæsæ. 2. *Causam* passionis *Gaufredus*, & *Iohann. Major*, nullam aliam adferunt quàm bellicam (de cujus justitiâ hic non quæro) quòd fœminę essent hostium suorum, militum scil. Maximi, & consequenter eas hostiliter & barbarè tractarent: Ipsa *Legenda* nullam causam passionis Ursulanę assignat, quàm quòd principi Hunnorum nubere noluerit, qui vitam eum in finem ipsi offere-

offerebat. Quo jure ergò *Legenda* & *martyrologium Romanum* aliiquè *hagiologi*, ut & recentes *Baronius*, *Molanus*, *Miræus*, *Gelenius &c.* martyrum & sanctorum titulo eos cumulant? v. *Circa* sepulturam, & reliquias earum. 1. *Coloniæ sepultas*, ibiquè quiescere, & eo nomine tanquam Deos tutelares peculiariter ibi coli, & reliquias illas inter certissimas esse habendas, credendum ex traditione communi, & ex titulis sepulcralibus, imprimis *revelationibus Elizabethæ*, super iis titulis: & testantur *Surius*, *Lindanus*, *Miræus*, *Gelenius*, *Molanus*, *Ribadeneira* (seu editor ejus Latinus) *Chronicon Colonienſe*, *VVindheim in sacrario Agrippinensi*, *Cratepolius in Catalogo Episcop. Colonienſ.*, *Mathenesius in theophoria Colonienſi p.* 80. 81. Conser *Fleienum in historiâ S. Vrsulæ* insertâ *à Lippeloo vitis sanctorum*, *& Aubertum Miræum de SS. virginibus Colonienſibus*. Et tamen passim in Belgio multas esse docent *Molanus in Natalibus sanctorum Belgii ad* 21. *Octobr.* & *Arn. Raisse in appendice*, *Idemquè in Hierogazophylacio Belgico*. *In indiculo reliquiarum Glastonenſium* (teste *Vsserio pag.* 626.) legitur, corpora Ursulę & Dariæ Glastonienſi cœnobio donata esse. Dariæ ictius reliquias in Hiberniam importatas autor est *Demsterus lib.* 4. *histor. Eccleſiast. Scotorum*: & caput Ursulæ in conventu Eremitarum Augustinianor. Bergomi asservari autor est *Iacobus Philippus Bergomas lib.* 9. *supplem. Chronic. anno* 458. Ossa 11000. Virginum Mechliniæ haberi dicuntur apud *Arn. Raisse in Hierogazoph. p.* 494. Cameraci caput unius ex virginibus Ursulanis *p.* 334. Leodii caput unius ex sociabus Ursulanis *p.* 269. caput Ursulæ, in conventu loci spinosi ordinis Cistercienſium, propè montes Hannoniæ; & caput S. Losciæ ex sodalitio Ursulano, *ibidem. p.* 289. corpora Felicitatis, Cordulæ, Victorinæ, ex eodem sodalitio, in Marchianenſi Benedictinorum cœnobio, tertio ferè milliari à Duaco, *p.* 291. Multa Ursulanarum Virginum ossa duabus ornatis capulis incluſa, in Markettenſi velatarum virginum cœnobio, ordinis Cistercienſis propè Insulam Flandrorum. *p.* 298. Sed tædet infinita quasi ossa per solum Belgium sparsa (ut Germaniam, Angliam &c. præteream) conquirere. Unum tantùm addo, de quatuor craniis istarum virginum, nuper demum reperta & translata Pragæ 20. Augusti 1645: cum aliis quamplurimis reliquiis, quarum *catalogus* Pragæ, & posteà Coloniæ *editus*. VI. *Circa* mentita miracula, revelationes, & visiones, quibus virgines Ursulanæ, earumquè reliquiæ honoratæ esse dicuntur. 1. *Surius* refert Coloniam per virgines liberatam; Hunnis in reprobum sensum datis visas tot armatorum acies se persequentes, quotas virginum trucidârant &c. Sed recentiores hæc prætereunt. Nôrant enim Hunnorum illam expeditionem, & Coloniæ obsidionem cum historiis istorum temporum conciliari non posse. *Gobelinus Persona* ait, Hunnos

tunc Europæ etiamnum ignotos fuisse. 2. Revelationes & apparitiones, quas partim *Legenda aurea*, partim *Surius* depromit; alii pudoris magis memores prætereunt. 3. Argumentum & grande fulcrum religionis Vr-
„sulanæ, quæritur in ficto miraculo, quod ita refert *Lindanus apud Ba-*
„*ron. in martyrol.* Hunc autem locum, ubi nunc visitur S. Vrsulę Col-
„legium Virginum &c. fuisse certaminis arenam pii non imperitè viden-
„tur astruere, quòd templi area nullum susceperit sepeliendum, immò pue-
„ros recens Baptizatos de nocte quasi evomens, in superficiem rejicit vi-
„sendos; cujus rei miracula narrant incolæ non rara, quæ non alibi te-
„merè inveniantur. Eandem fabulam habet *commentarius ad Passionale*, *& VVilsonus in Martyrologio Anglico:* quam ex *Lindano*, ut opinor, de-scripsit. *Henricus Kornmannus tract. de Miraculis mortuorum part. 3. cap. 31.* & in *Templo naturæ part. 4. consider. 43. concl. 6.* eandem fabulam refert, citatis, *Passionali & Lindano* apud *Baronium in Martyrolog. 21. Octobr. Idem Kornmannus de Virginitate cap. 118.* rationem dat, cur nullus illic possit requiescere, *quia hæc terra de corporibus sanctarum virginum creditur sanctificata, prout inveni in Passionali S. Vrsulæ c. de 11. mille virg. p. 85. Videatur Aubertus Miræus Bruxell. canonicus in disq. de SS. virginibus Colonienſibus.* Favet etiam Colonienſium Traditio & Religio, de quâ *Hæraus epitoma-*
„*tor Surii*: Ex eo autem jam crescente religione, non modò consuetudo,
„*sed pro consuetudine sacramentum* civibus inolevit, ut intra ambitum vir-
„ginalis sepulturæ nemo usquè hodiè cujusquam mortui corpus audeat
„sepelire. Ulteriùs provectus *Hermannus Flejenus in libello de S. Vrsulæ ac sodalium ejus historiâ* (apud *Zachar. Lippelouni tom. 4. de vitis sanctorum*) sta-
„tuto illud cautum esse ait, quod in antiquissimo ecclesiæ Vrsulanæ Co-
„lonienſ. libello his verbis scriptum invenisse se dicit: Divinis flammeis
„visionibus frequenter admonitus, & virtute magnæ majestatis martyrii
„cœlestium virginum, imminentium ex partibus Orientis, exhibitus pro
„voto Clematius, hîc de proprio in loco suo hanc basilicam voto, quod
„debebat, à fundamentis restituit. Si quis autem super tantam majesta-
„tem hujus basilicæ, ubi sanctæ virgines pro nomine suo sanguinem fu-
„um fuderunt, corpus alicujus deposuerit, exceptis virginibus, sciat se
„sempiternis tartari ignibus puniendum. *Hæraus* narrat lapidibus eandem inscriptionem incisam illic servari: Sed anathema subjectum omittit. Absurditatis procul dubio tantæ & blasphemiæ ipsum puduit. Sed fabula illa, pro quâ testes laudantur Colonienses, ab ipsis Colonienſibus apertè exploditur, ore & calamo Erhardi Winheim, in sacrario Agripp. num. 9. p. 106. Negat enim ibi non tantùm experimentum illud, *sed fa-re*, inquit, *non posse, inde colligi potest; quòd in ecclesia Machabæorum, in quâ*

magno

magno numero ex societate SS. Virginum corpora reperta indè ab initio passionis colunter, quotidiè adhuc Christi fideles, quos tamen certaminis arena non evomit, sepultura mandantur: ita ut fidem meam pro obside interponere ausim, virgines illas non tàm lividas, ut in domino obdormientes, regni Dei coheredes, confratres & consortes, multò minùs modò genitos, à suis cubilibus excludant. VII. *Circa* cultum & religionem Ursulani exercitus. Colonienſium religio, tàm quotidiana, quàm ſolennis in proceſſionibus (quam deſcribit *Gelenius num.* 12. *pag* 57. 58. & *Matheneſius in Theophoriâ Colonienſi pag.* 80.) & in feſto Urſulæ anniverſario, in formâ tanquam exercitum ſeu aciem ordinatam 11000. virginum ſanctarum & martyrum eas colit. Sed Papa *Vrbanus* VIII. in ſuo *diplomate indulgentiario anno* 1640, ne virginum quidem, aut Urſulani exercitus aut certaminis, aut invocationis tanquam Divorum tutelarium &c. meminit; quaſi animus meminiſſe horreret: *Omnibus*, inquit, *utriuſquè ſexus Christi fidelibus* &c. *qui Eccleſiam S. Vrſulæ Colonienſ. die feſto ejuſdem S. Vrſulæ à primis veſperis uſque ad occaſum ſolis, feſti hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordiâ, hæreſeωn exſtirpatione &c. pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam* &c. Vbi nullius invocationis Vrſulanæ, nedum ſociarum ſit mentio. Georg. *Paulus Stravius* Epiſc. Joppenſis, & Vicarius generalis Colonienſis, *ſummam diplomatis Papalis* germanico idiomate *ibidem* exhibens, ſic extendit: *in Feſto S. Vrſulæ, ejuſquè Sancti ſodalitii*, 11000. virginum & martyrum.

VIII. *Argum.* Ab origine fabulæ: quam *Gobelinus Perſona* refert ad 4.
fictas illas viſiones *Elizabethæ Schonavvgienſis*. *Idem* ex noſtris cenſet ſæpè laudatus *Vſerius pag.* 628. & 619. Qui idem tamen non negat, quin Colonienſium traditio, perſuaſio & fama aliqua de virginibus ibi cæſis, & ſepultis, dequè titulis ſepulcralibus anno 1156. (cùm jam ad ἄκμὴν ſuam perductus eſſet Antichriſtianiſmus) illic repertis præceſſerit. Sed fidei iſtorum vacillanti robur atquè autoritatem addidit Elizabetha. Quantæ autem fidei & autoritatis ſint abſurdæ, omniquè hiſtoriæ, & Theologiæ repugnantes illæ viſiones, quàmquè ipſis prudentioribus Pontificiis apocryphæ; infrà tribus verbis dicemus. Ego, ſi quis conjecturę locus, conjicerem, alicubi fortè militari barbarie fœminas aliquot nuptas & innuptas viris permixtas, crudeliter obtruncatas: ex rumore illo per manum tradito, conjeciſſe ſimplices aut perverſè zelotas quoſdam, turbam illam innocentium hominum, imprimis imbellis ſexus (quamvis propter fidem non paſſam) inſtar martyrum habendam. Si conferas narrationem *Surii* & *Haræi*, deprehendes, Colonienſes nullum habuiſſe certitudinis fundamentum, quòd martyres fuerint, quàm quòd pudicitiam

tueri voluerint, nec barbarorum militum congressum pati. Hinc ipsi exsculpserunt virginitatis tuendę zelum; & ex eodem zelo concluserunt martyrium. Eaidem ferè consequentias præsuppositâ narratione *Gaufredi*, non tam nectunt, quàm annectunt, & subdolè sumunt, *Miræus*, *Lindanus*, *Baronius*, & qui eos sequuntur, juxta artificium illud paralogisticum, quo plus infertur in conclusione, quàm fuit in præmissis. Pudicitiam & corpus suum tueri contra vim barbarorum & hostium, docet ipsa natura. Adulterium & omnem scortationem fugere, docet eadem, & perfectiùs Religio Christiana. Sed hinc nec studium, nec votum cœlibatus virginalis, colligi poterit: nedum passio propter fidem Christi seu martyrium. Pœna enim non facit martyrem, nec laniena militaris, nec tumultuaria mactatio quamvis Christianorum; sed causa. Quòd autem reginarum, & regiarum filiarum, neptum, regiorum sponsorum, immò & regum, titulis tanquam floribus fabulam hanc asperserunt; illud sæculis illis mythicis haut infrequens. Nôrunt hoc, qui in lectione *Vitarum & Legendarum* versati sunt. Elizabetha (apud *Richardum Præmonstratensem*) ut Christianam scil. religionem supra modum honoret, fingit undecim reges in comitatu hoc fuisse, quorum nomina ibidem recenset; quinque Episcopos ex Britanniâ; Papam Cyriacum cum Cardinalibus nonnullis, aliisquè ex clero Romano; quinque primarias virgines, & sub illis constitutas undecim alias Chiliarchas, singulas Regum, aut Ducum aut Principum filias: quasi scil. nubes tunc pluissent Reges, principes, reginas, Principissas, & quidem zelo fidei Christianę ferventes, & terrâ mariquè circumcursitantes, ac sponte ad martyrium se offerentes, aut in manus percussorum incurrere gestientes. Jam verò argumentum hoc historicum ab indicatâ fabulę origine & occasione, alicujus momenti esse Pontificiis, cùm ita usu venit, docent disceptationes ipsorum historicæ de Papissâ Johannâ, de Monarchi â Siciliæ, de donatione Constantini, &c.

DE DIVIS SEU SANCTIS QUIBUSDAM CHIMÆRICIS

PRIMÆ, Quæst

DE URSULA & 11000. VIRGINIBUS,

PARS TERTIA.

Resp. JOANNE PETRO CUPIO Ultraj. *Ad diem* 30. *Nov.* 1644.

Asser-

ASſertione noſtrâ probatâ, ad antitheſin adverſariorum accedimus. Eam illi quamvis reluctante ſcientiâ & conſcientiâ defendere coguntur, quamdiu eccleſiam Romano-Papalem ab errore & deformatione immunem præſtare ſatagunt, & Colonienſium Deos tutelares ac reliquias cum choragio peculiaris devotionis & cultus, defendere. *Certamen* enim Urſulæ & ſociarum *annua commemoratione eccleſia celebrat*, ait Serranus Epitomator Baronii ad ann. 383. citatis ibid. in margine, *Martyrol. Rom. 21. Octobr.* Hinc eſt, quòd *Surius, Baronius, Lindanus, Molanus, Arn. Raiſſe, Suffridus Petri*, Jeſuita editor *Ribadenira, Miræus, VVinheim, Gelenius*, de hâc hiſtoriâ tam anxiè laborârint: facilè alioquin ad fabulas eam relegaturi, niſi eccleſiæ traditio & cultus, & quidem in ipſis autenticis *libris Kalendariorum, Miſſalium, Breviariorum* jam præoccupaſſet. Qui ex profeſſo contra *Gobelinum Perſonam*, aut contra noſtros eam defenderint, neminem novi: niſi quòd *Gelenius in Colonia ſupplice p.* 60. promittat, RR. PP. Societatis Jeſu eam elaboratam & defenſam daturos. Quod an præſtiterint, mihi hactenus haut compertum eſt. Argumenta autem ſeu fulcra, quibus antitheſis munitur, & unde ſuas fabricas architectonicè deducunt autores hactenus nobis citati, ſunt iſta quantum ego quidem obſervare potui. 1. *Argum. Revelationes* ſeu *viſiones Elizabethæ Schonavvgienſis* Abbatiſſæ, quas habuit anno 1154. occaſione tranſlationis corporum virginalium. Numeratur autem ea inter ſanctos ſeu Divos eccleſiæ Romanæ: uti videre eſt in *martyrologio Romano ad* 18. *Junii*, & *Molani additionibus ad VSuardum*. Viſiones ipſius pro divinis habitas diſces ex *præfatione Jacobi Fabri Stapulenſis*, qui eas primus, ut arbitror, edidit Pariſiis anno 1513. in fol. unà cum *Revelationibus Hermæ, Vguetuni, F. Roberti, Mechtildis, Hildegardis*: *ubi* etiam *Hermæ* & *Elizabethæ viſiones* aliis longè præfert, quòd genuinę ſint ſine admixtione, *& ſermonem magis repræſentent angelicum*: monet ergò, *ut quæ ab angelis & divino ſpiritu tradita ſunt revereantur, & caſtâ mente amplectantur*. Præter illam editionem eſt & alia, quæ habet viſiones ejus auctas & plurimùm mutatas à *Richardo Præmonſtratenſi*. Ex dictis *Elizabethæ viſionibus* hiſtoriam ſeu traditionem corrigendam monet *Robertus, monachus cœnobii S. Mariani apud Antiſſiodorenſes, in chronico Antiſſiodor. ad ann.* 453. Verba ejus citata vide apud *VSſerium p.* 625. Ad easdem provocat Jeſuita Colonienſis *ibid. cit. p.* 624. Ex iiſdem *Legendam*, & *Paſſionale* alioſquè *hagiologos ſua* derivaſſe, earumquè veſtigiis inſiſtere, imprimis Colonienſes, *Surium* ſcil. & *Gelenium*, conſtare arbitror, ex iis quæ hactenus excerpſimus. Quibus adde *VVinheim ſacrar. Agrippin. num.* 9. *p.* 85.

9.p.85. *Resp.*1. Visiones illas potuisse esse fictas & mendaces; aut si quid acciderit, fuisse phantasticas, deliras, melancolicas, si non maniacas; aut illusiones diabolicas, (quales non nullas monachis, monialibus, immò & sanctis Papalibus attribuit *Delrio lib.4.disquis.Magicar.cap.1.sect.3.*), immò & ipso facto tales fuisse constat 1. *ex* superstitione & idololatriâ in cultu sanctorum, & reliquiarum, quæ ibidem inculcatur: contra revelationes divinas V. & N.T. Imprimis sordet, quòd una ex illis sanctabus nomine Verena introducitur dixisse, quòd vellent venerationem corporum suorum, quodquè à domino precibus hoc impetrassent; quodquè hactenus gemitus fudissent, eò quòd *tam negligenter absconditæ fuissent, nequè aliquid dignæ laudis Deo pro ipsis exhiberetur.* Hîc adde, quòd Ursula revelationem seu visionem fingatur conclusisse his verbis: *Et qui renovaverit passionem nostram: reddat Deus mercedem operis sui in sæculum sæculi.* 2. *Ex* argumento partim in se historico & vero, partim ad hominem: repugnantiâ scil. totius historiæ profanæ, & ecclesiasticæ. Quæ enim salva erit historia, quæ historica demonstratio religionis & ecclesiæ, non tantùm Christianæ, sed & Romano-Papalis; siquidem monstris illis titulorum & nominum, qui fabulæ hujus actores fuisse dicuntur, locus aliquis concedatur. Sunt autem, quæ in textu & in margine exhibet editio *Iacob. Fabri Stapulensis*, Ista: Ursula regina Britannica, Maurus rex Britanniæ Scoticæ, pater Ursulæ; Etherius rex, sponsus Ursulę; Demetria regina, mater Etherii; Florentina soror Etherii; Axpara ducissa, filia materteræ Etherii; Agrippinus pater Etherii, rex Christianus in Britanniâ, Dorotheus rex Constantinopolis, è Siciliâ oriundus; & Formundina ejus uxor, & Constantia filia unica, quæ divinitùs admonita servandæ virginitatis ergò (quam Deo jam voverat) Ursulano exercitui se adjungebat. Gerasina Britannica, regina Siciliæ, quæ verè erat de radice Aaron, cujus maritus Quintianus Rex Siciliæ, soror S. Mauritii Episcopi, & soror Dariæ matris S. Ursulæ, & soror Dorothei regis Græcię; Verena filia patrui Ursulæ, cujusdam principis magni; Maximus & Aphricanus principes iniqui, qui Romæ tunc erant; Julius Princeps Hunnorum, qui virginum mactator fuit; Billanus Lucensis Episcopus; Simplicius Ravanensis Episcopus; Marculus Episcopus in Græciâ; Jacobus Britannicus, Archiepiscopus Antiochiæ; Pantulus Episcopus Basileensis; Vincentius Presbyter, Cardinalis Ecclesiæ Romanæ; Aquilinus Episcopus Coloniensis, quartus à Materno; Cyriacus Papa Romanus 13. cujus proximus successor Antherus. Hæc phreneticorum deliria conciliet quis cum *historiâ* temporum: immò cum ipsis *historiis mythologicis*, & *annalibus Papistarum.* Atquè hæc quidem ex visionibus Elizabethæ,

zabethæ, prout à *Fabro Stapulensi* editæ sunt: quarum exemplar nunc præ manibus habeo. Nam interpolatas visiones à *Rich. Pramonstratensi* posteà editas (ut quidem *Vsserius* ex iis excerpta exhibet: exemplari enim earum hactenus careo) longè turpiùs & crassiùs delirare deprehendet, qui eas inspexerit. 3. *Ex eo*, quòd *Richardus Præmonstratensis* anno decimo nono post excessum Elizabethæ novas visiones in lucem protulit: quibus priorum illarum defectus luculenter à se suppletos fuisse asserit, & quidem B. Virginis Mariæ & Ursulæ ipsius monitu. Excerpta ex *præfatione* ipsius, & ipsis *supplementis* atquè interpolationibus visionum exhibet *Vsserius pag.* 632.633.634.635. Ita nec ipse archiplanus Elizabethæ visionibus stare voluit. 3. *Ex eo*, quòd Pontificii nullis revelationibus & visionibus suorum, etiam sanctorum canonizatorum, & quidem à Romanâ sede approbatis fidere velint; sed contra eas excipiant, quoties usu venerit: quòdquè fateantur, se nullum certum & infallibile habere κριτήριον, quo veras visiones à falsis discernant. De quo egimus in *Desper. causâ Papatus*; & secundâ *parte select. disp. tit. de probationibus spirituum*. Videmus ergò, quàm infirmo tibicine fulta sit religio & devotio ecclesiæ Romanæ, imprimis Colonienſium. 5. *Ex eo*, quòd ipsi Pontificii has visiones tanquam apocryphas & fictas refutent ac rejiciant: apertè quidem & ex professo *Gobelinus Persona*, suprà citatus; *Bart hol. Sibylla in quæst. peregrinis; decad.* 1. *q.* 1. *c.* 8. *p.* 293. & ante eum *Henr. de Hassiâ comment. in Genesin*: quod huic Elizabethæ applicatum sentit *Delrio disquis. lib.* 4. *cap.* 1. *qu.* 3. *sect.* 4. tacitè, recentiores *Lindanus*, *Baronius*, *Miræus*, qui aliam planè fabulam de novo efformant. Quibus adde omnium contradicentium labyrinthum suprà indicatum. Siquidem pro divinis visionibus ista haberent, utiquè in autoritate earum acquiescerent, absquè ulla dissensione aut contradictione. Baronius in annalibus ad ann. 237. §. 11. dicit, sententiam de Cyriaco Papâ prædecessore Antheri, *ne dignam quidem esse, quæ pluribus confutetur; quippe quæ nullâ penitus nitatur ratione, vel testimonio antiquorum, ex commentitiis tantùm actis martyrii sanctarum Vrsulæ & sociarum ejus petita*. Eandem feralem (Colonienſibus) cantilenam canit in notis ad martyrol. ad 3. Januarii. *In actis quibusdam Vrsulæ, post Pontianum Cyriacus quidam Romanus Pontifex perperàm fingitur*. Et sic *Epitomator Annalium Spondanus*. Defendit tamen has revelationes & quidem magnâ cum contentione & indignatione *Mart. Delrio loc. cit.* Quem vide. Concludimus cum Cl. & summo „Theologo antiquario *Iac. Vsserio in præfat. ad antiq. Britannic.*: In iis enim „percensendis, quæ ex Elizabethæ Schonawgiensis & Richardi Præmon„stratensis revelationibus, de Ursulanis virginibus, retulimus, quis tam „patientis fuerit stomachi, ut Apulejanum illud sæpiùs usurpare non co-

„gatur,

„gatur, *nihil hâc fabulâ fabulosius, nihil isto mendacio absurdius*. 6. *Denique* excipi posset, non posse constare an illæ visiones sunt Elizabethæ, an Egberti ipsius fratris, Abbatis S. Florini apud Schonawgiam, aut Rogeri Cistercienſis, Fordani monasterii apud Anglos Cœnobitæ: quorum aut cujus operâ in revelationibus concinnandis usa fuerat: uti notat *Vsserius p.* 624. Posset ergò de illis dici, quod *Faber de revelationibus Hildegardis & Mechtildis, stylum* scil. non tantùm deficere à stylo spiritus, sed & nonnulla à consarcinatoribus (si non pleraquè) admixta esse.

11. *Argum.* Constans traditio (uti *Miræus* loquitur *loc. cit.*) eiquè conjuncta praxis ac devotio Papatus, præsertim Colonienſium, cum omnibus titulis, inscriptionibus, versiculis, catalogis, Kalendariis, ruderibus, ossibus & ossiculis, &c. Quæ videnda apud *VVinheim, Gelenium, Molanum, Arn. Raisse, libris* suprà *cit. Resp.* 1. *De Rocho* idem dicerent Veneti, de Jacobi adventu in Hispaniam Compostellani, immò & tota regio & religio Hispanica: sed nec illum tanquam sanctum ab ecclesiâ ideò recipi ac coli ostendemus aliquando; nec istum extra dubitationis aleam constitutum ostendimus antehâc in *disp. de Peregrinationibus Compostellanis*. Ne quid dicam de corporibus trium regum, quæ Mediolanenſes sibi vindicant non minùs quàm Colonienſes. 2. *Ipsam* reliquiarum custodiam Colonienſibus absquè controversiâ non tribui, ostensum est suprà in contradictionibus. 3. *Nec* ullum facit locum inventionis dialecticę, factum, praxis, traditio, consuetudo & propria eorum affirmatio, quorum interest. 4. *Colonienſium* opinionem ac traditionem, eiquè suffultam peculiarem religionem (quæ cum *visionibus Elizabethæ* in pleriſquè convenit, uti constat ex lectione *Surii & Gelenii*,) deserunt hodierni stylobatæ historiæ & religionis Romanæ, *Baronius & Lindanus*. Nihil enim credunt eorum, quæ cum *Legenda*, & *Elizabetha* Colonienſes absquè ullâ veri specie credunt & fabulantur. 5. *Colonienſium* traditio adversatur *visionibus Elizabethæ*. *Illa* enim (apud *Hareum* Surii epitomatorem, & *VVinheim in sacr. Agrippin.*) ab initio passionis ibidem cultas fuisse dicit: *Istæ* verò adjunt anno demum 1154. gemitus earum à Deo fuisse exauditos, & translatione corporum ad loca religiosa à contemtu demùm fuisse vindicatas. 6. *Rursum* traditio Colonienſis (apud *Surium* postremæ edit.) habet ex illo cœtu facilè 14000. martyrum: *Elizabetha* autem, & *Richardus Præmonstratenſis* tantùm præter propter 12000. dinumerant. *Caxtonus in Legendâ aureâ* Anglicè editâ 1512. (indicium mihi faciente *Vsserio pag.* 635.) affirmat Coloniæ sibi indicatum, unà cum 11000. virginibus etiam 15000. viros fuisse passos.

111. *Argum.* Huic annectatur Colonienſium, ab epigraphis & titulis sepul-

sepulcralibus, qui ore & calamo Jesuitæ (apud *Vsserium p.* 624. nam librum non habeo) sic gloriantur: *Reliquias Colonienses inter certissimas meritò à nobis habendas esse: quippe quarum nomina, status, conditio cum intra triduum à SS. virginum cæde ab eo qui interfuit conscripta atquè intra ipsos sarcophagos, ut separari non potuerint, unà cum ipsis corporibus asservata, atque Deo tandem revelante anno* 1156. *inventa fuerint. Resp.* 1. quantum valeat argumentum à reliquiis, titulis, & epigraphis; & quàm multa hîc excipi soleant; docebit collatio disceptationum de Jacobo Compostellano, ex corpore ibi asservato, ex inventis laminis &c. (vide infrà *disp. nostram de Iacobo Compostellano*); imprimis de infinitis reliquiis, de quibus diversæ nationes, urbes, ecclesiæ, monasteria, inter se certant, haut aliter ac septem urbes de Homero. Cogitent modò Colonienses, quid Mediolanenses contra corpora trium Regum excipere possint. 2. De Ursulanis & sociarum reliquiis quàm certæ sint, patet ex contradictionibus, quas *part. præced.* notavimus. Vide de reliquiis, *Chemnitium in Exam. Concilii Trid.*

IV. *Argum.* ex cultu ecclesiæ Romanæ, secundùm autoritatem & præ- 45
scriptum Passionalis, Missalis, Breviarii, Martyrologii Romani. Adde his breviaria peculiaria; ut Cistercienssium suprà cit., & Equitum Teutonicorum, ad quod provocat *Miræus in Fastis p.* 625. *Resp.* 1. *Passionale*, ut & *thesauri seu libri sermonum de sanctis duo* habent, homilias seu morales conciones, & historias aut enarratas aut indicatas & præsuppositas. Cujus autoritatis illa sint apud ipsos Doctores ecclesiæ Romanæ constat ex *censurâ I. Hessels de Lovanio* quam suprà citavimus: & ex iis quæ ex *Melch. Cano. Lud. Vive, Baronio* hactenus produximus, & mox producemus. 2. *Missalia & Breviaria reformata ex decreto Concil. Tridentini* produnt, quam exigua fides huic fabulæ habeatur. Nihil enim ibi compâret quàm *commemoratio SS. Vrsulæ & sociarum.* De numero virginum & tanto exercitu altum ibi silentium: cùm tamen sub illo formali (ita loquar) seu sub illâ denominatione & titulo, non alio, in Papatu divi isti tutelares & reliquiæ earum, invocentur & honorentur. 3. *Martyrologii Romani*, quod hodie habemus, ab anonymis conscripti & sæpiùs aucti, quanta sit antiquitas & recepta autoritas, quàmquè illi fidant in ipso Papatu, ex eo discè quòd *Molanus* tantus antiquarius cùm ederet Usuardum, nullum aliud *martyrologium Romanum* agnoverit, quàm *Vsuardi* (de quo vid. *Baronii prolegom. ad martyrol. cap.* 9.): quòdquè Baronius novitatem seu novam ejus fabricam satis prodat in prolegom. cap. 8. *Ejus triplicem hactenus in urbe esse factam editionem; primam & secundam esse mendosam, nec satis dignam quæ iterum prælo tradatur: quod cujus culpâ acciderit (N. B.) libentiùs silentio præterimus. Tertia editio purior est atquè sincerior, facta an.* 1584.: *illi enim tantum*

ut legitimæ atque germanæ acceſſerunt litêræ Apoſtolicæ &c. cui etſi ex noſtris notationibus levis certè alliqua acceſſit emendatio, vel ſi quid additum reperitur &c. quin ſequioribus ſęculis (fortè demum in editionibus Romanis) commentum illud de virginum ſtrage per Hunnos, deque pluribus earum corporibus Colonię conditis, in gratiam Colonienſium infarctum facile quis odoretur, qui modò attenderit ad ea quæ hactenus congeſſimus. Omitto nunc, quod 11000. virginum (juxta conſtantem fidem & religionem Papiſtarum, præſertim Colonienſium) non meminerit. 4. Quæ certitudo ſit hujus cultus, quæ antiquitas, quæ ſucceſſio, docet mutatio & interpolatio *Miſſalis* & *Breviarii*, facta poſt tempus reformationis, aut poſt Concilium Tridentinum. Audi etiam Gavantum tom. 2. theſauri ſacr. rituum ſ. 7. c. 12. pag. 169. *In quinto ſæculo, hoc eſt an.* 500. *indictum eſt feſtum* (Urſulæ & ſociarum,) *ait* Jac. Phil. Bergomas *cit. à* Schultingio in Miſſali Vaticano volum. 3808. *Officium ſolenne proprium totum in* Breviar. 1550. *Pius V. commemorationem decrevit. Si adſit alicujus ex his virginibus caput aut inſignis reliquia, & nomen ignoretur, fiat de eâ officium duplici ritu, ſumtâ ratione de communi in ſingulari &c.; niſi aliud à majoribus concedatur, aut legitimè præſcribatur.* Urſulæ duplex officium conceſſum à SS. congr. teſtatur *Barboſa in collectan. ad Bullar. p.* 690.

§. v. *Argum.* Ex *Gaufredi Monomethenſis* narratione, ad quam tanquam ſacram anchoram confugit *Baronius in annal.* & *Martyrol.*; idque probatum dicit à Lindano & Velſero. *Reſp.* 1. Indicium eſt caulæ malæ, aut ſaltem malè defenſæ, quòd fulcimenta ejus & exceptiones pro eâ ſæpe mutentur. *Stare loco neſcit* &c. *Miræus* iſtiuſmodi antiquitatum helluo cum ſuis approbatoribus, dum longè aliam hiſtoriam fabricat, tacitè oſtendit animos & cultum Papiſtarum in Gaufrido non poſſe acquieſcere. 2. Hiſtoria mythologica Papalis, mythologicæ ipſorum Theologiæ & religionis fundamentum, nihil juvatur narratione ſeu fabulâ Gaufridi, uti eam exhibet *Baronius in martyrol.* Neque enim fidei Chriſtianæ & martyrii pro eâ, ulla ibi mentio: tantùm dicitur, pyratas Hunnorum, auxiliares Gratiani Imperatoris contra Maximum, in has Britannas virgines, viris Britannis in Armoricâ jam deſponſatas ſeu deſtinatas, ut in hoſtes graſſatos fuiſſe, ut vim inferendi earum pudicitiæ conſilium caperent: virgines autem maluiſſe mortem diriſſimam oppetere, quàm ignominioſum quid pati. *Polydor. Virgil. lib. 3. hiſtor. Anglicæ* ad ann. 387. ſimpliciter dicit, periiſſe partim naufragio, partim jugulatas à Barbaris. Ubi hîc Martyrium? Ubi Sanctitas illa peculiari Religione poſt obitum colenda? 3. *Baronius*, quamvis *librum M. S. Gaufridi* in bibliothecâ Vaticanâ deſignet: ipſum tamen aut non habuit, ſed alium quem autorem qui ex Gaufri-

Gaufrido refert; aut saltem fideliter non exhibuit. Debuisset ad liberandam fidem de verbo ad verbum ipsius verba describere; non vero suo stylo historiam formare. Impostura Annalistæ modestè notat summus Theologo-antiquarius Usserius p. 201. *non ex ipso Gaufrido (uti doctissimo Velsero persuasit) sed ex nupero illo, ni fallor, autore, ex quo idem Lucii acta alio in loco expressit, descriptam nobis hic exhibuit.* 4. Historia seu narratio Gaufredi hîc fidem non magis meretur, quàm in aliis. Fabulosa enim sunt, quæ finxit de coloniis in Armoricam ex Britanniâ deductis, & de 71000. virginibus in Britanniâ coactis, & ad sponsos totidem in Armoricam destinatis: quàm verisimilis sit narratio Gaufredi, suprà monuimus *arg. 6.* 5. Denique conscientiam Pontificiorum, nominatim Baronii, hîc rursus esse αὐτοκατάκριτον, colliges ex verbis ejus annal. tom. 4. an. 383. §. 4. *Ac licet multa de aliis autor habeat fabulosa, quæ veris nonnihil fidei detrahant, ut magno delectu sit liber ille legendus: cùm tamen eo loco constituta res sit ut inter apocryphorum quisquilias (N. B.) arbitri considentes, quæ magis verisimilia comprobentur, ea jure deligenda putemus; obviis accepimus manibus, quæ ab eodem autore narrantur, quod eadem pluribus fulciantur verisimilibus conjecturis; reliqua verò quæ edita habentur acta, plurimis constent cuique prudenti referta esse figmentis.* Serranus epitom. Baronii: *quæ plures alii diversi autores, sive ex suo ingenio, sive ex levi vulgi rumore de his scripsere, adeò nutant, ut gravissimam historiam* (sed unde constat tibi esse gravissimam historiam, nisi ex futilibus illis autoribus, quos hîc rejicis,) *commentitiam penè reddiderint.* De nullâ fide & autoritate Gaufridi accipe hoc testimonium Possevini in apparatu sacro; *In libro Gaufridi pleraque sunt fabulosa, quæ veris nonnihil fidei detrahunt; ut magno delectu sit legendus.*

VI. *Argum.* Præcedenti fulciendo subjunctum est ex *historiâ Sigeberti ad annum* 389. ubi meminit incursionis Gauni Hunnorum, & Melgæ Pictorum ducis. *Resp.* 1. Non esse ista Sigeberti, ab alio quopiam Sigeberti, chronico intexta, observavit laudatus sæpe *Usserius pag.* 201. ubi etiam citat ex præfat. Antonii Rufi primæ editioni Sigeberti anno 1513. Parisiis præfixa, *In tuo exemplari sunt quædam inserta ex histor. Britann. Gaufridi Monomethensis &c. quæ quia sic reperi intexta dimisi.* Uberiùs hoc detegit Possevinus in appar., affirmans, Parisiis prodiisse Sigeberti chronicon hâc prænotatione: *Sigeberti chronicon ab an. domini* 381. *usquè an.* 1113. *cum insertionibus ex historiâ Gaufridi &c.* Nec ineptè forte huc advocet quis, quod de dissidio exemplarium M. SS. ab autographo Gemblacensi, ex Mirœo refert polyistor *Ger. Joh. Vossius de historicis latinis.* Quem vide. Meminit ejusdem exemplaris Gemblacensis *Possevinus in appar.* & peremtoriè concludit: *satis constat corruptos fuisse au-* 6.

tores illos; Marianum scil. Scotum, & Sigebertum. Contra ejusdem Sigeberti fidem historicam excipit *Bellarm. lib. 3. de Pontifice c. 24.* 2. Quidquid ex Sigeberto adfertur, nihil aliud inde exsculpi potest, quàm non esse tam improbabile figmentum, quod refert *Gaufridus* de Hunnorum & Pictorum pyratis, in quorum manus incidere potuissent fœminæ seu virgines illæ conjugiis Britannicarum legionum in Armoricâ destinatæ. Sed dato, tale quid ita geri potuisse, immò & gestum esse; quid hoc ad martyrium, ad sanctitatem canonizandam aut canonizatam? An ut Christianas, & quia Christianæ, eas adorti sunt militares illi prædones? Minimè: ut *hostes*, inquit Baronius in martyrol., ut *hostium suorum fœminas, Idem in annalibus loc. cit.* Quid passæ sunt, quid fecerunt tanquam martyres? an quia barbaricam & plusquàm belluinam violentiam corporibus & pudicitiæ suæ ab hostibus & barbaris illis inferendam aliis jam desponsatæ ex popularibus suis, æquo animo admittere noluerint? Quodnam prostibulum belluarum istarum minas & cædem spirantium violentum raptum & congressum æquo animo ferret? Sed extendunt fortè martyrium suo modo (de quo alibi ex professo agendum) ad quamvis passionem & vexationem: quomodo *Molanus in chron. ad Natales sanct. Belgii c.* 30. omnes qui militari *fortunâ* & modo in bello Belgico à partibus Regis Hispaniæ ceciderunt, præsertim anno 1572., martyribus annumerat. Quærendum esset, quo loco habeat Lutheranorum militum copias, quæ ex Holsatiâ, aliisque Germaniæ partibus regi Hispaniæ sub duce Albano militabant; & illas quæ in Galliâ sub Henrico II. Carolo IX. & Henrico III. contra reformatos pugnabant. Idem quæro de præfectis & militibus Lutheranis, qui jam inde ab anno 1620 in bello Bohemico & Germanico pro Imperatore contra Regem Bohemiæ Fridericum, Regem Sueciæ, Principes protestantes usquè ad pacem Monasterienſem militantes occubuerunt? Diluimus jam, uti opinor, satis superquè quæ pro defensione historiæ & religionis Ursulanæ adferri solent, aut possunt. An præter Jesuitam Colonienſem citatum ab *Vsserio Miræus in disquisitione peculiari de virginibus Colonienſibus*, aliud aliquid attulerit, dicere nequeo: neutrius enim tractatus mihi copia est; ut nec *Odonis de Gissey* Jesuitæ, qui *vitam Vrsulæ & sociarum* Gallicè conscripsit.

7. Quæstione nostrâ ita determinatâ, deducimus ista porismata. 1. Pontificios esse manifestarios & crassos Idololatras, qui ad instar Samaritarum (*Iohann. 4.*) adorant quod nesciunt, aut de quo ipsi saltem dubitare coguntur: cùm tamen fidei divinæ, secundùm quam & ex quâ omnis adoratio & religio procedit, non debeat subesse falsum aut

aut dubium. Nequè enim tantùm falsum est objectum eorum adorabile formaliter consideratum, quia nullum est numen aut objectum religiosè adorandum, præter unum verum Deum patrem, filium, spir. sanct.: sed etiam materialiter consideratum: quia falsum est ipsis, aut saltem dubium, fuisse tales sanctos, seu sanctas. Quòd si errores, aut dubia illa sint circa sanctos in breviario & missali, quid fiet circa eos, quos extravagantes appellant, quorum vitas *peculiari libro* descripsit *Petrus Ribadeneira*? Si circa sanctos in martyrologio, quid fiet de sanctis extra martyrologium Romanum, quorum immensum catalogum *peculiari tractatu* exhibuit *Philippus Ferrarius*? Sed per partes perstringamus totum hujus superstitionis choragium. 1. In *reliquiis* istarum virginum vana omnis fiducia, vana gloriatio, in Italiâ, in Angliâ, in Galliâ, in Belgio, inprimis Coloniæ. Vide de iis *VVindheim*, *Gelenium*, *Mathenesium*, *Molanum*, *Arnold. Raisse*, aliosquè *suprà cit.* Adde *Itineraria & topographos Galliæ*, ubi de fano Dionysii propè Lutetiam; & *Chamierum Epistolarum Iesuiticarum pag.* 194. & quæ de reliquiis Cordulæ & reginæ Constantiæ *Gelenius p.* 195. 196. 2. *Patronatus & tutelaria numina* frustrà hîc quæruntur, inquè iis fiducia collocatur. Quod præsertim dictum sit Sorbonnæ Parisiensi, & urbi Colonienſi. De ista blasphemè satis *Miræus*, & *Gelenius loc. cit.* coll. cum *pag.* 154. 3. *Templa*, & Altaria iis dedicantur. De Colonienſi agro Ursulæo, & templo in eodem agro, vide *Gelenium pag.* 47. *vers.* 59. 4. *Festa* dedicantur, & quotannis celebrantur. 5. *Liturgiæ* consecrantur, & officiis divinis seu religiosis auxilium earum imploratur. Vide *Gavantum Thesaur. rituum loco suprà cit.* Et adde *collectan. Augustini Barbosæ ad bullarium pag.* 690. De cultu earum per numerosas orationes dominicas, dequè ejus salutari effectu in horâ mortis, docebit revelatio illa, quam refert *Legenda aurea*. Ex liturgiis Papisticis antehac editis multa collegit *Chemnitius in Exam. Concil. Trid. part.* 3. *ad sess.* 9. inter „quæ & formula precandi virgines Ursulanas: O præclaræ vos puellæ, „nunc implete meum velle, & dum mortis venerit hora, subvenite sine „morâ, in tam gravi tempestate, me peccantem defensate, à dæmonum „instantiâ. Concede propitius, ut earum precibus & meritis cum ipsis „in æternâ beatitudine collocari mereamur. 6. *Peregrinationes* ad earum reliquias instituuntur. 7. *Processiones*, ad earum stationes, & per reliquiarum gestationes peraguntur. De quibus vide *Gelenium*, & *Mathenes. loc. cit.* 8. *Conciones* theatricæ, & mendaces panegyrici in festis earum habentur. 9. *Tragœdias* de iis scriptas addo; quibus dramatis more *Gentilium* (vide *Senecam*, *Euripidem*, *Plautum* &c.) Deos suos honorare, eorumquè facta mimeticè exhibere solent. Ita fabulosa fabulis & scenis a-

gitantur. 10. *Vota* illis voventur,& *Ordines* monastici ac monasteria ipsis dedicantur, ac ab illis denominantur. *Lindanus* apud *Baron. in notis ad martyrol.* meminit collegii Ursulani virginum nobilium, prope Coloniam. Sunt & moniales S. Ursulæ, Bononię. Apud *Barbosam in collectan. ad bullarium p.* 690. 11. *Pictura & imagines* sacræ privatim, & publicè in templis proponuntur. In magno hujus urbis templo, in pariete seu chori parte boreali,pictura Ursulanæ classis ante paucos annos etiamnum conspici solet: quam per phantasticum miraculum indelebilem jactabant Pontificii nostrates. Sed ipso facto nunc vanitatis coarguuntur. 11. Ex uno præsumere licet, quàm certa sit historia ecclesiastica Papatus, & in specie, publicæ historiæ quæ quasi locum Euangeliorum illic obtinere solent, vitæ scil. sanctorum, martyrologia, passionalia, historiæ miraculorum, & visionum. 111. Hinc consequitur, admodum incertam & furfuraceam esse Theologiam ipsorum moralem, quam vocant historicam seu exemplorum: quæ in concionibus ibi maximè dominari solet. 1v. Incertam etiam esse canonizationem sanctorum: ubi porisma eductum est de fide Romanâ; canonizatum scil. illum publicè in ecclesiâ & ab ecclesiâ colendum: conclusio autem Papę, *hic est sanctus seu hic esto sanctus*, est dubia secundùm ipsos Pontificios: præmissę constant fabulis, rumoribus, aut stramineis indiciis ac signis. v. Optimè etiam dictum *à Calvino lib. 3. Institut. c.* 20. §. 27. sanctos quosdam, quos Papatus colit, esse *larvas*; & à *Chamiero in epistol. Iesuiticis p.* 131. & 191. & 198. esse *portenta*, *monstra*. v1. Verè inter præcipuas columnas Papatus numerari fictiones, pias fraudes, & mendacia; ab *Andreâ VVilleto in libro anglico*, cui tit. *Tetraslylon &c.* & à *Philippo Marnixio in Alveario seu tabula &c. tom. 1. part. 4.* v11. Historiâ ecclesiasticâ corruptâ, & fabulis ac mendaciis conspurcatâ; dogmata fidei, necessariò corrupta fuisse, quæ mendacibus aut suspectis illis historiis magnam partem nituntur. Ex.gr. de purgatorio, de suffragiis pro defunctis, de cultu sanctorum, reliquiarum, imaginum &c. v111. Animas miserè prodi, cùm à scripturis sacris, ad historias; à scripturarum tenebris (uti loquitur *Corn. Iansenius* in suâ adversus me *spongiâ*) ad hanc factorum lucem, à certo canone ad chaos illud incertorum & magnam partem mendacium historicorum abducuntur, cùmquè facillima & tutissima ratio inveniendi veram religionem & ecclesiam, dicitur esse successionis perpetuæ, jam inde ab apostolico sæculo usque ad nos, ex farragine historiarum & humanorum scriptorum investigatio & demonstratio. Quod monstrum ita contudimus in *Desper. Causâ Papatus*, ut justum argumentorum nostrorum examen & refutationem καὶ ποδὸς nec ipse Jansenius cum viveret, nec hyperaspistes ipsius Libertus Fromondus, aggredi

gredi ausus fuerit. IX. Denique irrepsisse superstitiones in cultum publicum, & errores in publicas liturgias, atque adeo in religionem & ecclesiam Romanam. X. Consequenter salubrem reformationem fuisse necessariam: quæ cum diu desiderata, multoties postulata, & subinde subdolè promissa, præstita non sit; jure optimo salutis suæ cupidos secessisse, & etiamnum debere secedere à communione ecclesiæ Romanæ, nec ullius syncretismi prætextu eò redeundum. *Hoseæ* 2. *v.* 1. coll. cum 2 *Corinth.* 6. 16. 17. & *Apocal.* 18. 4.

Constitueram Mythologiam Sanctorum chimæricorum, qui etiamnum in Papatu coluntur, ex professo explicare: sed quia aliæ atque aliæ susceptæ operæ hactenus impediverunt, cogor hic eorum tantum & autorum quorundam, qui consulendi, indicium facere.

SAnctos chimæricos distinguo in primarios & secundarios. *Illi* rursum sunt vel celebriores cultu, vel minùs celebres. *Celebriores* & maximè culti sunt, Tres Reges, Catharina, Christophorus, Georgius. Minùs celebres sunt, Longinus, Lazarus, Martialis, Petronella, Veronica, Margareta, Hippolytus, Septem dormientes, Ursula. *Isti* sunt, Thais, quatuor filii Aimini, Viarius, S. Beatus Suetonius, Ethnicorum & persecutorum nomina. *Trium Regum* fabulam & cultum in Papatu explicant suprà *citata martyrologia*, *Kalendaria Missalia. Breviaria*, *Hymnaria*, *Hagiologi* & *Legendarii*, *sermones de sanctis*, *Scriptores rituales* (*Durantes*, *Belethus*, *Gavantus*) *historici ecclesiastici*, *Baronius*, *Bivarius in commentar. ad chronicon Dextri ad annum* 70. qui eos facit martyres, & citat ibidem *Maurolycum in martyrol.* Ex nostris fabulam refutat *Hospinianus de Festis*, *ad mensem Ianuarium fol.* 33. *& c. Casaubonus Exercit.* 2. *ad Baronium* §. 10. Et *Chamierus tom.* 2. *Panstr. lib.* 16. *cap.* 11. Eam: tamen defendere conatur *Baronius in Annal.* & ex eo *Corn. à Lapide in Matth.* 2. *Rich. Montacutius in Originibus ecclesiastic. p.* 139. *&* 165. *& c.* ubi prolixè de magis una cum Pontificiis contendit, fuisse reges, *§.* 62. *pag.* 202. *Catharinæ* fabula & cultus, toto Papatu longè celeberrimus per festa, officia, patronatus, imagines, fraternitates, &c. discendus ex *Romano Breviario*, & ex classibus autorum *cit.* vide *Bivarium ad chronicon Dextri* anno 300. *comment.* 4. 5. 7. *& ann.* 308. *comm.* 2. 8. 7. Adde *Turnerum in orationibus pag.* 9. edit. in 8. & *Maximil. Sandeum de theol. variâ lib.* 3. *comment.* 19. ubi theologiam infusam ipsi tribuit, & laudes ejus decantat indicatis etiam aliis quibusdam autoribus. Denique *Baptistæ Mantuani opus secundum Parthenices*; quod tribus libris gesta Catharinæ complectitur. *Baronium ad martyr.* 25. *Novembr.* Refutant,

tant, *Raynoldus l.1.de Idololatriâ c.5.§.25.&c. Antagonistæ Bellarm.l.1.de eccles.triumph.cap.20. Hospinianus p.148.&c. Chamierus tom.1.l.2.c.16.& in epist.Iesuit.p.191.* Ex Pontificiis, seu mavis, mediæ theologiæ lectatoribus unus *Cassander, in scholiis ad hymnos ecclesiast.p.278.* edit. operum in fol. ita hoc agit, ut non videam quid reponi possit. Idem sententiam hanc suam denuo confirmat ac tuetur in *epistolâ ad Bonavent. Vulcanium* anno 1559.*pag.*1092. Ante eum idem egerat supra laudatus nobis *Gobelinus Persona in Cosmodromio. Matth. Dresserus* histor. Professor Witebergensis in *libro de præcipuis festis*, totam historiam ejus non rejicit, sed in aliquibus fidem ejus in dubium vocat. Eandem defendere conantur *Baronius ad ann.*307. Et *Gretserus lib.2.de peregrin. cap.2.* Sed utriquè abundè satisfecit *Hospinianus loc.cit.* Nec ipsi Pontificii in historiâ sibi satisfaciunt. Vide *Ioh. Hessels censuram in Passionale*, ubi dicit sibi suspectam esse. *Christophorus* describitur ab *autore historiæ Lombardicæ cap.*95. & *Petro de Natalibus lib.6.cap.*135. Passio ejus placet *Ioh. Hessels.* Eum negare non audet *Baronius in notis ad martyrologium*: sed acta in multis depravata fatetur. Cultum ejus in Papatu evincunt vota ipsi facta, statuæ passim erectæ, & in processionibus solenniter circunductæ. Audiantur modo versus, quos non sine pudore suo fatetur *Molanus* (*de Picturis sacris cap.*27.) statuis adscriptos. *Christophore sancte, virtutes sunt tibi tantæ, qui te manè vident, nocturno tempore rident. Christophori sancti speciem quicunquè tuetur, Istâ nempe die non morte malâ morietur.* Item: *Christophorum videas, postèà tutus eas.* Officium Christophori celebrare concessum fuit à *SS. rit. congreg.*17.*Maji* 1600. teste *Barbosa in collectaneis Bullarii &c.* Cameraci reliquias ejus coli, os scil. magnum testis est *Arn. Raisse pag.*334. Exstant etiam orationes ad Christophorum, in Antidotario animæ. Refutant hanc fabulam *Raynoldus lib.1.de Idololatr.cap.5. Hospinianus fol.*122.*Chamierus tom.1.lib.2.cap.16.Ioh.Gerardi lib.1.confess.cathol.part.2.cap.16. Baronius loc. cit.* ad allegoriam & fictionem parabolicam pœnè dilabitur: unde error historicus & theologicus Papismi ortum habere videtur. Vide *Hyperium, lib.3.de studio theologico cap.31.* Et hinc tamen invictè concluditur, Papistas hactenus adorasse entia ficta; & in hâc suâ excusatione paria facere cum recentioribus Rabbinis, & Doctoribus Muhammedicis, ut etiam cum antiquis Gentilibus, de quibus vide *Chamier. tom. 1. lib. 2. cap.16.§.28.29. 30. Georgius* longè latèquè colitur tanquam patronus nationum, urbium, equitum, militum, armatorum civium, confraternitatum &c. Gesta & martyrium describunt *Iac.de Voragine, & Petrus de Natalibus.* Ille tamen non videtur fidem adhibuisse; quia in *tribus sermonibus*, quos habet *de Georgio*, historiâ vix tactâ allegoricis applicationibus inhæ-

inhæret. Refutant fabulam *Hospinianus*, *Raynoldus*, *Iohannes Gerardi loc. cit.* Haut obscurè manus dat *Baronius in notis ad martyrol.* Contendit tamen pro historiâ *Bellarmin. lib. 1. de eccles. triumph. cap. 20.* Quem refutat *Chamierus tom. 1. lib. 2. cap. 16.* Mirum, quod in subsidium non advocaverit religionem & historiam Muhammedicam: ibi enim hunc sanctum & patronum (quem ג'רג'יס *Gerges* appellant) sibi vindicant, & quidem ex iisdem ferè actis, qualia Papatus suis obtrusit. De quo videatur *Hottingerus lib. 1. histor. Orientalis cap. 3. pag. 99.* *Cantacuzenus apol. 3. c. Muhammedum* testatur eum vocari χατὴρ Ηλιαξ: *Busbequius in epistolis* scribit *Chederles*, & tanquam tutelare militiæ numen ibi coli ait. *Seldenus lib. 1. de success. in Pontificatum Hebræorum cap. 2.* mavult credere Eliam ab ipsis coli, non verò Georgium: *nam*, inquit, *quid Musalmannis cum Christianorum martyribus commune?* Sed si viro per erudito in mentem venisset *capitis 18. Alcorani* cuitit. *spelunca*, illudque relegisset, deprehendisset illic 7. illos dormientes laudari, quòd contra Gentiles verum Deum ejusq; invocationem defendissent. Ut jam non dicam de Jesu, Maria, Baptista, quos *Alcoranus* præconiis exornat. *Longini* centurionis fabula narratur in *Iac. de Voragine Legendâ aureâ*; *à Mantuano in Fastis*; *à Petro de Natalibus* Episcopo Equilino *in catalogo sanctorum lib. 3. cap. 201.* Defendit eam *Malleolus in libro de stigmatibus Christi p. 419.* Ejusdem meminit *martyrolog. Romanum 15. Martii.* Ubi *Baronius*, & *in annalibus* anno 34. §. 39. 55. satis ostendit se fidem ei non adhibere, indicato *Simeone metaphraste*, sine ullâ approbatione. Excutitur hæc fabula ab *Hospiniano ad mensem Martium fol. 51. b.* Et *Chamiero tom. 12. lib. 16. cap. 11.* & *Ioh. Gerardi loc. cit.* Lazarus ulcerosus, ubique terrarum ut sanctus Dei celebratur & colitur, teste *Catharino contra 208. errores Cajetani.* Quod etiam docent patronatus templorum, hospitalium, confraternit., ordinum equitum & c. illi assignati: imprimis quod imagini ejus adjicitur: *Sancte Lazare ora pro nobis*; teste *Molano de picturis sacris cap. 84.* Qui tamen fatetur ibidem esse parabolam: sed addit, simul esse veram historiam. Idem contendit *Corn. à Lapide*, *Barradius*, *Maldonatus aliique recentiores ad Luc. 16.* *Martialis*, unus ex 70. discipulis, memoratur *Petro de Natalibus lib. 6. cap. 29. Baronio ad martyrol. 30. Iunii*, & *in annal. anno 34. §. 90.* & *74. §. 7.* Et *Ioh. Chenu in histor. Chronologicâ episcop. Galliæ.* Baculum Petri huic Martiali Galliarum Apostolo à Petro traditum servat Burdegala; quem tamen *Innocentius I. Myster. missæ §. 62.* Episcopo Trevirensi Germanorum apostolo traditum, & etiamnum à Trevirensi ecclesiâ servari, testatur: referente utrumquè Spondano in notis ad Baronii 74. §. 7. cum hoc epiphonemate: *Gaudeat utraque ecclesia suâ traditione; quam non est dubitandum, pium aliquod*

bere fundamentum, & si non usquequaquè notum. Ioh. Hessels in censurâ dicit, propter multa vitam ejus sibi displicere *Epistolæ duæ ejus nomine* circumferuntur, insertę *bibliothecæ patrum* : quas etiam *cum notis* edidit *Elmenhorstius* anno 1614. unà cum *Gennadio de ecclesiasticis dogmatibus*. De quibus, vide *Robertum Cocum in Censurâ quorundam scriptorum*, & *Possevinum in apparatu* ; & de mythologiâ ipsius Martialis, *Riveti criticum sacrum lib.* 1. c. 7. *Petronillam* filiam apostoli Petri refert *Baronius in martyrol. ad* 31. *Maji*; & *in annal. anno* 69. §. 12. perpetuò mansisse virginem ; eoquè nomine illi cœmiterium constructum, & natalem anniversariâ commemoratione celebrari. Dubitat tamen *ibidem* de nomine, & an fuerit Petri filia. *Antonius Gallonius* apertè negat. Nihilominus, religiosè colitur, uti constat ex *Breviario reformato* ; unde vitam ejus describit *Surius*. Lectionem dubiam de eâ sustulit Clemens VIII. teste *Gavanto in comment. ad rubricas breviarii cap.* 7. *p.* 150. Refutant *Chamierus tom.* 2. *lib.* 16. *c.* 11. Et *Iohannes Gerardi lib.* 1. *part.* 2. *c.* 16. *Veronicam* seu *Berenicem* cum sudario, decantant *Legenda aurea*, *Surius*, *Petrus de Natalibus*, *Baronius anno* 34. §. 42. Defendere conatur *Gretserus lib.* 1. *de cruce* : sed eum cum totâ hâc fabulâ refutat *Hospinianus fol.* 43. 6. *Margareta* à parturientibus colitur. Ejus nomen cum virili schemate assumtum fuit *Pelagius*. Res gestas describunt *Legenda aurea*, *Petrus de Natalibus*, *Lipomanus*, *Surius*. Imprimis celebrant eas *Mantuanus in Parthenices opere tertio*, & *Hieronymus Vida*. Exstat & sermo in festo Margaretæ, in *Sermonibus de sanctis*, cui tit. *Thesaurus novus* edit. Argentorat. 1497. Et duo sermones de eâdem in *Pelharti Themesvar pomerio sermonum de sanctis* : ubi singulas partes Legendæ Margaritiçæ pro rhetoricâ istius temporis exaggerat. Refutat hæc figmenta *Hospinianus fol.* 118. 6. & satis vacillat *Baronius ad martyrologium* 20. *Iulii*. Et vita ejus displicet *Ioh. Hessels*. *Hippoliti* fabulam leges apud *Metaphrasten*, *Iacobum de Voragine* in *Legendâ aureâ*, & in *Sermonibus de sanctis*, *Petrum de Natalibus*. Eam arguit *Hospinianus fol.* 127. *b.* & *Chamierus tom.* 2. *lib.* 16. *c.* 11. *Baronius ad Martyrolog.* 13. *Augusti*, quamvis *Bedam*, *Vsuardum*, *Adonem*, & primum forte hujus historiæ autorem *Prudentium* advocet : fateri tamen cogitur, Prudentium tres Hippolitos confudisse. Passio ejus in *Passionali* descripta omnibus modis placet *Iohanni Hessels. Septem dormientium* insulla fabula, quia nunc jacta est alea, propinatur etiam num in Papatu ; ne admittatur, in cultu ecclesię, Romanæ tot sæculis dominatum esse hunc stolidum errorem. *Baronius* libens transformaret historiam in allegoriam. Vide eum miserè fluctuantem, in *notis ad martyrol.* 27. *Iulii*, & confer *annales an.* 853. §. 61. *Surius* totam historiam omisit. Habet eam *Legenda aurea* ; *Petrus de Natalibus* ; *Durantes in Rationali lib.* 7. *cap.* 18. *Antoninus*

in hi-

in histor. tit. 7. cap. 7. §. 6. & tit. 16. c. 1. §. 20. Vincentius Bellovacensis in speculo historiali lib. 21. cap. 9. Pro hujus historiæ veritate stant *Majolus colloq. 4. dierum canicularium*, & *Maximil. Sandeus lib. 1. theol. symbol. comm. 2. Exercit. 6. Delrio disquis. lib. 2. quæst. 21.* aliique à *Sandeo* & *Baronio indicati.* Quibus adde *Kornmannum de mirac. mortuor. part. 2. cap. 42. 43.* Quos si quis conferat, deprehendet eos in nominibus, numero & annis tam diuturni somni variare. *Vincentius* numerat 192. *Durantes* 300. *alii* 372. annos; quos tamen redarguit *autor Legendæ aureæ.* Ego ad fabulæ hujus illustrationem non tantum conferrem cum *Baronio* & *Sandeo* Epimenidem & puerum apud *Plinium*, & septem alios, qui ferreum soporem dormivisse dicuntur (quos cum aliis indicat *Sandeus* & *Delrio loc. cit.*), sed insuper ecstasin 300. annorum, quam monachus Afflegemensis, quasi stans pede in uno, audiendo aviculam suaviter cantillantem, passus dicitur, uti ex Costero Jesuitâ (viro scil. minimè mendace) hujus rei veritatem scrutatò intellexisse se refert *Corn. à Lapide in 2. Petr. 3. v. 8.* Adhæc autoritatem *Alcorani Muhammedici*; cujus fabulæ alibi cum Thalmudicis & Ethnicis, ad suscitandum ignem purgatorium, à Pontificiis advocari solent. Sanè *Alcoranus cap. 18.* cui tit. אלכהף id est, Σπηλάια *speluncæ*, (in vulgatâ versione lat. est *cap. 28.*) ex professo hanc historiam inculcat, & pro ejus fide atque autoritate gravissimè protestatur. Trecentos annos numerat (latina translatio vulgata habet 360.) atque unà refert fuisse qui 900. numerarent. Invehitur in infideles, qui ajunt tantùm quinque fuisse dormientes, & sextum eorum canem: ille autem contrà statuit fuisse septem, & canem eorum octavum. Legat reliqua, cui vacat. Nec prætereundum brachium unius ex septem, Maximiani scil., quod in abbatiâ S. Vedasti servari testatur *Arn. Raisse in Hierogazoph. p. 525.* Ut nec *millio dormientium, inter quos Ioseph ab Arimathiâ, qui somnum sub marmore diuturnum cæpit*, apud *historicum Britannum Melchinum Avalonium*, qui floruit anno 550. teste *Baleo cent. 1. de scriptor. Britann. cap. 57.* & ex eo *Ger. Ioh. Vossio, lib. 2. de Histor. lat. cap. 20.* Imprimis conferendus simillimus cultus sanctorum septem dormientium, Clementis, Primi, Cleti, Theodori, Gaudentis, Quiriaci, Innocentii, ex duobus fratribus Martini Turonensis nepotum; quorum *vitas* descripsit *Gregor. Turonensis.* Et exstat *liber hic M. S.* Lovanii apud Martinenses, teste *Molano ad Vsuardi martyrolog. 4. Novembr.* Concludo verbis *Erasmi in adagiis, ad adagium de Epimenide*: Si „quid habet veri Pythagoræ μετεμψύχωσις consentaneum est hujus „Epimenidis animam in sophisticos istos theologos demigrasse qui tan„tum inanium somniorum invexerunt in orbem, quam multis vix sufficiat somnus in 200. annos continuatus. An ad fabulam septem dormientium

tacitè alluserit; lector conjiciat. Fabulam hanc perstringunt ex nostris *Hospinianus* in *lib. de Festis*, & *Chamierus tom. 2. lib. 16. c. 11. Vrsulæ & 11000. virginum* fabula supra satis superque à nobis examinata. Nec vacat nunc plura ad cumulum conquirere. Quod nunc occurrit, in *Censurâ Passionalis* autore *Ioh. Hessels* (edita est *à Molano* 1568. unà cum *Vsuardi martyrologio cap.* 10.) notari velim: *Placet sermo: historia passionis toleratur.* Et quæ apud *Gavantum thesauro sacrorum rituum tom. 2.* qui continet *commentar. ad rubricas breviarii sect. 7. cap. 12. p. 169.* verba sic habent: *Vrsulæ &c. In quinto sæculo, hoc est, anno 500. indictum esse Festum, ait Iac. Philipp. Bergomens. citatus à Schultingio. In Missali Vaticano* volum. 3808. *Officium solemne proprium totum in Breviar.* 1550. *Pius V. commemorationem decrevit. Si adsit alicujus ex his Virginibus caput, aut insignis Reliquia, & nomen ignoretur, fiat de ea Officium duplici ritu, sumpta Oratione de Commune in singulari, tacito illius nomine (quod fit in S. Callisto, & aliis) & fiat commemoratio S. Hillarionis, & SS. Vrsulæ & sociarum; nisi aliud à Majoribus concedatur, aut legitimè præscribatur. Sancta Thais*, meretrix, ut habet tit. in *Legendâ aureâ cap.* 147. Et apud *Petr. de Natalibus lib. 9. cap.* 38. Ubi refertur, abbatem Panutium illi jam pœnitenti prohibuisse, ne orans Deum nominaret; & mandasse, ut urinam suam in parvâ cellâ, cui inclusa erat, effunderet &c. Tacitè hanc chimæram rejicit Papatus, cum in *Kalendariis, martyrologio, & catalogis sanctorum* (c. gr. vasto illo *Philippi Ferrarii*) ad hæc *Vitis sanctorum* seu *Hagiologiis* eam omittit: ubi tamen aliæ conversæ meretrices comparent, ut Maria Ægyptiaca, Maria Tarlensis &c. *Aimini* seu *Aimundi quatuor filios*, sanctos aut quasi sanctos coluit vulgaris superstitio: hinc etiam in processionibus partem facere solent; quo facto fabula hæc canonizatur. *Ioh. Bertels* Abbas Epternacensis in hist. Luxemburgicâ in descript. oppidi Chimiaci, sic de illis commentatur: *Cæterùm tamen fratres istos quatuor ex Principe Arduennæ Aymondo originem ducentes aliquando vixisse, atque admodum insignes in re militari extitisse, nolim inficiari. Quin & horum natu maximum Raynoldum pro Christi nomine martyrio fuisse affectum, Sanctorumque catalogo adscriptum, ejus dies festus, quem Ecclesia celebrat, notum efficit, & prater alia, ad ejus honorem Deo dicata templa inter quæ est Ecclesia sancti Raynoldi apud Vbios insignis licet parva cum adjuncto sanctimonialium Monasterio Ecclesia Coloniæ Agrippinæ propè S. Mauritium conspicitur. Vbi & imago ad templi parietem depicta quatuor fratres equo eodem insidentes, atque primum eorum majorem Raynoldum diademate summæ sanctitatis nota circa caput redimitum, videre est. Ferrarius in catalogo sanctorum ad 7. Ianuarii*, ex milite Caroli M. factum dicit Monachum Colonienſem & Martyrem, & propter miracula post mortem edita patronum Tremonienſem.

nienſem, templumque ibi nomine ipſius inſignitum. *Illum*, inquit, *ferunt Rinaldum eſſe; de quo inter Palatinos tot fabuloſa narrantur. Cratepolius in libro de epiſcop. & ſanctis Germaniæ* dicit eum illuſtri gerere natum *ex ſtrenuo milite ſicut VVilhelmus Dux Aquitaniæ, factum verè monachum* &c. Coloniæ in Monaſterio Divi Pantaleonis &c. ſed de Aimundo principe Arduennæ, altum ſilentium. *Viarius* per errorem hoc nomine Ethnicus quis viarum curator, tanquam ſanctus Epiſcopus & martyr, & ſpecialis curator lumborum cultus fuit Turegii in Luſitaniâ in templo B. Mariæ: uti refert *Andreas Reſendius in epiſt. ad Barthol. Keberdium de martyribus Eborenſibus*; & ex eo: *Vſſerius in Antiquit. Eccleſiar. Britannic. cap.* 16. *p.* 747. edit. in quarto.

DE DIVIS SEU SANCTIS QUIBUSDAM CHIMÆRICIS

TERTIA, Quæſt

DE SANCTIS { NON-SANCTIS. EX-SANCTIS. QUASI-SANCTIS.

Reſp. JOANNE SLAETS Heuſda-Batav. *Ad diem* 1. *Decemb.* 1649.

Cùm in confeſſo ſit ad eruditionis Theologicæ apparatum aliquod momentum adferre hiſtorias eccleſiaſticas, hoc eſt, cognitionem antiquitatum & novitatum eccleſiaſticarum; (*vide* Melch. Canum locor. theologic. lib. 11.); *à curriculo Academico non aliena duximus aliqua hujus ſtudii indicia & ſpecimina, majoris operæ poſt decurſum hoc ſtadium ab iis, qui volent & poterunt, aliquando ex profeſſo inchoandæ & continuandæ progymnaſmata. Inter alia ſpecimina publicis prælectionibus & diſputationibus noſtris antehac propoſita & porrò cum Deo proponenda*, Diatriba de Sanctis Chimæricis in Papatu *cujus primam* diſp. (quæ eſt de Urſula & ſociabus) *antehac dedimus. Animus nunc eſt tertiam ſubmittere.*

CHimæratum Papalium varios gradus, & diverſas ſpecies conſtituimus. *Aliæ* enim ſunt ſimpliciter non entia, quæ ſcil. nunquam in rerum naturâ fuerunt, ut Urſula cum 1100. virginibus (de quâ nunc actum) Tres reges, Petronilla, Catharina, Margareta, Lazarus, Longinus, Martialis, Septem dormientes, Chriſtopho- 1.

ſtophorus, Georgius: de quibus ſuprà currente prœlo, digito ad autores intento, nonnulla notavimus. Confer ſimiles parabolicas aut emblematicas fictiones, infrà §. 3. Mirum eſt, non fuiſſe iſtius generis ſanctos ad modulum Lazari, quatuor filiorum Aimundi, Chriſtophori &c. complures edolatos; ut, filium prodigum, Quinque virgines ſapientes, fidem, ſpem, caritatem, religionem, conſcientiam &c. Et quidni Eraſmi militem Chriſtianum, geſta Romanorum moralizata, Ovidii vetulam allegorizatam, Ourſon cum fratre Valentino, Amadiſum cum Floreſtan & Galaor, Meluſinam, Argenin Barclai, Lazarum de Tormes, Apulei aſinum aureũ, & quidquid habet Ovid. Metamorph. & ſcriptorum Italorum ac Gallorum tum comœdiæ tum vulgò dictæ *romancæ*? Et quidni miremur præteritum eſſe Renardum vulpem pœnitentem, quem Franciſci Lupo pœnitenti & Muhammedi beſtiæ Alborach, & Judæorum Leviathan & bovi tot jugera quotidie depaſcenti jungere poſſis. 11. *Aliæ* non ſunt omninò non-entia; ſed tamen ſunt non-entia hæc, id eſt, non ſunt homines, nec unquam fuerunt; nedum ut martyres aut ſancti homines fuerint. Ad hanc claſſem referri debet *n ave ſanctum chriſma*, quod canere ſolent in confectione olei ſeu chriſmatis: ut habet *Pontificale*; & ſudarium illud Cadurcenſe in Galliâ, quod hâc formulâ adorari ſolet: *ſancte ſudari ora pro nobis*. Item *ſudarium Chriſti, liberet nos à peſte, & à morte triſti*: uti ex ipſorum proceſſionali enotat *Zadeel. in reſp. ad fidei profeſſionem monachorum Burdigalenſium artic.* 58. Ad hæc mappa, quâ uſus dicitur Chriſtus in cœnâ, quam in abbatiâ Fouſenſi ſic invocant: *ſanctiſſima Dei mappa ora pro nobis*: teſte *Zadeele loc. cit.* Similia aut potius eadem refert *Hoſpinianus*, *in libro de Templis*. Quæ *Gretſerus ex Daneo cap. Bellarminum* deſcripta dicit *tom.* 3. *de cruce lib.* 3. *cap.* 3. Ubi cum prius fidem Danei in dubium vocaſſet, mox ſubdit: *illum precandi modum nihil abſurditatis continere: eſt enim locutio tropica, perque metonymiam ad ipſum Chriſtum refertur*. Alias reliquias aut formaliter & explicitè ſic adorant; aut ſaltem implicitè, dum oſculis, genuflexionibus, aliiſquè cultus religioſi actibus & ſignis eas colunt. Confer 2. *part. ſelectar. diſpp. tit. de perfoſſo latere Chriſti*: ubi de ſudario & ſindone Chriſti. Sudarium Veronicæ precatione rhytmicâ autore Johan. XXII. ſub promiſſione indulgentiarum 10000. dierum, ſic invocari ſolet: *Salve ſancta facies* &c. *Nos ab omni maculâ purga vitiorum. Atque nos conſortio junge beatorum. Salve vultus domini imago beata* &c. Vide eam in *Nicol. Saliceti* Abbatis *libro meditationum ac precationum*, cui tit. *Antidotarius animæ fol.* 57. 6. edit. Pariſ. in 8. apud *Gaimpardum Philippe* a. 1509. Habetur etiam integra apud *Raynoldum l.* 2. *de Idololatriâ c.* 3. §. 81. Huc pertinet fraternitas ſancti ſudarii J. Chriſti a. 1579. Romæ erecta à Sabaudis, & confirmata à Clemente

VIII.

VIII. referente *Camillo Fanuicio in tract.* Ital. *de operibus piis almæ urbis Romælib.3.cap.19.* Bullam tamen in *Bullario* aut *Flavii Cherubini compendio* non invenio. Huc ergo totum choragium reliquiarum advocari posset, usque ad sanguinem, pilos (quæ Philosophi ipsorum aliàs negant esse partes corporis humani; nedum ut sint homines sancti religiosè adorandi aut colendi), vestes, utensilia, vestigia &c. quinimmo & laternam Judæ, caudam asini &c. Ad eandem classem etiam referri deberet (siquidem hypothes eorum usque ad finem servarentur) frater asinus Francisci, ejusdem frater lupus pœnitens, soror corvus, sorores hirundines: si fortè unà cum Muhammedico animali alborach, & vervecibus in paschate mactatis in paradisum recepti aliquando beatificentur. Cur enim minùs adorentur, ac modo memoratum sudarium, aut imagines sanctorum? Sed hæc mittamus. Saltem diffiteri non possunt fictitium sanguinem Christi, quem tot locis ostentant, & fictitios Christos, quos quotidie ex pane creant, à suis tanquam Deum aut aliquid Dei, summo gradu cultus religiosi, hoc est latriâ (secundum distinctionem ipsorum) adorari. De panaceo idolo notum est. De sanguine Christi, vide *Collii tract. peculiarem*, & qui ex illo multa compilavit, varioquè autores indicavit. *Martinum Bresserum lib.6. de conscientiâ cap.22.23.24.* & nos *in disp. de perfosso latere Christi.* De his omnibus dicimus, esse chimeras, id est, Divos seu Deos, numina & objecta adoranda, planè ficta, & chimerica: quia non sunt Deus, aut Christus ψευδόχριστοι, ne quidem homines sancti. Idem dicimus de nomine Jesu, hoc est sono & signo illo articulato sive pronuntiato, sive scripto: de quo suprà in *disp. de Superstitione.* Inventaria reliquiarum Christi, & sanctorum quorumcunquè, præstant *historici speciales in descriptionibus Regionum, Vrbium* &c. Belgicas reliquias collegit *Arnoldus Raisse in libro*, cui tit. *Hierogazophylacium Belgicum.* Ad hanc classem referenda, Mons Calvariæ, omnia membra Mariæ, vulnera Francisci, & istius furfuris compluria. Minoritarum & sectatorum devotiones circa stigmata sui Francisci hîc non excutiam, contentus exhibere distichon quod Francisci stigmatizati imagini ab Alberto Durero sculptæ subjectum habeo: *Vulnera quæ propter Christum Francisce tulisti, Illa precor nostris sint medecina malis.* In antidotario animæ modò cit. fol. 67. occurrit oratio de omnibus membris Mariæ, cujus formula, *adoro & benedico altissimos pedes tuos* &c. *fecundissima ubera tua* &c. *manus tuas tornatiles* &c. *labia tua melliflua* &c. *obedientes aures* &c. *speciosissimos oculos tuos* &c. Vidi *libellum meditationum & precum* vernaculo sermone olim in hâc urbe excusum in 8. ubi adorabatur mons Calvariæ, hâc aut simili formulâ: *salute* aut *adoro te.* III. *Alia* non negantur fuisse homines, qui in rerum natura

râ aliquando exstiterint; sed negantur fuisse homines Dei, seu sancti quî fide & pietate exemplari, insuper laboribus & passionibus pro Christo, etiam miraculis in vitâ, aut morte aut post mortem præ aliis eximii & venerandi fuerint: qualis ex. gr. Franciscus, Dominicus, Elizabetha Schonaugensis, &c. IV. *Aliæ* sunt quæ quamvis ex professo non negarentur (quia nihil nobis in religione & adoratione hominum seritur aut metitur) fuisse in rerum natura, & quidem homines, etiam donis eruditionis aut sanctitatis aut meritis in ecclesiam eximii: tamen certa, & communi fide Romanâ semper habiti & crediti non fuerunt, aut etiamnum non habentur & creduntur sancti, formaliter sic dicti, hoc est, legitimè canonizati & ab universali Papatu semper & etiam nunc constanter recepti ac culti. Meritò ergo ad hominem tales chimæras Papatui objicimus: quia secundum ipsorum credulitatem aut incredulitatem sunt non entia quod ad esse suum formale, hoc est non sunt sancti aut numina colenda, Tales sunt ex. gr. Eusebius Emyssenus, Raymundus Lullus &c. De talibus, ut & tertiæ classis chimæris nunc cum Deo agemus, easque ad hæc tria genera revocamus, 1. *Sanctos non-sanctos.* 2. *Sanctos ex-sanctos.* 3. *Sanctos quasi-sanctos:* qui postremi rursum in varias classes subdividuntur; uti infra videbitur.

DE SANCTIS NON-SANCTIS.

SAncti non-sancti sunt vel manifestè hæretici, aut idololatræ: vel manifestè improbi, aut scelerati; & consequenter martyres & confessores non Christi, sed vitiorum suorum, & diaboli, siquidem in peccatis illis suis pertinaciter perseverârint; vel fatui, melancolici &c.; vel pythonici; vel hypocritæ & impostores; vel martyres, aut confessores sæculares, politici, militares, casuales; vel turpes & infames peccatores pœnitentes. 1. *Manifesti hæretici, aut idololatriæ* sunt, novitii sancti Papatus ex. gr. Durantes autor rationalis, Raymondus de pennâ forti, Ignatius, Xaverius, Philippus Nærius, &c. Et tales plerique à Papis jam tribus retro sæculis canonizati. Sed imprimis hîc notandi sunt, quos ipsi Pontificii, nunc passim hæreticis sive Jure sive injuria accensent, quales Eusebius Emyssenus, Origenes &c. de quibus infra ad tit. Ex sanctorum & quasi-sanctorum. Et tales κατ' ἐξοχὴν sunt Gentiles per errorem inter sanctos culti aut quasi culti, ut Sibyllæ; quarum imagines in templo aliquo Venetiis conspiciuntur; & quarum oracula cum Davidis conjunguntur in frequentata illa sequentia, in commemoratione omnium fidelium defunctorum (vide Missale edit. Plantin. 1624. in fol. pag. 87. 89.) *Dies iræ, dies illa solvet sæculum in favillâ: Teste David cum Sibyllâ:* Quarum oracula in *Bibliothecâ Patrum* edit. postremæ Colonienſis locum inveniunt. De quibus fortè alibi

alibi, si Deus volet. Confer infrà Gentiles Deos & homines in Papatu per errorem cultos. II. *Manifestè improbi aut scelerati sunt*, ex. gr. Dominicus infamis latro & crudelissimus persecutor Waldensium, Thomas Becket Archiepiscopus Cantuariensis, perfidus & seditiosus principis sui & patriæ perduellis ac proditor. Huc refer turbones aut proditores, aut Assasinos in Anglia, Campianum, Garnetum, &c. In Gallia Jacobum Clementem, Johannem Chastellum; in Belgio Baltazarum Gerardum; etiam ex illis aliquos, si non plerosque quos in Anglia & Belgio martyrio coronatos referunt *Surius in commentariis rerum gestarum; Autores librorum*, tit. *Trophæa ecclesiæ Anglicanæ, Concertatio ecclesiæ catholicæ in Anglia &c.; Estius & Opmeer de martyribus Belgicis; Molanus ejusque appendix de natalibus sanctorum Belgii; Miræus in Fastis Belgicis; Dionysius Mutsart in historia Ecclesiastica* Belgico sermone conscripta; & qui nominatim sanctos aliquot Jesuitici ordinis laudant, *Carolus Scribanius in Amphiteatro honoris, & Societas Flandrica in primo sæculo Iesuitarum.* Quin & tota societas Jesuitica propter proscriptionem (sed transeuntem) ex Gallia anno 1597. & permanentem ex Dominio Venetorum anno 1608. ad hanc sacrorum confessorum classem compingi potest. Ad martyres seditionis, perduellionis, proditionis, perfidiæ, ἀλλοτριοεπισκοπῆς, pertinent etiam sive exteri Hispani & Lusitani, sive Japonii, qui in illo regno propter novarum rerum molitionem & ipsi passi sunt, & nuperam Christiani nominis persecutionem & exstirpationem ibidem concitarunt: de qua vide *Primum sæculum Iesuitarum*: cum quo conferatur *Gasp. Schioppii Astrum inextinctum, in fine.* Certè tales martyres dispungimus juxta 1 *Petr.* 4. *vers.* 15. *Nemo autem vestrum patiatur &c.* & Concil. Eliberini can. 60. *Si quis idola fregerit; & ibidem fuerit occisus, quia in euangelio non est scriptum, neque inveniatur ab Apostolis unquam factum, placuit in numerum eum non recipi martyrum.* Fiat nunc argumentum à minori ad majus. Sed de his in *disp. de Martyrio.* Nec prætereundus impostor ille sanctus Chapeletus du Prat, cujus vitam flagitiosam, & honorem religiosum à populo post mortem ipsi exhibitum describit *Bocacius in Decamerone Iournée* 1. *Nouvelle* 1. *pag.* 26. 34. edit. gall. quæ narratio in latinum translata, edita est cum *Operibus Olympiæ Moratæ lib.* 1. *p.* 18. III. *Melancolicè delirantes*, aut *fatui, stulti, amentes* sive *continuo* sive *per intervalla*: qui rursum in stultos 1., 2., 3., gradus distingui possunt. Hujus generis sanctos inter fantasticos & fanaticos monachos & monachas, quamplures fuisse ex *legendariis, vitarum, exemplorum, miraculorum scriptoribus*, quivis non fatuus facillimè colligit: quorum fantastica deliria, morbidæ ecstases pro divinis raptibus, motibus heroicis & propheticis, extraordinariis actibus simplicitatis, ab negationum,

mortificationum, aliarumque virtutum venditantur: ut Catharinæ Senensis, Brigittæ, Elizabethæ Schonaugensis, Hermanni istius Nortbertini, quem Josephum & alterum sponsum Mariæ appellant &c. De quibus vide *vitas sanctorum*. An Simeonis Stylitæ, institutum & mores phantasticum & melancolicum quid resipuerint, meritò inquiri potest. Saltem illum hoc nomine juxtà cum duobus aliis, ejusdem nominis & instituti, sanctis minimè annumerandum censeo: quidquid de eo judicârint antiqui *à Baronio ad martyrol. 5. Ianuarii* adducti. Nos his aliisque nunc præteritis, unum Franciscum Assisium commonstramus Jesum scil. typicum (secundum Papistas). ducem & normam Minorum, cujus fatuitates describit *Bartholomeus à Pisis* celebri illo *Alcorano seu libro conformitatum* à capitulo Generali Minoritarum solenniter approbato, & nuperrimè per *Henricum Sedulium* Ultrajecto (uti percipio) oriundum, istius ordinis Monachum defenso. Præclara aliquot ex illo Alcorano excerpta exhibuit quis nostrate linguâ tit. *Minoritarum Alcorano seu Vlenspiegel.* Notentur imprimis de fratre lupo, & asino, de sorore corvo & hirundine, de agnis à macello & mactatione redemtis, pediculis ex corpore decidentibus & in pascua repositis, de exutis femoralibus &c. Sed ipsæ *conformitates*, aut *Vinea Francisci* belgicè edita, aut *ejus compendium* in 8. olim (si benè memini) mihi visum, aut *prædictus libellus excerptorum tit. Alcorani* &c. aut *Marnixii Sanct-Aldegondii Tabulæ seu alvearium, tom. 1 part. 4. c. 3.* legendum est. Melchior Canus lib. 11. loc. theolog. pag. 651. non potuit sibi temperare, quin aliqua istorum perstringeret. edit in 8. *Sed dum quidam affectui suo nimium indulgent, & ea scribunt, quæ animus scribentis dictat, non veritas, tales Divos quandoque nobis exhibent, quales Divi ipsi, & si possent, esse tamen noluissent. Ecquis enim credat, Divum Franciscum pediculos semel excussos, in seipsum solitum esse immittere? Quod ad sanctitatem viri, scriptor pertinere putavit, equidem non puto, qui paupertatem sciam viro sanctissimo placuisse semper, sordes nunquam. Illud item quàm ridiculum? Diabolum Dominico patri nostro, semel obstrepentem, à Divo esse coactum, ut lucernam haberet in manibus, quoad illa absumpta non molestam solum, sed incredibilem dolorem etiam afferret.* Hoc non obstante profundâ cum devotione apologos illos pluisquam Æsopicos, tanquam sacras historias, de lupi pœnitentiâ & emisso voto, & quidem manu (pede volito dicere) stipulatâ, de hirundinibus euangelii auditoribus &c. etiamnum obtrudunt. Certè à fatuitate purgari non potest, nisi dicatur insignis scurra & ambitiosus hypocrita atque impostor fuisse, qui instar Diogenis aut Muhammedi, aut similium gloriæ animalium histrioniam illam egerit. An Martinum Turonensem, ut vitam ejus describit *Sulpitius Severus*, ab omni fatuitatis gradu aut nebulosis

bulosis intervallis liberare possimus, ex suprà dictis in *disp. de Patronatibus Sanctorum* percipi poterit. Porro in Papatu peculiariter sacros aut Deo gratos haberi simplices, h. e. fatuos, ut duo, aut ut quatuor aut ut sex &c. notavimus in *disput. de Simplicitate & hypocrisi.* In quo cum Muhammedistis symbolizant. IV. *Pythonici, energumeni, diabolicè ecstatici, mirabiliarii*; in quibus, aut coram quibus sive volentibus, sive ex pacto, sive absque pacto seductis & delusis, diabolus admiranda aliqua egit & prolocutus est. Vide *Actor.* 16. *v.* 14. & *disp. de Energumenis.* Exempla saltem ad validam præsumtionem, & contra istius generis sanctos exceptionem, sufficiunt ab ipsis relata, ut, monialis Belgicæ, Magdalenæ de la Cruz Cordubensis, S. Catharinæ Bononiensis, Monialium Querceten-sium, Johannis Crucii, Begardorum &c. apud *Delrio lib.* 4. *disquis. Magic. c.* 1. *quæst.* 3. Percurrat quæso, cui vacat, cit. quæstionis totam sectionem 4. & 5. Adde Mariæ monialis Dominicanæ, in monasterio visitationis; cujus miracula jam publico libro descripta erant, & de quorum approbatione Romę agebatur. Memini me historiam ejus ante complures annos legisse, ex idiomate hispanico in belgicum traductam. Ejusdem meminit *historicus Belgarum Imman. Meteranus.* Quòd si ipsis licet nunc demum à diabolo delusos aut illudentes dicere, qui ad tempus aliquod, etiam post mortem pro sanctis habiti fuerunt: quidni & nos de multis aliis idem non suspicemur, aut credamus, quamvis ipsis non visum fuerit eos cum modò nominatis detegere? Et quid si addamus Ignatium, cui (teste *Ribadenira in ejus vitâ*), tantum luminis theologici à diabolo in fundebatur. Si Dominicani Bernenses a. 1607. (de quibus *Delrio l. cit. & Sleidan. l.* 1.) mature deprehensi non fuissent, utique sanctulum perpetuum ex subornato illo semifatuo & diabolicè deluso monacho, edolassent. De Johannâ Lotharingicâ seu puellâ Aurelianensi, quam ad hanc classem revoco, egimus ex professo in *disp. de Miraculis.* Elizabetham Bertonam, dictam virginem Cantiam, delusam fuisse & delusisse, asseruimus in 2. *Parte Selectar. disp.* tit. de *Probationibus spirituum.* v. *Dolosi Hypocritæ, & impostores*, qui ecstaticas devotiones, apparitiones, revelationes, colloquia cum Christo, Angelis, Sanctis, Spiritibus purgatorii, aut signa & miracula finxerunt atque ostentârunt, aut ab aliis fingi passi sunt. Quales Dominicani Bernenses, aliique *à Delrio loc. cit.* indicati. Aliquos notamus in *disp. de Spectris, & de Probationibus spirituum.* Nec sine ratione metuendum est complures dictos sanctos, quibus *Sandeus in tract. de Theologiâ mysticâ & de Theologiâ variâ* extraordinarias revelationes, ecstases, signa tribuit, hujus furfuris fuisse. Si tamen aliquos probabiliter eximere possint, illi ad præcedentem classem quartam aut tertiam referantur;

siquidem aliquâ ex parte verum sit talia ab ipsis dicta aut gesta fuisse. vt. *Politici, sæculares, Casuales, militares martyres* sunt, qui ex Papistis Clericis aut laicis, gravia, etiam mortem passi sunt, sed casu seu infortunio, aut in tumultu, aut per seditionem, aut per licentiam, aut furorem, aut calamitatem militarem, in latrociniis, prœliis, urbium & agrorum vastationibus, &c. Sic anniversariâ solennitate celebratur Sendomiræ in Poloniâ memoria eorum qui Anno 1260. in strage à Tartaris editâ occubuerunt: quæ celebritas magnis indulgentiis ab Alexandro I. concessis aucta fuit: uti refert *Cramerus lib. 9. rerum Polonic.* Pariter pro martyribus religiosè coluntur equites Germani, Flandri, Galli, Angli, Lusitani, qui in oppugnatione Ulissiponensi anno 1147. occubuerant: teste *Vascanello in Histor. Lusitaniæ*, & *Miræo in Fastis p. 621.* Qui latâ Judicum sententia supplicio affecti, sed propter meras causas (sive verè sive per prætextum aut calumniam) militares, aliasquè politicas & sæculares, non verò propter causam Christi, aut etiam religionis Romano-Papalis: qui consequenter verorum martyrum & sanctorum, aut saltem Papalium, numero adscribi non debent. Cur ducem Guisium jussu Henrici III. injustè (secundum ipsos), & ipsum regem Henricum III. & Henricum IV. Papisticæ communionis Reges, per scelus nefariè obtruncatos, martyres & sanctos non proclamant? Sed de talibus aliisque politicis aut militaribus (apud *Miræum in Fastis pag. 622.*) martyribus non martyribus, agemus, in *Disp. de Martyrio.* VII. Αὐτοχειρες, & qui seipsos mutilarunt, vulnerarunt, plagis afflecerunt. De quibus alibi disquirimus in *Disp. de Homicidio sui ipsius.* VIII. *Peccatores pœnitentes* sunt, qui à vita flagitiosè (teste ipsorum *Legendâ*) traducta resipuerunt: e.gr. latro in cruce; Maria Ægyptiaca, quam κατ' ἐξοχὴν peccatricem appellant: De quâ *Martyrol. Romanum.* Beatrix Monialis: cujus vices B. virgo propter servatum sabbathum Mariæ in monasterio subibat, dum illa quindecim annis turpitudini suæ in lupanaribus vacaret. Adde Margaretam pœnitentem ex *Catalogo Ferrarii*, & Thaidem meretricem, ex *Legendâ Iac. de Voragine*; & chorizantes illos qui ob profanitatem miraculosè puniti integro anno fine intermissione chorizabant, donec archiepiscopus Colonienſis eos à maledictione illa absolveret, & ipsi ita conjũgerentur, *ut inter sanctos reputati sint: teste Nauclero 1. vol. chronographiæ part. 2. generat. 34.* ferè *sub finem.* Sed cur eodem jure totam domum pœnitentium seu *convertitarum* (ut vocant) meretricum Romæ (à Leone X. institutum tale monasterium sub invocatione Magdalenæ anno 1520.) cur latronem post mortem & capitis amputationem tantisper vitæ restitutum, donec confiteretur, pluresque alios flagitiosos, qui ante obitum resipiscunt aut per infame supplicium per sa-

cramen-

crámentum pœnitentiæ Papalis in ſtatu gratiæ (ſecundùm ipſos) hinc diſcedunt, cur, inquam, omnes illos in ſanctorum album non referunt? Immò cur non omnes qui ex ordine & ſtatu meretricum aut nebulonum hactenus religioni ſeu monachatui nomen dederunt? IX. *Excommunicati*, ab ipſo Papa Romano. Qualis Johannes Semeca Præpoſitus Halberſtadienſis primus Juris Canonici gloſsator, qui excommunicatus ab Urbano IV. Canonizatus fuit à Clemente IV. Quod fide *Pleſſei in Myſterio* hic refero: nec reprehendunt eum antagoniſtæ illius Myſterii *Couffetellus* & *Gretſerus*. Apud *Platinam* tamen & *Stellam in vitis Pontificum*, ut & in *Bullario, ejuſque compendio* totum hoc de Johanne excommunicato & canonizato præteritur. Conſulat igitur, cui vacat, *hiſtoricos* à *Pleſſeo in margine notatos*. X. *Non ſancti*, ad hominem, ſeu ex hypotheſi fidei Romanæ. Qualis ipſis debebat eſſe Cyprianus, quippe in ſciſmate contra ſedem Romanam mortuus, fatente *Hardingo c. Iuellum*: de quo in *Deſper. Cauſâ Papatus*. Et Carolus Magnus, qui imagines invito Epiſcopo Romano condemnavit, & decretis imperialibus prohibuit. De quo *part.* 2. *Diſpp. tit. de Methodo elidendi antiquitatem, ſucceſſionem & c.* XI. *Non-ſancti* nominales ſeu nominaliter: qualis e.g. Beda, qui licet in catalogo ſanctorum computetur, non tamen ab eccleſiâ ſanctus, ſed venerabilis appellatur duplici ratione &c. vide, ſi vacat, has inanias in *Rationali Durantis lib. 7. fol. 234. b.*

DE SANCTIS EX-SANCTIS.

SUnt illi varii, excanonizati ſcil., prohibiti, expuncti, capite diminuti ſeu degradati. I. *Claſſis, excanonizatorum* qui cùm priùs in forma tanquam thaumaturgi & ſancti publicè colerentur, poſtea per Papam expuncti fuerunt: qualis Hermannus de Ferraria; quem 20. annis jam cultum, hæreſios damnavit Bonifacius 8. De quo vide *Chronicon Phil. Bergom. lib. 18. & Bzovium, in Baronii contin. ad an.* 1300. II. *Claſſis prohibitorum*: qui quamvis in forma nondum canonizati, in Papatu tamen primum culti per conniventiam, poſtea prohibiti: ut Rochus, cujus cultum Papæ aliqui prohibuerunt; quamvis ſuâ prohibitione apud Venetos nihil efficere potuerint. Et Raymundus Lullus, cujus memoria damnatâ fuit; ſed fruſtrà: cùm eum non ſegniùs colerent populares ipſius Majoricenſes. III. *Claſſis Expunctorum* (Belgicè, uytgemonſtert) qui per ſæcula aliquot communiter ſalutati & indigitati ſancti, cum prænomine *Sanctus*, aut *Beatus*, aut *Divus*, quique ſanctis & orthodoxis eccleſiæ patribus ac Doctoribus permixti conſpiciuntur: ſed per nova jura recentium theologorum, luſtratione inſtituta ab iis paſſim & à catalogis ſcriptorum eccleſiaſticorum aut hæreticorum, ex albo ſanctorum & patrum

expunguntur. Quales ex.gr. Eusebius Emissenus cujus homiliæ sub nomine *Divi* editæ Lovanii 1567.& qui inter sanctos patres citatur *à Bellarmino, Rhemensibus, Valentiâ, Alano, Lindano, Canisio, Copo* &c. (uti observat *Cocus in censurâ, quorundam scriptorum p.111.edit.* in 4.& 227.edit. in 8.; & *à Thomâ, Gratiano, Smithæo, Hardingo, Sandero, VVilh. Reginaldo, Thomâ Lincoln: Dormano, Parsono, VValdensi, Bristoo, Heskino* (uti notat. *Thomas Iamesius in tract. de corruptione scripturæ, patrum, conciliorum &c.part.1.p.69.*): quibus addo *Espencæum, lib.2.continuationis, tertiæ collationis pag.*85. (gallicè in 8.), ubi eundem adducit pro corporali Christi præsentiâ in cœnâ: Quin & à *Petro de Natalibus lib.7. catalogi sanctorum cap.63.* inter sanctos numeratus est. Nunc autem eum Arrianis accensent *Baronius ad ann.*441.578.341.§.11. *Possevinus in appar. Bellarmin. de scriptor. ecclesiast.* anno 430. Ejusdem commatis exsancti sunt Hugo Etherianus, Antonius Magnus author Melissę, Theodorus Abucares, Adelmannus, Alcuinus, Agobardus, Algerus, Anastasius Sinaita &c. De quorum sanctitate & exsanctitate, videndus *Possevinus in apparatu, & indices expurgatorii Romanus, Hispanicus &c.* Et *Bibliotheca patrum* collat.edit. prima cum secunda. Ex nostris harum transformationum indicium fecit *Iamesius lib.cit.part.4.p.* 49. De Origene & Tertulliano, qui modò sub sanctorum patrum, modò sub hæreticorum aut heterodoxorum patrum in scenam Romanam producuntur, aliquid notavimus in *Desper. Causâ Papatus.lib.2.* Ad hanc classem pertinent, Sancta Thais meretrix, & S. Viarius (de quibus suprà); quæ à martyrologiis, catalogis, Kalendariis, & hagiologiis recentiorum nunc exulant. Idem dicendum de sanctis per errorem, & suppositionem *Equid* pro *quo* antehac cultis, hoc est, de inscriptionum Gentilium ruderibus religiosè adoratis. Exemplum habet *Leonardus Aretinus lib.4.epistol.* (cito fide *Hottingeri in 3.part.histor. ecclesiast.epist.dedicator.*; nam librum Aretini non habeo), de tabulâ quâdam Constantiæ, *quam vulgi opinio tenebat esse sanctuarium quoddam præcipuæ religionis &c. cùm tamen ibi scripta non sint sanctorum Christi, sed persecutorum Christianæ fidei nomina.* Ad ex-sanctorum catervam tacitè relegantur Veronica, Carol.Magn., Petrus de Luxemburgo; cùm excluduntur à Calendar. sanctorum mandato principum Belgarum editis a.1621.non obstante, quòd duo posteriores peculiariter à Belgis eorumque principibus honorandi viderentur; & chimæræ Christophorus, Longinus, septem dormientes &c. illic non prætereantur. Agmen claudant symbolicæ picturæ, quæ in sanctos reales hominum opinione transformatæ & religiosè cultę fuerunt: quales fuisse Christophori, & Catharinæ, ex nominum etymologia ex parte conjici potest, & tacitè fateri cogitur Baronius in notis ad mar-

ad martyrol. 23. April. ubi de Georgio draconem transfigente & virgine liberatâ: *Symboli potius, quàm historiæ alicujus opinor esse expressam imaginem.* Et ad 25. Julii de Christophoro: *Quod pertinet ad giganteam staturam, quâ pingi solet, quid dicam non habeo.* Et paulo pòst: *Porro ea omnia quæ de Christophoro feruntur, de palmâ, flumine, staturâ procerâ: ea, inquam, omnia Hieron. Vida episcopus Albæ allegorico sensu interpretata egregio cecinit epigrammate. De Symbolicis picturis Christianis antiquitus pingi solitis diximus superiùs 23. Aprilis in Georgio.* Molanus in libro de picturis sacris cap. 45. refert apud Wormarienses in Hollandiâ Boreali cultam fuisse imaginem S. Helper. *Qualis autem martyr fuisset* Sinte Helper/ *nesciebant, nisi quod dicerent eum crucifixum fuisse, quod imago exprimebat. Hâc de causâ doctus & diligens Pastor* (Martinus Duncanus) *multum quæsivit in Sanctorum Catalogis & Martyrologiis martyrem crucifixum, qui Helperus, aut simili fere vocabulo, diceretur. Cùm autem nihil tale inveniret, sed animadverteret imaginem referre omninò Salvatoris nostri crucifixionem, licet antiquo more, monuit subditos suos, ut sepositâ ignorantiâ, eam imaginem posthac Salvatoris nostri esse agnoscerent, qui sicut Salvator noster est, sic non inepte Teutonico vocabulo ab incolis ejus loci dictus est* S. Helper/ *quod Latinè est S. Adjutor.*

IV. *Classis capite diminutorum,* seu *degradatorum*, quibus aut excellentia ac gradus honoris, aut peculiaris fama cultus, aut festivitas, aut primatus seu primitas inter & supra alios sanctos, aut præfectura ac patronatus locorum, populorum, urbium, templorum, ordinum, collegiorum, morborum &c. ablata sive in totum, sive ex parte, aut in alios sanctos translata. Sic e. gr. dictus S. Antonius Balleolis in Flandria solenniter depositus, & alius sanctus (Johannes) ipsi substitutus: uti memini me narrationem illius comœdiæ legere *Marnixii Alveariotom. 1. part. 2. cap. 8.* Unde eandem retulimus *in diss. de Patronatibus, præfecturis &c. part. 1.* Sanctis capite diminutis & degradatis opponantur sancti novè exaltati: inter quos B. Virginis sponsus Josephus Patriarcha (uti eum nunc vocant), de cujus cultu, litania, patrocinio, confraternitatibus, alibi fortè dicemus.

DE SANCTIS QUASI-SANCTIS.

HI sunt dubii aut incerti, saltem communi credulitate & certitudine Romano, Papali non recepti, aut communi devotione non culti. I. Quos in duas classes dispescimus, in *innominatos scil. seu anonymos*, & in certò ac definitè *nominatos*. *Illi* comprehenduntur sub hâc litaniarium formulâ: Omnes sancti martyres, omnes sancti confessores, omnes sanctæ virgines &c. Orate pro nobis. Quæ non arbitror æquè latè ab omnibus orantibus, sive laicis sive clericis extendi. Quotusquisque eorum

rum certus est, an aliqui, & quot ac qui latrones, grassatores, proditores, transfugæ, milites tum voluntarii tum mercenarii in bellis & latrociniis, Belgicis, Gallicis, Germanicis, Hybernicis, &c. contra hæreticos (uti ipsi determinant) partes suas strenuè agentes, sint genuini martyres, aut confessores, aut quâcunque ratione sancti, illi saltem, qui ante excessum suum ritè lustrati & confessi fuerint. Quidquid sit; numerus sanctorum, militum, monachorum &c. innumerabilis est, & confusè atque obscurè fulget in cœlo Papistico, haut aliter ac stellæ, quas sporades appellamus. *Ferrarius ad 4. Septembr.* celebrat 2682. Nicomedicos martyres, & ad 2. Julii 70. Sendomirienses. Jacobus Marchantius in opusculis pastoralibus, opusc. 3. pag. 252. testatur in solâ urbe Romanâ ultra 300000. martyrum corpora sepulta fuisse: *nam & Callisti*, inquit, *cœmeterium* 80000. *continet. Quòd si vel in unâ urbe tot millia, quot per universum orbem? Audi & de militibus ob fidem interemtis è multis pauca &c. Hi de ecclesiâ primitivâ censentur. Quid de Ecclesiâ novâ &c.* Adde ex Joh. Belethi Rationali cap. 154. *Refert*, inquit, *Eusebius, quolibet anni die plusquam quinque millia sanctorum festa concurrere.* Fides sit penes ipsum. Jam ineatur ratio in quam immensum numerum excreverint sancti festis colendi, inde à tempore Eusebii, usque ad Belethum & rursum à Beletho usque ad annum præsentem 1656. Soli sancti medicorum integrum catalogum complent: uti videre est in *Iohan. Molani Diario ecclesiastico medicorum. In litaniis omnium sanctorum* quæ mandato sereniss. principum Belgarum a. 1621. Antwerpiæ in officinâ Plantin. in 8. excusæ sunt, ad singulos dies totius anni nomina sanctorum invocandorum scribuntur, & faciunt numerum 5000. præter propter. Nominati quasi sancti rursum in varius classes, melioris doctrinæ causâ, subdividi possunt, ut sint & dicantur. 1. *Sancti Contentionis seu contradictionis*, inter quos eminent publica autoritate recocti seu transformati. Tales sunt Rochus, Raymundus Lullus, Hieron. Savonorola, Joachimus Abbas. *Rochi* vitam & gesta (inter quæ excellit curatio pestis per signum crucis) ad 16. Augusti describunt *Lipomanus & Surius, in vitis, Petrus de Natalibus in append. cap. 15. Claudius de Rotâ in legendâ sanctorum cap.* 191. *Ioh. Molanus in Diario medicorum Ecclesiastico; Petrus Ludovicus Maldura libro peculiari. Molanus* insuper indicat *Franciscum Diedum Venetum, & P. Pinum Tholosanum.* Citat *Cherubinus in notis ad compendium Bullarii*, scriptorem vitæ ejus, *Odonem de Gissei* Jesuitam. *Baronius in notis ad martyrol.* 19. *Augusti* parcè ejus gesta attingit. Anno 1645. prodiit libellus vernaculo sermone Antwerpiæ, continens *vitas Rochi, Iosephi, Huberti, patronorum pestis.* Obiit is in Galliâ Anno 1327. Cultus fuit primum præsertim tempore pestis in Galliâ; inde in Ger-

Germaniâ & Italiâ præeunte exemplo Concilii Constantiensis a. 1414. *Inde* ait Baronius, *exemplum sumtum est ut ubique locorum ejus venerandæ imagines, altaria, sacella, ac denique templa erecta fuerint.* Veneti peculiari devotione eum colunt, & festum ejus Romano breviario adjiciunt sub officio novem lectionum: uti habet *Kalendarium perpetuum Dominici Veglensis* archipresbyteri Veneti. Celeberrimum templum ab iisdem constructum anno 1485. cum quidam ex Derdonensi diœcesi furtim corpus Rochi Venetias Pertulissent. Romæ eidem sodalitas erecta anno 1500. Cultus ejusdem primùm privata & populari devotione in Galliâ inchoatus, & exemplo Concilii Constantiensis per Germaniam, Italiam &c. propagatus, postea ab Alexandro VI. Leone X. Pio. IV. confirmatus fuit: uti constat ex *bulla Pii* IV. *Petrus de Natalibus* episcopus Equilinus, in *appendice* numerat eum inter sanctos nuperrimè canonizatos. Contrà omnes recentiores negant eum canonizatum; *Castellinus de dilatione canonizat. sanctorum p.* 81. *Barbosa in collectan. ad bullarium, in voce Rochus. Gavantus in thesauro rituum tom.* 2. *Pag.* 7. ubi citant decretum SS. congregat. 26. Novembr. 1629. *Licet*, inquit Gavantus, *in martyrologio recensentur, non tamen in rigore appellantur sancti: & ibidem multi dicuntur beati, qui nondum fuere canonizati* &c. *beatus non potest dici sanctus, nisi impropriè & abusivè.* idem pag. 160. negat, Rochum à sede apostolicâ beatificatum, & hinc dubitatum fuisse an officium de S. Rocho recitari possit: *& negotio maturè discusso sacram rituum congregationem censuisse, concedendam esse missam & officium in ejus die festo, in ecclesiis duntaxat & eremitoriis, habentibus requisita ecclesiarum in honorem ejusdem Deo dicatis, non extra dicta loca. die* 4. *Iulii & clariùs die* 26. *Novembr.* 1629. Disquirant Pontificii, quomodo possit esse non beatificatus, & tamen religiolè in tot nationibus & locis Papatus adoratus, & quidem volente Pontifice, qui fraternitatem in ejus honorem cum totâ religione istius fraternitatis peculiari bullâ confirmavit. Vide in *bullario p.* 25. *bullam Pii.* IV. *anno* 1569. Quàm pompaticè & solenniter festum, aliaque exercitia religionis in templo Rochi à dictâ fraternitate celebrentur, & celebrari curentur, videat cui hoc tanti est, apud *Camillum Fanucium lib.* 3. *operum piorum urbis Romæ Cap.* 13. De Rocho ex nostris *Hospinianus pag.* 130. testatur, quòd *Breviario Carmelitarum* vita ejus inserta sit. Nomen ejus etiam in antiquis *Missalibus*, e. gr. Parisiensi in 8. *p.* 229. Sed nunc in *novis* & post Concil. Trident. *reformatis breviariis & missalibus* non invenitur. In *litaniis omnium sanctorum* Antwerpiæ ann. 1621. mandato Principum Belgarum editis, non tantum ad 16. Augusti nomen ejus annotatur, sed & in subjectis hymnis, litaniis, & orationibus in variis anni festis *p.* 498. antiphona, & oratio pro con-

commemoratione sancti Rochi inseritur. De *Raymundi* Lulli sanctitate non levis pugna est. Eum conterranei Majorcenses tanquam sanctum colunt. Contrà in catalogum hæreticorum referunt *Eimericus in directorio inquisitorum*, *Bern. de Lutzenburgo*, *Prateolus*, *Sebastianus Medices*. Defendunt tamen ut martyrem & Doctorem illuminatum Theologi quidam non incelebres (inter quos *Bernhardus Lavineta*, *Carolus Bovillus*) idque fatentur *Bellarminus de scriptor. ecclesiasticis*, & *Theodorus Petrejus in catalogo hæreticorum*. Utrinque prætenduntur decisiones conciliorum, & Pontificum: interalia, condemnatio 500. errorum facta à Gregorio XI. & defensio ejus facta in Concil. Constantiensi. *Ludov. Nonius in descriptione Hispaniæ cap.* 95. judicium suum suspendit. *Bellarminus* & *Theod. Petrejus* in benigniorem partem inclinant. Et ille prætendit: *nondum videri definitum esse ab apostolicâ sede, quid in hâc controversiâ tenendum sit &c.* Quare index expurgatorius Hispanicus posterior, eum planè præterierit, disquiri potest. De *Hieronymo Savonarola* quàm diversimodè senserint in Papatu, ostendimus in *disp. de Prophetiâ*. De *Ioachimo abbate ibidem*; cujus apologiam ex professo suscipit *Bivarius ad chronicon Dextri*. Ad hanc classem refer puellam Aurelianensem: de quâ ex professo agimus in *disp. de Miraculis*. II. *Sancti Conniventiæ*, *indulgentiæ*, *& permissionis*; Suntque illi duplices, formaliter *Canonizati*, & non canonizati. *Illi* sunt tales vel *illegitimè* (uti nunc prætexunt), egr. Carolus Magnus: de de quo in *disp. de Methodo elidendi successionem*, *&c. Papatus*; & suprà in *disp. de Canonizatione*: Vel *coactè*: de qualibus *Ceremoniale Romanum*. *Non-canonizati* sunt quales quamplurimi: qui rursum vel *explicitam seu exsertam* à Papa permissionem habent; vel *implicitam tantùm* per surreptitiam scil. & consuetudine ac privata civitatis, provinciæ, nationis devotione aut studio præjudicatam possessionem: vel dubii sunt. *Primi* generis sunt, Rochus, modo indicatus, & peculiares sancti illi Hispaniæ, *de quibus Missale reformatum p.* 120. edit. Venet. & S. Farnandus Hispanus; de quo *Gavantus* mox infrà *citandus*. *Secundi* generis sunt, qui populi, aut Cleri studio ac devotione, aut privatorum quorundam, aut etiam collegii, civitatis, ordinis, provinciæ, nationis devotione sensim sine sensu obrepentes ac subrepentes, aut longa consuetudine, aut seriâ commendatione sive Doctorum quorundam, sive Episcoporum, sive Papæ prescribunt ac possident: quales e. gr. Oda, Maria Ogniacensis, Johanna Lotharingica dicta puella Aurelianensis, Machutus, Bernulphus, Cunera &c. Huc etiam referri possunt complures ex classe proximè sequente. Hi rursum distingui possunt in beatificatos & non beatificatos. *Beatificati* sunt, vel canonizabiles vel non canonizabiles. *Illi* sunt, de quorum ca-

noni-

nonizatione agitur; quales Andreas Avellinus, Cajetanus Threnæus, Felix de Cantalicio, aliiq; apud *Barbosam in collectan. ad Bullarium in voce beatificatio*, & ex eo in *disp. nostrâ de Canonizatione sanctorum*. Adde Nicolaum factorem de quo mox infrà; & Gregorium x. pro cujus canonizatione laborant *Placentini*; teste *Ferrario ad 10. Ianuar.* *Isti* sunt reliqui non pauci in *Martyrologiis & Catalogis sanctorum* recensiti. *Non-beatificati* sunt e. gr. Rochus (teste *Gavanto modò cit.*) aliique, quorum aut beatificatio, aut causa beatitudinis controversa est: quales sunt, 1. beatificati ab Anti-Papis, 2. suspectæ fidei aut sanctitatis. 3. Sanctitatis solummodò opinatæ; qui scil. cum, aut non absque opinione sanctitatis vixerunt & obierunt. Quales inter omnium ordinum religiosos non pauci numerantur. e.gr. in ordine Jesuitico, Jac. Ledesma *doctrinâ & sanctitatis opinione percelebris*; Franciscus Turrianus, *precibus B. virginis (ut par est credere) ad feliciorem vitam commigravit*; Bellarminum Barberinus postea Urbanus VIII. *dicebat jam tum viventem à se æstimari sanctum &c. nec dubitavit illum in quodam carmine S. Carolo Borromæo virtute geminum facere*; In Maldonato *virtus tam eximia erat, ut potiùs sanctitas sit appellanda.* Johannis Ferdinandi *sanctæ animæ corpore solutæ multi se commendabant, rosariaque tanquam perspecta sanctitatis viri illius contingendo admovebant.* Hæc & similia de iis, pluribusque aliis *Phil. Alegambe in Bibliothecâ scriptorum soc. Iesu.* Ejusdem commatis & gradus sanctos suppeditabunt, *Ferrarius, Molanus, Cratepolius.* Tales fuerunt in ordine Carthusiano Henricus Loctrius ann. 1479. Arnoldus Kaermans ann. 1481. Gerardus Bredanus, Arnoldus à Gertrudisberga, Raso Cæsarius seu de Wiel, Johannes Aldenardus, Laurentius Muscheselius, Hugo Boot Delfensis. Hos indicat *Arn. Raisse in hierogazophylacio p.* 134. ubi adjicit catalogum sanctorum, qui cœci fuerunt. Segetem ejusmodi sanctorum suppeditant *scriptores historiarum, annalium, sanctorum*, cujusque ordinis, & cujusque nationis, ut *Cratepolius* Germanicæ, *Molanus* Belgicæ, *Rasius Camaldulensis* Hetruscę, &c. *Tertii Generis*, hoc est, dubii, est S. Dagobertus, rex & martyr, cujus reliquiæ, maxima scil. corporis pars, in Bene dictinorum cœnobio S. Gisleni in Hannonia asservari dicitur; teste Arn. Raisse in hierogazophyl. p. 234. ubi hoc elogium apponit: *sed quis ille Dagobertus sit planè ignoro. Scio tamen parochialem ecclesiam primitialem Longuichiensis oppidi in Lotharingiâ Divo Dagoberto dicatam esse.* Colitur tamen sanctus à Trevirensibus, & recensetur à *Kalendario German.* & *martyrologiis Canisii* & *Maurolyci.* Quanta ipsius sanctitas fuerit, lege apud *Baronium ann.* 632. §. 2. ubi de ejus adulterio & raptu: & *ann.* 647. §. 2. ubi de ejus morte, & raptu è manibus dæmonum per sanctos, quorum ipse eccle-

sias ornaverat. Egregium sanè sanctum κατ' ἐξοχὴν! *Quarti* generis sunt, qui supposititicè, ambiguè, & incertò coluntur: qualis S. Dionysius primus Parisiensium episcopus; qui habitus & cultus fuit ut Dionysius Areopagita. Quem tamen recentiores ab Areopagita distinctum volunt. quia aliter nulla specie *Historias & Legendas suas* conciliare querunt. Vide de hâc dubitatione *Miræum in Fastis Belgicis p.* 684. & *Ferrarii catalogum* 3. *Octobr.* Sic S. Gerebernus Dimpnæ à sacris & martyr, Sonsbecæ in Clivia, ubi corpus ejus, substitutum sibi habet Bernardum, qui per errorem vulgi istic colitur, & annulis sacratis febrium & chiragiæ amuletis nomen S. Bernardi inscribitur. *Miræus in fastis p.* 259. De S. Cœlestino, quis sit, ambigitur; & tamen certo colitur: exemplo Athenienssium, *Ignotum Deum* colentium. Vide de eo *Miræum p.* 260. *Quinti* generis sunt, qui non canonizantur, quamvis canonizatio petatur, & processus pro ea institutus sit. Qualis e. gr. Nicolaus factor, *cujus vita & gesta* Valentiæ in Hispania ann. 1586. edita, & cujus canonizationem instanter petiit Philippus II. à Sixto V. Referente *Ferrario ad* 23. *Decembr. Sancti vix Sancti*; quorum magnam partem Ethnicorum heroibus, semideis, terrestribus dæmonibus, Faunis, aliisque rusticis numinibus comparare possimus; quod ad honorem scil: & cultum religiosum, qui ipsis in Papatu exhibetur. Sunt autem illi, rursum aut *Topici*, seu particulares, aut aliàs obscuri. 1. *Illi* sunt, aut *domestici* seu *familiares*, qui in aliqua familia aut domo coluntur, uti Ethnicorum lares & penates. (Quò refer numina, singularum ecclesiarum, cœnobiorum, conventuum; quales e. gr. Eistetensis ecclesiæ divi tutelares, Richardus, Willibaldus, Wunibaldus, Walpurga, quos *peculiari libro* descripsit *Gretserus*.) aut *endemii* aut *epidemii* (ut Medicorum terminos huc applicem) qui unâ in gente, provinciâ, urbe, aut in aliquibus: quales e. gr. *Gingolfus* Burgundionum (de quo mox), *Machutus* Belgarum, qui etiam in Jacobini templi peculiari sacello apud nos coli solet, ad sanandos infantes tabescentes aut minus crescentes aut membris distortos, quos vulgò Machuticos, belgicè Machupts-kinderen/ appellant. Vide de eo *Surium in vitis sanctorum*, & *Baronium in notis ad martyrol.* 15. *Novembr. Molani notas ad Usuardi martyrolog. Trithemium de viris Illustr. ord. Benedicti*, *Rayssii hierogazophylacium Belgii.* Et confer ex nostris *Baleum de scriptoribus Britannicis p.* 54. imprimis polyistora *Usherum in antiquit. ecclesiar. Britannicar. p.* 532. *Cunera* Rhenensium: de quâ *Molanus in natalib. sanctorum Belgii*, & *Ferrarius in catalogo ad* 12. *Junii & 28. Octobr. Odulphus*, Staurienssium & Trajectinorum: de quo *Ferrarius*, qui *ibidem* alios citat. *Bernulfus*, 20. Episc. Ultrajectinus, cujus sepulcri vestigium seu locus in choro templi Petrini apud nos etiam

num

num clandestino cultu subinde frequentatur ad sanandos infantes Machuticis similes. De illo sic Heda in histor. Ultraj. *translatus collocatur in choro, ubi plurimis claret signis & miraculis.* Simile quid de eodem refert *Chronicon Belgicum vulgare.* *Cratepolius in sanctis Germaniæ*, & *Gaillimannus in præsulibus Argentinensibus* ejus meminerunt sub nomine Bennonis. *Et Ferrarius in novo catalogo ad 19. Iulii*, nec non *Miræus in Fastis Belgicis* eum nomine S. Bernulphi salutant additque ille ex *Cratepolio* illum plura cœnobia construxisse. Apud alios hagiographos, *Molanum* scil., *Surium*, *ejusque epitomatorem Hareum* Ultrajectinum, altum de illo silentium. Adde *indiculum sanctorum Lugdunensium* per *Theoph. Renaudum*, *Civiensium* per *Arn. Boecoop*, *Siculorum* per *Octavium Cajetanum*, *Italorum* per *Ferrarium*; *Anicienſium* per *Odonem de Gissey*; *Alsatiæ* per *Iod. Coccium*, *Cordubensium* per *Mart. Roa*, *Bavarorum* per *Raderum*, *Germanorum* per *Cratepolium*, *Belgarum* per *Molanum*, *Hetruscorum* per *Razium Camaldulensem*, &c. Sed infinitum hoc à nobis nunc pertransiti non potest. Si quem hæc tangunt, perlustret *Martyrologium Romanum*, *Vitas Surii*, *Catalogum novum Ferrarii*, & *indices subjectos bibliothecæ scriptorum societatis Iesu* per *Philippum Alegambe* tit. *Vitæ sanctorum*; *aliosque singularium vitarum scriptores*, quos magnam partem indicat *Possevinus in apparatu.* 2. *Obscuri* instar stellarum nebulosarum: inter quos aliqui per operas & præfecturas suas aut adscripta miracula aut descriptos mores satis viles aut ridiculi, qui scil. meretricibus, aut muribus aut cimicibus aut morbo gallico &c. præfecti (indicandi in *disp. de Patronatibus sanctorum*): aut quorum eximia scil. pietas mendaciis, fraudibus, aliisque vitiis tanquam vehiculis subvecta dicitur, e. gr. Bertulphus; aut quorum miracula circa perpetua alvi crepitacula, & similia non sine *τῶ honos sit auribus* nominanda, emicuerunt: qualis e. gr. Gingolfus sive Gangolfus modò memoratus, qui tali perpetuo mobili & crepitaculo propriam uxorem donasse dicitur. Porrò stellas ejusmodi nebulosas, si quis notare velit, adeat *catalogos* & *autores* modò *citatos.* Sed novus catalogus adhuc exspectandus. Multi enim tum antiqui tum recentes martyres & sancti Papales in *novo* & vasto illo *catalogo Ferrarii* non comparent: e. gr. Elizabetha Bertona cujus sanctitatem & martyrium defendit *Delrio libr. cit.*; & nos ejus meminimus in *disp. de Probationibus spirituum:* Leo 2. Papa, quem *Marchantius in opusc. pastoral. p.* 220. patronum Musicorum constituit. Gregorium x. *Barthol. Pisanus in lib. conformitatum Francisci*, & *Robertus Licieusis in sermone de S. Bonaventura* tradunt, Aretii in Thusciâ haberi pro canonizato. Et hoc latuit *Ferrarium* cum ederet *catalogum sanctorum Italiæ*, uti hoc notat *Mireus in Fastis p.* 27. Postea tamen ann. 1625. *in Catalogo generali sanctorum.*

ctorum extra martyrologium ad 10. *Ianuar.* ejus abundè meminit. Vide imprimis complures novos aut novè descriptos à dictæ societatis Jesu theologis apud *Alegambe in biblioth.* in indice *p.* 513. Quod si ita pergant, & reliqui ordines monachorum huic ordini cedere nescii, & *historici ac topographi gentium, regionum, urbium* sanctos quique suos coacervare pergant, quis tandem erit finis? nisi fortè Papa quis, uti indulgentias omnes prædecessorum, sic sanctitates & canonizationes præcedentium sanctorum revocet, ut novè accessuri etiam locum aliquem & vices suas habeant. Ad ejusmodi *quasi sanctos* pertinent, sancti topici seu endemii, quorum cultus extra monasteria hujus aut illius ordinis religiosorum, aut extra aliquam regionem, provinciam, aut extra certam civitatem non evagatur. V. *Sancti candidati*, à Papis *scil. beatificati*, atque adeò in sanctitatis & canonizationis *candidatorum* numerum adscripti; nondum tamen canonizati. Quales e. gr. Laurentius Justinianus: De quo vide *Bullam Clementis* 8. *in Bullario*; quem quamvis tantum beatificatum inter sanctos numerat *Ferrarius ad* 8. *Iannuarii*. Petrus Luxemburgicus, & Ludovicus Alemandus; de quibus vide Miræum in fastis Belgicis p. 368. ubi in Clementis 7. diplomate nota hæc verba: ut *in vestris ecclesiis & sacellis eos pro beatis venerari sine incursu alicujus demeriti vel idololatriæ vel conscientiæ scrupulo possitis & valeatis &c. non intendimus tamen propterea eosdem Petrum & Ludovicum in catalogum sanctorum esse relatos, donec &c.* Confer suprà *disp. de Canonizatione sanctorum*. Inter sanctos tamen numerantur à *Molano in Natal. SS. Belgii*, & *Ferrario in catalogo ad* 2. *Iulii*. Novitati huic Papali in colendis sanctis nondum canonizatis, idque subsequente approbatione Papæ, colorem aliquem novantiquitatis, obducere conatur Zypæus in analyt. explic. juris canonici novi lib. 3. pag. 266. *Quemmodum tamen quorundam Sanctorum cultum ad certa loca, seu personas restringendi, jam olim quamvis non tam frequenter à pluribus sæculis Pontificibus Romanis fuisse usitatum, constat ex diplomate Honorii III. qui sedit an. Domini* 1216. *quo B. Roberti Abbatis Molismensis, authoris Ordinis Cistertiensis, ann. suo VI. Conventui Molismensi, nondum inter Divos relati cultum, his verbis concessit*: ut enim tamquam sanctum in vestra Ecclesia venerantes, ejus apud Deum suffragia fiducialiter imploretis. Aub. Miræus habet exemplum Bullæ. Cum quo confer cultus coarctationem & limitationem à Papis adhibitam, cum ad ejusmodi *quasi-sanctos* ipsis non consultis hactenus cultos connivere coguntur. Sic Gavantus tom. 2. p. 22. *De Sanctis locorum consuevit sancta Sedes Apostolica in iis locis, ubi neque nati neque mortui sunt, neque Reliquiæ insignes extant, concedere Officium Semiduplex, ne Dominica Officium quod est Domini, impediatur ob Officio Semiduplici: quod*

notat

notat expresè Clemens VIII. 19. Iunii 1601. *quando concedit universæ Congregationi Eremitarum sancti Augustini Officium Semiduplex de B. Ioanne à S. Facundo Hispano; cujus Bullæ tenorem refert* Castellanus in compendio Bullarum in tertiâ editione Venetiis 1605. Sic quidquid hîc distinguat, limitet, circumscribat spontaneam neoreligionem suorum, manet tamen sine Papæ præcedente judicio, mandato, consensu, religiosè coli quæ libet in Papatu: quod colliges ex verbis recentissimi Casuistæ *Bassei, in voce adoratio* §. 9. *p.* 30. *Cultus privatus Sanctorum quos nondum in Catalogum Sanctorum Ecclesia redegit, permittit ipsorum imagines in domibus nostris depingi, retineri, & coli, non verò in templo, vel in altari inter imagines aliorum Sanctorum reponere; cùm hoc pertineat ad cultum publicum: insuper licet pedes & manus ipsius Sancti exosculari, ipsius capillos aut vestes accipere, sive alii videant sive non, modò scandalum absit. Præterea licet cuicumque privato homini in honorem talis Sancti nondum canonizati ipso die natali, operibus servilibus abstinere, aut jejunare, aut ei votum offerre: hæc enim omnia ad cultum privatum pertinent. Non licebit tamen invocare Sanctum nondum canonizatum privatim, aut publicè in Litaniis, aut divino officio: nec instituere de eo festum publicum diem, aut publicum jejunium, vel votum, nec publicè ejus reliquias adorandas proponere, aut altaria, vel templa ipsi dedicare, nec de eo Missam dicere: quia hîc cultus publicus Sancti nondum canonizati reservatur Summo Pontifici.* Cap. 1. de reliqu. & venerat. Sanctorum. *Deinde Sanctissimus* D. N. Urbanus VIII. *in generali Congregatione S. Inquisitionis* die 4. Aprilis anno 1625. *prohibuit sub pœnâ suspensionis comminatoriæ aliisque pœnis, ne quis imagines eorum qui cum famâ, vel opinione sanctitatis, vel martyrii ex hâc vitâ migrarunt, proponat cum laureolis, radiis vel splendoribus, aut libros continentes gesta, miracula, revelationes, vel beneficia tanquam ipsorum intercessionibus obtenta publicet, aut tabellas, seu imagines fictas, pictas vel exsculptas appendat, aut lampades, seu lumina ad ipsorum sepulchra sine debitâ facultate accendat.* V. *Sancti commendati & commendabiles,* qui duûm generum. 1. *vel* tacitè à suis habentur aut protruduntur tanquam *sanctabiles* (quomodo inter Cardinales quidam dicuntur Papabiles à *Perrono in Epistolis*). Illorum nota diacritica est, quòd extraordinaria ipsorum devotio describitur, aut vaticinia, aut theologia revelata, aut apparitiones Christi, angelorum, Mariæ, aliorumque sanctorum, aut miracula, aut cùm ad mortui corpus ob opinionem sanctitatis concurritur, aut non sine opinione sanctitatis mortui dicantur, uti de Titelmanno *Miræus in Fastis Belgicis pag.* 575. & de Petro Canisio, *Ibid. p.* 752. aut cadaver autoritate majorum proprio inclusum loculo, *ut olim internosci posset*: uti de Cornelio A Lapide, *Phil. Alegambe p.* 86. Vide apud *eundem* vitam & mortem Bellarmini *p.* 40., &

Garneri

& *Garneti p.* 173. & plerorumque scriptorum istius ordinis. Et *N. N.* de *viris Illustribus ordinis Eremitarum S. Augustini*, & *Miræus lib.* 5. *origin. monasticar.* ubi de sanctis & beatis Cisterciensibus; *Hyacinthus Choquetius de Belgis ex ordine prædicatorum sanctitatis opinione* (N. B.) *claris*: ex quo aliquos decerpit *Miræus in Fastis p.* 455. Confer suprà *num.* 3. ubi scriptores aliquot indicantur, qui *suos Divos provinciales ac tutelares* (ut loquitur Miræus in dedic. & præfat. Fastor. Belgicor.) *in tabulas retulerunt.* Idem *Miræus in Fastis p.* 450. 712. 717. Popponem, Joh. Ruysbrochium, Johannem Leuwen cocum in monasterio viridis vallis, dictum *bonum*, desiderat canonizari, & præsagit tale quid futurum; & miratur non magis urgeri ac postulari. Aliorum ordinum viros celebres nunc non vacat perlustrare, nec scriptores eorum aut collectores omnes ad manum sunt. 2. *vel postulati*, & apertè ad canonizationem commendati à Regibus, aut ordinibus religiosorum, aut ecclesiis. Qui rursum vel *abortivi* sunt, vel *competentes* seu exspectantes. Illi sunt, quorum sanctitas quamvis commendata, & canonizatio quamvis postulata, planè in spongiam incubuisse videtur. Et tales sunt Jacobus Clemens paricida Regis Galliæ tanquam martyr & sanctus in conclavi prædicatus à Sixto 5., & Balthasar Gerardus paricida Wilhelmi Principis Auriaci, cujus canonizatio Romæ postulata ab Alexandro Farnesio duce Parmensi, uti testatur *anonymi carmen in Balthazaris Gerardi honorem* cum approbatione Henrici Cuyckii, postea Ruræmundensis episcopi, Lovanii editum in 8. eundem etiam tanquam sanctitatis candidatum celebrat *Gul. Estius in libro de Martyribus Gorinchemensibus. Isti* sunt, quorum adhuc messis in herbâ: qualis e. gr. Robertus Bellarminus, Baronius, & omnes illi, quorum vitas à Jesuitis descriptas refert *Alegambe in indice ad bibliothecam p.* 515. Quos quamvis omnes in formâ & exsertè nondum Romæ commendatos constet ad beatificationem aut canonizationem; implicitè tamen & tectè id fieri ex elogiis, sepulturis, aliisque asservatis monumentis & reliquiis facilè colligimus. Inter omnes alios quasi sanctos aut sanctos peculiariter eminent, qui stigmatis notati dicuntur, e. gr. Brigida Hollanda, Liduina Schiedamensis, Gertrudis Oistensis, pluresque alii quærendi apud *Iustinianum*, Antistitem Valentinum *in disp. de Sacris stigmatibus*, Antwerpiæ ann. 1611. recusâ. referente *Miræo in Fastis p.* 458. Qui peculiari subtitulo sancti stigmatizati dici possent. Addendi & illi, quorum canonizatio postulata, sed qui tantum *beatificati sunt*; qualis, e. gr. Petrus Luxemburgius apud *Miræum in Fastis.* Plurium autem undique postulari & exspectari canonizationem, inde etiam colligitur, quòd *Castellinus* librum scripserit, hoc tit. *de dilatione canonizationis sanctorum*, VI. *Sancti Co-*

thur-

thurni, *ambidextri*, *quodlibetici*, qui in scenâ Romanâ modò sanctorum (in materiâ scil. favorabili), modò non-sanctorum, sed gregariorum theologorum, subinde etiam errantium aut hæreticorum personam sustinent; e. gr. Origenes, Tertullianus, & scriptores illi quorum opuscula patribus supponuntur. Sic *scriptor Commentar. in epistolas Pauli* pro re natâ S. Pater & S. Ambrosius, Ambrosiaster, Pelagianus salutatur. De hoc monuimus in *Desper. Causâ Papatus*; & plenam fidem faciunt laudatissimi hâc in parte scriptores, *Cocus in censurâ*, *Thomas Iamesius in scripto Anglico* suprà *cit.* Huc refer Raymundum Lullum & Joachimum Abbatem: de quibus modò actum. VII. Cohortibus *vix-sanctorum* succenturiandi sunt omnes regulares clerici &c. qui aut theologiam; aut statum & ordinem monachalem, aut latifundia & structuras monasteriorum &c. pro virili promoverunt. Sic. e. gr. de Joh. Gerſone operum part. 4. in fine: *Nemo te dubitet, optime Gerſon, inter Divos collocatum. Tu noſtri quæſumus memento.* Et hæc quidem sine exspectatâ beatificatione & canonizatione: quam tota Sorbona si seriò peteret, non impetraret; quamdiu supererunt scripta ejus, inter quæ fulget horribilis liber, *De auferibilitate Papæ.* VIII. Denique tanquam *supernumerarii* sunt, omnes benefactores, qui sedes episcopales, curas pastorales & ecclesias, inprimis monasteria & capitula amplissimis reditibus, sæpe ex raptis & malè partis, dotârunt. Inter eos, quorum numerus iniri nequit, fulgebat, Dagobertus Galliæ rex, quamvis in vitâ flagitiis coopertus; & Wilhelmus Normandicus, vulgò dictus Angliæ conquæstor; qui in Normandia Galliæ colitur, uti notat *Ferrarius ad* 14. *Octobr.* ex *Calend. Gallico* & *ſcriptoribus Galliæ.* Egregium verò sanctum nec beatificatum, nec canonizatum, nec sanctitate & miraculis in vita ac post mortem eminentem. De Gulielmo Aquitaniæ duce, non magnopere gloriari possunt, nisi quòd filios & hæredes reliquerit (quorum 14. ni fallor, monasteria seu potius Harę adhuc supersunt) divites, Epicuri de grege porcos, quos in consortium elogii, quòd *Buchananus* fixit monachis Antonii, jure meritoquè admittas:

Crederis, Antoni, porcos paviſſe ſubulcus
Vivus: adhuc monachos lumine caſſus alis.
Par ſtupor ingenii, ventriſque abdomen utriſque eſt,
Sorde pari gaudent, ingluvieque pari.
Cætera conveniunt: ſed non levis error in uno eſt;
Debebat monachis glans cibus eſſe tuis.

Indicat mihi *Barbosa in collectan. ad Bullarium in voce B. Gulielmus &c. à S. congregatione rituum* 17. *Martii* 1600. ejusdem Gulielmi officium concessum esse pro monasterio regali S. Laurentii in Hispania. De quibus suprà §. 1.

2. Atque ita indicium fecimus totius hierarchiæ hagiologicæ: eamque in choros & ordines partiti sumus. Quod si cui liberet, posset omnes sanctos Papatus dividere 1. in communes seu catholicos in rubro 2. in communes in nigro. 3. In Epidemios. 4. In Endemios nationales. 5. In endemios Provinciales. 6. In topicos sive Urbicos, sive vicanos. 7. In ordinales & collegiales sive politicos sive militares. 8. In domesticos & familiares, sive laicos, sive conventuales, aut cœnobiticos, sive capitulares. 9. In singulares, quorumcunque hominum in Papatu: qui ut quisque suum angelum, sic ex sanctis suum tutelarem peculiari & pro priâ devotione colunt. Sed de his suprà *in disp. de Patronatibus Sanctorum.* 10. In extravagantes, & non extravagantes. *Illum* terminum memini me ante diem unum atque alterum legere in *Gavanto*, ni fallor. Repeto nunc consectaria ex *primâ Parte hujus Disputationis* 1. *Consectar.* Hinc collige theologiam & religionem Papatus, magnâ ex parte esse fabulosam Ethnicorum mythologiis & superstitionibus quàm simillimam: uti à nostris *Vireto in variis scriptis* partim lat. partim Gal. *Marnixio, in Alveario ecclesiæ Romanæ* gal. & belg. *Casparo Grevinckhovio, peculiari tractatu* sed Belgico tantum (quod sciam) abundè demonstratum. Ne quid dicam de ipsis Pontificiis scriptoribus, qui hoc datâ occasione agunt: quos omnes superat *Gulielmus Choulus* qui *tractatu gallico* ex professo hoc docuit. Si quis alioquin perlustret *Gyraldum, Vincentium Cartarum, Antonium Verdier, Vossium de Idololatriâ Gentilium, Natalis Comitis Mythologiam, Rosini & Dempsteri antiquitates aliosque scriptores, de Festis, sacrificiis, funeribus &c.* facilè comparationem instituet. II. *Consectar.* Papatum non tantum multiplicis & crassæ idololatriæ ex veritate scripturarum convinci; sed esse insuper αὐτοκατάκριτον, cum diffiteri nequeant, quin numina à suis colantur ficta & chimærica, aut saltem incerta, & dubia; quorum tamen cultum Papa Romanus, Cardinales, Episcopi, theologi foveant, sive permittendo, sive approbando, idque contra scientiam & conscientiam suam, si modò aliqua ipsis residua sit. Quod abundè probatur ex *Breviariis, Missalibus, Kalendariis ecclesiasticis, Scriptoribus hagiologis, Martyrologiis, Catalogis sanctorum, Hymnis & psalteriis &c.* post concilium Tridentinum editis: ubi chimærica illa non tolluntur aut emendantur; sed aut nudè reponuntur, aut dolosè incrustantur, saltem quidquid ipsis falsi aut dubii sit in theoriâ seu historiâ, praxis integra relinquitur, & misero populo aut permittitur, aut commendatur, aut imponitur. Vide *Decisiones tum Paparum tum Congreg. rituum* apud *Barbosam in collectaneis ad Bullarium tit. reliquiæ, festa, canonizatio, officium, imagines &c.* Et *Baronium ad martyrologium, Molanum de Picturis sacris, Arn. Raisse in Hierogazophylacio,*

Mire-

Miræum in Fastis, Bresserum de Conscientiâ alioſque à nobis *citatos.* Quomodo apparitionibus, viſionibus, miraculis &c. falſis aut apocryphis, aut incertis aut dubiis, aut ſuſpectis, nihilominus ad religionem & devotionem utantur, aut plebem ſuam uti ſinant, alibi monuimus. De reliquiis fictitiis aut dubiis, nominatim de ſanguine Chriſti & de reliquiis ſanctorum non canonizatorum colendis *Bresserus lib. 6. cap. 21. 22. 23.* &c. Arn. Raiſſe in Hierogazophyl. pag. 174. ubi de dictis martyribus ab anno 1577. uſque 1618. in Angliâ paſſis: *De quibus* inquit *haud paucas adſervant reliquias, ſed quòd Divorum catalogo adſcripti non ſint, veneratione publicè minimè exponunt. Tamen certum eſt Gregorium* XIII. *tantum illis Martyribus detuliſſe, ut declaraverit eorum reliquias, in conſecrandis altaribus, abhiberi poſſe loco reliquiarum Sanctorum canonizatorum: cujus declarationis mentio fit ab Epiſcopo Terraſone, in hiſtoriâ Martyrum Anglicanorum hujus ætatis, quam hiſpanicè edidit.* De ejuſmodi imaginibus paſſim *Molanus in libro de Picturis.* De ſanctis quibuſvis ſive non canonizatis, ſive malè (juxta theologiam Romanam) canonizatio, hoc eſt, per Papas illegitimos, aut per legitimos Papas ſed invitos & obnitentes (referente *ceremoniali Romano*) promiſcuè colendos propoſitis, audi hamaxarium eorum Petrum de Natalibus epiſcopum Equilinum lib. II. in prologo: *Quibus etiam addidimus quædam alia ſanctorum quorundam: qui vel ex nominis æquivocatione, vel ex aliâ circa materiam dependentiâ, vel ex aliâ rationabili causâ, potuerunt cæteris ſanctorum legendis conjungi, ſicut præſentem legentibus catalogum patere poteſt:* Et videat, cui vacat has ſordes perreptare, *Arnoldi Raiſſe appendicem ad Molam natales ſanctorum Belgii,* III. *Conſectar.* Papatum cultu ſuo chimerico oſtendere, nec divinis nec humanis, nec ſuis nec alienis legibus ſe poſſe aut velle teneri. Cum enim jam ante ſæcula aliquot cautum ſit in capitulari Caroli Magni cap. 42. *ne falſa nomina martyrum, & incertæ ſanctorum memoriæ venerentur*: & alexipharmacum huic malo inventum velint ſolemnem Papæ canonizationem; non verentur tamen, ubi ita uſu venit, ſanctos non-canonizatos, cultui publico privatove exponere; imitati in eo Gentiles, qui præter Deos tum majorum tum minorum gentium, inſuper Deos indigetes, ſemideos, heroas, ruſtica numina, penates colebant. Conferat, cui vacat, *Gerh. Ioh. Voſſ. de Idololatriâ lib. I. cap. 11. & 12.* ubi de lemuribus, laribus, larvis, manibus privatâ, & de indigetibus, Diis genitalibus, penatibus, publicâ autoritate apud Gentiles cultis. *Ibid. cap. 12.* de diſtinctione honoris divini ab heroico, *cap. 13.* de heroibus. Nota ſunt *Pythagoræ aurea carmina,* ubi de cultu primario Deorum, ſecundario heroum. IV. *Conſectar.* Meritò à Calvino ſanctos quoſdam Papales appellatos larvas, beſtias, carnifices

nifices: quicquid hic calumnientur *Becanus in disp. aliquà, aphorismo* 20. & *Bellarminus*, ex quo minorum Gentium Polemici, *Baillius in catechesi, Corn. Ianſenius in Spongiâ* contra me editâ, cui *Deſperatam cauſam Papatus* repoſui. Sed Homerus iplorum Bellarminus à *Raynoldo in præfat. ad librum de idololatriâ* & à *Chamierotom. 2. Panſtratiæ lib.* 18. *pag.* 379. ſatis ſuperque refutatus. Ibi oſtenditur, quos dictos ſanctos *Calvinus*, & cur vocaverit larvas, beſtias, carnifices. In uno fatetur *Chamierus*, ſe neſcire, quid Calvinus titulo *carnificis* ſibi voluerit. Ego putem, reſpici capturam furis in vineâ, quam Medardo tribuunt, ac propterea vineis eum præficiunt. De quo videndus *Hoſpinianus de Feſtis.* Alioquin inter carnifices merito numerari debet Dominicus Albigenſium perſecutor. Franciſcum ſi quis beſtiam, & phantaſticum morionem, (quippe ferarum & beſtiarum præconem euangelicum) appellaverit, ægrè non ferent, qui modò abſque præjudicio *Alcoranum Minoritarum* (h. e. *Franciſci conformitates*) inſpexerint. Cur aliqui dicantur larvæ, ex totâ *hâc diſputatione de Sanctis Chimæricis*, liquere arbitror. Quod tamen ſine atrociſſimâ calumniâ genuinis Sanctis, Prophetis, ſcil. Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Doctoribus aliiſque dilectis Dei filiis & amicis non magis applicari poteſt aut nos applicatum volumus, quàm electis angelis, attributa Satanæ cum angelum lucis (2 *Corinth.* 11.) mentitur.

APPENDIX.

Ad Diſpp. de Superſtitione & Idololatriâ, continens opiniones & ſententias variorum de accurandis uſibus nominum.

DE *recto & accurato uſu vocum, deque vitiis* hic evitandis, in genere præcipitur in Logicâ, Rhetoricâ, Poëticâ, Hiſtoricâ, Criticâ, Præcognitis Philoſophicis. De uſu vocum in rebus ſacris, deque ſectandâ hic ἀκριβείᾳ, propriè & in ſpecie agit Theologia. Vitia quæ procul habere ſatagit, ſunt καινοφωνίαι, catachreſes, luſus ambigui, κακοζηλίαι, cùm ſine neceſſitate propriæ voces ac denominationes hæreſios, aut ſuperſtitionis & idololatriæ uſurpantur. De illis vitiis evitandis paſſim datâ occaſione monemus: de poſtremo vero non pauca inſparſimus *diſpp. noſtris de Idololatria indirecta*, ubi complures autores adducuntur *part.* 2. §. 6. Sed quia in tantâ multitudine ſubinde quæ ſive memoriâ ſive ſparſis notulis & ſcedulis ſignata habemus, inter ſcribendum prætermitti contingit, viſum eſt hoc ſpicilegium ſubjicere. Quod dum facio, & digitum ad autores ſolummodo intendo, nolim mihi imponi, ut alienorum dictorum uſque ad minimos apices ἀκρίβειαν præſtem, nedum ut improbis cavillationibus & calumniis per amplificationes & artes tranſitus à ſtatu finitudinis ad ſtatum quantitatis, gravatus tanquam ἰδιογνώμων & nominalis ſuperſtitionis ac præciſitatis novus inventor odiosè traducar.

Præ-

Præmissis ergo distinctionibus nostris de usu & abusu nominum suprà in *disp. de Idololatriâ* indicatis ordior indiculum autorum, qui abstineri velint à non necessariâ symbolizatione quacunque nominali, cum idololatriâ, superstitione, & quocunquè alio rerum ac nominum sacrorum abusu: sive id fiat per usum adagiorum seu gnomarum; sive per usum formularum, e.gr. *præsiscine, œdipol. Ne quis Deus invideat, bonis avibus* &c. sive per denominationem aut appellationem quam personis, statibus & muneribus hominum, rebus naturalibus & artificialibus idololatricè impositam. I. *Nota & commentaria in Hoseæ 2. vers. 16. 17. Psal. 16. vers. 4. Zachar. 13. vers. 2. Numer. 32.* sub finem *vers. 38.* monent ad nomina attendendum esse. Vide inter alia *Commentar. Riveti ad Hoseæ 2. vers. 16. 17. pag. 84. docum. 4. & 8.* II. Nomen *Iesu*, quomodo traducant Judæi, vide in *disp. de Iudaismo.* Quanti idem faciant Pontificii, & cur iidem & assecłæ eorum hâc in parte Angli, non Puritani & Præcisitæ (ita dicti), sed antagonistæ eorum hierarchici seu Episcopales illud adorari velint, suprà in *appendice ad disp. de Superstitione* retulimus. *Ibidem* ostendimus, quomodo hæc opinio sive superstitio castiganda. Omisimus tunc addere, *Decreta eccles. gallic.* apud *Bochellum lib. 1. tit. 7. c. 31. & 2. cap. 22.* & Duaci anno 1638. *tract.* editum hoc *tit. Incitationes ad sacrosanctum nomen Iesu unicè amandum, venerandum.* Et *Lorinum in comment. ad Psal. 134. (al. 135.)* & *Iohannem Molanum de picturis sacris cap. 56.* ubi nomen Jesu cum radiis solaribus pictum, & festum nominis Jesu à Clemente VII. anno 1530. institutum in bonam partem interpretari conatur: Et *Stapletonum in promptuario catholico* multas rationes, sed levissimas, pro adoratione nominis Jesu, operosè congerentem; quas collega noster ὁ μωμοφάγος *Carolus de Maets* difflavit in solidiss. *dispp. de Personâ Christi. Delrio lib. 3. disq. Magic. part. 2. qu. 4. sect. 7.* hanc quæstionem etiam attingit: Aquo tamen nihil profertur, quod non longè luculentiùs & majori cum nisu urgent recensissimi scriptores Angli quos suprà *disp. de Superstitione* ex professo refutavi. III. *Synodus Nationalis ecclesiar Gallicar. Aurelianensis anno 1562. artic. 20.* statuit rejicienda à ministro baptizaturo nomina illa, quæ ex antiquo gentilismo superstunt; ut & nomina, quæ in scripturis Deo tribuuntur; ad hæc nomina officiorum, ut Baptistæ, Angeli, Archangeli. Consentit *Synodus Nationalis eccles. Belgicar, Dordracena anno 1578. canone* aut *artic 63.* ubi taxantur nomina, *Angeli, Salvatoris, Baptistæ, Immanuelis.* Nec intactum hoc relinquit *Calvinus epist. pag. 174. 244.* edit. in fol. *Drusius in notis ad Hoseæ 2. vers. 16. 17.* Ex Pontificiis *Iosephus Vicecomes de Ritibus baptismi lib. 2. c. 13. Petrus Paulus Vergerius* cum nondum ex papatu excessisset in *libro de in-*

genuis moribus in initio : *Fileſacus lib.* 1. *ſelectorum cap.* 3. *pag.* 48. ubi uſque ad nomina Alexandri, Pompei, Cæſaris, Scipionis &c. opinionem ſuam extendit, & pro eâ adducit *canonem* 30. *Nicenum* ex iis, qui ex A-„rabico verſi dicuntur. Fideles nomina Gentilium filiis ſuis ne impo-„nant, ſed potius omnis natio Chriſtianorum ſuis nominibus utatur, „imponatque nomina Chriſtianorum, ſecundum ſcripturam. Eundem hunc canonem allegat *Ioſeph. Vicecomes loco modo cit.* dicens eum haberi ex verſione *Franciſci Turriani.* IV. Noſtri non tantùm in *Diſp. de Idololatr. indirectâ* indicati, ſed & Doctores aliquot Pontificii taxant vocem *Divus* ſanctis, aut Imperatoribus antehac tributam. Nunc addo, quos in ſcedulâ, ſed tunc remotâ aut diſjectâ notatos, præterieram, ex noſtris, *Bezam in paſſionem homil.* 26. *pag.* 636. Et J. C. Franekeranum *D. Vviſſenbachium diſp.* 6. *ad regulas juris pag.* 131. Et ne quis cavilletur ſolos Puritanos ſive Genevenſes, ſive Anglos, ſive Scotos, aliosque Præciſiſtas (ipſis ita dictos) nimis διαβολεῖν & λογομαχεῖν, indico præciſitatum adverſariis & laxioribus Caſuiſtis ex Pontificiis *Ioh. Fileſacum in tract. de Idololatriâ politicâ cap.* 1. *pag.* 13. Et *lib.* 1. *ſelector. cap.* 4. *pag.* 58. *Bellarminum in Retractationibus ad lib.* 1. *de verbo Dei cap.* 3. Ego, „inquit, nunquam probavi vocem Divus vel Diva, cum de ſanctis agitur, „tum quod eam vocem apud veteres patres latinos non inveniam, tum „quòd apud Ethnicos *Divi* nomen, Diis tantum tribui ſoleat. Itaque u-„bicunque in libris meis lector inveniet *Divum*, ſciat vel mihi impru-„denter excidiſſe, vel quòd ſæpius accidit, me ſcripſiſſe Beatum. Sed ty-„pographi ubi legerunt B. quod beatum ſignificat, in D. mutârunt &c. Ex dubiis ſeu mediis ſcriptoribus *Caſſandrum in præfat. ad hymnos Chriſtianor. veterum.* Ex Lutheranis *Stephanum Matthiæ* anteceſſorem juris in Academia Gripſwaldenſi *lib. de Iuriſd. part.* 1. *cap.* 1. §. 19. 20. „21. Sanè quamvis nomen Divi vel Divus idem valeat, quod Deus, & „exinde id nulli homini conveniat: Imperatoribus tamen id accommo-„dabant veteres, eò quòd putabant eos referri poſt mortem in numerum „Deorum. Et ſic Chriſtiani veteres, Apoſtolos & Epiſcopos nunquam „Divos appellarunt: ſed benè divinos, vel beatos, vel ſanctos. Ut ita „graviter peccare videantur, qui ita loquuntur, Divus Paulus, Divus Au-„guſtinus, ut eruditè explicat *Georgius Caſſander in præfat. ad hymn. Chriſtianor. veter.* V. Uſum adagiorum, & formularum, quæ ab idololatris in votis, precibus, juramentis, formalitatibus & ritibus politicis, denique in vulgari ſermone adhiberi ſolent, perſtringit *Iohannes Dovvnamus in tract. Anglico de juramento pag.* 15. Ex Pontificiis *Fileſacus lib.* 2. *ſelector. pag.* 93. *Gabriel Putherbejus in tract. de libris malis pag.* 41. ubi adducit

Hie-

Hieronymum. Plures notatos vide in *disp. de Gentilismo part.* 2. & suprà *in disp. de Idololatriâ indirectâ.* De hodiernis poëtis Gentilizantibus *Pasor in præfat. gr. lat. ad lexicon. N. T.* Ex Lutheranis *Casparus Finckius part.* 1. *schediasm. philosophic.* ubi tavat invocationem Musarum. Jesuita *Vincentius Guinisius in allocutionibus gymnasticis a.* 1633. Antwerpiæ editis *alloc.* 8. peculiari dissertatione hoc hodiernorum poëtarum cacoëthes perstringit. Poëtis talibus meritò applicari posset illud Gregorii M. lib. 9. epistol. 48. *In uno ore se cum laudibus Iovis Christi laudes non capiunt.* VI. Nomina Deorum & sacrorum idolicorum, non esse sine necessitate Deo vero & rebus divinis applicanda e. gr. Deum nostrum non esse vocandum *Iovem* asserit *Danhauverus in collegio decalogico disp.* 2. *§.* 12. nec vinum eucharistiæ *Bacchum*, nec Christum *heröa*, *Ibid.* ubi laudat *Iul. Cæsarem Scaliger lib.* 3. *poëtic. pag.* 800. qui Bembum reprehendisset, idque hâc ratione, quod *Augustinus lib.* 10. *de civit. Dei cap.* 21. autumet nomen, herois, ab Ἥρα h.e. Junone derivari, q.d. Junonis filium. Addi hic potest audax metaphora, quâ nonnulli ineptè diserti in Galliâ Christum vocabant Daulphinum cœli: uti illud refert & taxat *Petrus Molinæus in præfat. ad libellum de vanitate*, cui tit. *Heraclitus.* Nec prætereunda Castellionis affectata phrasis Gentilium in versione bibliorum ubi angelos vocat *genios*, ecclesiam Rempublicam &c. Vide supra *pag.* 317. VII. Nomina medicamentorum, ambitiosa vocat *Henr. Salmuth in novè repertis tit.* 1. *pag.* 43. qualia sunt, manus Christi &c. De herbarum à sancto aliquo (quas *Ioh. Bauhinus peculiari libello* complexus est, & quarum meminit *Cornmannus de jure virginitatis* pag. 215.) dequè morborum nominibus à patrono desumtis supra in *dispp. de Superstitione*, & *de Patronatibus sanctorum.* Imprimis hîc notandæ, *clavis cœlorum*, quæ etiam clavis S. Petri dicitur, *& radix spiritus S.* apud *Bauhinum pag.* 73. 85. Adde lachrymas Christi, Mariæ lac, chirotecas, claves, capillos, lachrymas. VIII. De nominibus planetarum & dierum *Casmannus Astronomiæ part.* 2. *cap.* 4. *pag.* 51. Ex Pontificiis *Scillerus*, qui ea mutare voluit in nomina sanctorum. Memini *Calvinum in Iobum* alicubi de nominibus stellarum quid observare. Sed liber nunc ad manum non est, ut denuò conferre queam. De dierum (Martis, Jovis, Saturni, &c.) nominibus *Zanchius de operib. creationis*, *alibi* antehâc à nobis citatus. Ex Pontificiis *Polydorus Virgil. lib.* 6. *de Invent. cap.* 5. & *Nic. Serrarius in Iosuæ* 6. *quæst.* 28. *pag.* 51. Unde *inquit*, ex-
„ plosis Gentilibus Solis, Lunæ, Martis aliisque similibus nominibus *fe-*
„ *riæ* ab ecclesiâ melius appellantur. *Baronius ad ann.* 51. notat ecclesiam antiquam noluisse dies illis nominibus nominare. *Augustinus Vichmans in Sabbathismo Mariano cap.* 1. refert admodum improbatam fuisse Jacobo

Jan-

Janſonio Theologo Lovanienſi, quòd nonnulli dies nominibus Gentiſſi-um appellarent. Porro rationem denominationis dierum apud Gentiles duplicem aſſignat *Dion lib.* 37. Vide *Gruteri Theſaurum criticum tom.* 1. *pag.* 18. coll. cum *pag.* 345. & *Iſidorum Hiſpalenſem, lib.* 3. *origin. cap.* 70. imprimis *Caſmannum loc. cit.* qui oſtendunt quid mali iſti nominum impoſitioni apud Gentiles ſubfuerit. IX. De nominibus regionum, montium, urbium, vicorum, caſtellorum, palatiorum, pontium, templorum, chororum, altarium, campanarum, &c. in Papatu impoſitis ſuprà non pauca *notavimus* in *diſpp. de Patronatibus ſanctorum pag.* 424. 434. 435. & in *diſp. de Idololatriâ part.* 3. §. 2. & *in Append. pag.* 322. 323. Tantum hic addendum duxi à *Remonſtrantibus* in *Appendice defenſionis pro catecheſi ſuâ edita* admorderi neſcio quem & quorum morem & ſtultam præciſitatem (ut loquuntur) qui templum à ſancto aliquo nominatum deſignaturi, omittant epithetum ſancti, belgicè Sant *aut* ſinte, dicentes e. gr. Jacobi kerck / aut Petri kerck / Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos ſollicitat! Ut de re ipſâ nihil dicam, velim zelatores pro ſuo ſinte cogitare quantus præciſiſta in his & ſimilibus fuerit ipſorum anteceſſor J. Arminius, qui ab omni uſu orationum funebrium abhorrebat, quod iſtæ olim in occaſionem invocationis ſanctorum raptę fuiſſent. Videant *Bertii Orationem funebrem in obitum Arminii.* An hæc ipſis ſtulta præciſitas? an vero abundans cautela? Certè cum ſerio neſcio quam ſchiomachiam exercent pro epitheto *ſancti* quod etiam in ſcripturâ apoſtolis aliiſque viris Dei tributum dicunt, debuiſſent unâ indicare templis Chriſtianorum epithetum *ſancti* cum nomine *Iacobi* aut *Petri*, aut *Mariæ*, aut *Annæ* &c. tributum fuiſſe: adhæc in nominatione templorum & domuum (quas vocant) piarum Catharinæ, Urſulæ, Dominici, Franciſci, Georgii, Chriſtophori, Margaretæ, Raynoldi fil. Aimondi &c. quas ex conſuetudine & uſu communi ita appellamus, quia aliter intelligi non poſſumus, nefas eſſe omittere epithetum *ſancti*. Quale hoc peccatum eſt ſecundum locos communes Socinianos, veniale an mortale? Quouſque contra reformatos Papiſmo aliiſq; ſectis favebunt? *In Scripto ſocietatis* communi nomine *adverſus Henr. Slatii paricidæ* ſcriptum edito, precantur ut Deus Slatio jam à corvis depaſto peccatum ignoſcat. Hæc eſt oratio pro mortuis. Sed mittamus otioſam & ſtolidam Remonſtrantium pro ſuo ſinte cenſuram. X. In fraternitates religioſas, e.gr. B. Mariæ, ut & in collegia ſeu capitula tum communia tum cathedralia canonicorum, e. gr. Martini, Mariæ &c. piè & in offenſâ conſcientiâ jurari non poſſe, alibi docuimus; ubi etiam oſtenſum, non eſſe illic controverſiam de nudo titulo ſeu nomine uſurpando aut non uſurpando, ſed de re

aliquâ & inordinato ordine Papisticam hierarchiam ac superstitionem redolente, quàm aliqui ex nostris sive temerè atque otiosè sive lucri causâ affectant. Vide sis *disp. de Idololatriâ indirectâ part.* 3. *§.* 1. & *appendicem p.* 318. 320, &c. & *scriptum de Vsu bonorum ecclesiasticorum, & canonicatibus*, nuper vernaculo sermone à nobis editum. Incido nunc in locum *Danæi in Ethicâ Christ. ad* 2. *præceptum*; ubi confratrias ad idololatriam refert. *XI. Gallicæ ecclesiæ in conventu generali Salmurienſi anno* 1611. petitionibus regi exhibendis, & hanc ordine nonam inferebant: ne cogerentur publicè aut privatim sive vivâ voce sive scripto seipsos designare titulo, *de la religion pretendue reformée.* Quod hîc commemoro, ut constet quomodo alii ἀκριβειαν in usu nominum sectari soleant. XII. Atque hæc de opinionibus & monitis circa usum nominum: quibus subjicio *appendici de Idololatriâ indirectâ & participatâ pag.* 305. 307. & *disp. de Superstitione* addenda sequentia testimonia. *Synodus reformatorum in Galliâ anno* 1550. *à Poictiers artic.* 3. *inter particularia*: Ne infantes parentum Pontificiorum recipiantur ad baptismum, nisi pater aut mater potestati suæ renunciet, eamquè transferat in susceptorem reformatum, promittens se toleraturum, ut infans instituatur in religione reformatâ. *Ibid. artic.* 17. Curatos & beneficiatos ecclesiæ reformatæ insitos, non debere frui reditibus suorum beneficiorum. *Ibid. artic.* 22. Curatum, qui curam suam vendidit, sed nummos non recepit, ad cœnam admittendum, si coram consistorio pœnitentiam de venditione egerit, & protestetur se nummos illos nunquam recepturum. Plura decreta super casibus affinibus exhibemus in *scripto* vernaculo *de Bonis ecclesiasticis. In Synodo Aurelianensi anno* 1562. *artic.* 19. Typographos, bibliopolas, pictores nihil ad artem suam spectans facere debere, quod dependeat à superstitione ecclesiæ Romanæ: *Synod. Paris.* anno 1559. *inter partic. art.* 25. Servos qui dominos suos comitantur usque in templum Papisticum, quamvis nulla genuflexione se misceant cultui idololatrico, reprehendendos tamen & corripiendos esse propter scandalum. *Synodus anno* 1617. *à Vitrè en Bretagne, in general.* Parentes qui in susceptores seu testes baptismi assumunt Papistas, sed qui per procuratores reformatos infantem baptizandum offerunt & confessionem religionis reformatæ edunt, censuris ecclesiasticis unà cum procuratoribus esse inhibendos. Repetimus hîc, relictâ ex autoribus hactenus citatis suâ cuique opinione, sententiam nostram de nominum usu, de idololatriâ seu superstitione indirectâ & interpretativâ. I. *concl.* Nominibus ab idololatris antehâc impositis, aut idolis & cultui idololatrico appropriatis, non licet uti 1. invocando, jurando, festa celebrando; personas, res, opera, loca &c. consecrando; atque eo respectu & inde ea nomi-

tnando. 2. approbando, aut aliquâ ratione res nominales cum reverentiâ, aut conſcientiâ, aut externâ ſpecie & fictione agnoſcendo. 3. participando alienum peccatum, ſive per conformationem cum peccatoribus, ſive per illicitam tolerantiam & conniventiam: Licet tamen uti, 1. refutando, aut deteſtando idololatriam, 2. hiſtoricè, cùm in relatione, aut hiſtoriâ, aut teſtimonio dicendo, uſus ejus eſt neceſſarius: quia aliter intelligi non poſſumus. 3. grammaticè, cùm philologicæ meditationi & commentationi objiciuntur. II. *concl.* Ad idololatriam & ſuperſtitionem non tantùm craſſam, aut directam, ſed & ad ſubtilem aut interpretativam accuratè attendendum eſſe, & ad quamvis occaſionem ac ſpeciem ejus externam. Prob. 1. *ex Hoſ.* 2. *verſ.* 15. *Zachar.* 13. *v.* 2. *Pſal.* 16. *v.* 4. coll. cum 1. *Theſſal.* 5. *v.* 22. & *Judæ verſ.* 2. *ex* determinatione Pauli de idolothytis 1. *Cor.* 10. *verſ.* 8. & 10. 3. *ex* cenſurâ divinâ excelſorum 2. *Reg.* 18. 2. *Paralip.* 15. 4. *ex* analogiâ diſtinctionis magiæ directæ & interpretativæ; cujus tot ſpecies ſub titulis divinationis, ſuperſtitionis, vanæ obſervantiæ Pontificii ſcriptores enumerant. Item diſtinctionis uſuræ in apertam & palliatam. Denique diſtinctionis communis, in tam multis materiis & quęſtionibus apud Pontificios & noſtros frequentatæ, inter explicitum & implicitum, inter formale & virtuale. 5. *ex* incommodo & damno conſequente: quod minima ſpecies, aut occaſio, aut veſtigium idololatriæ aut ſuperſtitionis ſive otioſè, ſive etjam ſtudioſè per invidiam & contentionem aut per malum aliquod ſtragema relictum, ſemper aut plerumque pontem aut viam præſtet, per quam idololatria introducatur. Conſidera quid olim antiquę eccleſiæ & noſtrâ memoriâ eccleſiæ Anglicanę evenerit. 6. *ex* univerſali conſenſu antiquorum & hodiernorum tum conciliorum tum doctorum; quos hactenus adduximus, & in *ſeqq.* quibuſdam *diſpp. ad* 2. & 3. *decalogi præceptum* porrò adducemus. Imprimis autem hîc decreta, ſynodalia, monita ſapientum, exempla actualis reformationis ſuppeditant eccleſiæ Gallicę, Scoticę, Belgicæ, & quędam Germanicæ. Quin & ipſi Pontificii, ubi judicant eſſe aliquod veſtigium ſuperſtitionis Ethnicæ, quæ in formâ & ſpecie apud ipſos recepta non ſit, accuratè admodum hîc attendunt: uti ex conciliis & Doctoribus eorum hactenus citatis, & infrà in *diſp. de Magiâ &c.* citandis conſtare arbitror. III. *concl.* Quamvis indirecta idololatria & ſuperſtitio coram Deo & in interiori conſcientiæ foro non ſit ſine ἁμαρτίᾳ & culpa, contra quam homines præmonendi & præmuniendi: non tamen à quacunque indirecta aut participata omnes formaliter idololatriæ dicendi ſunt; quia non eſt formalis idololatria, ſed exſertè ab eâ diſtinguitur; quamvis ſub uno nomine & genere analogico

cum

eum ea contineatur. E similiter hîc judicandum, ac de magiâ directâ, & interpretativâ. Potest aliquid idololatricum aut magicum, aut superstitiosum ab aliquo committi, & de eo aliquid hæreticum aut hæresin sapiens dici, quem tamen illico inter idololatras, magos, hæreticos, non numeraveris. Quomodo *Aristoteles* negat Cambysen esse dicendum justum, quamvis justi quid egisset. *lib. 3. Nicomach.* Lucem inferet huic distinctioni collatio *dispp. de Magiâ*, & *de Hæresi*. Hallucinati ergo sunt, qui factum idololatriæ indirectæ cum palliare aut defendere vellent, nos pro causâ Dei stantes odiosè traducebant, ac si viris reformatis absque distinctione aut limitatione idololatriam imposuissemus, tanquam idololatras prostituissemus. Sed de hoc pluribus suprà *pag.* 325. 341.

DE MAGIA.

PARS PRIOR,

Resp. SIMONE RAVENSBERGIO, *Calslago-Bat.* 2. *April.* 1636.

Non minima Scientiæ & Theoreticæ & Practicæ pars est de effectis ac superstitionibus Magicis dextrè judicare. Omnium sapientum interest de his respondere inprimis Theologorum, cùm tam multa scripturæ dicta, tam multi casus conscientiæ ad primum & tertium præceptum hic explicandi sint; quin & liturgia nostra in formula administrationis Cœnæ & Catecheseos quæst. 94. Magiæ exsertè meminerint. Non putamus ergo absre nos facturos, si Theologiæ Studiosos in tam vasto opinionum & quæstionum labyrintho methodicâ aliquâ hujus thematis delineationæ, subjectâ insuper breviculâ contra Heterodoxos & paradoxos diascepsi, quasi Ariadneo filo ducamus.

MAGIÆ vox primò in bonam partem accepta, ut *tyrannus*, *Baal*, & synonyma hebraica, chaldaica, *chartum*, *charasch*, *Iddeon* &c. propter abusum hominum 1. postea tribui cœpit, superstitiosis & diabolicis artibus. Origine Persica est, & significat sapientem, rerum divinarum & humanarum peritum, ut tradunt *Plato*, *Herodotus*, *Xenophon*, *Strabo*, *Diogenes Laërtius*, *Plinius*, *Philo Judæus*, *Cicero*, *Porphyrius*. Unde autem derivetur in linguâ Persicâ,

Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est.

Causa videtur linguæ antiquę & hodiernæ Persicæ ignorantia in Europa.

Disquisitiones de ea & synonymis vide in *Drusii præteritis, & ad voces N.T. p.*103. *in Spanhemii dubus euangelicis part.* 1. in *Onomastico Math. Martinii*; & *in notis Lud. de Dieu ad Math.* 2. 1 & *Actor.* 13. 8. & *in commentar. Zanches, & Cornel. à Lapide ibid. Lempereur in Middot pag.* 176. de eadem agit; *Idem in Iachiadem* ad *cap.* 1. *Danielis. pag.* 25. & 31, 26. vocem hanc per synonyma אשף & חרטם explicat: Quem vide. *Apulejus apol.* 1. interpretatur sacerdotem, quod convenit cum *Strabone lib.* 15. ὑφηγεμένας παρὰ τοῖς θεοῖς & *Xenophonte in Cyri paidiâ lib.* 8. Non aliena videbatur antehac sententia *Bezæ in notis Actor.* 13. & *Math. Martinii, Loc. cit.* & *Schindleri in lexico pentaglotto*, qui censent Spir. S. nomen magi interpretatum per *Elymas Act.* 13. 8. Quod cum Arabico עאלים *alim.* 1. sciens, sapiens, prudens, doctus convenit, à rad. עלם *Alima.* 1. scivit. *Arabica interpretatio Pentateuchi R. Saad. Gaon Genes.* 41. 8. *Exod.* 8. 19. *Hebr.* חרטום vertit עלמא: & sic *paraphrasis Arabica ab Erpenio* edita iisdem locis vertit חכמים; Eadem *Exod.* 7. 11. Utramque vocem חכמים *chachamim.* 1. Sapientes, חרטמים *chartummim.* 1. Magos aut genethliacos unicâ עלמא exprimit. *Translatio Arab. in bibliis polyglottis Parisiensibus & Londinensibus*, utitur vocibus ejusdem radicis, *alima.* Vocē מכשפים mecassche phim *Syrus interpres in dictis bibliis* vertit חרשא *charsche*, planè ut *targum Onkelos* חרשיא *charaschaja.* Ut revertamur ad vocem *magus*, post primam hujus disputationis editionem, consultus à me ὁ μακαρίτης D. Elichmannus Medicus linguæ Persicæ studiosissimus & peritissimus tunc Leidæ degens, qui mihi ultro amicitiam suam obtulerat eamquè & coram & per literas studiosè fovebat, respondit, vocem μάγος Persicè sonare *Mog*, & fuisse nomen proprium Zoroastri seu Zoroastris multorum scriptis celeberrimi, qui sectæ illius magorum autor seu potius instaurator erat. De quo in 2. *part. disp. tit. de Gentilismo p.* 591. Postea reperi de illo *Moq*, aliquid notatum in *Hottingeri historiâ orientali lib.* 2. *c.* 6. *Eduardus Pocockius ad Abulfaraji specimen historiæ Arabum pag.* 146. refert cujusdam scriptoris Arabis, Alfiranzabadii sententiam de etymo *magus*: quòd primus sectæ illius autor cum esset auribus brevibus, dictus fuerit *Mije Gush*, quod Persicè significat aures breves. De Zoroastro præter *autores* in 2. *part. Disp. indicatos*, agit *Ger. Joh. Vossius in tract. de historicis latinis.*

2. Voces omnes Synonymas quæ apud sacros prophanosquè scriptores occurrunt, ut explicemus angustia Thesium non patitur. Legant, quibus cordi est *Philologia sacra, in commentar. Rabbinorum ad textus citt.* & ad *Deuteron.* 18. *Psal.* 58. *Daniel.* 2. aut si quis compendio uti malit, *consulat lexica Philippi D'Aquin, Pagnini, Buxtorfii utrumque, biblicum scil. & Rabbini-*

binicum; & inter philologos sacros *Christoph. Cartvvrigthum in Exod.* 7. 11. & 22. *Nicolaum Fullerum lib.* 5. *miscellan. cap.* 11. ubi de voce chartum. Tantum nunc distinctione contenti erimus, ne ambiguo laboremus. Significat ergo Magia vel artem licitam vel illicitam. Licita Magia est vel naturalis, vel mathematica. Illa est *ars cognoscendi qualitates rerum naturalium imprimis occultas, ac per eas mira operandi applicando naturalia agentia passivis.* Varia occurrunt ad hanc magiam pertinentia apud *historicos & disquisitores naturales*, quorum complures in *bibliothecâ nostrâ* indicamus: inter quos *Albertus Magnus, Fracastorius, Lavinus Lemnius, Cardanus, Cornelius Gemma, Mizaldus in centuriis memorabilium.* Imprimis studiosis compendium hîc præstabunt qui omnia ex aliis & ex propriâ experientiâ collecta in ordinem redegerunt, *Ioh. Baptista Porta lib. de Magiâ naturali* (imprudenter ideo Magiæ acculatus *à Bodino*) & *Ioh. VVeckerus in lib. de Secretis*: si cum judicio legantur. Hâc cautione perpetuò hîc opus est, ne Magiæ hujus pomeria tam latè extendantur, ut cum natura benè cœpta tandem alicubi desinat in superstitiosam: quod nonnullis ejus admiratoribus & præconibus accidisse nimis quàm manifestum est, ex quibusdam Hermetico-Paracelsistis, & nuperis illis larvatis fratribus Roseæ crucis, ex *Oswaldi Crollii Chymic. Basilicâ in præfat. admonitoriâ. Famâ* item & *confessione fraternitatis Roseæ crucis, & epistolâ Iuliani Medici* eidem confess. additâ. Ex *Henrici Khunrat. tract. de igne Magorum, pag.* 28. 29. 30. 52. 54. Denique ex eorum Antagonistis doctissim. Philosophis & Medicis *Andr. Libavio in Examine Famæ & confess.* & *Daniele Sennerto* in egregio *tract. de Chymicorum & Galenicorum consensu, &c.* Idem præcipuè cavendum in adhibendis superstitiosis antidotis, quę apud antiquos, & posteriores nonnullos medicos occurrunt. Confer *disp. de superstitione.* Magia Mathematica *est ars beneficio Arithmeticæ & Algebræ, Geometriæ, Opticæ, Staticæ, &c. mira operandi; qualia sunt Eucharistia Archimedis, Omnipotentia Stevini, machinæque mirabiles scansoriæ, tractoriæ, &c.* Archytæ columba volans, Archimedis navis una manu per forum tracta, aquila volans artificis Nurenburgensis in inauguratione Carol. V. Specula urentia Archimedis & Procli, Heronis hydraulica, hydagogica, anemogogica, Boëthii aëra mugientia, & aviculæ canentes, de quibus *Cassiodorus in epistolis lib.* 1. *epist.* 45. Ut finem faciam, indico *Plinium lib.* 7. *c.* 37. & imprimis *ibi commentat. Dalecampii, Vitruvium lib.* 7. *in proœm. & lib.* 9. *c.* 9. *Athenæum l.* 4. *c.* 24. *Raderum aliosque commentat. ad Martialis epigramma, Barbara pyramidum &c. Possevinum tom.* 2. *biblioth. selecta p.* 216. *Snellium in prolegom ad annotationes in Rami Geometriam pag.* 37. edit. in 8. *Salmuthum ad part.* 2. *Paucirollæ de novè repertis pag.* 230. *Thomam Gersoni in seraglio; Iulium*

um Cæsarem Bulengerium de Theatro cap. Confer *disp.* 1. *de signis*: tota Pyrotechnia, item ars Urinatoria, &c. Hæc autem cautio iterum hîc adhibenda, ne nomine Mathematicæ aut staticæ, aut architectonicæ veniant, omnia quæ ab artificibus pro talibus venditantur, aut ad quæ solam Mathesim adhibuisse se videri volunt. Si alibi, certè & hic valet illud: Et mala sunt vicina bonis. Lubricus & facilis hic transitus εἰς ἀκὸ γέρω. Alberti Magni egregii alioquin Physici & Mathematici statua loquens (quam triginta annorum opus Thomas Aquinas dicitur fregisse.) Gerberti seu Papæ Sylvestri II. edocti à Saracenis Hispalensibus, & Roberti Lincolnienſis, & Rogeri Bacon Monachi Oxonienſis itidem Philosophiæ & Matheseos peritissimorum capita loquentia non minimam nobis movent suspicionem; siquidem vera sunt quæ de illis referuntur. De Sylvestro vide *Plessæi Myster. Iniquitat.* Et *Selden. de Dis Syris synt.* 1 c. 2. Ibi tamen Rog. Baconem excusat, & factum negat. Idem judicium ferendum de insignibus picturis absq; pictoris manu in Batavia ante paucos annos buccinatis, siquidem veritati, non vanæ mendaciq; ostentationi litent Τορτυλομανῆται. *Probl.* An magi *Matth.* 2. tantùm à licitâ magiâ, h. e. scientia theoretica & practica ita dicti fuerint; an vero etiam ab illicita & superstitiosa, aut diabolica. *Resp.* Non video in alterutram partem certò quid determinari posse: siquidem ex historiis, Magorum Persicorum studia & ordinem (de quo *comment. ad Math.* 2. & *Casaubonus ac Montacutius ad Baronium*) cognoscamus. Quod fortè pro negante sententiâ adferri posset, eos fuisse à Deo edoctos & conversos, id parùm solidum arbitror: quia non est impossibile, nec etiam insolens, ut magicis superstitionibus & diaboli cultui subductos gratia sua Deus collustret. Vide exempla *Actor.* 19. *vers.* 19. Et *orationem Nazianzeni de Cypriano*, ubi refert eum fuisse magum. Quid, quod cultus & sacra Gentilium sine dæmonum cultu, & sacris magicis non consisterent: uti constat ex eorum sacrificiis, lustrationibus, festis &c. & innuitur ab apostolo 1 *Corinth.* 10. *vers.* 20. Quid alii de magis illis sentiant, vide apud *commentatores in Math.* 2. Et *Baronium in appar. ad annales*, cum censoribus *Casaubono*, *Montacutio*, *Iacobo Capello.*

3. Illic ita Magia est vel vana vel superstitiosa. Illam melioris doctrinæ causa propriè *Sacculariam* dicere possumus: Belgicè vocant upt den aes-sack spelen: Alioquin *Sacculariis* communiter dicuntur, qui quas vis vetitas artes etiam diabolicas exercent. *Turneb. in adversar lib.* 9. *cap.* 17. *Et Iurisconſ. ad L. sacculariis in ff. de extraordin. crim.* Vanam hanc & otiosam artem, Agyrtæ vocant, *Okos Bokos* vocabulis à vero vel ficto nomine Itali cujusdam hujus artis mystæ & mystagogi, aut aliunde desumptis. *Est*

autem

autem ars, quâ peculiari quâdam agilitate, celeritate, & occultatione miri aliquid facere videntur & facere se jactant, cùm reverâ nihil tale faciant. Hæc operandi ratio quamvis in se & materialiter non sit illicita, ejus exercitio tamen ista opponimus: 1. *quòd* sit vana & illicita formaliter, ratione mendacii & deceptionis. 2. *quod* etiam aliquo modo ratione finis, quia ferè otiosa est nulli rei bonæ inserviens. 3. *quòd* non sine periculo; & sine Dei tentatione: saltem in arduis quibusdam. Nec omninò vana est conjectura Campanellæ de his artibus circulatorum: *fortasse*, inquit, *Dæmon eorum inventor fuit, ut miraculorum divinorum fides labasceret*, lib. 4. de Sensu rerum & Magia cap. 4. Agit etiam de ea *Cardanus lib.* 18. *de subtilitate pag.* 896. *&c. Thomas Gersoni* pluribus quàm alii quos unquam vidi, in *tract.* Ital. cui *tit. Seraglio di miravigli.* Tria ergo notare potest vox Magiæ, artes scil. operationesque naturales, vanas & superstitiosas: ita ut triplex Magia sit, bona, vana, superstitiosa. Superstitiosam propriè hîc intelligimus, de quâ nobis agendum: quam describimus, *Superstitionem, quâ adhibentur & applicantur res aut verba, aut ceremoniæ seu actiones ad aliquid prædicendum aut producendum, ad quod neque ex naturâ suâ, neque ex institutione Dei, ullam habent dispositionem; idquè ex pacto cum Diabolo vel manifesto vel occulto.* Breviter potest etiam describi: *Ars nefaria mirum aliquod ope Diaboli præstandi.* Genus ejus statuimus superstitionem seu artem superstitiosam: prout superstitio strictè sumpta à vanâ observatione distinguitur. Quàm rectè autem dicatur superstitio, vide apud *Carthusianum tract. contra vitia Superstitionum artic.* 1. cum *Thom.* 22. *qu.* 96. *art.* 4. & *Summistis in voce Superstitio.* Alii magiam distinguunt in naturalem & ceremonialem; sic *Agrippa cap.* 41. *de vanitate scientiarum.* Sub naturali comprehendit mathematicam *cap.* 43. & veneficam seu pharmaciam *cap.* 44. Sed in posteriori nimium indulget. Sub ceremoniali comprehendit goëtiam seu necromantiam, & theurgiam. *Goëtia est*, quæ dæmonum commerciis, nefariæ curiositatis ritibus, & illicitis carminibus ac deprecamentis peragitur cap. 45. *Et hi sunt* inquit, *qui defunctorum animas inclamant, & quos veteres vocabant epodos, qui excantant pueros & in eloquium oraculi eliciunt, qui dæmones pacedros circumferunt, qui spiritus pascunt (ut loquuntur) in vitro, per quos se prophetare mentiuntur &c. Alii dæmonibus se submittentes illis sacrificant, & adorant &c.* Sed aliqua illis capitibus inspergit, quæ vetus fermentum magicum non satis ab illo expurgatum fuisse arguunt. *Theurgia* est, *quando non tantùm naturalibus viribus, sed & certis ritibus ac ceremoniis, cœlestes & per illas divinas homines sibi conciliant & attrahunt.* Et hanc inquit ibid. cap. 46. *plerique putant licitam; quasi hæc bonis angelis divinoquè numine regatur &c.* Ad

hanc

hanc theurgiam referri dicit, artem almodel, artem notoriam, artem Paulinam, artem revelationum.

4. Efficientes causæ Magiæ (finalem non habet, cum finis sit bonus & boni) principalis & quidem primaria est Satan, gloriæ divinæ & generis humani hostis ducens ac seducens: Secundaria est Magus, seu homines nefariæ huic arti dediti; unde Magi peculiari ratione dicuntur filii Diaboli, *Act.* 13. *vers.* 10. Concurrente ipsorum judicio practico cum voluntate, tanquam vero & unico humanarum actionum (quâ talium) principio: illis efficientiam & causalitatem propriè dictam tribuit Scriptura *Actor.* 8. *vers.* 9. 10. 11. cum *Galat.* 5. *vers.* 20. & *Apocalyps.* 21. *vers.* 8. & *Deut.* 18. *vers.* 10. ne quis omnem efficientiam Satanę tribuat, quasi homines Magi se merè passivè & objectivè habeant, & tantum modò in phantasia aut nescii aut inviti impressionem aliquam patiantur ac vexentur, aut sensus externi & membra corporis possideantur, agantur, prout energumenis seu possessis, lunaticis, aliisquè à Satana vexatis, etiam aliquâ ex parte Servatori nostro *Math.* 4. hoc evenit. Confer *disp. de Energumenis.*

5. Efficientes minus principales impulsivæ sunt vel externæ (quas antecedentes vocare possumus) vel internæ. Externæ sunt quatuor generum, 1. Libri. 2. Axiomata. 3. Exempla. 4. Actiones, h. e. falsa doctrina, falsa & mendax historia, perversæ & periculosæ observationes, ritus, consuetudines & actiones. Primi & secundi generis sunt magis Theoretica & Didactica: tertii & quarti magis practica & pojetica: illa remotius, hæc propinquius atque efficacius, omnia tamen tandem (nisi maturè discat sapere) manuducunt hominem ad abominandam hanc superstitionem. 1. *Ad primum genus* pertinent libri continentes aut instructiones de Magicis operationibus & ceremoniis, itemque formulas conjurationum (quales infrà *part.* 2. §. aliquos evulgatos indicamus); aut encomia, & aut defensiones magiæ, aut saltem ejus criminis extenuationes. An *libri Trithemii* & *Agrippæ* tales sint, aut non sint, apud *Delrio* quærendum est. *Libros VVieri & Reginaldi Schot*, qui nostram religionem professi sunt nostris displicuisse constat ex *dæmonologiâ regis Iacobi*, ubi Wierus exsertè notatur; & ex *scriptis Raynoldi ac Perkinsi* in quibus *Reginaldus Schot* refutatur, imprimis ex combustione omnium exemplarium, quæcunque haberi poterant. 11. *Ad secundum genus* referimus tanquam principia, postulata, & hypotheses, & præparatorias quasi dispositiones Magiæ, pseudo philosophemata Hermetico-Platonica, qualia apud Platonicos nonnullos, inprimis *Iamblichum de Ægyptiorum Mysteriis*, *Proclum de Animâ & Dæmone*

mone, *Apulejum*, *Pſellum* alioſque occurrunt, ita ut non immeritò celebris Medicus, Chymicus & Philoſophus *Andr. Libavius in ſchediaſmatis pro Phil. Scherbio contra Henningum Rennemannum*, lubricam illam viam & ad Magicas artes deſcenſum Platonicæ philoſophiæ ſectatoribus objecerit, ac non paucis exemplis probarit. Adde curioſas & Platonico-Rabbinicas ſpeculationes de ordinibus, officiis, ac præfecturis Angelorum apud antiquos hæreticos, Gnoſticos ſcil. Severianos &c. de quibus *Auguſtinus de hæreſibus.* Nec prætereundi ſunt qui exſtant ſub nomine *Dionyſii Areopagitæ lib. de Hierarchia cœleſti*, de quibus aliàs; quibus adde diſtributionem diabolorum per ordines, loca, officia apud *Pſellum*, *Trithemium*, & recentem Doctorem Pontificium Mediolani *Antonium Ruſcam. l. 5. de Inferno & ſtatu Dæmonum cap.* 14. 15. 16. *Agrippam lib. de ceremon. Magic. pag.* 89. 92. 93. 46. adhæc, omnia effata & placita Aſtrologiæ judiciariæ ſeu genethliacę. Item totum illud chaos Philoſophiæ & Theologię Cabaliſticæ, ſive antiquorum ſive recentiorum, tum Judæorum tum Chriſtianorum: ſiquidem ex eâ quis demonſtrationem in ullâ ſcientiâ exſtructum eat. Vide myſticas illas nugas apud *Reuchlinum de Cabala & in tractatibus caballiſticis* editis ab apoſtata *Ioh. Piſtorio* in fol. & concertationes Doctorum Pontificiorum apud *Gaffarellum contra Marinum Merſennium libr. de Abditis divinæ Cabalæ myſteriis*, & ſuprà *append. Ad diſp. de Superſtitione.* Denique arcana quædam Phyſicæ & medicinæ Hermetico-Paracelſicæ, de quibus *Thomas Eraſtus contra Paracelſ. Libavius*, & *Sennertus ſuprà cit. cap.* 18. Aliter enim fieri vix poteſt, cùm Paracelſus remedia Medico etiam à Magis & circulatoribus conquirenda ac diſcenda eſſe contendat. Speciatim autem notare viſum eſt apertè falſas aut periculoſas aut vanas & petulantes nonnullorum ſententias, qui ingrati & faſtidientes ad divinam veritatis lucem, ſua & aliorum ingenia aut pervertunt. aut ſaltem obſcuritate & ἀκυρολογίᾳ non parum confundunt. Sunt autem imprimis „quas obſervare potui, iſtæ: Cœlum eſſe animatum: Eſſe animam mundi: Omnibus rebus ineſſe ſenſum: hinc Monachi *Campanellæ recentis libr. „de ſenſu rerum & Magia*, Numeris, figuris, & cuicunquè quantitati in„eſſe vim operandi; verbis item pronunciatis aut ſcriptis imprimis exoti„cis ineſſe vim & efficaciam aliquid efficiendi, ſaltem verbis bonis, ſa„cris, ſententiis & commatibus ſcripturę, nominibus Dei, ineſſe hanc „vim. His vanitatibus ſubſervit præſtructa ſententia *Platonis in Cratylo*, „Quod nomina rebus natura ſint impoſita; inde ergo conſequenter vis „operandi ipſis tribuenda eſſet. Spiritus eſſe corporeos; ſaltem pati, ad „imperata cogi, ligari, & fugari poſſe à rebus corporeis, ſuffitibus ſeu in„cenſis, virgis, ſignis & ceremoniis &c. Huic affinis eſt hypotheſis:

„Quòd Deus dæmonas quamvis incorporeos subjecerit rebus corpo-
„reis; herbis scil., metallis, lapidibus, sonitui, clamoribus &c. quæ natu-
„ralem virtutem habeant pellendi dæmonas. Nec tantum exempla ex
„*Flavii Iosephi lib.* 8. *antiquit. cap.* 20. *Philostrato in vitâ Apollonii Thyanæi*
„*lib.* 2. *cap.* 2. *Plinio lib.* 28. *cap.* 16. adferuntur, sed & *Hieronymus* & ex eo
„*Ius canonicum* 26 *qu.* 7. *Abulensis in* 1. *Samuel.* 16. *quæst.* 43. *Ibidem Burgen-*
„*sis in additionib. c. Lyranum, Raymundus Lullus, Rupescissa, Grillandus, Fr.*
„*Rueus cit. & refutati à Raphaële la Torre in tract. de potestate exercendi dæ-*
„*mones disp.* 3. & 17. Eâdem methodo refutandi exorcistæ ipsorum, ut
„Mengus, qui herbas & suffitus diabolis opponit. Confer *dispp. de Energu-*
„*menis & de Exorcismo.* Spiritus esse non tantum bonos & malos, sed &
„medios seu neutros: licitum esse uti operâ diabolorum, sive contra ho-
„mines, sive contra ipsos diabolos. Huc refer pseudolosophemata de divi-
„sionibus seu speciebus dæmonum, apud *Proclum de animâ & dæmone pag.*
„398. 399. edit. lat. cum *Iamblichi mysteriis Ægyptior. in* 8. & apud *Trithe-*
„*mium de septem intelligentiis, apud Platonem* & Platonicos, *Iamblichum, Al-*
„*cinoum* &c. *ubi de geniis* &c. Confer *disp. de Hierarchiâ cœlesti.* Eorundem Phi-
„losophemata de mente seu animâ intelligente, quam à spiritibus com-
„pletis seu dæmonibus non satis distinguunt, & subinde ab animâ huma-
„na corpus informante nimium distinguunt. Varias philosophantium
„opiniones de animâ, si quis tanquam in tabella contemplari cupiat, a-
„deat *Tertulliani, & lib.* 1. *Aristot. de animâ cum comentar. Conimbr. & Salmasii*
ad Epictetum Simplicii, & Bulengerii elect. ad Arnobium. Sequuntur opiniones,
„per quas nimis extenduntur vires stellarum, & occultę influentię, imò &
„stellis divinitas tribuitur, atquè adeò cœlum, terra, dæmonia tandem
„miscentur, de quo vide *Seldenum de DIS Syris prolegom. cap.* 3. Cum
„etiam nimium extenduntur vires herbarum, lapidum aliorumquè na-
„turalium, quod fecit *Albertus Magnus libr. de virtutibus lapidum, herbarum*
„*&c.* & *lib. de mirabilibus mundi.* Cum nimis extenduntur vires potentiæ
„imaginativæ in homine, & sympathiarum atque antipathiarum in rebus
„naturalibus, quod faciunt dicti Hermetico Paracelsistę, & si qui sint isti-
„us commatis, de quibus suprà. Nimis audax, curiosa & specialis de-
„terminatio harmoniæ mundi superioris seu cœlestis cum inferiori seu
„elementari per omnes rerum species, partes, qualitates, motus; quo
„pertinet particularis illa *ἰατρία* (minimè tamen scientifica) omnium (quas
„vocant) signaturarum, de quibus *Osv. Crollius libr. supr. cit.* Non parum
„iisdem tribuere videtur *Cornelius Gemma lib.* 1. *de naturæ divinis characte-*
„*rismis pag.* 37. Sed distinctè mysteria Hermeticorum de signaturis expli-
„cuit *Sennertus tract.* fæpius laudato *cap.* 18. Nos in *dispp. de Creatione part.* 7
in *ap-*

„in *append.* nonnulla huc facientia exhibemus. Tota Doctrina de nu-
„merorum mystica & Cabalistica scientia & efficacia, ex Pythagoræ, Pla-
„tonis & Thalmudistarum scholis hausta. Confer suprà *disp. de Superſti-*
„*tione*; ubi de numeris. De Platonis philosophiâ magicis superstitioni-
„bus ancillante, judicium ferendum est ex lectione *Procli, Iamblichi, Pſel-*
„*li, &c.* quin ipse Cardanus lib. 16. de varietate rerum p. 1121. hoc diffi-
teri nequit. *Nec Sueſſanus cum ſuo damonio barbato quicquam egregium con-*
ſtruxit: nec Platonici doctiores Peripateticis, ſed inconſtantes, inutiles, va-
ni, ſoloquè faſtu ac fabulis tumidi. Quin etiam quod ſolum ſperari poterat ut pii
eſſent, defuit. Siquidem Plotinus, Porphyrius, Iamblichus, ſectaquè illa tota Deo
ingrata, nihilo melior gentibus fuit, cùm Deos, cùm damonas adorari perſuaſe-
„*rit.* Curiola & superstitiosa determinatio præfecturæ & occupationis
„certorum Spirituum bonorum & malorum in his aut illis corporibus,
„qualitatibus, locis in rerum naturâ: quasi peculiari quâdam ratione re-
„bus illis à divinâ providentiâ alligati atque affixi sint: aut proprio arbi-
„trio & peculiari genio suo his aut illis rebus potissimùm delectentur:
„Quònon ineptè referri posset sententia Peripatetico-Scholastica de In-
„telligentiis orbium Motoribus; præsertim si nomina eorum, tempora,
„& modi gubernationis addantur, quod fecit *Trithemius libr. de Septem*
„*Intelligentiis ſive Spiritibus &c.* excus. Coloniæ apud Johannem Birck-
„mannum Anno 1567. in 8. Confer *diſp. de Damonibus* §. 2. 3. & *ult.* Nec
„prætereunda signatorum temporum observatio & distinctio, quibus in-
„feriora, ut herbæ, lapides, animalia, eorumque partes, qualitates, motus
„&c. superioribus subjecta observari, tractari, applicari, & peragi de-
„beant. *Trithem. lib. cit. pag.* 113 Denique Ethnica pseudo-philosophia de
„Strygibus, lamiis, lemuribus, fœminis albis &c. cujus magna pars
„ex Ethnicismo ad Papismum olim traducta erat, & etiamnum passim
„non pauca adhærent, unà cum Judaico Thalmudicis fabulis de naturâ
„Spirituum, de diabolo Samaël, de Lilith (vid. *Buxdorf. in ſynagog. Iudaic.*)
„de Asmodeo, deque corporeis antidotis contra diabolos, quorum par-
„te aliquâ conspersus est apocryphus *liber Thobiæ*, ad quem vide *Cenſuram*
„doctissimi *Reynoldi*. Confer *diſpp. de Damonibus, de Spectris*. Nec præter-
„eunda Mahumedico-Judaica deliria de *Sephirot*, quæ cum aliis istius
„farinę nuperrimè fucare studuit novitius Judæorum apud Amstelода-
„menses Doctor, *Menaſſe Ben Iſrael in problematibus de Creatione cap.* 27.
111. *Ad tertium genus* referimus mendaces illas Judæorum fabulas, de
Solomone aliisque piis etiam Θεοδιδάκτοις Magiæ artificibus & authoribus:
item de gravissimis illis senatoribus Sanhedrim, quos magiæ peritos fuis-
se jactant, *Ioſeph. antiquit. Lib. 8. cap. 2. Thomas in quæſt. diſput. de Potentiâ Dei*

Iuæst.6.art. 10. *Delrio lib.*1.*cap.* 2.3.4. *Cunæus lib.*1.*de Republ. Hebræor. cap.* 12. *Augustin.lib de consensu Euangelist. cap.*9.10.11. *Schichardi Tarich, in proœm. pag.*38.50. *R. Alschech.in comentar.ad Iesæ* 53.*p.*225.edit, *L'empereur.* in 8. tribuit Salomoni quod imperium habuerit in angelos. Quod si verum esset, in eo paria cum illo feciſſet Clemens V. qui bullâ suâ mandabat angelis, ut animas morientium Romipetarum in cœlum deferrent. *Bullam* illam nuper ex M. S. (quod hic Ultrajecti servatur) edidit cum aliis quibusdam rever. collega noster *Iohannes Hoornbeeck.* Hinc facile est conjicere, cur exercitium magiæ apud Judæos non tam infrequens sit. Huc pertinent Historiæ seu fabulæ *Amadisi*, & filiorum *Aymini*, seu Aimundi, & *Malgisii* ipsorum patrui, in quibus artes magicæ ab hominibus honestis, piis, honoratis, in bonum rei Christianæ bono zelo exercitæ narrantur Deo hominibusque faventibus (ut videtur); saltem nemine Christianorum ne Principibus quidem & sacerdotibus id ægre ferentibus. Quibus adde periculosa & subdolas illas dissertationes: Magiam esse quandam candidam quæ à nigra distinguatur, esse artem liberalem & licitam, saltem esse adiaphorum, quod in se nec bonum nec malum; esse meram agilitatem & dexteritatem aliquid operandi, immo veram Philosophiam, Theologicam pietatem, mentis & corporis puritatem facere ejus præcipuam partem, aut potius totum fundamentum *Trithemius lib.cit.pag.*69.70.87.97.& *Steganogr.lib.*2.*cap.*25. Denique protestationes contra magiam diabolicam & superstitiosam, quales occurrunt apud *Trithem.lib.cit.pag.*91.92.107. Et in *Steganographiæ præfationibus ad libr.* 1. *& libr.*2. Conferat cui vacat, *Delrio lib.*2.*quæst.* 2. Huc etiam refer exuperantiam omnem in admiratione, deprædicatione, & alloquio creaturarum, imprimis superiorum ut stellarum. Quo refer stolidam philosophiam Mahumedis de Sole & Lunâ, ordinibus cœlorum & stellarum, multisque mirabilibus extra mundum, quę rejecta vide *à Dionys. Carthus.lib.*4.*contra Alcoran.& sect.Mahometis.cap.*7.8. *& Philippo Guadagnolo contra politorem speculi.* Adhęc nugationes Judæorum de Lunâ, quam compellant & à Sole lumen mutuare jubent, cui benedicunt, quam cum Deo colloqui garriunt. *Buxdorf.Synagog.Iudaic. cap.* 17. *Gaffarellus* sacerdos Gallus anno 1631. librum vulgari lingua edidit tit. *curiositez inouyes;* ubi *part.*4.*c.*12.& 13. philosophatur de lecturâ stellarum: quodque tanquam literæ alphabeti sint dispositę, & omnia in iis legi possint, in hoc mundo eventura. Quid si addatur harmonia seu concentus cœlorum Pythagoricus. Sunt & aliæ vacuæ opiniones & observationes, quarum numerus hic iniri nequit. Non paucas notavimus in *dispp. de Angelis, de Dæmonibus, de Spectris, de Energumenis, de Exorcismis, de Superstitione.*

ne. IV. *ad quartum genus* reduci possunt, omnia illa auxilia & instrumenta magiæ, de quibus mox *infrà* §. 7.

Causæ impulsivæ internæ sunt, *communis* quidem, nativa corruptio ho- 6.
minis *Galat.* 5. *vers.* 19. 20. *specialis*, ingenii petulantia, curiositas, superbia, avaritia, quę duo sunt elementa omnium vitiorum. Affectatio apparitionum, visionum, revelationum per angelos, animas separatas: item familiaritatis & colloquii cum iisdem. Occasio ut plurimum est etiam solitudo, & solitariæ melancholicæque imaginationes. Non malè n. appellatur melancholia balneum Satanæ, & otium pulvinar Diaboli. Has occasiones conjunctas cum philosophia Pythagorico-Platonica, & Theologia Pontificia de Angelorum distinctis ordinibus, officiis, invocatione, adhęc de consecrationibus, exorcismis, de miraculis, Spirituum apparitionibus; de purgatorio & statu animæ separatæ, &c. puto in causa fuisse, cur inter Clericos, monachos, & moniales Papatus tam multi ab omni ævo inventi sint magiæ dediti.

Causæ instrumentales varię sunt. Distinguimus eas in media ad nefari- 7.
am hanc artem ejusque exercitium, seu ad sceleratum pactum, & communionem diabolicam perveniendi: & in media artem hanc exercendi: seu in media ortus, & media actus. 1. *Quod ad priorii* generis media, *Truthemius lib. cit. pag.* 110. 111. 112. 113. undecim media ad Magiam perveniendi enumerat sed confusa, mutila & fraudulenta est enumeratio. Nos ergo distinguimus ea in externa seu remotiora, & in interna seu proxima, & quasi continentia. *Externa* sunt, libri magici imprudenter lecti: Et conversatio cum magis, qui hic præstant pararios ac proxenetas Satanæ, & novos discipulos ad hanc scholam alliciunt atq; adducunt. Hie κατ' ἐξοχὴν militant collegia & scholæ magorum, quales olim fuisse in Hispaniâ testis est *Delrio, l.* 2. *qu.* 1. Alibi legi Salmanticę ut & Oxonię publicè traditam esse magiam. *Internæ* sunt tum pactum magicum, tum fides seu perfidia Magico-Diabolica. *Pactum* illud est totius nefariæ operationis fundamentum. Estque vel apertum, explicitum, & directum, quod primario pactum dicitur; vel occultum, implicitum, interpretativum, indirectum, & per consequentiam. *Pactum expressum* fieri solet trib. modis; vel cum forma visibili Diabolus ipse comparet, & coram testibus pactum peragitur: vel cum absque testibus: vel cum per vicarium aliquem Magum sceleratum fœdus initur. Rursum apertum illud pactum aliquando initur & confirmatur solenni scriptione instrumenti, & signo stigmatico parti alicui corporis magorum impresso. De chirographo seu instrumento scripto, & quidem sanguine Johannis Fausti, lego in *historia de ipsius gestis* edita. Stigmata aliquando à diabolo magis imprimi solent; ut olim

apud Romanos sacramento militari victuris in cute punctis (teste *Vegetio lib.2.cap.5.*) astringebantur, & ut fideles in V.T. circumcisione, in N. T. baptismo consecrantur servatori suo. Et hæc est pars mimicæ dæmonum. De illis stigmatis pro arbitrio diaboli impressis, præter *Malleum maleficarum aliosque scriptores de processu adversus magos*, *Petrus Osterman*, J.C. peculiari *tract.* Colonię in 4. quem ante annos aliquot vidi in bibliotheca conjunctiss. cùm viveret collegæ mei D. Caroli de Maets, τοῦ μακαρίτου. *Pactum tacitum seu occultum est*, vel quando quis sciens & volens utitur verbis, signis, & ceremoniis magicis quæ novit esse talia, ex temerariâ curiositate temporis fallendi aut tentandi causa: vel cum utitur iis per ignorantiam, nesciens illa superstitiosa esse aut à diabolo instituta. De pacto occulto conferat, cui vacat, præter *Scholasticos & Summistas* ex nostris *Perkins. in Bascanolog. & explic. Decalogi, & Amesium in Casib. lib.4. cap.13.* *Fides* seu perfidia magica est falsa ac superstitiosa persuasio; de virtute & efficacia Satanæ, aut saltem mediorum Satanicorum h.e. rerum & actionum illicitarum per modum signi & ceremoniarum ad tales effectus producendos, quos vis naturæ, aut ars humana per se producere non potest. II. *Posterioris* generis media & requisita sunt vel privativa vel positiva, pro arbitrio & ex præscripto dæmonum adhiberi solita: haut aliter ac in omnibus Gentilium sacris ac superstitionibus. Quamvis enim nullam aut naturâ, aut per Dei gratiam ac promissionem supernaturalem habeant efficaciam; ostendit tamen in iis mimicam suam diabolus Dei simius, dum similibus cultui Dei instituto & ceremoniali tum V. tum N. T. ceremoniis, ut & signis miraculorum extraordinariis & arbitrariis (qualia *Marci.6.&7. Iohann.9. Actor.19.v.12. Exod.7.& 8.*) suos consecraneos deludit. *Privativa* sunt, abstinentia à Venere, virginitas puerorum, jejunia, somnus, ut per eum assequi possent divinationes somniorum. De his *Agrippa de vanit. scientiarum cap.* 46. Et *Abano. Positiva* sunt vel verbalia, vel realia. *Verbalia* sunt conceptæ formulæ verborum pronuntiatę aut scriptæ. Verba illa sunt vel non significantia, vel significantia. *Illa*, quę vocant ἐφέσια γράμματα, qualia nonnulla refert *Hesychius in lexico*: ἄσκι, κατάσκι, ἄιξ, τετρας &c. & talis est *abrodacara* apud *Serenum Sammonicum*: memini me in scedulis amuletorum similia vidisse. Occurrunt etiam in elementis magicis *Petri de Abano.* Agit de iis *Raynold. in libr. apocryph. Lect.* 199. *pag.* 1005. Denominationem accipiebant verba illa incantatoria ab Ephesiis, qui olim nefariis artibus illis dediti erant. Quomodo apud *Horat. Epod.* 5. *in Canidiam* incantamenta dicuntur Thessalæ & Marsæ voces: & dirę carminibus contentæ *ibid.* dicuntur Thyesteæ preces. *Ista* sunt vocabula vulgaris & notæ

(quod

(quod tamen rarius), vel ignotę aut barbaræ linguæ, quæ putant majorem habere efficaciam. Huc refer infinita carmina & incantationes, quibus per modum sive deprecationis sive imperii seu compulsionis dæmones compelluntur sive apertè sive tectè, iique abiguntur, ablegantur, ligantur, solvuntur, evocantur, subjiciuntur, mittuntur, adhibentur ad tale vel tale quid operandum, aut non operandum. Continent autem illæ formulæ pro vario effectu à magis intento, aut maledictiones, diras, & imprecationes (quales petebantur à Bileamo *Numer.* 22.) aut benedictiones, in res aut personas, quibus maleficia aut beneficia (si ita loqui liceat) destinant atque intentant. Formulas illas docet *Agrippa lib.* 2. *de occulta philosophiâ*, & exhibet *Petrus de Abano* Coloniæ anno 1567. apud Johannem Birckmannum in 8. una cum *Agrippa de ceremoniis magicis*, & *Trithemio de septem intelligentiis* recusus. Exhibuerat complures formulas, *Reginaldus Scot* in *libro* anglico *de Magiâ*; quas quamvis ipse improbet, fuit tamen liber ille publica autoritate combustus. Formulas illas prudenter omiserunt, qui anno 1609. Leidæ priorem illius libri partem in nostrum idioma traduci & edi curarunt. Similes formulas videbit, si quis velit, in Papistarum volumine in fol. cui tit. *Thesaurus exorcismorum*, in *Manuali exorcistico Maximil. ab Eynattem*, in *Hieronymi Mengi Flagello & fuste dæmonum* seorsim, & cum nova editione *Mallei maleficorum* Lugduni anno 1620. in 8. editis: denique in *Rituali seu pastorali Romano reformato.* Confer infra *disp. de Exorcismo & commentatores in psal.* 58. *vers.* 4. 5. *Isa.* 8. 10. *Numer.* 22. & 23. *Deuter.* 23. 4. *Eccles.* 10. *vers.* 11. Illis formulis admiscentur nomina & alloquia Dei aut Deorum, sanctorum, angelorum &c. ut homines idololatriæ & superstitioni dediti tantò facilius à diabolo demententur, & à nefariis his artibus tantò minus abhorreant. Quod autem istorum carminum in magicis operationibus apud antiquos tum Judæos tum Gentiles usus fuerit, & à Pontificiis non distinguantur, egregiè docet *Raynoldus prælect.* 193. 194. 195. Si cui libeat ad antiquitates istas penitius cognoscendas, iplorum antiquorum Gentilium testimonia lustrare is adeat *commentatores in Apulejum*, & in *Theocriti ac Virgilii eclogas* dictas *Pharmaceutrias*, & in *Horatii odas in Canidiam*, quas habes in *lib. Epodon*: Ubi alii autores adducuntur. De ἐπῳδαῖς 1. incantamentis in genere eorumquè origine confe *Peucerum de divinat. tit. de incantationibus.* *Realia* sunt infinita, prout superstitio fines & terminos nullos habet. Si quis chaos hoc pertransire velit, dispartiatur per prædicamenta 1. *Substantiæ*, sunt tum naturale tum artificiales, si ita loqui liceat. *Illæ* sunt vel totales vel partiales. Totales sunt, mineralia & plantæ, animalia, homines. Inter plantas excel-

cellunt *herbæ venenatæ*, quarum proventus in Colchide, Theſſalia & unde etiam nomina & epitheta *venefica*, φαρμακὶς *veneficium*, *Theſſalus* &c. Vide *commentat. in Virgil.* & *Horatium loc. cit.* & in *Senecæ tragici Medeam.* De lapidibus notat hoc *Anſelmus Boot in tract. de lapidibus pag.* 46. 47. *edit. in* 4. Inter animalia, excellunt tum inauſpicata ſeu infauſta ita dicta, ut ſtryges &c. tum venenata, ut ſerpentes, viperæ &c. De quibus *Horatius loc. cit. Delrio lib.* 2. *qu.* 13. *comment.* ad *Pſal.* 58. *v.* 5. 6. inter eos *Lorinus ad loc. cit.* imprimis *Raynoldus in apocryph. lect.* 169. 202. Homines, præſertim pueros aut infantes adhibitos, per quos ſive vivos ſive mactatos horrenda illa ſacra peragebant, diſces ex *Horatii Ode in Canidiam*, & *Apulejo apol.* 1. & 2. *de aſino aureo*, & *Lactantio lib.* 7. *c.* 15. De pueris per magos mactatis, ut immaturâ morte inter eremti inſervirent divinationi (de quo *Tertull. in apolog. c.* 25. & *de anima* 33. & ibi *coment.*) teſtantur *Chryſoſt. homil.* 39. *in Math.* 8. Et *Clemens l.* 2. *recognit.* Si bene memini, olim in hiſtoriâ *Chriſtoph. ad VVagenaer* legi, eum cum ſanguine pueri indigeret, forte incidiſſe in puerum lapſum in plateâ, cujus vulnus obligabat, & hâc occaſione aliquantulum ſanguinis nactus nefariis ſuis uſibus applicabat: Quid, quòd in jure Romano *vitæ inſontium* per magos *labefactatæ* dicuntur, *cap. Multi C. de malef. & mathemat. Nazianzenus orat.* 1. *in Iulianum*, refert pueros & virgines ad animarum evocationem (ἐπὶ τὴν ψυχαγωγίαν) ab eo *diſſectos* quod *Billius in notis ad Nazianzenum num.* 92. vertit *inciſos*; ut notet σφαγὰς, ii. inciſiones, quas idololatræ genis & brachiis inferebant, de qualibus 1. *Reg.* 18. *Levitic.* 19. & 21. Priorem tranſlationem amplectitur & illuſtrat *Raynoldus in apocryph. lect.* 76. ex *Theodoreti hiſtor. eccleſiaſt. lib.* 3. *c.* 22. ubi dicitur, in palatio Juliani Antiochiæ multas capſas inventas hominum capitibus refertas, multoſque puteos cadaveribus repletos. Conferendus *Xiphilinus in Iuliano*: Vide & *Heraldum ad Tertull. apologeti pag.* 105. De mulieribus gravidis & tenellis infantibus nonnunquam diſſectis, *Euſebius lib.* 1. *de vitâ Conſtantini cap.* 30. Tale quid Apollonio Thyanæo objicitur apud *Philoſtratum lib.* 7. *cap.* 5. *Porphyrius lib.* 2. *de abſtinentiâ ab animatis. Bodinus lib.* 2. *dæmonom. c.* 3, refert ex ore Domini de Nouailles abbatis, & legati Gallici apud Imperatorem Turcarum, & ex ore legati Polonici in Galliâ, magnum quendam regem deſiderantem ſcire eventum rerum ſuarum, adhibuiſſe magum quem monachum Dominicanum; qui miſſa celebrata & conſecratione facta, caput pueri decennis primogeniti amputari juſſet, illudque impoſitum hoſtiæ conſervatæ interrogabat; ſed nihil reſponſi accepiſſe quàm, *vim patior*: inde regem in furorem incidiſſe, & in eo miſerè mortuum. *Peucerus in libris de divinat. cap. de Magiâ pag.* 300. (edit. poſtr. Francof. in 8.) ait, peractis ceremoniis vitra

à mu-

à muliere prægnante aut puero impolluto diligenter inspecta fuisse, & responsa flagitata; & addit, etiam tunc apud profanos, valdè usitatam fuisse τὴν τῶν ἀδιαφθόρων παίδων ἐποπτείαν. *Partes substantiarum* naturalium sunt, sanguis humanus, caput humanum, integrum cadaver humanum, hippomanes, seu pulli equini caro in fronte, cujus usus erat in incantamentis amatoriis & philtris; de *quo scholiastes græcus ad Theocriti pharmaceutriam, & commentatores hodierni ad Virgil. Æneid.* 4. Quæritur & nascentis equi de fronte revulsus, & matri præreptus amor. Instar omnium legat, qui has antiquitates scire avet, comment. *Virgilianum Ioh. Ludov. de la Cerda. Substantiæ artificiales* numerari vix possunt. *Peucerus loc. cit.* aliqua indigitat. Plura *Agrippa* in libris de *occultâ Philosophia.* Excellunt inter eas pecula; capita ænea, annuli, lapides sculpti seu statuæ talismanicæ. De *capitibus æneis* Papæ Sylvestri 2. & Rogeri Baconis minoritæ multus sermo est tum in historiis, tum in traditione. *Seldenus in syntagm. de Diis Syris, in prolegom.* Baconem excusare, Sylvestrum pæne excusare conatur: reductis omnibus ipsorum admirandis ad magiam naturalem & mathematicam. Idem ex professo conatur *Gabr. Naudeus* Parisiensis in *tractat.* Gallico anno 1625. tit. *apologie de plusieurs illustres &c.* Sed prudenter, nobiliss. *Plessiaci dominus in Myster. Iniquit.* ubi de Sylvestro contra ejusmodi mathesin præmonet. Et ejus hyperaspistes *Rivetus part.* 2. *sect.* 36. *Annuli*, duplices sunt, vel amuletici, de quibus *Agrippa lib.* 1. *de occ. philos. cap.* 47. vel constringentes (ita loquar), quibus magi dæmonem quem familiarem παράδρον perpetuò affixum possident & circumferunt. Exemplum ejusmodi spiritus ex annulo & ab hero suo mago fugitivi, & per eundem magum ad vetus hospitium retracti, leges in *histor. ecclesiarum Slavonicarum, lib.* 1. *pag.* 95. *Petrus Messias part.* 5. *variar. lection. cap.* 1. & 2. multa lectu digna congerit de annulis eorumque usu in genere, & in specie de magicis sub certâ constellatione factis, & virtutes stellarum in eos (uti putant) derivatis: ubi etiam de antiquorum annulis, & origine hujus superstitionis. Citat *ibidem* scriptores superstitiosos & magicos de annulis, qui istorum virtutes explicant, *Rogerium, Leonardum Canoillum, Tetellum Caclum, & libros Salomoni ad scriptos. Talisman* vulgò ita dicta (propriè scribendum *tilsema*) *est statua*, quæ sub certâ aliquâ constellatione fieri, & in quas superioris mundi virtutes derivari, quæque sponte aut interrogata, responsa dare & divinationi inservire, aut amuletorum vicem præstare putabatur. De iis *Rabbini ad Genes.* 31. *Hoseæ.* 3. *Iudic.* 17. *Iosephus Scaliger in epistolis*, quæ cum opusculis posthumis Francofurti 1612. in 8. editæ *pag.* 485. *usque ad finem*, characteres talismanico lapidi alicui incisos explicare conatur: quâ occasione aliqua de Talismanicis *in epistolis* anno 1627.

Lugd. Batav. apud Elzevirios editis *pag.* 311. in *epistola ad Casaubonum* quæ est 119. docet gemmis, & Post illum *Seldenus* anno 1617. *in syntagm. de Diis Syris part.* 1. *cap.* 2. annulis tales imagines solere incidi, ubi non pauca de illis collegit, & ostendit fuisse easdem imagines, quæ in scripturâ *teraphim* appellantur. Eruditè ab illo dicta, hic non excerpo. Addo solummodo, definitionem τοῦ *teraphim*, quam habet *R. Sel. Iarchi in Hos.* 3. *vers.* 4. Sunt imagines quę fiunt cum intentione unius horę ad id comparatæ; & loquuntur, ex sese ac nuntiant occulta. Si Judæorum, Arabum, Persarum, Græcorum, Indorum, Hæreticorum, Mauri & Colabarsi superstitiones hâc in parte conferamus, comperiemus *tilsema* significare in genere quemlibet lapidem, gemmam, annulum, laminas, aut quodcunq; subjectum literis aut verbis mysticis (ἐφεσιοις γραμμασι) incisum, quibus efficaciam aliquam inesse putabant. De quibus *Scaliger in epistolis* modo *cit.* presertim *Gallicis*, *Delrio lib.* 1. *disquis. Magic. & Hermannus Hugo de scribendi origine cap.* 29. & nos suprà *disp. de Superstitione.* De Talisma adi *Hottingeri histor. orient. lib.* 1. *cap.* 8. Non possum præterire, quin indicem ethnicas & magicas illas insanias anno 1631. repositas à *Gaffarello in l. Gallico* tit. *curiositès inouies part.* 1. ubi non tantum idololatriam Judaicam & Samariticam, sed & magiam Persarum & sculpturas talismanicas, nec non *teraphim* Judæorum defendit, modumque & rationem ea conficiendi describit (de quo ante ipsum plenè *Agrippa lib.* 2, *de occult. philosoph. cap.* 22. 35. 36. 37. *&c.*); efficaciam denique naturalem ipsis ut & in genere aliis figuris & characteribus tribuit, sumto argumento à signaturis & imaginibus, quæ naturaliter herbis & lapidibus impressæ conspiciuntur, Gallicè dictis *Gamahe* ou *camajeu* & *signatures*; qualia quam plurima exhibet *Aldovrandus de animalibus, tomo* (si benè memini) *de monstris.* Sed hæc probatio incerti per incertum, aut potius falsi per falsum. Commenta Neo-hermeticorum de signaturis perstringimus in *dispp. de Creatione.* Confer & *Sennertum c. Paracelsistas pag.* 347. edit. 2. in 4. De vocis & superstitionis *tilsem* origine & usu videndi, præter *Seldenum, Buxdorfius in lexico Rabbinico in* טלש, & qui post omnes luculenter hoc agit, *Hottingerus histor. orient. lib.* 2. *c.* 8. *Scaliger in epistolis Gallicis* observat tales sculpturas Græcis dici τελέσματα &, στοιχειώματα. De quibus idem pluribus in eruditiss. *comment. ad Manilium.* Arabibus *tilsam* plur. *talasim* & *tilsamat* dicuntur imagines magicę, quæ sub certo horoscopo insculpi rebus, & consecrari solebant, *Ad quantitatem* & figuram referimus signa seu characte seu characteres stellarum, item angelorum bonorum, & malorum, pentacula, circulos, cruces, &c. de quibus *Agrippa* & *Petrus de Abano*; *rhombos magicos*, quorum meminit *Seldenus loc. cit*, *Ad prædicamenta actionis* & relationis

tionis pertinent partim operationes quædam Physicæ & Mathematicæ, ut hâc ratione nefaria ars colorari queat: partim ceremoniæ superstitiosæ & magicæ, inter quas excellunt sacrificia, (inprimis horrendæ mactationes hominis) suffitus, libamina, desputationes &c. quæ quamvis nullam in se efcaciam habent (ut quidem magi sibi aliisquè persuadent), ex arbitrio tamen & pacto diabolus per modum signi mystici ea adhiberi vult & ad eorum præsentiam aliquando miri quid operatur: ut magis homines fallat, & illis fidere doceat. De quibus inter & supra alios *Agrippa lib. cit. Niphus de dæmonibus cap. ult.* Nec opus est, ut quis libros antiquorum aut recentiorum de teletis & theurgiâ, perscrutetur: cùm apud utriusque linguæ antiquos & recentiores quosvis scriptores de Gentilium, Cabalistarum, Muhammedistarum superstitionibus in sacrificiis, suffitibus, lustrationibus & expiationibus, libaminibus festis, pervigiliis, funeribus, puerperiis, divinationibus, &c. & aliis quibuscunque religionis suæ actibus omnia illa, aut iis simillima occurrant. Si quis Græca ac Romana conferre velit, & compendio studeat, is legat *Orphei hymnos, qui latinè* in *Iosephi Scaligeri opusculis posthumis* anno 1612. editi sunt; & *Ovidii Fastos*, & ad cumulum antiquitates Romanas. Sin orientalia, adeat *syntagmatis Seldeni prolegom. part. 2.* Et *Buxdorfii Synagogam Iudaicam.* Quin vel ex ceremoniis Papatus in exorcismis, lustrationibus, aliisquè ἀποτροπαίοις, benedictionibus & sacramentalibus hęc omnia tanquam in speculo spectari possent; nec illi ullo argumento evincere possunt ea à Magicis (saltem interpretativè talibus), aut à Gentilibus, Judaicis, Muhammedicis, sive quod ad materiam sive quod ad formam differre: uti antehac à nobis in *Desper. causa Papatus lib. 1.* & à *Raynoldo in prælect. ad libros apocryphos prælect. 194.* ostensum.

Adjuncta Magiæ sunt. I. Quòd sit ars non-ars, quippe vana, infa- 8.
mis, impia, omni eruditioni, omni sanæ sobriæquè Philosophiæ & rectæ rationi, naturali prudentiæ & honestati, Theologiæ, pietati, amori proximi & sui ipsius repugnans. II. Quòd consequenter conjuncta sit cum hęresi, idololatriâ, apostasiâ, blasphemiâ. Infra in *disp. de Hæresi* quęretur: An formaliter sit hęresis, an verò metonymicè locuti sint scriptores, qui eam hęresim appellant: quales *Nicol. Iaquerius* Dominicanus in libro tit. *Flagellum hæreticorum fascinariorum*; & *Iac. Sprenger* cum *Henrico Institore*, qui in celebri suo *malleo maleficarum, & præfixâ apologiâ* vocat hęresin. Et *Innocentius VIII. in bulla* anno 1484. *ibid. & Theologi Colonienses in approbatione libri ibid. Ioh. Filesacus tractatum* suum inscribit, *De idololatria magica.* Conferat, cui hoc tanti est, ex Casuistis Pontificiis *Filiucium*, & *Reginaldum.* III. Quod hominem infra dignitatem hominis detrudit, & diabolis quàm proximè similem facit: Et si comparatio instituenda sit bel-

luinas

luinas feritates, voluptates contra 6. & 7. præceptum, per quas homo bestiis similimus evadit, longè superans. *Consectar.* 1. Detestanda itaque est & fugienda vel minima ejus species, fides, conscientia, sensus, communio; in quâcunque necessitate positi sumus. Non enim sunt facienda mala ut eveniant bona. *Consectarium* 2. Rectè liturgia Belgica in formula administrationis cœnæ à sacrâ communione arcendos statuit, *Omnes Magiam divinationemque exercentes; omnes qui hominibus, jumentis aut quibuscunque rebus aliis incantamenta insusurrant, talibusque inventionibus fidem præbent.* Ad *adjuncta* pertinent *signa*, quę sunt distinctiva vel effectus magici, vel magi. De *istis* infrà dicendum. *Illa* sunt, quibus effectus magicus à naturali & miraculoso distinguitur. De quibus *Delrio lib.* 2. *qu.* 5. & 8. at ex professo, & convenienter instituto suo *Sennertus contra Paracelsistas.* Quid hic certò statui possit aut non possit, disquirimus in *disp. de Miraculis. Condrochus in tract. de morbis veneficis lib.* 3. *cap.* 13. signa exponit, quibus morbus talis tanquam effectus magicus, ab aliis naturalibus secerni possit.

Effecta Magiæ sunt erga Deum, erga homines, aliasque creaturas, erga seipsos. I. *Erga Deum* sunt, quòd validè & elatâ manu gloriam Dei
9 oppugnent, obedientiam, honorem, timorem, fiduciam illi debitam repellant; Verbo item & sacramentis, ministerio Ecclesiæ, & regno Christi, omnibusque remediis salutis se opponant, ut docent exempla Bileami, Simonis Magi, Elymæ, (de quibus *Scriptura*,) *Apollonii Thyanæi, Iuliani Apostatæ* (de cujus Magia *Nazianz. Orat.* 1. *in Iulianum*) Apostolicorum & apostaticorum Pontificum in sede Romana, atque adeò multorum ex Clero capiti suo similium, de quibus *in Desp. Caus. Pap. l.* 1. *sect.* 4. II. *Effecta erga homines* sunt, quod eorum saluti & animæ & corporis insidientur & noceant, quantum possunt, creaturis aliis ad hoc abutantur, aut etiam iis noceant. Huc reducuntur magia benefica, amuleta ac periaptâ, morborum aliorumque malorum averrunca, magicæ vulnerum ac morborum curationes. Libidinis aut avaritiæ, aut ambitionis expletiones: quæ quamvis primâ fronte aut specie tenus prodesse videantur, revera tamen nocent, & vel maximè nocent. Hæc tamen eorum effecta tam latè extendenda non sunt, ut putemus eos lunam è cœlo, stellas ex orbibus deducere, ventis & mari, cœlo & sideribus imperare, locum, cursum, influentias eorum tollere aut mutare, integra elementa de loco in locum movere, animas mortuorum revocare, homines in lupos aliasve bestias transformare, menti & voluntati rationali imperare, aut eam philtris, aliisque maleficiis immutare. De quo *in disp. de Damonibus* Et *Delrio lib.* 2. *qu.* 6. 8. 10. 11. III. *Effecta erga se ipsos* sunt, quod dum sibi hono-

honores & divitias hic parant, plerunque utrisque destituantur, & animarum salutem dilapident. *Apoc.21. vers.8.* Nec desint horrenda Dei judicia in ipsos in hâc vitâ, & tragici plerorumque exitus: quales Simonis Magi, Joh. Fausti & Christophori Wagenaer: quorum posteriorum historiæ germanico & nostrate idiomate editæ sunt &c. Videatur & *Honsdorfii ac Loniceri theatrum judiciorum Dei.*

Dividitur magia in Operatricem & Divinatricem; de divinatrice &10. ejus infinitis ferè speciebus videndus *Peucerus* in egregio opere *de Divinationum generibus*: ex quo ceu fonte perenni &c. Post ipsum scripserunt *Zanchius de Divinatione*; *Rainold. in censur. libr. Apocryph. tom. 1. lect. 77. & Seldenus in syntagm. de DIs Syris 1. c. 2. Delrio lib. 2. disquis. Magic. Perkinsus in bascanologiâ* De judiciariâ astrologiâ *Spanhemius dubior. evangel. part. 2. dub. 28. 34.* aliique complures de hâc, aut de aliis divinationum speciebus; quos indico *in disp. de Prophetiâ.* Adde & *Agrippam lib. 3. de occulta philosophia cap. 45. & seqq.* Habet etiam nonnulla *Desiderius Heraldus in commentar. ad Tertullians apologet. cap. 22. & 23.* Est ergo divinatio superstitiosa vel mediata vel immediata. *Illa* vel ex mediis veris, (materialiter sc.) qualis augurium, aruspicina, astrologia, onirocritica, sortitio: vel ex putatitiis mediis, ut necromantia. *Ista* est ex solâ & immediatâ ope dæmonis fatidici. Eaque duplici modò peragitur, intrinsecè vel extrinsecè. *Priori*, cùm Diabolus seu spiritus pythonicus in viro aut fœminâ est, eosquè corporaliter possidet: cujus exemplum *Actor. 16. v. 16* (Vide ibi *comment.*) *Peucerum de divinat. Belister in onomatographia sacra in voce Pythonissa. Schedium de Diis Germanorum cap. 47. Posterior*, cum dæmon est extra sagam, sed ei assistit, eamque vel afflat & intus ei suggerit ac insurrat prædicenda; vel in ecstasin conjicit, inque eâ ostendit & suggerit dicenda: & talis fuit divinatio Sybillarum, Tiresiæ, & similium. Ad immediatam hanc per dæmonas divinationem referri debent oracula ex tripode, quercu &c. De quibus *Peucerus.*

Operatrix Magia est vel præstigiatrix, vel reipsa effectrix. Illa est, quâ species & imagines rerum, atque adeò entia intentionalia (non realia) sensibus ingeruntur, aut ipsi sensus decipiuntur, mutatione aliqua facta sive in organo sensitivo, sive in medio, sive in specie sensibili: Istis enim modis fallacias visus posse fieri ex Physicis & Opticis notum est. Distinguuntur præstigiæ, seu delusiones sensuum in naturales, purè artificiales, diabolicas. Illæ sunt, e.gr. meteora κατ' ἔμφασιν, de quibus Physici; & multiplices fallaciæ visus, de quibus Optici; & fallaciæ auditus, de quibus *scriptores de sono & auditu. Istæ* sunt, quæ celeritate & agilitate motus peraguntur: de quibus *supra* §. 3.

Reipsa effectrix seu productrix est, quæ revera res aliquas efficit, aut

factas aliunde substituit & in medium producit. Ea est multiplex, & variè dividi potest I. Ex modo operandi, est vel γοητεία vel φαρμακεία vel νεκρομαντεία: Goëtia est, quæ solis characteribus, figuris, verbis, carminibus, incantamentis, ligaturis, & periaptis in operationibus suis utitur. Hujus species fascinum gr. βάσκημα. *Vide comment. ad Galat. 3. v. 1. Lorinum in Sapientiæ 4. v. 12. pag. 558. 1.* supra omnes *Matth. Martinium in insigni onomastico*, ubi eruditè disquirit de hujus vocis etymologia & significatione. *Pharmacia*, quę venenis & pharmacis agit: unde forte incantator Hebręis chober, id est, *congregans* dicitur; quod venenata animalia & herbas colligat. *Necromantia*, quæ mortuorum sollicitatione abominationes suas peragit. Necromantiæ rursum quinque constituuntur species. *Prima* fit absque apparitione spirituum, per solam vocem seu sonum vigilantibus. *Secunda itidem* absque apparitione spirituum per somnia & visa dormientibus. *Tertia* cum apparitione seu excitatione totius cadaveris. *Quarta* cum apparitione solius capitis. *Quinta* cum apparitione non corporis mortui, sed tantùm speciei, seu spectri, seu umbræ corporis. De his quinque speciebus *Ioh. Raynoldus in libb. apocryphos prælect. 76. 77.* Alii aliter dividunt, in goëtiam & theurgiam. Sic *Agrippa de vanit. scientiar. 45 cap.* qui *ibid. cap. 44.* Veneficam facit speciem magię naturalis. Sed sicut quis naturaliter venenis nocere potest; sic etjam magicè adhibitis venenis; quæ & naturaliter ut venena, & ex pacto & fide magica tanquam signa tantum valent, quantum reliqua instrumenta. Ad goëtiam refert necromantiam, & utramque generali hac descriptione explicat, quòd sit immundorum spirituum commerciis inauspicata, nefarię curiositatis ritibus, illicitis carminibus, & deprecamentis concinnata &c. hujus generis sunt quos necromanticos & maleficos hodiè nuncupamus &c. Et huc refert illos, qui defunctorum animas inclamant, & quos vetetes dicebant epodos, qui excantant pueros & in eloquium oraculi eliciunt, & qui dæmones pacedros circumferunt, quale quiddam de Socrate legimus; & qui, ut dicitur, spiritus pascunt in vitro, per quos se prophetare mentiuntur. Addit *ibidem* hos bifariam procedere: alios enim conari dæmones virtute divinorum nominum adjuratos constringere; alios adoratione & sacrificiis se dæmonibus submittere. III. ex subjectis & circumstantiis: alia est vetus, alia nova: alia orientalium, alia occidentalium: alia magorum veterum, inter Gentiles; alia sub nomine Christiano & inter Christianos. Quod ad *priorem*, est Ægyptiorum scil. Persarum, Chaldæorum, Indorum, Judæorum, Arabum; de quibus *Otto Heurnius in tract. de Philosophia Chaldæorum &c. pag. 252. usque ad finem. Rich. Montacutius in origin. Ecclesiastic. part. 1. Bulengerius in Eclogis ad Arno-*

nobium cap. 6. Pocockius ad Albufaraium. De Apollonio Thyaneo *Philostratus in ejus vita,* & *Eusebius contra Hieroclem,* & *Vossius de historicis Græcis.* Quòd si ex sola historia biblica magiam & magos libeat distinguere 1. considera Gentilismum ante diluvium. 2. post diluvium extra populum Dei in Ægypto *Exod. 7.* cum 2. *Timoth. 3. vers. 8.* In Syria & Cananæa *Deuter. 18. Levitic. 20,* In populo Dei *Exod. 22. 1. Samuel. 28. Isaiæ. 8. 2.* Post captivitatem Babylonicam, de qua *Flav. Iosephus* (Et *Thalmudici in tract. Sanhedrim.*). Quod ad posteriorem, quæ grassata fuit inter Christianos; ea est vel vetus vel nova. *Vetus* est variorum hæreticorum, ut Gnosticorum, Carpocratianorum &c. quos indicamus in *disp. de Hæres. part. 5. Nova,* est magia in tenebris Papatus exercita, fota, promota. De quo infrà ἐν παρέδῳ indicium aliquod faciemus. IV. ex effectu: sic alia est benefica (si ita loqui liceat), alia malefica. Benefica partim ad vanam oblectationem, præsertim magnatum & principum, mira quædam operatur: partim faciles & festinatas profectiones, hostium profligationes, thesaurorum inventiones, morborum & vulnerum curationes, contra magica incantamenta, & maleficia defensiones; imprimis etiam amoris incitationem & odii in amorem ac vicissim conversionem formæ, & pulchritudinis conciliationem, scientiarum & artium promptam discentiam, vitæ productionem, juventæ renovationem, &c. profitetur. Huc ergo referenda philtra, amuleta, anodyna seu ἀναθηπίαν inducentia. *Malefica* est, quæ immediatè & directè hominibus, bestiis, frugibus, arboribus &c. nocet. Sub quâ continentur veneficium; inflictio vulnerum ac morborum, symptomatum; impedimentum sensuum externorum & locomotivæ; ligatura & coeundi impotentia inducta conjugibus, (unde controversię de impotentia & de irritatione conjugii; de quâ *Cypreus de jure connub. c. 9. 12. Thomas Zanchez. lib. 4. de matrimonio disp. 94.* Modos, quibus maleficium hoc fieri possit, explicat *Delrio lib. 3. p. 1. qu. 4. sect. 8.* Damnum frugibus & vitibus illatum tangit *Cornarius in tract. de re vinitoriâ pag. 429. Agobardus, ac capitularegum Galliæ, Burchardus in disp. de superstitione cit. & commentar. ad leges 12. tabularum;* inprimis & *Filesacus de potestate Episcoporum* §. 8. 9. 10. V. Rursus dividitur Magia in directam & indirectam seu interpretativam. Illa quid sit jam satis constat. Indirecta seu interpretativa est, *quando media aliqua sive verba, sive actiones, per modum signorum & ceremoniarum, sive res permanentes adhibentur ad effectum producendum, quæ nec sunt causæ naturales, nec instrumenta Dei moralia.* Ita *commentatores Scholasticorum ad 22. q. 95.* Sic *Toletus de instruct. Sacerdotum lib. 4. 14.* Breviter etiam describi potest. *Quòd sit potestas inordinata* (absque mira-

culo

culo) *faciendi id, quod supra naturam est*: quam esse Magiam tribus verbis in altera hujus disputationis parte probabimus. Species ejus enumerari vix possunt: hydra est, cujus capita si amputentur, plura in dies de novo succrescunt. Quę hodie imprimis exercentur, aut à malè feriatis etiamnum defenduntur, sunt 1. *Amuleta* & periapta, contra morbos, vulnera &c. De quibus *Delrio*, & ex nostris *Camerarius hor. subces. centur 2. cap. 76. Opliatria seu unguentum armarium*, pro quo *Osvaldus Crollius in Chymicâ Basilica p. 330. 331. 332. & Goclenius Iunior Tract. peculiari*: contra illud *Andr. Libav. Tract.* peculiari. *Cura characteristica* Hermeticorum, & *cura illa* quâ simplicia magicè, astronomicè, magneticè ex ordinatione divinâ curare dicuntur, quia homo habeat magneticam vim trahendi à superioribus, sic *Crollius in Chymic. Basilic. pag. 316. 317.* Huc refer curandi modos agyrtis illis in Hispaniâ, quos *Ensalmadores* vocant, usitatos: de quibus *Delrio in disq. Magic.* Adde & *remedia, amuleta, periapta*, nonnulla, quæ apud *Æginetam, Serenum Samonicum (cap. 52.) Alexium Pedemontanum* occurrunt. Ex quibus aliqua in *librum de Secretis* transtulit *weckerus*, & *Mizaldus in centur. memorabilium*, quamvis non videantur ea probare. Vide etiam nonnulla ex antiquis Medicis *à Sennerto cap. 18.* notata. *Ars notoria*, de quâ *Erasmus in colloquiis*: & *Carthusian. de vitiis superstition.* cum quâ conjunge *artem Paulinam*, & *Revelationum*, de quibus *Delrio in disquis. Magic.* Huc refer magicam aut saltem magiæ suspectam artem memoriæ, (de vi excellentis memoriæ naturalis, aut artificialis non loquor); quali pollere se jactabat studiosus ille Patavinus gente Corsicus apud *Muretum lib. 3. variar. lection. cap. 1.* quod 36000. nomina semel audita à primo ad ultimum, & vice versâ ab ultimo ad primum recitare posset: idque insigni & mirabili aliquo specimine coram Mureto aliisque probatum ibat. *Ars Cabalistica*, ut quidem eam usurpant & defendunt Judæi: & ex Pontificiis *Gaffarellus in tract. peculiari c. Mersennum tit. de abditis divinæ cabalæ mysteriis*: & *in tract. gallico*, tit. *curiosités inouyes.* Sed de eâ in *appendice ad disp. de Superstitione*: ubi oblitus sum authoribus cit. addere *Sennertum in tract. de consensu & dissens. Paracels. & Galenic. cap. 13. 14. Steganographiam, abbatis Trithemii* non pauci in Papatu nescio in quam suspicionem vocarunt. Jesuitæ *Adamus Tannerus in suâ astrologiâ sacrâ*, & ex ac cum eo *Maximil. Sandeus in pædiâ Academici Christiani, commentar. 23. §. 1. pag. 643. & §. 8. p. 667. & §. 15. in notis pag. 679.* censent *superstitiosis loquendi formis, & perversis in speciem* (immo revera) *malè deformatam esse*. De genuinâ arte cryptographicâ suspicio nulla est, cujus modum & usum nunc abundè in luce posuit *Sigism. Selenus in sua cryptographia*: Sed *Steganographia Trithemi* ab

omni

omni suspicione liberari nequit, quidquid nunc mussitent, & dissimulent Jesuitæ; Benedictiones (sil. offendant. Sunt enim in illo libro propositiones, si non hæreticæ aut magicæ, saltem malè sonantes, periculosę, scandalosæ &c. Et libellus ipsius, de septem intelligentiis, non minuit suspicionem. Quidquid sit, certum est mala esse vicina bonis, & ab eximiis atque abstrusis notitiis curiosa nimis ingenia ulterius usque ad superstitionis arcana eniti. Tota *Astrologia judiciaria & ars planetaria*, item *Chiromantia*, quatenus ex iis de futuris contingentibus liberisque hominum actionibus & eventibus, certi quid statuitur, ut fit *à Ioh. de Indagine* celebri hujus artis Doctore: de quo infra in problem. histor. quæremus. *Ars inveniendi thesauros*, de qua ex Paulo Grillando *Longinus in Trino Magico part. 1. c. 12.* *Varii modi muniendi milites* adversus omne telorum genus, unde vernaculè tales dicunt esse hart vel gehart, q. d. duratos & impenetrabiles. Ars illa, in bellis Germanicis inter milites satis frequentata, & deinde per eos in aliorum usum traducta: nonnulli appellant eam *artem Passaviensem*, à legione quâdam Passavienſi, quæ tota indurata dicebatur. Formulas aliquot amuletorum & conjurationum in exercitu regis Hispaniarum in Belgio adhiberi solitas vidi, & quasdam etiamnum in manibus habeo. Aliquot in prælio Turnhoutano interceptas exhibet nobilis. *Marnixius Sanct-Aldegondius in tableau seu alveario eccles. Romanæ tom. 1. part. 4. cap. 2.* Atque hæ divisiones; si cui conferre libeat divisiones aliorum, adeat *Augustin. lib. 10. de civit. Dei cap. Delrio lib. 1. Ottonem Heurnium de philosophia Chaldæorum &c. p. 252. Suidam in lexico.*

A Magia ut quàm longissimè distat potestas & donum miraculorum collatum Apostolis, item Chymica, Medecina, totaquè Magia naturalis & Mathematica: sic cum ea propriè convenit & interpretativè Magia est, decantata illa Theurgia in Papatu, consecratio scil. & transsubstantiatio panis per *verba creantia* (ut loquitur *Biel in expos. Can. Missæ*) qui etiam mysterium illud nullo alio aptiori exemplo putavit explicandum, quàm quod à Magia & incantatione desumpsit, *ibid. lect. 38.* cum quo facit *Cælius Rhodiginus*; ut indicavimus: *Desper. caus. Papatus lib. 1. sect. 4. p. 28.* ubi etiam documentis non paucis probavimus, Magiam rectam & interpretativam in Papatu, vi fidei & superstitionis Papalis & ductu, & cum approbatione factionis Papæ-Antichristianæ etiamnum publicè à sacerdotibus exerceri. Atque hæc de natura & proprietatibus Magiæ. Restant ejus oppositæ, de quibus *alterâ hujus disputationis parte* cum Deo agemus, addita etiam discussione præcipuarum aliquot de Magiâ quæstionum. 11

DE MAGIA.

PARS ALTERA,

Resp. THEODORO COLLINO Harlemo-Batavo, *Ad diem 9. Aprilis 1636.*

Naturâ & proprietatibus Magiæ explicatis : restat nunc 1. *Opposita delineemus* 2. *Controversias capitales excutiamus.* 3. *Casus & quæstiones aliquot decidamus.*

1. OPPOSITA Magiæ sunt, partim antidota & amuleta, partim pœnæ magis irrogandæ. Antidota hæc sunt duum generum : vel ne quis seducatur ad exercitium aut communionem Magiæ, vel ne quis infestetur ab incantationibus Magicis. Nequis seducatur facit curationum seu motivorum & cura mediorum cooperante Spir. S. gratiâ. Rationes & motiva desumenda ex causis, adjunctis, effectis Magiæ superiori disputatione enumeratis : quibus addenda tristia exempla eorum, qui vel professâ malitia, vel curiosâ πολυπραγμοσύνη tristissimum sortiti sunt exitum. Notæ sunt historiæ *Simonis Magi* ; & Doctoris Fausti, & Christophori Aurigarii *peculiaribus libellis* germanicis descriptæ, aliorumquè magorum, de quibus *Petrus Bostæus Launæus, in selectis, seu memorabilibus Historiis. Theatrum Honsdorffii & Lonicери ad 2. præc. tit. de magicis.* Media, quæ vocant Theologi practici, sunt tum capessenda, tum removenda, & fugienda : media capessenda sunt solida & spiritualis cognitio primi, secundi, & tertii præcepti Decalogi, atque adeo secundum illam cognitionem praxis, quæ hic in specie & prolixè explicanda non sunt : media fugienda sunt omnes causæ, quas *Part. 1. hujus Disput. Thesib. 4. 5. 6. 7.* recensuimus, breviter, quæcunque cum illis communicatio directa aut indirecta. Antidota contra vexationes & infestinationes magicas sunt vel generalia vel specialia. Antidota generalia sunt 1. verbi divini prædicatio, lectio, auditio : ubi enim lux verbi infertur, ibi necesse est Satanam, tanquam fulgur de cœlo cadere *Lucæ* 10. *v.* 18. coll. cum *Num.* 23. 23. Primum & præsens antidotum Magiæ, quibus dediti Philappii, fuisse verbi ministros eo missos, notat *Peucerus lib. de divinationibus cap. de Theomantia p.* 283. 2. Promotio & excitatio fidei, spei, caritatis, omnisquè pietatis. 3. Precatio assidua & intenta, de qua *Mar.* 9. 29. cum 2. *Cor.* 12. 8. 9. porro tria hæc antidotorum genera suggerit nobis *Apost. Eph.* 6. 16. 17. 18. Antidota specialia sunt *tum* naturalia, & artificialia, tum civilia ac publica remedia

dia. *Illa* sunt coercitiones & pœnæ magorum : de quibus infra. *Illa* sunt, non quidem adversus pactum aut incantationes Magicas, sed adversus effecta, aut symptomata, aut mala corporibus, & rebus illata, ex. gr. ut incendium aqua restinguamus, ut dolores, languores, luxationes, fracturas, ulcera, vulnera, convenientibus remediis curemus. Conferat, cui vacat, *Ioh. Baptistæ Condrochi medici tractatum de morbis veneficũ* : ubi *lib.* 3. *cap.* 13. signa ejusmodi morborum indicantur. *Confect.* Rejicimus antidota diabolica, quæ plurima sunt : inter quæ excellit nimis (proh dolor!) frequentata Magi aut Sagæ, per alias quasdam Magas investigatio ejusque violenta compulsio, ut incantatis hominibus aut rebus benedicat, atque à fascino liberet, seu fascinum solvat : Quod est Satanam per Satanam ejicere. Ad directum hoc amuletum diabolicum, quod immediatè à diabolo aut à mago sive per modum deprecationis sive per modum putatitiæ coactionis & compulsionis petitur, refer omnia superstitiosa & indirectè diabolica contra fascinum & maleficium præservativa & antidota, insuper ἀποτροπαῖα averrunca quorumvis malorum. Magnam istorum farraginem per omnia prædicamenta enumeramus *in disp. de Superstitione, & hujus disp. parte* 1. nonnulla carptim attigimus. *Camerarius centur.* 2. *cap.* 76. peculiariter de amuletis contra tela & fluxum sanguinis. Adde & amuleta illa Magica in Papatu usitata, quæ tradit *Mengus in flagello, & fuste Dæmonum* inprimis pag. 61. 62. *Fumigationes & incensa* pag. 55. *verba ignota*; & *Zacharias Vicecomes in complemento artis exorcisticæ cap.* 1. nec abnuit ipse *Delrio in disqu. Mag.* ut ostendimus in *Desperata caus. Papat. lib.* 1. *sec.* 4. *pag.* 37. Familiare admodum in Papatu est amuletum, impulsus campanarum; quem contra spectra, dæmonum ludibria, magicas incantationes utiliter adhiberi, à Gentilibus didicerunt, aut ab eodem mendacii magistro, à quo Gentiles. Sed de hoc egimus in *disp. de Templis.* Conferri possunt, quæ collegit *Salmuthus ad Pancirolli novè reperta tit.* 9. Similiter rejicimus omnia amuleta illa, quæ *Delrio lib.* 6. *disquis. Mag.* propugnat; exprobrationes Satanæ, adjurationes, reliquias Sanctorum, cruces, agnos Dei, aliaque sacramentalia, totamque methodum, seu artem exorcisticam in Papatu. *Confer disp. de Spectris, de Energumenis, de Superstitione, de Sacramentalibus, de Exorcismis.*

Accedamus nunc ad quæstiones controversas: quarum prima, & capitalis est 1. *quæst.* An sit magia, suprà à nobis descripta, & dentur magi? *Resp.* Sunt qui omnem Magiam negant, & pro anili commento explodunt, quicquid hactenus de illa dictum aut scriptum fuerit. Talis Saduceismi afflatus, quasi Icil. nec spiritus nec dæmones essent, passim circa annum 1484. agebat Papales concionatores in Germania, testan- 2.

te id bullâ Innocentii VIII. & judicio Theologorum Colonienſium, quæ in *Malleo maleficarum* exhibentur: ubi vide. Alii etiamſi operationes aliquas inſolentes experientia edocti agnoſcant, tamen eas naturæ inferiori, aut occultis & magneticis qualitatibus, aut exquiſitæ & peculiari phantaſiæ, atque adeo peculiari cuidam temperamento aſcribunt: inter quos emicuit celebris in Academia Bononienſi Philoſophus *Petrus Pomponatus. in lib. de incantamentis cap.* 4. Et videtur hæc fuiſſe ſententia Avicennæ. Eadem ab aliis adſcribitur Fulginati; quem non vidi: nec longe ab illo recedunt hodierni illi magnetici, qui ubique imaginationis vim & magneticas, aſtrales, ſympatheticas influentias, etiam in res diſtantes intrudunt. *Alii* omnem magiam eſſe naturalem, aut magos celebriores ſolam naturalem, & mathematicam, & ludicram exercuiſſe opinantur: Sed illi decepti, quod cum magi quidam viri docti fuerint & naturalis ac mathematicæ ſtudium ac praxin illi conjunxerint, ut tantò melius latere & diabolicæ magiæ infamiam ac pœnas declinare poſſent; perſuaderi ſibi paſſi ſunt, nullum commercium cum diabolo nihilque magicum admixtum fuiſſe. Sed hanc deceptionem notat *Ireneus lib.* 1. *cap.* 7; ubi de Anaxilai ludicris; de quibus *& Plinius lib.* 35. *cap.* 15. Confer quæ *Ireneus lib.* 1. *cap.* 9. *de Marco hæretico.* Alii etiamſi hic caulam aliquam ſuperiorem aut ſupra artem induſtriamque humanam agnoſcant, culpam tamen in homine reſidere non arbitrantur. Paradoxum hoc viſus fuit defendere *Wierus*, in celebri *tract. de præſtigiis Dæmonum*, ſtrage plurimorum innocentium in partibus Germaniæ commotus. Sed forte dum crudeles illos & multiplices abuſus (quos nemo ſanus probare poteſt) acrius perſequitur nimis in alterum extremum imprudenter contendit, aut antagoniſtis ſuis prolabi viſus eſt. *Reginaldus Scot* nobilis Anglus magiæ crimen apertè negavit, & ex profeſſo oppugnavit, omnes ejus mirabiles effectus aut ad melancoliam, alioſve naturales morbos, aut ad artem, induſtriam, & agilitatem hominum figmentis & præſtigiis ſuis illudentium, aut ad ſtolidas imaginationes, dictorum magorum, aut ad vanas nugas & fictiones eorundem magorum referens. Ejus *liber* tit. *Diſcoverie of Witheraft* in Anglia combuſtus eſt; quem nominatim etiam perſtringit Sereniſſ. Magnæ Briantniæ *Rex Iacobus in Dæmonologia*, eumque tangit diffuſiſſimæ eruditionis Theologus *Iohannes Raynoldus, in cenſ. lib. Apocryph. tom.* 2. *prælect.* 169. In eundem, ſed innominatum calamum ſtrinxit eximius & ſubacti judicii Theologus, *Guilelm. Perkinſus in tractatu de Baſcanologia. Pars libri* iſtius *Reginaldi Scot elenctica* (nam reliqua in editione Anglicana conjurationes continebat.) in Belgicum idioma tranſlata eſt, ante annos aliquot

aliquot Lugd. Batav. per Thomam Basson: ex illius libri lectione, seu fonte perenni, non pauci ab illo tempore docti & indocti in Belgio fluctuare, & de Magia σκεπτιζειν ac λιβερτιζειν, (ut Libertinis & Semilibertinis infesta est patria nostra) quin eo ignorantiæ sæpe prolabi, ut non iniquè illis applicari potuerit, quod Serenissi. *Rex Iacobus in dæmonologiâ* subdito suo Reginaldo Scot: *esse quasi novos Sadducæos:* cùm omnes diabolorum operationes, & apparitiones suaviter exibilant: tanquam anicularum, aut superstitionis meticulosæ phantasmata ac fabellas. Sunt & alii, sed pessimi magiæ patroni, qui ad Deum & divina charismata seu gratias gratis datas, aut ad angelos bonos, operationes magicas referunt. Quales non defuisse sub Papatu colligi videtur ex *Barthol. Sibylla in peregrinis quæstionibus, Decade 3. qu. 3. cap. 8. Medina lib. 2. de recta in Deum fide cap. 7. Tannero in tract. de potestate Ecclesiæ coercendi Dæmones tract. 3. disput. 2.* ubi opiniones illas refutant. Nos magiæ nefariæ & diabolicæ operationes, asserimus, & negantibus aut dubitantibus sequentia expendenda offerimus. Sunt autem I. *Primò* testimonia scripturæ *Exod. 7. 11. & 8. v. 7. 18. & 22. v. 18. Lev. 19. 31. & 20. 27. Num. 27. v. 1. 2. 3. 4. &c. & c. 23. v. 24. Deut. 18. 10. 11. 12. 1 Sam. 28. 8. 13. 14. 15. 2 Reg. 23. 24. 2 Paral. 33. 6. 1. Par. 10. 13. 14. Psal. 58. v. 6. Iesa. 8. 19. & 47. 9. 12. 13. & 29. 3. 10. 11. Ier. 27. 9. Dan. 2. v. 2. Mich. 5. 12. Eccles. 10. v. 11. Act. 8. v. 9. 11. & 13. v. 6. & 16. 16. & 19. 13. 14. Gal. 5. v. 20. Apoc. 21. 8.* & quod *Ier. 8. 17. & Gal. 3. 1.* à magia sumat similitudinem & *1. Sam. 15. 25.* peccatum inobedientiæ cum eo tanquam gravissimo comparat Spir. S. Hæc expendant & conferant cum omnibus *commentatoribus, patribus* seu antiquis & intermediæ ætatis & recentioribus, sive pontificiis, sive protestantibus & reformatis, nemine quod sciam excepto. II. *Secundò*, quòd multa quidem admiranda effecta ad causas naturales & artes hominum naturalia agentia *suis passivis* applicantium referri possunt (qualia notat *Augustinus lib. 21. de civit. Dei capp. 4. 5. 6. & Fracastorius in tract. de sympathia & antipathia, Baptista Porta in magia naturali, Langius in epistol. medicinal. ep. 33.*); non tamen omnia: sed quædam superant humanas vires, & omnium causarum naturalium efficacitatem; eò quòd necessariò ab operante per intellectum procedere debent, ut dicere futura aut occulta, thesauros absconditos indicare, facere statuas loquentes, de ignotis scientiis disserere, ignotis linguis loqui &c. pluraque admiranda, quæ de Apollonio Thyaneo, Simone Mago, Johanne Fausto, Christophoro Wagenaer, aliisque magis referuntur. Confer *Thomam lib. 3. contra Gentes cap. 104.* ubi hoc argumentum deducit. III. *Tertio* decreta conciliorum, quæ videnda *in tomis conciliorum*, aut si quis compendium & indicem quærat, adeat

Caranzæ summam Conciliorum, & Photii Nomocanonem, tit. IX. *cap.* 25. *de Clericis apostatis, immolatoribus, incantatoribus, Astrologis, Mathematicis, Divinatoribus, veneficis, & amuleta appendentibus.* *IV.* *Quarto*, consensus patrum. *Ireneus lib.* 2. *cap.* 58. *Origen. Hom.* 13. *in Num. & contra Celsum lib.* 6. *Ambros. Hexaem. lib.* 4. *c.* 8. *Chrysost. in* 1 *Thes.* 3. *hom.* 3. *Augustinus lib.* 1. *de doctrina Christiana & de civitate Dei lib.* 8. *cap.* 19. *& lib.* 10. *cap.* 9. 10. *& libr.* 11. *cap.* 6. Alios præterea citatos vide apud *Raynold. & Delrio.* *V.* *Quinto*, consensus omnium Theologorum quarumcunque partium illi fuerint, *commentatorum in scripturam, Catecheticorum, explicatorum Decalogi, seu practicorum & Summistarum* imprimis *Azorii instit. Moral. tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 12. *& c. Scholasticorum ad Lombardum, & Thomæ summam; & Thomæ contra Gentes lib.* 3. *c.* 104. *cum commentatore suo Ferrariensi.* Accedant ex recentioribus *Victoria relectionibus de Magiâ. Medina libr.* 2. *de recta in Deum fide.* Præterea *Cajetanus, Sylvius, Ariaga, Malderus in* 2. 2. ut præteream peculiares tractatus à multis editos, decisiones Academiarum, imprimis Parisiensis coll. cum *tractatibus* aliquot *Gersonis & Petri de Alliaco*, quorum omnium catalogum charta hæc non caperet. Inter recentiores ex nostris sunt *Hemmingius, Daneus, Perkinsus, Iacobus Martinus Theol. VVitebergensis, Thomas Cooper, & Ioh. Gaule*; qui anglico idiomate tantùm, quod sciam, exstant. Adde illis *Georgii Sohnii disputationem*, cum reliquis ipsius editam, *Martyrem in locis commun. classe* 1. *cap.* 9. *Aretium in problem. part.* 2. *Zanchium in decalogum lib.* 1. *cap.* 17. *Balduinum in casibus lib.* 3. *cap.* 5. *& 6.* imprimis doctissimas disputationes *Raynoldi, in censura libr. apocryph. tom.* 2. 193-200. ubi etiam omnis generis autores adducit; quorum catalogum vide *ibid. pag.* 1084. Ex recentiss. scriptoribus sunt, *Conr. Danhauverus in collegio decalogico ad* 1. *præcept. Zepperus in exposit. legum Mosaic. lib.* 4. *cap.* 4. *Richard. Montacutius part.* 1. *origin. ecclesiast.* ubi multa de magiâ & magis antiquorum. *Andr. VVillesus in Exod.* 7. *v.* 10. Ex Pontificiis sunt quamplurimi; à quorum indicio supersedeo, & avidum lectorem ad *Possevini apparatum sacrum in voce magia, & Delrio disquis.* ablego. Suffecerit hic indicare quosdam, qui post scripsere, aut ab illis non citantur, aut quorum mihi copia fuit; quales *Bernardus Basin* theologus Sorbonicus; *Malleus maleficarum, Pererius de Magia; Torreblanca de magia; Strozzius de magia omnifaria*, ex Italico in latinum traductus à Casparo Ens; *Petrus Binsfelsius* suffraganeus Trevirensis *de confessionibus maleficarum. Ioh. Filesaci tractatus de idololatria magica. Barthol. Sybilla in quæst. peregrinis p.* 553.-568. *Ioh. Davidis* Jesuitæ *excubiæ c. ariolos; incantatores, veneficos. Zvvarez tom.* 1. *de relig. libr.* 2. *Ioh. Roberti* Jesuitæ *magia fanatica. Martini Delrio disquis. magicæ*, quæ instar

instar omnium. *VI. Sexto*, Leges gentium, Item rotarum & judicum praxis: Celebris est *lex 12. tabul. Qui fruges incantassit* cum *explic. Rosini lib. 8. Antiq. Roman. c. 5. & tit. C. de maleficis & mathematicis.* Quibus adde *Iurisconsultos* omnes *in commentariis & dissertationibus suis*, quorum nonnulli etiam peculiares tractatus de ea scripsere: ex pontificiis *Remigius*, ex mediis & fluctuantibus *Bodinus*, ex protestantibus *Godelmannus*: his adde *Tholosanum in juris syntag. lib. 34. cap. 21.* eundemque in *syntax. artis mirabilis lib. 7. Althusii dicaiolog. lib. 1. cap. 102-105. Scipionem Gentilem in commentar. ad Apulei apologiam*; *Alciatum de verb. significatione fol. 373. Leges criminales Caroli V. anno 1532. cap. 44. Constitutiones Angliæ, anno quinto reginæ Elizabethæ, & renovatæ anno primo regis Iacobi 1604.* experientia universalis, cui temerè refragari audaciæ aut stultitiæ est. Huc pertinent exempla Magorum *ex historia sacra*, Bileami, Pythonyssæ in Endor, Simonis Magi, Elymæ: *Ex historia Ecclesiastica*, antiquorum hæreticorum, Carpocratis, Priscilliani &c. Aliquot Pontificum Romanorum, ut Sylvestri 3. Gregor. 7. &c. Confer infrà *disp. de Hæresi part. 5. Ex historia profana*, Apollonii Thyanæi, Juliani apostatę, Porphyrii &c. & recentium Mich. Scoti, Johannis Fausti, Christophori Aurigarii, & Josephi Nigri, apud *Cardanum libr. de rerum varietate p. 1111* patris Hieronymi Cardani, aliorumque in Italia; quos familiares, & paredros sibi spiritus habere vulgo ibi notum est, & *Cardanus libr. de varietatibus* refert de patre, tanquam rem usitatam & laudabilem, saltem licitam & indifferentem. Imprimis hic notandi, qui magicas artes docent, publicis scriptis, & profitentur, ut *Arbatel*, *Picatrix Hispanus*, *Anselmus Parmensis*, *Petrus de Abano*, *Henricus Cornelius Agrippa*, *Abbas Trithemius*, *Thomas Eboracensis*, *liber artis Griomogræ*, *Clavicula* (quam vocant) *Solomonis*, &c. quos notat *Delrio.* A ipso *Agrippa in epistola ad Trithemium* præfixa operi *de occultâ philosophiâ* notantur & rejiciuntur libri *Rogerii Bacchonis*, *Roberti Anglici*, *Petri Apponensis*, *Alberti Teutonici*, *Arnoldi de villâ novâ*, *Anselmi Parmensis*, *Picatricis Hispani*, *Cicchi Asculi Florentini*: qui, inquit, cum se magiam tradere pollicentur, non nisi aut deliramenta quædam nulla ratione subnixa, aut superstitiones probis omnibus indignas præstiterunt *Sixtus Senensis libr. 1. biblioth. select. pag. 57.* refertas illo *Ciccho Asculano in commentar. in sphæram* citari librum magicum prodigiosę impietatis tit. *Cham filii Noë scriptura. & libr. Rabbinici Raziel, Schimmusch Tehillin, &c.* De quibus consule *Buxdorffii bibliothecam rabbinicam. VIII. octavo*, Adde consensum gentium, cujuscunque religionis fuerint, Judæorum, Græcorum, Latinorum, Septentrionalium, &c. Inprimis considera sensum & dictata sapien-

pientum, Philosophorum, Medicorum, Poëtarum, Historicorum, Oratorum, quæ, si congerantur, in volumen excrescerent. I. Ex *Philosophis* vide *Aristot. de Histor. Animal. libr. 6. cap.* 18. *Porphyrum* περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων *libr. 2. Plinium lib. 25. c. 11. & lib. 2. c. 103. & lib. 28. c. 2. & lib. 30. c. 1. & ibid. notas Dalechampii, Platonem lib. 2. de legib. Ciceronem de divinatione. Apuleium apolog. 1. & 2. Psellum in libro de dæmonibus, cum comment. Gilberti Gaulmin.* II. Ex *Poëtis Homerum Odyss. libr.* 13. *Theocritum, Idyllio* 2. *Pharmaceutria cum scholiaste græco. Virgilium in Ecloga pharmaceutria & Æn.* 4. ad utrumque locum omnes illos commentatores, imprimis qui omnes illos indicat, & ex illis excerpsit, *Iohannem Ludovicum de la Cerda Horatium in Odis in Canidiam veneficam; Senecam in Medea, Manilium Astronom. lib.* 5. Adde & alios citatos à *Dempstero in additamentis ad antiquitat. Rosini lib.* 4. *c.* 8. & *Natal. com. Mythol. lib. 6. c.* 7. & *Ludovicum Vivem ad Augustini loca modo citata.* III. Ex *historicis recentioribus Paulum Iovium libr.* 1. *ex antiquis, Lampridium in Didio Iuliano, Euseb. de vita Constantini libr.* 1. *capit.* 30. *Xiphilinum in Iuliano & Avito. Liv. dec.* 4. *lib.* 9. Nec prætereundi *Medici, Philologi, Philosophi*, qui peculiares tractatus ediderunt, ut *Picus Mirandula de Lamiis, Cæsar Longinus in Trino. Mag. part.* 1. *Ex medicis Thomas Erastus dialog. de Lamiis, Andreas Cesalpinus de investigatione Dæmonum; Peucerus de divinat.* imprimis *cap. de Magiâ. Tobias Tandlerus* Professor Witebergensis *de fascino & incantatione; Martini Biermanni* Profess. Helmstadiensis *disp. de actionibus magicis contra Bodinum; Iohannes Evvich* medicus Bremensis *de sagarum natura, arte, viribus, factis, notis, pœnis* anno 1548. *Gulielmus Adolphus Scribonius de sagis &c. & purgatione per aquam frigidam, contra Ioh. Evvich Bremensem & Hermannum Neurbaldum* Helmstadiensem medicum. *Anonymus contra Scribonium de superstitiosa probatione sagarum per aquam frigidam*, Herbornæ anno 1591. *Daniel Iunctiis* medicus Dordracenus *in tractat. Belgico. Iohannes Langius in epistolis medecinalibus, Iohannes Cotta* medicus Anglus sermone vernaculo anno 1624. Aliqua etiam huc pertinentia inspargit *Cardanus lib.* 15. *de rerum varietate cap.* 80. & *de subtilitate lib.* 18. *Fernelius de abditis rerum causis lib.* 1. *cap.* 11. & *lib.* 2. *cap.* 16. *Lemnius in libris de occultis naturæ miraculis. Otto Heurnius in Babylonicis, Indicis &c. Philosophiæ primordiis lib.* 2. *tract.* 4. *capp.* 28. *&c.* Imprimis *Baptista Condrochus in tract. de morbis veneficis; & Paulus Zacchias in quæstionibus medico-legalibus lib.* 2. *tit.* 2. *Balduinus Ronseus* Medicus *in epistolis; VVenrichius* Medicus *in præfatione ad librum Mirandulæ de Lamiis; Sennertus de consensu Chymicorum & Galenistarum, cap.* 13. 18; *Andreas Libavius*, passim *in tractatibus Philosophicis.* Nec negat

Mat-

Matthiolus in Dioscoridem lib.7. c.40. Petrus Forestius lib. 2. de Vrinarum judicio, cap.4. ubi de pseudomedicis, Necromanticis, ac Magis qui ex annulo & fide Cacodæmoni præstitâ, vel ex solis punctis geometricis urinas judicant. Confer & *Hippocratem de morbo sacro; Dioscoridem in rhamnus, & lib.3. cap.17. Ex Philosophis & Philologis, Seldenus de Diis Syris cap.2. A. Gellius, lib. 9. cap. 4. Cælius Rhodiginus antiquarum lectionum, l.4. cap. 23. & 12. c. 9. 10. Boisteau in selectis historiis; Franciscus Picus Mirandulanus de prænotionibus rerum, lib.7. cap. 9. Augustinus Niphus Suessanus de Auguriis; & de damonibus lib.2. capp. posterioribus; Vossius lib. 1. de idololatriâ cap.6. & 8. & cap. postremo. Iulius Cæsar Bulengerius in electis ad Arnobium. Philippus Camerarius centur. 1. horar. subcesiv. cap.70. 72. 73. & centur. 2. cap. 76. Henricus Salmuth ad Pancirollæ novè reperta p.59. Scipio Gentil. in apolog. Apulei; Thomas Gersoni in Piazza universale pag.* 57. 161. 171. 182. 188. ubi in annotationibus citat tractatum suum tit. *Il palazzi de gli incanti. Reuchlin. lib.2. de verbo mirifico cap.1. Fullerus lib.5. miscellan. cap.11. Casaubonus exercit. 2. ad Baronium sect. 10. Brodeus lib. 1. miscellan cap.37. Goclenius in Lexico Philosophico; Casmannus in Angelographiâ part.2. cap.29. Keckerman.* passim *in systemate & disputationibus physicis.* Ex Judæorum doctoribus *Philo Iudæus in libro* περὶ τῶν διαφερομένων *R. Mose Ben Maimon, in more Nebuchin lib. 3. cap. 30. David Kimchi in lib. Radic. R. Salo. Iarchi. ad Hos. 3. c. 4.* Vide Rabbinos ad loca veteris Testamenti modò citata, quorum verba describere thesium brevitas non patitur. *Tractat. Talmudicus Sanhedrim cap.7. v.4.7.11.* ubi definiunt, & distinguunt, pythomantin, hariolum, Magum, &c. inter alia sic definiunt Magum: המכשף זה העשה ולא ראה את העינים i.e, *Magus, qui rem efficit, non qui tenet oculos,* vide & excerpta ex *Gemara cum notis Coccei.* Confer *Seldenum de jure naturali & Gentium libr. 2. c. 1. 2. VII. Septimò Ius canonicum, Caus. XXVI.* ubi varię quæstiones enodantur: collatum cum *Burchardo libr. 19. cap. de arte magicâ;* & cum commentatoribus & Canonistis, item Bullis & constitutionibus pontificum, Vide *compend. Bullarii* edit. à *Cherubino tom. 1. p. 106. & 105. ad constitut. Leonis & Hadriani VI.* Confer & *constitutiones Clementis VII. Iulii II. Innocentii VI. Binsfeldium in tract. de confessionibus maleficarum;* & si compendio uti velis, *recentia compendia juris canonici à Zypaeo & Vallensi edita,* qui ad nova jura canonica, determinationes suas diriguñt. VIII. *Octavo,* historiæ, & relationes omnes de Scholis Magorum, quas celebres avorum memoriâ adhuc exstitisse Salmanticæ in Hispania & Joleti: & in Italia ad lacum Nursinum & in spelæo Visigniano, testis est *Laur. Anania* & ex illo *Mart. Delrio lib. 2. cap. 1.* Post quos idem refert *Vossius*

de Idololatriâ lib. 1. cap. 6. pag. 36. Ante illos de magiâ publicè traditâ in Academiâ Salmanticensi, indicium fecerat *Cardanus lib. 19. de subtilitate pag. 976. edit. Basilienſis in* 8. Conferri etiam poſſunt citationes autorum in *diſpp. noſtris de Dæmonibus, de Spectris, de Energumenis, de Prodigiis & naturæ miraculis, de Miraculis, de Prophetiâ, de Exorciſmo, de Superſtitione.* XI. *Denique*, ratio nulla eſt, ut conſenſum ſæculorum & nationum omnium, propriorum ſenſuum teſtimonia, obſervationes, experientias omnes abnegemus: neque enim impoſſibilis eſt, & contradictionem implicans Magia, aut ex parte Diaboli, principalis Agentis; aut ex parte hominis cum Diabolo paciſcentis diabolicíſve ſuggeſtionibus, conſiliis mediis, auxiliis ſe tradentis; aut ex parte modi paciſcendi, quaſi Diabolus non poſſit loqui cum homine, aut vice verſa; aut ex parte Dei permittentis, quaſi per juſtitiam & providentiam ſuam hominem huc uſque nequeat deſerere, quem tradere poteſt in reprobum ſenſum *Rom. 1, 24.* & in efficaciam erroris 2 *Theſſ. 2.* aut ex parte patientium & rerum in quas operantur Magi, quaſi ſcil. Diabolo Deo hujus mundi κοσμοκράτορι, poteſtati, & nequitiæ ſpirituali, tanta efficacia non ſit, aut à Deo permittatur.

3. Fons ſolutionum omnium ad oppoſita argumenta Reginaldi Scot, hic unicus eſt: committere illum ubique paralogiſmum à particulari ad univerſale ex. gr. Multa effecta, dicta Magica, antehâc aut ab hominibus mendacibus improbè conficta fuerunt; aut talia eſſe perſuadebant ſtultæ & præjudicatæ opiniones; quibus & fama tam ficti praviqúe tenax quam nuntia veri, & leves rumores, nimis credulè accepti ſubſerviebant: aut dependebant à Magiâ naturali & Mathematica; ſeu arte aliqua humana; aut erant imaginationes meticuloſorum, & credulorum hominum; aut erant melancholicorum & phreneticorum deliria; aut merę illuſiones Diabolicæ, quarum homines dicti Magi, erant ſubjectum tantum patiens, ſine actione & culpâ ſua: ergo nulla Magia, nulli Magi veri ita dicti. Antecedens quidem libenter concedimus; ſed conſequentiam negamus, treti indubitatis ſcripturæ teſtimoniis & probationibus ſupra poſitis. Non ignorârunt illa Theologi noſtri, quorum aliquos *Reginaldus* ad partes ſubinde vocat: multa de magia & magis temerè antehàc credita aut illis afficta fuiſſe, & ſtudioſè illa notant, ut & nuper *Franciſcus Perreaud* concionator Maſconenſis *in ſuâ Dæmonologiâ* a. 1653. gallicè edita Genevæ *capp.* 3. 4. 9. Sed inde non inferendum, nullas eſſe præſtigias nullos reales effectûs Magorum. Uti dictus *autor* oſtendit *cap.* 1. & 10. Eſt ergo talis diſſertatio eorum, qui negant magiam & magos, ſimilis illi paralogiſmo: Sæpe dicuntur hæreſes aut hæretici, qui revera non ſunt; ergo nulli ſunt aut fuerunt unquam

quam, Hæretici, ſcilmatici, hypocritæ. Et alteri illi; plurimi ſæpe hernioſi, energumeni, epileptici, claudi &c. dicuntur, qui tamen revera tales non ſunt: uti docet experientia: & *tractatus à Ioh. Baptiſta Condrocho & Paulo Zacchiâ*, paſſim à nobis & frequenter citati ac laudati, & hunc in finem editi, ut judicibus ſigna diagnoſtica ſuppeditent, quibus hypobolimæa mala deprehendere queant: & ne procul abeamus, docet hoc *hiſtoria miraculorum ergaſterii Amſtelodamenſis*. Sed hinc non eſt concludendum, nullam herniam, aut epilepſiam &c. eſſe in mundo. Quod ſpecialiter contra pactum magorum cum dæmone diſputat *VVierus*, quaſi omnes confeſſiones eorum phantaſticæ & deliræ ſint, & quaſi illud non eſſet poſſibile: planè phantaſticum mihi videtur. Nulla enim ratio adfertur, quæ ſuadeat illud aut à parte Dei permittentis, aut à parte hominum, aut à parte dæmonum paciſcentium implicare contradictionem. Si quis ex ſuperabundanti exceptiones *VVieri lib. de lamiis capp.* 7. 8. 23. & *lib.* 6. *de præſtigiis cap.* 27. refutatas videre velit, is adeat *Binsfelſium tract. cit. in principio prælud.* 6, ubi quamplurimi autores adducuntur. Et ratio illa mihi ſolida videtur ex *Matth.* 4. *v.* 9. ubi contractus à parte diaboli proponitur.

Secunda quæſtio eſt de pœnis Magorum: eſſe puniendos conſtat ex ſacris literis *Exod.* 22. *v.* 18. *Levitic.* 20. 27. cum *Deuteron.* 18. 12. Conſentit *Ius Romanum* ſupra *cit.* & *leges ac conſuetudines Gentium*, de quibus *Tholoſan. lib.* 34. *c.* 14. Specialiter Judæorum *Tract. Sanhed. cap.* 7. & prolixiùs hoc perſequitur *Bodinus in appendice Dæmonomaniæ contra VVierum. Delrio lib.* 5. & 6. *Adami Tanneri tract. Theologicus de proceſſu adverſus crimen veneficii*, inſertus *commentar.* ipſius *ad* 22. *qu.* 67. *art.* 2. 3. etiam ſeorſim editus Coloniæ anno 1629. apud Conſtantin. Munich in 4. *Marci Antonii Peregrini conſilium de proceſſu contra ſagas*, nomine facultatis juridicæ Patavinæ conſcriptum & Coloniæ anno 1629. cum cit. tract. Tanneri editum. *Paulus Layman* Jeſuita, Theologus & Canoniſta *tract.* peculiari *tit: Proceſſus juridicus contra ſagas & veneficos*, qui etiam Germanicè editus anno 1629. ubi quindecim titulis omnia ad proceſſum hunc pertinentia abſolvuntur, adductis teſtimoniis complurium Theologorum, Canoniſt. Jureconſult. *Barthol. Fayus in Energumenico pag.* 135.-143. *Althuſ. lib.* 1. *dicaiol. cap.* 102-105. Juriſconſultos ſcriptores de criminibus indicare ſuperſedeo. Inter Theologos noſtros ſic cenſent *Zeperus in explic. legum Moſaic. lib.* 4. *c.* 4. *Rivetus in Exod.* 6. *pag.* 61. idemq; & *Fr. Iunius* imprimis & *VVilletus in Exod.* 22. Vide hunc aliosque commentatores *in Levit.* 20. & 1 *Sam.* 28. *Theologi Argentin. in reſponſo ad Schvvebelium*, quod vide in *epiſt. Schvveb. pag.* 306. edit. in 8. *Perkinſus*, *Hemmingius*, *Dane-* 4.

Danæus in tract. de magiâ; Brentius in Exod. 22. & in responso seu epistolâ ad VVierum, quam olim legi editam cum *VViero de præstig. dæmonum*, edit. postr. in 4. *Ioh. Raule* Theologus Anglus in *libello* vernaculo *de magis & magiâ* anno 1646. cum approbatione eximii & veterani Theologi Joh. Downame edito, ubi *quæst. II.* ait, punitionem illam esse secundum legem & sententiam naturæ, rationis, politiæ, religionis: quod per partes *ibid.* deducit ac probat. Ego censeo pœnas etiam capitales, de directæ magiæ magistris aut operariis sumtas optimè defendi, si dicatur *primò*, eas non repugnare juri divino aut naturali, quod Deus ipse lege forensi Mosaicâ eas sanciverit: quas Magistratus analogicè suis judiciis applicare, aut etiam ad sua traducere possunt, juxta potestatem legislatoriam ac judicatoriam sibi jure divino concessam. *Secundo*, positivas leges Magistratuum & judicia applicantia, ut circa omnia delicta, sic & circa magiam, ritè desumi ex criminis qualitate, & quantitate. Est enim magia, conspiratio cum jurato hoste non tantum Reipublicæ, sed Dei & totius generis humani. Atqui si quis cum hominibus Reipublicæ hostibus clam conspiret, aut apertè ad eos transfugiat, pœnæ capitalis reatum contrahit. Accedunt blasphemia, dæmonolatria, omnis generis maleficia &c. Nolumus tamen contendere, semper & ubique debere esse capitales, ita ut fas non esset Magistratui eas in aliquo casu mitigare: præsertim si ætas puerilis, rerum ἀπειρία, parentum, præceptorum, aut aliorum archimagorum seductio, valida deliria melancolica intercesserint, nec maleficia vitæ, sanitati, pudicitiæ, bonis aliorum illata accesserint. In crimine rebellionis erga parentes aut magistratum, seductionis ad idololatriam, blasphemiæ, adulterii &c. pœnæ aliquo in casu subinde pro arbitrio Magistratuum mitigantur: quamvis leges Mosaicæ capitale supplicium non minus hic sanciant, quàm in crimine magiæ. *Duo sunt*, quæ imprimis contra supplicia magorum objiciuntur. 1. *object.* quam nonnulli urgent inter, quos *VVierus*, Diabolos facere illa non Magos, ideo non esse puniendos. *Respondeo.* Magos facere ea auxilio Diaboli, idquè ex pacto, jam vero regula juris est: *Quod quis per alium facit, per se facere putandus est.* Sic David *dicitur occidisse Vriam, per gladium scil. Ammonitarum.* 2 *Sam.* 12. *v.* 9. 2 *object.* multi antehac ab Inquisitoribus, curiis ecclesiasticis in Papatu, aliisque judicibus innocentes sunt condemnati, & multa sunt Magis falsò attributa, &c. ergo nulli nocentes justè condemnandi, *Resp.* pertinet ad eundem illum vicum stramineum, de quo *th.* 3. Antecedens verissimum est, & constat ex variis exemplis. Imprimis memorabilis est *historia Atrebatensis* subjecta libello *Reginald. Scot.* Lugd. Batav. belgicè edito. Sed consequentia negatur.

II. Quæ-

II. *Quæstio* est de cognitione criminis. Multâ antehac à judicibus in papatu adhibita fuerunt, tanquam signa. Si ex Magis nati essent, si signum haberent in corpore, &c. Vide Farraginem fallacium ejusmodi præsumptionum & probationum, in *Malleo malefic. Sprengeri.* Sed frequentata imprimis fuit proba per aquam. De hâc quæritur, an fuerit legitima? *Resp.* Esse eam illegitimam, atque adeò Dei tentationem, superstitionem & Magiam indirectam. Ratio peremptoria hæc est, quia nec in natura, nec in scriptura ullum habet fundamentum. Quidquid enim circa corpus humanum evenit, sive sit actio sive resistentia, illud provenit aut à principio naturali aut supernaturali: atqui neutrum hic locum habet. Non ex naturali, quia naturalia semper circa corpora humana agunt eodem modo absque discretione, electione, suspensione aut moderatione actus. Corpus Magorum mutatum esse non potest dici; neque enim moralia animi bona vel mala mutant naturales qualitates corporum. Non ex supernaturali, quia nec divinum est illud principium, nec angelicum: Deus enim id nusquam revelavit. Relinquitur ergo reducendum hunc effectum, si quis unquam fuerit ad diabolum, & ad fidem seu superstitionem diabolicam. *Secundò*, quia hæc proba eodem loco censenda, quo provocationes omnes ad judicium Dei, (ut vocant) purgatio scil. per monomachiam, crucem, ferrum ignitum, aquam ferventem & frigidam; de quibus infrà *in disp. de Abusibus nominis divini*, Quæ cum in ipso Papatu communi Doctorum, Conciliorum & legum authoritate, item praxi judicum, jam diu sint abolitæ, mirari subit cur hanc probam aquæ frigidæ in hoc negotio tamdiu frequentârint aut tolerârint. *Tertiò*, quia jure meritoque à supremâ curiâ Parisiensi anno 1594. Hæc proba sublata est, causam hanc agente celeberrimo causarum patrono Ludovico Servino: Etiam à curia Batavica præeunte consilio, quod nomine facultatis Medicæ & Philosophicę in Academia Lugduno Batavâ conscriptum à celeberrimo & literatiss. medico Johanne Heurnio. Vide illud in ipsius operibus; idemquè in linguam nostratem translatum, cum *libro Reginaldi Scot* editum Lugd. Batav. anno 1609. Ubi etiam eodem idiomate exhibetur actio Ludovici Servini contra hanc probam; ut & *historia memorabilis processus Atrebatensis* 1459. 1460. gallicè descripta à *Iacobo du Clerq.* Meminit ejusdem processus *Mayerus in annal. Flandriæ lib.* 16. Rejicit eandem aquæ probam *Cotta* medicus Anglus *in libello vernaculo* suprà cit. *cap.* 14. Defenditur tamen hæc proba per nonnullos etiam nostræ religionis (ut scriptores Pontificios præteream) & sunt; *Gul. Adolphus Scribonius tract. modo cit. de sagarum naturâ & pote-*

potestate lib. 2. Et sereniss. ac potentiss. magnæ Britanniæ rex *Iacobus* in *tract.* ex anglico in latinum sermonem traducto tit. *dæmonologia lib.* 3. *cap.* 6. ubi ratio adfertur: Quod aqua sinu suo eos non recipiat, qui fidem in aquæ baptismo datam abnegârunt. Eandem sententiam de proba aquæ, & quidem ratione sumptâ ab aqua baptismi, defendit *Henricus Kornmannus in libro* a. 1614. edito *de miraculis vivorum pag.* 264: Quæ aitiologia eâdem methodo refutanda, qua omnes aliæ probæ vulgares (uti vocant) per ferrum candens, per aquam ferventem, permonomachiam &c. De quibus infra in *disp. de Sortis aliisque divini nominis abusibus.* Vide omnem probam per aquam in genere prohibitam in *jure canonico* 2. *qu.* 5. *cap. Mennam.* Eamque ex professo refutant *VVierus*, *Bodinus*, *lib.* 4. *c.* 4. *Ioh. Evvichius contra Scribonium.* Ex theologis Pontificiis *Delrio lib.* 6. *cap.* 4. *qu.* 5. *Binsfelsius* suffraganeus Trevirensis *in tract. de confessionibus maleficarum pag.* 355. ubi eam magię & pacti occulti cum Dæmone arguit. Et post illos satis plenè *Malderus in* 22. *tract.* 10. *cap.* 8. Qui ibidem certum modum ligandi sagas in aquam projiciendas, ut vel dextra manus sinistro pedi, & contra sit alligata, superstitionis arguit, & hoc tanquam peculiari argumento, quod ordine secundum est, probam aquæ oppugnat. Quod sane non possum non mirari. Certè si hæc veritas ex inscio aut invito ejus pectore erumpens locum in Papatu inveniat, cadent centenæ istius generis, aut similes superstitiones, in quibus forma crucis, aliæq; observantur. Videantur ceremoniæ missaticæ, alięque in *libris liturgicis & agendariis*; imprimis & *Gretseri tract. de cruce.* Quod vero *ibidem* addit ex Pontificiis unum Jureconsultum, Theologum vero nullum hanc probam defendere: fateor me nondum credere. An ante nuperam prohibitionem ejus probæ in Belgio Hispanico, & in Galliâ usque ad annum 1594. & in quibusdam locis Germaniæ, usus ejus sine approbatione & autoritate Episcoporum, Inquisitorum, aliorumque Theologorum & Canonistarum obtinuit? Credat hoc omnis historiæ, omniumque factorum & totius Papalis hierarchiæ, ac pragmaticæ ignarus. An non crimen magiæ est fori ecclesiastici, aut saltem mixti, juxta ipsos (de quo infrà)? an non leges civiles canonicis subesse & secundum eas formari debent? Quomodo ergo cognitio & exploratio istius criminis, sine Episcoporum, Inquisitorum, Theologorum, canonistarum calculo per aquæ probam, in toto Papatu institui potuit? Quàm iniquè ergo & falsò suorum imperitiam, superstitionem, injustitiam „ purgatum ibat *Malderus, cum ibid. p.* 789. *a.* sic scriberet: Hæc tam a„ perta probæ hujus per canones prohibitio facta, obtinuit, ut apud pe„ ritos judices, & in locis ubi canonum viget observantia, ea non sit in

usu

„ usu: usus quidem ejus apud hæreticos canonum contemtores nuper „ aliquamdiu invaluit, & in his partibus apud quosdam catholicos, eo„ rum exemplo, apud quosdam, inquam, tantùm, idque ex solâ igno„ rantiâ & simplicitate; at multis locis, etiam apud Germanos, ipsis et„ jam sectariis id curantibus, iste abusus nunc emendatus est, & in Bel„ gio sub religiosissimis principibus (*Alberto scil. & Isabella*) jam exole„ vit. Nota hîc multiplicem ἀνισχνοίαν 1. In usu fuit in totâ Gallia, Germaniæ Episcopalibus territoriis, & in ducatu Bavariæ, adhæc in Austria. &c. nec non in Helvetia Papatui addicta, in Belgio Hispanico, etiam in Anglia, cum Papæ subesset, & alibi: ergo non tantùm apud hæreticos in Germania, & quosdam catholicos, 2. Usus ejus, non nuper nec apud aliquos tantum Pontificios in Germaniâ, & quidem exemplo hæreticorum: sed jam ante reformationem in Germania anno 1517. inchoatam non tantùm *ibidem*, sed & in Galliâ, Angliâ, Belgio &c. innotuit. & fateri cogitur *ibid. Malderus*, unicum ex nostris fuisse Scribonium, non theologum sed philosophum, qui hanc probam defenderit. 3. Aquæ proba, aliisque affinibus, (de quibus alibi) jam totus Papatus inundatus erat, antequam Lutherus in rerum naturâ esset. 4. Et optimè conveniebat cum compluribus aliis superstitionibus Papatus: adeo ut si quid à nostris hîc peccatum, id ex recepta consuetudine & κακοζηλία, atq; adeò ignorantia aut inadvertentiâ factum fuerit; non vero ex principiis & vi suæ reformationis, quæ unicè has superstitionum nebulas discussit. Est ergo tutissima ratio de crimine hoc statuendi, si propria, liquida, & legitima habeatur ipsius Magi confessio. Qualis debeat esse confessio, docet ex *Farinacio*, *Delrio lib.* 5. *sect.* 11. *Binsfelf. in tr. de confess. malefic.* Hoc tamen addo, maximâ cautione & attentione hîc opus esse, quia deceptio oriri potest, ex deliriis melancholicis & phreneticis, etiam ex illusionibus diabolicis, quæ sensibus externis, aut phantasiæ hominum internè proponere possunt, tanquam visa, audita, facta, quę facta non sunt; de quo quædam observat *Alciatus in parergis juris lib.* 8. *cap.* 22. Memorabile est, quod refert *Lavaterus part.* 1. *de spectris cap.* 19. de infando facinore, quod prefectus Tigurinus patrari videbat ab honesto quodam cive (revera illusionem diabolicam viderat): qui tamen eo ipso tempore extra cubiculum suum egressus non fuerat. Ad facta autem referimus voluntatem & conatum Magorum, quamvis ipsæ res quas intendunt sint Diabolis & Magis impossibiles, atque adeò stolidè videantur tentari, aut quamvis illas illo tempore in actum deducere non potuerint. Pœna illis conatibus non minùs debetur, quàm intentatis tantùm parricidiis, raptibus, &c. De quibus in *jure civili*.

III.

6. *III. Quæst.* An & quomodo Idiotæ discernere possint operationes magicas interpretativè, à naturalibus & artificialibus? *Resp.* consulant sapientes & discant ex illis, quænam ad naturę vim, aut artis solertiam referri aut non referri possunt: nam miracula non est quod hodie exspectemus. Porro videantur indicia quædam apud *Delrio lib.* 2. *quæst.* 5. 1. ex conditione causarum, quæ adhibentur, quę nec ab arte, nec à natura, nec ex divino miraculo vim habeant, ad talem effectum. e. gr. si characteres, imagines, specula, verba exotica, ligaturæ, unctiones, sigilla, numeri adhibeantur. 2. ex conditione effectus; si scil. absolutè, aut tantillo tempore perfectus naturæ & humanæ industriæ vires superet. *IV. Quæst.* Si quis cum antidoti præparatione aut applicatione, cum contactu corporeo aut usu instrumenti alicujus adhibeat precationem, aut verbi divini lectionem, pronuntiationem, scriptionem, an non liceat operâ ipsius uti? *Resp.* verbum Dei nullum habet usum nisi doctrinalem: est enim potentia Dei ad salutem cuivis credenti. 2. Suspectum debet esse, quod plerumque linguâ ignotâ, aut malè pronunciatâ verba sacra balbutiant. 3. Est etiam à malo, quòd sibi & non cuivis fideli, ejusdem verbi & precationis usum & efficaciam peculiariter adscribant. *Consectar.* Hinc constat, quid judicandum de vulgaribus & superstitiosis amuletis contra epilepsiam aut morbum comitialem seu caducum; quorum hanc formulam laborantibus in aurem insusurrare solent: *Sancte Iohannes Baptista, sancte Iohannes Euangelista, Sancte Iohannes Chrysostome* (Belgicè Gulden-mont) *juva seu subleva hunc peregrinum, h. e. miserum, brevi momento*, belgicè in hoste stont. Et de remediis seu artibus listendi profluvii sanguinis ex naribus. Formula hæc mihi ab amico aliquando indicata: Cum trinâ formatione crucis, unà cum trinâ pronuntiatione orationis Dominicæ & ☞ Ave Maria, hæc sequentia verba ter dicenda: *Max, Hackx, Lyacx Iesus Christus, amen*: & digitus cartilagini nasi imponendus; & linteum aquâ frigidâ humectatum cervici applicandum. Ostensi mihi etjam sunt versiculi rhytmici memorantes *Iobum, Christi Claves &c.* quibus vir cætera probus, secundùm traditionem majorum curare solet equos, quorum ungulà à clavo ferreo læsa (belgicè vernagelt): sed ille à me melius institutus, postea semper ab usu hujus artis abstinuit. Plures alios novi fabros ferrarios mulomedicos Pontificię religionis, qui istâ aut simili formulâ, & quidem cum successu, uti communis fama erat, semper in tali casu utebantur. Amuleta contra maniam, morbos oculorum, pestem, arma, plagas, & quæcunque mala, subditis Papatus frequentata, infinitum esset hìc recensere. Quædam rhytmica planè absurda, delira, stolida sunt, & nihil, aut vix rationale quid significantia:

bre-

breviter ἐφέσια γράμματα. In periaptis contra arma quævis inventis Sylvæ-ducis, anno 1629. eodem die, quo inde migrabat præsidium Hispanicum, postea per typographiam vulgatis, occurrunt inter alia voces *Iesus Iesus Iesus Areos ✠ a nostre ✠ nox in ✠ beij ✠ glaij ✠ aphe ✠ &c.* Et *talat ✠ hasala ✠ erilupie ✠ &c. V. quæst.* An non liceat uti magiâ albâ, sive innoxiâ, quam à nigrâ distinguunt, seu operâ bonorum magorum, qui malorum maleficia destruant & dissolvant, & quę fit ope Spirituum bonorum, qui nemini nocent: uti tale quid sive παιγνιπαίζειν sive nugari videtur *Trithemius Steganographia pag.* 153. 154. 155. *edit. Francofurt. in* 4. *Resp.* non licet 1. quia probari non potest, esse ullos spiritus, præter angelos & diabolos, atqui diaboli omnes nocent. 2. Conversatio nostra cum Angelis non est, nec familiariter ipsorum auxilio & consilio uti possimus. 3. Et si quæ esset, ea tamen per tales ceremonias & conjurationes promoveri non debet. 4. Denique commercium cum angelis non est per modum imperii: Deus enim mandat illis *Psal.* 91. *v.* 11. nec per modum invocationis, solus enim καρδιογνώστης invocandus: nec per modum civilis & fraternæ conversationis; quia homo est animal πολιτικὸν, nec videmus, aut audimus Angelos. 5. Non sunt facienda mala ut eveniant bona, nec magia per Magiam, nec Satan per Satanam ejiciendus. *VI. Quæst.* An liceat Diaboli operâ uti non quidem per modum deprecationis, sed per modum imperii, ut siculneam hanc distinctionem magico-exorcistæ prætexunt, inter alios Jesuita *Cottonus*, quem refutat *Bened. Turretin.* in *Recheute du Iesuite plagiaire pag. Resp.* 1. Diaboli opera nullo modo uti licet, ad aliquid sciendum aut faciendum. Nusquam ejus exemplum aut præceptum extat in sacris literis. Imò Christus ne veritatem quidem ex illo audire voluit *Luc.* 4. 35. ut notant ibidem *patres & commentatores.* 2. Imperium in diabolum nemini competit, nisi cui illud extraordinariò datum, *Luc.* 10. 18. 19. 20. *Marc.* 16. 17. 3. Qui ita imperat currit absq; missione & Deum tentat: videat ne eveniat, quod *Act.* 19. 16. *VII. Quæst.* an non liceat diaboli operâ uti in bonum, sicut hostibus utimur contra hostes in bello, & Deus utitur diaboli operâ? *Resp.* non licet. 1. Quia alia ratio est Dei & nostri: ipse Dominus est supremus, omniscius, & perfectè bonus, qui mala omnia ordinare potest in bonum: nos autem contineamus nos intra limites vocationis nostræ. 2. Non licet cuivis in bello hostium opera uti, absque nutu & imperio imperatoris. Atqui summus Imperator non concessit nobis uti opera diaboli, qui ipsius & humani generis juratus hostis. *VIII. Quæst.* Quomodo de magiâ indirectâ posset quis convinci, qui prætendit occultas qualitates, ἰδιοσυγκρασίας, virtutes magneticas, & vires imaginatio-

nis, aut esse talem magiam ab angelis bonis? *Resp.* Commune hoc effugium præscinditur. 1. Negando per se ullam vim esse phantasię in corpore suo aliquid immutandi, sed per accidens spirituum animalium hoc fieri, ut in prægnante; nedum ut vis ejus aliqua sit in corpus aliud, & quidem longè distans. 2. *Quia* fortis imaginatio ad tales effectus per se nihil facit, sed fortis persuasio, seu fides diabolica de efficacia ejusmodi mediorum: & tunc diabolus subinde concurrit, ut homines in illa superstitione confirmet. 3. Ubicunque est vis magnetica, occulta quædam sympathia aut antipathia, ibi est communis & æqualis experientia, nec fides peculiaris requiritur, nec applicatio seu operatio ab hoc homine magis pendet, quàm ab alio: non enim intercedit hominis arbitrium, cum sit causa naturalis, non voluntaria. Vide de his disputantem *Sennertum lib.* jam sæpius laudato, *cap.* 13. & 18. & *Delrio in disquisit. mag. lib.* 1. *c.* 3. *qu.* 3. & *Libavium contra Crollium p.* 55. & *Thomam Fienum* medicum in erudito *tract. de viribus imaginationis.* IX. *Quæst.* Unde est ergo mediorum illorum efficacia, si non semper, saltem ut plurimum? Siquidem verba, actiones, & res illas aliquid posse, docet experientia. *Resp.* Procedit hoc ex arbitrio diaboli, non ex constanti aliqua mediorum illorum aptitudine. Novit diabolus simulare, superstitiosis illis mediis præstò esse, tanquam efficacibus cedere, fucatè se subjicere; ut homines fallat. Deus autem hoc permittens punit hominum curiositatem, superbiam, ingratitudinem & infidelitatem, qui ductu verbi & spiritus ejus, suâque vocatione non contenti, nec acquiescentes in Dei voluntate & providentia, Deum tentant; atque ita immittit illis erroris & diabolicæ illusionis efficaciam. Confer *Deut.* 13. *v.* 3. & 2 *Thess* 2. *v.* 10. 11. *X. Quæst.* Quomodo magiæ accusari possunt, qui omnis pacti cum diabolo nescii, quique cum magis nullum habent commercium, imò contra magiam protestantur? *Resp.* Quia vis & efficacia illa, ad talem effectum producendum non est à materia, (quæ non est actionis principium) nec à figura seu formâ externa, sive naturali, sive artificiali, nec est à Deo, aut dono miraculorum: ergo in diabolum reducitur: & quamvis illi dicant, se hoc minimè directè intendere aut apertè profiteri, tamen magiâ indirecta tenentur, non minus ac avari & voluptuarii idololatriâ, quidquid contrà protestentur, de suâ intentione, aut ignorantiâ, aut ἀπραγμοσύνῃ. *Coloss.* 3. 6. *Eph.* 5. 5. *Phil.* 3. 16. Confer & analogicè huc applica, ex declaratione primi & secundi præcepti distinctionem idololatriæ in directam & indirectam, theoreticam & practicam, item doctrinam de Idolothytis ex 1. *Cor.* 8 & 10. De quâ suprà abunde egimus. *XI. Quæst.* An in morbis tutum sit uti opera Medici, aut empirici de magia suspecti, etiam cùm adhi-

hibet naturalia remedia? *Resp.* Quandoquidem ne moraliter quidem certi sumus, ipsum non immiscere mysteria sua magica; utendum est operâ fidelium, & verè medicorum: ne indirectè, aut per ignorantiam, aut per dubitationem involvamur alienis peccatis: præstat enim ægrotare, quàm talibus mediis sanari. Et quicquid ex fide non est, peccatum est. *Rom.* 14. 24.

7. Ad has quæstiones ita respondebam anno 1636. Complures alias subjiciebam sed ferè nudè propositas, & simplici affirmatione aut negatione, aut distinctione determinatas. Eas nunc cum additis nonnullis, in gratiam studiosorum nostrorum repeto, & qualdam paulò pleniùs explico, & in tres classes distribuo; 1. theticas magis seu universales. 2. hypotheticas & magis historicas. 3. practicas. Primæ rursum quærunt vel de magiâ directâ, vel de indirectâ. De illa quæritur I. *Quæst.* Quid de strigiportio, seu de magorum per aëra vectione, sive raptatione, sive equitatione? *Resp.* Sunt qui eam negant, & omnia illa ad phantasticas aut diabolicas delusiones, quæ vigilantibus aut dormientibus obveniunt, referri volunt. Sic *jus canonicum c. episcopi. 26. qu. 5.* cum quo conferatur *Burchardus lib. 19. cap. de arte magicâ:* & sequuntur *Ponzinibius in lib. de lamiis*, (qui habetur in 10. *vol. Oceani Iuris,*) *Alciatus lib* 8. *parergon. cap.* 22. Jureconsulti & Theologi Pontificii, uti fatetur *Delrio lib.* 2. *qu.* 16. ubi addit multos sectarios cum Luthero & Melanthone idem tenuisse, notatquè in margine *Vvierum, Godelmannum, Agrippam*, nullis tamen locis indicatis: post quem *Malderus, Tannerus*, aliique recentiores eadem nostris tribuunt. De Godelmanno JC. & Wiero medico nostram religionem professis agnosco. Agrippam cur nostris accensent, indicium fieri velim; & Melanthonis ac Lutheri loca adduci. De ipsorum *jure canonico*, & autoribus *à Delrio, Tannero*, &c. designatis, certum est. Laborant quidem, ut *jus canonicum post emendationem Gregorii XIII.* dilertè in negatione strigiportii perstans cum communi modernorum sententiâ & *bullis Innocentii VI. Iulii II. Adriani VI. Clementis VII.* concilient: sed frustra: *Delrio* ad desperationem adductus *lib.* 5. *sect.* 6. *&* 16. nodum rumpit, fusè differens, canonem illum nullius esse autoritatis: quòd pars illa à *Burchardo* adjici potuerit: uti hoc non infrequens Gratiano. Hanc ejus conjecturam non contemnendam, putat *Malderus ad* 22. *tract.* 10. *c.* 8. *dub.* 6. *Navarrus cap.* 11. *Manualis* §. 38. ita explicat, ut communiter & regulariter strigiportium delusioni tribuendum sit, quamvis in aliquo raro casu locum habere possit; illudque credere non sit peccatum. *Alphonsus à Castro lib.* 1. *de punit. hæretic. cap.* 16. excipit, inter mulieres illo canone descriptas, &

hodiernas ſagas magnam eſſe differentiam. Omnes illas exceptiones rejicit & canonis tanquam eccleſiaſtici autoritatem tuetur *Tannerus quæſt.* 3. Idem repetuntur *Vaſquez & Valentia, ad* 1. *qu.* 110. *art.* 3. *Zvvarez. tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 15. §. 26. *Malderus loc. cit.* cum *Delrio & Spinæo* conjicit, forté tunc cum canon iſtecondebatur, in uſu non fuiſſe realem ſagarum translationem, & ſagis iſtius temporis ſolâ tentatione & illuſione interiori facile dæmonem prevaluiſſe, hodiernis non itidem &c. Alias differentias, inter ſagas veteres & recentes, hoc eſt, novas & improbas illuſiones, quibus errores matris Romanę palliare & homines amentes faſcinare (βασκαίνειν *Galat.* 3.) conatur *Delrio*, videat, cui hoc tanti eſt, *lib.* 5. *ſect.* 16. Nos his miſſis judicamus 1. *concl.* Illuſionibus phantaſticis & diabolicis præſtigiis tribuenda eſſe plurima, quæ de ſtrigiportio referuntur. 2. *concl.* nihil efficaciæ tribuendum unguento, aliisque ceremoniis atque inſtrumentis, quæ hîc adhiberi dicuntur: ſed eſſe mera ſigna & ludibria, quibus dæmones & magi infanda ſua ſacra colorare hominesque dementare ſtudent; effectum autem translationis eſſe à dæmone tanquam causâ Phyſicâ. 3. *concl.* Non eſſe negandam omnem transſlationis ſeu ſtrigiportii veritatem; nedum hâc ratione, quod ſit impoſſibilis. Probari enim nequit, aut Deum hoc non poſſe permittere, aut dæmonas non poſſe facere. *Non illud*, quia energemata, ſpectrorum infeſtationes, humanorum corporum multiplices afflictiones permittit (uti probamus in *diſpp. de Dæmonibus, de Energumenis, de Spectris*): & quidni translationem aut vectionem hominum ſive volentium ſive nolentium. *Non iſtud*, quia per localem motum potenter & magna operantur dæmones, dicti κοσμοκράτορες *Eph.* 6. uti hoc oſtenſum in *diſp. de Dæmonib.* & referuntur in hiſtoriis ſpectrorum (ſcriptores earum indico in *diſp. de Spectris*); exempla quamplurima molium & hominum tranſlatorum, & quorundam hominum avectorum, nec poſtea conſpectorum. Omnibus illis hiſtoriis fidem derogare, nimis inſolens ac durum foret. Celebris etiam eſt apud ſcriptores Simonis Magi evectio in ſublime: Vide *Arnob. lib.* 2. *Epiphanium hæreſ.* 21. *Euſeb. lib.* 12. *cap.* 14. *Cyrill. Hieroſolymit. catech.* 6. *Sulpit. Sever. lib.* 2. *Theodoret. lib.* 1. *hæretic. fabell. Iſidor. Peluſ.* 1. *epiſt.* 13. *Auguſtin. de hæreſ.* 1. *&c.* Vide & *Dion. Chryſoſt. orat.* 21. *Suetonium in Nerone cap.* 12. de volatibus magorum. De translatione locali Chriſti *Matth.* 4. plerique interpretes rectè exponunt. Exempla hominum aptatis alis volantium, quorum unum refert *Iohan. Ludov. de la Cerda in Æneid.* 6. *in principio* ubi de Dædalo, ſive ad artem (quod tamen mihi non fit veriſimile), ſive ad magiam & dæmonem referantur, evincunt non eſſe hoc ſimpliciter impoſſibile,

bile. Adde quòd angeli possunt transferre corpora hominum: jam verò vires naturales angelis in creatione collatæ, per peccatum non sunt deperditæ in angelis malis. Antecedens probatur *à locor. commun. scriptoribus*; & huc applicandum illud *Matth.* 28. *v.* 2. Fortè & *Actor.* 8. *v.* 10. & 1 *Reg.* 18. *v.* Pontificii scriptores modò cit. probant ex apocryphis *additamentis ad Danielem cap.* 14. (uti ipsi numerant). *v.* 35. *Vbi Corn. à Lapide in commentar.* incertum ex magis incerto probaturus, adducit exemplum angeli moventis Solem, & alterius moventis firmamentum: quorum ille facit, ut Sol unâ horâ tantum spacii conficiat, quantum quis conficeret, si unâ horâ quinquagies globum terræ circumcurreret, iste verò facit, ut quævis stella in æquinoctiali unâ horâ 42. milliones miliarium & amplius conficeret. Sed angelos orbium motores cum præsumto calculo, & historiis apocryphis ipsi relinquamus: cum strigiportium aliunde satis defendi possit, & ab autoribus ipsorum, *Zvvarezio, Tannero, Delrio, Maldero &c.* jam *citt.* ut & nostris Theologis, qui de dæmonibus & magiâ scribunt, defendatur; ut & à *Biermanno* medico Helmstadiensi *in oratione de actionibus magicis contra Bodinum*; ubi merito inter alios ejus errores refutat ecstasin, quâ animæ magorum extra corpora abripi, & ad magicas panegyres transferri finguntur; & à *Libavio part.* 1. *singularium tract.* peculiari *de strigiportio* II. *Quæst.* An circa sanitatem & morbos tum hominum, tum brutorum, quid possint, specialiter circa pestem excitandam aut promovendam? *Resp.* 1. *concl.* De maleficiis magicis, eorumquè effectis in corporibus hominum ac brutorum, indubium est apud Theologos, Philosophos, Medicos suprà cit. quorum quidam signa eorum diagnostica indicant, ut *Condrochus & Zachias.* Christianis probatio omni exceptione major suppetit 1 *Sam.* 16. *v.* 14. *Iob.* 1. *v.* 23. *Actor.* 19. 16. *Luc.* 13. *v.* 16. *Matth.* 8. *v.* 28. & 17. 15. ubi de lunaticis. Conferri possunt commentatores ib. & *disspp. nostræ de Energumenis, & de Spectris.* Quod ad pestem, de eâ determinamus in *diatribâ de peste cap.* 1. 9. 10. ubi authores aliquot medicos & theologos adducimus; quibus nunc addo *Bezam in epistolis epist.* 64. *ad Corrasium. Et Sigebertum in chronico ad annum* 748. Exceptio illa *VVieri lib.* 2. *de præstigiis cap.* 28. quâ omnes historias de morbis ope dæmonum immissis ad fabulas relegare videtur, committit paralogismum à particulari ad universale; eumque abundè refutat *Sennertus*, & qui ex ipsius operibus ista collegit ac in vernaculum idioma traduxit *D. Iunctus* medicus Dordracenus *tit. de morbis maleficis cap.* 5. 2. *concl.* Morbos ab illis ope dæmonum sanari posse, communiter tenetur; & rectè probatur ex scientia, potentiâ, & agilitate dæmonum, quâ morborum causas, symptomata, latentes corporum constitutiones ac com-

plexiones, herbarum, fossilium, animalium vires, commodissimas agendi tempestates supra omnes medicos nôrunt, & agentia naturalia passivis scitè applicant, impedimenta removent, occasiones observant. 3. *Concl.* Negamus tamen à magis ope dæmonum quosvis morbos incurabiles verè sanari posse, aut cœco visum, amenti usum rationis, decrepito seni juventutem restitui : quamvis multa hîc fingantur aut simulentur. Modi illi fictionum ad tres ferè revocari possunt: *Primus* est ex parte morbi, quando scil. verè non est talis morbus, qualis apparet, sed arte dæmonum immittitur similis, aut per prestigias fit ejus mutatio. *Secundus est* ex parte sanationis, quando dæmones & magi falsò sibi adscribi curant, quod per Deum, aut angelos, aut naturæ miraculum factum est. *Tertius* est ex parte sanitatis, quando sanitas verè non habetur, sed æger vel ex parte tantùm sublevatur; vel videtur plenè sanatus, dæmone vires supplente aliisque artificiis sanitatem brevi tempore simulante, quę deceptio paulò pòst patescit. Ad unum ex tribus modis referri possunt sanationes si quę miræ & insolitæ à dictis *salutatoribus* in Hispania (*ensalmadores*) solâ precatione, crucis signo, aut lintei applicatione, aut osculo, &c. fieri jactantur. Quid autem de illorum superstitione, immò & magia, sive directa sive indirectâ judicandum sit, videat lector apud *Malderum & Raphaelem de la Torre in* 22. *qu.* 96. *artic.* 2. *Delrio lib.* 1. *cap.* 3, *qu.* 4. cum *lib.* 3. *part.* 2. *qu.* 4. *sect.* 7. *Zvvarez. lib.* 2. *de superstit. cap.* 15. Summa hûc redit, non esse donum sanationum. Quia ipsi verbis & ceremoniis utuntur ad eas; & modò septimo filio sine interveniente fœmina ex iisdem parentibus edito, modò traditioni hujus artis per manus, modò aliis prærogativis hoc donum adscribunt; quod magiæ, aut saltem vacuæ observationis eos suspectos reddit. Frustra itaque eos *Navarrus cap.* 2. *enchirid.* §. 36. excogitato doni supernaturalis commento excusare conatur; quia scil. ab ecclesiâ tolerantur. *Ex doctrinâ Augustini lib.* 2. *de doctrina Christiana cap.* 23. ad magiam referuntur. III. *Quæst.* An mortem inferre possint? *Respond. affirm.* & sequitur ex modò dictis de morbis: si ergo morbos, vulnera, plagas lætales immittant, quidni & mortem? Et si homini homo mortem inferre potest; multò magis diabolus. IV. *Quæst.* An impotentiam coëundi procurare possint? *Resp.* Quidni? cùm morbos, vulnera, mortem inferre possint. Vide dicta ad *quæst.* 2. *Scholastici* & Casuistæ Pontificii hîc admodum more solito in talibus materiis se diffundunt. Vide eos *ad* 4. *dist.* 34. *& ad supplementum Thomæ quæst.* 58. *art.* 2. imprimis *Thomam Zanchez in* vasto opere *de matrimonio lib.* 7. *disp.* 94. & *Malderum ad* 22. *qu.* 96. *art.* 2. *dub.* 9. *Binsfelsium concl.* 6. ubi & alii citantur. Communes

mo-

modos impedimenti recenſent quinque (quamvis & alii eſſe poſſint) quos hîc non referam. Addunt maleficium illud ligaminis aliquando eſſe abſolutum ſeu univerſale, aliquando tantum reſpectivum: aliquando perpetuum, aliquando tantum temporale. V. *Quæſt.* An ſe ipſos aut alios homines in lupos, teles &c. mutare poſſint? *Reſp. Neg.* quamvis præſtigiis, aliiſque ſimulationibus mirum in modum ſenſus hominum deludere poſſint. De quo vide *diſp. de Dæmonibus.* VI. *Quæſt.* An cum dæmone incubo aut ſuccubo coire & generare poſſint? *Reſp.* de utroque quid ſtatuendum, explicuimus in *diſp. cit.* Hiſtoriæ, quas refert *VVierus lib. 2. cap. 39. 44.* ad generationem dæmonum profligandam conferre quid poſſunt, non tamen ad omnem concubitum negandum. Vide contrà varias hiſtorias apud *Camerarium lib. 1. medit. hiſtor. cap. 70.* & confer *Auguſtin. lib. 5. de civit. cap. 23. & lib. 8. cap. 16. Delrio lib. 2. diſqu. qu. 15. Serrarium in Tobiæ 6. qu. 2-6. Binſſelſium de confeſſ. maleficarum concl. 5. p. 212. Tannerum, ad 22. qu. 96. art. 2. Malde rum dub. 10.* VII. *Quæſt.* An ſolo aſpectu hominem faſcinare poſſint? *Reſp.* Vulgari errore hoc olim creditum: idemquè ex ratione naturali, experientiâ, & autoritate defendere conatur *Azorius part. lib. 9. cap. 25.* Sed opinio hæc à Phyſicis in controverſia, an viſus fiat immiſſione ac verò emiſſione, & à Delrio aliiſque ſcriptoribus de magiâ ſatis ſuperquè profligata eſt. Ut verbo abſolvamus, ſi naturalis oculorum & viſionis hæc vis, & ejus effectus, cur totam ſpeciem non ſequitur, ut in piſciculo dicto torpedine, magnete &c.? & cur peculiares ceremoniæ adhibentur; quæ morale & rationale arbitrium aliquod reſpiciunt aut involvunt? VIII. *Quæſt.* An poſſint ſe reddere inviſibiles? *Reſp.* 1. *concl.* per annulos, characteres, & ſimilia ſigna magica, aut per verba hoc fieri nequit: Nulla enim iſtorum eſt cauſalitas phyſica ſive principalis ſive inſtrumentalis; ſed mera ſunt arbitraria ſigna, quæ dæmon impoſtor & Dei ſimius adhiberi vult. Hinc conſtat, quid judicandum de decantato Gygis annulo. 2. *concl.* Poteſt quis reddi inviſibilis: ſi intelligas de impeditione viſus per opem dæmonum, ne ſcil. actu videantur ab aſtantibus. Nam corpus humanum, manens ſcil. tale, in ſe inviſibile reddi non poteſt, quomodo ſcil. angelus, & anima humana in ſe & per ſe inviſibiles ſunt, quia carent quantitate, figurâ, colore. Modi, quibus fieri poteſt, ut corpus in ſe viſibile hic & nunc actu non videatur, ex doctrinâ Phyſicâ & opticâ de viſu, & ex *commentator. ad Geneſ. 19. 11. Exod. 7. 12. 2 Reg. 3. 22. Luc. 24. 16. Ioh. 18. v. 5. & 20. v. 6. 14 15. Act. 9. 7.* habentur; & ad hos tres reducuntur, ut ſcil. mutatio fiat vel ex parte objecti, vel ex parte medii, vel ex parte organi. *Ex parte* objecti poteſt impediri & falli viſus per dæmonis celerem agitationem, quâ ſubi-

subito objectum occultat, aut variè collocat; aut celeriter incidit ac conglutinat; aut minerale apponit, cujus virtute corpus visui objectum appareat longè diversum; aut objectum respectu oculi certo quodam modo collocat; aut illud loco movet, & aliud simile, sed phantasticum, subito substituit. *Ex parte medii* fit, *Primò*, cum impediuntur species, ne per medium deferantur, aut saltem ne conus specierum pertingat ad oculi pupillam: & hinc fieri potest, ut unus astantium videat, alter non videat, quia non vident per easdem lineas specierum visibilium, immo ne quidem duo oculi ejusdem hominis. *Secundò*, cum sic immutantur species, ut rem longè aliam repræsentent, quàm sit. *Tertiò*, cum ita obtenebratur aut illuminatur aër intermedius, ut visum vel obtundat, vel dissipet. *Quartò*, cum in aëre condensato quasi speculum exhibetur, quo res alia, quæ retrò est, videtur, & res, quæ ante oculos est, latet: *Ex parte* organi, cum movetur organum, spiritus turbantur, & humores permiscentur; aut cum impediuntur species, ne per spiritus ex sensu exteriori deferantur ad interiorem: quomodo sæpe externè videntes & audientes, sine sensus communis interiori judicio, sunt quasi non videntes & audientes; non percipiunt enim se audire, quia non attendunt. Sic dæmon posset efficere, ut oculo recipiente speciem straminis spiritus interiorem sensum commoveant ad percipiendum illud stramen, per speciem trabis. Conferat, cui vacat, quæ de potentiâ dæmonum disquiruntur *à Scholasticis ad* 1. *qu.* 111. *artic.* 3. Quartum modum impedimenti & fallaciæ visus per dæmones, quem *Binsfeldius lib. cit. prælud. ult.* refert ad solam voluntatem dæmonis visum impedientis, aut ad ejus potestatem, quam habet in corpus; ipsi relinquimus: cum convenienter theologiæ & sanæ philosophiæ probari nequeat: & modi tres nunc indicati sufficiant. *IX. Quæst.* An hominem occidere, cadavera mortuorum movere & circumducere, mortuos in vitam reducere queant. *Resp.* distinctè hic respondendum. Sit ergo 1. *concl.* Si homo hominem veneno, suffocatione, ferro, aliisquè modis tollere potest, quidni magi ope dæmonum naturalia agentia passivis applicantium? Quæcunque suprà allata sunt de morbis maleficis analogicè huc applicanda. Nec rejicienda tot historiæ de miseris hominibus, quos diabolus suffocavit, aut elisâ cervice sustulit, aut duro alicui corpori illisit, aut alio modo rupit, contudit, ex alto præcipitavit, avexit, ut postea nunquam conspecti sint: quale quid eveniſſe Christophoro Wagenaer celebri mago refert *historia de ipso* edita, & Folpardo toparchæ Leerdamensi homini impio & blasphemo, *historia Belgii* autore *Gouthoeven*. Vide *Mapheum in epistolis Indi-*

Indicii lib. 1. ubi refert à dæmonibus, Japonicè dictis *Quigoqui*, homines deceata suâ ritè non confitentes de rupe præcipitari. Et exempla apud *Lavater. de spectris, Bodin. lib.* 2. *dæmonom. c.* 20. *Et historias de miraculis, de spectris*, ab autore anonymo collectas, a. 1597. Islebię excusas, curante Henningo Grosio Lips. *lib.* 1. *p.* 227. *& c. Boisleum Launeum & Simon. Goulart. in selectis historiis*; inter alia memorabile est de 60. civibus Moguntiæ à dæmone illic infestante occisis. Et quod de occisis fossoribus per spectra in fodinis grassantia vulgatissimum est, etiam testatum *à Seb. Munstero lib.* 1. *cosmographiæ*, ubi de fodinis montis S. Annæ. Et à *Georgio Agricola in libro de spiritibus subterraneis*. Suprà notavimus pueros à magis occisos in usum nefandæ suæ dæmonomaniæ. 2. *concl.* Cadaver aliquod hominis recenter mortui verè & realiter movere, circumducere & hominem illum tanquam adhuc viventem simulare, actionesquè actionibus viventis similes, minimè tamen vitales propriè dictas ad tempus edere indubium est, tum ex experientiâ, tum etiam quòd nulla repugnantia aut impossibilitas assignari possit. Nota est ex *Peucero de divinationibus, pag.* 14. Historia Psaltrię Bononiensis, quam magus quis, alligato ad alas fascino, ope diaboli aliquamdiu cœtus hominum, congressus publicos & convivia more solito frequentare, & fidibus canere fecerat: donec alius quis magus animadversâ impostura fascinum amoveret, ut ipsa statim in terram collapsa exanimis jaceret. 3. *concl.* De cadavere tamen jam diu ante mortuo, & formâ cadaveris amissâ in elementa resoluto, immo materiâ sub aliis atque aliis formis specificè distinctis existente, nolim concedere: sed quidquid hîc moliantur magi, ad præstigias & sensuum delusiones referre. Talis erat reductio, seu mavis repræsentatio Alexandri Magni, per Johann. Faustum; quam in *historiâ ejus* olim legisse memini. 4. *concl.* Mortuos homines reverâ suscitare & in vitam reducere nequeunt: quicquid hîc mimicæ dæmoniacæ & simulationis interveniat: uti hoc ex professo explicui *in disp. de dæmonib. part.* 12. § 2. *qu.* 4. Hîc ergo non repeto *X. Quæst.* Quid magi possint, aut non possint circa corpora cœlestia, elementa, elementata? *Resp.* In *disp. de Dæmonib. par.* 2. determinamus quid dęmones possint, aut non possint. Inde prędentis quęstionis solutio dependet.

I. *Quæst.* An & quantum efficere possint circa animos hominum, eorumquè intellectum & voluntatem? *Resp.* Explicui hoc in *disp. de Dæmonibus part.* 2. postea accuratior investigatio injectionum diabolicarum nonnulla addidi in *disp. de Tentationibus*, quam Asceticæ nostræ inserui. II. *quæst.* Quid de philtris & magiâ amatoriâ censendum? *Resp.* tale quid à magis tentari, & venditari nolo negare; ne infinitis propè historiis fidem derogem. Sed intentum & jactatum effectum strenuè ne- 8.

gandum censeo : quia solus Deus intra mentem & voluntatem hominum operari, inque eas illabi, eas Physicâ, directâ & immediatâ motione movere, & mutare potest. Sed hanc quæstionem de philtris magicis expedimus *disp. de Dæmonibus part.* 2. Tantùm nunc addo, videri mihi *à Tostato* & ex eo *à Raph. la Torre tract. cit.* & *Maldero in* 22. *tract.* 10. *cap.* 8. *dub.* 2. non benè explicari modum illum, quo quis in amorem aut odium certæ alicujus personæ, antea non amatæ aut non exosæ, per magicas operationes inducatur. Quòd scil. diabolus eos vel privat usu rationis, & ita dispositus homo peccare non possit : vel non privat usu rationis, & sic potest homo resistere libidini concitatæ. Sed longè aliud est concitare humores corporis ad actus libidinis, & aliud implantare voluntati alicujus amorem certæ personæ antea non amatę, aut odium seu aversionem à certâ personâ antea amatâ. De hoc posteriori hæc solummodo quæstio est, & hoc venditârunt antiquitùs philtrorum magicorum architecti, & populari ac communi errore tunc ita creditum, & etiamnũ hodiè à multis in ipso Christianismo creditur. Modos, quibus diabolus *per se & arte aliquâ sibi notâ hominem amentem faciat aut amantem*, (ut loquitur Malderus) ibidem explicat : quâ certitudine, fateor me non videre, cum *Thomæ* & cum eo *Scholastici ad* 1. 2. *qu.* 80. *art.* 3. fateantur, diabolum non sic concitare ad inordinatum amorem, ut necessitet. Quod idem de astris, de elementis, de temperamento corporis humani pariter sub illâ distinctione affirmari solet : ita ut nulla peculiaris efficacia Magis & dæmonibus propterea tribuenda sit, qui non nisi naturalia illa agentia suis passivis applicando operantur. Minus sapit, quod *ibidem Malderus* ad quæstionem : *quomodo dæmon potest efficere, ut determinatè in hujus amorem quis impellatur.* Respondet : postquam ad libidinem hominem concitavit, „ potest curare ut persona quam amari vult, sese præsentem exhibeat, & „ in sui amorem alterius libidinem convertat. Secundò, potest incenso „ ad libidinem certæ personæ importunam in imaginatione facere sug„ gestionem, tanquam dignæ amari, fortè etiam avertendo simul ab ali„ is. Tertiò privat hominem usu rationis, tum commovet sensus interi„ ores eo modo quo novit opus esse, ut ad talem personam, non solùm „ amore afficiatur, sed concitato omnibus perruptis contendat. Sed diluta hęc sunt, & non satis benè cohærentia, cum Scholasticorum doctrina, de principiis actionum humanarum, & de libertate atque independentiâ voluntatis, de operatione dæmonum circa voluntatem. Nullum genus efficientiæ, si accuratè loquendum, dæmoni hîc relinquitur, quàm quæ hominibus pariter tribuitur, objectiva scil. & moralis, quę vel reali externâ, aut tantùm phantasticâ & interna oblatione objecti, vel verbis & sugge-

gestionibus suasoriis peragitur. Atqui hoc nihil ad philtri magici, quod jactari solet, efficaciam; quo ab amore amatæ personæ homines abduci, & in amorem non amatę induci dicuntur. Absolutè ergo neganda peculiaris illa philtri præsumta efficientia; quidquid magi pharmacis atque incantamentis suis intendant ac moliantur. Longè facilior inductio est ad amorem, si ipsa persona, quæ amari cupit, se aspectui offert, si verbis, promissis, obsequiis animum aversum tentat. III. *Quæst.* An animas hominum ad tempus à corporibus abstrahere aut abducere valeant, mox ad illa reversuras? *Resp. Neg.* animæ quidem separationem totalem à corpore, & unionis dissolutionem procurare possunt, homines occidendo; sed animæ abstractionem aut eductionem minimè. Anima enim educi è corpore nequit, nisi exanime reddatur corpus; & consequenter; siquidem anima ad domicilium rediret, esset suscitatio mortui. Atqui illa soli Deo est possibilis; ut alibi hoc probatur. Vide quæst. seq. *IV. Quæst.* An possint animas separatas movere & transferre de loco in locum, earumquè reales apparitiones apud viventes procurare? *Resp. Neg.* ex hypothesi voluntatis & justæ gubernationis divinæ, nobis in scripturis revelatę. Quidquid hîc refertur, ad meras præstigias, deceptiones & fictiones relegandum est. Animæ beatorum sunt in cœlo, ubi dæmones non grassantur: damnatorum in inferno, unde nullus datur exitus, per voluntatem sive ipsarum, sive dæmonum. Errat ergo *Bodinus lib. 2. dæmonom. cap. 5.* qui statuit, dæmonem posse animam realiter è magi corpore educere, & post talem ecstasin ad corpus animandum, reducere. Raptus seu ecstases diabolicas concedimus, quales fanaticorum atque enthusiastarum, quos proximè præcedens sæculum tulit. Tales enim diabolus efficere potest, obstruendo meatus spirituum sensitivorum, vel eosdem spiritus retrahendo ab organis sensuum exteriorum ad organa sensuum interiorum. Sed hoc nihil ad realem animæ è corpore eductionem. De exemplo larvati Samuelis 1 *Sam.* 28. & de non evocatis animabus defunctorum egimus in *disp. de Spectris §. 10. pag.* 1005. 1006. Ad exemplum Hermotimi Clazomenii, cujus meminit *Plinius lib. 7.* dicimus, Animam illius reverâ extra corpus vagatam non fuisse, nec hinc quæ in longissimis viderat regionibus narrasse: sed totum hoc dæmoni paredro Hermotimum fortè peregré fuisse mentienti, saltem ibi visa atque audita eidem nuntianti adscribendum.

De indirectâ seu interpretativâ, & de participatâ magiâ quæritur I. *Quæst.* Quid de curâ, quam vocant, characteristicâ & de unguentis atque emplastris sympatheticis judicandum? *Resp.* esse meras vanitates ac superstitiones; consequenter illicitas; uti satis super- 9.

que constare arbitror ex iis, quæ suprà *part.* 1. & in *disput. de Superstitione* contra imaginariam characterum seu figurarum, sigillorum, signorum, verborum, numerorum, temporum &c. efficaciam allata sunt, & quæ de superstitiosis amuletis contra tela & sanguinis fluxum, monet *Philippus Camerarius centur.* 2. *cap.* 76. *lib.* 1. *de idololatriâ cap.* 8. Quia tamen opliatria, seu unguentum armarium à nonnullis etiamnum frequentatur, immò & publicè defenditur, de eo specialiter quid monendum. Sit ergò II. *Quæst.* An usus unguenti armarii, seu opliatriæ sit licitus. *Resp.* Communiter negant Theologi, Philosophi, Medici Pontificii cum Protestantibus & Reformatis. *Iohannes Robertus* Theologus ordinis Jesuitici *peculiari tractat. contra Rodolphum Goclenium* fil. Medecinæ Professoris Marpurgensis, hanc causam agit. Ex Protestantibus aut reformatis *Libavius tract. peculiari*; *Sennertus in operibus*; & *Gulielm. Iunctius tract. peculiari* belgico, ex *operibus Sennerti collecto*: Et ne Pontificii unius atque alterius inter nostros peculiari opinione more suo invidiosè nos gravent, indico in *Synodo Hollandicâ Roterodamensi anno* 1595. *artic.* 29. decretum conditum de monendis ecclesiæ nostræ membris, ut ab usu illius unguenti abstinerent; quòd illud cum verbo Dei & naturali medecinâ convenire & consistere nequeat, & nihil aliud sit, quàm superstitio. Ne autem synodus universali rerum naturalium ignorantiâ, aut invidiâ adversus novelli alicujus, fortè bimuli & trimuli philosophi, aut medici Hermetico-Paracelsico-Empirici ingeniosa & admiranda cogitata atque inventa (scilicet!) ita determinasse dicatur; fas sit mihi benè dictis aliorum verbulum addere, aut ex dictis eorum collectum hîc repetere, & postremis exceptionibus adversæ partis applicare. Rationes, quibus autores citati, & ego in *cursu prælectionum ad catecheticam explicationem decalogi tit. de magiâ*, vacuam hanc observationem refutare consuevi, hîc exhibere vix operæ pretium, ne satis superque actum agam. Tantùm indicabo & rejiciam postremas exceptiones *Goclenii contra Iohannem Robertum.* Edita est post Crollii (quem suprà citavi in *disp. de Superstitione part.* 2. §. 1. *probl.* 9.) aliorumquè Paracelsistarum buccinatam opliatriæ artem ac praxin, *Rod. Goclenii fil. explicatio & defensio hujus artis* Offenbachii an. 1611. per Cæsarem Longinum Philosophum unà cum libro cui titulum fecit, *Trinum magicum*, sive *secretorum magicorum opus*: ubi pag. 346. titulus hujus opusculi talis est: *Commentatio de magneticâ curatione vulnerum citra superstitionem, dolorem, & remedii applicationem. Authore R. G. M. D.* An & ubi aut quando tractatulus hic ab ipso Goclenio seorsim aut cum aliis ejus scriptis ante illud tempus fuerit editus, mihi non constat. Huic tractatui *Iohannes Robertus Arduennas*

or-

ordinis Jesuitici theologus *brevem anatomen opposuit anno* 1615. Anatomæ isti reposuit *Goclenius* 1617. tractatum tit. *Magneticæ curationis vulnerum defensio nova*; quæ à filio autoris Theod. Christophoro Goclenio denuò edita unà cum tractat. cui titul. *Mirabilium naturæ &c.* anno 1643. Quam excepit anno 1618. *Iohannis Roberti Goclenius Heautontimorumenos.* Ejusdem *Metamorphosis magneticæ Calvino-Gocleniana* 1618. Ejusdem *Goclenius magus seriò delirans*, 1619. Ejusdem *curationis magneticæ & unguenti armarii magica impostura adversus disput. Iohannis Baptistæ Helmontii.* Ex illis tractt. Joh. Roberti, nullus hactenus in manus meas incidit: sed ex *utroque tractatu Goclenii*, præsertim ex posteriori, quem Joh. Roberto oppositum, satis colligo, in quas hypotheses & rationes Goclenii aliorumquè magneticorum ultima sit analysis. An autem omnes rationes à Joh. Roberto oppositæ, æquè solidæ fuerint, aut satis dextrè applicatæ, in præsentiarum inquirere nequeo: quamvis quod ad summam rei, ut eam ex libro Goclenii colligo, causam veritatis ac pietatis ab eo defensam judicem. Hypotheses Goclenii sunt istæ I. Sunt proprietates spirituales totius naturæ, hoc est, magni & minoris mundi, & mundi cœlestis ac elementaris: quæ potissimùm consistunt in sympathismo seu magnetismo: & in antipathismo seu Theamedismo, qui uterque perficitur per astralismum, mediante synarthrismo spiritus seu animę mundi, communissimæ, secretissimę, mysticæ. *pag.* 178. II. Hic spiritus mundi non est determinatus ex se ad certum aliquod genus, sed habet se indifferenter ad genus substantiæ & accidentis; & sortitur ejus naturā, cum quo conjungitur. Itaque in accidentibus est accidens, in substantiis substantia, & est quasi medium quoddam vinculum, utriusque naturæ duorum extremorum particeps. In rebus naturalibus amicè conspirantibus est sympatheticus; mutuo verò odio se prosequentibus est antipatheticus, pro scil. subjecti cujusque naturâ, conditione, dispositione. III. Spirituale medium & vinculum animæ mundi connectens omnia mundi corpora tum superiora tum inferiora, tanquam partes unius corporis animalis; necessariò virtutes & formas cœlestes etiam crassioribus corporibus largitur. *pag.* 180. 181. IV. Hinc fit, ut quævis materia aptè & concinnè præparata ac disposita, alliciat ad se formam convenientem sibique competentem, & sic magnes attrahit ferrum. *pag.* 182. V. Tanta est enim rerum quarundam naturalium potentia, ut tantum cuncta suâ virtute afficiant, verùm etiam infundat ipsis consimilem potentiam. *pag.* 183. VI. Cuilibet rerum speciei, hoc est, cuilibet lapidi, plantæ, metallo &c. peculiare astrum quod cum eo quâdam consortii lege conspiret, consecratum & dicatum est, *ut polus magneti, & proprius homini genius.*

pag. 186. VII. Nulla influentia, nulla actio astralis sympathetica effici potest, nisi agens spiritu aut qualitate aliquâ rem illam tangat, quam afficere vult: prout cœlum hæc inferiora motu & luce calefacit. *pag.* 185. VIII. Omne agens, cùm agere cœpit, non movet se ad inferius seipso, sed ad sui consentaneum. *Ibid.* IX. Mirabilem ergo hanc operationem opliatricam efficit proprietas spiritualis, quæ supra manifestas qualitates temperamenti, ex cœlesti impressione & syderali virtute per concentrationem & synarthrismum universalis spiritus mundi, per magnetismum ad vulnus fertur & propagatur. *pag.* 187. cum 182. X. Fertur autem & propagatur hæc naturæ virtus in momento per spatium aliquot miliarium ad locum vulneratum, citra ullam alterationem aut dissipationem, per vim magneticam attractivam, quę est in primo ente siderali per medium aëris, aquæ, & terræ influente, iterumque emergente, ut operetur spiritualiter per medium aëris. Et vis hæc ita insita est spiritualibus principiis aëri communicatis, ut ei nullâ violentiâ adimi possint. *pag.* 189. XI. Unguentum sympatheticum juxta Paracelsum apud *Ioh. Bapt. Portam lib.* 8. *magiæ natur. cap.* 12. *& Goclenium pag.* 299. sic conficitur.

℞ *usneæ concretæ in calvariâ furis suspensi & in aëre derelicti.* Ratio, cur suspensi usnea sit præferenda, redditur *pag.* 302.

Mumiæ veræ

Sanguinis humani adhuc calentis sing. unc. I.

Adipis humani unc. ij.

Ol. linii,

Terebinthin.

Boli armen. sing. ʒij.

Misceantur omnia simul in mortario, ferventurquè in vitro vel urnâ oblongâ & angustâ,

Alii, inquit *ibid.*, recipiunt *usneam abrasam è cranio hominis violentâ morte peremti, duarum avellanarum pondere:*

Adipis verris aprugni,

Vrsini sing. uncias VI.

Lumbricorum terr. ex vino lotorum, inquè pistoris fornace ollâ tectâ torrefactorum (non adustorum) unc. iij. horum in pulverem redactorum unciæ uni adjiciunt,

Cerebri aprugni siccati,

Santali rubri odorati, mumiæ, & hæmatitis singul. unc. j. omnibusquè mixtis cum adipe faciunt unguentum,

Conficiendum est sole existente in librâ: usnea verò colligetur cum lunâ crescente, inquè Veneris existente domo, si fieri potest, non Martis, aut Saturni, &c.

Ol-

Oſvald. Crollius in tract. de ſignaturis rerum, cum Chymicâ Baſilicâ edito, addit abſtinendum eſſe hujus unguenti ſeplaſiario ſeu medico ab uſu Veneris.

XII. Telum quo quis vulneratus eſt immergendum in hoc unguentum, & ita relinquendum: vel in teli defectu lignum ſeu ramus ſalignus in aperturâ cruentâ madefactus. Si inſtrumentum, quo vulnus inflictum eſt, haberi nequit, aliud ducatur per vulnus, & loco veri teli id inunge utroque latere; reponatur loco mundo & temperato: ſi enim aëri vel frigori exponatur, excitabitur dolor. *p.* 301.

XIII. Attendendum eſt, cæſimne an punctim factum ſit vulnus. In punctura telum inungendum eſt à cuſpide capulum verſus, in cæſurâ ab acie verſus tergum. *Ibid.*

XIV. Telum obligandum eſt. *Ibid.*

XV. Hoc unguento ſic confecto ſanantur omnia vulnera, quæ ferro, ictu, vel jactu infliguntur, modò haberi poſſit inſtrumentum. Excipiuntur tamen illa vulnera, quæ fiunt in arteriis, & uno è membris principalioribus, ut corde, cerebro &c. *pag.* 300.

XVI. Modus & ordo hujus operationis talis eſt. 1. Primum movens in unguento eſt vis balſamica in ſanguine & uſneâ. 2. Hæc vis excitatur ſeu potiùs evocatur per ſpiritum conſimilem ſibiquè ſympatheticum, ut ſpiritum mundi ſtellatum ad effectum ſingularem producendum, ex definitis & propriis conſtellationibus. Nam ſpiritus hic evocans, dirigens, diſponenſque corpora & res mutuo quodam naturæ nexu ſibi devinctas, ſeu ſympathiam, copulam ac convenientiam inducens, non eſt quivis, ſed determinatus, is ſcil. quo præſente & tangente fit effectus, abſente non fit, decedente ceſſat. 3. Hic ſpiritus mundi & ſpiritus balſamicus ſympathetici ſunt, mutuòque ſe appetunt: & hic appetitus efficit ac perficit virtutum transplantationem, per quam vulnus curatur; ita ut propter hunc occultum appetitum, naturalem tamen, uterque ſpiritus ad determinatum effectum conſpirent. 3. *Ex hâc* copulâ & convenientiâ corporum cœleſtium operationes ſuas per elementa perficientium vis ſanatoria in ſpiritu balſamico fixa in telum medicatum derivatur. 4. *Hæc vis* ſanatoria in telum inducta, mediante, dirigente animâ mundi ſeu ſpiritû, tanquam motore & vectore, à telo inuncto & obligato uſque ad locum vulneratum continuatur ac traducitur, propter naturæ cognationem & continuationem. Eſt enim inter telum & vulnus vis magnetica attractrix & deductrix: ita ut attractio ſit à parte vulneratâ, deductio virtutis à telo medicato. 5. Hujus virtutis traductio fit ſucceſſivâ impulſione, per medium aëris tanquam vehiculi, & ſpiritu ſtellato ac primario

quo-

quodam & magnetico vigore seu potentiâ impræguati. 6. Sic tandem vectore spiritu mundi immediatè ea vis sanatoria imprimitur ac communicatur vulneri; & sequitur effectus. *pag.* 292. 295. 296. 297. cum 208. Atque hactenus mysterii hujus explicatio: quousque scil. visum fuit autoribus eam communicare. Reliqua quæ latent, quanta & qualia sint, judicare non possumus. *Sed premo*, inquit Goclenius pag. 209., *nec ultra divulgo hoc arcanum.* Videamus nunc demonstrationes iltarum hypothesiωn, & assertionis principalis illis subnixæ, quod scil. curatio illa sit merè naturalis. Quod ad hypotheses partim Platonicas, partim Hermeticas (uti eas vocant) de anima seu spiritu mundi, de naturali sympathia unguenti cum virtute astrali determinatâ, ejusquè ad se attractione: de sympathia naturali teli vulnerantis, aut ejus loco rami saligni, alteriusve assumti instrumenti, cum vulnere seu vulnerato: de virtute animæ mundi, per spiritum universi dilatatâ per omnia: Quodlibet elementatum habere proprium suum astrum: Omnes virtutes quæ sunt in elementis & elementatis, esse in cœlestibus, & vice versâ; sed elementares esse in cœlo cœlesti modo, & cœlestes esse hic infrà, sed elementari modo &c. Nullas earum demonstratas, sed tantùm explicatas video. Hîc ergo quiescere licet. Assertionem principalem de curâ magneticâ *pag.* 200. probare aggreditur duplici argumento, testimonio scil. & virtute naturali. 1. *probatio*: ab experientiâ aut testimonio multorum à superstitione alienissimorum, qui hujus curæ meminerunt, aut ipsi eam usurpârunt: inter eos, ait, se nominare posse Imperatores, reges, principes, comites, nobiles, sed non opus esse omnium illorum testimonia adducere. Postea tamen *pag.* 301. nominat Imperatorem Maximilianum, quem hoc comprobasse dicit. Addit ex Pontificiis *Basilium Valentinum* ordinis Benedictini monachum, qui in *tract. Germanico de rebus naturalibus &c. per I. Tholdium anno* 1602. *cap.* 1. in solidum artem hanc probat, & cum sententiâ Gocleni ex amussim convenit: excepto uno, quòd modum curationis vocat supernaturalem & spiritualem. *Resp.* 1. *Minimè* probatur, quod probandum; esse scil. hanc curam merè naturalem, & absque omni superstitione: sed tantùm probari intenditur, effectum sanationis ex usu unguenti armarii aliquando fuisse secutum. Quod nemo negat: non magis ac mira aliquot effectâ, quæ probas aquæ frigidæ aut fervidæ, ferri candentis, monomachiæ, aliasquè vulgares & superstitiosas, adhæc usum amuletorum, periaptorum, numerorum, characterum & figurarum, annulorum, speculorum, exoticarum vocum, seu ἐφεσίων γραμμάτων, carminum & incantationum, aliquando secuta sunt. Sed quis inde concludat, omnes illas operationes esse naturales & vi unguenti armarii productas,

ac consequenter licitas. 2. *Dato*, aliqua exempla & testimonia (quæ tamen non designantur) verè referri; inde tamen non conficitur experientia universalis, aut τὸ καθ' παντός, pro subjectâ scil. materiâ, quale in medecina sufficit, quod est τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Præstantes medici negant experientiam, quæ obtenditur, experti successum conatui non semper respondere; inter quos *Gulielmus Fabritius Hildanus cent. 3. observ. 25.* & ex ac cum eo *Sennert.* & *Daniel Ionctys*, qui posterior, Sennerti disputationes de his quæstionibus ex operibus ejus congessit, & Belgicâ veste induit anno 1646. Non pauciora aliorum effectuum, & longè plura amuletica seu periaptica tum bellatorum tum pugilum (inter eos etiam principum, magnatum, nobilium) adduci possent. Sed inde τὸ merum naturale & τὸ licitum amuletorum istorum non concluditur. Suprà, & in *disp. de Superstitione* ea attigimus; eademque post *Delrio*, solidè refutat celeberr. *Sennertus*, ejusque interpres *Daniel Ionctys*; qui postremus nostris theologiæ & ministerii candidatis, immò & ministris, si quibus non vacat varios autores perlustrare, abunde satisfaciet. 3. *Exempla* aliquorum Regum, principum, nobilium vix aliquod, aut potius nullum præjudicium vanæ huic arti præstare queunt: quòd non rarò à subdolis hominibus circumveniri solent (ut rectè notatum à *Sennerto*) aut propriæ curiositati indulgere. Qui in exemplis & historiis tum antiquis tum recentioribus magorum, divinaculorum, circulatorum, hospes non est, novit quid velim: ita ut opus non sit me hîc odiosum δακτυλοδείκτην agere; præsertim Goclenio talium nominibus parcente. 4. Autoritas Basilii Monachi Benedictini nulla est: quamvis eam ad hominem non absurdè Jesuitæ Roberto antagonistæ suo, *Goclenium Magum* proclamanti, objecerit. II. *Probatio p.* 200. *ex virtute naturali, quam*, inquit, *Philosophi est ostendere esse in naturâ & subjecto.* Mox subjicit argumentum à testimonio probatorum hominum, (ut jam dictum) usque ad pag. 207. Ubi concludit, *hactenus rationibus & experimentis demonstratum esse, curationem vulnerum, quæ fiat sine remedii applicatione etiam ad distans &c.* Præsupponit ergo demonstrationem peractam esse propositis atque expositis principiis (uti appellat *p.* 192.) hujus philosophiæ magneticæ, quorum potiorem partem suprà retulimus. Atque illas sive hypotheses, sive postulata, nos minimè concedimus; nedum ut nobis sint principia, quæ simpliciter cognoscenda & sumenda, non probanda essent. Voluit ergo 3. *sect. pag.* 204. 222. & 4. *sect. pag.* 228.-244. cum *appendice usque ad p.* 287. ex similibus, in natura effectibus, quasi ex abundanti probare naturalem esse curationem per unguentum armarium. *Primùm* ergo sect. 3. probare conatur, omnes res naturales, *plantas, radices, lapides, metalla*,

ſpiritus & aſtra, divinâ quâdam conſortii lege conſpirare; & omnia mundi corpora connexa ſimiliter mutuare & mutuari, & ex communi hâc cognatione communem naſci amorem, & ex amore communem attractionem. pag. 211. 287. Ratio ipſius eſt, quia Deus fatali lege ſancivit, ut omnes ſublunarium ſympathiæ & antipathiæ non aliunde dependerent quàm ex cœleſti ſyderum influxu & impreſſione. *pag.* 212. Hoc tranſeat. Sed quòd *ibidem* media, quibus res quædam naturales ſibi invicem copulantur, ex *Geneſ.* 1. eruere tentat, nec theologia eſt, nec *cœleſtis, abſtruſior, & profundior philoſophia*, uti ἐνύπνια hoc indigitat *pag.* 214. Sunt autem quinque connexionis modi: quorum 1. ſignificatur per abyſſum. 2. per tenebras. 3. per terram, quæ eſt, inanis vitâ, ſenſu vacua. 4. per Lucem; quæ *vegetans vitamque* reddens. 5. Per Spiritum Domini. Hæc ſcilicet Paracelſico-myſtica Geneſios interpretatio. Quam indicaſſe, eſt refutaſſe. Inde digreditur, ut & totâ *ſect.* 4. ad complures occultas vires, antipatheticas & ſympatheticas recenſendas. Inter quæ illuſtria exempla (uti appellat) oſtentantur hircinus ſanguis, & quidem calidus rumpens adamantem *pag.* 216. Quam auream legendam ſeu fabulam phyſicam, juxtà cum aliis iſtius farinæ meritò rejicit *Thomas Brouvvne* medicus Anglus in *pſeudodoxiâ epidemicâ*, h. e. *erroribus popularibus lib.* 2. *cap.* 5. antipathia inter leonem & gallum, „ qui uterque beſtia ſolaris eſt, & luminis cujuſdam ſolaris particeps, „ ſed timetur gallus à leone, quòd præſentia luminis ſolaris magis con„ veniat gallo, quàm leoni; quòd inde apparet, quod gallus quibuſdam „ quaſi hymnis applaudit ſurgenti Soli; quandoque etiam dæmones ſola„ res viſi ſunt leoninâ fronte, quibus cum objiceretur gallus, repente di„ ſparuerunt. *pag.* 217. ubi dicit, *hanc veritatem adferri à Proclo in libro de* „ *magiâ.* Alyſſus, hypericum, & moly herbæ in tantum malignis ſpiriti„ bus antipatheticæ ſunt, ut in ædibus ſuſpenſæ ab hominibus & pe„ core veneficia, ne faſcinentur, arceant: uti id tradunt graviſſimi autores, Homerus, Plinius, Dioſcorides *pag.* 219. Sectione quartâ latè ſplendent, hirundinis cor palpitans devoratum memoriam deperditam reſtituit, & ad ingenium ac intelligentiam valet *pag.* 222. Ranarum oculi ante Solis ortum eruti, vivis illis in aquam dimiſſis, alligati febricitanti pellunt tertianas febres. Idem præſtant ungium pręſegmina in pedibus & manibus febricitantis, cancri vivi dorſo ſuperligata, & in aquam fluentem projecta. *Ibid.* Æſchynomenem, appropinquante carpentis manu contrahere folia. *pag.* 223. Theangelide in Libano Syriæ, Babylone, Suſis Perſidis proveniente, potâ, homines divinare. *Ibid.* Oenotheridis è vino aſperſu omnium animalium feritatem mitigari. *pag.* 224. Æthiopide ſtagna ſiccari conjectu, tactu clauſa omnia aperiri. *Ibid.* Archemide conjectâ.

jectâ in aciem hostium, trepidare agmina, acterga vertere. *pag.* 225. Lapides non astrorum tantùm nominibus, sed animis quoque hominum imperitare videntur: judicibus Orpheo, Theophrasto, & Proclo, *pag.* 227. Judicent nunc, qui judicare possunt, an tales fabulæ opliatriam persuadere debeant. Sed imprimis suspectam, si non desperatam facit hanc causam tibicen, quem illi supponit *sect.* 5. cujus titulus præscribitur, *De curationis characteristicæ & sigillorum naturalium defensione.* Ubi de annulis ex quovis metallo confectis, & stellæ cujus quis sibi virtutem conciliare cupit, dedicatis &c; deque annulo Gygis reddente eum invisibilem; de annulo contra fascinationes; de sculptis imaginibus quæ de collo appensæ naturales operationes perficiunt per cœlestes proprietates syderum mirabili influentiâ cum nostris corporibus concordantium *pag.* 236. Sive herba sive verbum sanet, in causâ est Deus, id est, spiritus Dei naturæ coadunatus per verbum fiat. *pag.* 238. in sequentibus docet fabricam imaginis Martis in primâ facie scorpionis orientis contra timiditatem & pusillanimitatem: imaginis Solis in auro puro primâ leonis facie ascendente ad favorem regum & principum conciliandum, morbosq; calidos cordiales curandos *p.* 241. imagines quædam multarum mirandarumque virium esse perhibentur, si in convenientibus lapidibus sculptæ *magnâ cum reverentiâ & devotione (sed absit superstitio) gestentur & custodiantur pag* 244. vespertilionum imago, si in heliotropio sculpta erit, gestanti potentiam dat resistendi dæmonibus *pag.* 245. Hominis imago cum dextrâ manu erecta ad cœlum, si in chalcedonio sit, virtutem habet vincendi civiles lites. Dei nomina in lapide dicto *ceraunia* sculpta, virtutem habent præservandi loca, in quibus hæc imago est, à tempestatibus, & potentiam victoriamque dandi gestantibus contra inimicos suos *pag.* 246. Hæc & similia excerpit ex Ragaele. Quibus subjicit longè plura & absurdiora sigilla & imagines ex Chaële, Hermete, Thetele à *pag.* 244-260. Et ne quid desit, sculpturas Salomonis *pag.* 260-278. Inter ea emicat, imago galli aut trium puellarum si in achate reperiatur, hominem gra-
„ tiosum apud Deum & homines reddit *p.* 262. Has imagines priscorum
„ sapientum se eam potissimum ob causam enumerasse dicit, ut planum
„ fiat, ex magicæ philosophiæ, hoc est, veræ & naturalis magiæ, non goë-
„ tiæ & necromantiæ quasdam esse exstructas, quamvis certum est su-
„ perstitionem in multis per abusum irrepsisse *p.* 278. & paulò pòst asserit rationi atque experientiæ consentaneum esse, si flaminis aureis aut argenteis, rotundis aut quadratis, aut triangularibus, certæ planetarum signaturæ & characteres ad certos cœli positus & configurationes seu con-

„ ſtellationes inſculpantur, pro cujuſcunque planetæ favore (nota) atq;
„ influxu conciliando; imprimi, recipi, atque retineri in ejuſmodi figuris
„ & ſimulacris certâ ſpecie imaginibuſq; inſignitis, planetarum influxum
„ *pag.* 279. Poſtea rurſum inculcat, cur & unde annuli & imagines, & figuræ in metallo vel lapide ſculptæ *creditas vires habeant, & quod hoc divinæ & magicæ, hoc eſt, diviniori cuidam & ſublimiori cauſæ, quam non inconvenienter ſpiritale vehiculum & vinculum quidam appellitarunt, aſſignandum ſit. Hoc* enim *mediante corpus & anima ſubſtantiæ invicem diſtantes copulantur invicem, hâc magnes trahit ferrum, cichoriumque motum ſolis inſequitur* pag. 284. 285. Ex plus quàm ſexcentis illis ſigillis, imaginibus, ſculpturis taliſmanicis concludendo concludit naturalem vim & effectum unguenti armarii. Si hæc probatio ſuperſtitionem non ſapit, fateor me cum omnibus theologis hactenus ignorare, quid ſit ſuperſtitio. Sed perpetuò obtenditur ab autore, aliiſquè eandem aut ſimiles artes excuſantibus, vis tractiva magnetis, & vis imaginationis humanæ. Repono ego, quæ conſequentia ad naturalem (uti contenditur) vim tribuendam figuris, & ſculpturis talismanicis non tantum in corpora, ſed etiam in mentes & voluntatem hominum, quin & (abſit blaſphemia!) ipſius Dei? quid reverentia & devotio ad naturalem effectum? quid figura & materia laminæ, quid characteres & imagines cœleſtium corporum ſub tali aut tali conſtellatione, arbitrio & arte hominum elementaribus inſculptæ facient ad colligationem & mutuam ſympathiam utrorumquè corporum naturaliter inducendam, & vires ſuperiorum in inferiora derivandas, idque ductu ſpiritus mundi? Cujus avis indicio conſtant ipſis τὰ λίαν μεγάλα αἰτήματα, quæ hîc ſumunt? Quis quæſo unquam effectus diabolicę magiæ fingi poterit, qui non eâdem facilitate purgari poſſet, per allegatum ſimile tractus magnetici, aut heliotropii, aut influxus lunaris in aquas, aut imaginationis in fœmina prægnante, aut cruentationis cadaverum ad præſentiam homicidæ. In *hiſtoriâ* celebris magi *Chriſtophori VVagenaer* à pio quodam Viro germanicè deſcriptâ, & in noſtram dialectum translatâ legi aliquando (ſi benè memini, nam jam circiter 57 aut 58 ſunt anni) reſponſum ejuſdem Chriſtophori datum miranti Paracelſo, qui fortè eâdem cum ipſo navi vehebatur, cauſam curſus navis per tractionem ſimii ſui (is erat Diabolus, quem ſub formâ ſimii circumducebat) proræ navis prælligati, eſſe talem, qualis eſt magnetis trahentis ferrum. Eadem hîc connexio, eademquè ſtraminea conſequentia, immò minus ſtraminea, de ſympathetică tractione inter ſimium & inter ligna ſeu arbores ex quibus navis fabricata, dirigente ac vehente ſpiritu mundi; quam de ſympathetică tractione inter unguentum & cœleſtis alicujus corporis occultam

quali-

qualitatem, ejusquè deductionem à delibuto atque obligato telo ad vulneratum absentem. Ut jam non dicam minus nugatorium & fanaticum esse, si quis dicat ab animali aliquo per occultam qualitatem ligna navis certæ alicujus formæ, ac figuræ, trahi, aut corpus hominum per amuleta & periapta contra tela quævis muniri; quàm animos hominum aut dæmonas trahi, flecti, duci, quò quis velit, per characteres & imagines, sive cœlestium sive elementarium corporum in metallo aut lapide talis aut talis figuræ sub certâ aliqua constellatione inscriptas aut insculptas. Atqui talia probat, & certatim allegat *Goclenius* quamplurima tanquam purè naturalia, & sic malam causam, pessimè defendit. De vanitate & indirectà amuletorum, & imaginum, characterum, verborum seu carminum & incantationum magiâ, suprà & *in disp. de Superstitione* actum est: & conferri possunt autores illic citati. Quibus adde *Vossium lib. 1. de Idololatriâ, cap. 8.* ubi in transitu respondet objectionibus, quæ pro verbis, characteribus, & imaginatione afferuntur. Quod ad cruentationem cadaverum, eam docemus esse vanam, aut saltem incertam, infrà in *disp. de Abusu sortis.* Sed compendium disputationis fiet, si adversarii punctim & strictè argumentari cogantur: ita primi argumenti alterutrâ aut utrâq; præmissâ negatâ, deprehendes eos ἐνθυμήματα sua non nisi ex propriâ affirmatione defendere; quæ tam facilè cum ratione rejici possunt, ac illi sine ratione eadem venditant. III. *Quæst.* An scopelismus ad magiam referri debeat? *Resp.* De scopelismo agunt Jureconsulti ad *L. saccularii 7. §. sunt quædam D. de extraord. crimin.* Erat crimen hoc in Arabia frequentatum, in eo consistebat, quòd quis lapides σκοπίλους poneret in prædio inimici sui, indicio futuros, quòd si quis eum agrum coluisset, insidiis eorum, qui lapides illos posuissent, mala morte periturus esset: quo factum, ut nemo ad illum agrum accedere auderet, metu crudelitatis eorum, qui scopelismum fecerant. *Ioh. Pinedain comment. ad Iobi cap. 5. v. 23. Quia cum lapidibus agri pactum tibi*, putat scopelismum respici. Sed simplex sensus & scopus illorum verborum percipitur ex verbis sequentibus *& bestia &c.* coll. cum *Ps. 91. v. 12. Hos. 2. v. 18. Iesa. 11. v. 12.* ut offensio pedis ad lapidem synechdochicè notet quodlibet vel minimum periculum aut damnum, quod quis incurrit. Ut ergo ad quæstionem respondeam, nihil huic maleficio magicum aut superstitiosum subesse videtur: cum comminatio & intentatio mortis tantum lapidibus illic positis tanquam arbitrario signo significaretur; fortè etiam certum genus intentati homicidii, lapidatio scil. Opinetur fortè quis, per lapidum positionem, tanquam signum & ritum magicum voluisse autores ejus maleficium magicum minari, & per illud mortem aut malefici ac chronici morbi excarnifica-

ficationem inducere. Sed quia de hoc in antiquitatibus nihil proditum reperitur, saltem mihi in præsentiarum de eo nihil constat, non video certi quid affirmari posse. Interim notum est pro arbitrio diaboli, aut vanorum hominum, comportationem lapidum in acervum, aut eorum erectionem, aliumve quem usum adhibitum, vanitati & superstitioni inserviisse.

Accedimus ad problemata magis historica. 1. *probl.* An prima origo magiæ (à quo scil., ubi, quando &c. primùm orta) definitè ostendi possit? *Resp. Neg.* posse magis quàm cujusque idololatrię, superstitionis, apostasiæ seu transitus à vero Dei cultu ad Gentilismum. Ut frustra sint scriptores de rerum inventoribus, inter eos *Polydorus Virgil. lib.* 1. *capp.* 22. 23. qui cum *Plinio* & *Iustino* Zoroastrem, cum *Laertio* Persas primos autores facit. Sed rectius *Eusebius* & *Lactantius* ab illo *cap.* 22. citati dixerunt, hanc malos dæmonas simul cum aliis artibus inveniisse. Quo ipso haut obscurè innuunt, primum inter homines inventorem non posse designari, nec etiam quærendum esse. Hoc saltem in genere affirmari potest, cum idololatriâ quasi eodem ovo prognatam esse. Ad hæc, ut homines ex Asiâ post exscensum ex arcâ Noachi in alias orbis partes propagati sunt, sic & cujuslibet vitii consuetudinem, & nominatim superstitionis, idololatriæ, magiæ, apostasiæ seu Gentilismi. Inter Asiaticos in Persiâ, Syriâ, Babylonia quasi sedem hujus nefariæ artis fixam, & scholam apertam fuisse; eò Græcos tanquam ad mercatum profectos fuisse, & rivulos ex illo fonte in Græciam derivâsse. De quo *Plinius lib.* „ 30. & ex eo *Polydorus*: Pythagoram, Empedoclem, Democritum, „ Platonem ad hanc discendam navigâsse, hanc reversos prædicâsse, & in „ arcanis habuisse. Supra notavimus, quomodo Platonica philosophia occasionem dederit magiæ, & non pauci Philosophi Platonici partim magica promoverint sive scientes sive insciі, partim excoluerint. A vicinis Asiaticis, Cananæis, Syris, Chaldæis, Ammonitis, Moabitis &c. ad Israëlitas manâsse constat ex scripturâ *Levitic.* 18. & 20. 2. *Reg.* 17. *Daniel.* 2. *Ierem.* 10. Vide eruditum tractatum *Seldeni de Diis Syris.* De successione & propagatione magiæ in apostatico Judaismo, ex libris ipsorum & quotidianâ praxi multa colligi possent: nisi temporis compendio studendum esset. Unum non est prætereundum, non nisi magnâ cum cautione & delectu medicis Judæis utendum, tum propter odium & hostilitatem eorum contra vitam & sanitatem Christianorum (de quo in *disp. de Iudaismo*), tum etiam propter non vanam magicæ & superstitiosæ medicinæ suspicionem. Olim *Chrysostomus homil.* 6. *c.* Judæos graviter & fusè incessebat, tum Judęos non sine superstitionibus medi-

can-

cantes, tum Christianos operâ eorum utentes. Dignus omninò locus, qui legatur ad judicium de participatâ magiâ, idololatriâ, superstitione, rectiùs formandum: contra laxos & perversè moderatos, qui hęc & similia nomine præcisitatis exsibilant, & tepidorum aut carnalium axillis pulvillos consuunt. De magia inter Gentiles antiqui & novi orbis dominante & inter Muhammetistas, quin & inter ipsos Christianos unà cum hæresibus & idololatriis erumpente ex topographis, & historicis, obvium cuique cognoscere. Unum tamen hîc præterire nolo, de magiâ Papatus: de qua sit. II. *probl.* An Papatui aliquâ ratione impingi possit magia? *Resp. Aff. primò*, quia Papatui quâ talis publicâ autoritate & lege exercet, ac tradit magiam indirectam & directam. *Deinde*, quia in Papatu aliqua successivè scripta & acta sunt directè aut indirectè magica, absque publica censura aut coërcitione: quæ ideò non immeritò Papatui imputamus. *Prius* membrum probavimus antehac in *Desper. causâ Papatus lib.* 1. *sect.* 4. ex arte exorcistica, & exorcismis, variisquè verborum formulis, ceremoniis & sacramentalibus; quibus vis & efficacia tribuitur, quam nec per naturam, nec per miraculosam Dei potentiam habent. Jam verò quæcunque alterutrâ potentia destituta sunt, ad vanam observantiam, superstitionem & magiam indirectam seu interpretativam ab omnibus Scholasticis, Casuistis, & Scriptoribus de magiâ relegantur. *Posterius* membrum probatur ex scriptis magicis antehac in Papatu impunè editis, quorum præcipua ex *Agrippa* & *Mart. Delrio* suprà indicavi: quibus addenda sunt *scripta* ipsius *Agrippæ*, inter quæ emicat *tract. de occulta philosophia*, & *scripta Iohannis Taithemii*, adhæc *Petri de Abano elementa magica*, Coloniæ apud Joh. Birckmannum unà cum *Trithemii tractat. de septem intelligentiis*, & *Agrippâ de ceremoniis magicis anno* 1567. in 8. excusa. Adde magiam publicè in scholis traditam (de quo suprà); Ensalmadores in Hispania ab Ecclesia (Romana scil.) hactenus toleratos, & à *Navarro* ac *Victoriâ* defensos, aut excusatos, (de quo suprà, & apud *Zuvaresium lib.* 2. *de superstitione cap.* 15. *§.* 25.); Et articulos in Papatu determinatos à Parisiensibus anno 1398. contra quasdam superstitiones noviter exortas; Axiomata illa partim magica, partim magiæ ancillantia conqueruntur in præfat. *plus solito in Galliâ tunc invaluisse.* Articuli illi in antiquis editionibus Lombardi ad finem exhiberi solent; eosdemque prœmittit *Bodinus* suę *dæmonomaniæ*. De Demetrio Spartano mago Romæ sub Hadriano VI. ferocem taurum impunè & publicè per magica incantamenta cicurante & sacrificante ad tollendam pestem tunc grassantem, vide *Iovium histor. lib.* 21. Habet etiam quid *Nierenbergius in histor. naturali pag.* 397. edit. in fol. *de tauro*

S. Mar-

S. Marci. Nec prætereundi familiares dæmones, quorum παιδόφιλαι in Italia nimis familiariter non tantùm possident, sed & publicè profitentur; eorumquè operâ utuntur. Vide, quę suprà ex *Cardano*, *& historia ecclesiar. Slavonicar.* de iis notamus: & quæ Peucerus in *lib. de divinationib. pag.* 14. edit. poster. in 8. ubi de psaltria Bononiensi. Inter Pontifices Romanos impunè magiam exercuerunt Sylvester 2. Benedictus 9. Gregorius 7. aliiquè. De quibus vide *vitas Pontificum*, *historias temporum Mysterium Plessei cum defensione Riveti contra Couffetellum.* Cum autem tales fuerint Papæ, quales putabimus fuisse Cardinales, Episcopos, sacerdotes, juxta regulam nobis prę formatam à *Baronio ad ann.* 912. §. 7. Vide quæso *De Rog. Bacon, Alberto Magno, Trithemio*, si dubitare, nec propriis suis scriptoribus stare velint, transeat hâc vice. *Marsilium Ficinum*, (quamvis Clericum & religiosum) omnesquè ferè Platonicos magos fuisse vel magiæ faviſſe, ait *Lessius lib. 2. de justit. & jure cap. 44. dub.* 2. idquè patere ex *libro de vita cœlitus comparanda.* Eum tamen excusat *Laurent. Pignorius philologus epistol.* 29. Saltem non video à quoquam in dubium vocari testimonium domesticum de sacerdote mago apud *Henricum Montacutum de Mimica dæmonis in præfat.* Nec de monacho illo magni cujusdam principis mago, puerum decennem in usum magicum decapitante, apud *Bodinum supra cit.* Nec de publicis scholis magicis Salamancæ à Carolo V. primum clausis, apud *Tholosanum lib. 34. syntagm. cap. 21. §. 10.* Nec de clericis illis magiam exercentibus apud *Marchinum part. 10. belli divini pag. 44.* edit. in fol. Nec de grassante sæculo 10. magia, cum *ut populus sic* esset *sacerdos*, ut loquitur *scriptor fasciculi temporum*: qui *idem pag. 72.* meminit Palumbi presbyteri necromantici. *Michael Montagne lib. 3. des Essais cap. 11.* refert quendam principem habuisse in terris suis magiam ex professo exercentes & 10. aut 12. ex iis ad se vocasse, ut dictum *Montagne*, ad melancolica deliria omnes magicas artes relegantem, convinceret. Accedant illi magi, qui hoc sedulò agebant, ut persuaderent nullam esse diabolicam magiam; qualis fuit celebris suo tempore concionator Wilhelmus de Lure anno 1453. deprehensus & condemnatus, qui juratus Diaboli legatus sedulò hanc opinionem concionibus suis inculcabat, teste *Bodino in præfat. ad dæmonomaniam.* Non annumerabo hîc clericos magos, tandem publicè punitos; qualis Philibertus Lerneau parochus in Brasè anno 1624. à suprema curia Diensi condemnatus; nec sacerdotem Stabulensem, Magdalenam de la Cruz, prædicatores Bernenses anno 1507. Delrio memoratos; Nec tot magos punitos in Galliâ, inter quos anno 1453. Wilhelmus Edelinus Doctor Sorbonicus, apud *Bodinum lib. 2. p. 138.* imprimis a.

1577.

1577. cùm Galliam passim replerent, apud *Tholosanum lib.* 34. *cap.* 21. In Sabaudiâ, Italiâ, Germanię & Belgii partibus Papatui addictis, apud *Grillandum*, *Sprenger*, aliosque *Iuristas & Theologos*, criminis istius judices. Basilii monachi Benedictini defensionem opliatriæ, suprà audivimus à *Goclenio* pro suâ causa Jesuitæ Roberto objectam: librum ipsum hactenus non vidi; hîc tamen iteratò indico, ut alii inquirant. De periculosis scriptis Franc. Georgii Minoritæ, Gaffarelli sacerdotis Galli, Campanellę monachi Dominicani, deque curiosis quæstionibus dæmoni à Jesuita Cottono propositis, alibi monuimus. Vide *despcr. causam Papatus lib.* 1. *sect.* 4. & infra *disp. de Exorcismo*, *& in* 1. *part. dispp. de Spectris & Energumenis.* Ex nostris si quem audire velis, en tibi *Peucerum* „ *de divinat. tit. de magiâ p.* 297. 298. Nec verò soli Ethnici dæmones in„volutos mortuorum umbris consuluerunt, quos, cùm nescirent Deum, „ minùs mirum est, varios exquirendæ Voluntatis divinę, placandorum„que numinum, & explorandorum futurorum modos excogitasse. Sed „ & in populum Dei ille furor pervasit, ut de Saule legimus, & usque ad „ hæc nostra tempora, in eo perduravit cœtu, qui nomen sibi & titulum „ sanctæ ecclesiæ vindicavit. Usitatissimam fuisse superioribus annis „ consuetudinem accersendorum & interrogandorum manium, majo„res nôrunt, & de illâ re peculiaria & magna volumina conscripta, ea„demque in quibusdam scholis publicè proposita, multi meminerunt. *David Chytræus in Saxonia part.* 1. *lib.* 1. refert, cùm Lutherus post proscriptionem in arce Vartburgensi occultissimè à Johanne Friderico duce Saxoniæ servaretur, de loco seu latibulo ejus consultos à Pontificiis fuisse magos, sed eos non potuisse divinare. *Richardus Cracanthorp in eruditiss. defensione ecclesiæ Anglicanæ contra Marcum Antonium de dominis archiepisc. Spalatensem cap.* 75. Papatui in genere magiam impingit, in usu aquæ benedictæ, crucis, agni cerei, olei, salis, &c. Et nonnulli ex nostris *commentatoribus in Apocal.* 9. *v.* 21. *Pareus*, *Brightmannus*, cum *notis belgicis*, *anglicis*, *Francisci Iunii*, *Deodati*, *Osiandri.* Inter eos Breghtmannus ait, *Romam veneficiorum esse officinam.* Pareus, *magicas artes nonne Papatui omnes debemus? Nam in euangelicis ecclesiis diaboli & magorum impostura jam pridem profligatæ exulant.* III. *Quæst.* An Papatus se excusare potest à magiâ, excipiendo, 1. *except.* non per modum deprecationis, sed per modum imperii à diabolo quid discunt exorcistæ, & majoris dæmonis seu præfecti operâ utuntur ad expellendos dæmones ipsi subjectos? *Resp.* 1. Idem possent dicere magi, qui prætendunt se ligare, & constringere dæmonas ad loca, personas, actiones, tempora; breviter ad omnia ipsorum imperata facienda. Et distinguit *Agrippa* exsertè *lib.* 4.

inter ligationem seu vinculorum usum per modum conjurationis, ab eo qui est per modum deprecationis : & communiter adhiberi priorem; sæpe tamen etiam posteriorem. 2. Quidquid excusent, manent tamen pactum occultum, & magia indirecta, cum characteres e.gr. græcum ☩ in benedictione aquæ (Vide *Rituale seu pastorale Romanum*) &, alphabetum græcum in dedicatione templi pulveri pavimenti inscribendum; aut cum certa verba, etiam ignota, ut *epphata*, aliasque res adhibent, quæ nec naturaliter nec miraculosè talem aliquem effectum producere possunt. *Consequens ergo est, quod non adhibeantur ad hos effectus causandos tanquam causæ, sed solum quasi signa, & sic pertinent ad pacta significationum cum dæmonibus inita*; sunt verba Thomæ 22.qu.96.artic.2. Et talia August. lib.2.de doctr. Christ.cap.20. *vocat molimina magicarum artium.* Confer quæ supra de διαγνώσει effectus magici à naturali attulimus. Quomodo ergo distinguent inter Cottonum adjurantem, aut conjurantem, seu per adjurationem diabolo imperantem, ut doceat de vitâ Regis, de Genevâ plagiariâ, de locis scripturę quibus probetur purgatorium &c. (vide reliquas quæstiones & totam rei gestæ historiam apud *Thuanum tom.* 4.); & inter magum eadem aut similia adjurando imperantem? 2. *Except.* Sunt verba sacra ex scripturis desumta, & Deum aut Christum denotantia. *Resp.* Eadem adhibere solent magi: ut notum est, & discere hoc possunt Pontificii ex sui *Petri de Abano elementis magicis*; ubi etiam occurrunt benedictiones fumigiorum, exorcismi ignis. *Agrippa* ipsorum *lib.*4.*de ceremoniis magicis*, (Coloniæ a° 1567.) pentacula magica dicit constare ex characteribus & nominibus bonorum spirituum superioris ordinis, vel ex sacris picturis sacrarum literarum seu revelationum: *versiculis adaptatis*, vel ex figuris geometricis, *sacrisque Dei nominibus* &c. Contra magorum Ephesia verba cum disputant Pontificii, meminerint se unà cedere propria vineta. 3. *Except.* Certus numerus qui in ceremoniis missaticis, exorcisticis, consecrotariis, aliisque observatur, est mysticus & sacer; non magicus? e.gr. ternarius, septenarius &c. *Resp.* Hoc quidem dicitur ab ipsis, & ex professo docetur à *Petro Bungo* in ipsso volumine *de mysteriis numerorum*: Sed minimè probatur. Idem dicunt Cabalistæ, magi, circulatores. Quando ergo eos refutant, quomodo se eximent, & sua à magicis discriminabunt? 4. *Except.* Figuræ solum sacræ in mysteriis Papalibus adhibentur, e.gr. crucis, à magis vero non sacræ *Resp.* 1. Falsum est solamen crucis figuram adhiberi: nam græcum ☩ & characteres alphabeti græci non sunt figura crucis. Saltem *Toletus lib.* 4. *instruct. sacerdot. cap.* 14. se & universum Papatum tanquam ἀντιχριστιανισμὸν in lutum magię indirectæ præcipitat, cum pronuntiat omnes figuras exceptâ cruce adhibitas, su-

per

perstitionem & magiam implicare. *Resp.* 2. Crucis immissæ figura non magis est sacra aut mystica, nec majorem contra diabolos, omniaque alia mala habet efficaciam, quam crucis commissæ, aut acutæ, aut cujuscunque alterius figuræ, ut circuli, trianguli, quadranguli, pentaculi, hexagoni &c. De quo infrà *tit. de Staurolatriâ &c. Resp.* 3. Quidquid sit aut non sit de cruce; eandem adhibent magi in suis incantamentis, conjurationibus, operationibus magicis: uti eos docebunt ipsorum *Agrippa & Petrus de Abano.* 5. *Except.* In exorcismis missis, aliisque mysteriis suis, adhibet ecclesia aut cereos consecratos, aut suffimigia, aut etiam herbas quasdam (vide *Gavanti thesaurum sacrorum rituum tom. 1. ad rubricas missalis*, & *Pyrgopolinicen exorcistam Mengum in flagello & fuste dæmonum*): hæc omnia sunt sacramentalia, seu ritus sacri, non verò magici? *Resp.* Nulla distinctio specifica aut formalis assignari potest inter sacra magica & Papistica: uti ex collatione mutua rituum & simplicium utraque mysteria ingredientium, ad oculum cuivis patebit. 6. *Except.* Papatus adhibet orationes, sive dominicam, sive salutationem angelicam, sive quam aliam; quę non sunt incantamenta magica. *Resp.* Eadem ad sua amuleta conficienda adhibent Magi aut superstitiosi: uti notum ex fabricâ amuletorum. Videant hoc Pontificii in suo Petro de Abano, ubi de exorcismo spirituum aëreorum, ubi suo *exorcizamus & viriliter imperamus*, addit, *orationem ad Deum, quæ dici debet in quatuor partibus mundi &c.* Hos tam devotè scil. orantes, consecrantes, exorcizantes, aliosque amuletorum & periaptorum fabricatores, cum arguunt, evenit ipsis, quod ait Apostolus *Rom.* 2. *In quo enim judicas alium, te ipsum condemnas.* 7. *Except.* Non intenditur hic quid magicum aut diabolicum, nec etiam maleficium? *Resp.* Idem dicent magi: & constat peccantes vanâ observantiâ, aut magiâ interpretativâ, minimè intendere conspirationem cum diabolo, aut cultum aut auxilium ejusdem: quos tamen à culpâ non eximunt Pontificii. Quâ ratione ergo seipsos eximent, cum eadem faciant *Rom.* 2. Quod ad maleficia non intentata, reponimus, nec magiam albam, seu bonam (uti vocant) ea intentare; quæ tamen non desinit esse magia. De quo infra. 8. *Except.* Rectè adhibentur ista ad tales effectus supernaturales: quia exemplis multis constat, per aquam benedictam, oleum & similia pulsos dæmonas, & morbos sanatos esse. Sic *Bellarminus lib. 3. de cultu sanctorum cap. 7. Resp.* Longè plura exempla amuletorum, incantationum, & effectuum magicorum adferuntur. Successus & experientia ostentantur pro opliatriâ, ut supra dictum est; pro superstitiosâ ejectione dęmonum (apud *Flavium Iosephum lib. 8. antiquit. cap. 2.*); pro sistendo morbi incremento apud *Trallianum lib. 9. cap. 4.* ubi & Galeni

experientiam allegat pro efficaciâ incantationum in tollendis morbis; pro sanando morbo caduco per tres versus laboranti in aurem insusurratos, *Gaspar fert aurum &c.* apud *Gordonium in lilio medicinæ part. 2. cap. 25.* pro robore & victoriâ in luctâ, per literas Ephesias, apud *Suidam in voce Ἐφέσια γράμματα.* Sed infinitum hoc transiri non potest. Unum solummodo Pontificiis ex *Iovii lib. 21. histor.* hîc apponam. Exorta est in urbe „ pestilentiæ lues: quæ quum severis legibus more nostro Pontifici (*Hadriano VI.*) minimè coërcenda videretur, contactu ægrorum ita exarsit, ut multa funera in compitis viserentur, appareretque vastari „ urbem, haut multo dierum spatio, nisi Græculus quidam nomine Demetrius Spartanus, sedandæ pestilentiæ, favente ei turbâ hominum, negotium suscepisset, nemine superstitionem vetare auso. Nam ferum „ taurum, cui dimidium cornu dissecârat, magico carmine dextram in „ aurem prolato, repente ita mansuefactum reddiderat, ut injecto tenui „ filo ad integrum cornu, quò vellet perducens, pestilentiæ placando „ numini ad amphiteatrum immolasset. Nec credulę multitudinis spem „ ex toto fefellit (nota), cum ab eâ inanis sacrificii prosperâ litatione, „ mitescere morbus cœpisset. An non hîc exclamare liceat cum Poëta: *Nam Romæ quis non?* (immo, *quid non?*) *ah si fas dicere; sed fas.* Et cum Espencæo: *habeat nunc Roma pudorem.* Et cum Bapt. Mantuano: *Omnia cum liceant, non licet esse pium.* Atque hæc de magię & superstitionis Papalis effectis & exemplis dicta sint. Videant Pontificii proprios *commentatores ad Deuter. 13. v. 2. & 2 Thessal. 2. v. 9.* & inde sibi respondeant. 9. *Except.* quæ recentioribus contra magicas superstitiones zelotis ferè unica est, & quasi sacra anchora: Sola illa inter characteres, figuras, numeros, ritus, &c. quæ & quia ecclesia approbavit, à vanâ observantiâ & magiâ absolvuntur; ita ut ecclesiæ approbatio explicita aut implicita, immo & permissio seu tolerantia immunitatem hîc præstet. *Resp.* Per ecclesiam hic intelligitur episcopus in diœcesi suâ, & Papa in toto orbe Romano: uti in *Desper. causâ Papatus* antagonistæ meo præ pudore & desperatione hic prævaricanti, ante annos 27. abunde probavi; & res ipsa clamat. Sed sciant, talem exceptionem cum nobis opponitur, esse meram principii petitionem. Nos cum verâ apostolicâ & catholicâ Christi ecclesiâ negamus, ecclesiæ Romanæ, hoc est, Papæ competere supremam atque infallibilem fidei, pietatis, & ecclesiæ Christianæ, immo & totius orbis monarchiam. Negamus Papam ex peccato quodammodo *posse facere non peccatum*, ut loquitur Bellarminus contra Gul. Barclaium: hoc est, ex superstitione & magiâ, religionem ac pietatem. Sed omnibus illis nunc missis, probent solummodo episcopo aut Papæ, aut œcumenico Papalis

Ec-

cleſiæ concilio ſive confirmato per Papam, ſive non confirmato, divinitus non tantùm conceſſa ejuſmodi charifmata per ejuſmodi characteres, figuras, ceremonias, &c. qualibus Ethnici & magi in ſuis operationibus utuntur, ſupernaturaliter tales effectus producendi; ſed inſuper conceſſam iis poteſtatem, ejuſmodi charifmata ſeu dona extraordinaria exorciſtis & ſacerdotibus, & epiſcopis ſuis ordinariò ac perpetuò conferendi, per quæ toties quoties ſupernaturales effectus edant, ſpecialiter in exorciſmis, benedictionibus &c. Ita ut religionis ſit, non magiæ aut ſuperſtitionis, quando illi talia operantur aut operari intendunt. Inſuper probent hoc Exorciſtis per Papam aut epiſcopum divinitus mandatum, ut dæmonas interrogent & adhibitis adjurationibus, exprobrationibus, virgarum plagis, herbis, fumis, verbis, figuris per modum imperii compellant egredi, & inferiores dæmonas ſecum abducere, iiſque imperare, ut exeant: imprimis ad omnia ea revelanda, quæ ad ſpirituale & temporale bonum obſeſſi faciant, immo & in genere ad ædificationem proximi; quales ſcil. quæſtiones Cottoni ſuprà memoratæ. *Denique*; probent hoc privilegium Papę aut eccleſiæ à Papâ informatæ divinitus conceſſum, ut quæſtione de dæmonibus habitâ, nunquam illi mendacium aliquod prolaturi ſint, ſed omne verum ſecundum noſſe & poſſe ipſorum (ita loquar), ſemper dicturi. Hæc ubi probaverint, liberabunt ſe ab objectis antehac in *Deſper. cauſa Papatus lib.* 1. *ſect.* 4. *& lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 10. *&* 23. ubi ago de Lutheri magiſtro & Zvvinglii ſomnio. Ad quæ hactenus nihil reſponſum. Concludimus ergo, 1. *concl.* omnem uſum rerum, characterum, rituum, verborum & quidem ſacrorum, &c. ad effectus, qui viribus naturæ, aut artificii ſolertię, aut virtuti ſupernaturali in promiſſione Dei fundatæ, adſcribi nequeunt, implicare magiam. Et hæc communis ſententia tum noſtra, tum Pontificiorum, ut videre eſt in *Scholaſticis ad* 22. *qu.* 96. *art.* 2. & hodiernis *Caſuiſtis*, *ac ſcriptoribus de magiâ*, inter quos inſtar omnium ſit *Delrio lib.* 1. *cap.* 3. *qu.* 4. *& lib.* 3. *part.* 2. *qu.* 4. *ſect.* 8. Cui addo *Marchinum in tract. de peſte tit. bellum divinum in append. problematum philoſophic. probl.* 33. 2. *concl.* Itaque ab omnibus illis ſtudioſè cavendum: cùm Deus velit etiam à ſignis ſuſpicionem cauſantibus (ut loquuntur & monent *Iac. Sprenger* & *Henr. Inſtitoris* pravitatis magicæ inquiſitores in ſuo *Malleo malefic. part.* 2. *qu.* 2. *cap.* 7.), & ab omnibus quæ occaſionem poſſint præbere ad idololatriam, abſtineri. 3. *concl.* Cùm autem Papatus uſum characterum ac figurarum, & verborum ſive ſacrorum ſive non ſacrorum, & rituum in hoc caſu adhibeat; uti ſuprà, & in *Deſper. cauſâ Papat. lib.* 1. *ſect.* 4. *in tractatulo de peſte cap.* 5. *in diſpp. de Superſtitione, de Idololatriâ indirectâ, de Sacramentalibus, de Exorciſmo &c.* ſatis ſuperque à nobis

bis probatum est: merito magiæ & superstitionis arguitur. 4. *concl.* Nec potest excusari, aut per aliquam ex positis exceptionibus; ut jàm ostendimus: aut per meliorem sensum & praxin quorundam in Papatu, qui exorcisticam aliasque superstitiones paulò magis circumscribunt: aut etiam per sanius judicium aliquorum: Quando *Marchinus loc. cit.* ut e.gr. horrendum illud carmen contra pestem, constans characteribus annulo insculptis, quatuor rationibus satis doctè oppugnat, & alicubi usum eorum prohibent: cum alii tamen & alibi usum eorum probent & adhibeant; quomodo anno 1630. amuletum illud diffusum per totam Italiam, *ad sinistrum brachium* publiceque editum, *ab omnibus verè Christi fidelibus* (sunt verba Marchini) *nec non à viris religiosis. monialibus, ac prælatis velut salutare antidotum cœlitus revelatum deferebatur.* Et postea idem à multis sapientissimis theologis approbatum, ut innuit *ibid. pag.* 42. Constat illud 25. characteribus, qui per cabalam dictam *notarikon* integram sententiam, aut plures sententias conjunctas designant. Additur precatiuncula ad Christum: cui subjiciuntur *verba Zachariæ* (sic habet amuletum), quæ sic incipiunt. *Maledicti, excommunicati, blasphemi dæmones in virtute verborum istorum, Messiasi Emanuel, Sabhaot, Athanaios, Hyschisos, Eleyson, Thetagramaton, vos constringimus, vos privamus, vos expellimus, ex istâ civitate & ex hominibus ejus, & præcipimus nobis, ut non audeatis per pestem nocere corporibus habitantium in ea. Ite ite maledicti in stagnum ignis &c.* Hæc barbara ἐφέσια γράμματα de literâ ad literam ex Marchino, pag. 43. ita descripsi. Sed omittere non possum quin Marchini tam feliciter (nescio an ex curiositate, aut ambitione & alio fastu, aut ex invidiâ, aut particulari contentione) amuletum illud magicum proculcantis, ἀκριβίαν hic notem: quâ probat exorcismum anno 1630. à Frider. Borromeo Cardin. & achiep. Mediolanensi inventum & superiori aliisque similibus profligatis substitutum. *Novam hanc sed plane catholicam ac valde piam exorcismorum rationem pro tempore pestis &c. ad posterorum memoriam atque ad publicam utilitatem subjicere* ipsi *visum est.* pag. 47.

I. N. ✠ R. I. *Qui verbum caro factum est &c. conterat omnem potestatem inimicorum nostrorum visibilium & invisibilium ille ab hâc domo & habitantibus in eâ expellat omnem diaboli nequitiam &c. ipsamque purificet, benedicat, & sanctificet. Ecce crucem ✠ Christi fugite partes adversæ. vicit leo de tribu Iuda radix David. Agios ✠ Otheos ✠ Agios ✠ Yschyrios ✠ Agios Athaneos ✠ Eleyson Ymas ✠ Kyrie eleyson, Christe eleyson. Kyrie eleyson. Conjuro, exorcizo vos spiritus malignos per patrem, filium &c.* Judicent ipsi Pontificii cur hæc ephesia grammata, quæ & quousque à me de literâ ad literam descripta sunt ex Marchino, sint minus barbara, superstiti-

stitiosa, magica, quam superiora illa à Cardinale Borromeo, & Marchino rejecta. Non excusat etiam Papatum, quod quidam inter quos *Fr. Torreblanca in epitome de apertâ vel occultâ dæmonum invocatione lib. 2. cap. 49. §. 45. & in appendice §. 12.* cum *Thomâ 22. qu. 96. art.* improbet usum euangelii Johannis, aut aliorum verborum sacrorum ad sanandum aut præservandum ; & regulam hanc multis ibidem probet applaudente Marchino pag. 44. *Quoties verba sacra ad alium finem ab aliquibus ordinantur & adhibentur, ad quem non fuerunt à Deo instituta, tunc signum est occulti cum dæmone pacti.* Rectè sane ; & ex hoc Papatum in cultu publico & extra eum multiplicis ac perpetuæ magię convictum dicimus. Ab alterâ parte tamen scripturæ sacræ & imaginum sacrarum usum libri exorcistici, aliique publici rituales & perpetua praxis probant, & *Bonacinam tom. 2. disp. 3. qu. 5. punct. 4.* eadem defendit, quamvis sub cautelis quibusdam, quarum quatuor magi dicent à se æquè ac à Papistis admittendas: & quarum unà exsertè contra communem doctrinam & praxin Papatus inseritur, *Tertio*, inquit Bonacina, *si non sint nomina ignota, vel alii characteres præter signum crucis*, Atqui tales figuras, & talia verba adhiberi, ex ritualibus libris ipsorum, & examuletis modo exhibitis nulli non constare potest. Sic etiam *Zvvarez tom. 1. de relig. lib. 2. de superstit. cap. 15. §. 27. & Zanchez lib. 2. in decalog. cap. 40. §. 44.* docent licitum esse usum piorum verborum ad morbos pellendos, per modum impetrationis. Denique nullum levamen Papatui, quod quis ex filiis ejus, *Malderus in 22. tract. 10. cap. 8. dub. 1. pag. 765. 6.* contra Agrippam statuit divisioni magiæ in explicitam & implicitam, nullam esse addendam tertiam, quæ dæmones sine invocatione compellit ad effectus magicos : *omnis enim*, inquit, *magia tacitam habet invocationem ; quamvis fieri possit, ut qui habet pactum cum superiore dæmone, per illum cogat dæmonem inferiorem, ut patet apud Augustinum lib. 10. de civit. Dei cap. 9.* Quamvis enim, si rem ipsam spectes, hâc determinatione elidatur distinctio supra *except. 1.* proposita, inter, per modum imperii & per modum precationis : quo *Cottonus* diabolici oraculi consultor & dæmonis discipulus confugiebat *in dialogis* suis contra *Bened. Turretinum pro suâ Genevâ plagiariâ*, cui *Turretinus* anno 1620. reposuit *Recheute du Iesuite plagiaire, ubi cap. 1. pag. 59. & seqq.* historiam facti, & crimen Cottoni peremtoriè detexit: quo lectorem ablego. Quamdiu ergo Papatus non desinit per modum imperii adhibitis herbis, virgis, fumo, aquâ benedictâ, verbis, aliis rebus consecratis, adhæc characteribus, dæmonum expulsionem tentare, absque divino mandato, promissione, & peculiari charismate ; insuper diabolum consulere, ex illo quærere ac discere Cottonianas curiositates ; & in genere quæ *Rituale* ex de-

creto Concil. Trident. jussu Pauli v. *reformatum pag.* 316.) ; præterea operâ superioris dæmonis uti ad ejectionem inferiorum; denique omnia illa non obstante contrariâ sententiâ *Thomæ* 22. *qu.* 96. *art.* 2. defendere ; non desinemus nos Papatum magię arguere. *IV. Quæst.* An aliquo colore Pontificii nostræ ecclesiæ in reconventionem quasi, & lege talionis, magiam exprobrare possint ? *Resp. Neg.* Signum est causæ desperatæ, & conscientiæ cauterizatæ sive excogitatis commentis, apertisque mendaciis, sive nequiter fabricatis calumniis, retaliare velle, & in adversarium retorquere ; ut illo quasi sepiæ atramento effuso, minus videant imprudentes lectores, te eo manifestè teneri, quod justè tibi impositum. Clamat hoc peccatum in cœlum, cum nomine justæ ac nudæ defensionis, aut moderaminis inculpatæ tutelæ insignitur, & mendacia ex propriâ affirmatione defenduntur, ac satis superque coram toto mundo probata jactantur ; cùm tantum dicta sint, & quibuscunque provocationibus scriptores urgeantur, nihil aliud nisi suas aut suorum mendaces affirmationes repetunt, & priores posterioribus, tanquam stylobatas substruunt. Hęc methodus Pontificiorum in retorquendis in nostras ecclesias criminibus, sciśmatis, hæresios, profanitatis, idololatrię, magiæ, rebellionis, tyrannidis &c. Ratio in promtu est, quia nos priores talibus telis Papatum & Papam oppugnavimus, & multis in locis depressimus : Ergo. Dolus an virtus quis in hoste requirat. Quasi tantundem faciant mendacium & veritas; & quasi Judæi, Gentiles, Muhammedistæ, Epicurei per moderamen inculpatę tutelæ fidem Christianam apostasiæ atque impietatis, aut fures ac latrones prętorem ipsos justè accusantem vicissim furti ac latrocinii in foro soli ac poli accusare possent. Sed dato, quem falsò accusatum in aliquo, an justa & legitima Christiani defensio fiet per hamaxas mendaciorum adversario, aut alteri alicui, quem tibi deligere ac illi substituere placuerit, ingestas ? Ut alia crimina in nos retorta nunc mittam (de quibus alibi), solummodò hic tribus verbis perstringo de magiâ. Jesuita Lorinus in commentar. ad 2. Petr. 2. v. 15. ait nostros, si non palam idem factitant quod Bileamus, *certè favere* magię, *media tollentes quibus coërcentur dæmones, & usum ac familiaritatem cum iis tanquam suis magistris gloriosè profitentes.* Ibidē subjicit dęmoniacas fabulas de Lutheri magistro & Zwinglii somnio; quas in *Desper. causâ Papatus lib.* 2. *sect.* 2. *c.* 10. 23. refutavimus. Addit de Carolostadio *communem esse opinionem.* Sed ubi & penes quos est communis opinio ? An penes Lojolitas, aut alios Antichristi satellites ? Quid si nos dicamus, communem opinionem esse non tantum penes nos, sed & penes multos Papistas, elogia illa quæ cecinit Academia Parisiensis cum supremâ curiâ, Jesuitis verè competere, an argumentum

hoc

hoc à communi opinione admittent? Et communis opinio est apud ecclesias omnes orientales, & occidentales quæ Papam non agnoscunt, eum esse apostatam, aut Antichristum. Nos de Carolostadio quid diximus in 2. *part. disp. tit. de Prophetiâ*. Per *genium* Calvini nõ ingenium, sed dæmonem quem paredrum intelligi posse aut debere, idiota linguæ latinæ imperitus si diceret, magis tolerandum esset. Quis usus sit vocis *genii*, & quòd vulgò notare solet animum, mentem, ingenium alicujus, aut illud quo maximè viget, polletque, ex *Lindebrogio ad Censorinum de die natali p.* 13. *Barthio in Rutilium p.* 123. 124. *Vossio lib.* 1. *de Idololatria cap.* 18. & *Naudeo cap.* 12. discendum est. Similem vocis hujus usum Pontificiis stylo latino loquentibus non infrequentem esse ajo. Ut Lipsianum illud, (*ignoscat mihi patriæ meæ genius*) præteream; unus *Delrio* non vulgaris antea philologus, postea factus theologus, in dedicator. disquisit. magicarum ad Electorem & archiepisc. Colonien sem anno 1599. *Certe, quod ab ingenio meo* (hæc mea scripta) *nequibunt id saltem à sapientis & docti principis felici genio consequentur*. An hinc colligẽt socii, Archiepiscopo illi fuisse Dæmonem familiarem? *Cornelius à Lapide in Actor.* 8. *v.* 8. recoquit rancidam fabulam de Lutheri familiari dæmone, & modio salis ex *libro de missâ angulari* laxonicè scripto (quem nunquam ipsi visum arbitror) & addit *ibidem*, à modernis hereticis magiam *laudari ac defendi*. Qui illi sint, & quibus scriptis hoc egerint non indicat: ne mendax ἐπαυτοφώρῳ deprehenderetur. Idem in 2. *Petr.* 2. *v.* 4. eandem fabulam de Luthero sed paululum auctam cum reliquis ex Lorino descriptis reponit. Sed pergit Lorinus: *Ex quo hæreses nostro ævo emerserunt, & ubi grassantur, constat plus magorum exstitisse, quam plurimis retrò sæculis. Lege Delrii proloquiũ in disquisitiones suas magicas*. Legimus, & invenimus eum in præmissâ epistolâ apologeticâ ad Inquisitionem generalem Romanam nihil aliud dicere; quàm *hæresin sortiariorum & strigimagorum totâ ferme Europâ deplorandis incrementis quotidie glisciere*: Quin & ibid. lineis mox sequentibus exsertè distinguere hostes suos hæreticos sortiarios & strigimagos, ab hostibus suis hæreticis Lutheranis & Calvinianis. *Ioh. Robertus* Jesuita *tract.* edidit (ut disco ex *Philippi Alegambe bibliothecâ*) tit. *metamorphosis magneticæ Calvino-Goclenianæ*. Cur nomen Calvini cum Goclenio copulatur? Millenæ ejusmodi copulationes reponi possent, nominis Papistici aut Jesuitici, cum nomine Ravellaci, Cottoni, Jacobi Clementis, Balthasaris Gerardi, Garneti, Winteri, Barcii, Gauterii, Pasmanni, &c. Sed hæc transeant. De incremento magiæ post inchoatam reformationem, quamvis historicè verum non est, uti ex *malleo maleficarum* aliisque scriptis ostendi posset: nam passim in Papatu, publicè tunc dominante & omnia occupante, tantum crimen a-

pud ipsos clericos habitum non fuit; & ad praxin ejus quippe tam familiarem, & tenebris ac crassæ istorum temporum idololatriæ tam consanguineam, magis connivebatur. Quod de illis partibus, ubi reformatio obtinet, effutit Lorinus, nimis crassum est mendacium, cujus arguere eum potest inter alias diœcesis Trevirensis, ut & acta Judicum in Regnis, politiis & territoriis Romanæ sedi adhærentibus. De Galliâ suâ, & quidem specialiter de illâ parte, unde nostra religio maxime exulat, hoc est, de tractu Tholosano ingenuè fatetur Tholosanus lib. 34. syntagm. cap. 21. §. 9. *Succedunt & detectis impostoris hæresium, illisque senescentibus statim magicæ artes* &c. Et §. 10. *Erubescerem certè hoc dicere, ni me exempla firmarent, quæ in oculis omnium in Galliâ sunt. Nam & Tholosæ hoc anno* 1577. *tot maleficæ & sortilegæ in senatu undique reæ peractæ sunt, ut omnium reorum, qui à duobus annis ante fuerunt, quorumcunque criminum numerum superarent, & maleficiorum cumulum vincerent, ferè plus quàm quadringentæ* &c.

Quin & Jesuita à Lapide ex Rescio de sectis, refert hoc sæculo esse sectam *diabolistarum, qui gloriantur se esse sortiarios, & diaboli charactere insignitos; quem ubi vino incaluere, nudatâ carne ostendere non verentur. Auditum est ex ipsorum confessione, quod numerus eorum usque ad sexaginta millia in Gallis excreverit.* Si vera scribere putarint, hos diabolistas Ecclesiæ Romanæ filios esse ignorare nequeunt, unà cum omnibus *deistis*, spiritibus fortibus, & Epicureismum illic profitentibus contra quos varii Pontificii scriptores & inter eos celebris *Marinus Mersennus* stylum strinxere; uti indicavrin *disp. de Atheismo.* Nostræ ecclesiæ in Galliâ filios & subditos non esse, ex eo constat; quod Pontificius clerus, curiæ episcopales & supremæ curiæ sæculares ipsorum nominibus, famæ, bonis, corporibus tam diu non pepercissent. Jam vero cum nulla alia religio & communio in Galliâ toleretur præter Romanam & nostram; & diabolistæ, deistæ, spiritus fortes, de quorum incremento in Galliâ conqueruntur, in nostrâ communione non sint, in Papali eos fuisse & esse necesse est. Ita ut nimis verum sit, quod ex *Pareo in Apocal. 9.* suprà citavimus. Et certè omni superstitione & idololatriâ (quæ dæmonum cultus 1 *Corinth.* 10. v. 20. profligatâ, non magis porta aperiri potest magiæ, quam per superstitiosissimum & idololatricum Papatum claudi. Sub regibus Francisco I. Henrico II. Francisco II. reformatis istius regni simile quid ab adversariis impositum, quod nocturnos seu antelucanos cœtus ad exemplum antiquæ ecclesiæ (apud *Iustinum Martyrem apolog. 2. ad Antoninum*) agere cogerentur: & hinc Turoni cœperunt appellari *Huguonots*, à spectro seu dæmone illic nocte grassante, quem vocabant regem *Hugon* seu *Huguet:* quasi reformati essent discipuli & sectatores hujus spiritus tenebra-

tenebrarum, quippe qui nocte ad sacra sua convenirent. Hanc etymologiam habet præter *Thuanum Historicum* celebris J.C. *Stephanus Paschasius in epistolis lib.* 4. Olim piis Albigensibus & Waldensibus idem objectum sub Alexandro 3. & Innocentio 3. unde factum ut in sermone gallico voce *Vaudoix* Waldensis nominaretur magus. Sed illorum innoxia vita ex testimoniis adversariorum asserta à nobis in *Desper. causâ Papatus*: ubi alios autores indicamus. Antiquis Christianis idem crimen impactum, uti constat ex *Origene contra Celsum lib.* 6. *p.* 305. 306. & *lib.* 8. *p.* 425. edit. lat. gr. *Hoeschelii* in 4. Quid dico de Christianis, ipsi domino Jesu in terris versanti hoc objectum. *Matt.* 10. *v.* 24. 25. Nec desinunt post gloriosam ascensionē Judæi, & Gentiles eandem blasphemiam in ipsum evomere. Vide *Originem c. Celsum lib.* 1. *p.* 7. & *pag.* 31. refert à Celso introduci Judæum, qui fingebat Jesum in Ægypto didicisse mirificas & magicas istius gentis artes, inde reversum iisque artibus fretum pro Deo se voluisse haberi. Et rursum *pag.* 54. refert ipsum Celsum omnia miracula à Christo edita concedere, sed communia ei facere cum præstigiatoribus non minora miracula pollicentibus, cumque Ægyptiacis circulatoribus, paucis obolis mirificas illas artes venditantibus &c. *Augustinus lib.* 1. *de consensu Euangelist. cap.* 8. 9. refert & refutat mendacium de libro quodam Christi ad Petrum & Paulum scripto de magiâ, per quam miracula sua patrasset. *Arnobius lib.* 1. *c. Gentes* testatur opinionem hanc apud Gentiles invaluisse, quòd Christus fuisset magus. Si ergo dominum Jesum Beelzebub, si apostolos & primos Christianos appellârunt magos; æquo animo ferendum est, ut ab illis qui magiæ tenentur (uti modò ostensùm), illius criminis participatio in nos retorqueatur. Hoc enim non magis verisimiliter ab illis fit, ac retorsio idololatriæ, quam primus, ut arbitror, Jesuita *Richeomus* in proscenium adduxit tit. *D'idololatrie Huguenote*; cui anno 1609. tanquam apologiam contra ministri reformati Valverdiensis oppositum scriptum tit. *idololatrie Papistique*, submisit alterum *tract.* tit. *Pantheon Huguenot discouvert & ruiné*, regi Galliarum dedicatum. Sed fortè quis excipiat, à magiæ participatione non posse nostros in totum purgari, quòd capitalibus suppliciis eam non æquè coërceant, ac Pontificii. *Resp.* 1. Si cessatio aut tolerantia aliqua jam aliquot annis in fœderato Belgio obtinuerit, non ecclesiæ nostræ, aut antecessoribus ejus, sed prætoribus & judicibus imputanda esset. Nam apud nos non tenetur illud crimen pertinere aut communiter, aut tantùm ad forum ecclesiasticum, uti in Papatu. Quod ad Ecclesias nostras illæ tum praxi tum doctrinâ vel minimam speciem magiæ, idololatriæ, superstitionis *procul abigunt*: imprimis *publicâ suâ liturgiâ cap. de administratione*

cœna hoc abundè profitentur. *Resp.* 2. Magistratus nostri magis nunc cessant à suppliciis; non quòd magicas artes probent, aut permittendas putent. Sed ob istas causas 1. *quia* læmæ fallacium probarum, aliæque magicam aut similem quam superstitionem Deique tentationem sapientes ab oculis eorum absterſæ sunt: & hinc est quod supplicia in frequentiora sint. Quod idem in Galliâ, Belgio & Germaniâ Papali, atque alibi jam ab annis aliquot evenisse, negari non potest. 2. *quia* per lucem reformationis ita discussæ sunt apud nos tenebræ superstitionum, spectrorum, magicorum maleficiorum, ut rara aut rarissima criminum istorum exempla judicibus offerantur. Quod si tamen offerri contingeret, ostenderent illi leges contra magos, & divinaculos hic abrogatas non esse. 3. *quia*, cautè & timidè ad supplicia hic procedunt, ob difficultatem quam inveniunt in cognoscendo hoc crimine. Nôrunt enim præstare, ut per errorem aliquot sontes evadant quam ut unus insons plectatur; & nihil dubitante conscientiâ faciendum esse, præcipuè in re tanti momenti. Difficultas illa jam ante 50. & amplius annos sedes fixit in animis judicum nostratium, cum fœmina quædam Gorcomiensis magiæ accusata supplicio capitali exemta fuit, causam coram curiâ provinciali Hollandiæ strenuè agentibus advocatis quibusdam, inter quos primipilus Pontificiæ religioni addictus, ut ex fide digno audiisse memini. Ex illo tempore in illâ, & hâc nostrâ, vicinisque provinciis vix de suppliciis sagarum, aut de sagis auditum fuit. Cùm tamen non diu antè Gorcomii vetula quædam paupercula nomine *Anna Muggen*, & hîc Ultrajecti una atque altera vivicomburio sublatæ fuissent.

APPENDIX PRIMA AD DISPUTATIONEM DE MAGIA.

Resp. DAVIDE LACCHER, Mediob. Zeland.

Ad diem 16. *Maji.* *Anno* 1657.

Disputationi de Magiâ anno 1636. *editæ visum est appendicem hanc quæstionum quarundam partim historicarum partim practicarum subjicere.*

1. STatueram ante hâc de viris quibusdam literatis magiæ directæ aut indirectæ sive suspectis, sive accusatis, ex professo disquirere; sed ne nimis prolixus sim, muto consilium, & aliis magis otio abundantibus, siquidem illis hoc tanti est, disquisitionem hanc relinquo. Ab historicis, & scriptoribus de dæmonibus & magiâ varii notantur: quorum *apologiam* peculiari tract.

tract. gallico anno 1625. suscepit *Gabriel Naudeus* Parisinus, qui postea aliquot annis Romæ legati Gallici medicum egit, vir sanè variæ eruditionis & multę lectionis. Præmittit *cap.* 1. --- 8. egregia monita, quòd historicis promiscuè fides non adhibenda; quod magni aliqui politici, & quòd admiranda quorundam ingenia ac studia, præsertim mathematica magiæ suspicionem incurrerint, quod etiam libri magici falsò viris quibusdam eximiis tributi, eos sed innocuos gravarint complures, inter eos etiam sequentes, Ethnicos scilicet. Ita *seqq. cap.* à magiâ absolvit Zoroastrum, *cap.* 8. Pythagoram *cap.* 18. Plotinum, Jamblichum, Porphyrium, *cap.* 13. & dictos Christianos, Chicum Æsculanum *cap.* 13. *p.* 343. Anselmum Parmensem, Petrum de Apono *cap.* 14. Agrippam *cap.* 15. Trithemium, & Michaelem Scotum *cap.* 17. Papas Sylvestrum 2. & Gregorium 7. *cap.* 19. Ubi an *semper* rationes fidem facientes depromat, an verò conjecturas, verisimilia, & colores subinde admisceat, aliis in præsentiarum censendum relinquo; præsertim Pontificiis theologis, qui apologias debent Leloyero, Delrio, Tannero, Raph. la Torre, Torreblanca, aliisque suis dæmonologis; insuper Vincentio Bellovacensi, Antonino, Viperto, Tostato, Platinæ, Jovio, Mart. Polono, aliisque suis historicis; nec minùs ab alterâ parte suis Ensalmadoribus in Hispaniâ (de quibus suprà autores cit. & peculiari *tractatu Emanuel de valle de Moura* cit. *à Naudeo cap.* 14. *pag.* 373. & *c.* 19. *pag.* 547.) suis artis Paulinæ mystis in Italiâ qui medentur plagis serpentum, suisque artis Hubertinæ mirabiliariis in Galliâ (de quibus *Naudeus cap.* 14.) suo denique Apono, Agrippæ, Trithemio, Anselmo Parmensi, imprimis Sylvestro 2. Gregorio 7. ut & Papatum ab unâ parte ab artibus magicis, ab alterâ ab artibus mendaciorum & calumniarum contra tot innocentes perpetuò ac studiosè exercitis, liberent, si quâ ratione queant. Historicos & dæmonologos suos apud Naudeum citatos invenient. Nos spectatores erimus. Tantùm moneo lectores, ut attendãt an suspecti omnes dum à magiâ directâ & pacto aperto cum dęmone per Naudeũ liberantur, aut liberari videntur; pariter à magiâ indirecta aut participatâ & dictis ac factis ejusmodi, quę speciem & occasionem ejusdem inferunt, in solidum purgati videantur. Quamdiu Agrippæ libri de occultâ philosophiâ apud Papistas in reatu hærent; Trithemius absolvi nequit, etiamsi Jesuitæ cum *Tannero* suo qui *orationem apologeticam pro Trithemio* edidit, centum orationes declament. *Trithemius* enim libros Agrippæ approbat, ut patet ex *epistolâ* iis præmissâ? At quo jure vapulabit Agrippa, absoluto Trithemio? Videatur ejus *epistola*. Saltem de nonnullis ea non potuit negare, quæ reatum magiæ indirectæ inducunt. Quin ipse *cap.* 43. ait non tantum cum *Delrio lib.* 1. *cap.* 3.

Chicum Æsculanum fuisse superstitiosum sed & fatuum : quod in *commentar. ad sphæram Sacroboscı* sæpius advocet revelationes spiritus cujusdam dicti *Floron :* cujus consulti responsum de maculis lunæ comparat cum historiâ Appionis grammatici apud *Plinium lib. 2. cap. 30.* & dæmonis barbati apud *Niphum* ostendentis modum conficiendi lapidem philosophicum. Et Hermolai Barbari quærentis ex dæmone quid significaret Aristotelis ἐμπλέκεσθαι. Cujus testem facit *Bodinum in damonomaniâ*: addo ego, antehâc in *desp. causâ Papatus* citatum *Ioh. Monlorium in libello de ἐμπλοκῇ in fine*, qui cum doctissimâ ejus versione, *paraphrasi, & notis prior. analyt. Aristotelis* editus est in 4. & seorsim in 80. cum aliis *ejusdem*, aliorumq; duorũ Hispanorum in Acad. Valentinâ philosophorum *orationibus*. Hæc omnia ille ad insanias & rationis egestatem rejicit *pag.* 346. Pari ratione omnis affectata & culta cum dæmone familiaritas ac conversatio diffiari posset. Sed de his Naudeo cum scriptoribus Papalibus, quibus obloquitur, transigendum relinquo. Ut & de Alberti Magni statuâ loquente, quam meritò suspectam habent *Delrio lib. 1. cap. 4.* & *Redemtus Baranzanus disp. phys. 5. qu. 2. dub. 7.* De Trithemii libris, & Trithemio, purgando laborat *Naudeus cap. 17.* Sed contra audiendus *Vvierus lib. 2. de præstigiis cap. 6.* & ibidem citatus Car. Bovillus, qui testatur, se ad *Trithemium divertisse, & magum reperisse, nullâ philosophiæ parte insignem.* Defenderunt eum *Gohory, Sigismundus* Abbas Benedictinus, Jesuita *Tannerus à Naudeo cap. 17.* citati. Contrà tamen accusat, *Delrio lib. 2. quæst. 1.* Quicquid sit de *Steganographiâ* quam terminis & specie magicâ in theatrum produxit, saltem *epistola* ipsius *de septem intelligentiis* ad imper. Maximilianum I. superstitiones illas redolet. De Rogero Bacon nihil aliud dicimus, quam quod *Delrio lib. 3. cap. 3. quæst. 1.* esse scil. planè superstitiosum quod *Franc. Picus Mirandulanus lib. 2. de prænot. cap. 1. & lib. 7. cap. 7.* legisse se dicit in libro ipsius de sex scientiis, posse quem prædicere futura beneficio speculi almuchesi facti secundum regulas Opticæ sub aliquâ benignâ constellatione, siquidem antea corpus suum per chymiam bene temperatum & ad æqualitatem reductum reddiderit. Si vera dixerit *Fr. Picus* (nam librum Baconi mihi videre non contigit), non video quomodo hoc dictatũ à magiâ interpretativâ, & abominandâ superstitione *excusari queat.* Si quis Doctorem Faustum, Zedechiam Judæum, Scotum parvum (*le petit Schot*), Trois-Eschelles, Magistrum videntem purgare intendat, spondere ausim illum similem negationum, exceptionũ, rationum pulverem oculis objecturum. Hos tamen nefariæ magiæ accusat *Naudeus cap. 3. p. 57.* Quamvis in fervore defensionis Agrippæ *cap. 15. pag. 419.* sui oblitus *historiam Doctoris Fausti* unà cum *historiis Merlini &*

ni & *Maugis* suâ linguâ appellet *Romans magiques*; & exsertè distinguat à scriptis seriis, historicorum sæcul. & dæmonographicorum *Delrio*, *Theveti*, *Pauli Iovii*. Sed quomodocunque otiosè & sine ratione historias quasvis in fabulas transformet Naudeus, magis adhibenda fides scriptori illius historiæ, & communi notitiæ Germaniæ, quam suis præstigiis implerat infelix Faustus, & testimonio *Philippi Camerarii centur.* 1. *oper. subcisiv. cap.* 70. qui refert eum Cracoviæ ubi publicè docebatur, magiam suam didicisse, & ex multis, qui eum noverant, se de mirandis ejus præstigiis audivisse.

1. *quæst.* Quid de Sylvestro 2. Gregorio 7. Benedicto 9. &c. aliisque Papis magiæ notatis? *Resp. Baronius*, *Bellarminus*, *Florim. Remundus*, & post eos *Naudeus* cap. 19. eos purgare conantur. Sed omnes ipsorum colores, & audaces negationes similes sunt illis, quibus *Naudeus* Agrippam, Chicum, Petrum de Apono, Anselmum Parmensem, Mich. Scotum, Trithemium, Jamblichum, Porphyrium, Zoroastrũ, purgatum ibat: quos tamen communi sententiâ Papatus in reatu aut suspicione hærere certum est. Vides ergo de paradoxis ejusmodi apologiis fere judicandum, quod de laudibus Neronis à Cardano decantatis (cujus meminit *Naudeus*); aut de doctorum virorum encomiis moriæ, calvitiei, febris quartanæ, cœcitatis, pediculi, umbræ asini; quin & ipsius diaboli in oratione Witebergæ à quodam Brunone Italo habitâ, referente *Barth. Keckermanno in* suâ *Rhetoricâ*. Quod ad historiam Sylvestri 2. Gregorii 7. &c. non est operæ pretium ut hic ea repetam, quæ refutandis exceptiunculis contra proprios historicos & communem famam ac fidem in Papatu à *Plesseo in Mysterio*, & ejus hyperaspiste *Andr. Riveto* abundè congesta sunt. Tantum verbulo occurram nunc Naudei atroci criminationi, quâ *mendaciis*, *calumniis*, *& malitiæ hæreticorum* (Protestantes & reformatos intelligit) hanc calamitatem tribuit; *pag.* 542. 543. Cùm proprii ipsorum historici, qui & clerici, & filii Papatus sub ejusdem umbrâ hæc scripserunt, nobis autores sint. Quos si mendacii & calumniæ arguere velint, & inter intestabiles numerare, per nos licet: sic tamen ut meminerint eos in causis suis (nominatim de successione Paparum & Papatus) cum Baronio aliisque promachis suis tanquam testes contra nos, posthac non ampliùs adducendos; nec ad historicos cum *Campiano in* 10. *rationibus* ampliùs provocandum. Cur enim nos ipsorum sociennis, nostrisque adversariis fidem adhiberemus, quibus ipsi eam derogant? Alterutrum hic eligendum: & in quamcunque partem libra inclinârit, nos in lucro deputabimus. Et cur ante tempora reformationis in ipsâ ἀκμῇ Papatus, oceano Romanæ ecclesiæ omnia occupante (uti gloriatur antagonista noster

2.

ster *Cornelius Iansenius in suâ Spongiâ*), has maculas Papis aspersas non eluerunt, & huic communi famæ & fidei non occurrerunt, saltem libros illos non suppresserunt, aut prohibuerunt? immo cur exortâ jam reformatione tum studiorum tum religionis plerosque ipsi libros typis evulgârunt? Eâdem methodo utendum censemus in disceptatione de Papissâ Johannâ: de quâ in *Desper. causâ Papatus*, ubi etiam de historicis Papalibus in genere nonnulla monemus, ut & *part. 1. disp. tit. de Patribus. II. quæst.* Fueritne Agrippa reformatę an v. Papisticæ ecclesiæ civis. *Resp.* Prius velint *Delrio lib. 2. qu. 16.* & *Adamus Tannerus* ad 1. *Thomæ tract. de potentiâ angelorum qu.* 3. ubi de translatione sagarum. Sed contrarium patet ex *apologiâ Naudei cap. 15. per totum*: Fuit enim ab Imperatore Carolo V. & à principibus ac proceribus Pontificiis ad varios honores immo & ad professionem theologicam in Acad. Dolanâ & Ticinensi, promotus; ad quæ nulli nisi Pontificii admittebantur. Insuper favit illi Papa, rex Angliæ, Cardinales, Episcopi; adeo ut etiam à Cardinale S. Crucis assumtus fuerit tanquam futurus auxiliaris ipsius in Concilio Pisano. Quin ipse in libro de vanitate scientiarum, ubi videtur omnes artes simul cum magicagöetiâ sive exercitii causâ sive schemate quopiam explodere, cap. 45. de göetiâ & necromantiâ, dicit nugas & impostura illas conflatas esse *exprophanis quibusdam observationibus nostræ religionis ceremonus permixtis insitisque ignotis multis nominibus &c.* Hîc nullæ aliæ nisi Papisticæ ceremoniæ intelligi possunt: Eas enim exhibent libri magici Alberti, Thomę Eboracensis, Alphonsi, Roberti Anglici, Baconi, Apponi &c. nomine editi, & abillo *ibidem* notati. Quod ad intentatum crimen magiæ, Pontificii de eo inter se digladientur; si forte Agrippam suum liberare possint. Vide accusantes *Bodinum lib. 1. cap. 1. Delrio lib. 2. qu. 12. & 39.* ex quo *Tannerus*, aliique theologi Pontificii. Eundem accusat ex nostris *Marnixius Sanct. aldegondii dominus* in *scripto* vernaculo *contra Enthusiastas præfat. præpar. part.* 3. ubi ostendit Sebastianum Francum alpha Libertinorum & Enthusiastarum pleraque sua ex Agrippæ loculis hausisse. Vide semina ejusmodi enthusiastica sparsa in *epistolis Agrippæ ad Aurelium ab Aquapendente ad finem occultæ philosophiæ.* Excusant eundem *Naudeus c. 15.* aliique magno cum zelo, *ibid. cit. Vierus lib. 2. de præstig. c. 5. & 44.* ubi vocat eum hospitem, præceptorem, & herum suum, inter alia negat *librum* illum 4. *occultæ philosophiæ, de ceremonus magicis* (quem suprà dixi Coloniæ anno 1567. apud Joh. Birckmannum unà cum *Trithemio de septem intelligentiis*, & *Petri de Abano elementis magicis in* 8. excusum) esse Henr. Cornelii Agrippæ. Quod si verum esset, in tantum, quamvis non in totum, sublevaret Agrippam. Sed fortę distinctio temporũ aliquam lucem

hinc

huic controversiæ inferret. Ut scil. dicatur Agrippam in juventute & speculativè & practicè nefariis illis artibus irretitum fuisse; à quibus postea in affectaţtate sive Dei sive hominum metu se expedire voluerit. Tale quid labascens *Naudeus pag.* 419. ferè concedere videtur & cum delictis juventutis aliorum celebrium scriptorum Alberti M. Æneę Sylvii, Pici Mirandulę comparare. Et talem fortè mutatum invenit eum Wierus, cum illi cohabitaret. Quin ipse *Agrippa in præfat. ad libros de occultâ philosophiâ* veniam petit, obtendens adolescentiam, & quod Platonicorum multa placita secutus sit, & multa narrando potius quam affirmando scripserit, & hos libros magnâ ex parte retractârit in *libro de Vanitate scientiarum.* Quo ipso tamen nec viri docti qui eum ob scripta & actiones meritò suspectum habuerunt, calumniæ argui, nec Agrippa in totum absolvi deberet: præsertim cum scripta à curiosis periculosisque vanitatibus & superstitionibus, hoc est, à magiâ indirectâ, à quâ ad directam proclivis prolapsus, ab ipso secundis curis anno 1510. etiam postremis anno 1531. cum eos dedicaret Hermanno archiepiscopo Colonienſi, expurgata non sint. Hoc nôrunt illi, qui libros ejus de occultâ philosophiâ legerunt. Ne quid dicam de periculosis & religioni Christianæ repugnantibus, quę in libro de Vanitate scientiarum occurrunt: quorum aliqua notata sunt à Domino *Sanct aldegondio* in scripto Belgico *c. Enthusiastas.* Conferat, cui vacat, *Indices librorum* in Papatu *prohibitorum. III. Quæst.* An Johannes Indagine autor celebris chiromantiæ & physiognomiæ fuerit ecclesiæ reformatæ subditus? *Resp.* Ita quidem velit *Delrio lib. 4. cap. 3. qu. 5.* & ex eo *Tannerus*: sed temerè, ne dicam calumniosè. Unde hoc habent? quis hoc ipsis indicavit? ☞. Eum ergò legitimæ matri & huic honorem, si quis ex talibus scriptis debetur, secundum legem justitiæ restituemus. Edidit suam chiromantiam Anno 1522. ubi in *præfat.* scriptâ 7. Eid. Maji vocat se sacerdotem & decanum Francofurdiensem; Dedicat librum Theodoro Zobel archiepiscopi Moguntini, *in spiritualibus, vicario, & ejusdem metropolitanæ ecclesiæ scholastico & canonico dignissimo*; cujus autoritatem & officium agnoscit, eumque vocat *causarum spiritualium censorem maximum & summum.* Libelli de judiciis complexionum secundum planetas dedicatoriam ad Henricum Stromerum physicum Urbacensem sic concludit: *Datum Steinheim ex parochia nostra 14. Augusti, Anno 1622.* Similiter concludit chiromantiam, fol. F. 7.: *Ex ecclesia nostra Steinheim Kal. Novembr. Anno salutis* 1522. In naturalis astrologiæ compendiosâ descriptione fol. M. 2. edit. in 8. in titulo vocatur *sacerdos.* Notet hic lector, pastores Protestantes in Germaniâ rejecto sacrificio missatico, non usurpasse nomen sacerdotis, & decant Franco-

furdiensis; nec etiam agnoviſſe epiſcopos Papales, eorumque vicarios. Ejus chiromantia & phyſiognomia à Pontificio autore Antonio du Moulin in Gallicum ſermonem tranſlata in 8. impreſſa eſt Lugduni apud Joh. Tourneſium, & poſteà Pariſiis in 16. apud Joh. Ruelle, teſte *Ant. Verdier in Bibliotheca.* Hallucinatus eſt *Geſnerus in Bibliotheca*, cum hunc confunderet cum *Iohanne de Indagine*, ſeu *Hagen*, Carthuſiano polygrapho, cui libellos iſtos Aſtrolog. chiromanticos, &c. anno 1534. Argentor. excuſos tribuit. Cum Aſtro-manticus *Ioh. Indagine* (ſic habet prima libellorum editio, anno 1622. in 8.), non fuerit monachus, ſed parochus ſæcularis, & decanus Franckfordenſis: uti etiam ex effigie libello præmiſſâ ad oculum patet: adhæc Carthuſianus ante ipſum (indicante *Trithemio*, & poſt illum *Poſſevin, in appar. ſacro*) floruerit anno ſcil. 1460. in domo Carthuſ. montis S. Salvatoris prope Erfordiam, fueritque Prior in Iſennach & in Stetin, vir pro ratione illorum temporum πολυμαθὴς & πολύχρυσος: uti oſtendunt Catalogi apud *Geſnerum* & *Poſſevinum*. Qui poſterior ibidem de Aſtromantico noſtro dicit: *nomen quod præfert (fictiumne an verum)*. Sed fortè quis objiciat, hujus *Ioh. Indagine* prædictionem *in præfat. chiromanticæ*, anno 1522. de pompâ ſacerdotum & monachorum minuendâ. Ejuſdem in *chiromantia* in fol. Argentorati, anno 1546. dicterium in Pontificem, quod nihil videatur probare niſi utilitates. *Reſp.* Sed inde non ſequitur eum fuiſſe reformatum, aut non fuiſſe parochum Papalem. Certè ſi tam liberales ſint Pontificii, ut nobis donent omnes, qui Papas, aut clerum, aut monachos alicubi taxârunt, noſtri eſſent Bernardus Claræ vallenſis, Occamus, Gul. Durantes, Wicelius, Eraſmus, Eſpenceus, Hildegardis, Abbas Joachimus, & qui non? Vide *Orationes habitas in Concilio Tridentino, ejuſque Hiſtoriam*, cum *Illyrici Catalogo*, & *Pleſſei Myſterio*. Johannes refert ſe domino Vicario prædixiſſe ex aſtris, præſentem illam mutationem & rerum perturbationem, antequam fieret, & porro prædicit ineluctabile aſtrorum fatum, quo ablegabunt vetera, nova facient omnia, hoc ſolum fine, ut perſuadeat ei calculum ſuum divinationibus aſtralibus adjicere, eaſque contra adverſarios tueri.

3. Sequuntur aliquot quæſtiones practicæ. 1. *Quæſt.* An diabolus poſt adventum Chriſti in carnem per ſpectra, energemata, maleficia magica homines, præſertim Chriſtianos infeſtare poſſit; illique certâ fide teneantur credere, quod non poſſit? *Reſp.* Error popularis eſt quorundam, diabolum quod ad omnis potentiæ ſuæ executionem exutum eſſe: ſaltem contra fideles eum nihil poſſe. Videntur malè lecta & intellecta loca *Iohann.* 12. *verſ.* 31. 1 *Ioh.* 3. *verſ.* 8. *Coloſſ.* 2. *verſ.* 15. *Luc.* 10. *verſ.* 18. 19. huc applicata fuiſſe. Nam limitatè accipienda tanquam

quam absolutè dicta acceperunt. Quod seqq. concluſ. sic explicamus. 1. *Concl.* Contra verè fideles, nihil potest diabolus quod ad animæ salutem, ut prævaleat, scil. seu cum finali victoriâ, & in infernum eos abducat. In omnibus enim illis plus quam victores sunt, quos Christus sanguine suo à potestate diaboli liberavit. *Coloss.* 1. *vers.* 14. & 2. *vers.* 12. 13. *Rom.* 8. *vers.* 38. *Hebr.* 6. *vers.* 9. Sicuti enim pro Petro, *Luc.* 22. *vers.* 32. sic pro omnibus fidelibus intercedit, ne deficiat fides eorum, *Rom.* 8. *vers.* 31. 33. 34. 35. Breviter huc faciunt universæ phalanges argumentorum pro perseverantiâ verè fidelium. 2. *Concl.* Multa molitur & non parum potest contra statum fidelium internum & spiritualem, etiam post adventum Christi, 1 *Pet.* 5. *vers.* 8. cum *Ephes.* 4. *vers.* 27. & 6. *vers.* 11. 12. *Iacob.* 4. *vers.* 7. 1 *Corinth.* 7. *vers.* 11. & 2. *Corinth.* 2. *vers.* 5. & 12. *vers.* 7. & vel ex solâ sextâ orationis dominicæ petitione id constat. Confer *disp.* nostram *de Tentationibus.* 3. *Concl.* Multa potest quod ad statum externum fidelium; sanitatem scil., libertatem, aliaque fortunæ bona, ut famam & possessiones. Imprimis ecclesias novi Testamenti per hæreticos, Antichristum, tyrannos & persecutores, assiduò turbat, & turbabit usque ad finem mundi. *Apocal.* 2. *vers.* 10. & 12. *vers.* 9. & 20. *vers.* 7. 8. 2. *Thessal.* 2. *vers.* 9. 10. & 1. *Thessal.* 2. *vers.* 18. 4. *Concl.* Quod ad spectra, apparitiones, & externa terriculamenta, corporeasque vexationes extrinsecus, aut intrinsecus intra ipsum corpus per possessiones & energemata immediatè, aut per magorum præstigias & maleficia mediatè inferenda: fatemur quidem verè fidelibus tam sub V. quam N. Test. ea rarissimè, & nonnisi extraordinariò obtingere: & hanc sortem ac portionem ut & aliorum insolitorum Dei judiciorum, esse propriam infidelium, hypocritarum, impiorum, ecclesiæ persecutorum, injustorum & generis humani Alastorum. Unde tamen non sequitur, impossibile esse, ut tale quid unquam alicui ex verè fidelibus eveniat. 1. *quia* talis promissio fidelibus sub N. T. data non est. Nam illud, quod fortè quis respiceret, *Marci* 16. *vers.* 17. 18., cujus simile occurrit *Psal.* 91. *vers.* 10. 14. aut de charismate quibusdam impartiendo, aut de peculiari fidelium contra mundi pericula conservatione, intelligendum est: uti locum illum infra in *disp. de Exorcismo* explicamus. 2. *quia* contrarium evincitur ex exemplo Jobi sub veteri testamento, & Pauli, 2. *Corinth.* 12. *v.* 7. & tot exemplis fidelium post tempora Apostolorum à Satanæ vexationibus perspectra, energemata, maleficia magica liberatorum. Temerarium esset omnibus patribus, & historiis ecclesiasticis, tum antiquis tum novis, omnẽ fidem derogare. 3. *quia*, cum in Christum caput fidelium diabolus potestatem habuerit & exercuerit, quod ad vexationem scil., non quod ad victoriam

ctoriam, *Matth.* 4. *v.* 5. 8. tum (*Iohann.* 14. *verſ.* 30. ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν): cur repugnaret ſi aliquis fidelium ſimilem vexationem experiretur. 4. *quia*, ſi internè adverſus ſtatum ſpiritualem per horrendas injectiones, & diras tentationes tanta, Deo permittente, machinatur Satan; multò minus credendum eſt, impoſſibile eſſe, ut contra ſenſus externos & corpora ac bona eorum, quid machinetur. 5. *Concl.* De hypocritis & pſeudo-Chriſtianis, intus & in cute impiis ac profanis minus dubium eſt, quin etiam tempore N. T. eos vexare poſſit. Quò enim major lux & gratia affulget, quâ homines indignè abutuntur, eò plura ac majora Dei judicia impendent. *Actor.* 2. *verſ.* 19. 20. cum *Hebr.* 2. *verſ.* 3. 6. *Concl.* Minimè omnium dubium eſt, de infidelibus & extra Chriſtianiſmum, aut ſub titulo Chriſtianiſmi in regno Antichriſti & apoſtaſiæ viventibus. De Gentilibus in Indiâ Orientali & Occidentali, deque quibuſdam ſive Ethnicis, ſive ſemi-Ethnicis in plagâ Septentrionali, affatim teſtantur hiſtoriæ & itineraria. De Papatu dęmonum & maleficiorum vexationibus infeſto, pleni ſunt domeſtici vitarum, exemplorum, rerum magicarum ſcriptores.

4. *II. Quæſt.* An à magiâ quis poſſit converti, ſeu an magi poſſint reſipiſcere & ſalvari? *Reſp.* Movet hanc quęſtionem Theologus Anglus *Iohannes Gaule in ſelectis caſibus conſcientiæ de Magiâ*, anno 1646. Londini editis, *cap.* ſeu *quæſt.* 12. & reſpondet *ibidem* per diſtinctionem, affirmando de magis ſeductis aut deluſis ex *Actor.* 19. *verſ.* 13.: abſolutè negando de malignè activis, (uti vocat), ſolenne pactum ingreſſis, & penitus ſeu planè apoſtatis. In priori ipſi aſſentior, & probatur ex *Actor.* 19. & 2. *Paralip.* 39. *verſ.* 6. cum 12. 13. Idem docent antiquæ eccleſiæ canones, qui magos ad pœnitentiam admittebant. Vide *Photii Nomocan. tit.* 13. *cap.* 20. In poſteriori ejus determinationi non accedo. Rationem quam adfert ex exemplo Simonis Magi, & quòd ſit peccatum in Spiritum Sanctum, puto retorqueri poſſe. Si enim talis archi-magus, qualis Simon, Samariæ notus, nec ignotus Philippo euangeliſtæ & apoſtolo Petro, idem fuiſſet cum peccante in Spiritum Sanctum; utique nec ille eum baptizaſſet *verſ.* 13. nec iſte eundem ad precationem & reſipiſcentiam hortatus fuiſſet, addendo, *ſi fortè remittatur*, &c. *verſ.* 22. Hæc enim non conveniunt notoriè peccanti in Spir. S. 1. *Iohan.* 5. *verſ.* 16. Accedit & hoc, quod peccatum in Spir. S. non cadit, niſi in homines internè illuminatos & de veritate fidei convictos. Atqui non pauci inter Gentiles fuerunt ſimiles archimagi, qualis Simon: qui tamen pon poſſunt dici peccaſſe in Spir. S.; quippe nunquam illuminati & internè de fidei veritate convicti. Breviter, quamvis fieri poſſit, ut quis archimagus

ſimul

simul peccet in Spiritum Sanctum, inde tamen non sequitur rationem formalem magiæ esse rationem formalem blasphemiæ in Spiritum Sanctum, aut vice versâ. Antiquæ ecclesiæ canones, ut & *nostra liturgia cap. de cœnâ*, non distinguunt inter magum & magum. *III. Quæst.* An inter licita maleficiorum remedia numerari possint, benedictio, & exsfascinatio (ita loquar), ejusdem magi aut sagæ per cujus incantationem maleficio quis affectus creditur? *Resp. Neg.* Errore & praxi populari, stertentibus parochis & theologis, passim in Papatu obtinet, ut in domo, ubi decumbit maleficiatus, in novam ollam fictilem urinâ maleficiati repletam injiciant aciculas & acus, eamque igni admotam ebullire faciant, persuasi (fide scil. magicâ) maleficum aut maleficam eo ipso ad domum illam properare, eamque continuò circumire. Hinc est, quod ex domo illâ, tam diu prospiciant, donec casu quis aut quæ ei appropinquet; quem aut quam erumpentes violenter in domum illam & ad maleficiatum pertractum compellunt, ut maleficiato benedicat: quod si neget, verberibus eum tamdiu contundunt & delumbant, donec imperata faciat. Contusionem ejusmodi ante annos aliquot tali in casu hâc ipsâ in urbe passus est miser quidam agricola, à Pontificiis quibusdam laniis in domo quâpiam retro macellum benedictionis pronuntiationem & formulam ab ipsis præformatam nolenti extorquentibus. Quidquid enim miser protestaretur se benedictionis postulatæ & totius istius magici choragii planè ignarum esse; à minis & plagis liberari non poterat, nisi benedictione ad lectum decumbentis (ex maleficio, ipsorum opinione) more & modo solenni pronuntiatâ. Sed dicent fortè esse errorem hunc populärem, nec posse Papatui imputari. Reponimus, hic obtinuisse dictum illud fasciculi Temporum supra cit. *Vt populus sic sacerdos.* Pergimus *ad alia. IV. Quæst.* An liceat amovere aut destruere signa maleficii, ut dæmon desinat nocere atque ita intendere sanitatem; & quidem illa ad dissolutionem adhibendo, quæ nec naturâ nec Dei instituto ad hoc sunt utilia; sed tantum ideo, quia diabolus in pacto suo talem apposuit conditionem, se cessaturum à læsione, si talia fiant. *Resp.* Communiter nunc affirmant Doctores Papatus, & nominatim Academia Lovanien sis: vide *Delrio lib. 6. cap. 2. qu. 2. 3. Raphaelem la Torre ad 22. qu. 95. art. 4. disp. 3., Graffiis lib. 2. cap. 6. Binsfelsium in tit. C. de maleficis qu. 5.* imprimis *Malderum tr. 10. cap. 8. dub. 12.* qui modum dissolutionis per adhibita ea quæ nec naturâ nec Dei instituto utilia sunt, exsertè defendit. Antehac tamen aliter senserunt *Iohan. Hessels de Lovanio* (fatentibus *Delrio & R. la Torre*), & *Vilh. Estius in 4. dist* 34. §. 8. 9.: sed illi fuerunt Trões. Ego eorum sententiæ accedo; quam etiam tutiorem esse nemo

facilè negaverit. Ratio est, 1. *quia* scriptura nulla antidota moraliter agentia commonstrat, nisi preces, jejunia, *Matth.* 17. & panopliam illam *Ephes.* 6. 2 *quia* ad effecta maleficii magici tollenda, morbos scil. vulnera, luxationes, symptomata, nulla nisi naturalia secundum artem medicam remedia adhibenda. Jam verò adhibitionem quorundam naturaliter inutilium, ut & destructionem maleficii ad sanitatem recuperandam, non esse remedia naturalia, ipsi fatentur: quia diabolus est agens liberum. Relinquitur ergo ut dicatur esse aut miraculosum, aut otiosum ad vanam observantiam & superstitionem relegandum. Illud non dicent: ergò istud necessariò dicendum esset, juxta generales superstitionis, vanæ observantiæ, magiæ indirectæ, pacti dæmoniaci occulti seu interpretativi definitiones apud *Thomam*, ejusque *asseclas*, & omnes *hodiernos Casuistas*. Ita frequenter ipsis evenit, ut in malâ deductione & subsumtione particularium, & applicatione ad particulares casus generales suas definitiones, axiomata, theoremata distinguendo, exstinguendo, prævaricando destruant. Nôrunt hoc, quibus hodiernorum Casuistarum, præsertim Jesuitarũ, casuistica ignota non est. A quâ seplasiariâ nostri sedulo sibi caveant. Rationes & exceptiones, nominatim Delrio & Malderi, qui inter alios operosè hoc agunt, ex dictis facile refutari possunt. *V. Quæst.* An liceat petere à mago malefico, ut destruat signa maleficii, ad recuperandam scil. sanitatem? *Resp.* Affirmant recentiores Casuistæ Pontificii. *Zvvarez, Lessius, Filiucius, Sanches, Toletus, Navarrus, Basseus, &c.* Qui postremus, §. 5. non tantum concedit, rogari posse magum ut dissolvat modo licito absque ope diaboli, faciendo ea, quæ præstari possunt sine ope dæmonis: sed etiam licitum esse ab eodem absolutè petere ut maleficium solvat, quamvis constet petenti fore ut medio illicito utatur. Sed non video, quomodo hoc non sit aliqua participatio alieni peccati, prout ipsi eam definiunt. Et quâ ratione magis prohibeant usum atque opem medici, quem novimus periaptis, amuletis, aliisque magicis atque illicitis mediis in medicatione usurum? Quid quod propter suspicionem aut periculum *constitutiones Pauli IV.* & *Gregorii XIII.* Judæis medicis praxin inter Christianos prohibent. Sed non mirum eos sibi contradicentes in casibus de magiâ ita determinare: cum communi fide & praxi Romanâ ex diabolo discere intendunt, quæ faciant ad ædificationem proximi, & destructionem regni diaboli tam in spiritualibus quam temporalibus. De quo suprà, & infrà in *disp. de Exorcismo*. Ne quid dicam eos ex apparitionibus & responsis dæmonum ad ipsorum interrogata, Christianæ fidei mysteria haurire, & Romanæ fidei doctrinam fabricare. De priori constat ex *Dionysio Richel*, aliàs *Carthusiano tract.* cui tit. *Speculum amatorum*

matorum mundi, ferè *sub finem*; ubi refert, dæmonem quendam interrogatum, quam magnum esset in cœlo gaudium; alium à viro sancto interrogatum, de reditu in cœlum; alium interrogatum, quamdiu Deum vidisset in cœlo: ubi testimoniis Augustini, Bernardi, Gregorii miscet hæc responsa dæmonum: De posteriori constat ex dæmoniacis quęstionibus Cottoni, & oraculis de purgatorio, satisfactionibus, missis pro defunctis, &c. quæ ediderunt apparentes spiritus, hoc est, dæmones. Vide & confer *disp. de Spectris, de Purgatorio, de Prophetia, de Probationibus spirituum*. Quibus omnibus adde testimonium diaboli pro cultu Mariæ contra hæreticos latum; & quod, ex *Bredenbachii fabulis*, Theologi ipsorum polemici toties citant, de dæmonibus Gelæ in Brabantiâ ex obsessis ad tempus aliquod recedentibus, quippe Islebiam ad funus amici sui Lutheri profectis. Habes ergo Doctorum irrefragabilium scil., hoc est dæmonum testimonium pro religione & ecclesiâ Romanâ contra reformatos. His aliisque lepidis an putidis nugamentis augere possent Jesuitæ *Serrarii librum de Lutheri magistro*, ubi denuò illum recudi contigerit. *VI. Quæst.* An magia benefica, quam & albam vocant, sit licita *Resp. Ius Civile L. 4. C. de malef. & math.* concedit: quam bene viderint Jureconsulti; & viderunt jam *Tholosanus lib. 34. cap. 18. §. 1.* Quidquid sit, in foro conscientiæ eam illicitam esse, ex rationibus generalibus contra magiam *part. 1.* allatis, indubium est: & affatim hoc probârunt ex nostris Theologis *Raynoldus in Apocr. lect. 207. Perkinsus Bascanol. cap. 5.* Ut vel hinc videant, qui cum de casu & foro conscientiæ quæritur, putidâ μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος, seu mavis sophisticâ ἀπαγωγῇ permissionem aut concessionem aliquam juris aut magistratus civilis obtendunt, ut juri divino & lectorum oculis fumos offundant. Quasi scil. jura humana & placita magistratuum ex peccato possent facere non peccatum, & contra jus divinum de jure dispensare. Qualia Papæ à suis tribui, vide ostensum à *Scriptoribus de Antichristo*, ut *Nic. Vigniero, Georg. Dovvnamo, &c.*

APPENDIX SECUNDA AD DISPUTATIONEM DE MAGIA.

Resp. FLORENTIO à LEESTEN, Gorcomo-Bat.

Ad diem 13. Iunij. Anno 1657.

Prosequimur adhuc quasdam quæstiones practicas I. *de remediis.* II. *De pœnis magiæ.* III. *De tractatione & libris de magiâ.*

I. *Quæst.*

I.  *Vaſt.* An magica maleficia fugâ evitari & præveniri poſſint? *Reſp.* cum diſtinctione. Si quis animadvertat alicubi operationes & ceremonias ab aliquo ad maleficia inſtitui, quantum fieri poteſt, homines & loca illa vitet: tum ne occaſioni periculi aut mali, aut hominum malorum machinationibus ſe ſine neceſſitate objicere videatur: tum etjam, ut ab conſortio atque abominandis ſacris procul recedat. Neque enim vel otioſa præſentiâ & ſpectatione participare debemus cum operibus tenebrarum. Quod obſervandum non tantum cum maleficam, ſed & beneficam magiam, imprimis & ludicras ac voluptuarias magorũ præſtigias, alicubi parari ac exhiberi novimus, aut juſtè præſumimus. Abundans enim cautela non nocet. Vide delicias Magnatum quorundam circa præſtigias magicas apud *Camerarium centur.* 1. *c.* 70. Non tamen ita fugienda ſunt intenta maleficia magica, ut propterea locum, vocationem, opus noſtrum, divinitus nobis impoſitum deſeramus. Rationes & limitationes ex *Rom.* 16. *vers* 17. 18. 1. *Corinth.* 5. *vers* 2. *Tit.* 3. *vers* 10. *Iohann.* 2. *v.* 10. *&c.* de vitandâ hæreſi; & *Pſal.* 16. *v.* 4. 2. *Cor.* 6. *vers* 17. *Apocal.* 18. *vers* 4. &c. de vitandâ idololatriâ analogicè huc applicari poſſunt. II. *Quæſt.* An maleficium tollatur, aut pars afflicta levetur punitione magi? *Reſp.* Nulla phyſica & directa efficienta hic ſtatui poteſt. Quæ enim connexio inter paſſionem quæ infligitur huic ſubjecto e.gr. Titio propter hoc crimen; & inter ablationem mali, quo aliud ſubjectum e.gr. Mævius per dæmonem ad poſtulatum & impetrationem Titii affligitur? Moralis efficientia ſive ordinaria, qualis e.gr. in verbi auditione, ſacramentorum perceptione; ſive extraordinaria & miraculoſa, hic fingi non debet. Quia nullum habemus verbum Dei ſive mandati ſive promiſſionis. III. *Quæſt.* An probandum ſit prophylacticum & amuletum contra maleficia novis conjugibus metuenda, in Papatu adhiberi ſolitum; ſolennis ſcil. matrimonii copulatio per ſacerdotem in ſecretiori aliquâ parte templi; indicante *Maldero in* 22. *tract.* 10. *cap.* 8. *dub.* 12. *Reſp. Neg.* eſt enim mera ſuperſtitio & vacua obſervantia. Quaſi ſcil. dæmoniſ maleficia, quæ magis pararii exercet, per communem putatitiam ſanctitatem templi, aut interiorum partium ἰδιοσυγκρασιαν, omnem efficaciam ſuam perdant, aut ad adyta illa penetrare nequeant: cum hiſtoriæ ipſorum teſtentur dæmonas in templis, ſacellis, monaſteriis frequentiſſimè graſſari; non obſtante loci præſumtâ ſanctitate, imaginum ſacrarum, aquæ luſtralis, crucis, ipſius denique Dei panacei corporali præſentiâ. Sed *Malderus loc. cit.* cauſam hujus præſumti amuleti ita explicat: quod ibi nulli

„ quod ibi nulli homines præsentes sint, qui signa ligaminis, per quæ dia-
„ bolus nocere solet, ponere possent: & quia declinare licet loca, in qui-
„ bus signa posita sunt, non videtur talis secessio in secretiores templi
„ partes mereri reprehensionem. Repetimus, quod dæmon in hâc disputatione Malderi & ibi citatorum, toties dicatur agens liberum; ideoque certis aut signis aut temporibus, aut hominibus non alligetur. Quid? an non ad petitionem magi dæmon observare & indicare posset locum illum secretiorem; aut ipse immediatè signa istic loci ponere; aut magus eadē ponere in thalamis nuptorum, aut triclinio nuptiali, aut aliquâ parte ędium, aut etiam templi, aut plateæ, per quam transituri sunt; idque aut ante confirmationem, aut in confirmatione, aut post confirmationem matrimonii? *IV. Quæst.* An in *liturgiâ nostrâ tit. de cœnâ domini*, rectè à communione excluſi pronuntientur, non tantum magi & divinaculi qui jumentis, hominibus, aliisque rebus benedicunt (belgicè segenen); sed etiam ii, qui ejusmodi benedictiones credunt. *Resp. Aff.* Qui enim verbis aut factis profitentur se illas credere, & recipere, hactenus communicant cum operibus tenebrarum, quę detestari & arguere debent. *Eph.* 5. *vers* 11. cum *Rom.* 1. *vers* 32. & 1. *Cor.* 5. *vers* 2. Sed objiciat quis 1. *object.* Absurdum & durum esset, si Nuda fides, nudus sensus quamvis erroneus, etiam maxime ἀπρόγμονα hâc in parte, à communione arceret. *Resp.* Contrarium verum esse ostendimus in *disp. de Hæresi*, & *de Clavibus regni cœlorum*; contra Remonstrantium commentum in *Vedelio Rhapsodo*, ubi dicunt hæresim speculativam esse commentum Theologorum; hoc est, non esse συνευδοκίαν & assensum talem in rebus divinis aliquod peccatum, sed innoxium, auta diaphorum quid. Confer *catechesin nostram qu.* 85. ubi excludi vult eos qui *doctrinâ* aut (N. B.) *vitâ* &c. Quod si maximè alieni à magiâ, aut simplici fornicatione, aut ebrietate, aut cultu imaginum, aut rebellione adversus magistratum, aut polygamia, aut furto &c. sentirent tamen aliquod istorum vitiorum esse licitum & adiaphorum; an non deberent ecclesiæ ad tales attendere, & hoc agere ut non tantum in praxi & exercitio, sed & in sensu de illis peccatis, eorumque improbatione melius se haberent, atque adeo à tentationibus ad eorundem praxin aut participationem sollicitè sibi caverent, iisque fortiter resisterent. Fides enim & veræ fidei cognitio ac professio, juxta cum bonâ conscientiâ servanda est. 1. *Timoth.* 1. *vers.* 19. 2. *Object.* Atqui videretur hoc sapere quid Anabaptisticum, aut Neo-Donatisticum, quod libertas sentiendi in utramvis partem, de actionis alicujus adiaphoro aut licito, membris ecclesiæ non relinquitur: præcipuè, si quis obligatione aliquâ naturali aut legitimâ illis conjunctus sit, qui sententiam oppositam & tenent & pra-

xi suâ exequuntur, e.gr. Sit maritus, qui albam illam seu bonam magiam & benedictiones exerceret, & quidem concedente jure civili (uti ostendimus *append. præced. in fine*), an uxori non licebit in hâc praxi mariti, tanquam licitâ acquiescere, & in sensu illo manere? Sint etiam parentes, qui idem sentiant & agant, an à liberis in familiâ ipsorum viventibus petendum, non tantum ne praxi parentum se misceant, sed etiam ut saniori sensu & judicio suo eandem improbent? An servi, quorum domini essent manifesti magi, qui tales benedictiones exercerent, aut manifestis magis opitularentur, sensu & judicio à dominis suis dividendi erunt? *Resp.* In causâ Dei, veritatis, pietatis dijudicandâ nemo debet maritum, uxorem, patrem, matrem, liberos, heros, amicos, necessarios respicere, aut eorum amorem, reverentiam, obedientiam, tanquam præjudicaturus causæ illi admiscere: hæc enim turpis esset prosopolepsia; & hoc Deus disertè prohibet *Luc.* 14. *vers.* 26. *Matth.* 10. *vers.* 37. *Deuter.* 33. *vers.* 9. Nec hic quidquam est quod sapiat Anabaptistas, qui propter controversiam de facto, non tantum ecclesiasticum scisma, sed & divortium inter maritum & uxorem, facere solent. Nos contra, salvo in omnibus & manente vinculo, sive naturali sive legitimo inter maritum & uxorem, parentes & liberos, Principes & subditos, dominos & servos, cives & concives, istos ab illis errantibus in sensu fidei, & pietatis quàm longissimè divisos esse volumus. Quod si enim maritus, aut pater, aut domini extra communionem nostram constituti, & sensu & praxi in causâ de arte lenoniâ, de pyraticâ, de idololatriâ Gentili aut Papisticâ, de Socinismo, de Anabaptismo, de arte & nequitiâ fœneratoriâ, de fraudatione vectigalium, &c. à communi sententiâ ecclesiarum nostrarum dissiderent; an non liceret ministris uxorem, liberos, servos in communione nostrâ existentes, aut ad eam admitti petentes, rectius informare & contra domesticum ac tam propè urgens periculum præmunire? *Quod si tu Israel omnino fornicaris, saltem ne delinquat Juda.* Hos. 2. vers. 15. Nota est praxis ecclesiarum nostrarum tum circa alia peccata quibus quis in familiâ aliquâ manifestè operam dat; tum specialiter circa peccatum publici fœnoris. De quo *Synodus Nation.* 1581. *ad qu.* 100. & *Synodi provinciales Belgicæ* in *tract.* belgico *Theologorum Ultrajectinorum*, cui tit. *Res judicata* &c. antehac exhibitæ.

2. De coërcendis & puniendis magis quæritur I. *Quæst.* An judicium de crimine magiæ sit solius fori ecclesiastici? *Resp.* Ita contendit ex *canone* 15. *Concil. Emeritensis Nicol. le Maistre* theol. Sorbonicus *part.* 1. *lib.* 3. *de bonis & possessionibus eccles. cap.* 7. Et hoc olim in Galliâ obtinuisse, sed nunc mutatum esse, testatur *Ren. Choppinus lib.* 2. *de sacrâ polit. tit.* 2.

§. 11.

§. 11. Sed *Binsfeldius* suffraganeus Trevirensis *lib. de confess. malefic. prælud.* 14. *p.* 146. cum theologis, & Canonistis quibusdam ibi cit. determinat esse communis fori: ecclesiastici scil, quâ parte spectat ad hæresin, aut sapit hæresin; sæcularis vero, quatenus admiscentur homicidia, damna contra justitiam & pacem publicam. Et ita consuetudinem nunc fere ubique obtinere dicit. Quamvis aliquibus in locis, inquirantur ab ecclesiasticis, & post cognitionem tradantur brachio sæculari: sicuti in crimine hæresios fieri consuevit. In Belgio Pontificio per concordata Brabantica ad solos sæculares criminis hujus correctio & cognitio remittitur. Excepto, quando fit per invocationem dæmonum, aut abnegationem fidei: tunc enim tanquam sapiens hæresin, & hæreticum declaratum per *Alexandrum VI. Sixtum IV. Hadrianum VI.* & *bullam Innocentii VIII.* præfixam *malleo maleficorum*, ad judices ecclesiasticos spectat, & cognitio ejus Inquisitoribus demandata fuit à *Leone X.* Sic *Zypæus lib. 5. juris canonici tit. de sortilegiis pag.* 354. Hic notandum *autores* modo *cit.* loqui de foro ecclesiastico exteriori, quod etiam *contentiosum* vocant; non vero de foro & jurisdictione interiori conscientiæ, quæ est penes omnes sacerdotes ac confessarios, qui magos confitentes de restitutione admonere tenentur. De quo *Navarrus cap.* 15. *Manualis* §. 25. & *Binsfeldius prælud.* 13. Cur autem maleficos, strigas, astrologos, chiromanticos, sub casu episcopis reservato comprehendi velint, ita ut à vulgaribus confessariis absolutio dari nequeat; ipsi viderint. Lector istarum rerum curiosus, adeat *Fr. Coriolanum* Capuchinum *part.* 2. *de casibus reservatis casu* 1. *Ioh. Chapeaville* vicarium Leodiensem *de casibus reservatis part.* 1. *cap.* 4. *pag.* 58. 59. & *part.* 2. *cap.* 7. & 8. ubi inter alia docet casum de sortilegio & divinatione, maleficio &c. reservari Episcopo Leodiensi tum ex consuetudine generali, tum ex constitutione speciali ejusdem Episcopi; uti videre est in parochiali Leodiensi novissimè edito (A. scil. 1614. aut paulo ante,) de *sacramento pœnitentiæ*. Et hæc quidem de sententiâ & moribus Papatus. Nostræ ecclesiæ hæc aliaque crimina externè coërcenda & punienda foro sæculari relinquunt: tantum suorum fidelium curâ ad conversionem & emendationem in conscientiâ & coram Deo, & ad amotionem scandali sibi reservatâ, juxta potestatem clavium in *catechesi nostrâ qu.* 83. 84. 85. & in *liturgiâ tit. de cœnâ*, explicatam: sive judex sæcularis crimina illa severè, leniter, leniissimè puniat, sive non puniat; sive permittat sive non permittat; sive probet sive improbet. Nunquam hic jus & forum externum, seu soli, cum jure & foro interno conscientiæ seu poli, confundendum est: nec unius cum altero reciprocatio & adæquatio concedenda: ita ut turpi μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος concludatur: hoc est li-

citum aut legitimum in foro soli e.gr. magia benefica; ergo & in foro poli. Centenis instantiis falsissima illa hypothesis, & quidem ad hominem infringi posset. II. *Quæst.* An pœna magiæ cujusvis, & quorumvis magorum, divinatorum, sortiariorum ex vi legis Mosaicæ *Exod.* 22. *v.* 18. debeat esse capitalis? *Resp. Neg.* Differt enim magia indirecta & participata, à directâ; item benefici (ut vocant) à maleficâ; adhæc transiens & occasionatus actus magiæ, à continuato & professo ejusdem exercitio; pactum occultum seu implicitum ab aperto. Cum ergo judex circumstantiis criminis, & boni publici hic & nunc expensis, minori aut majori pœna magiam coërcet; aut cum archimagis & seductoribus diaboli proxenetis morti adjudicatis, simpliciores quosdam & ab illis circumventos ac seductos emendationi reservat, aut minus punit; utique contra jus divinum aut naturale, aut præter æquitatem facere non est dicendus. Hic ἐν παρόδῳ observandum (de quo alibi pluribus), Sanctiones pœnarum in lege forensi Mosaicâ consignata, omnes judices per totum terrarum orbem, usque ad finem mundi, in specie & formâ non obligare; sed analogicè. Hoc patet ex sanctionibus *Exod.* 21. *v.* 23. 24. 27. 29. & 22. *v.* 1. cum *Numer.* 5. *v.* 5. *Deuter.* 25. *v.* 3. & 11. & 19 *v.* 15. & *Deuter.* 17. *v.* 7. & 13. *v.* 15. 16. & 21. *v.* 19. & 22. *v.* 21. *Levitic.* 24. *v.* 16. & 20. *v.* 18. & 21. *v.* 9. *Exod.* 31. *v.* 14. cum *Numer.* 15. *v.* 35. III. *Quæst.* An nullis pœnis coërcendi sint illi, qui artibus magicis & ludicris præstigiis solummodo homines oblectant, nemini damnum inferunt? *Resp. Neg. Quia* cum jurato generis humani hoste conspirant; & *quia* animabus suis atque aliorum nocent; dum homines dæmonum ingenio, arti, potentiæ, auxilio familiariter sine metu assuescere, atque in tam nefariâ magorum associatione ac conventione, ejusque detestandis effectis voluptatem capere docent? Vide contra *Ephes.* 6. *v.* 11. 13. cum *Luc.* 4. *v.* 7. & 1. *Petr.* 5. *v.* 8. 9. & 2. *Cor.* 11. *v.* 3. Quid quod servator, ne veritatem quidem ex dæmone audire sustinuerit. *Luc.* 4. *v.* 41. Ut nec Paulus *Actor.* 16. *v.* 17. Quomodo ergo Christiani otiose se oblectabunt ludicris nequitiis & operibus tenebrarum, instinctu & ope principis tenebrarum patratis? IV. *Quæst.* An coërcendi sint, qui jactant artis nefariæ peritiam, aut dæmonem παρεδρον seu familiarem aut pactum cum dæmone, aut qui miris à se patratis & patrandis gloriantur: cum nihil tale sit, sed meros fumos vendant, *ut* inde gloriolam captent, aut homines argento emungant? *Resp. Affirm. tum* propter impostaram: *tum* quod hâc ratione hominibus & sibi ipsi, occasionem præbeant, de nefariis artibus cogitandi, easque revera affectandi: *tum* quod ea inaniter dicant, iisque glorientur, quæ turpe sit facere. Huc analogicè applica-

plica *Epheſ.* 5. *v.* 3. 12. V. *Quæſt.* An puniendi, qui magicis ſuis artibus, revera non efficiunt aut efficere poſſunt, quod putant, aut ſperant, aut promittunt? *Reſp.* Sunt qui opinantur potius ridenda & explodenda eſſe omnia illa tanquam chimæricas inanias, aut melancholicorum deliria & ὑπονήμια ὀνείρατα; quam ſerio caſtiganda & coërcenda. Sed diſtinguendum eſt inter improbos conatus, nefarias operationes, & diabolica pacta magorum: & inter intenta, affectata, putatitia & δεξάσκα quædam, ſed impoſſibilia effecta e. gr. mortuorum ſuſcitationem & ψυχαγωγιάν, hominum in bruta & viciſſim tranſformationem, amoris per philtra & odii per λύγρα pharmaca ac ceremonias concitationem, lunæ de cœlo deductionem, curſus aſtrorum inhibitionem & mutationem, elementorum tranſlationem &c. Nos iſta juxta cum illis, tanquam figmenta explodimus. Sed conatus ac nefarias magorum operationes, dæmonumque in ipſis mimicam & imitatrices præſtigias, extra omnem realitatem ad regnum chimericum relegandas, & conſequenter hanc hominum perfidiam, & mille decipiendi ac nocendi artes ſuſque deque habendas non putamus. Si enim perfidia & proditio civium impunita non dimittitur, quamvis efficere nequiverint, quod intendebant: quanto magis nefaria cum dæmone conſpiratio, atque intentata rerum in Dei ignominiam, & damnum humani generis mutatio, hominumque deceptio, aut reale & corporale maleficium (quale philtris non raro infertur) pœnis coërcendâ ſunt.

VI. *Quæſt.* An etiam magiæ & divinationis interpretativæ atque indirectæ venditationes & operationes à Magiſtratu exterminandæ? *Reſp. Aff.* Nullibi diabolo dandus eſt locus. In ſpecie autem attendendum ad genethliacas, chiromanticas, & aſtrologicas prædictiones, ad onirocriticam, ad opliatriam, pulveres & unguenta ſympathetica ſeu aſtralia (uti vocant) ad quævis vana & ſuperſtitioſa amuleta, ad quæ vulgaris ignorantia confugit, quæque impoſtores vendunt ac venditant; quandoquidem mundus vult decipi. Magiſtratus omnium impoſturarum & ſuperſtitionum averruncus, hic ceſſare non debet, ſed male ementes, & vendentes coërcere. juxta *Pſalm.* 101. *vers* 8. Quod imprimis etiam applicatum volumus ad fictos, aut diabolicos enthuſiaſmos; quibus orbis Chriſtianus nimis quam hoc tempore infeſtus eſt.

De tractatione, ſcriptionibus, & diſquiſitionibus magicis, quæritur
I. *Quæſt.* An in Academicis lectionibus, diſputationibus, aliiſque exerci- 3.
tiis agi poſſit de magiâ? *Reſp. Aff.* ut detegatur, refutetur, & juxta cum aliis falſis ac noxiis opinionibus & deceptionibus, immo ſupra illas omnes quam odioſiſſima reddatur, & ut literati rectè de eâ informati, aliquando ex umbrâ ſcholarum in ſolem educti, homines pro ratione Spartæ, quam

nacti sunt, quam longissime ab eâ abducant. De Jureconsultis, nemo, ut opinor negabit, qui syllabum titulorum, eminus modo inspexerit; & nomina autorum, quos ex ordine JCtorum supra *part.* 2. citavimus, vel fando audiverit. Nec de philologis, & antiquariis, qui in historicis, oratoribus, poëtis, aliisque autoribus emaculandis, interpretandis desudant: & superiobus facultatibus ancillantur. Multo minus de medicis & philosophis, quorum est, proprietates, vires, actiones, passiones naturales rerum, præsertim hominis explicare, easque tum à fictis tum à supernaturalibus distinguere: Qui omnes cum eam prudentiam ac cautelam hic adhibent, quam in explicatione quorumcumque animi corporisque vitiorum adhibere debent; utique rebus noxiis aut inutilibus studiosæ juventutis animos non imbuent. Vide *medicorum & philosophorum tractatus* supra *citatos*. II. *Quæst.* An conveniat theologis de magiâ & divinatione, in exercitiis Academicis, & publicis scriptis tractare? *Resp.* Fuerunt aut erunt fortè unus & alter qui operam & gloriam in mei meorumque laborum insectatione ponere videntur, qui ex obliquo quid obloqui & perstringere velint: an eruditionis & lectionis, an vero caritatis, an utriusque defectu, ego non dicam. Quod si lector in ejusmodi libellos casu forte inciderit, is meminerit, quæ hâc occasione suggeram. I. Omnes theologos, quorum bonam partem supra indicavi, mihi hic præviisse. Quod illis laudi ducitur, mihi vitio verti non potest; qui multas chartas, nedum ut omnes meas, illis disquisitionibus non implevi; sed paucarum scedarum diatribâ Anno 1636. hâc editione nunc auctâ discipulis nostris conceptus præformavi. II. Abominationem istius peccati, & periculum, quod ex detectione & refutatione illius metuendum sit, non posse theologis silentium imponere, sed quidem in dicendo & scribendo prudentiam: haut aliter ac in detectione atheismi, idololatriæ, hæresion, blasphemiæ, æquivocationis, mentalis reservationis, perjurii, Machiavellismi, falsi & calumniæ, sacrilegii, aliorumque flagitiorum. Quod si comparatio fiat inter nefandas blasphemias & profanas hæreses hodiernorum Epicureorum seu atheorum, Libertinorum & semi-Libertinorum, Præ-Adamiticorum, Socinianorum, & inter crimen magiæ; sæpenumero, majus periculum ex illarum, quam istius detectione, ventilatione, & convictione metuendum videretur. In peccatis erga septimum præceptum convincendis, eam cautelam adhiberi volunt theologi, quam haut facile in monelis de tractatione magiæ, & plerorumque aliorum peccatorum invenias. Vide quid Pontificiis pœnitentiariis & impudenter & imprudenter hic agentibus exprobrent *Rivetus in explic. 7. præcepti*, & in *Mysteriis patrum Iesuitarum*, *Molineus in Novitate Papatus lib.* & *theologi*,

theologi Sorbonici Jesuitis, nominatim Thomæ Zanchez; quos allego in *Desper. causâ Papatus.*

Ratio manifesta est, quia peccata hęc tã ἐυπερίστατα, ut vix describi queant, quin ob hominum corruptionem apud quosdam doceantur, & suscitentur. III. Non tantum utile esse, sed & necessarium, ut theologi crimen magiæ intelligant, illiusque nefaria axiomata ac mysteria solidè confutent, & candidatis theologiæ Academicis exercitiis & scriptis pro re natâ prudenter has veritates inculcent. 1. *Quia* theologia textualis, seu explicatio scripturæ hoc requirit: ubi tot loca occurrunt, supra *part.* 2. indicata. Nec studiosi theologiæ in cursu Academico prohibentur legere aut consulere *commentaria nostrorum theologorum* ad loca citata: ubi similia aut eadem habentur, quæ in Academicis lectionibus proponi solent, aut possunt. 2. *Quia*, theologia didactica locorum communium, & catechetica hoc requirit: quæ sine explicatione decalogi (quæ theologiæ moralis, practicæ, casuisticæ nominibus aliquando insignitur) absolvi nequit. Ibi autem ad 1. & 3. præceptum de iis agendum est, quæ ad crimen magiæ pertinent. Inter theologos illi specialiter ad hoc tenentur, qui catecheси Palatinæ subscripserunt; in quâ *qu.* 94. mentio fit *magiæ* & *divinationis*. Idem habent *catecheses VVittebergensium* anno 1571. edita, *Brentii*, *Cythræi*, & *catechesis Anglica* an. 1648. concepta ac Parlamento oblata à cœtu theologorum Londini congregato. 3. *Quia* liturgica hoc requirunt, siquidem legenda, examinanda, & conferenda sint. Ne procul abeamus, vide modo *liturgiam nostram Belgicam tit. de cœnâ.* 4. *Quia* theologia elenctica hoc requirit, in controversiis contra Gentiles, Judæos, Cabalistas, Epicureos, Pontificios; uti supra ostensum est. 5. *Quia* theologiæ scholasticæ tum antiquæ tum hodiernæ Pontificiæ lectio, aut saltem deguſtatio, & cum nostrâ collatio hoc requirit. Inspiciantur modo *commentationes & disputationes scriptorum* pœne ἀναριθμήτων ad 22. qu. 95. & 96. & *ad* 2. *Magistri dist.* 7. 6. *Quia*, theologiæ patristicæ & conciliaris lectio aut saltem deguſtatio & collatio hoc requirit. *Vide decreta conciliorum*, de magicis superstitionibus, & de divinationibus, in *epitomâ Caranzæ*, & *in capitularibus Caroli Magni*, *Ludovici*, *Caroli Calvi*, *Tertulliani*, *Augustini*, *Chrysostomi*, *aliorumque patrum dicta* passim obvia sunt. 7. *Quia* politiæ ac disciplinæ ecclesiasticæ, & nostratium decretorum synodicorum in Belgio contra illas superstitiones intelligentia & defensio hoc requirit. 8. *Quia*, intelligentia juris canonici, quod theologi datâ occasione inspicere, consulere, conferre, examinare coguntur, idem requirit. 9. *Quia*, theologia historica, seu studium historiæ ecclesiasticæ, ubi de hæresibus & sectis agitur, occasionem dat inquirendi de magiâ, divinatione

tione &c. 10. *Quia* repetitio & collatio philologiæ atque historiæ latinæ, græcæ, hebraicæ, orientalis, quam diligens theologus nunquam deponere potest, scientiam hanc postulat. 11. *Quia*, repetitio & collatio philosophiæ ac philosophorum, quæ erudito theologo tam necessaria, non sinit eum omnis cognitionis hic expertem esse. 12. *Quia*, dubia & casus conscientiæ theologis & ministris toties circa hanc materiam offeruntur, ut rasa tabula hic esse nequeant: nisi se & autoritatem ministerii apud domesticos & extraneos prostituere velint. Sed objiciat quis, libri magici à theologis non tantum indecorè & periculosè leguntur, atque inter refellendum citantur; sed & occasio objicitur curiosulis quibusdam in illos libros inquirendi, eorumque lectionem affectandi. *Resp.* Non puto à theologis sordes & cloacas librorum magiam docentium, aut defendentium, seu excusantium, multum perreptâri: nisi gravissimâ necessitate urgente aliquem eorum, qui habetur aut haberi potest, inspicere aut conferre cogantur; tantum abest, ut libros magicos sepultos suscitent & in lucem protrahant. Sed objiciant hoc illis, qui blasphemos libros Socinianos, aut publicè damnatos libros Præ-Adamiticos, aut fanaticos & Libertinicos, aut Cabalisticos, & Judaicos, aut Muhammedicos, aut Gentiles, Atheos, Epicureos, de novo edunt; (ali quando nunquam editos, aut jam Lethes quasi fluvio absorptis); aut publicè refutant, aut in scholis trivialibus prælegendos censent: e. gr. Virgilium, Horatium, Senecæ Medeam, Theocritum &c. apud quos magica occurrunt; (uti supra indicavimus); & responsum ab illis exspectent, illudque nostræ causæ analogicè applicent.

DE IGNORANTIA.

Resp. HENRICO FRANCKEN, Amstelo-Batavo.

Ad diem 3. Martii. Anno 1655.

De Scientiâ & Ignorantiâ in genere tractant Philosophi: In specie de utrâque rerum divinarum Theologi, tum alibi in loco de theologiâ & fide, tum præsertim & ex professo ad primum decalogi præceptum. Nobis in præsentiarum visum est de Ignorantiâ, præmissis præcognitis, nonnulla quærere: quod ea ad casus conscientiæ enodandos, non parum momenti adferant.

1. IGnorantia gr. ἄγνοια, quæ vox apud sacros & profanos scriptores notissima: quæ & ἀγνοησία 1 *Corinth.* 15. *v.* 34. cum quo convenit ἄγνόημα *Hebr.* 9. *v.* 7. ubi propriè actualem ignorantiam seu potius *erratum* notat, effectum scil. ignorantiæ habitualis.

Cu

Cui observationi firmandæ facit quod *Suidas in lexico* ἄγνοιαν habitum pravum & falsum significare, probat ex Demosthene & Phalaride. Hebraicum vocabulum simplex generică significatione in sacris literis, quod sciam, non occurrit, quod ἄγνοιαν ignorantiam communiter acceptam exprimat. Nam שגגה *schegaga* propriè notat errorem practicum culpabilem, qui effectum est ignorantiæ habitualis. Per compositionem ergo vocis *scientiâ* cum particulis negantibus (qualia בלי אין לא) ipsi exprimunt, ut *Iobi* 38.2. Et sic *paraphrastes Chaldæus Iobi* 35. 16. מרליח מנרעא *sine scientiâ*, hoc est inscienter: & *cap.* 34. 55. לא במנרעה *non cum scientia. Deuter.* 4. *v.* 42. in textu sacro respondet phrasi latinæ *imprudenter, per imprudentiam. Syrus paraphrastes Actor.* 3. *v.* 17. & 17. *v.* 30. ἄγνοιαν exponit per voces simplices טעיהא *taigniouto* & טועיי *tougnai*: sed illæ propriè significant deceptionem, errorem, πλάνην ἀπάτην. sicuti conjugatum earum *Math.* 27.63. מטעינא *mathgnajono* πλανὸν impostorem, seductorem. Idem dicendum de של 2 *Sam.* 6. 7. quæ Chaldaicè apud *Danielem* 6. 5. & 3. 29. ubi cum ה loco ן. Eadem occurrit in Targum *Num.* 15. 25. *Deuter.* 29. 18. &c. Vox simplex Arabum כהל *siahl* genericè opponi videtur voci *ilm.* id est, scientię; & *Paraphrastes Arabs* eam adhibet 1. *Pet.* 1. *vers.* 14. ad explicandam vocem genericam ἀγνοίας. Quam alibi (*Actor.* 3. 13. & 17. 30.) explicat per דלאלה *dalalat*: Quâ voce alioquin exponere solet πλάνην *Iacob.* 3. 1. *Iohan.* 4. 6. *&c.* & ἀπάτην, id est, fallaciam, deceptionem *Ephes.* 4. 22. 2. *Thess.* 2. 10. &c. ita ut hæc vox specialiter potius significet errorem, seductionem, deceptionem, fallaciam. Synonyma ejus vel generalia, vel specialia *Illa* sunt *insciția*, ἀγνωσία. Synonyma specialia sunt quam plurima, quę omnia sigillatim non numerabimus, sed tantum in istas classes distribuimus. 1. Quæ propriè & primò significant impotentiam seu defectum naturalem intellectionis, vel congenitum, vel accessorium, vel totalem magis, vel magis Partialem; ut sunt *delirium, deliratio,* παραφροσύνη, μελαγχολία, *passio hypochondriaca, mania, paraphrenitis, phrenitis,* φρενοβλάβεια, φρενοβλάψεια (quorum Synonyma conjugata φρενόληπτος, φρενοπλήξ, φρενόμωρος); μώρωσις, *stultitia, amentia, fatuitas.* De quarum vocum acceptionibus & distinctionibus consulantur *institutiones & lexica Medicorum*: quibus addejim primis *Paulum Zacchiam in quæstionibus Medico-legalibus.* Sunt & vocabula læsionem cognitionis per specialem corporis affectum designantia, ut *lethargia*, (cujus conjugata, lethargicus, lethargus, veternosus): *corybantiasmus*, de quo eruditè *Scaliger in Commentario ad Catullum Poemate* 38. *vers. ult.* ubi explicat phrasin *solet hæc imaginosum, Plinius lib.* 11. *cap.* 37. exponit de iis, qui patentibus oculis dormiunt, instar leporum: Qui nam fuerint Corybantes

bantes, à quibus morbum hunc immitti credebant, vide apud *Natalem lib. 9. mythol. c. 5. & 7.* ἴλιγγες, id est, *vertigines*, de quibus Medici, & extat de iisdem *opusculum Theophrasti*; estque ejus conjugatum *vertiginosus*. Est etiam hodie pervulgata phrasis *innocentiæ*, & *innocentium*: de cujus perversa applicatione ad errorem & superstitionem, vide quę notamus in 2. *part. dispp.* ubi *de Simplicitate & Hypocrisi.* 11. Synonymum ignorantiæ speciale oppositè ad eruditionem, seu studia literarum ἀπαιδευσία, apud profanos Scriptores, cujus conjugatum ἀπαίδευτος occurrit 2. *Timoth.* 2. 23. cum quo convenit ἄλογος, & duo conjuncta *Actor. vers.* 13. ἰδιώτης & ἀγράμματος. Quorum prius etiam habes 1. *Cor.* 14. *vers.* 16. 23. 24. & 2. *Corinth.* 1. *vers.* 6. Huc etiam pertinent *barbaries*. barbarus (quæ vox etiam occurrit *Rom.* 1. *vers.* 14. 1. *Corinth.* 14. 11. *Coloss.* 3. 11. *Actor.* 28. 2. 4.) qui scil. literis aut moribus excultus non est: q.d. ἄγροικον, agrestem, sylvestrem. Est enim hæc vox origine hebræa, uti constat ex dialectis ejus Chaldaicâ & Rabbinicâ, ubi בר & ברא significat extra, foris, agrum, locum incultum aut sylvestrem: & ex linguâ Arabicâ, ubi ברירת *barriat* campum, desertum, & ברי *barri* agrestem, sylvaticum, exterum significat; & nomen proprium ברבר *barbari* Barbarum h. e. Africanum, incolam illius partis Africę, quæ vulgò *Barbaria* dicitur. Huc facit quod *Herodotus in Euterpe* testatur antiquos Ægyptios omnes sibi non ὁμογλώσσους vocasse Barbaros. Quomodo autem appellatio Barbari moribus aut sermone incultis *gentibus*, immo etiam satis cultis tributa sit à Græcis, & Romanis, vide apud *Strabonem l.* 14. *p.* 455. & ibi *Casaubonum*. Et apud *Suidam* & *Hesychium in Lexicis*. Imprimis apud recentiores *Stuckium in comment. ad Ariani periplum maris Erythræi pag.* 7. coll. cum *p.* 26. & post eum, *Meursium in commentar. ad Lycophronis Cassandram p.* 143. 204. 347. *Heraldum* & *Raderum ad Martialis epigr.* 1. *Grotium in notis ad Rom.* 1. 14. & *Coloss.* 3. 11. cum quibus conferatur *Erasmi annotatio ad* 1. *Corinth.* 14. 11. Denique topographicè de Barbaris & Barbaria agit *Bochartus part.* 1. *Geograph. sacræ lib.* 2. *cap.* 23. Adde quod *Canones Ecclesiæ Africanæ can.* 52. Mauritaniam, quæ imperii pars erat, τῷ Barbarico ibidem in Africa opponunt, & *Concil. Chalcedonense, can.* 28. ἐπισκόπους τῶν ἐν βαρβαρικοῖς appellat, omnes extra terras imperii Romani degentes. Ubi vide in *notis Iustelli* insignia loca Autorum collecta. Nec prætereundum est, quod sphæra Ægyptiaca appellari solet Barbarica, ut à Græcania distinguatur, de quâ distinctione *Scaliger in notis ad Manilium l.* 5. *in principio*. Quod autem *Epiphanius in Panario lib.* 1. non procul à principio, Scythismum à barbarismo distinguit, quasi non esset ei subordinatus, ut species generi, id minus accuratum videtur. 111. Oppositè

ad

ad πεῖραν & scientiam experimentalem, dicitur ἀπειρία; cujus conjugatum ἄπειρος Lat. *rudis*. (Vide *Aristotelem* 1. *Metaphys.* 1. *cum commentator.* inter alios *Fonseca*): Vocem hanc sed communiori acceptione, adhibet Apostolus *Hebr.* 5. *vers.* 13. IV. Oppositè ad scientiam seu sapientiam practicam & prudentiam *amentia*, *dementia*, *stultitia*, *fatuitas*, *insania*, *stupor*, (cujus conjugatum *stupidus*, qui & *obtusus*, *tardus*, Gr. βραδὺς τῇ καρδίᾳ *Luc.* 24. & νωθρὸς *segnis Hebr.* 5. *vers.* 11. & 6. *vers.* 12.) *imprudentia*, *insipientia*, *vecordia*, Græc. ἀβουλία, παραφρονία, 2. *Pet.* 2. 17. ἀσοφία, cujus concretum ἄσοφος, *Ephes.* 5. *vers.* 15. ἀπόνοια, ἀνοησία, παραφρόνησις, ἄνοια, cujus concretum ἀνόητος, *Luc.* 24. *Gal.* 3. *vers.* 1. μωρότης, & μωρία, τὸ μῶρον, 1. *Corinth.* 1. *vers.* 18. 25. cujus conjugata μῶρος, *Matth.* 5. 22. & 7. 26. &c. μωραίνω, *Rom.* 1. *vers.* 22. Apud profanos Scriptores etiam usitata sunt, ἀγνωμοσύνη, ἀγνώμων, ἀγνωμος, sed quæ improbitatem aut perfidiam consignificant. Adde & λήρησιν, id est, nugationem, delirationem: cujus conjugata λῆρος, ληρῶδες, λήρημα, id est, nugamentum aut deliramentum stolidè atque insipienter effutitum. Cum quo conveniunt Latinorum metaphorica, *insulsum*, *insipidum*, &c. Hebræi specialem hanc ignorantiam circa τὰ πρακτὰ, vocant נבלה & נבלות *Genes.* 34. 7. *Hos.* 2. 10. cujus conjugatum נבל *Psal.* 14. 1., & synonymum בער *Psal.* 73. 22. & 92. 7. אולת *Psal.* 38. 6. כסל & כסילות *Psal.* 49. 14. *Proverb.* 9. 13. סכל & סכלית *Eccles.* 10. *vers.* 1. 6. הוללה *Eccles.* 1. 17. & 10. 3. חהלה *Iob.* 1. 22. metaphoricè insulsitas, fatuitas. Est & vox שנעון *Deuteron.* 28. *vers.* 28. 34. coll. cum 1. *Sam.* 21. *vers.* 14. 15. quæ propriè insaniam & amentiam naturalem significat. Synonyma שגעה & שגעון supra attigimus. V. Ignorantia quæcunque sive theoretica, sive practica, sive puræ negationis, sive pravæ dispositionis, si cum ambitiosè ac vanè ostentata & jactata scientia conjuncta sit, specialiter & propriè dicitur, μωροσοφία q. d. *insaniens*, aut *stulta sapientia* & effectum ejus μωρολογία, μωρολόγον. Quò refer τὸ μωρόβουλος *stultus & inceptus consultor*, oppositè ad σοφόβουλον; & δεξόσοφος oppositè ad ὄντως σοφον. Morosophiam hanc scriptura circa res divinas propriè & concinnè vocat γνῶσιν ψευδώνυμον, 1. *Timoth.* 6. 20. *Sapientiam hominum seu humanam, hujus mundi, hujus sæculi.* 1. *Corinth.* 1. *vers.* 20. & 2. *vers.* 5. 6. 13. *carnalem*, 2. *Cor.* 1. 12. & habentem rationem λόγου sapientiæ, *Coloss.* 2. *vers.* 23. VI. Præter phrases à naturali aut adventitio, sed inculpabili, defectu ratiocinationis desumtas ad culpabilem ignorantiam, omnemque stultitiam denotandam (quarum præcipuas modo num. 1. enumeravi,) sunt etiam non paucæ metonymicæ aut ironicæ, aut metaphoricæ, & parabolicæ, aut adagiales, aut catachresticæ, ex. gr. simplici-

tas, ἀπαλότης ἀναισθησία, *bonitas, innocentia*, εὐμάρεια, id est, *facilitas, levitas*, ἀρχαῖος & ἀρχαικῶς, ad hæc qui peponem pro corde aut cucurbitam aut pumicem pro cerebro habet, fungus, asinus, caudex, Chorœbus, Codrus, Mænas, Baccha, Corybantes, Corybantiasmus, Enthusiasmus, Ecstasis, ecstaticus, ceritus, Codro stultior, Monacho indoctior, ἠλιθιότης & ἐξηλιθιότης (de extremâ dementia), bardus, blennus, plumbeus, bliteus, insulsus, brutus, brutalis, bestia, pecus, sus Bœotica, pecus Arcadicum, auris Batava: de quo postremo adagio, vide *Erasmum in Chiliadibus*. VII. *Denique* ignorantia practica circa res divinas cum improbitate conjuncta, cum ad fastigium jam perducta est, vocatur ἀδόκιμος νοῦς, *Rom.* 1. *vers.* 28. & metaphoricè πώρωσις, cauterizata conscientia, *Ephes.* 4. 18. *Rom.* 11. 25. &c. 1 *Timoth*, 4. *vers.* 1. τύφλωσις *Ioh.* 12. 40. 2. *Corinth.* 4. *vers.* 4. & concretum, τυφλὸς, *Matth.* 17. 19. μῶροι καὶ τυφλοὶ: Et velamen cordi impositum, 2. *Corinth.* 3. & רוח הרדמה, id est, spiritus profundi soporis, *Iesa.* 29. 10. Græc. πνεῦμα κατανύξεως, *Rom.* 11. *vers.* 8.

2 Distinctiones ignorantiæ ex Philosophis, Theologis, Jureconsultis variæ colligi possent. Nos in præsentiarum istas ex genere, specie seu forma, causa, objecto, actibus & circumstantiis desumptas sic efformamus. I. Secundum genus distinguitur *in habitualem seu permanentem, & actualem seu transeuntem*. *Permanens* est vel originalis seu congenita, vel acquisita. *Illa* est, quæ ab ipsâ origine omnibus hominibus post lapsum inhæret: de quâ in loco de peccato originali. *Ista* est, quæ per malam educationem, aut negligentiam, aut alio quovis modo contracta inhæret. *Ad actualem* reducuntur, inadvertentia, inconsideratio, distractio, oblivio actualis seu non-recordatio; quæ quamvis suspensionem aut impedimentum intellectionis denotant. Quibus opponitur consideratio, attentio, recordatio, memoria: de quibus Theologi practici & ascetici. II. Secundum speciem & formam distinguitur in contradictoriam seu negativam, privativam, contrariam. *Negativa* est, defectus quo subjectum, sive absolutè natura sua, sive ex hypothesi certi status & conditionis incapax est alicujus cognitionis. Sic angeli & beati in cœlis ignorant cogitationes cordium, & contingentia futura, etiam præsentia, siquidem ipsi absentes sint, & Deus iis non revelet. Pariter non cognoscunt, nec cognoscere possunt Deum per essentiam, ut est in se: de quo *disp. nostra, de Visione Dei per essentiam*. Ex hypothesi certi status, nulli fideles in hâc vitâ, ne quidem Prophetæ & Apostoli, cognoscunt Deum cognitione perfecta & faciali (uti vocant) in lumine gloriæ. 1. *Corinth.* 13. Ex simili hypothesi Christus viator ignorabat diem judicii, *Marc.* 13. uti *nostri in*

loco

loco communi de Personâ Christi rectè probant. Videantur *locor. commun. Scriptores*, & *Antagonistæ Vbiquitatis*, & *Pontificiorum*. Ita etiam in infantibus modo natis actu omnium rerum divinarum & humanarum ignorantia est, sed purè negativa. *Privativa* est, quando subjectum secundum speciem suam sive absolute sive ex hypothesi certi status non est incapax oppositæ scientiæ. Estque ea triplex, nec Damnosa, nec culpabilis; Damnosa & non culpabilis; Damnosa & simul culpabilis. I. *Est* vel rerum universalium, vel particularium. *Illa* est multarum rerum in Theologiâ, aliisque disciplinis, quas Deus aut in totum, aut ex parte noluit per lumen naturæ aut scripturæ revelare. Et hæc vocari potest, *docta ignorantia*, & consequenter *affectanda*: de quâ postea οὐ θεμ peculiariter agemus. *Ista* est multarum rerum particularium, quæ vel ad speciales hominum vocationes, artes & vitæ occupationes, vel ad statum, conversationem, actiones singularium quarumque personarum pertinent. Sic e. gr. ignorat quis agricola glebæ suæ astrictus, & succo suo vivens, artem nauticam aut pictoriam, aut architectonicam, aut linguas Japonicam, Cambrobritannicam, Finnonicam, &c. Adhæc ignorat Hermachus, quo elephante heri aut nudiustertius vectus sit Imperator Mogulicus, quæ & quot fercula mensæ suæ in hodierno prandio imposuerint omnes vicini aut concives. Quid intra domesticos parietes hodiè egerint aut locutæ sint singulæ matres-familias, &c. II. *Est* circa γνῶσιν vel juris, vel facti. *Illius* exemplum est simplex ignorantia legis scriptæ, aut Euangelii in iis, qui nunquam ea audire potuerunt, *Rom.* 2. 12. coll. cum *Rom.* 10. 15. *Istius* exemplar est omnis ignorantia theoretica, e. gr. Algebræ, & Geometriæ, aut Metaphysicæ, &c. in iis, quibus scientiæ illæ utiles essent, sed qui per infelicitatem ingenii eas assequi ne queunt, quamcunque industriam adhibeant. Adhæc omnis invincibilis ignorantia practica sive juris positivi particularis, sive facti; quæ ignoranti aut proximo damnosa est. III. *Est* omnis ignorantia vincibilis: quæ duplex, vel juris, sive divini, sive humani; vel facti. *Illius* exempla sunt, cum quis in Christianismo natus & educatus, ignorat elementa religionis Christianæ: cum civis ignorat leges suæ civitatis; cum Principes & Magistratus ignorant leges & jura Reipublicæ fundamentalia. Huc refer, cum Medicus, aut Jureconsultus, aut Geometra Practicus, aut Nauclerus, &c. praxin suæ artis profitetur & capessit, cujus tamen neeessaria & principia ignorat, cum ea ex vi vocationis suæ scire debuisset ac potuisset. *Istius* exempla quotidiè se offerunt. Sed de hâc mox infra. *Contraria*, est perversa omnis & corrupta scientia, quæ propriè *error*, *fallacia*, *deceptio* dicitur; & in Scripturâ πλάνη, ἀπάτη, תעה, item ψευδώνυμος γνῶσις, 1. *Timoth.* 6. 20. σοφία σαρκικὴ, 2. *Corinth.*

2. *Corinth.* 1. 12. λόγος σοφίας, *Coloss.* 2 23. insaniens aut stulta sapientia, μωροσοφία, qualis denominatio ex 1. *Corinth.* 1. coll. cum *Rom.* 1. *vers.* 22. colligi potest. III. Secundum speciem distinguitur, à Philosophis in puræ negationis; & pravæ dispositionis, ex *Aristotele* 2. *poster. analytic.* Prior coincidit cum contradictoria & privativa: posterior cum contrariâ. IV. Rursum secundum speciem & formam moralem distinguimus in *bonam* & laudabilem seu affectandam: *malam* seu culpabilem: *neutram*, seu tolerabilem. *Illius* exemplum est Docta ignorantia: *Istius* est omnis ignorantia privativa tertii generis. *Hujus* est, omnis ignorantia privativa secundi generis, quæ quamvis damnosa sit, non tamen est culpabilis. IV. *Secundum causam*, seu in ordine ad voluntatem (uti loqui amant Scholastici), distinguitur ignorantia in *invincibilem*, seu *involuntariam*, *probabilem*, *inculpabilem*: & in vincibilem seu *voluntariam*, *culpabilem*, *improbabilem*. 1. *Prior* est, quæ excusat in totum à peccato sive in foro poli, sive in foro soli, sive in utroque. *Gerson part.* 2. *in tract. de Naturâ & qualitate conscientiæ*, distinguit eam in *innatam*, & *incidentem*. *Illius* exempla sunt in infantibus, & in planè amentibus à nativitate: ubi ignorantia cujuscunque juris aut facti in totum excusat. *Incidens* nobis rursum duplex est, actualis & facti, aut habitualis. *Illius* exemplum est *Deut.* 19. *vers.* 4. 5. *Ista* rursus à *Gersone loc. cit.* dispescitur in inculpatam & culpabilem. *Inculpata* est e. gr. quando quis operam dans rei licitæ, incidit in phrenesin aut aliam quamcunque totalem mentis emotionem. *Culpabilis* est, quando quis ebrietate, aut alia quacunque culpa sua sibi accersit mentis impotentiam. Quæ postrema quamvis involuntaria sit in se, voluntaria tamen est in causa: Itaque ad sequentem ignorantiam rejicienda. 2. *Posterior* est, quæ vel nullo modo vel saltem in tantum plus minusve (prout plus aut minus de voluntario participat) excusat. Et hæc voluntaria ignorantia, est talis, vel *in causa*, vel *in se*: quæ etiam dici possit, vel causalis, vel formalis. *Ignorantia voluntaria in causa*, sive circa jus, sive circa factum, vel est communis, vel specialis. *Communis* est ignorantia & cœcitas omnium posterorum Adæ ab ortu inhærens: quæ propriè *originalis* dicitur: de quâ *Genes.* 8. 2. coll. cum *Psal.* 58. *vers.* 4. *Specialis*, est quælibet ignorantia voluntaria, secundum particularia quælibet subjecta & objecta varians. Sic e. gr. ignorantia facti, quando quis planè ebrius occidit hominem, est voluntaria tantum in causa. Huc refer Lothi incestuosum concubitum. *Genes.* 19. *vers.* 33. 35. Et talis est etiam quædam ignorantia juris: quando scil. quis culpa sua phrenesin, aut quamcunque totalem mentis emotionem sibi accersit, per quam necessaria cognitio circa quævis jura totaliter cessat, aut valide turbatur. Ad ignorantiam

vo-

voluntariam in causa, pertinet vulgaris distinctio *Philosophorum ad* 3. *Nicomach. cap.* 1. & *Scholasticorum ad* 2. *dist.* 22. inter agere seu peccare quem *ignorantem*, aut *ignorando*, aut *ignoranter*: & inter peccare quem ex *ignorantia*, aut *per ignorantiam*. *Istud* fit, cum ignorantia est causa seu dispositio ad hunc aut illum actum; quem agens non ageret, si non ignoraret. *Illud* fit, cum ignorantia habet se contingenter ad operationem: ita ut propter eam agens, nec agat, nec ab actione cesset. *Ignorantia formaliter & in se voluntaria est vel crassa*, seu supina, vel *affectata*. *Crassa* est, quæ oritur ex ignorantis negligentia, seu lata culpa: cum quis nullam vel mediocrem diligentiam adhibet ad cognoscendum id, quod scire tenetur, sive circa jus, sive circa factum. Huc aliquo modo referri posset ἀναισθησία *stupiditas* illa quam quis negligentia sua aut mala assuefactione attraxit: describit eam eleganter *Theophrastus in characteribus*. Opponitur ei ἀγχίνοια, id est, *solertia*, de quâ theoreticâ *Philosophi ad* 1. *poster. analyt.* & *practicâ ad* 6. *Nicomach.* *Affectata* est, quando quis studio ignorat & ignorare vult, quæ scire debet. Hæc differt à *crassa*, quod etiam velleitatem necessaria aut utilia sciendi excludat; crassa verò non semper excludat. De hâc intelligi possunt textus, *Psalm.* 36. *vers.* 4. Video eam cum gradu eminentiæ consideratam distingui posse in superstitiosam, & in improbam seu malignam. Ignorantia affectata *superstitiosa* est, cum quis ex superstitione omnem voluntatem & velleitatem sciendi, quantum in se est, abjicit. Et talis videtur fuisse ordinis illius monachorum, tit. *Fratrum ignorantiæ*, cujus duo Scriptores nostri meminerunt, non tamen laudatis Autoribus, unde historiam hanc didicerint. Unus est *Hospinianus cap.* 70. *fol.* 276. *b. de origine Monachatus*. Alter *Keckermannus lib.* 1. *præcognit. Philosophic. cap.* 3. *ubi in solutione ad* 1. *object. dicit*, eos nihil scire voluisse *præter Christum, Mariam, & quadam etiam de Francisco. Hospinianus loc. cit.* dicit *eos putasse, nihil scire summum hominis bonum esse*. An & quid de hoc ordine fuerit, non vacat nunc inquirere. *Improba* seu *maligna* est, cum quis carnis voluptatibus omnique improbitati totus deditus omne lumen veræ scientiæ odit, fugit, insectatur: ut tanto liberius peccet. Hujus gradus seu modi constitui possunt tres. *Primus* est eorum, qui discentiam præ se ferunt, nunquam ad cognitionem pervenire volunt. 2. *Timoth.* 3. 7. *Secundus* est eorum, qui nec ipsi ex se sciunt, nec ab aliis discere aut meliora monentes audire volunt, 2. *Pet.* 3. *vers.* 5. *Psal.* 36. 1. 4. *Ierem.* 36. 23. *Tertius* est eorum, qui scientiam in se & aliis oderunt, eamque quantum in se est, avertere atque abolere student. Vivum abominandæ ejusmodi ignorantiæ exemplum præbuit Papa Paulus 2. qui (teste Platinâ) *humanitatis studia ita oderat, & contemnebat, ut ejus studiosos uno*

nomine

nomine hæreticos appellaret: Hanc ob rem Romanos adhortabatur, ne filios diutius in studiis literarum versari paterentur, satis esse si legere & scribere didicissent. Eidem *Genebrardus in Chronologia* hoc adpingit elogium: obiit *omnis eruditionis & virtutis hostis.* Sub eodem hoc vexillo militabant passim Theologi Barbari in Academiis & Monasteriis, ab instauratoribus literarum, *Erasmo, Ludov. Vive, Reuchlino, Scriptore epistolarum obscurorum virorum, &c.* exagitati. v. *Secundum objectum* distinguitur in Philosophicam, Theologicam, Medicam, &c. denominatione à disciplinis desumptâ. Sed commodius distinguemus in Theoreticam & Practicam; & utramque in ignorantiam principiorum & conclusionum. Practica rursum est vel juris vel facti. Jus distinguitur in divinum, naturale, & humanum. Juris naturalis sunt vel principia, vel axiomata, vel particulares conclusiones. Principia sunt vel universalissimum, malum scil. fugiendum, bonum faciendum: vel universalia, Deum colendum, quod tibi fieri nolis, alteri non faciendum, &c. Jus divinum est vel perpetuum, & quod ad hominem naturale; vel mutabile, positivum scil. legis ceremonialis, & forensis Mosaicæ. Jus humanum est vel Civile, vel Ecclesiasticum. Secundum has juris distinctiones distinguitur ignorantia. *Factum* est vel nostrum, vel alienum. Et hujus respectu duplex est ignorantia facti. De priori ex professo à *Theologis* agitur *in loco de Conscientiâ*: quæ rursum distinguitur in triplicem: eam scil. quæ est facti nostri in se; quæ est circumstantiæ; quæ est sequelæ ad factum. Et hæ distinctiones ignorantiæ ex objecto desumptæ. Cum quâ coincidit distinctio Alexand. Ales & Gabriel., ex subjecto desumpta, ut alia sit in intellectu speculativo, alia in practico. Hanc describunt, quod secundum eam peccans, non habet experientiam boni, aut judicat actum malum nunc faciendum, non quidem ut malum, sed ut conveniens utile aut delectabile. VI. *Secundum actum* peccati, aut circumstantiam temporis distinguitur ignorantia apud *Casuistas*, & *Scholasticos ad* 2. *dist.* 22. & *ad Thomæ* 1.2. *qu.* 6. *artic.* 8. in antecedentem, concomitantem & consequentem. *Antecedens* est causa & dispositio ad peccati actum; & quâ non posita actus malus non fieret. *Concomitans* est, dum quis peccando aliqua ignorat, quæ nec sunt causa, nec effectus peccati: vel, quæ si non adesset, actus nihilominus fieret. *Consequens* est, quæ est pœna & effectus peccati: quæque adeo quovis modo est voluntaria, quippe volita aut formaliter, ut *affectata*; aut virtualiter, ut *supina*, uti loquitur *Thomas loc. cit.*

3 Notemus nunc causas & effecta ignorantiæ. *Causa* ignorantiæ superior, ordinans & gubernans scil. (non verò producens,) Deus *Isa.* 63. 17. coll. cum 6. *v.* 9. 10. & 2. *Thess.* 2. 10. 11. Modū hujus gubernationis efficacis &

justę

justæ explicant *Theologi in loco de Providentiâ Dei in malo*, & *nos* in *disp. de Conversione Iudæorum*, *de Methodo respondendi calumniis de Deo autore peccati*. *Inferiores* causæ sunt, universales quidem peccatum Adami, & inde singulis inhærens labes originalis, de cujus naturâ & propagatione agimus *in 1. parte select. disp.* *Particulares* sunt temperamentum implantatum, & adventitii casus, per quæ aut impotentia sciendi, aut imminuta potentia hominibus obtingit. Adde infelicem & malam educationem, brutales affectus, ignaviam, & inde scientiæ fastidium aut odium, & ignorantiæ affectationem. *Effecta* ignorantiæ sunt defectus & perversitas in appetitu rationali, omnibusque actionibus humanis, hoc est, peccata omissionis & commissionis tum privata, tum publica. *Ephes. 4. vers. 18. 1. Corinth. 15. vers. 34. Psal. 82. vers. 5. 1. Thessal. 4. vers. 5.* Idem probant hæc vulgata luminis naturalis axiomata: *Ignoti nulla cupido.* Et, *homine imperito nunquam quidquam injustius*, Et, *ars nullum habet inimicum, nisi ignorantem.*

Opponitur ignorantiæ, cognitio: Cujus habitus vulgò numerantur 4
quinque, secundum *Philosophum. 6. Ethic. Nicomach.* Quibus addenda sequentia: Habitus practicus principiorum, *synteresis* scil., *conscientia*, *fides divina.* Huc pertinent partim affectiones, partim media, certitudo, evidentia, subtilitas, ἀκριβεία, perspicacitas, sagacitas seu solertia, (Græc. ἀγχίνοια), sensatio, observatio, experientia, attentio, consideratio. Nec prætereundi habitus cognitionis imperfectæ, quales opinio, suspicio, conjectura, fides humana. De quibus consulendi *Philosophi in præcognitis*, & *cursibus Philosophicis*, præsertim *ad 6. Ethic. Nicomach.*, *ad poster. analyt.* & in *specialibus tract. de habitibus.*

MANTISSA.

Papatum in cultu divino & moribus ad tantam corruptionem prolapsum esse, nihil mirum; cum tanta fuerit ipsius ignorantia: primum in linguis, historiis, artibus, deinde eam necessariò subsequens in Scripturis & Theologiâ. De priori vide Ludovicum Vivem in Dialogis, in lib. de Causis corruptarum artium & in commentar. ad Augustin. de civit. Dei; Erasmum *passim* in notis ad N. Testamentum, & in Colloquiis, Epistolis, Antibarbarorum, Encomio Moriæ, cum egregiis commentar. Gerardi Lystrii Rhenensis; Agrippam de vanitate scientiarum; Espencæum *passim* in comment. in epistol. ad Timoth. & Titum; *De posteriori vide eosdem; & ex nostris* Robertum Stephanum in Apologia contra Parisienses; Marnixium in Alveario Ecclesiæ Romanæ; Gomarum in disp. de Antichristo, Hottingerum in Pentade p. 576. &c.

DE IGNORANTIA,
PARS SECUNDA.

Resp. ÆGIDIO de RAADT, Amstelodamensi, 10. *Martii*, 1655.

Subjicimus nunc aliquot Problemata ad materiam hanc de Ignorantiâ magis illustrandam. Ea dispescimus, in communia, & in specialia, Practica scilicet.

1 COmmunia sint ista. 1. *Probl.* An ignorantia sit bonum prosequendum, an verò malum triste (de turpi malo mox quæremus) fugiendum? *Resp.* Sunt homines brutales externis & corporeis ita immersi, ut supra animalem vitam nihil curare videantur. Sunt & alii *qui vel* ex stolidâ superstitione, ut Monachi illi dicti fratres ignorantiæ: *vel* ex malitiâ & protervia, felicitatem ponunt in ignorantiâ, ut Papa Paulus II. quorum superiori parte meminimus. Ejusdem ferè commatis fuerunt antiqui Pyrrhonii ac Sceptici, & hodierni illi sive atopi sive paradoxi, quorum partim libri, partim symbola memorantur: tit. *Quod nihil scitur*, Et, *de arte nihil credendi.* Adde *Agrippam de vanitate scientiarum.* Nisi quis dicat satyricâ mimesi vitia ab illo exagitata, aut eum in re ludicra ingenium ac stylum voluisse exercere. Quod ad symbola & adagia, occurrunt nunc ista. *Felices ignorantes*: &, *nil scire tutissima fides.* Quin & Theologus celebris in Papatu, (*Bellarminus* scil. *lib.* 1. *de Iustificatione cap.* 7.) ausus fuit contendere, fidem melius definiri per ignorantiam quam per notitiam. Vox sanè bovis, non hominis: itane virtus Theologica, qualem illi agnoscunt fidem, dicetur essentialiter esse ignorantia, hoc est, malum? Nec prætereundi Monachi eremitæ Hieronymi de sanctâ observantiâ, quibus in exordio studia scientiarum prohibebantur: ut magis dediti essent solitudini. Referente *Flavio Cherubino in compendio Bullarii*, *in schol. ad Bullam* 21. *Clementis VIII.* anno 1593. & hoc legisse se dicit in primitivâ hujus ordinis regulâ, quæ M. S. in Patris Bibliothecâ exstabat. Et Rodolphus Botereus Commentar. de rebus toto pænè orbe gestis lib. 16. pag. 563. edit. in 4. testatur: *ex professo huic generi monachorum* (anachoretis) *affectatam insciitiam, ut speculationi altius se defigant.* Nos contrarium statuimus. 1. *Ex* Scriptura: præsertim, *Proverbiis Salomonis*, ubi passim & toties sapientiæ, tanquam boni eximii consequenter elogia sapientum, & oppositæ ignorantiæ tanquam magni alicujus mali, & consequenter insipientum vituperia proponuntur. Loca non enotabo: esset enim totus ferè liber enotandus. 2. *Ex* præstantia cognitionis rerum divinarum, quæ est

fides

fides & Theologia: de quâ *Theologi in locis comm. de Theologiâ & de Fide.* Unde sequitur contrarium ejus ignorantiam esse malum & merum defectum. 3. *Ex* naturali appetitu scientiæ omnibus hominibus indito: atqui appetitus naturalis à Deo Creatore cum & in homine productus est bonus & boni; quia bonum est quod omnia appetunt, teste Philosopho 1. *Nicomach.* 1. Unde sequitur oppositum scientiæ, ignorantiam scil., esse malum. Appetitum autem talem sciendi omnibus natura inditum, probatur tum ex universali experientiâ, tum ex communibus illis luminis naturalis & rectæ rationis axiomatibus, quæ apud Aristotelem aliosque occurrunt. Metaphys. 1. cap. 1. *Omnes homines naturâ scire desiderant.* Quod deducit ibidem, certissimum indicans ejus argumentum, quod amant sensus externos, imprimis visum, per quem multa & varia cognosci possunt. Cicero lib. 2. de Finibus: *Natura cupiditatem ingenuit homini veri inveniendi.* Et lib. 5. de Finibus: *Tantus innatus est omnibus cognitionis amor & scientiæ, ut nemo dubitare possit, quin ad eam hominum natura rapiatur, nullo invitata emolumento.* 4. *Ex* eo, quòd ignorantia sit maximè damnosa, & *omnium suppliciorum gravissimum*, uti cum *Æliano lib.* 2. ex Pontificiis Jureconsultis, *Petr. Greg. Tholosanus lib.* 31. *syntagm. c.* 37. §. 2. Damna & mala ignorantiam consequentia, supra 1. *parte* §. 3. breviter indicavimus, Et facile ex oppositæ scientiæ Linguarum, Artium, Philosophiæ, Theologiæ, Medicinæ, &c. usibus ubivis decantatis, specialia quævis damna colligi possunt. 5. Accedit communis consensus sapientum. Inter alios huc adferenda, quæ colligit *Ius Canonicum dist.* 37. & 38. Sed objicitur contra hanc nostram determinationem. 1. *Object.* Aliqua ignorantia est bona & affectanda, e. gr. artis magicæ, & similium, quę essent occasio peccandi. Sic communiter Doctores, & Canonistæ cum *Augustino in Enchir. c.* 17. quod citatur *dist.* 38. *c. quamvis. Resp.* Aliud est absolutè & in se bonum esse, aliud per accidens aut alicui bonum esse, cui scil. scientia occasio peccati foret. Vide distinctionem boni apud Interpretes, Matth. 18. *bonum esset illi, &c.* Et 2. Petri 2. 21. *Melius ipsis*, &c. *Mala cognoscuntur, ut vitentur.* Sic rectè distinguit *glossa ibid.* Judices nosse debent magiam (historicè scil. aut speculativè), & qui de eâ justè judicaturi sunt. Idem dico de Theologis, qui loca Scripturę compluria, ubi magiæ fit mentio, rectè explicaturi, & conscientias de nefario hoc crimine, necessitate ita postulante, informaturi sunt. Plura in hanc rem diximus in *disp. de Magiâ*; ubi præstantiss. Theologorum nostrorum *tractatus de Magiâ*, *Hemmingii*, *Danæi*, *Perkinsi*, &c. indicantur. Confer supra *disp. de Magiâ append.* 2. §. *ult.* De omnium aliarum rerum malarum, aut per se minimè utilium scientia & ignorantia simile judicium esto. Conferantur, quæ Philosophi

losophi communiter commentantur de usu illius partis Logicæ, quę continet elenchos Sophisticos. Ex dictis calumnioſè inferri nolim, promiſcuè quarumvis rerum ſcientiam pariter, aut majori ſtudio, immo unicè futilium aut inutilium, aut minus utilium cognitionem quærendam. Conſilium noſtrum de ſtudiis Theologi candidè aperuimus *lib.* 1. *Bibliothecæ:* ut ineptis ejuſmodi calumniis nullus locus relictus ſit. 2. *Object.* Eſt aliqua ignorantia, quæ docta dicitur, & conſequenter affectanda: Ergo omnis ignorantia non eſt malum triſte, ſeu pœnæ. *Reſp.* De Ignorantia ita dicta *ſequenti diſp.* ex profeſſo agemus. Hic ſolummodo dicimus eam dici doctam non in ſe, aut quatenus ignorantia eſt; ſed reſpectu adjunctæ ſcientiæ, quà ſcimus hanc aut illam rem in totum aut in tantum ſciri nec poſſe nec debere, ideoque eam ut ignoramus ſic libenter ac ſapienter ignorare volumus, & à temerariâ ejus inquiſitione quieſcimus. Ex. gr. Ubi ſepultus eſſet Moſes cum Iſraëlitis doctè ignoramus, quia Deus nos ſcire noluit *Deuter.* 34. 3. *Object.* Exempla illa 1. *parte hujus diſp.* allata videntur probare, in omnibus hominibus non eſſe appetitum naturalem ſive innatum ſive elicitum ſciendi; ſed contra in multis eſſe faſtidium, immo & odium ſcientiæ; conſequenter non rectè ex appetitu naturali probari videtur, ſcientiam eſſe bonum ſeu perfectionem quam, oppoſitam verò ignorantiam eſſe malum. *Reſp.* 1. Appetitus ſcientiæ abſolutè, in ſe, ac per ſe ſpectatæ, nunquam interiori animi ſenſu ab ullo homine abnegari poteſt, quamvis exterius ignorantiæ amorem & ſcientiæ odium verbis profiteri, atque opere ipſo ſcientiam fugere & ignorantiam perſequi atque affectare videantur. Hic confer quæſtionem illam, An omnes homines natura nôrint eſſe Deum, & nulli ſint athei ſpeculativi. Ad quam certis ſub diſtinctionibus reſpondemus, & objectiones diluimus *in diſp. de Atheiſmo.* Quæ diſtinctiones & reſponſiones analogicè huc applicari poſſunt. *Reſp.* 2. Appetitum ſcientię innatum nullus homo excutere poteſt, non magis quam hominem exuere: ſed appetitum naturalem elicitum ſuſpendere aut impedire, aut illi contrarium elicere poteſt: non quod ad ignorantiæ amorem, aut ad odium & fugam ſcientiæ directè feratur, ſed indirectè & per accidens, ſeu propter aliud illi ſcientiæ conjunctum, moleſtiam ſcil. corporis aut magnos labores, aut externarum rerum jacturam, aut privationem voluptatum & vitiorum, quæ quis diligit, & quibus deditus eſt; adeò ut abſolutè & communiter appetitu naturali elicito nihilominus appetat ſcientiam; quamvis comparativè & poſitis iſtis circumſtantiis hic & nunc propter adjunctas difficultates aliaque ſibi & rebus ſuis (judicio ipſius) adverſantia eandem fugiat. Scientia enim in ſe & ſuis rationibus non includit imperfectionem, ſed eſt

perfectio

perfectio simpliciter; & sic non potest non appeti: per accidens tamen ratione adjunctorum suorum potest repudiari. Juxta illud, *video meliora, proboque, Deteriora sequor.* Huc analogicè applicanda distinctio illa, 2. *Corinth.* 5. *vers.* 4. 2. *Petr.* 3. *vers.* 12. sub quâ mortem & mundi incendium aliaque mala appetere & non appetere dicimur. De quo in *tractat. nostro de Termino vitæ*, & in *Disp. de Agoniâ & desertione Christi*, & in *disput. de Homicidio sui ipsius & spontanea flagellatione.* Potest etiam conferri, determinatio quæstionis, An & quomodo homo Deum, qui est summum & absolutè perfectum bonum, odisse possit. De quo in *disp. de Amore Dei.* Conferant, quibus vacat, de hâc quæstione disputantem *Fonsecam ad* 1. *Metaph.* 1. *quæst.* 1. & habebit, quod Papali fidei ignoranti, & fratribus ignorantiæ opponat. 4. *Object.* Pontificii suos studiosissime affectare docent ignorantiam, & quidem rerum divinarum, quin & errorem laicorum faciunt meritorium, siquidem in eo Episcopum suum sequantur; ut videre est in absurdis eorum pro fide implicita & carbonaria digladiationibus apud *Toletum lib.* 4. *Instruct. cap.* 7. §. 3. Ergo non videtur natura omnibus innatum esse sciendi desiderium. *Resp.* Ex Joh. 3. vers. 19. *Et hoc est judicium, quod lux venit in mundum, & homines dilexerunt tenebras magis, quam lucem.* Quomodo autem hoc fiat, explicatur per distinctiones modo allatas. Confer quæ Scholastici, & Casuistæ tum nostri, tum Pontificii disquirunt de iis, qui aut contra conscientiam suam, aut errante conscientiâ peccant. Utriusque generis errones & seductores cum pro ignorantia hic certant, in Papatu reperiri haud dubium est.

11. *Probl.* An ignorantia sit malum turpe, seu peccatum? *Resp.* 1. 2
Concl. Affi. De ignorantiâ juris aut facti in omnibus rebus, quas homo circa conversationem honestam & civilem communiter; & circa specialem suam vocationem œconomicam scholasticam, ecclesiasticam, politicam, militarem, &c. scire tenetur. Probatur hoc, tum ex Sacris Literis, *Psal.* 82. *vers.* 5. *tum* ex ratione ac necessitate naturali, medii scil. ad finem. In quo lumine & ratione naturali fundantur axiomata Philosophorum & leges Jureconsultorum de ignorantia excusabili & inexcusabili. Vide *Philosophos ad* 3. *Nicomach.* & *Iureconsultos ad tit.* 6. *lib.* 22. *Pandect. & tit.* 21. *lib.* 1. *C. Quando in delictis excuset ignorantia*, collectim exponit *Tholosanus lib.* 30. *c.* 11. Ubi distinguit ignorantes in tres Classes: ut prima sit eorum, qui scire nolunt, cum possint, & est peccatum: secunda eorum, qui volunt scire, sed non possunt: tertia eorum, qui quasi simpliciter nesciunt, non renuentes vel proponentes scire; quæ neminem, plene excusat, sed sic fortasse, ut minus quis puniatur. Plenius & operosius de his distinctionibus *Scholastici ad* 2. *dist.* 22. & *ad Thomæ* 1. 2. *qu.* 3.

2. *Concl.* Rerum divinarum ignorantia, etiam puræ negationis (nedum pravæ dispositionis), licet invincibilis sit, in se (ut originalis, quæ partem facit peccati inhærentis), peccatum tamen est; quia voluntaria est & vincibilis ratione causæ seu in causa sua, primo scil. peccato Adami: propter quod peccatum originale omnibus hominibus incumbit, tanquam justa pœna quod ad Deum, nihilominus injusta culpa, quod ad nos. Vide hæc explicata in *disp. de Propagatione peccati originalis.* Tenenda ergo hic distinctio inter invincibile absolute & omni modo; & invincibile ex hypothesi, seu respectu certi status. Quomodo *Commentatores Catechetici* & impossibile distinguunt ad *qu.* 9.; quos ibi vide. 3. *Concl.* In specie tamen & comparatè invincibilis dicitur ignorantia eorum, quibus verbum Dei nunquam revelatum est; & consequenter hâc ratione non culpabilis; neque enim dici potest, eos noluisse discere aut recipere verbum Dei, cum potuissent; quia nunquam ipsis revelatum aut prædicatum est, *Roman.* 10. Itaque non potuerunt; & sic immunes sunt ab illo peccato, Joh. 3. 19. *Quod lux venit in mundum, & homines dilexerunt, &c.* Hic ergo distinctio adhibenda, inter invincibile generaliter, absolute, & in causa, & inter invincibile specialiter, hypothetice, & quidem in se. Posteriori respectu gentes, quibus nulla occasio Euangelicæ prædicationis unquam affulsit, immunes sunt à peccato infidelitatis & ignorantiæ: priori verò minime. Huc analogice applicetur distinctio *Joh.* 9. de cœcitate propter peccatum cœci aut parentum non immissa: quæ tamen in mundo non fuisset, nisi ingressum esset peccatum. Confer infra *thesin quartam.* 4. *Concl.* Vincibilis ignorantia rerum divinarum, & nominatim juris divini, est formaliter peccatum, & in condemnationem imputatur, nisi quis resipiscat. Intelligo autem veritates divinas tum primarias necessitate medii scitu, creditu, factu sive ad salutem, sive ad ἐυπρακτον cum Ecclesia Christi communionem necessarias: *tum* secundarias, quæ necessitate præcepti divini necessariæ. Quas distinctiones ex professo explicamus in *disp. de Articulis & Erroribus fundamentalibus, de Libertate prophetandi, de Tolerantiâ, de Syncretismo.* Assertionem nostram probamus. 1. *Argum.* Ex 2. *Thessal.* 1. *vers.* 8. *Galat.* 5. *vers.* 19. 20. 21. ubi inter opera carnis hominem meritò damnantia numeratur *hæresis.* Confer de falsorum dogmatum, 2. *Petr.* 2. *vers.* 1. *Judæ vers.* 13. & de seductorum non tantum, sed & errantium condemnatione, *Matth.* 15. *vers.* 14. *Luc.* 12. *vers.* 48. Ut & consequenter de separatione & vitatione eorundem, *Rom.* 16. *vers.* 17. 2. *Timoth.* 2. *vers.* 17. 2. *Johann. vers.* 10. 2. *Argum.* ex *Rom.* 1. *vers.* 21. 22. *Ephes.* 4. *vers.* 17. 18. 19. 1. *Thessal.* 4. 5. *Actor.* 14. 8. ubi Gentilium ignorantia culpatur, eosque propterea iræ Dei & judiciis

subjectos

subjectos fuisse dicitur. 3. *Argum.* Quia Apostolus 1. *Timoth.* 1. *vers.* 13. fatetur se esse maximum peccatorem, quamvis ignorans peccasset. 4. *Argum.* Quia Apostoli urgent fideles, ut contendant ad cognitionis perfectionem, *Philipp.* 1. *vers.* 8. 9. 2. *Petri* 1. *vers.* 7. 8. 9. ergo cognitio spiritualis est virtus, & oppositum ejus ignorantia est vitium. 5. *Argum.* Quia absque cognitione nulla fiducia in Deo, nulla obedientia, nulla religio, nulla justitia, &c. *Ephes.* 5. *vers.* 14. *Psal.* 119. *per totum.* Contra hanc assertionem nostram objici posset. 1. *Object.* In intellectu non esse peccatum; ignorantiam autem & errorem esse in intellectu. *Resp.* Quidquid sit de quæstionibus Philosophicis, An intellectus realiter differat à voluntate? An possit esse ulla mentis cogitatio sine antecedente voluntatis imperio? An & quomodo in intellectu sit liberum arbitrium? An ergo formalis actus intellectus possit esse formaliter bonus aut malus? Saltem constat actum imprudentiæ, erroris, hæresios, &c. formaliter esse actum mentis, non voluntatis; nihilominus culpabilem: est enim actio non tantum hominis, sed & humana, consequenter subjacens rectæ rationi. Sic error & deceptio Evæ constituit primum primi peccati initium. 2. *Corinth.* 11. *vers.* 3. 2. *Object. Iohann.* 9. & 15. dicitur ignorantiam excusare: ergo ipsa non est peccatum. *Resp.* Intelligendum hoc de tanto, & non de toto. Majus peccatum nunc habebant, qui absque eo minus habuissent; non tamen nullum. Vide Luc. 12. vers. 48. *Qui verò non cognoverit,* &c. 3. *Object.* Antehac fides laicorum dicta fuit optima: & eruditi (Theologi scil. aut Clerici) dicti sunt perversi. Huc facit sententia Augustini in confessione. *Ecce indocti surgunt, & cœlum rapiunt; & nos cum nostris disputationibus in carne & sanguine volutamur. Resp.* Hæc intelligenda sunt de abusu scientiæ, & non de ipsâ scientiâ per se. Quomodo lex Dei dicitur augere peccatum. *Rom.* 7. Et Euangelium esse odor mortis. 2. *Corinth.* 2. Et Christus ruina multorum. *Luc.* 2. 4. *Object.* Simplicitas laudatur & regni acceptio, &c. *Matth.* 18. *vers.* 3. *Resp.* Vox simplicitatis ambigua est. Vide *disp. de Simplicitate & Hypocrisi.* Optimè per distinctionem determinat Apostolus, 1. Corinth. 14. vers. 20. *Nesitis pueri scientiâ; sed pueri estote malitiâ.* 5. *Object.* Credendi vivacitas, non scientiæ ἀκρίβεια ad fidem requiritur? *Resp.* Quid de eo sit docent *Antagonistæ Papatus in Controversiâ, de Fide implicita.*

111. *Probl.* Cui præcepto legis divinę, & cui speciali virtuti peccatum ignorantiæ opponatur. *Resp.* cum *nostrâ Catechesi, primo præcepto,* & ibi virtuti sapientiæ, cognitionis, fidei generalis: hæc enim illa prohibitione præcipi intelligenda est: *Non habebis Deos alienos,* &c. Conferantur omnes *Interpretes Decalogici,* cujuscunque professionis. Unde meritò miramur 3

ramur, quod *Remonstrantes in Catechesi suâ, qu.* 58. explicantes primum præceptum cognitionem hanc omiserint: quasi scil. ignorantia veri Dei, & veri cultus divini, bonum quid esset, aut saltem adiaphorum. In *confessione* tamen *suâ* annis aliquot ante Catechesin editâ *c.* 12. §. 2. *in fine*, cognitionis Dei exserte meminerant. Sed dies, ut opinor, diem docuerat: uti ostendunt in *Vindiciis seu Vedelio Rhapsodo*; ubi absurda admodum dictata de Erroribus & Hæresibus speculativis (quas ita vocant) effutierunt: sed absque Scriptura. De quo alibi agendum. Vide interim hæc arcana detecta apud *Vedelium part.* 3. *lib.* 2. *& part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 3. Ex hâc musteâ Theologiâ de Errore & Hæresi, dependent eorundem ἀεροβατοῦντα dogmata, de Libertate prophetandi, Moderatione, Tolerantiâ, quam sectæ suę supra omnes alias Christiani nominis Ecclesias propriam faciunt, in Actis clandestinæ pseudo-Synodi suæ Roterodami, anno 1624. Unde etiam sequitur cum errores seu hæreses speculativæ, si non adiaphoræ seu non malæ sint, saltem non ita malę ut praxin pietatis lædant, neminem propter eas solas censurâ notandum, aut ab Ecclesiæ communione separandum. Contra ac Deus in verbo suo præcipit, *Tit.* 3. *vers.* 10. 11. &c. Cum quo prudenter *Catechesis nostra, qu.* 85. determinat propter doctrinam aut vitam achristianam à communione excludendos, quotquot non resipiscunt. Confer *Polit. Ecclesiast. tit. de Clavibus regni cœlorum.*

4 IV. *Probl.* An aliqua ignorantia, & quæ non sit peccatum? *Resp.* 1. Contradictoria, quam supra *part.* 1. exposuimus; omnisque docta ignorantia, de quâ postea. 2. Ignorantia puræ negationis in rebus Mathematicis, aut naturalibus, aut humanis, aut artificialibus, &c. per se atque ordinario scitu haut necessariis, sive hominibus plerisque, sive certo ordini & statui hominum, sive huic homini singulari. 3. Ignorantia purę negationis in Theoreticis (e. gr. Mathematicis, Physicis, &c.) aut in artificialibus, etiam eorum, qui scientias aut artes illas discere incipiunt, & magis ac magis in iis proficere student. Dispar tamen est ratio eorum, qui ignorantes artis alicujus necessaria, eam tamen profitentur, ex. gr. Medicam, Mathematicam, Nauticam, &c. 4. Etiam ignorantia pravæ dispositionis in Philologicis, Mathematicis, Artificialibus: modo non sit affectata aut crassa, seu supina. Quod intelligi volo de discentibus non verò de profitentibus: quibus ignorantia necessariorum in istâ arte vitio vertitur, tanquam malorum multorum causa. 5. Ignorantia puræ negationis in Scripturis & Theologicis quod ad illas res, quæ necessitate medii ad salutem scitu & creditu absolutè non sunt necessariæ: modo non sit affectata aut supina. Hic iterum distinguo inter Doctores, & discipulos,

Pasto-

Pastores & oves: in illis ignorantia aliqua, aut error, aut hallucinatio peccatum est, quæ in istis non est; cum in illis præter elementariam & Catecheticam cognitionem fidei, requiratur eruditio Theologica. Et hoc respectu non malè Pontificii Casuistæ determinant majorem seu extensiorem articulorum fidei cognitionem requiri in prælatis, quam in laicis, &c. 6. Ignorantia practica puræ negationis est vel juris, vel facti. *Iuris* rursum est vel juris naturalis, vel divini, vel humani. Prima semper est peccatum, quia omnes homines per lumen naturale syntereseos & rectæ rationis illud scire tenentur, *Rom.* 1. 19. 20. & 31. & *c.* 2. 14. Secunda non est in se peccatum actuale, in iis, quibus verbum Dei nunquam fuit revelatum, *Rom.* 2. 12. quamvis sit peccatum originale, seu pars peccati originalis; etiam peccatum actuale, quippe voluntarium in causâ. Potest dici actuale peccatum omissionis, quia non conservant scientiam illam cum creatione primum increatam: quam si haberent positâ revelatione Euangelii, veritati ejus assentirentur. An autem & quomodo negari possit esse peccatum actuale. *Resp.* Non est, quatenus non est positiva aut contraria ignorantia; nec etiam privativa affectata aut supina: quia scire non potuit defectu conditionis seu hypothesios necessariæ, scil. revelationis, seu propositionis; sine quâ ne quidem Adamus ante lapsum tenebatur scire aut credere, nec etiam habebat fidem formalem seu actualem; quamvis haberet potentiam, & radicem ejus, virtualiter. Tertia est peccatum in iis, qui jus illud scire poterant & debebant. *Facti* ignorantia, non est peccatum: siquidem sit invincibilis, & non affectata aut supina. Quænam autem sit invincibilis, & quanta diligentia ad rem cognoscendam adhibenda sit, infra explicabitur. 7. Ignorantia practica pravæ dispositionis, seu error in rebus agendis secundum jus naturale, aut divinum, semper est peccatum, & peccati causa: consequenter cum conscientia errans non excusat à peccato (quamvis illud minuat), deponenda est. De quo alibi ex professo agendum. 8. De dubitatione & conscientia dubitante circa debitum in actionibus humanis ex præscripto juris divini & naturalis, idem censendum est. His ita determinatis, facile est respondere ad quæstionem sequentem. v. *Probl.* An actus humanus, qui per ignorantiam invincibilem à peccato excusatur, sit moraliter bonus an malus? *Resp.* Movent hanc quæstionem *Adrianus Florentius* (postea Papa), *quodlib.* 10. *art.* 2. *Paludanus ad* 4. *dist.* 9. *qu.* 3. & ex recentioribus *Gregor. de Valentia ad* 1. 2. *disput.* 6. *puncto* 1. Nos breviter respondemus esse actum formaliter & moraliter bonum: Ratio est, quia non est moraliter malus, ut jam dictum. Neque enim in individuo ullus actus humanus potest esse neuter, seu adiaphorus. Sed objicitur, de actu

moraliter bono jam præterito delectari potest, tum agens, tum etiam alii: atqui tale quid in hoc casu non licet, ex. gr. cum quis casuale & involuntarium homicidium commisit. Ubi quidem immunis est à culpâ, nec tamen actu delectatur. In hujus objectionis solutione torquent se Scholastici. *Valentia* omissis aliorum rationibus non satis expeditis (uti loquitur), hanc rationem adfert: Quod actus ejusmodi per se & suâ naturâ sit contra legem; & consequenter non sit materia apta, ut objectivè terminet consensum vel delectationem voluntariam de tali actu; quamvis per accidens sit moraliter bonus, in homine ignorante. Mihi videtur expeditior & evidentior esse solutio, si dicatur; Esse aliqua quæ sonant in malum, quæ uno respectu sint mala tristia, quatenus alius ea patitur: (super quibus dolendum est cum dolentibus *Rom.* 12. 15.) & alio respectu sunt bona moralia, quatenus nos bonâ & inculpatâ conscientiâ ea facimus; quam bonam conscientiam sequitur pax & delectatio. Sic Magistratus justè punit facinorosos, & in hoc suo facto tanquam moraliter bono delectatur, & bonæ conscientiæ testimonio fruitur; quamvis ab alterâ parte doleat, si respiciat miseriam & afflictionem facinorosi. Sic Chirurgus bonâ ac serenâ conscientiâ urit & secat carnes hominum, artus abscindit, &c. qui tamen dolore & jacturâ hominum non delectatur. Mercator in tempestate merces projicit in mare, & quidem moraliter bene: qui tamen uno respectu dolet, altero delectatur de suo facto. Breviter de effectu tristi quis dolere potest, qui tamen de actu voluntatis & integritate cordis sui gaudet, & Deo gratias agit. Vel sic, materialiter & in se, seu objectivè spectatus actus aliquis per ignorantiam est malus, (malitiâ scil. tristi, non turpi) & consequenter minimè delectabilis; qui idem tamen formaliter, subjectivè, & in ordine ad integram & innoxiam nostram voluntatem & rectam intentionem spectatus est moraliter bonus: quamvis effectum ejus per accidens & terminatio in tali objecto sit malum triste. Materialis actus ille, e. gr. putandi & cædendi arbores, ad quem sequitur effectus occisionis, siquidem effectus ille esset per se & ex intentione agentis, esset malus formaliter, nisi intercederet ignorantia. *Objicitur*: Atqui non est voluntarius: ergo moraliter non est bonus. *Resp.* Quousque non est voluntarius & per ignorantiam respectu effectus secuti per accidens, non est moraliter bonus. Sed quousque est voluntarius, e. gr. volo cædere & putare arbores, secundum vocationem meam, debito modo & intentione, est per se voluntarius & moraliter bonus, nec potest inhonestari per effectum fortuitum, qui per accidens sequitur ad actum meum honestè bonum. Ut ergo voluntarius est & per se honestè bonus ac remotus à malâ intentione aut actione ex parte mei, de illo actu gaudeo, quamvis

quamvis de consequente & effectu per accidens tanquam malo tristi doleam. Ut enim polluta conscientia & voluntas hominis materialiter bona reddit formaliter mala (*Tit.* 1. *vers.* 6.), sic vicissim pura voluntas & conscientia materialiter mala (hoc est, quæ peccata essent, si quidem abesset invincibilis ignorantia) reddit formaliter bona. Confer *Cajetanum*, *Valentia*, *Arriaga ad* 1. 2. *qu.* 75. *art.* 2. Et *Adriani Florentii quodlibeta*; Et *Palude in* 4. *sentent. dist.* 9. *qu.* 3. ubi *de Ignorantiâ*. Ad intelligentiam conceptus *Gregor. de Valentia* modo exhibiti facere videtur ratio discriminis, quam adfert *Becanus Theol. Scholast.* 2. *tract.* 1. *cap.* 2. *quæst.* 10. §. inter τὸ facere aliquid ex metu, & ex ignorantiâ: quod faciens aliquid ex metu velit illud simpliciter: qui verò facit ex ignorantiâ, ille consideratis omnibus circumstantiis, quas anteà ignorabat, non vult: ergo simpliciter non vult.

VI. *Probl.* An ignorantia in aliis culpari ac reprehendi debeat, immo & nomine stultitiæ aut insaniæ traduci atque acriter exprobrari. *Resp.* 1. *Concl.* Læsa quæcunque ratiocinatio sive per defectum naturalem, sive adventitium absque culpâ hominis afflicti, qualis e. gr. amentia, mania, phrenitis, &c. nemini exprobrari debet. Quod analogicè colligitur, ex cœcitatis, paupertatis, & similium defectuum exprobratione prohibitâ. Vide *Proverb.* 17. 5. & *Deuter.* 27. 18. *Levit.* 19. 14. Et ratio naturalis dictat, miseriam seu malam tristia nemini esse vitio vertenda: nedum ludi & joci oblectationem in iis quærendam. 2. *Concl.* Nec ignorantia invincibilis sive juris sive facti alicui exprobranda. 3. *Concl.* Ignorantiam puræ negationis circa ea, quæ quis scire tenetur, debito modo reprehendere & exprobrare licet, si scil. sit affectata aut supina. Idque probatur exemplo Christi, *Marc.* 16. *vers.* 14. Et *exprobravit*, &c. *Matth.* 11. *vers.* 20. Adde Davidis *Psal.* 36. & 82. ubi improbos perstringit. Et Pauli, 1. *Corinth.* 3. *vers.* 1. 2. *Hebr.* 5. ubi fideles. 4. *Concl.* Ignorantia pravæ dispositionis in rebus scitu necessariis, præsertim ad fidem & conscientiam Dei pertinentibus, & omnis ignorantia in praxi humanâ opportune importune corripi potest ac debet; quin & acriter, necessitate ita postulante, nonnunquam traduci: & quidem nomine stultitiæ, insaniæ, &c.; non tantum graviter & directè, sed subinde etiam indirectè, per satyram, derisionem. Primum, secundum, quartum hujus assertionis membrum hic non probabo: cum *in dispp. de Correptione fraternâ*, & de *Lacrymis* hoc præstitum sit. Quod ad tertium membrum de exprobrandâ stultitiâ, insaniâ, &c. in formâ probatur. 1. *Ex Matth.* 23. *Luc.* 12. *Psal.* 14. & 94. 2. *Timoth.* 2. *Tit.* 3. . ubi de infidelibus: & *Luc.* 24. 25. *Galat.* 3. *vers.* 1. ubi de fidelibus, 2. *Ex eo*, quia in nobis ipsis vera resipiscentia traducit & exprobrat præteritam stultitiam, *Psal.* 38. & 73. coll. cum *Psalm.* 119.

119. *vers. ult.* Quod ad textum *Matth.* 5. *vers.* 22. qui objici solet, non magis exprobrationem hanc, siquidem periculi magnitudo id postulet & fiat debito modo ac fine, prohibet, quam textus *Matth.* 7. *vers.* 1. debita judicia. Et modificatio illa εἰκῇ, id est, *incerto*, vel *temerè*, *ibid.* 22. adjecta, & ἀπὸ κοινῆ hic repetenda sensum ac scopum textus perspicuè indicat. Ex his judicium fieri potest de libris illis, qui vanitates & insanias hominum quorumvis in hâc vitâ tumultuantium describunt. Qui quod ad modum tractandi variant. Alii enim hoc agunt seriò deplorando, expostulando, & graviter obtestando: Qualis *Petri Bessæi* tit. *Heraclitus.* Alii satyricè exprobrando, scopticè ridendo, & acerbè perstringendo: qualis celebris tract. linguis vulgaribus editus, tit. *Somnia Hispanica. Petri Bessæi tract.* tit. *Democritus* hùc referri potest; quamvis non tantum acuminis ac leporis habeat. Satyrographos tum veteres tum recentiores lat. & vernaculè scriptos, cum numerus nimis ingens sit, hic non enumerabo. Nusquam non occurrent illi, qui in Poëtarum scriptis hospes non est. Imprimis in hoc genere excellunt *scripta Vireti*, & *Marnixii Sanct-Aldegondii*, ut & *Erasmi colloquia*, & *Antibarbarorum*; *Anonymi Passavantius*, *Anonym. Antichoppinus*, *Anon. Monitoriale adversus Matharelli Italo-Gallum*, *Anon. Strigilis Papirii Massoni*, quibus plurimas morias & ineptias Papatus exagitant. *Alii* sub expresso titulo stultitiæ stultitias characterizant, quales *Navis Stultifera*, *Erasmi encomium moriæ*, *Caspari Ens morosophia*, *Thomæ Garzoni Hospitale stultorum incurabilium*, Italicè. In ejusmodi Satyricis scriptis accuratè observandum, ne risus & joci profanum quid sapiant, aut alicubi exorbitent: est enim hìc facillimus prolapsus.

DE IGNORANTIA, *PARS TERTIA.*

Resp. NICOLAO BACKERO, Alckmar-Batav. 21. *Martii*, 1655.

Sequuntur nunc Problemata specialia de Ignorantiâ circa τὰ περιπτὰ, quæ hic invincibilis & inculpabilis sit, sive in totum sive in tantum.

1. *I. Robl.* An inculpabilis sit excœcatio, quæ provenit ex sentinâ & consuetudine peccatorum actualium, cui homo sponte se immersit, sic ut exstinctâ luce gratiæ coërcentis, aut etiam illuminantis, in tenebris per justum Dei judicium deseratur, & in νοῦν ἀδόκιμον tradatur? *Resp. Neg.* ex *Roman.* 1. *vers.* 24. *Ephes.* 4. *vers.* 18. 19. *Johann.* 12. *vers.* 39. 40. 2. *Thessal.*

2. *Thessal.* 2. *vers.* 11. *Exod.* 7. *vers.* 3. *Roman.* 9. *vers.* 18. & 11. *vers.* 7. 10. 28. Et huic sententiæ accedunt Scholastici & Casuistæ Pontificii. Rationem hanc adferunt, quia non est planè involuntaria: ejus enim causam dedit voluntas hominis ante peccantis, & nunc cœcitate percussi ipsi meritò imputabilis; licet nunc ob cœcitatem se nesciat peccare. Confer quæ *Pontificii* pariter & *nostri de Induratione ad loca citata commentantur.* *II. Probl.* An ignorantia seu excœcatio invincibilis, quæ provenit proximè ex peccato originis, etiam ipsa ignorantia originalis, quæ pars est peccati originalis, excusetur à peccatis ex eâ commissis. *Resp. Neg.* Quia est vincibilis & voluntaria, & consequenter culpabilis, non quidem in se, & ex hypothesi præsentis status: sed in causâ, in peccato scil. primo Adami; propter quod nobis imputatum in mentis cœcitatem originalem & impotentiam voluntatis nostræ ad bonum incidimus. Probatur primò à pari: quia inhærens ab origine corruptio voluntatis humanæ, quę & concupiscentia originalis dici potest, est peccatum & causa peccati, nec excusat à peccato; quamvis nunc homini sit invincibilis, inevitabilis, inimpedibilis. Ergo &c. Vide hæc explicata & disputata apud *locor. commun. Scriptores*, & apud *VVittakerum de Peccato originali*, & *Iansenium in Augustino.* Conferat, cui vacat *Disp. nostram de Propagatione peccati originalis.* Probatur *secundo*, ab adventitiâ excœcatione seu cœcitate pœnali, quæ propter peccata hominibus divino judicio immittitur: quæ quamvis sit invincibilis & inevitabilis, non excusat tamen à peccatis per eam commissis; (uti modo ad *præced. Probl.* dictum est); quinimo & ipsa cœcitas, mens ἀδόκιμος, πώρωσις, cordis durities, πνεῦμα κατανύξεως, quod propter peccatum ut justa pœna infligitur, alio respectu est & peccatum, & causa peccati. Vide *commentationes de Induratione; & determinationem quæstionis, An & quomodo Deus peccata peccatis puniat, & tamen non sit Author peccati.* De quo in *Disp.* nostrâ *de Methodo respondendi calumniis, de Deo authore peccati.* Jam verò inter utramque cœcitatem, & omnibus ingenitam cum peccato originali, & propter peccata actualia aliquibus immissam, *Augustinus* nullum discrimen statuit, quantum ad peccati excusationem: utraque enim illi est pœna peccati, utraque in se & hic & nunc spectata invincibilis & inevitabilis, utraque vincibilis per solam Dei gratiam; quam tamen Deus omnibus ex æquo non confert. Huc faciunt duo insignia *Augustini* testimonia, ex *lib.* 13. *contra Faustum c.* 11. *& quæst. super Matthæum qu.* 14. *Tertio*, accedat consensus Orthodoxæ antiquitatis, & ex ipsis Pontificiis *Gregor. Ariminensis & Estii in* 2. *dist.* 22. (qui posterior *ibidem* adducit Adrianum & Cajetanum); & recentissimi Scriptoris *Elig. Bassei* Capucini *in Floribus Theologiæ practicæ*; ubi eandem sententiam pro-

ponit, juxta mentem (uti addit) Augustini & sequacium; quam ait rectè explicare, quo sensu sit intelligenda communis doctrina Theologorum de invincibili ignorantiâ. Exhibet ibidem egregia verba *Augustini ex epistol.* 105. Et *ad Iulian. in opere imperf. & lib.* 3. *de grat. & libero arbitrio.* Et *Anselmi cap.* 27. *de concord. grat.* Et Ariminensis, quæ quia accuratè limitant hic præterire nolo: *Cum dicitur, quod secundum omnes Doctores, non imputantur homini, quæ ex ignorantiâ simpliciter invincibili committuntur; Dico quod illud est intelligendum de Ignorantiâ, quæ non est peccatum, nec pœna peccati, cujus ille sit vel fuerit reus. Nam ignorantia, quæ provenit ex peccato, nequaquam excusat, saltem à toto. Si enim non peccassemus in Adamo, nullus hanc ignorantiam habuisset.* Pluribus Augustini & antiquæ Ecclesiæ testimoniis hanc veritatem confirmat *Corn. Iansenius in* suo *Augustino tom.* 2. *tract. de Statu Naturæ lib.* 2. *cap.* 23. *&c.* & *pag.* 287. 306. 472. Ubi inter alia distinctionem *Augustini*, ignorantiæ invincibilis & incavibilis (ita loquar) in naturalem & pœnalem, ex *lib.* 3. *de Liber. arbitr. cap.* 18. perspicuè probat. Secundum quam distinctionem Augustino nulla essent illa peccata, siquidem ignorantia illa esset natura, & non pœna: nunc autem sunt, quia ignorantia illa est pœna damnati, quam homo suâ culpâ sibi accersivit. *Amisit*, inquit, *scire quod rectum sit.* Et *approbat falsa pro veris, ut erret invitus.* Ex adverso statuebant Pelagiani, Ignorantiam (invincibilem scil.) *& oblivionem non subjacere peccato: quod non secundum voluntatem, sed secundum necessitatem evenirent*: teste *Augustino lib. de gestis Pelagianor. cap.* 18. Recentiores aliqui inter Pontificios, à reliquiis pravitatis Pelagianæ non satis abhorrere & recedere videntur in *dispp.* suis *de Libero arbitrio.* Conferantur quæ à Molinistis & Jesuitis contra Augustini veritatem hodiè excipiuntur; imprimis & Alberti Pighii *profana & à Concil. Tridentino damnata* (ut loquitur *Bellarminus libr.* 5. *de Amissione grat. & Statu peccat. cap.* 5.) *opinio de peccato originali*: quam excussam vide à *Chemnitio in Exam. Concil. Tridentin.* & *W Whittakero in tract. de peccato origin.*

Consect. Ex locis Augustini apud *Iansenium modo cit.* & ex iis, quæ in *Vossii Historiâ Pelagianâ lib.* 3. *&* 7. ex antiquitate congesta sunt, & ex Reformatis *locor. commun. Scriptoribus*, satis superque constat per amissionem imaginis divinæ hominis facultates, quod ad naturalia & civilia objecta esse morbidas & corruptas, quod ad spiritualia esse mortuas; atque adeo neminem vi naturalis liberi arbitrii posse se immunem præstare ab omni errore sive in naturalibus sive in supernaturalibus.

III. Probl. An ignorantia sit peccatum & causa peccati per se? *Resp.* [2]*Negant* plerique *Scholastici* cum *Thomâ* 1. 2. *qu.* 76. *artic.* 1. Ratio hæc adfer-

adfertur, Quod sit privatio seu defectus cognitionis; atque ideo non possit esse causa peccati, nisi per accidens, quatenus scil. removet cogitationem, quæ si adfuisset, peccatum prohibuisset. Idque innui putant 1. Corinth. 2. vers. 8. *Si enim cognovissent*, &c. Sic *Valentia*. Alii addunt, eam per se non esse peccatum, sed causam aut occasionem proximam, aut probabile periculum peccati. Sic *Ægidius*, *Alez*, *Altisiodorensis*. Alii sic exprimunt, non esse peccatum, nisi ratione adjunctæ negligentiæ. Sic communiter *Scholastici* & *Casuistæ*, quales præter citatos *Bonaventura*, *Richardus*, *Durandus*, *Marsilius*, *Cajetanus*, &c. Sed hanc opinionem rejicit *Valentia punct.* 2. & rationes nullæ nos cogunt. Omne peccatum est defectus seu privatio oppositæ virtutis, lege præscriptæ, juxta 1. *Ioh.* 3. *vers.* 4. ubi ἀνομία dicitur: & omne peccatum habet causam non tam efficientem, quam deficientem. Et peccatum omissionis peculiariter atque oppositè ad peccatum commissionis dicitur defectus. Inde tamen non sequitur, non posse dici peccatum per se, aut peccatum originale causa per se omnium actualium, aut actuale unum causa per se alterius actualis. Quid enim vetat ex. gr. negligentiam discendi articulos fidei esse peccatum, & simul esse causam peccati, ignorantiæ scil. articulorum fidei & nihilominus ignorantiam illam per se esse peccatum, quamvis causata sit à negligentiâ; eandemque ignorantiam rursum per se esse causam aliorum peccatorum ex. grat. scortationis, hæresios, schismatis, &c. Est ergo ignorantia vincibilis & culpabilis per se & peccatum & causa peccati: quamvis voluntaria negligentia sit conditio & causa, sine quâ ignorantia non esset peccatum: non tamen est ratio formalis hujus specifici peccati. *Azorius* contra torrentem Doctorum haut obscurè in hanc sententiam concedit *libr.* 1. *Instit. Moral. cap.* 12. *qu.* 3. Huc pendet sequentis Probl. determinatio. *IV. Probl.* Quid sentiendum de distinctione illa Fr. Zuarez, quam probat *Arriaga in* 1. 2. *tract. de act. human. disp.* 12. *sect.* 2. §. 7. inter ignorantiam culpabilem, & contractam per culpam; quarum posterior non sit culpabilis. *Resp.* Non videri satis probam, prout eam explicant, & applicant ignorantiæ multarum rerum per peccatum Adami nobis contractæ, quæ tamen non esset culpabilis respectu nostri. Alterum exemplum, quo clarius rem hanc à se explicari ait Arriaga, minus satisfacit. *Si in pœnam*, inquit, *alicujus peccati, neget nobis Deus aliquam cognitionem, ea ignorantia erit tunc contracta per culpam; dici tamen non potest culpabilis, si quando peccavimus, non advertimus ullo modo ex illo peccato posse sequi aut secuturam eam ignorantiam.* Sed addenda est limitatio. Contracta per culpam ignorantia earum scil. rerum, quas non debemus scire, est inculpabilis: secus si sit earum rerum, quas debemus

mus scire. *V. Probl.* An omnis ignorantia possit esse affectata? *Resp. Neg.* De ignorantiâ pravæ dispositionis seu positivâ, quę propriè error dicitur: Si enim error ut talis esset voluntariè affectatus, sequeretur in eodem instanti esse simul in mente Titii errorem circa objectum aliquod (e. gr. solis quietem & terræ motum, aut, justificationem per opera nostra); & advertentiam erroris illius, quod scil. in hoc errret Titius, & jam noscat objectum aliter se habere ac antea judicaverat: atqui hoc implicat contradictionem, ut mens Titii eodem instanti assentiatur duobus contradictoriis. In reliquâ ignorantiâ, quę tantum dicit carentiam scientiæ de objecto, longè aliter se res habet. Potest Mævius simul carere scientiâ alicujus objecti, e. gr. quot sint numero angeli aut diaboli, quot arbores in sylvâ Hyrciniâ, quot literæ aut syllabæ in Thalmude, aut in corpore Juris civilis aut canonici & quidem glossato, &c. & tamen reflexè nosse se carere illâ scientiâ, & eâdem velle carere. Adeò ut objectum ipsum seu τὸ γνωστὸν ignoret, sitque illi objectum non scientiæ, sed ignorantiæ: ignorantiam verò suam noscat, quia scil. eam vult & affectat (nihil enim volitum nisi cognitum); & quod consequenter ipsa sit directum & immediatum scientiæ seu cognitionis objectum. Et hinc explicari potest dictum illud Socratis': *hoc unum scio, quod nihil scio.* Nec repugnat huic determinationi nostræ quod non pauci contra scientiam & conscientiam errorem aliquem probent aut profiteantur; tunc enim internus & proprius error mentis non est affectatus, sed externa tantum sententiæ erroneæ prolocutio aut defensio. *VI. Probl.* An omnis ignorantia antecedens sit causa actus voluntarii, & voluntarium causet, saltem ut removens & prohibens impedimentum. *Resp. Aff.* Quia ignorantia illa est causa ut fiat actus, qui alioquin non erat futurus, si homo non ignorasset. Et quamvis non semper sit ignorantia omnium circumstantiarum, non tamen desinit esse voluntarium; quamvis minus sit voluntarium aut etiam indirectè, implicitè, & interpretativè, aut habitualiter voluntarium, pro majoris, aut minoris circumstantiarum cognitionis carentiâ. Neque enim omnium circumstantiarum cognitio ad omne voluntarium necessariò requiritur, sed tantum ad voluntarium perfectissimum. Conferat, cui vacat, de hâc & connexis quæstionibus disceptantes *Scholasticos ad Thomæ loc. citat. VII. Probl.* An ignorantia concomitans faciat voluntarium aut involuntarium? *Resp. Distinguitur* ea in antecedentem & subsequentem. Rursum distinguitur τὸ involuntarium à τῷ non voluntario, sicut injustus à non justo. *Illud* dicit aliquid positivè contrarium, quod faciat involuntarium contrariè. *Istud* verò tale non dicit: ut cum quis nec habitualiter, nec actualiter habet displicentiam in eâ actione, quam facit ex ignorantiâ. De priori ignorantiâ concomitante *Aff.* *Arri-*

aga

ag. disp. 12. *sect.* 2. quod faciat non voluntarium. De posteriori *Neg.* quod tollat omnino voluntarium. Videntur ex adverso stare complures *Scholastici*, ab illo *ibid. cit.* Sed si logomachia, & varia terminorum acceptio absit, arbitror conciliari posse. *VIII. Probl.* An ignorantia subsequens, quæ non est concomitans, sed, si adesset, impediret opus, faciat actionem simpliciter involuntariam? *Resp. Neg.* Quia dum quis e. gr. dubitat, an sit fera, an homo, & sub dubio cognoscit sequi homicidium ex actione jaculandi in illud quod videt, eamque actionem voluit, & sic hominem occidit; fit illud homicidium ipsi indirectè voluntarium, & ipse factus est eâdem ratione causa illius: qui enim deliberatè exponit se periculo occidendi, indirectè fit occisor. Sic communiter *Scholastici ad* 1. 2. *qu.* 77. *art.* 1. 2. Nec dissentimus. *IX. Probl.* An requisitum invincibilis & inculpabilis ignorantiæ sufficiat, ut scil. in eo, quod quis tenetur scire, omnem diligentiam adhibeat ad indagandam veritatem, *quantum est ex se. Resp.* Quod ad illud, *quantum est ex se*, facilius explicari videtur in quæstione aut dubio circa factum: sed circa jus non parum difficultatis habet latitudinem & terminos illius, *quantum est ex se*, describere. *Quod ad jus humanum*, pendet determinatio obligationis investigandi ab infinitis ferè circumstantiis, quibus obligatio illa augeri aut minui solet. Rursum juxta materiæ diversitatem, si levior sit aut gravior, minor aut major dubitandi ratio, investigatio imponitur. In uno itaque dubio aliquando mediocris diligentia sufficit; quæ in altero non sufficit. Ita ut generaliter ita definiri non possit. *Quod ad jus divinum & naturale*, maxima ἀκρίβεια ad superandam ignorantiam requiritur: quia Deus vult diligi ex toto corde, &c. & præcepta sua *valde* (*Psal.* 119. *vers.* 4.) servari, & nos ἀκριβῶς ambulare, *Ephes.* 5. *vers.* 15. *Thomas Zanches* in vasto volumine *de Matrimonio* disputans de quodam casu conjugali, ait eum, qui adhibita sufficienti diligentia adhuc est dubius, habere ignorantiam invincibilem, & consequenter licitè operari posse. Sed contra contendit *Arriaga in* 1. 2. *disp.* 25. *sect.* 3. ignorantiam talem licet deponi non possit, & ex hoc capite dicatur invincibilis, cum tamen supponat excitatum expressum dubium de malitiâ objecti amplectendi, non excusare à peccato. Sed de hoc ex professo *Casuistæ*, ubi *de Dubitatione & Conscientia dubitante. X. Probl.* An vera sit communis illa sententia Doctorum (uti loquitur *Valentia in* 1. 2. *disp.* 6. *qu.* 6. *puncto* 1.), quod ad hoc ut ignorantia sit invincibilis, opus non sit summum studium adhiberi, quod quis potest: sed satis esse, ut adhibeatur mediocre, quale scil. sufficiens judicari queat ad cognitionem acquirendam, consideratâ rei conditione. *Resp.* De ignorantiâ juris positivi humani, ut & quorundam factorum, concedi potest. Sed de igno-

rantia juris divini & naturalis, *Neg. XI. Probl.* An satis accurate & caute *ibid. à Valentiâ* dicatur, interdum majus aliquod, quam *humanum studium* (consultationem scil., meditationem & similia) requiri ad hoc ut ignorantia censeatur invincibilis: *studium scil. quod ad Dei opem & auxilium impetrandum refertur, ut orationem, & cætera officia,* quibus contingit obtinere illustrationem sive eruditionem in aliquo negotio à Deo. *Resp. Neg.* In omni enim difficultate & dubio ad Deum confugiendum est: quod si studio aut per negligentiam hoc omissum sit, non potest in foro poli & conscientiæ ignorantia dici invincibilis. *XII. Probl.* An semper in hujus vitæ imperfectione distincte judicare possimus, de quibusvis actibus nostris, sintne per ignorantiam invincibilem facti nec ne? *Resp. Neg.* Quia difficile est aliquando discernere an imaginatio aut intellectus noster ab aliquâ re vel circumstantiâ illi connexa ita sufficienter excitatus sit, ut in potestate nostrâ positum sit procedere ad rei cognitionem. Hinc est, quod in confessione peccatorum coram Deo, clausula illa (ita loqui liceat) salutaris semper addenda sit: *Ab occultis munda me Domine.* Psal. 19. *XIII. Probl.* An quod uni homini est invincibile, aut saltem minus vincibile, alteri possit esse vincibile, aut magis vincibile? *Resp. Affirm. Valentia, loc. cit.* & exemplum dat in legibus & actionibus humanis: ubi non censetur rusticus quis *moraliter & ex intentione* notitiam alicujus legis sibi posse comparare, quam Jurisperitus potest. *Valde* hic, inquit, *est consideranda conditio personæ & negotii*: Paulo ante dixerat *occasionem, statum, & officium,* suppetere Jurisperito, non ita rustico. Nos hæc in genere probamus, & meritò applicamus ad quæstionem de Ignorantiâ majorum sub Papatu ante reformationem, comparatâ cum ignorantiâ hodierni Cleri irreformabilis, & sectatorum, in tantâ luce & libertate reformationis. Ita ut consequentia à judicio nostro super hodierni Papatus apostasia, duci non debeat ad damnationem omnium majorum nostrorum. Confer de salute majorum sub Papatu *lib. 3. Desper. causæ Papat. sect. 2.* Et *disp. de Fide Papistarum salutari an damnabili.*

3 *XIV. Probl.* Qualis cognitio sufficiat ad contrahendam malitiam contra Deum. *Resp.* Si homo cognoscat, uti ex scintillulis legis in principio creationis inditæ cognoscere debet, aliqua objecta esse rationali naturæ contraria, & simul agnoscit esse Deum; utique etiam agnoscet ea Deo contraria esse. Vide *Roman. 1. vers. 19. 20.* coll. cum *2. vers. 14. 15.* Huic determinationi substernunt *Scholastici* complures (adducti à *Zvvarezio disp. 7. sect. 1.*) cum *Thoma in 1. 2. qu. 100. artic. 1. & 8.* aliquos actus ex naturâ suâ habere malitiam & deformitatem cum natura rationali; eosque nullâ Dei dispensatione fieri posse non malos moraliter.

Ex

Ex recentiſſimis has partes tuetur *Ariaga in* 1. 2. *diſp.* 19. *ſect.* 1. Nos antehâc in *diſp. de Iure & Iuſtitia Dei* diſcipulos noſtros tutius & accuratius (uti confido) hæc concipere docuimus. Nam quæ à Scholaſticis hic admiſcentur de operibus ſupererogatoriis, deque peccato veniali &c. ſtraminea ſunt. Nec ſufficiunt, quæ diſputant de jure naturali, cum confundant jus naturale ſic dictum quod ad Deum, & quod ad hominem. Interim perplacet, quod *Ariaga* Auguſtini ſententiam cum *Thoma* aliiſque ibi *cit.* contra Occamum & Gerſonem defendat, de actibus quibuſdam malis non quia liberè à Deo prohibiti, ſed prohibitis, quia mali. *XV. Probl.* An ubi peccatum eſt cauſa ignorantiæ, ipſa ignorantia poſſiteſſe invincibilis? *Reſp. Aff.* Valentia diſp. 6. qu. 6. puncto 1. & adfert tale exemplum, *ut ſi die feſto promulgaretur in templo lex aliqua, & quiſpiam non adiret eo die templum audiendæ miſſæ cauſâ, ſicut tenetur, ideoque ignoraret quid eſſet promulgatum &c.* Idem habent *Clavis Regia, Thomas Zanches, Baſſeus.* Sed non video hâc ratione probari aſſertionem, quæ potius ex hypotheſibus adverſariorum, quam ex ipſâ rei veritate refutatur. Si enim feſto die miſſam audire tenetur, ſub præcepto & ſub mortali (uti ipſi loquuntur), quomodo hæc negligentia & omiſſio, & inde orta ignorantia non erit peccatum? Non video quomodo hæc conveniant, cum iis quæ diſputat *Valentia ibid. puncto* 2. contra Durandum & Cajetanum; quod ipſa ignorantia per ſe ſit peccatum, & non tantum negligentia voluntatis, ex quâ ignorantia redditur culpabilis: quodque ignorantia & negligentia non ſint duo peccata, ſed unicum tantum, ſicut actus exterior & interior. Nos ſecundum ipſam rei veritatem contrarium probamus ex exemplo *Thomæ*, cujus ignorantia & infidelitas erat per ſe culpabilis, & non tantum peccatum negligentiæ & abſentiæ à cœtu diſcipulorum, quod cauſa erat non viſi Domini, & conſequenter infidelitatis. Vide ex noſtris *Bezam homil.* 17. *de reſurrectione Chriſti*, & ex Pontificiis *Ferum in Iohann.* 20. *verſ.* 26. qui infidelitatis cauſam faciunt abſentiam à cœtu in nomine Chriſti congregato. *XVI. Probl.* An ignorantia invincibilis pœnæ excuſet à peccato, & à pœna. *Reſp.* 1. *Concl.* à peccato non excuſat: quia non tollit voluntarium, & advertentiam ſufficientem ad legis prohibitionem, & ad factum prohibitum, & conſequenter ad peccatum. 2. *Concl.* à peccato & pœna excuſari volunt *Azorius lib.* 1. *cap.* 15. *qu.* 1. & 2. (quem ſequuntur *Bonacina & Baſſeus*) eum qui bonâ fide ignorat jus divinum & naturale: & addunt rationem, quia id non ſponte agit, atque ideo liber eſt ab omni pœnâ non obtemperantibus irrogatâ. Sed hæc determinatio nititur falſâ hypotheſi, de ignorantiâ inculpabili juris divini & naturalis: quam nos tam indiſtinctè non admittimus: uti

mox infra *sequ. sectione* dicetur. 3. *Concl.* Nec à peccato nec à pœnâ, sive jure divino & naturali, sive humano civili aut canonico sanctâ excusantur, qui legem divinam & naturalem sciunt, ignari tamen sunt pœnæ jure divino aut naturali aut civili debitæ. Sic autores modo citt. Ratio adfertur, quia quicunque *scienter* jus divinum vel naturale perfringit, eo ipse sponte sese obstringit Deo legislatori ad pœnam peccato debitam luendam. Placet hæc ratio; si tollatur ambiguum latens in voce *scienter*. De obstrictione ad ignoratam pœnam civili lege impositam peccantibus ergo jus divinum aut naturale, rectè *ibidem* probat *Bassæus*: Quia pœnæ jure civili irrogatæ non pendent ex consensu peccantium, sed ex authoritate Principis aut Magistratus imponuntur, ne delicta maneant impunita. Quæstionem controversam, quam ibidem movet, de ignorantiâ excommunicationis jure canonico impositæ, infra *thesi ultimâ*, inter reliquas recensebimus. *XVII. Probl.* An vincibilis ignorantia minuat an vero augeat peccatum. *Resp.* 1. *Concl.* De ignorantiâ invincibili suprâ determinatum est: quod in toto aut saltem in tanto excuset à peccato. 2. *Concl.* De vincibili, supina scil. seu crassa communiter à Casuistis dicitur minuere peccatum: quòd minus sit voluntarium, quando actu non cognoscitur. 3. *Concl.* De vincibili affectata dissentiunt. Quidam negant minuere: quin & cum *Thoma* 1. 2. *qu.* 77. *artic.* 4. asserunt potius augere. Quod alii non nisi sub distinctione admittunt: quoad speciem positivam quam peccatum habet ex objecto. *Aff.* Quia ex eo, quod voluntas vehementius fertur in hanc speciem, vult aliquis de industriâ ignorare: & sic hoc respectu peccatum est magis voluntarium. Quoad alteram vero speciem, quam peccatum habet ex defectu & privatione rectitudinis debitæ, in quâ consistit essentialiter ipsius malitia, *Neg.* Sic *Valentia disp. & qu. cit. puncto* 3. *coll.* cum *disp.* 1. *qu.* 1. *puncto* 6. qui *ibidem* addit videri absolutè loquendo etiam minui ob ignorantiam affectatam: quod defectus minus sit voluntarius, quando actu ignoratur, quocunque tandem modo. Sed tutior mihi videtur sententia *Thomæ*. *XVIII. Probl.* An ignorantia, quæ constituit aliquem in necessitate alterutrius peccati è duobus admittendi, contrahat malitiam; & tunc homo teneatur ad eam actionem ex duabus, quæ levius sit peccatum? *Resp.* Utrumque *aff. Arriaga in* 22. *disp.* 50. *sect.* 4. *subsect.* 1. §. 23. 24. Nos quod ad priusmembrum. *Aff.* Sed quod ad posterius, *Neg.* Nemo potest alicui autor esse, ut ex duobus moraliter malis, eligat minus: cum malum nullo modo sit eligibile; ut rectè *commentatores ad Rom.* 3. *vers.* 8. inter eos *Cajetanus*. Exemplum, quod *Arriaga loco citato*, juxta morem virginalium Theologorum in Papatu, πραγματικῶς, non convenit nobis.

bis nunc examinare. *XIX. Probl.* An & quomodo certitudo haberi possit ignorantiæ invincibilis? *Resp.* 1. *Concl.* in foro poli interiori & conscientiæ coram Deo, ex testimonio propriæ conscientiæ, attestante unâ conscientiæ nostræ summo teste & judice Deo καρδιογνώστη, huc advocato: uti in exemplo Abimelech, *Genes.* 20. *vers.* 4. 5. 6. 2. *Concl.* In foro fori seu exteriori, moralis tantum certitudo (quæ hic sufficere debet) haberi potest. *Primò*, ex juramento ejus, qui ex ignorantiâ legem non implevit: si quidem non sit plena præsumtio in contrarium. *Secundò*, si clara & non dubia præsumtio sit contra illum, poterit ignorantiam probare ex aliquibus signis, quæ moraliter conjungi non solent cum scientiâ illius legis, seu negligentiâ culpabili illius sciendæ: puta, me tunc fuisse anniculum vel furiosum. *Tertiò*, sed verisimiliter tantum, ex eo quod absens tunc fuerim. Conferat, qui vult, *glossas* & *commentaria ad cap.* præsumitur, *de regulis Iuris in 6.* & ibi *regul.* 47. Et *Antoninum in summâ part.* 1. *tit.* 20. ubi inter regulas juris canonici hanc, *Ignorantia præsumitur, ubi scientia non probatur explicat & limitat.* *XX. Probl.* An per vincibilem ignorantiam, actus unam an plures malitias contrahat. *Resp.* Etiamsi actio exterior plures habeat malitias morales, non contrahitur tamen per culpabilem ignorantiam malitia, nisi in illâ aut illis, quas nosse debebat, & culpabiliter ignorat. *XXI. Probl.* An peccatum admissum ex ignorantiâ vincibili sit ejusdem speciei, cujus fuisset, si ex certâ scientiâ fuisset commissum. *Resp.* Sunt qui simpliciter *aff.* ut *Svvarez, Thom. Zanches, Clavis Regia, Basseus*; quorum hæc est ratio, quia opponuntur eidem virtuti & præcepto: & quamvis circumstantiæ illæ aggravent aut minuant, non tamen speciem aliam constituunt; juxta vulgarem regulam, *magis & minus non variant speciem.* *Cajetanus* operosè *distinguit*: nec minus *Valentia*, qui tamen Cajetanum cum distinctionibus suis rejicit. Sed quæstio hæc tanti momenti & usus non est, ut ei multum immorandum sit: Videat, cui ita visum, ipsum *Valentiam disp. & qu.* sæpius *cit. puncto* 3. *XXII. Probl.* An ignorantia crassa seu supina sit distinctum peccatum à negligentiâ, quæ est causa illius ignorantiæ. *Resp.* Pro *aff.* disputat *Valentia punct.* 2. Sed parum de eo laborandum est, modo teneatur & constet contra Durandum & Cajetanum ipsam ignorantiam per se esse peccatum, & non tantum negligentiam, ex quâ orta fuit.

Sequuntur nunc quæstiones practicæ, de variis ignorantiis in particulari, secundum varia & specialia objecta distinctis. *I. Probl.* An sit ignorantia invincibilis ipsius Dei. *Resp. Aff.* Jesuita *Bresserus lib.* 2. *de conscientia cap.* 21. coll. cum *lib.* 1. *c.* 14. & hanc hypothesin advocat, ut otiosè disputet, Exstinctâ conscientiâ offensæ Dei, manere tamen con- 4

scientiam mali moralis seu peccati. Sed hic vir (forte imprudens) accedit ad sententiam Socini, qui ut thesin suam principalem contra Deitatem & satisfactionem Christi tueri possit, negat omnem notitiam Dei naturalem. Ejus & sectatorum errorem refutavimus in *disp. de Atheismo.* Non est ergo, quod hic repetam. *II. Probl.* An detur ignorantia invincibilis totius legis naturæ, aut principiorum practicorum, & an synteresis & conscientia naturalis in homine plane exstingui possint? *Resp.* 1. *Concl.* De ipsa synteresi & principiis practicis in universum, & consequenter de naturali conscientiâ. *Neg.* Nec obstant loca illa Scripturæ quæ referunt ἀδόκιμον νοῦν, indurationem, conscientiam cauterizatam, ἀναισθησίαν & ἀπαλγησίαν, cogitationem de non Deo *Psal.* 10. & 14. Hæc enim aut de privatione actus secundi, aut negatione indirectâ ac practicâ, deque proximâ pravâ dispositione intelligenda esse docuimus in *disp. de Atheismo.* 2. *Concl.* De primis principiis practicis, & communibus notionibus (ita dictis) *Neg.* & consentiunt communiter Pontificii. Sunt autem illa principia, *bonum faciendum & malum fugiendum. Quòd tibi fieri nolis alteri non faciendum, suum cuique tribuendum.* 3. *Concl.* De præceptis juris naturalis, quæ nullo negotio à quovis homine ex primis illis principiis deduci possunt, e. gr. Quod sit numen divinum colendum, quod parentes sint honorandi: itidem *Neg.* & consentiunt Pontificii. 4. *Concl.* De aliis juris naturalis præceptis, *Aff.* Pontificii, apud *Valentiam disp. & qu. cit. punct.* 1. §. 7. & *Basseum in voce Ignorantia* §. 6. ubi complures alii citantur. Valentia hæc juris naturalis præcepta indigitat, *Quod usura sit peccatum, & mendacium pro tuendâ hominis vitâ, & immolatio hominis in honorem Dei, & vindicatio injuriæ pro privatâ autoritate, & similia.* Paulo post addit: *sicut forte etiam quod unicus sit Deus* &c. *Ex quo sequitur idololatriam posse ad aliquod saltem tempus per ignorantiam invincibilem in aliquo homine excusari.* Sed hęc tanquam falsa & absurda rejicimus: quæ ipsi deprehendere possent, si modo attentè legant *Rom.* 1. & 2. *Ephes.* 2. 1. *Thess.* 4. *Actor.* 14. & 17. ubi Gentilium idololatria aliaque peccata arguuntur, atque ipsis omnis ἀναπολογία adimitur, & quidem ex rationibus & consequentiis luminis naturalis. Sed forte *Valentia*, quem non puduit alibi idololatriam distinguere in licitam & illicitam ex detorsione, 1 *Petr.* 4. *vers.* 3. voluit consulere inevitabili (uti putant) idololatriæ suorum, qui toties purum putum panem cultu latriæ adorant, quoties sacerdos missaticus per carentiam intentionis aut aliud aliquod impedimentum non creavit suum creatorem. *III. Probl.* An ignorantia mysteriorum fidei, non tantum pura & simplex, sed & pravæ dispositionis seu cum errore conjuncta sit inculpabilis *Resp. Aff.* Pontificii apud Basseum

seum, & autores ibi citatos. *Si rudis*, inquiunt, *instruatur ab hæretico, quem ipse nescit hæreticum, sed putat virum probum & doctum, ab eoque aliquos errores contra fidem simul cum aliquibus veritatibus imbibat, dicitur habere ignorantiam invincibilem &c. quæ non imputatur ad culpam &c.* Cardinalis Toletus ulterius progressus *libr.* 4. *instruct. cap.* 3 §. 7. affirmat, errorem rustici credentis episcopo suo circa articulos fidei dogma aliquod hæreticum proponenti esse meritorium. Nos cum Scripturâ utrumque *Neg.* Matt. 15. vers. 14. *Si cæcus cæcum ducat &c. &* 23. vers. 15. *& cum factus fuerit* (proselytus); *facitis illum filium gehennæ &c.* Matth. 7. vers. 15. *cavete vobis à falsis Prophetis &c.* & 16. vers. 6. *cavete vobis à fermento Pharisæorum.* *IV. Probl.* An ignorantia affectata mysteriorum fidei sit hæresis? *Neg.* Ariaga in 22. disp. 19. sect. 5. subsect. 4. sub hâc limitatione: *modo dispositus sit ad credendum omnia, quæ credit ecclesia.* Rationem hanc adfert: *quia non peccat immediatè contra præceptum eliciendi actum (cognitionis scil. & fidei), sed contra præceptum inquirendi quæ sunt revelata.* Nos *distinguimus*, si quidem non tantum sit, ignorantia negativa sed etiam, partim positiva & accedat pertinacia. *Aff.* Ut enim ignorantia affectata non excusat ab adulterio, homicidio &c. sic nec hic ab hæresi & seductione, quæ ex ignorantiâ illâ negativâ procedit. *V. Probl.* An infideles, scil. aut Mahumedistæ, tenentes aliquid contra fidem, peccent? *Resp.* Quæstio huc redit; an error, seu ignorantia positiva, opposita fundamentalibus articulis fidei, sit peccatum? ex. gr. Deum non esse tres personas, Deum non esse incarnatum. *Toletus lib.* 4. *cap.* 6. *Neg.* Sub hâc limitatione, si scil. nullam fidei Christianæ notitiam habent. Sed non video quomodo positivè seu errore contrario aliquid possint tenere contra articulos fidei, nisi aliquam eorum notitiam habeant, saltem historicam. Ergo, quia ponit casum, seu hypothesin impossibilem, seu repugnantem, ad rem non facit. *VI. Probl.* An rudes seu indocti non peccent, si sequantur judicium hominis docti & prudentis. *Resp. Aff.* Pontificii apud *Ariaga in* 1. 2. *disp.* 22. *sect.* 2. *subsect.* 2. in fine. Et hoc juxta falsam hypothesin, de laicorum fide implicitâ. Nos *Neg.* si judicium docti sit erroneum. Immo si non esset erroneum, quod laicus in præsentiarum nescit, non debet tamen in negotiis ad conscientiam pertinentibus fide & autoritate humanâ contentus esse. Justus enim fide suâ vivit, *Rom.* 1. Et quisque debet in animo suo certus esse, *Rom.* 14. *VII. Probl.* An qui invincibiliter ignorat desiderium fornicandi esse peccatum, peccet desiderio fornicationis? *Resp. Neg. Basseus* §. 12. Sed malè: præsupponit enim falsum, dari scil. inter Christianos talem ignorantiam invincibilem seu inculpabilem. Quasi scil. ex Matth. 5. vers. 28. *qui mulierem aspexerit, &c.* & explicatione septimi præcepti, imprimis & decimi, immo & omnium aliorum

rum non teneantur scire peccata interna & desideria atque affectus malos esse peccata: quod honestiores Ethnicos non latuit. *VIII. Probl.* An ignorantia juris impediat præscriptionem? *Resp.* Movet hanc quæstionem *Lessius libr. 2. de Iustitiâ & Iure cap. 6. dubit. 5.* & secundum communem sententiam Jureconsultorum & Canonistarum ibid. citatorum, negat juris clari ignorantiam, etiamsi omnino sit inculpata, sufficere ad præscriptionem rei: Concedit tamen sufficere ad præscribendos fructus ex illâ re perceptos: etiam ignorantiam vel errorem juris valdè dubii aut verè dubii sufficere ad præscriptionem ipsius rei. Contra tamen sentit *Medina*, quamvis ignorantiam inculpatam tam juris quam facti sufficere ad præscribendum in foro conscientiæ: de quâ prolixè disputatur à *Lessio loc. cit.* Sed hos aliosque casus, positivæ leges juris humani determinant: itaque eò relegamus; hoc tamen observato, in foro conscientiæ cum jura positiva pro nobis sunt, secundum æquitatem & prudentiam Christianam cum proximo nihilominus agendum, & de jure illo remittendum potius, idque cum damno nostro, quam ut admittamus proximo nostro summum jus fieri summam injuriam; aut legem aliquam de Usucapione, quod ad executionem in aliquo particulari & extraordinario casu, habere aliquid iniqui, proximo scil. meo; aut quam, ut aliquam mali speciem committamus. 1. *Corinth. 6. vers. 7.* 1. *Thessal. 5. 22.* coll. cum *Philipp. 4. vers. 4.* Hâc universali cautione in interiori conscientiæ foro servatâ in ipsâ legis aut juris humani circa usucapionem, adhibitione & usu, justitiam & necessitatem legum humanarum de usucapione à potestate publicâ latarum (siquidem juri divino & naturali non repugnent) facilè suo loco relinquimus; & à juris antistitibus defendi posse putamus, non minus quam jura testamentaria, & similia, quamvis ego in foro conscientiæ omnibus illis promiscuè in hoc aut illo peculiari casu pro me contra proximum uti nolim, nec etiam debeam. *IX. Probl.* An ignorantia crassa obliget ad restitutionem. *Resp.* Movet idem *Lessius lib. 2. cap. 7. dubit. 7.* Ubi distinguit: teneri ex culpâ levi, eum qui ex officio facit, & pro eâ re stipendium accipit: & teneri ex culpâ latâ ad restitutionem damni secuti, si quis ex officio obligatus ad scientiam (ex. gr. Jureconsultus aut Theologus), per crassam ignorantiam consilium dat alicui ad aliquid faciendum, ex quo damnum sequitur, ex. gr. dicendo contractum esse illicitum qui sit licitus, & vice versa; teneri ad restitutionem, qui non tenetur, & vice versa. Nec repugnamus: modo petitor hujus restitutionis, consideratis circumstantiis ἐπιείκειαν adhibeat. *X. Probl.* An ignorantia concomitans obliget ad restitutionem? *Resp.* De hoc quærit *Lessius lib. 2. c. 8. dub. 9.* & respondet *Neg.* si scil. ignorantia sit inculpata. De

quo

quo communiter *Scholastici ad* 1. 2. *qu.* 6. 8. & nos supra verbulo generalem quæstionem de Ignorantiâ comitante attigimus. *XI. Problem.* An invincibilis ignorantia legis pactum seu contractum faciat irritum? *Resp. Aff. Navarrus in Manuali cap.* 23. & *Valentia ad* 1. 2. *disp.* 7. *qu.* 5. *puncto* 5. si scil. contractus ipso facto per legem reddatur irritus; quamvis per ignorantiam invincibilem contrahens legem violaverit. Sed puto hic distinguendum esse inter leges & leges: adhæc, inter forum soli & poli. *XII. Probl.* Sunt & alia Problemata apud Casuistas Papales & Scholasticos agitari solita, ex. gr. An ignorantia cum est venialis, peccatum possit esse mortale: de quo *Valentia, qu.* 6. *punct.* 3. An ignorantia peccatum ex mortali faciat veniale; *Basseus* §. 11. An ignorans excommunicationem jure Canonico latam, in talia facientes aut omittentes, incurrat excommunicationem. De hoc acriter contenditur apud Canonistas & Casuistas; quos vide citt. apud *Basseum* §. 17. An si per ignorantiam invincibilem omiserit quis peccatum aliquod in confessione, obligetur ad repetendam confessionem. *Basseus* §. 9. Hæc aliaque istius furfuris circa missas, horas canonicas, irregularitates, incestum ex cognatione & affinitate spirituali, &c. Papatui relinquimus. Ea si quis historicè scire aveat, aliquem ex Casuistis eorum *hâc disp.* citatis, inspiciat, eique addat, *Gavanti Thesaurum rituum, ad rubricas Missalis & Breviarii.*

Ad cumulum adjicimus aliqua Problemata, de inconsideratione, oblivione, distractione. Nam quæ de affinibus ignorantiæ, dubitatione scil., scrupulo, suspicione, opinione, probabili, quæri solent, alibi perstringenda sunt. *I. Probl.* An inadvertentia seu inconsideratio possit esse peccatum, vel peccati causa? *Resp.* Definitur quod sit *defectus actualis cogitationis de aliquâ re; sive detur alioquin in illo homine scientia ejusdem rei habitualis, sive non detur.* 1. *Concl.* Nemo potest velle nihil considerare, seu nullo modo cogitare. 2. *Concl.* Potest quis peccare, volendo per actum positivum voluntatis, vel interpretativè per puram omissionem, non considerare hoc vel illud, quod considerare debebat. 3. *Concl.* Potest peccari per inadvertentiam, volendo inconsiderationem mediatè, sic ex. grat. potest quis hoc instanti inchoare ludum, aut aliud aliquod opus, per cujus considerationem instanti sequenti impeditur à consideratione ejus rei, ad quam sciebat se teneri. 4. *Concl.* Potest etiam in eodem instanti esse peccatum non considerationis, & voluntas non considerandi quod debeo considerare. Nec obstat, quod dicitur; eum qui actu non vult considerare hoc vel illud, habere tum de eo considerationem seu cogitationem; nam aliud est ipsa consideratio, advertentia, & attentio formalis & directa, ex. gr. de Deo, aliud autem cognitio reflexa, de illâ consideratione ad

quam teneor. Sicut cum quis proponit se mox, aut post horam consideraturum aliquid, aut attenturum ad hanc aut illam rem, aut textum aliquem Scripturæ, habet tunc actu cognitionem circa cognitionem & considerationem istius rei aut textus, non tamen actu & formaliter eam cognoscit, aut ad ea attendit. Et sic accuratè distinguendo objectionem illam diluit *Arriaga.* 5. *Concl.* Inconsideratio rei debitæ hic & nunc considerari, non liberat à peccato per eam commisso. Hic acriter inter se digladiantur Pontificii, quomodo possit aut non possit peccari per inconsiderationem, sive venialiter sive mortaliter. Sed nituntur falsis hypothesibus de motibus primò primis, deque actibus sensualitatis rationem prævenientibus, consequenter non voluntariis, nec humanis; deque distinctione inter voluntarium & liberum; item inter peccatum veniale & mortale. Quæ alibi suis quæq; locis excutiuntur. Interim videat, cui vacat, Andabatarum pugnam apud *Lessium lib.* 1. *c.* 2. imprimis *Arriaga ad* 1. 2. *disp.* 13. *sect.* 2. Nobis sufficit omnem inadvertentiam considerationi & attentioni in actionibus nostris in ordine ad Deum requisitæ (juxta 1. *Corinth.* 10. *vers.* 31. 32. *Matth.* 22. *vers.* 37. *Ephes.* 5. *vers.* 15. *Marci* 3. *vers.* 37. *Actor.* 20. *vers.* 28. 31.) oppositam, esse voluntariam aliquo modo, informiter scil. aut incompletè, aut interpretativè, aut in causâ. *II. Probl.* An sit gravius peccatum, quam temeritas aut præcipitatio? *Resp. Thomas* 22. *qu.* 53. varios modos indicat, quibus peccatur contra prudentiam; inter eos præcipitationem seu temeritatem, quam definit subitam & violentam resolutionem in rebus agendis, non attendendo ad aliorum rationes, nec considerando, prout deberet fieri, ea quæ aliunde possent occurrere. Sunt ex *Scholasticis ad loc. cit. Thomæ,* (*Arriaga disp.* 50. *sect.* 4. *subsect.* 2.) qui putant in re non differre ab inconsideratione: differentiam tamen modalem ibidem assignare studet, quod temeritas dicat violentam & subitaneam determinationem, quam inconsideratio secundum se non dicit. Posset & hæc differentia assignari, quod temeritas omnis dicat neglectum consilii seu judicii in considerandis exactè rationibus: inadvertentia verò etiam consistat in simplici seu negativâ non cogitatione rei: ita ut latius videatur patere. Quod ad gravitatem peccati, *Arriaga* putat in eo superare inconsiderationem, quod sine passione & majori cum opportunitate ad consilium capiendum contrahatur, quam temeritas. Sed hoc non est de ratione omnis inadvertentiæ secundum se, & ut sic. *III. Probl.* An oblivio ad ignorantiam reduci debeat, & sit culpabilis. *Resp. Aff.* de vincibili, quæ opponitur attentioni & recordationi, ad quam in actionibus nostris rectè, honestè, piè, instituendis tenemur. Est autem oblivio vel habitualis & permanens, vel actualis (ita loquar) & transiens. Expendantur lo-

ca *Eccleſiaſt.* 12. *verſ.* 1. *Hebr.* 12. *verſ.* 5. *Pſal.* 77. *verſ.* 12. 13. *&c.* & quæ *Theologi practici commentantur, de ſpirituali memoriâ & recordatione, eique oppoſitâ oblivione. IV. Probl.* An diſtractiones in precibus ſint peccata? *Reſp. Aff.* Contra, ſed perperam, de quibuſdam negat *Breſſerus in tract. de Conſcientiâ, lib.* 6. *c.* 15. de quo alibi.

PARALIPOMENA ad diſp. de IGNORANTIA.

P*Art.* 1. §. 1. ubi de *Stultitiâ*, adde *Thomam cum Commentatoribus* 22. *qu.* 45. 46. *Et de Prudentiâ* 22. *qu.* 47. -- 57. *Ibid.* §. ubi de Barbariâ & Barbaris. Adde, *Erycii Puteani appendicem ad hiſtoriam Barbaricam. Matthiam Martinium in Onomaſtico. Hadr. Iunii lib.* 4. *animadverſorum cap.* 25. ubi ex Jamblicho, Origine, Amelio, Cyrillo Alexandrino, Hebræos, Græcis dictos Barbaros, eorumque linguam barbaram. *Homerus Iliad.* 2. Caras appellat βαρβαροφώνους. Græci vocabant Barbaros jam excultos latinos: uti ex Catone, Plinio, Plauto obſervat *Beroaldus ad Apuleium de Aſino aureo, libr.* 9. *p.* 347. (edit. Baſil. in 8.) *Ibid.* cum in fine de dominante Ignorantiâ & barbarie ſub tenebris Papatus autorum teſtimonia indico, adde *Petrum Ramum* paſſim *in Orationibus*, & in *Scholis Grammaticis*; *Politianum*, *Reuchlinum*, paſſim in *Epiſtolis*; *Gomarum in diſp. de Antichriſto*; imprimis *Marnixium Sanct-Aldegondium in* utroque tomo *Alvearii Eccleſiæ Romanæ*; & *Henricum Stephanum in tract. præpar. ad apologiam Herodoti* Gallicè *cap.* 29. *uſque* 38. ubi graphicè Bœotiſmos, Barbariſmos, & ineptias Clericorum in Scholis & Concionibus deſcribit: & *cap.* 39. craſſam ignorantiam plebis. Inter Pontificios barbariem hanc tangit *Naudæus cap.* 7. *Apologiæ pag.* 114. 115. Et Philipp. Beroaldus in comment. ad Apulei lib. 9. p. 341. *VIDERIS.*] *Pronunciandum eſt prima acuta, media correpta: à videro videris. ſubjunctivi modi. q. d, Tu videbis. ſic Terent. dixit*, in venerit, *pro inveniet, conjunctivo modo uſus pro indicativo: & hæc (ut inquit Donatus) honeſta locutio eſt. Tale eſt illud in Euangelio: Quid ad nos? ipſe videris. Quod malè literati ſacerdotes perperàm pronunciant, media ſyllaba producta, ſenſu frivolo & inepto. Proinde cavere deberent Antiſtites religionis & epiſtatæ, ne illiteratos indoctoſque initiarent myſticis ceremoniis. Etenim (ut verè inquit Hieronymus) cæcum animal offert Deo, qui ordinat indoctum. Erat locus invehendi, inſectandique ſacerdotes malè moratos, male literatos, qui vix primoribus labris guſtaverunt literas elementarias: quorum ora ſcatent fœditate ſolœciſmorum ac barbariſmorum, qui in myſteriis religioſis celebrandis tantam redolent barbariem, tam confuſè corruptèque ſancta verba pronunciant, ut multis riſum, non paucis bilem*

bilem stomachumque commoveant. Ubi etiam mores sacerdotum ita depingit, ut inter testes veritatis, hâc saltem in parte, Illyrici Catalogo meritò adscribi possit. Sed barbariei istius certissima argumenta sunt libri Theologici tunc scripti, quorum stylum imitati sunt *Editores epistolarum obscurorum virorum, Passavantii,* &c. Imprimis ineptissimę Etymologię & vocum explicationes comparent in libris, dictis *Huguotton, Gemma gemmarum, Catholicon, Mammotrectus,* unde eruditionem suam Philologicam tanquam ex fonte perenni hauriebant. Et vestigia quædam barbaricæ illius Philologiæ deprehendes passim in *Ioh. Altenstaig Dictionario Theologico.* Notissimum est etymon Lombardi: *diabolus* à *duo* & *bolus,* &c. Unum tantum hic addam ex *Gevartii lectionibus Papinianis,* quale „ fortè alibi non facile invenias. Codex Buslidianus quem ipsemet hisce „ oculis Lovanii inspexi, in quo clarè legebatur *Papini Sursuli Thebais* in- „ cipit. quod glossa interlinearis ita explicabat: *Sursulus, agnomen, quasi sursum canens.*

DE DOCTA IGNORANTIA.

Resp. JOHANNE URSINO, Enchusâ West-Frisio. 7. *April.* 1655.

Memorabilis est sententia Apostoli, Rom. 12. *vers.* 3. Ne supra modum sapiat ultra quam oportet sapere: sed sapiat ad sobrietatem. *Et* 1. *Cor.* 4. 6. Ut in nobis discatis supra id, quod scriptum est, non sapere. „ *Cum quo apprimè convenit illud* Tertulliani de Animâ, cap. 1. *Quis e-* „ *nim revelabit, quod Deus texit? Vnde sciscitandum est? Vnde & igno-* „ *rare tutissimum est, præstat per Deum nescire, quia non revelaverit, quam* „ *per hominem scire, quia ipse præsumserit. Et Ioseph. Scaliger in Iambis* „ *Gnomicis, §.* 21.

„ Nescire velle, quæ Magister maximus
„ Docere non vult, erudita inscitia est.

Est ergo in rebus divinis, & in multis aliis, tum naturalibus, tum humanis invincibilis & inculpabilis, immo & sæpe utilis ac laudabilis ignorantia: de quâ etiam disserit Augustinus cap. 17. de doctrinâ Christianâ: *unde nonnulla transcribit* Lombardus lib. 3. dist. 38. §. Illud etiam. *Nobis propriè de ignorantiâ illâ, quam doctam appellant, disquisitio instituitur.*

1 PHrasis *docta ignorantia* composita est ex duobus vocabulis, quorum unum significare solet bonum seu perfectionem quam, alterum malum seu defectum: eo modo, quo insaniens sapientia, (de *quâ part.* 1. *de ignorantia*), & *misericordia puniens, crudelitas*

crudelitas parcens, apud Auguſtinum epiſt. 54. *diſcors concordia*, apud Ovidium 1. Metamorph. *mitis ſeveritas, non diſſoluta clementia*, apud Plinium in Panegyr. *ſervilis libertas*, &c. Affinis illi eſt phraſis quæ vocabulum perfectionem aut bonitatem quam ſignificans repetit, & cum græcorum (α) περπικῶ, aut Latinorum (in) aut Belgarum (on) componit: ut γάμος ἄγαμος innuptæ nuptiæ, via invia, βίος ἄβιος, ἄδωρα δῶρα, σοφία ἄσοφος. Aliquando adverbium negandi (non) interponitur, quod vim diminuendi habet, ut in illo ænigmate: vir non vir, percuſſit non percuſſit, avem non avem, &c. Accipitur autem *docta ignorantia* vel propriè, vel impropriè. Propriè rurſum dupliciter: vel ut directè, immediatè, formaliter & primo dicit quarundam rerum ignorantiam; ſecundo & conſequenter reflexivam cognitionem iſtius ignorantiæ noſtræ cum eâ conjunctam: vel ut directè, primò immediatè & formaliter dicit cognitionem ignorantiæ alicujus in nobis; & mediatè cognitionem rei ignotæ ſeu ignoratæ. *Improprie* & catachreſticè, accipitur pro ſcientiâ rerum divinarum & naturalium, quæ & quatenus in hâc vitâ à nobis habetur aut haberi poteſt. Et hâc ſignificatione ſeu catachreſi uſus eſt multiplici eruditione celebris ſuo tempore *Nicolaus de Cuſa* Cardinalis, *in tribus libris de doctâ ignorantiâ*: quo titulo ex aliis Scriptoribus percepto me ante annos complures admodum deceptum fateor. Poſtea Cuſani opera nactus, & libris his perluſtratis, comperi nihil minus tractari, quam quod titulus videtur promittere. Neque enim abſtractè & in actu ſignato (ita loquar) agit de doctâ ignorantiâ: neque etiam in actu exercito, de ἀγνώσεις illis in particulari quæ in Theologiâ, Philoſophiâ, Artibus, ignorari ſolent, aut debent, ſive abſolutè ſive ſecundum quid: ſed tantum ſummariè delineat ſcientiam ac ſcibilia quæ de Deo & operibus Dei tum creationis tum redemtionis cognoſcuntur. Hinc 1. *liber agit de Deo.* 2. *lib. de Mundo.* 3. *lib. de Chriſto.* Hanc ſcientiam videtur maluiſſe vocare ignorantiam, quam ſcientiam per hyperbolen catachreſticam, comparate ſcil. ad ſcientiam Dei, etiam ad ſcientiam beatorum. Quomodo hæc vita non tantum impiorum ſed & piorum *mors*, aut quaſi *mors* dicitur, & homo ad ens entium, ſeu Deum comparatus dicitur quaſi *nihil*, & *vanitas*, *Daniel.* 4. *verſ.* 35. coll. cum *Pſal.* 62. *verſ.* 10. *Philip.* 2. *verſ.* 7. Et ſcriptoribus profanis *umbra*, *ſomnium umbræ*, Græc. σκιᾶς ὄναρ. Et *Auguſtinus* alicubi dicit, juſtitiam noſtram in hâc vitâ, ſi comparetur ad perfectam illam in cœlis, eſſe ſtercus. Adde quod Paulus *Philipp.* 3. *verſ.* 8. omnia tanquam ſtercora ducit præ Chriſto, & ſeipſum *nihil* eſſe dicit, 2. *Corinth.* 12. *verſ.* 11. Hæc appellatio ſcientiæ & quidem Theologicæ apud Cuſanum, forte accerſi poſſet ex Proverb. 30. verſ. 2, 3. ubi ſapiens ſic de ſe: *Bardus* (vel *Brutus*) ego

ego sum præ viro & hominum intelligentia non est mihi, &c. Et Psaltes de se Psal. 73. vers. 22. *Eram brutus cum ignorarem, eram jumenta apud te.* Vide *ibi Commentatores.* An ad hæc loca respexerit *Cusanus*, nescio: hoc saltem scio, *Augustinum in Rom.* 8. *pag.* 67. ab illo citatum per doctam ignorantiam non intellexisse veritates scibiles, quasi scil. illæ essent proprium & formale objectum ignorantiæ (uti *lib.* 1. *cap.* 3. innuere videtur), cum sint objectum scientiæ; haut aliter ac visibile est objectum visus, non cœcitatis. Verba illa Augustini, quæ ex alio loco Augustini *ibidem* exhibet. *Deum potius ignorantia quam scientia* attingi; hoc volunt, per viam negationis melius perveniri ad Dei intellectionem quam affirmationis. De dicto Dionysio Areopagita, *ibid.* adducto quid statuendum, *infra in Problematis* dicetur. Nos ab autoribus illis Cusano citatis, ut & communi usu Philosophorum ac Theologorum, per doctam ignorantiam duo ista intelligi putamus: non-scientiam scil. τῶν ἀγνώστων, & scientiam istius non-scientiæ talium ἀγνώστων: de quâ nobis nunc agendum. Utrum autem formaliter & primò dicat ipsam ignorantiam, an verò scientiam istius ignorantiæ, *infra in Problematis* disquiretur.

2 Docta ignorantia παχυλῶς describi potest, quod sit *cognitio ignorantiæ nostræ, & rerum ignoratarum aut ignorabilium, quà talium.* In hâc descriptione consideranda. 1, *Cognitio*, seu scientia: ut distinguatur ab ignorantiâ triplici, ignota scil., dubia, putatitia. *Ignota* est, seorsim, abstractè, in se & absolutè considerata, absque ullâ ejusdem agnitione & sensu. *Dubia* est, quando mentis nostræ dubitatio est circa ignorantiam, aut circa ἄγνωστα, de quibus tamen certò constare potest ac debet, quod revera ignota aut ignoranda sint. *Putatitia* est, quando quis scientiam conjunctam cum doctâ ignorantiâ non-scibilium, pro stultitiâ habet eamque nomine simplicitatis, inaniæ, μωροσοφίας, stultitiæ insignit: quo nomine catechrestico per communem opinionem & arbitrium aliorum ita imposito per concessionem & nuncupationem etiam utitur Spiritus sanctus. 1. *Cor.* 1. 21. 25. subintellectâ & suppressâ formulâ, *ut vos dicitis, uti dicitur, ut fertur, uti ajunt*, &c. Quæ expressa invenitur, Actor. 24. vers. 14. *secundum viam illam, quam hæresin dicunt*, &c. Sic intelligendæ phrases illæ, Deuter. 32. vers. 31 *rupes eorum.* Judic. 11. 24. *Deus vester Canos.* Et sic passim *Dii Gentium.* etiam Magistratus dicuntur *Dii*, additâ aliquando explicatione & restrictione per terminum diminuentem, ut 1. *Corinth.* 8. 5. dii λεγόμενοι, aut *dii falsitatis* seu *falsi*, &c. Aut, qui *natura non sunt*, Galat. 4. vers. 2. tales tamen ab hominibus errantibus dicuntur & habentur. Quomodo ens rationis, Philosophis dicitur *ens*, sed cum caudâ; & de nihilo, ficto possibili, immo & impossibili tam Theologi

logi quam Philosophi loqui & disserere coguntur, ac si quid essent, e. gr. de Æonibus Valentini, de duobus principiis Manichæorum, de Deo non gubernante Epicureorum, non omniscio Socinianorum, & similibus infinitis, de quibus conceptus formamus, eosque vocibus significamus. Triplex ergo hæc ignorantia hic in considerationem non venit, sed tantum illa, quę scitur & quatenus scitur: quæ ideo per metonymiam adjuncti, & per extrinsecam denominationem *docta*, *erudita*, *sciens dicitur*.

II. *Cognitio* seu *scientia ignorantiæ*. Ignorantia est vel nostra vel aliena. Priorem hic propriè intelligimus: quæ est immediatum objectum scientiæ & conscientiæ nostræ: quomodo actiones nostræ propriæ, ut habent respectum ad Deum, sunt proprium objectum conscientiæ nostræ. Unde sequitur esse hanc intellectionem reflexivam. III. *Non cognita*, & *non-scibilia*, sunt objectum hujus cognitionis reflexivæ mediatum. Sunt autem ἄγνωστα vel particulariter, vel communiter, vel universaliter. *Illa* sunt, quæ huic aut illi, aut alicui hoc tempore, sive adhibuerit diligentiam aliquam ad acquirendam scientiam, aut ad quiescendum in non-scientia seu ignorantia, sive non adhibuerit. Prioris generis ἄγνωστα hic solummodo considerantur. Ubi enim de aliquo conceptibili nunquam disquisivi, nec cognovi an & quousque sit γνώστον aut ἄγνωστον, ita ut in habitâ illâ cognitione, tanquam certâ quiescam; non potest dici docta ignorantia, sciens insciti: sed pura puta ignorantia. *Ista* sunt, quæ communiter à pluribus, præsertim mediocribus ingeniis ita intelligi & concipi non possunt, quamvis à quibusdam hic constanter laborantibus cognoscantur, aut saltem possint cognosci. Et talia sunt in matheſi Archimedea, & Algebraica nonnulla (& fortè huc referenda, circuli quadratura; de quâ disceptatur, an sciri possit); in Metaphysicâ, nonnullæ disquisitiones abstractissimæ & subtilissimæ circa controversias capitales inter nominales & reales, inter Thomam & Scotum; in Physicâ, arcana nonnulla naturæ; hactenus inexplicata; & nonnulla ex iis inexplicabilia. *Hæc* sunt, quæ aut absolutè, aut ex hypothesi imperfectionis nostræ in hâc vitâ, non sunt scibilia. Qualia sequenti §. nonnulla indicabimus. IV. *Quà talium*: Quatenus enim & quousque ignorantur, sunt proprium & formale doctę ignorantiæ objectum: non verò quatenus aliqua de rebus illis cognoscimus. E. gr. τὸ ὅτι cognitum est, quod Deus aliquos ad gratiam & gloriam elegerit: hoc doctè scimus. Sed τὸ διότι quare hunc elegerit præ illo, & quare sic voluerit, doctè ignoramus, nec scire possumus aut volumus. Ut enim voluntas illa Dei nullam habet causam, sic nulla ejus ratio nobis revelata est, & à nobis quæri debet.

Docta ignorantia variè distingui potest, tum ex parte actus, tum ex parte

parte objecti. 1. *Ex parte actus*, distinguitur in majorem aut minorem, magis aut minus certam (certitudine scil. subjecti), magis aut minus evidentem, directam aut reflexivam, quę denuo scil. judicat de scientiâ ignorantiæ & ignotorum. Quæcunque ergò de scientiâ in genere prædicantur aut quæruntur, huc transferri & applicari possunt. 11. *Ex parte objecti immediati*, est cognitio ignorantiæ simplicis, aut pravæ dispositionis seu erroris. *Illa* propriè huc pertinet. *Ista* non nisi cum distinctione. Si enim ad cognitionem tui erroris sequatur scientia veritatis, necessariæ aut utilis, & sic deceptioni falsitatis succedat assensus & certa persuasio veritatis isti falso oppositæ; jam formaliter non est docta ignorantia, sed potius docta & mera scientia: quia ultimus actus specificat: e. gr. aliquis deceptus errore, de justificatione per opera, aut de invocatione sanctorum, &c. ductu scripturarum per Dei gratiam in oppositam sententiam veritatis devenit, & eam veram esse scit, & quod hæc res aliter se habere non possit: hic utrumque judicium tam directum quam reflexivum est docta scientia. Sin verò ad doctam cognitionem alicujus ἀγνώστου non sequatur scientia ἔγνωστου oppositi, sed rejecta solummodo falsa aut saltem incerta assertione, mens instar tabulæ rasæ nihil hic recipiat, atque in purâ negativâ (ita loquar) Theologiâ acquiescat; jam docta ignorantia dicetur, ex. gr. si quis opinionem Scholasticorum, de origine filii per modum dictionis, & Spiritus Sancti per modum amoris abjiciat tanquam incertam, & fortè periculosam: interim nullum alium definitum originis modum substituat, sed ignorantiam simplicem seu puræ negationis hîc ex certâ scientiâ amplectatur, inque ea scientia (quod scil. definitus modus originis personarum in Deitate, in hâc vitâ sciri non possit, sive designatus Scholasticorum, sive quicunque alius fingibilis aut conceptibilis) mens ejus acquiescat: utique hæc *ignorantia* meritò *docta* dicetur. Rursum ex parte objecti immediati, distinguitur scientia in eam, quæ est ignorantiæ in genere & indefinitè spectatæ; & in eam quę est ignorantiæ in particulari respectu hujus aut illius ἀγνώστου spectatæ. Posterior in sequentibus explicabitur. *Prior* variâ comparatione facta, rursum variat 1. comparatè ad Deum, dicitur docta ignorantia: quâ certò scimus, omnia non esse nobis scibilia, quæ Deo; ne quidem in vitâ futurâ. Hîc examinari possent Andabatarum Scholasticorum pugnæ de speculo Trinitatis; deque visione Dei per essentiam. 2. Hujus vitæ ad futuram, doctè multa ignoramus, quæ ibi sciemus. 1. *Cor.* 13. *vers.* 9. 10. 12. & hujus ignorantiæ nostræ scientia est docta. 3. Status nostri post lapsum cum statu ante lapsum, multa nunc ignoramus, multa tam clarè, distinctè, & promptè non intelligimus, ac quidem tunc intellexissemus. Et scientia hujus defectus

ctus noſtri docta eſt, atque imprimis pertinet ad τὸ γνῶθι σαυτὸν. Vide *Calvinum lib.* 1. *Inſtitut. cap.* 1. III. *Ex parte objecti mediati*, ἢ ἀγνώτα ſcil. diſtinguitur. 1. In ſcientiam ἀγνώτα Theoretici & Practici. De Theoreticis mox dicemus. Ἄγνωτα practica quæ docte ignorari poſſunt & debent, ſive ſemper, ſive ſæpe, ſunt *in genere* caſus & eventus omnes in rebus humanis: De quibus Poëta: *Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ.* Ἄγνωτα in *ſpecie* ſunt conſilia, ſtudia, intentiones, ſtratagemata, omniaque arcana (quę dicuntur) Magnatum, Principum, Rerumpublicarum. Quibus applica illud Salomonis, Proverb. 25. verſ. 3. *Cœlorum in altitudine, & terra in profunditate, & cordis regum non eſt inveſtigatio.* De aliis caſibus & actionibus humanis confer *cap.* 30. *verſ.* 18. 19. & utrobique *Commentatores*, ut & *Scriptores Politicos de arcanis Rerumpublicarum.* Quæcunque homines, quorum hic ager eſt, in bonum publicum explorare hic poſſunt & debent, ab ἀγνώτοις eximimus: non item vanas & incertas conjecturas, aut ſuſpicacis malique animi ſive iniquas, ſive temerarias præſumtiones; quibus vulgò mali Politici ſubnixi mala agunt, aut bona agenda omittunt, ut mala præſumta aut ficta præveniant, & bona intenta obtineant, contra regulam communem *Rom.* 3. Non eſſe facienda mala, &c. Ad doctam ignorantiam practicam refer ignorantiam pragmaticam in judiciis publicis quando factum nullo modo, aut non ſatis probatum. In antiquo jure cum de facto conſtaret, ſed pariter diviſa eſſent ſuffragia conſeſſus, Judex pronuntiabat, *Non liquet.* Sed hoc hodie non licere obſervat *Tholoſanus lib.* 50. *ſyntagm. c.* 1. §. 7. 2. In ſcientiam de ἀγνώτῳ abſolute aut ſecundum quid; totaliter aut partialiter; quod ad cauſas externas tantum, aut etiam quod ad internas; quod ad qualitates & proprietates, aut etiam quod ad eſſentiam & naturam; quod ad circumſtantiam aliquam ſolummodo, aut etiam quod ad alia; denique quod nunc & hic huic aut illi homini non eſt ſcibile, ſi non in totum, ſaltem in tantum; aut quod communiter non eſt ſcibile. Prioris exemplum ſit, ſi quis vulgaris Ruſticus, aut Civis, aut ſi quis Concionator, aut Advocatus ſciat ſe ignorare reconditiſſimas qualſque Magiæ naturalis, aut Matheſios, aut artis Nauticæ, aut Strategicæ, aut Coquinariæ, aut Pictoriæ, aut Plaſticæ, aut Automatopöeticæ, aut cujuſcunque Mechanicæ curioſitates, aut floſculos & criſin linguæ Japonicæ, Cambro-Britannicæ, Finnonicæ, Lappinicæ, Malabaricæ, &c. Et in hâc ignorantiâ acquieſcat, nec, ut quod ſuum eſt agat, & quod propius urget, ignota hæc diſcere & ſcire velit: quamvis velleitas ſeu voluntas hypothetica non abſit. Huc facit illud, *Non omnia poſſumus omnes.* Et, *Qui ubique habitat, nuſquam habitat.* Et, *Omnibus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.* Et, *De omnibus aliquid, de toto nihil.*

nihil. Et, *Spartam quam nactus es, orna.* Et, τὰ παρεργα, ἔργα μὴ ποιῶν. Est ergo docta ignorantia, si scias, te aliqua posse ac debere ignorare, ut necessaria aut maximè tibi convenientia cognoscas: quandoquidem omnia simul non potes. 3. In scientiam ignorantiæ τῶν ἀγνώστων, singularium & universalium. Ἀγνωσία singularium est circa antiquitates & historias tam Ecclesiasticas quam Politicas primi mundi ante diluvium: Nihil enim historiæ aut divinæ aut humanæ hic supereſt, præter pauca illa priora capita Geneſios. Nam quæ *Danæus in libro de primi mundi Antiquitatibus* diligenter ex profanis Scriptoribus comportavit, ex mythologiâ & fabulis (quas partim ex majorum infidâ traditione, partim ex proprio ingenio fabricârant) desumta sunt: & à nobis adhiberi non debent ad directam factorum probationem, sed tantùm κατ' ἄνθρωπον, id est, ad hominem (ut loquuntur) apud illos, qui Autores illos, quorum testimonia adducuntur, alicujus faciunt. Historia proximorum post diluvium sæculorum (præter pauca capita Geneſios) etiam exilis aut ferè nulla est; quin & sequentium sæculorum florente jam Monarchia Assyria, admodum jejuna est, & non rarò incerta. Quid dicam de Origine, Disparsione, Plantatione, Migratione gentium, Linguarum, Dominiorum, Politiarum? Quid de antiquè deperditis, & novè repertis? de quibus *Pancirollus cum Salmutho?* Quid de Inventionibus & Inventoribus rerum; de quibus *Polydorus Virgilius?* Vide *Disp. de Creatione, part.* 2. 9. 10. Quid de Origine, de Succeſſione, & statu Gentium Americanarum à primâ plantatione, usque ad detectum per Lusitanos & Hispanos novum orbem? Vide quæ recentissimi Scriptores *Grotius, Ioh. de Laet, Robertus Comtæus,* aliique ab illis citati *de Origine illarum Gentium* disquirunt, & nos in *Disp. de Creatione part.* 5. Immo quę Gens hodie, quæ Politia, cum antiquas suas Origines ad sæculum ἄδηλον perduxerit, illud cum *Douzâ in Batavia suâ,* cum *Hedâ & Bekâ in Histor. Ultrajectinâ,* cum *Loccenio in Antiquitatibus Sueo-Gothicis,* aliisque per singulas nationes, intactum non relinquit, & sacro silentio filum duci cœptum non abrumpit? Aut si cum *Aventino ad remotissimas antiquitates Germanorum,* cum *Olao Magno, Iohanne Magno, ad antiquitates Gentium Septentrionalium,* cum *Polydoro Virgilio ad antiquitates Britannorum,* cum *Iacobo Brassicâ, & Cornelio Bockenbergio ad antiquitates Batavorum* ulterius perrumpere studet, nasutioribus ludibrium non debet? *Iohannes Annius Viterbiensis* monachus Dominicanus, quorum eruditorum censurę & indignationi se non objecit, & vel hoc ipso celebritatem nominis minimè affectandam sibi peperit? Vide ex nostris *Ios. Scaligerum lib.* 5. *de Emendatione temporum, & Sethum Calvisium in Isagogâ,* quam *operi Chronologico* præmisit *cap.* 28. qui ibidem citat *Fridericum Tielmannum*

num in discursu Philologico. Ex Pontificiis *Petr. Crinitum lib. 24. de honestâ disciplinâ, cap. 12. Volaterranum lib. 14. anthropol. in voce Berosus, Ludov. Vivem lib. 5. de tradendis discipl. Sabellicum Enneade 8. lib. 5. Melch. Canum lib. 11. locor. cap. 6. Pererium in Danielem, Riberam in Zachar. 1. Antonium Augustinum antiquitatum Dial. 11. Gasparum Varrerium in Censurâ in Pseudo-Berosum, Possevinum lib. 16. Biblioth. selectæ, Ioh. Goropium Becanum in Exordio Chronic. & lib. 1. Hispanic. in initio, Octavianum Ferrarium tract. de Origine Romanorum, Franciscum Zuarez in 3. Thomæ disp. 1. sect. 2. Leander Albertus* ejusdem ordinis Monachus *in descriptione Italiæ,* ubi describit Faliscos & Hetruriam mediterraneam *fol.* 77. (edit. Ital. in 4.), & ubi *Marcam Trivigianam fol.* 460. Annium contra Volaterranum & Sabellicum defendit, contendendo genuina esse fragmenta Catonis & Sempronii, ab Annio edita. Sed frustrà. Præstat ergo in ignorantiâ sæculorum ἀδήλων & obscurarum originum sapienter conquiescere, quam ex præsumptione πανσοφίας ad desperationem converti, & ex desperatione ad excogitata commenta & supposititia scripta confugere, aut fabularum siliquis famelicum ventrem implere. Quod dico de Historiâ antiquissimâ κατ' ἐξοχὴν, idem etiam quodammodo dici potest de antiquâ, & intermediâ. Defectus & pauperem apparatum universalis histor. ecclesiast. deplorant *Onuphrius, Lindanus,* & *Baronius,* antehâc nobis citati in *Desper. causa Papat. l. 3. sect. 1. c. 7. Idem* judicandum de parte illâ historiæ, quæ in genealogiis occupatur: quas multa caligine obductas post omnem adhibitam diligentiam qui relinquit & fatetur, næ ille genealogicorum sapientissimus meritò habetur. Ne quidem sacra genealogia sine ignorantiâ & lacunis cognosci potest: quid ergo fiet de profanâ? Interim expendant doctæ ignorantiæ φιλομαθεῖς illud, 1. Timoth. 1. vers. 4. *Nec attendant fabulis, & genealogiis (ἀπεράντοις) infinitis.* Vide *ibi Commentatores.* In eundem lapidem impegerunt infiniti Prosopographici & Scriptores Vitarum, qui tot brutalibus & abominandis fabulis vitas & legendas sanctorum conspurcârunt. De quibus in genere quid monuimus in *Desper. causâ Papatus lib. 3. sect. 1. cap. 7.* Nec prætereunda Chronologorum & Topographorum indocta scientia, quæ sæpe pro tot ineptis ac ridiculis conjecturis suis non minus pugnat, ac pro aris & focis ipsius veritatis. In altum hoc ignorantiæ historicæ non provehor, quod uno atque altero volumine emetiri non possem. De Chronologiâ exactâ, nec ex profanis Scriptoribus, nec ex sacris literis habenda, vide *Disp. de Tempore nativitatis Christi part. 1. §. 1. 4.* Unum hoc ἄδηλον sufficerit ἐν παρόδῳ hic notari, quod Symboli dicti Apostolici, cujus tanta in Christianismo celebritas, Autores, Editores, Approbatores, hactenus ignotissimi sint; nec horum, ut

nec loci, nec temporis in omnibus antiquitatis monumentis vola aut vestigium hodie deprehendatur. De quo in *Dispp. de Symbolo*, & *de Agoniâ Christi, append. de Descensu ad Inferos.*

4 Docta ignorantia rerum universalium commodissimè dividitur, secundum divisionem scientiarum: ut sit Theologica, Medica, Juridica, Philosophica. 1. *Theologica* spectatur vel in textuali expositione scripturæ, vel in construendo systemate Theologiæ dogmatico-elenctica. De Theologiâ historico-ecclesiasticâ (quam ita vocant), *th. præced.* aliquid dictum intellige, ubi de ignorantiâ rerum singularium. Quod ad scripturæ genuinam interpretationem, docta ignorantia scientiæ τῶν ἀγνώστων vicaria multis modis illic amplectenda, quorum istos in genere nunc indico. 1. In eruendo unico sensu (qui secundum rei veritatem & communem reformationis sententiam tantum unicus est; de quo vide *problemata nostra de Scripturâ*) hujus aut illius loci, doctam ignorantiam omnes profiteri debemus; quotiescunque duo aut tres sensus loco illi aptari possunt, nec ulla ratio ad unum ex sensibus propositis determinandum, ex analogiâ scripturæ, aut circumstantiis præsentis textus, aut vi phrasios, nos cogit. Exempla colliges ex *commentariis*, & *notis marginalibus bibliorum*, nominatim *nostris Belgicis*: ubi duplicem interpretationem indicant. 2. In reddendis rationibus circa quælibet dogmatica & historica, cur hoc vel illud eo modo, aut ordine dictum aut factum sit. Tales vanas & temerarias aitiologias ad nauseam inculcant commentaria & conciones Patrum, imprimis Pontificiorum; à quibus postilliſticæ explicationes & conciones quorundam ex nostris, non semper & satis sibi cavent, torrente scil. communis & multis sæculis receptę consuetudinis sensim sine sensu abreptæ. Nos tutissimè omnibus ἀγράφοις aitiologiis substituendam putamus unam aitiologiam, de Dei aut Christi facto, *quia ita voluit*: de facto diaboli, *nescio*, *nec etiam curo*: de facto aut dicto hominum, *Non liquet*: hoc est in cognitione τοῦ ὅτι acquiescere, & cætera quæ ad τὸ ὅτι pertinent, doctè ignorare. Pari jure fuge scopos, intentiones, respectus, relationes personarum, consiliorum, dictorum, factorum, phrasiωn & formularum adhibitarum, quæ ex scripturis solidè probari non possunt; omnesque adeo consequentias, doctrinas, instructiones, adhortationes, consolationes arenosis illis basibus superstructas; quamvis cætera in se & materialiter malæ non essent. Hoc enim perpetuò observandum, ut ex literali sensu textus, omnia ad praxin pertinentia derivemus, ac demonstremus: ne ad allegoricam, aut Libertinico-Enthusiasticam theologiam dilapsi δύναμιν verbi divini evacuemus, atque omnis literalis & historici sensus, & historicè explicatorum dogmatum tandem obliviscamur. 3. In explicandis topographicis, imprimis nominibus locorum,

quæ

quæ semel tantum occurrunt. In his præstat omnibus expensis doctam ignorantiam amplecti, quàm incertis, fluctuantibus, & sæpe ineptis conjecturis ita inhærere, ut autoritati scripturæ & veritati alicui theologicæ periculum & præjudicium aliquod, aut etiam ludibrium apud extraneos à fide, alioſque profanos Lucianos creetur. Sed de geographiæ scripturariæ certitudine, deque judicio & prudentiâ in eo adhibendâ, alibi commodius disseri poterit. 4. In enodandâ chronologiâ sacrâ: quam antehâc alibi, & in *disp. de Tempore nativitatis Christi* attigimus. Idem judicium eademque prudentia hic adhibenda, quæ in topographicis. 5. In explicandis stellis, lapidibus, plantis, animalibus, quorum nomina semel tantum occurrunt; nec ex circumstantiis textus erui potest, quam speciem propriè significent: e.gr. kikaion *Jonæ* 4. species locustarum *Lev.* 11. 22. &c. 6. *In personis* describendis, quæ indefinitè, aut nomine individui vagi tantum indicantur, e. gr. Illius juvenis *Marc.* 14. *v.* 51. & alterius discipuli *Luc.* 24. *v.* 13. 18. Hic imprimis fugiendum cacoëthes antiquorum quorundam, & Postilliſtarum Papalium, qui historias sacras quod ad personas aliasquerei gestæ circumstantias supplere satagunt: non obstante quòd silentium Scripturæ doctam ignorantiam suadeat. Idem accidit in curiosâ inquisitione de tempore Nativitatis Christi, (de quo *disp. nostra*), de ejusdem proximis cognatis & agnatis, de vitâ ante annum trigesimum, aliisque nonnullis gestis post annum trigesimum: ubi fabulis indulgere maluerunt Pontificii & Historiam euangelicam supplere, quam doctæ ignorantiæ studere. Vide *Bonaventuram & Ludolfum de Saxoniâ de Vitâ Christi*, & passim *Postilliſtas ac concionatores* eorum, inter quos emicant famosi suo tempore *Menotus* & *Mailjardus*, ex quibus bella quædam excerpta exhibet *Henr. Stephanus in præpar. tract. ad apologiam Herodoti*, gallicè. Nec abstinuit ab his fabulosis supplementis *Corn. à Lapide in comment. ad Euangeliſtas*, & *Acta*. 7. *In explicandis* phrasibus quibusdam adiagialibus, aut antiquitatem aliquam nobis nunc ignotam respicientibus. Huc forte referri posset locus ille 1 *Corinth.* 15. *v.* 29. de baptismo ὑπὲρ τῶν νεκρῶν tot variantibus interpretamentis sollicitatus. 8. In explicandis vocabulis quibusdam exoticis, Ægyptiacis scil., aliisque: De quibus in *disp. nostra de Philologiâ sacrâ*: quarum significatio quæritur sed nondum inventa videtur, nisi probabili conjecturâ. Et hic docta ignorantia, quamvis secundaria locum habeat. 9. *In conciliandis* apparenter contradicentibus, & solvendis ἀλύτοις scripturæ, ita dictis. Sunt loca, quæ duas aut etiam tres conciliationes admittere possent: sed quænam ex illis ex sensu loci & intentione Spir. S. necessariò adhiberi debeat, nobis incertum est. Doctâ itaque neutralitate & ignorantiâ contenti simus

mus, autoritatem scripturæ sufficienter defensuri, si dicamus, hoc vel illo modo textum à contradictione, quæ ad adversariis scripturæ obtenditur, satis liberari posse. Vide *disp. de Insolubilibus scripturæ.* 9. *In definita explicatione librorum* quorundam, quorum meminit scriptura, e. gr. *libri recti* Jos. 10. vers. 13. & *libri bellorum domini* Numer. 21. vers. 14. 10. *In explicatione Musicæ* antiquæ Hebræorum, & instrumentorum Musicorum, quæ *in titulis Psalmorum* & *Psal.* 150. & *Daniel.* 3. occurrunt. 11. *De poëtica sacra in Iobo, Psalmis, aliisque canticis* idem dicendum, saltem partem aliquam. Nam omnia ibi æque in absconditó latere, non finit eruditus labor præceptoris nostri *D. Gomari in Lyra Davidis.* Atque hactenus τὸ ἄγνωστον in explicatione scripturæ, circa quæ docta ignorantia versandum. Sequuntur nunc quæ in systemate theologico observanda, sive universaliter in statu hujus vitæ non scibilia, quod ad modum aut quod ad τὸ διότι; qualia sunt e. g. de modo processionis personarum in deitate: de quo in *disp. nostrâ continente Exercitationem ad Thomam, de Trinitate.* Adhæc de voluntate, decreto, & consilio Dei, *Deut.* 29. *v.* 29. *Rom.* 11. 33. 34. De regeneratione, & adaptatione concursus divini ad liberos actus voluntatis humanæ; De quo in *Disp. de Regeneratione*, & in *dissertatione de Termino vitæ.* Sunt & alia vix aut difficulter admodum scibilia, saltem pluribus obscura, quę in variis locis communibus datâ occasione notavimus; ut de potentia Dei, de modo lapsus Adami & nostri in illo, de modo propagandi peccatum originale; de necessaria materia satisfactionis Christi: de quâ vide *disp. de Merito Christi.* Quin & per universum decalogum casus aliqui colligi possunt, quorum determinatio non ita liquida est: ubi tamen secundum consilia prudentum in tutiorem partem inclinat praxis: quidquid sit, aut non sit, de rigore veritatis. Vide *disp. de Theologiâ Practicâ, & Amesium lib.* 1. *de Conscientiâ cap.* 5. *qu.* 1. & *lib.* 3. *cap.* 17. *qu.* 12.

5 In aliis disciplinis esse ἄγνωστα & ἄλυτα, eaque sine doctâ ignorantiâ haberi non posse; constat ex singularum artificibus, quibus in suâ arte credendum est. 1. *Iurisprudentiæ Romanæ* difficultates, & injusta nonnulla in jure Romano celebres ejus antecessores jampridem designârunt. Vide *Anton. Mattheum* patrem juris in Acad. Groeninganâ, cum viveret, antecessorem *in principio disp.* Sed his missis, vulgata illa panacæa quam desperatis morbis adhibere solent, doctæ ignorantiæ probandæ sufficit: *Non omnium*, inquiunt, *eorum, quæ à majoribus constituta sunt, ratio reddi potest.* 11. *Medicinæ* ἄγνωστα confitentur Medici, cum ex. gr. specificum pestis remedium nondum inventum dicunt, eamque Hippocrates morbum θεῖον vocat. Vide *Diatriben nostram de Peste.* Ut jam nihil dicam, de morbis substantiæ, de incurabilibus &c. Liber *Cardani* tit. *Labyrinthus*

thus contradicentium medicorum, quam & quantam ignorantiam detegat, viderint illi, ad quos hoc spectat. III. *Metaphysicæ* ἄγνωστα eadem ferè, quæ theologia naturalis. In Theologia ergo hæc notanda. IV. *Physicæ* quamplurima nobis ignota sunt, & aliqua in hâc vitâ non cognoscibilia. De occultis naturæ miraculis, deque qualitatibus occultis, antipathiis & sympathiis ne hic disquiram; ex testimoniis Scripturæ evinco ignotam generationem hominis *Eccl.* 11. *vers.* 5. collat. cum *Psal.* 139. *vers.* 14. 15. 16. viam & motum venti, *Ioh.* 3. *vers.* 8. Ad hæc de Animâ humanâ & brutali, de Cœlo, de Meteoris, de naturali generatione & corruptione, de motu corporum naturalium, &c. de quibus nos passim in *Disp. de Creatione*. Universim de Operibus creationis pronuntiat *Iobus cap.* 26 *vers. ult.* exiguam particulam viarum ejus nobis cognitam. Et ostendit hoc ipse Deus per longam inductionem *cap.* 38. 39. 40. 41. *Calvinus l.* 1. *Instit. cap.* 13. §. 21. ut doctam ignorantiam rerum divinarum commendet, asserit, ne quidem naturalia, quam vis sensibus obvia, à nobis perspici posse, & alibi agens de generatione Filii Dei, generationem muscæ nobis perspectam negat. Et sic Christus *Ioh.* 3. regenerationis modum incognitum ostendit ex ignorantiâ venti. V. *Astronomia* quot sint occulta, & quam imperfecta sit illa, Artifices confitentur, & clamant adversis frontibus in se mutuò incurrentes observationes, ac mensurationes: de quibus *Clavius in* 1. *Sacroboscì*, & *Mulerius in Præfat. Astronomiæ*. Nobis liquidâ est docta ignorantia ex textibus Proverb. 25. vers. 3. *Altitudinis cœli & profunditatis terræ, & cordis regum non est investigatio*. Et Jerem. 31. vers. 37. *Si mensurari potuerint cœli sursum, & investigari fundamenta terræ deorsum*, &c. Unde constat, quantâ temeritate systema mundi contra Spiritus Sancti omnium architecti revelationem Mosi aliisque Scriptoribus sacris factam fabricent nonnulli; inter quos ἀμαθεῖς, omniumque observationum & mensurationum ἄπειροι, sæpè audaciissimi: qui non verentur Scripturæ veritatem atque autoritatem sollicitare, ut hypothesi ipsorum inserviat, aut saltem non obsit. VI. *Geographiæ* & nauticæ arcana sunt, de novo mundo, an cum antiquo fuerit continens; & si non fuerit, quomodo & unde homines eò migrârint, ut nulla eorum in antiquo aut novo mundo remanserit memoria. Imprimis quomodo feræ eò delatæ sint. De quibus antehac disquisivimus in *dispp. de Creatione part.* 5. Quod ad artem navigandi, quæritur adhuc certum signum, quo plaga Orientalis & Occidentalis sciri possit: an unquam tale quid inveniendum sit, quale est acus magnetica indicans plagas Septentrionalem & Australem, Deus novit. De terrâ australi incognitâ, quæ qualis quanta sit, & an hominibus habitata, omnia adhuc involuta sunt; an unquam evolvenda, novit Deus.

Deus. VII. De reliquæ matheſios arcanis & ignorantiis Geometricis, Opticis, Staticis, Acouſticis & Muſicis, indicium aliis relinquo; cuia Theologiam noſtram nullo modo aut ſaltem proximè, aut non ita propinquè non attingunt. VIII. De ignorantiâ in linguis, Latinâ, Græcâ, Hebræâ, cum dialectis, de genuinâ earum pronuntiatione, de Ortographiâ, de genuinâ & emendatâ Autorum Lectione, denique de antiquitatibus Romanis, Græcis, Orientalibus, teſtantur hamaxæ commentationum, notarum, antiquitatum, veriſimilium conjectaneorum, ſuſpicionum, diſpunctionum, emendationum, variarum lectionum, antiquarum lectionum, obſervationum, nodorum, quæſtionum; adhæc *Eraſmi & Lipſii tract. de pronuntiatione Linguæ Latinæ, Manutii de Ortographiâ, Metkerckii de pronunciatione Linguæ Græcæ.*

6 Hæc docta ignorantia in Theologo ſpecialiter conſideranda eſt. Eſtque duplex, vel in reliquis artibus, ſcientiis, linguis, cum Theologiâ proximè non connexis: vel in ipſâ Theologiâ, quam profitetur, & in proximè connexis. *Illa* eſt inculpabilis, & ſæpe laudabilis, quando eam affectat, ut tantò melius in Theologiâ proficere atque excellere queat: *Iſtam* in omnibus quæ in hâc vitâ univerſaliter ἄγνωστα ſunt (ſupra *Theſi* 3. & *diſp. de Ignorantiâ part.* 1. indicata) perpetuò profiteri atque affectare debet: in aliis, quæ communiter aut pleriſque aut multis ignota ſunt (confer *theſin* 2. & 3.), ut & in aliquâ difficultate enodandâ, aut textu explicando, quæ particulariter ignota ſunt, aut in quibus ſibi non ſatisfacit, de ſe humiliter ſentire, & ſubinde ex hypotheſi poſitis, ignorantiam aut hæſitationem ſuam ingenuè profiteri debet: Omnia enim omnibus, quamvis legitimis, ſæpe etiam eximiè exercitatis Doctoribus, ac Concionatoribus, æquè aperta non ſunt. Hinc eſt, quod etiam excellentiſſimi Theologi, exemplo *Auguſtini* concludentis *libros de Trinitate*, veniam non bene dictorum poſtulent, & aliorum eruditiorum ſententiam expoſtulent, eorumque judicio ſua ſubjiciant. Et huc facit illud 1. Corinth. 14. verſ. 29. 30. 31. 32. *Prophetæ duo aut tres loquantur, reliqui judicent. Sed ſi alteri illic ſedenti revelatum fuerit, prior taceat*, &c.

Conſectar. Non præjudicat ergo orthodoxiæ & ſufficientiæ Theologi, ſi eorum quæ ignorat, & quę ab aliis ſui ordinis ac ſtatus Theologis, ſive communiter, ſive ſæpe, ſive aliquando ignorantur, ſibi conſcius, ingenuè diſcipulis ſuis, aliiſque ſciſcitantibus, quin & publicè in editis ſcriptis aut diſputationibus (neceſſitate ita poſtulante), ignorantiam ſuam profitetur iſtis formulis: *Hactenus nihil certi habeo*; aut, *mihi non ſatisfacio*: aut, *in medio relinquo*: aut, *aliis diſquirendum relinquo*: aut, *fateor me ignorare*: aut, ἀπέχω: aut, *in neutram partem determino*: aut, *non video utra pars præciſe*

eiſè eligenda: aut, *amplio*: aut, *non liquet*: aut, *utraque pars eſt probabilis*: aut, *hactenus doctè ignorare malo*: aut, *nimis curioſè quæri & diſceptari videtur*: aut, *in utramque partem probabiliter dici aut defendi, & ſic ſub hâc aut illâ diſtinctione utraque ſententia conciliari poteſt.* Quod ſi Scholaſticorum quæſtiones quodlibetales (quas vocant) intra variantes quoſdam modos & formalitates magis exactè & perſpicuè nonnulla Elenctica & Problematica (ſtrictè ita dicta), eaque magis Philoſophica, quàm Theologica, ut & nonnulla probabilia in explicatione Scripturæ (qualia enotavit *Petrus Martyr in ſuis commentar. in Geneſin*) ſe continuiſſent: utique tantopere culpandi non fuiſſent. Si qui ſint Doctores in omnibus reſoluti & nihil ignorantes in oculis ſuis; iis non invidemus titulum *Doctoris reſoluti*, qualem inter Scholaſticos obtinuit Johannes de Baccone.

DE DOCTA IGNORANTIA, *PARS ALTERA.*

Reſp. JOANNE SCULPEROORDT, Amſtelo-Batav.

Ad diem 28. Aprilis, 1655.

MEdia per quæ docta ignorantia acquiritur & promovetur, ſunt iſta 1. Cognoſcere ſeipſum, & in ſeipſo ſtultum fieri; inde humilitas ac modeſtia. Ne quis menſuret ſeipſum ſeipſo, 2 *Cor.* 10. *v.* 12. aut ingenium ſuum canonem & menſuram veritatis faciat. Cogitet ab omnibus omnia ſive divina, ſive naturalia, ſive humana ſciri non poſſe: quod tantum ingenium, tam neceſſaria ſcientiæ acquirendæ auxilia naturalia aut ſupernaturalia omnibus conceſſa non ſint. Huc facit dictum Apoſtoli Rom. 12. v. 3. *Ne ſupra modum ſapiat ultra quam oportet ſapere: ſed ſapiat ad ſobrietatem, prout cuique Deus partitus eſt menſuram fidei.* Et v. 16. *Ne eſtote prudentes apud vosmetipſos.* Jeſa. 5. v. 21. *Væ ſapientibus, in oculis ſuis &c.* Et Prov. 3. v. 7. *Ne ſis ſapiens in oculis tuis.* Et 1 Corinth. 3. v. 18. *Nullus ſemetipſum ſeducat: ſi quis ſibi videtur eſſe ſapiens inter vos in hoc ſæculo.* 11. Non ſapere altum, nec altiora ſe quærere, ſed φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν &c. *Rom.* 12. *v.* 3. Huc pertinet illud vulgatum: *Quæ ſupra nos nihil ad nos.* Et ſapientiæ mythologicæ figmenta de Icaro & Phaëtonte. Diabolus protoplaſtis apertionem oculorum promittebat, hoc eſt ſcientiam longè ſublimiorem eximiâ illâ ſcientiâ, quâ tunc dotati erant. *Geneſ.* 3. Apoſtolus *Coloſſ.* 2. *v.* 18. monet nos ne pedem inferamus in ea quæ non vidimus, & temere inflati

ſimus carnis noſtræ intelligentiâ. III. Conſiderare difficultatem in particula viarum domini cognoſcenda *Iob. 26. v. ult. Eccleſiaſt. 1. verſ. 17.* Vide de hâc difficultate, ejuſque cauſis diſquirentes *philoſophos ad 2. Metaphyſ.* I. Notum eſt dictum Democriti, de veritate in profundo puteo abſcondita. IV. Evitare malam ſingularitatem; quâ homines ab aliis ſemper diſtingui volunt, & commune quamvis veræ & optatiſſimæ ſapientiæ donum quodcunque contemnunt, nihilque æſtimant niſi quod per monopolium ſoli ipſi poſſidere ſe putant. Cum enim in malis ſocium habere miſeris ſolamen ſit, his contra dolor oculorum eſt ſi in bono aliquo ſocios habeant: hinc eſt quod ſæpè viliſſima, aut abſurdiſſima quæque ſectentur, modò trita non ſint, ſed rara & nova; ad optima autem faſtidiant, quia etiam aliorum aut multorum ſcientia & fruitione habentur. Stat enim quibuſdam utribus inani animi ſui ſenſu inflatis illud Homericum: Ἄιεν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. V. Cogitare, vitæ futuræ multa cognoſcenda reſervari. Hic enim ex parte cognoſcimus, & videmus in ſpeculo in ænigmate: ibi cognoſcemus ſicut cogniti ſumus, 1 *Corinth.* 13. Poſt mortem Melanthonis reperta eſt in chartis ipſius, ſequens tabella:

Noli metuere mortem.

Quia	Quia
Liberaberis à peccato.	*Venies in conſpectum Dei;*
Ab omnibus ærumnis.	*& ibi diſces arcana myſteria*
A tyrannide diaboli.	*de Deo, quæ in hâc vitâ aſſe-*
A rabie theologorum.	*qui non potuiſti.*

VI. Admirari, quęcunque ab humano ingenio capi aut penetrari non poſſunt. Eſt autem admiratio ſuſpenſio quædam cogitationum & affectuum humanorum circa rem inſolitam. Eſtque duplex: una, quæ oritur ex eminentiâ graduum in re aliquâ, ut cum admiramur ingenium Archimedis, Ariſtotelis, Pici Mirandulæ, &c.: altera, quæ oritur ex ignoratione cauſæ, cum ſcil. vel nullam effectus alicujus cauſam, vel cauſam non ſufficienter aut non ſatis evidenter novimus. Quæ poſterior hic propriè ſpectatur. Hanc *Plato in Theæteto* Philoſophis conſuetam eſſe ait, immo præter hanc nullum eſſe Philoſophiæ principium. Et *Ariſtoteles* 1. *Metaphyſ. c.* 2. ait, homines propter admirationem & nunc & olim cœpiſſe philoſophari. *Pythagoras* Philoſophię finem dicebat, *nihil admirari.* Cum quo convenit illud Horatii; *Nil admirari prope res eſt una Numici, Solaque quæ poſſit facere & ſervare beatos. Plato in Dialogo modo cit.* tum demum, inquit, Philoſophiam fore perfectam, cum omni admiratione depoſitâ perfectam cauſarum notitiam complectetur. Quod cum in hâc vitâ

fieri

fieri non possit, sequitur ad admirationem & doctam ignorantiam perfectæ scientiæ succedaneam confugiendum. Nam nihil in hâc vitâ velle admirari, hominis fanatici est, & omniscientiam somniantis. Nos discamus cum Davide, Psal. 8. exclamare; *Quàm magnificum est nomen tuum*, &c. *Quid est homo*, &c. Et Psal. 139. per totum; & cum Paulo, Rom. 11. vers. 33. 34. *O profunditas divitiarum & sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & quàm imperveſtigabiles viæ ejus!* Et cum Jobo cap. 42. vers. 3. *Ideo annuntiavi & non intelligam; mirabilia præ me & non sciam.* VII. Bene jactis scientiæ rerum divinarum & humanarum fundamentis, assiduò scientiam superstruere, eamque augere tum propriâ meditatione, tum Artificum in suâ arte & quorumvis indicio atque auxilio. Ut enim morbus per vitam & sanitatem, & tenebræ per visum percipiuntur, sic ignorantia per eruditionem: quò quis enim in hâc abundantior ac solidior est, eò magis atque evidentius ignorantiam suam perspicit. Contrà si qui inter dictos literatos, parvi aut saltem mediocris ingenii, aut exiguæ eruditionis & nullius ferè, aut admodum modicæ lectionis velint esse utres & soli-ipsi; necessariò aut in desperationem quidquam in scientiis præstandi, aut in morosophias, vertigines, Phaëtonticos conatus prolabuntur. Est enim ἀμαθία audax & temeraria: quibus gemellis possessi, instar infantum, aut ebriorum, aut ἀφρόνων, phantasticorum, phreneticorum nulla præcipitia vident, nulla pericula metuunt.

Doctæ ignorantiæ, quam omnes sapientiæ studiosi affectare tenentur, repugnant. 1. Curiositas: quę ex *Thoma* 22. *qu. artic.* 1. & 2. describi potest, inordinatus appetitus circa cognitionem, sive intellectus sive sensuum. Ita ut formalis ejus ratio consistat in actu inordinato appetitus, non verò intellectus: ut ibidem docet. Jam verò ipsa cognitio veritatis per se bonitatem & perfectionem dicit: sed potest per accidens esse mala ratione alicujus consequentis, ex. gr. cum quis cognoscit veritatem, ad superbiam, aut ad contentionem; aut cum quis studet addiscere aliquid ad peccandum. Et hîc omne illud studium vitiatur ex vitiosâ intentione: sicuti cum quis dat eleemosynam ut spectetur ab hominibus, *Matth. 6.* Ipsum autem studium cognoscendi in se vitiositatem contrahit, quatuor modis. 1. Cum per studium minus utile retrahitur quis à studio, quod ei ex necessitate incumbit. 2. Cum quis studet addiscere ab eo, à quo non licet e.gr. à dæmone. 3. Cum quis appetit nosse veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, cognitionem scil. Dei. 4. Cum quis studet cognoscere, supra proprii ingenii facultatem. Vide hæc quatuor explicata à *Thomâ loc. cit.* Addi posset quintum, aut fortè ad quar- 2

ſimus carnis noſtræ intelligentiâ. III. Conſiderare difficultatem in particula viarum domini cognoſcenda *Iob. 26. v. ult. Eccleſiaſt.* 1. *verſ.* 17. Vide de hâc difficultate, ejuſque cauſis diſquirentes *philoſophos ad* 2. *Metaphyſ.* 1. Notum eſt dictum Democriti, de veritate in profundo puteo abſcondita. IV. Evitare malam ſingularitatem; quâ homines ab aliis ſemper diſtingui volunt, & commune quamvis veræ & optatiſſimæ ſapientiæ donum quodcunque contemnunt, nihilque æſtimant niſi quod per monopolium ſoli ipſi poſſidere ſe putant. Cum enim in malis ſocium habere miſeris ſolamen ſit, his contra dolor oculorum eſt ſi in bono aliquo ſocios habeant: hinc eſt quod ſæpè viliſſima, aut abſurdiſſima quæque ſectentur, modò trita non ſint, ſed rara & nova; ad optima autem faſtidiant, quia etiam aliorum aut multorum ſcientia & fruitione habentur. Stat enim quibuſdam utribus inani animi ſui ſenſu inflatis illud Homericum: Ἄιεν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. V. Cogitare, vitæ futuræ multa cognoſcenda reſervari. Hic enim ex parte cognoſcimus, & videmus in ſpeculo in ænigmate: ibi cognoſcemus ſicut cogniti ſumus, 1 *Corinth.* 13. Poſt mortem Melanthonis reperta eſt in chartis ipſius, ſequens tabella:

Noli metuere mortem.

Quia	Quia
Liberaberis à peccato.	*Venies in conſpectum Dei;*
Ab omnibus ærumnis.	*& ibi diſces arcana myſteria*
A tyrannide diaboli.	*de Deo, quæ in hâc vitâ aſſe-*
A rabie theologorum.	*qui non potuiſti.*

VI. Admirari, quęcunque ab humano ingenio capi aut penetrari non poſſunt. Eſt autem admiratio ſuſpenſio quædam cogitationum & affectuum humanorum circa rem inſolitam. Eſtque duplex: una, quæ oritur ex eminentiâ graduum in re aliquâ, ut cum admiramur ingenium Archimedis, Ariſtotelis, Pici Mirandulæ, &c.: altera, quæ oritur ex ignoratione cauſæ, cum ſcil. vel nullam effectus alicujus cauſam, vel cauſam non ſufficienter aut non ſatis evidenter novimus. Quæ poſterior hic propriè ſpectatur. Hanc *Plato in Theæteto* Philoſophis conſuetam eſſe ait, immo præter hanc nullum eſſe Philoſophiæ principium. Et *Ariſtoteles* 1. *Metaphyſ. c.* 2. ait, homines propter admirationem & nunc & olim cœpiſſe philoſophari. *Pythagoras* Philoſophię finem dicebat, *nihil admirari.* Cum quo convenit illud Horatii; *Nil admirari prope res eſt una Numici, Solaque quæ poſſit facere & ſervare beatos. Plato in Dialogo modo cit.* tum demum, inquit, Philoſophiam fore perfectam, cum omni admiratione depoſitâ perfectam cauſarum notitiam complectetur. Quod cum in hâc vitâ

fieri

fieri non possit, sequitur ad admirationem & doctam ignorantiam perfectæ scientiæ succedaneam confugiendum. Nam nihil in hâc vitâ velle admirari, hominis fanatici est, & omniscientiam somniantis. Nos discamus cum Davide, Psal. 8. exclamare; *Quàm magnificum est nomen tuum*, &c. *Quid est homo*, &c. Et Psal. 139. per totum; & cum Paulo, Rom. 11. vers. 33. 34. *O profunditas divitiarum & sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & quàm imperveſtigabiles viæ ejus!* Et cum Jobo cap. 42. vers. 3. *Ideo annuntiavi & non intelligam; mirabilia præ me & non sciam.* VII. Bene jactis scientiæ rerum divinarum & humanarum fundamentis, assiduò scientiam superstruere, eamque augere tum propriâ meditatione, tum Artificum in suâ arte & quorumvis indicio atque auxilio. Ut enim morbus per vitam & sanitatem, & tenebræ per visum percipiuntur, sic ignorantia per eruditionem: quò quis enim in hâc abundantior ac solidior est, eò magis atque evidentius ignorantiam suam perspicit. Contrà si qui inter dictos literatos, parvi aut saltem mediocris ingenii, aut exiguæ eruditionis & nullius ferè, aut admodum modicæ lectionis velint esse utres & soli-ipsi; necessariò aut in desperationem quidquam in scientiis præstandi, aut in morosophias, vertigines, Phaëtonticos conatus prolabuntur. Est enim ἀμαθία audax & temeraria: quibus gemellis possessi, instar infantum, aut ebriorum, aut ἀφρόνων, phantasticorum, phreneticorum nulla præcipitia vident, nulla pericula metuunt.

Doctæ ignorantiæ, quam omnes sapientiæ studiosi affectare tenentur, repugnant. 1. Curiositas: quę ex *Thoma* 22. *qu. artic.* 1. & 2. describi potest, inordinatus appetitus circa cognitionem, sive intellectus sive sensuum. Ita ut formalis ejus ratio consistat in actu inordinato appetitus, non verò intellectus: ut ibidem docet. Jam verò ipsa cognitio veritatis per se bonitatem & perfectionem dicit: sed potest per accidens esse mala ratione alicujus consequentis, ex. gr. cum quis cognoscit veritatem, ad superbiam, aut ad contentionem; aut cum quis studet addiscere aliquid ad peccandum. Et hîc omne illud studium vitiatur ex vitiosâ intentione: sicuti cum quis dat eleemosynam ut spectetur ab hominibus, *Matth. 6.* Ipsum autem studium cognoscendi in se vitiositatem contrahit, quatuor modis. 1. Cum per studium minus utile retrahitur quis à studio, quod ei ex necessitate incumbit. 2. Cum quis studet addiscere ab eo, à quo non licet e.gr. à dæmone. 3. Cum quis appetit nosse veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, cognitionem scil. Dei. 4. Cum quis studet cognoscere, supra proprii ingenii facultatem. Vide hæc quatuor explicata à *Thomâ loc. cit.* Addi posset quintum, aut fortè ad quar- 2

ratio est, quia omnes universę sapientiæ fines sui ingenioli terminis conclusos credunt: extra illos nihil esse nisi vastum illud inane. Et tales imperitos, omni-soli-scientiæ opinione inflatos parabolicè depingit *Plato lib. 6. de Republicâ* per suum antrum: quod explicat & applicat *Philip. Camerarius centur. 1. cap. 43. 44.* Quem videat, cui vacat. *Secundum* genus soli-ipsorum est, qui cum ex se & per se sua non habeant, ea tamen in suo agro nata esse aliis persuasum velint. Sunt autem tres gradus eorum. 1. *Est*, cum non citant, non laudant Autores suos, ex quibus sua mutatis fortè mutandis, aut ordine tractandi, aut stylo, aut etiam absque mutatione de verbo ad verbum descripserunt. Cum ingenui hominis sit candidè profiteri, per quos profecerit. Ut quotidiana exempla præteream, imponitur hoc Ramo, quod ex Ludovico Vive pleraque censuras Aristotelicæ Philosophiæ desumserit; uti ad oculum ostendit *Keckermannus in præcognitis Logicis. Commentaria Pontificiorum*, imprimis Jesuitarum *in libros Scripturæ* post Bucerum, Mercerum, Bullingerum, Lavaterum, Bezam, Calvinum, Martyrem, &c. edita, satis ostendunt, bene dicta maximam partem ex nostris desumta: quorum tamen nunquam aut rarissimè meminerunt, nisi cum eos perstringunt. Extat *Horatii Tursellini* Jesuitæ *liber de Particulis linguæ Latinæ*; cujus materiam jam ante eruditè & luculenter præformârat popularis & cognatus noster *Godeschalus Steevvechius* in utilissimo illo *libro de Particulis linguæ Latinæ*: de quo meritò popularis & amicus ejus Joh. Anton. Baerdvicius postea Imperatori Rudolpho II. à Secretis, in præfixo Epigrammate, *Tot mihi sunt gemmæ, quot tibi particulæ*. Sed altum de hujus eximii Philologi labore silentium, quamvis ille in communione Romanâ perstiterit, & in Academiis Mussipontana & Trevirensi historiarum Professorem egerit. Sed hoc Patrum soli-ipsorum institutum, ut omnia ad eruditionem necessaria sub nomine Jesuitarum exstent, atque ita labores præstantissimorum Autorum, ex quibus sua descripserunt, è manibus Studiosorum excutiantur, ac tandem oblivione sepeliantur. 2. *Est*, cum exsertè gloriantur in scriptis suis, suum hoc esse inventum, sibique hoc deberi: quasi scil. alterius vitula non arassent, aut alii priores non invenissent. 3. *Est*, Cum apertè plagium committunt, aliorum tractatus MSS. qui in manus ipsorum inciderunt, aut quos ex docentis aut dictantis ore exceperunt, ad tempus supprimendo & postea pro suis edendo, ubi maximè opportunum duxerint. Summus gradus audaciæ est, cum tractatus typis editos, præfixo nomine suo, absque ullâ Autoris mentione, recudendos dant. Exemplum istius plagii refertur circa methodum Theologiæ Hyperii recusam sub nomine Laurentii Villavincentii Monachi Augustiniani: quod refero fide aliorum;

rum; inter eos *Keckermanni in Præcognit. Logicis*: ipse enim exemplar nomine Villavincentii insignitum cujuscunque editionis, quas varias indicat *Possevinus in Apparatu sacro*, hactenus non vidi. *Tertium* genus est, qui omnium scientiam apud se & suos quæri volunt: Et hinc omnes alios eruditos, eorumque meditationes, methodos, tractatus, extra se & sua positos non ferunt in pretio haberi, aut studiosis sapientiæ utiles esse, sed vel apertè vel tacitè eos contemnunt, eos deprimunt; immo omnes discendi cupidos, ad sua dictata redigere, & compedibus etiam minimorum apicum constringere student. Ut contrà si quis sentiat, nil sentiat. Et tales soli-ipsi universales sunt Jesuitæ, qui quamvis alii ante ipsos longè melius, aut unà cum ipsis scientias illustrârint, passim tamen in scriptis digitum intendi audias, ad Nostrum Clavium in Matheſi scil.; nostrum Frusium in Poëmatis; nostrum Perpinianum aut Causinum in Eloquentiâ; nostrum Raderum, aut Scottum, aut Martinum Delrio in Philologicis; nostrum Gretserum, aut Frontonem Ducæum in Græcis; nostrum A Lapide in Commentar. ad Scripturam; nostrum Bellarminum in Controversiis; nostrum Valentia, aut Vasquez in Theologiâ Scholasticâ; nostrum Fonsecam, aut Zwarez in Metaphysicâ; nostros Patres Conimbricenses in Logicâ & Physicâ; nostrum Toletum, aut Azorium in Casibus. Quæ sit ipsorum soli-ipsia in totâ Scholasticâ, Oeconomicâ, Politicâ Pragmaticâ, acutè & eleganter descripsit *Anonymus* in tract. *de Monarchiâ Soli-ipsorum*; cui jungat Lector, quem ista tangunt, alterum tractatum acumine & stylo eximium, tit. *Conclave Ignatii*. Soli-ipsis accense etiam Lullistas, Paracelsistas, qui se dicunt Hermeticos, & alios novos, sed obscuros atque in herbâ emortuos philosophantes, quales e. gr. Fratres roseæ crucis. *Quartum* genus est eorum, qui cum per μώρας ζητήσεις (vide 1. *Timoth.* 1. & *Tit.* 1.) ingeniolum suum frustrà fatigârunt, *dum latè quæruntur incerta, latius disputantur præsumta* (verbis utor Tertulliani de Animâ cap. 2.) tandem in desperationem vertuntur, & propter ea, quæ per defectum ingenii, aut manuductionis sapientum, aut debiti studii, discere atque intelligere nequeunt, loco doctæ ignorantiæ oblivionem & abjectionem omnium, quæ antea didicerunt, etiam principiorum amplectuntur; & quasi Saturninâ fame correpti proprios conceptus devorant. Hinc diversi desperantium gradus. 1. *Est*, qui in Scepticorum & Pyrrhoniorum castra transeunt, & nihil intellectu humano certò sciri posse contendunt. Videat & conferat, cui vacat, *Laërtium in Vitis Philosophorum*, *Sextum Empiricum*, aliosque infrà in *Disp. de Fide*, *Conscientiâ*, *Theologiâ dubitante* citatos. 2. *Est*, qui in Christianismo viventes, soli Scripturæ certitudinem scientiæ relinquunt; quamvis non desint, qui illi

æquè

æquè, ac rectæ rationi & lumini naturali, certitudinem detrahant, in rebus scil. Philosophicis, *Socino in libello de Autoritate Scripturæ*, & *Castellione in Dialogo de Prædestinatione* partim superiores, partim inferiores. 3. *Est*, qui negativam solummodo Theologiam aut Philosophiam habent, & contradictionis œstro perciti, nodos & plexus fabricant, objectiones & difficultates accumulant, quibus se aliosque implicent atque obruant: nihil aut parum laborantes, quomodo liquida veritas, nebulis illis dissipatis, in luce poni & contra adversarios defendi queat. Nimirum *facilis descensus averni, Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras, Hoc opus, hic labor.* Sua enim & meliora iis quæ rejiciunt, nec ponunt, nec demonstrant, nec defendunt; sed aliorum & communiter receptis sententiis, ut & verissimis & utilissimis, tantum quid opponunt, easque perpetuâ inquisitione vexant, semper quærentes, nunquam determinantes. Et hi tamen in scientiâ suâ negativâ, contradictoriâ, & omni-censoriâ, quâ omnibus negotium facessere possunt, admodum sibi applaudunt, & applausum imperitorum merentur, non minus quam canis qui contra lunam latrare audet. 4. *Est*, qui tantum in probabili, & conjecturâ extremis digitis adhuc hærent; aut qui subnixi imaginariis hypothesibus ac figmentis, quasi ad antrum Platonis delati, in nudâ possibilium picturâ se, durante illo somnio, oblectant. Quæ autem revera & de facto sit natura, & mundi ejusque contentorum constitutio, nec ex ratione, nec ex Scripturâ sciri posse autumant; & sic per primam consequentiam ad scepticismum dilabuntur. Cum omnis cognitio rerum naturalium pro objecto habeat verum, hoc est, ens reale, non verò ens rationis, aut ex entibus rationis exstructa ficta possibilia, qualia mons aureus, aut vitreus, aut Arimaspi, Cynocephali, &c. 5. *Est*, qui strepitu de certitudine, evidentiâ, immo & facilitate demonstrationum suarum, quem primum ad autoritatem sibi conciliandam excitârant, cessante, ad incitas Pythagorici αὐτὸς ἔφα redacti, ex suâ affirmatione castrum desperatæ παινοφίας suæ defendunt. Quia scil. ὁ δεῖνα rem aliquam sic potest concipere, eamque satis perspicuè explicat, absque contradictione nobis recipienda est: quamvis nondum certi simus, illum revera in tali conceptu acquiescere. Quale enim scientificum argumentum topicum ductum à testimonio humano, & quidem unius, quid dicam in propriâ causâ? Et quid si ex certis pauperis ingenii signis liqueret eum masculæ scientiæ dictata capere non posse, aut per revelationem alicui constaret mentem ejus revera, uti testatur, in tali conceptu acquiescere, non minus ac Judæi in Physicis, Thalmudicis, & Muhammedistæ in Alcoranicis fabulis satis perspicuè propositis; quomodo hoc mentem scientiæ avidam perficiet atque explebit?

plebit? An ergo Titii aut Mævii ingeniolum pro veritatis canone & mensurâ erit? An certum & σόφον erit, quod ille capere; falsum aut ἄσοφον, quod concipere non potest? 6. *Est* eorum, qui in novæ alicujus inter nebulosas stellas aut in orbis lunatici cœlo exorientis stellę errantis scintillatione ita acquiescunt, ut suis & aliorum ingeniis renuntiare videantur, & nihil non istius Pythagoræ sui usque ad minimam vocula defendere; quamvis non sine præjudicio fidei, & orthodoxi Theologorum consensus. Quinimo, ita hic fervent, ut cum rationum pondere non possunt, calumniis & personalibus obtrectationibus contra hiscentes, etiam ejusdem sectæ consecraneos in minimo dissentientes obruant. Et hæc quidem Pythagorica philosophandi methodus, quæ pro principiis, axiomatis & demonstrationibus, sepositа aut invita Logica ac Metaphysica, verbis & dictis Pythagoræ sui mordicus inhæret. Nec tamen veretur omnibus Scholis reformatis hoc perpetuò exprobrare, quod jurent in verba Aristotelis. Sed si cogerentur unum aliquem Philosophum aut Theologum in Scholis reformatis designare, ilico vadimonium deserturi essent, & ἐπιτυπόφορα in calumniis deprehenderentur? Celsus simili calumniandi arte imponebat Christianis, quod dicerent, *Ne disquire*, &c. Et vulgò apud Christianos jactari, *Malam rem in vitâ esse sapientiam, bonam verò stultitiam*, &c. Cui respondet *Origenes lib. 1. contra Celsum, pag. 11. 12.* edit. Græc.-Lat. in 4. Cum quo confer *Augustinum in Enchiridio cap. 17.*

His præcognitis, probanda nunc doctę ignorantiæ necessitas. 1. *Prob.* 3
Ex textibus Scripturę, *Deuter. 29. vers. 29. Proverb. 25. vers. 27. Rom. 11. vers. 33 34. & 12. vers. 3. 1. Corinth. 3. vers. 18. 19. & 1. vers. 19. 20. 21.* ubi de doctâ ignorantiâ circa Deum & res divinas. *Eccles. 7. vers. 16. Iob. 26. vers. ult. & capp. 38. 42. Psalm. 8. & 139.* ubi de ignorantiâ circa res divinas, naturales, humanas. Videantur *Commentatores ad loca cit.* Adde loca, quę exsertè sapientem insipientiam inculcant, ut *1. Corinth. 1. vers. 19. 20. 21. & 2. Corinth. 5. vers. 13. & 11. vers. 16. 21.* Quæ quomodo accipienda sint docent *Commentatores & Origenes* supra cit. *lib. 1. & 3. contra Celsum. 11. Prob.* Ex universali experientiâ, & inductione facta per omnes scientias. In *Theologiâ*, revolvat quis attributa Dei, trinitatem, lapsum protoplastωn & propagationem peccati originalis, incarnationem Christi & unionem personalem, providentiam Dei, præsertim circa malum, prædestinationem, regenerationem, statum animarum post hanc vitam, resurrectionem ejusdem carnis, beatitudinem cœlestem, finem mundi. Imprimis notanda est requisita ignorantia circa illa, quæ scriptura peculiariter appellat mysteria.

In *Physica*, de ipsis principiis & affectionibus, quàm multa ignorare cogimur? Quàm multa de cœlo, mari & aquis, igni, meteoris, de generatione inanimatorum & animatorum præcipuè hominis, & animæ humanæ origine, essentia, facultatibus, &c. Percurrat quis systema aliquod Physicum, & conferat dicta admiranda seu miracula naturę, quorum Scriptores partim in *Bibliotheca nostra*, partim in *Disp. de Signis* indicamus. De *Astronomorum* ignorantia *supra part.* 1. quid notavimus; eamque satis arguit Labyrinthus contradicentium Astronomorum in observationibus, iisque superstructa corporum ac motuum cœlestium mensuratione atque explicatione. Quod ad fatuam astrologiam, quam doctę ignorantię prętulerunt, eam communiter damnatam & explosam esse, docent Autores à nobis in *Disp. de Prophetia* recensiti. In aliis scientiis terminum discentibus & scrutantibus positum esse ipsi Artifices abunde confitentur. Ubi ergo sciens desinit, doctè ignorans incipit. III. *Prob.* Ex imperfectione & angustiis mentis humanæ, & ex magnitudine, multitudine, excellentiâ & perfectione quorundam γνώσεων; & contra aliorum imperfectione ac diminutione. *Quod ad prius*, præterquam quod homo exemplum Dei in imagine parva non est Deus nec omniscius, per lapsum supernaturalium cognitio amissa, naturalium corrupta aut diminuta. Quod apud Christianos contra Ethnicismum & Pelagianismum in confesso esse præsupponimus. Videantur *Theologi in loco de Servo arbitrio*: & inter Philosophos, qui scientiæ in genere & Philosophiæ in specie hoc applicat *Keckermannus in Præcognitis Logicis*, & *Gymnasio Logico* prioris edit. Quin & inter ipsos Ethnicos, de Scientiâ naturali hoc fateri coactus fuit Aristoteles 2. Metaphys. cap. 1. *Vt oculi vespertilionum se habent ad lumen diurnum, ita & nostra mens ad ea, quæ naturâ sunt omnium manifestissima.* *Quod ad posterius*, Sensitiva cognitio deficit, quia quò excellentius sensibile, eò magis lædit sensum, & impedit sensationem: idem accidit, si nimis sit remotum, & si nimis admotum. Considerentur, quę artifices de fallaciis atque impedimentis visus, & auditus (qui duo sensus maximè ad scientiam faciunt) congesserunt. Intellectiva deficit: non quod excellens intelligibile lædat, quem potius perficit, intellectum, quousque scil. percipitur; sed quod conceptibus directis, affirmativis, adæquatis non comprehendatur, ne quidem per omnia apprehendatur. De quo nos in *Disp. de Visione Dei per essentiam. Iavellus qu.* 2. & 3. *Fonseca qu.* 1. *contra Scotum & sequaces ad Metaphysic.* 2. *cap.* 1. doctè disquirunt, an & quomodo difficultas sciendi sit ex parte intellectus nostri, & ex parte rerum scibilium: Qui conferri possunt; ubi & alii Autores citantur. Et hâc occasione scibilia quæcunque intellectu aliquo cognosci possunt, cum intelle-

ctu Dei infinito & angelorum ac hominum finito inter se comparatis, & admodum à se invicem diversis, componenda sunt; ut tanto melius diminuta nostra scientia, ejusque comitis doctæ scil. ignorantię necessitas deprehendatur. Undecim modi & rationes sunt, quibus Dei cognitio supra omnem creatam cognitionem excellit. *Primò, Ratione objecti: Deus enim suâ scientiâ cognoscit omnia præterita, præsentia, futura, omnia possibilia, atque seipsum quasi pelagus rerum omnium. Secundò, ratione modi & perfectionis in cognoscendo: cognoscit enim Deus omnia perfectissimè, omni modo quo sunt cognoscibilia, idcoque omnia comprehendit. Tertiò, ratione medii: Deus enim non per species, nec per effectus, sed per suam essentiam, quasi speculum clarissimum omnia cognoscit. Quartò, ratione celeritatis: in instanti enim, & uno mentis intuitu Deus omnia simul cognoscit. Quintò, ratione certitudinis: quia omnia, etiam contingentia, per se incerta, certissimè cognoscit. Sextò, ratione æternitatis: quia nunquam ejus cognitio incepit, nunquam desinet. Septimò, ratione uniformitatis: quia cognitio Dei est invariabilis, & eadem semper, non proficiens, nec deficiens. Octavò, ratione simplicitatis & unitatis: quia uno & simplicissimo actu intelligendi Deus & seipsum, & alia omnia cognoscit. Nonò, ratione entitatis: cognitio enim Dei non est accidentaria, ut est in hominibus & angelis, sed est substantialis Deo, estque ipsemet Deus. Decimò, ratione causalitatis: quia cognitio Dei est idea & causa omnium rerum quæ fiunt. Undecimò, ratione fœcunditatis & communicationis: quia Dei sapientia & scientia, quia lux maxima, seipsam diffundit ad angelos, homines, omniaque animalia: facit cognosci & cognoscere omnia.* Sic *Perer.* & *A Lapide in Commentar. ad Rom.* 11. 1v. *Prob.* Ex absurdis & damnosis consequentibus: quod qui ad hanc sacram doctę ignorantiæ anchoram confugere nolunt, manifestum naufragii periculum incurrunt. Experientia enim docuit, eos qui circumstantiam aut modum rei, aut causam, aut affectionem, aut ἐπόμενον, id est, consequens quodcunque doctè ignorare noluerunt, cum scire non possent aut deberent, ipsam rem seu τὸ ὅτι tandem negasse; aut simpliciter ignorando quod scire poterant & debebant; aut sceptico & Epicureo contemtu scientiam, quam hactenus habuerant abjiciendo & exsufflando; aut oppositum errorem veritati hactenus cognitæ substituendo; aut artes nefarias adhibendo. Huic rei probandæ faciet lectio Historiarum & Scriptorum de Hæresibus, earumque causis. v. Accedant testimonia præstantium Autorum, quorum loca brevitatis causâ nunc solummodo indicamus. *Tertullianus de Animâ, cap.* 1. *Quis enim revelabit,* &c. *Nazianzenus Orat.* 2. *de Theologiâ.* Idem *Orat.* 26. 34. 36. 42. *Basil. in Sermone contra Sabellianos & Arium sub finem*, ubi ad confessionem ignorantiæ hortatur. *Nyssenus de Vitâ Mosis: altiora te,* &c. *Cyprianus*

lib. 3. contra Iudæos cap. 53. Autor prologi de Cardinalibus Christi operibus, cum *Cypriani operibus* editus. *Ruffinus in Expositione Symboli: quomodo sane Pater genuerit Filium*, &c. *Macarius Homil. 12.* ἐὰν ἄρξῃ ἄνθρωπος ὢν, &c. Cujus verba lectu dignissima. *Augustinus libr. contra Priscillianum, cap. 11. tom. 6. Altiora te*, &c. Et *Epist. 157. ad Optatum: Ne quis sapiat*, &c. Idem in *Lib. de Moribus Ecclesiæ, cap. 21.* ubi de Ignorantiâ rerum naturalium; de quâ etiam *Chrysostomus Homil. 2. in Genesin*, & *Homil. de Iejuniis*, & *Homil. 19. ad Ephes. Fulgentius de Incarnatione, cap. 28. Quod interrogant isti*, &c. *Gregorius Magnus lib. 20. Moral. cap. 10. Mel invenisti*, &c. & *lib. 14. cap. 12.* vel 14. *Dulcedo mellis*, &c. Quæ autem nimia sit scrutatio, & quæ non sit, docet *Bernardus serm. 62. in Canticâ*; qui cum *Gregorio* conferendus, & *Scriptores de Curiositate supra §. 2. cit.* quibus adde tractatum *Plutarchi de Curiositate*. Imprimis *Commentaria Cornelii à Lapide in Syracid. 3. 22.* Addi possunt ejusdem, aliorumque *Comment. ad Actor. 1. vers. 6. Coloss. 2. 18. 1. Corinth. 3. 18. Rom. 12. vers. 3.* &c. Nec prætereunda elegans parænesis *Iosephi Halli ad Ecclesiast. 7. vers. 16.* inserta *Actis Synodi Nationalis Dordracenæ sess. 16.* Confer supra §. 2. Agmen claudat Pseudo-Areopagitæ laudata docta ignorantia, quam caliginem vocat, quando homo *seipsum intendit quasi cognitione vacantem, & solâ extensione quâdam tum à seipso, tum ab omnibus expeditus ad ipsum* ὑπερούσιον τοῦ θείου σκότους ἀκτῖνα *sublatis omnibus & absolutus ex omnibus evolat*: ut loquitur in lib. de Theologiâ Mysticâ cap. 1. Agit etiam de hâc Mysticâ ignorationis caligine, *Epist. 5. ad Hierotheum.* Consulat, cui vacat, de hâc caligine Interpretes Pseudo-Areopagitæ, & recentiores Scriptores Mysticos: inter quos instar omnium Jesuita *Maximil. Sandeus.*

DE ERRORE ET HÆRESI,

PARS PRIMA.

Resp. JOHANNE SCHOONHOVEN, Amstelo-Batavo.
Ad diem 4. Iulii, Anno 1655.

In Disp. de Ignorantiâ *distinximus eam in puræ negationis seu simplicem, & in pravæ dispositionis. Hæc dicitur error; non illa: uti rectè observat Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 17.* Quamvis non nisi rerum ignorantiâ possit errari, non est tamen consequens, ut continuò erret, quisquis aliquid nescit: sed quisquis se existimat scire, quod nescit, pro vero quippe falsum; quod est errori proprium. *De hâc ergo ignorantiæ specie nomine erroris significatæ nobis agendum.*

VOX

VOX *Erroris* vulgò tribuitur actionibus sensuum externorum & internorum, locomotivæ, intellectus. 1
Quod ad sensus dicitur, e. gr. errare visum, & plurimas ejus esse fallacias; de quibus agunt præter *Opticos Physici & Medici*: qui iidem de aliorum sensuum fallaciis. Agunt de iisdem fallaciis *Theologi*, *in locis de Dæmonibus*, & *de Magiâ*: ubi falsum mentis judicium oriri dicunt ex variatione circa objectum sensile, aut potentiam, aut medium; quâ quod non est apparet, vel quod est non apparet, vel res aliter apparet, quam est. Et hunc sensuum errorem, specificè vocant *delusionem* seu *illusionem*. Quam rursus distinguunt in simplicem illusionem seu fallaciam, & in diabolicam: Illam rursum faciunt duplicem: quarum una fit solâ agitatione hominum ostendentium & occultantium; de hâc arte vide *Cardanum de rerum Varietate*, & *Thomaso Gersoni* in *tract.* cui tit. *Piazza Universale*, &c. *cap.* imprimis in altero *tract.* cui tit. *Seraglio di miravigli*, & *Iul. Cæsarem Bulengerium de Theatro*, *lib.* 1. *cap.* 30. 34. &c. *Altera* illusio non diabolica fit per magiam naturalem virtute quorundam mineralium, uti notat *Bonaventura ad* 2. *dist.* 8. Varios hujus illusionis modos vide in *Magiâ naturali Ioh. Bapt. Portæ*, aut in *VVeckeri Secretis*. Illusio diabolica specialiter vocatur *præstigiæ*: cujus modi sunt multiplices, quos ad tria genera revocare conatur *Gabriel. ad* 2. *dist.* 8. quem videat, cui vacat, & supra: *disp. nostram de Magiâ*, ut & *disp. de Dæmonibus*, quæ exstat in 1. *parte selectar. disp. Error locomotivæ*, ita loquar, committi potest in Picturâ, Musicâ, Scripturâ, Architecturâ, & quâvis arte Mechanicâ. Huc refer errores Medicorum, Chirurgorum, Pharmacopœorum, circa curam sanitatis, proficiscentium, navigantium, *Psal.* 107. militantium in bello gerendo, pragmaticorum in causarum defensione. Quos errores Practicos nominare licet, iisque aptare definitionem Augustini lib. 2. de Libero arbitrio, cap. 4. *Error est enim cum sequimur aliquid, quod ad id non ducit, quo volumus pervenire.* Externo & practico, seu mavis poietico errore dicuntur errare, pedes, manus, & quæ manu projiciuntur, ut sagittæ, lapides, &c. Sic error & erratum dicitur Scriptoris, Typothetæ, Indicis, Ducis, Viatoris, &c. Et Judic. 20. vers. 16. ex Benjamitis Fundatores septingenti *ad crinem jaculabantur lapides è fundâ, & non aberrabant*, Hebr. לא יחטא *faciebat non peccare* seu *aberrare*; (scil. lapidem): Græc. ϗ' ἁμαρτάνοντες. Sed Hebræa vox est conjugationis hiphil. *R. Levi ben Gerson in Commentar.* exponit per יכוו à rad. כוו; & R. Sel. Jarchi ישוה à rad. שוה. Targum: לא משנן, id est, *non mutantes seu variantes* (scil. erant), aut potius: *non facientes mutare* seu *variare* (scil. lapidem):

dem): à rad. שגא; à quo non multum discedit Interpres Latinus vulgatus: *& nequaquam in alteram partem Ictus lapidis deferretur.* Sed missis hic acceptionibus, quæ vocabulo *errati*, aut *errationis* potius, quàm *erroris*, defectum circa actiones locomotivæ & externi hominis notare solent; errorem sic dictum propriè primò & per se intellectui tributum hic consideramus. Quem cum *Augustino cap.* 17. *Enchir.* παχυλῶς sic describere liceat? *Nihil aliud est errare, quàm verum putare, quod falsum est, & falsum quod verum est, vel certum pro incerto.* Est itaque error in intellectu, & quidem in operatione ejus non prima, quæ est simplicium apprehensio, sed secunda & tertia, hoc est, in judicio Noëtico & Dianoëtico. De quo vide *Disquisitiones Physicorum ad 3. de Animâ, & Logicorum ad lib. 1. de Interpretatione, & Metaphysicorum in Capite de Veritate & Falsitate.* Error, etiam *fallacia, deceptio, impostura, seductio* dicitur denominatione sumta à causâ erroris efficiente. Græc. ἀπάτη, πλάνη, σφάλμα, σόφισμα, &c. quę voces cum suis conjugatis sacris literis & Philosophis Græcis frequentatæ. Hebr. חטאה, חטאת, חטא, quam eandem appellationem adhibet Dialectus Chaldaica & Syriaca. In quâ etiam occurrit טעות טעית, &c. Arab. חטות, ex Rad. Hebraicâ, & טעיאה ex rad. Chaldaicâ: ut de aliis Synonymis nunc non agam. Differt error ab hæresi (de quâ posteà agendum) ut genus à specie. A mendacio itidem, quod omne mendacium sit falsum; sed non contrà omne falsum sit mendacium: De quo discrimine *Scriptores Ethici & Theologi Morales seu Casuistæ ad 9. Decalogi præceptum.* Differt etiam ab opinione, fide humana, suspicione, dubitatione seu titubatione; uti constat ex Definitionibus. Est enim *Opinio* Græc. δόξα, habitus mentis imperfectus, ad assensum incertum & inevidentem, ipsa terminorum connexione immediata aut probabili medio innixum, circa propositionem aliquam probabilem inclinans. De hâc agunt *Scriptores Ethici*, & qui de *Philosophiâ in genere*, aut *de Habitibus intellectualibus* philosophantur. *Fides humana* est habitus ad assensum incertum testimonio vel autoritati hominum (sive omnium, sive plurium, sive sapientum, sive unius tantum) innixum inclinans. De hâc *Logici in locis Dialecticis, & Theologi ac Iureconsulti*, ubi *de Testimoniis & Testibus. Suspicio* (Græc. ὑπόνοια, ὑποψία, ὑπόληψις) est habitus mentis inclinans ad assensum indeterminatum, levi indicio (puta dicti humani, aut probabilis signi, aut levis rationis seu conjecturæ) innixum. De hâc *Iureconsulti*, qui eam etiam *præsumtionem* vocant; & vulgò in triplicem distinguunt, levem scil. seu temerariam, probabilem, violentam. De quâ ipsi consulendi; inter eos *Menochius*, qui integrum volumen in earum tractationem impendit. *Dubitatio* (Græc. ἀπορία) est suspensio seu cohibitio assensus propter æquilibrium

quilibrium contrariarum rationum, ἰσότητα τῶν ἐναντιῶν λογισμῶν; uti loquitur *Philosophus* 1. & 3. *Topicor.* Sed de vocis hujus distinctione, & genuinâ definitione postea ex professo agendum.

Problemata circa definitionem erroris sint ista. 1. *Probl.* Utrum in compositione & divisione phantasię detur falsitas? *Resp.* *Negant* communiter Philosophi ad Aristot. lib. 3. de Animâ cap. 8. (al. 9.) ad illa verba: ἔστι δὲ ἡ φαντασία ἕτερον φάσεως καὶ ἀποφάσεως σύμπλοκὴ γὰρ ἐστι τῶν νοημάτων, τὸ ἀληθὲς ἢ ψεῦδος, id est, *Est autem aliud phantasia ab affirmatione & negatione: verum enim vel falsum complexio est conceptuum intellectus.* 11. *Probl.* An in primâ operatione intellectus detur falsitas & veritas. *Resp.* Veritatem dari indubium est, & quidem semper; juxta communem sententiam: (vide *Metaphys. de Vero & Falso*, inter eos *Zvvarez disp.* 9. *sect.* 1. §. 14.): si qui veritatem primæ simplicium apprehensioni negent cum *Vasquez ad* 1. *disp.* 75. *cap.* 2. 11. de veritate complexâ, non simplici intelligendi sunt. Falsitatem per se dari. *Neg.* Quia conceptus mentis, qui quidditatem rei secundum suam naturam absque nexu apprehendit, per se semper est verus; quemadmodum & visus aliique sensus dum propria sensibilia apprehendunt. Per accidens verò dari conceditur: cum etsi non componat, simplici actu accommodat alicui id, quod ei non inest, ut ex. gr. si Solem sub magnitudine bipedali concipiat. Quomodo & sensus per accidens errare dicuntur, in applicatione formæ, quam percipiunt, ut quod hoc vel illud album sit, quod revera non est. Hæc ex *Aristotele de Animâ* 3. *cap.* 6. Ubi videndi *Commentatores*, & *ad* 2. *de Animâ, cap.* 6. ubi disputant, An sensus errare possit circa proprium sensibile; contra duas extremas opiniones Epicureorum & Academicorum; quorum hi omnem fidem sensibus abrogabant. Conferendi etiam ad *Lib.* 1. *de Interpret. cap.* 7. ubi disquirunt de veritate simplici & complexa; Et *Metaphysici loc. cit.* 111. *Probl.* An intellectus possit esse falsus? *Resp.* Movet hanc quæstionem *Thomas in* 1. *qu.* 85. *art.* 6. Et determinat, 1. Intellectum per se non posse decipi circa rei quidditatem; nec etiam circa prima principia, quæ terminorum quidditate cognitâ, statim cognoscuntur. 2. Non posse decipi per se aut per accidens circa quidditatem rerum simplicium. 3. Posse tamen per accidens decipi circa proprium objectum; tribuendo definitionem unius rei alteri, & componendo partes ejusdem definitionis incompassibiles ad invicem, e. gr. ut si definiret hominem animal volatile, aut canem animal risibile. 4. Posse etiam decipi circa ea quæ circumstant seu concomitantur essentiam & quidditatem rei; dum unum ordinat ad alterum, componendo, dividendo, ratiocinando. Hæc determinatio nobis non improbatur. IV. *Probl.* An homo ante lapsum decipi potuerit,

potuerit, seu errare? *Resp.* Movetur hoc dubium à *Thomâ in* 1. *qu.* 94. *art.* 4. Rationes dubitandi adfert *ibid.* 1. *Timoth.* 2. *vers.* 14. *mulier seducta, &c.* quibus adde imprimis 2. *Corinth.* 11. *vers.* 3. *serpens Evam seduxit, &c.* Videtur autem Lombardus in 2. dist. 21. errorem concedere, cum dicit: *Hic quæri solet, quare mulier non horruit serpentem: quia cum noverit creatum esse; ipsum etiam officium loquendi à Deo accepisse putavit.* Sed *Thomas* non tantum *loc. cit.* sed & *antiqui Sententiarii* (*Alex., Bonaventura, Durandus*, &c.) & ex recentioribus *Angles in Floribus ad dist.* 23. eum hic deserunt, statuentes, primos Parentes ante lapsum non potuisse decipi circa cognitionem veritatis, specialiter rerum creatarum: interiorem ergo cordis elationem, ad propositam à diabolo majorem excellentiam, præcessisse illam deceptionem; atque adeo hominem in peccatum inordinati appetitus majoris excellentiæ lapsum esse, antequam deceptus perversâ crudelitate peccaret. Quæ sententia Scholasticorum convenit cum *Augustino de Genesi ad tit. lib.* 2. 21. de Civitate Dei, lib. 14. cap. 17. Verba ejus nunc non exhibeo, nisi hæc postrema: *quid ergò pluribus? Etsi credendo non sunt ambo decepti, peccando tamen ambo sunt capti, & diaboli laqueis implicati.* Ita ille nodum fortè rumpens magis, quam solvens, aut tacitè doctam aliquam ignorantiam professus. Alii primum Evæ peccatum constituunt in errore & deceptione: quam sententiam ex professo defendit *Camero contra epistolam Viri docti, cap.* 8. ubi itidem ad doctam ignorantiam confugiendum docet. Breviter neutra sententia (quarum examen hic non instituimus) admittit deceptionem in statu integritatis; sed statuit, aut post prolapsum in peccatum elationis, aut si ante omne aliud peccatum, qualemcunque errorem illum & vacillationem fidei fuisse formaliter ipsissimum primum hominis peccatum internum: in quod de facto per activam seductionem diaboli incidit, & incidere potuit; quia status integritatis erat mutabilis. Quod hoc ita factum sit, fide tenendum ex Scripturæ testimoniis: quamvis modum doctè ignoremus. Ita ut frustra quæsitis ratiunculis & inanibus ac profanis subtilitatibus Remonstrantes in *Epistola Viri docti* consequentiam hanc intorqueant: Siquidem Eva fuit lumine integræ scientiæ, sine ullo errore aut defectu, collustrata, non potuit ergo deceptio in mentem ejus cadere. Vicissim reponimus: Siquidem voluntas ejus fuit recta, absque defectu, aut aliquo pravæ concupiscentiæ semine; non potuit ergo inordinata elatione peccare. Videant nunc quomodo se à propriis pedicis expediant.

3 Causæ erroris sunt, 1. *Diabolus*, uti exsertè dicitur, 2. *Corinth.* 11. *vers.* 3. & 1. *Timoth.* 2 *vers.* 14. hinc etiam dicitur Pater mendacii, *Iohan.* 8. Et sensus hominum excœcare. 2. *Corinth.* 4. Quomodo autem diabolus

diabolus hîc operetur, *infra* §.4. explicabitur: 2. *Homo* ipse se seducens *Ier.* 17. coll. cum *Iac.* 1. *v.* 26. 3. *Homo* hominem in errorem inducens, rationibus ψευδοσοφίας & ψευδολογίας ac χρησιολογίας adhibitis. *Rom.* 16. *v.* 18. 1. *Tim.* 6. 4. *Autoritas humana* rectę rationi aut autoritati divinę substituta, aut æquiparata. 5. *Præjudicia*, verum judicium impedientia. 6. *Pravi affectus*, qui impediunt veri cognitionem. 7. *Malitia voluntatis*, imperans erroris amplexum; primò quod ad externam professionem & contentionem pro eo contra conscientiam; & deinde, quod ad luminis residui ac cognitionis exstinctionem & obliterationem. *Rom.* 1. *v.* 22. 24. 8. *Specialiter*, superbia, invidia, inimicitia, & hinc nimium altercandi studium, & ἀμετρία τῆ ἀνθολκῆς. 9. Naturales seu congeniti, aut adventitii phantasiæ defectus, qui nominibus dementiæ, delirii, maniæ, &c. appellari solent. De quorum differentiis & causis consulendi *Medici*; & inter eos *Paulus Zacchias*, Med. Rom. ante hâc nobis laudatus, in 2. *part. select. disp. in Appendice ad disp. de Statu electorum ante conversionem.* 10. Accedat *justa Dei providentia*, quæ non efficit errores aut directas eorum caulas, sed gubernat; permittendo scil. & ordinando, actusque substratos pro modo causę primę una cum hominibus operando. Et sic intelligenda loca Jesa. 63. v. 17. *Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis.* Et cap. 6. v. 9. *Excæca cor populi hujus.* Ezech. 14. v. 9. *Et Propheta cum erraverit, &c. ego Dominus decepi Prophetam illum.* Et 2. Thess. 2. v. 11. *Immittet ipsis Deus efficaciam erroris, &c.* quæ loca cùm quoad summam rei convenienter nostræ explicationi explicent Pontificii (vid. *A Lapide ad Ezech.* 14. Et *Bellarmin. lib. 2. de Amiss. gratiæ, cap.* 13. *sect.* 8.) quâ conscientiâ scribere potuit A Lapide loc. cit. *Et ratio ipsa & pietas docet Deum non esse autorem mendacii, uti blasphemat Calvinus.* Confer *Disp. nostram de Methodo respondendi calumniis de Deo authore peccati*; ubi autores adversi & nostri indicantur: quibus nunc addo, *Exercit. V Vendelini*, qui post *Kimedoncium*, *Pareum*, *&c.* specialiter ex Lutheri & Lutheranorum dictis infestationes eorum retudit. Et *Iac. Revium*, qui *in scripto de Animæ immortalitate & Dei veracitate contra Tobiam Andreæ pag.* 52. &c. ostendit, quomodo hic aliquot Pontificii, & Renat. des Cartes teneantur. 11. *Peccatum originale* in irregenitis dominans, in fidelibus adhuc habitans. Atqui illud in se complectitur mentis cœcitatem, quæ nihil aliud quam in actuales errores inducere potest. *Eph.* 4. *vers.* 17. 18. & 5. *vers.* 7. Per lapsum enim sapientia imaginis divinæ, quod ad γνῶσιν spiritualia & salutaria planè perdita, quod ad naturalia & civilia admodum læsa atque imminuta. De defectibus mentis nostræ in cognoscendâ veritate, vide agentes *Philosophos Christianos*, *in præcognitis Logicis & Philosophicis*, & *ad* 1. *Metaphys. cap.* 2. Atque hæc quidem causæ errorum generales. Speciales causæ errorum in Philosophiâ, Philolo-

giâ & Criticâ, Historiâ cum Topographiâ & Chronologiâ, Medicinâ, Jurisprudentiâ & Politicâ, Theologiâ, à Scriptoribus istarum disciplinarum, præsertim Elencticis in *Bibliothecâ nostrâ* indicatis, passim notantur. Nos errorum in Philosophiâ has præcipuas causas deprehendimus. 1. *Ignaviam & negligentiam*: quia plerique paucis philosophari volunt. 2. *Paupertinum ingenium*; quia multi ad subtiliores abstractiones & ratiocinationes Philosophicas assurgere nequeunt; nec tamen per animi tumorem humi serpere volunt, tuti nimium timidique procellæ. Hinc Icarius & Phaëtonticus in errores prolapsus. 3. *Perversa* in studio Philosophico *methodus*: quia multi non jactis, sed spretis solidis fundamentis, aquilino nisu & volatu (uti putant), ad paucula aliquot sublimia, sive difficillima, sive insolubilia feruntur. Hinc se & alios irretiunt ac pervertunt. 4. *Experientiam nullam*: aut præsumtam & falsò jactatam (cum scil. semel fortè atque iterum quid viderint atque observârint): aut nequiter fictam. Huc refer legendas & fabulas Physicas, sive ex *Historici alicujus naturalis*, e. gr. *Plinii, Æliani, Alberti Magni, Vincentii Bellovacensis, &c.* relatione admissas, sive populari errore per manus traditas. Exempla aliquot earum attigimus in *Disp. de Creatione*, & plura Scriptores de Erroribus popularibus infra indicandi. Eodem pertinent multæ jactatæ observationes Astronomorum: quarum aliquæ fictionis suspectæ sunt: aliæ ad debilitatem aut fallaciam visus reduci possunt: aliæ ad instrumentorum defectum: aliæ ad calculationem malè peractam: quibus malè consutas consequentias & ratiocinationes contra rationem aut Scripturam temerè superstruunt. Non alios hic judices aut indices advocabo, quam ipsos artifices; qui dissidentes Uranometrias, quibus quique observationes suas prætendunt, mutuò exsufflant. *Causæ speciales* errorum in Theologiâ sunt. 1. *Ignorantia Scripturæ* & lectio atque assidua collatio rerum ac phrasium ejus neglecta. 2. *Ignorantia linguarum* originalium Scripturæ; ut & antiquitatum ac historiarum; nec non artium ac disciplinarum, quarum in rectâ interpretatione Scripturæ usus est: inter quas excellunt Logica, Physica, Metaphysica. 3. *Autoritatis humanæ præjudicia*. Quæ tria potissimum perdiderunt Theologiam Scholasticorum. De quo in *Disp. de Theologiâ Scholasticâ*, coll. cum *disp. de Patribus*; & cum *Antagonistis Pontificiorum de Traditionibus, de Ecclesiâ, de Conciliis*. 4. *Defectus* experientiæ propriæ, & praxios in aliis observatæ. Hinc multos pullulare errores necesse est: cum Theologia sit disciplina practica; & consequenter rerum spiritualium ἄπειροι non rarò judicent, ut cœci de coloribus. 5. *Adulteratio* Theologicæ inventionis & judicii per admixtionem heterogeneorum, sive mediorum, sive finium: hinc fit ut Theologia sive tota, sive

aliqua

aliqua ejus pars aut materia, aut determinatio secularizetur, hoc est, mundi aut hominum favori ac voluntati attemperetur ac conformis reddatur; Quæ metamorphosis peragitur addendo, aut detrahendo, aut modum proponendi secundum tempora, loca, studia hominum in horas mutando. 6. *Malitiosa Scripturæ detorsio*, 2. *Petr.* 3. 16. 17. Vide ibi *Comment.*

De causis errorum ista Problemata, ad uberiorem earum intelligentiam, subjicimus. 1. *Probl.* Quomodo Diabolus decipiat hominem, seu sit causa erroris in homine. *Resp.* Moraliter tantum & indirectè, aut occasionatè; non verò Physicè aut directè. Quod fit per propositionem & suggestionem, tum internam tum externam. *Interna* est duplex: *Una* per immediatam phantasiæ perturbationem, phantasmatum intrusionem, & eorum in somno aut vigiliâ confusionem. *Altera* per immediatam inspirationem seu aspirationem mentalem, quando species intelligibiles intellectui agenti obtrudit, aut spirituali atque intellectuali sermone eidem loquitur. Quem modum suggestionis diabolicæ explicare & probare conati sumus in *Disp. de Dæmonibus & de Tentatione.* *Externa* triplex est: vel per illusionem sensuum seu præstigias: vel per visibilem apparitionem: vel per oracula, aliaque responsa & alloquia tanquam à Deo & Angelo, aut anima defuncti profecta. Ad apparitiones illas & alloquia, refer spectra Deum quem aut spiritum defuncti referentia, apud Gentiles; & apparitiones Christi, Sanctorum defunctorum, aut animarum ex Purgatorio in tenebris Papatus. De utrisque actum est in *Disp. de Spectris*, *de Probationibus Spirituum*, *de Purgatorio*: ubi Autores Pontificii adducuntur, qui pro apparitionibus Spirituum, eorumque responsis & oraculis pugnant, tanquam fidei Romanæ principiis; & tamen nullam certam Spirituum istorum & revelationum discretionem sibi vindicare audent. Libris exemplorum, *Dialogis Heisterbachii*, *Drauroulti Catechismo Historiali*, *Mart. Delrio Catalogo*, quem texit *lib.* 2. *Disquis. Magic. qu.* 26. *sect.* 5. addimus nunc librum Belgicum *Cornelii Vrancks Columbani* Abbatis S. Petri apud Gandavenses, tit. Zielen-troost / id est, *Consolatorium animarum in Purgatorio*: qui Alcoranico-Thalmudicis fabulis & plusquam Ethnico-Poëticis fabulis probat esse purgatorium, & quales ac quanti sint ejus cruciatus, quibusque remediis animæ sublevandæ. Principia probandæ huic fidei purgatoriali sunt ipsi triplicia. *Visiones & raptus*, quibus aliqui viderunt purgatorium, nonnulli etiam tormenta ejus experti sunt. Exempla sunt Tondali (qui floruit anno 1149.) *pag.* 164. quod refert ex *Carthusiani libro de quatuor novissimis.* *Brigittæ lib.* 6. *revelat. cap.* 66. 2. *Resuscitationes* quorundam ex mortuis, qui revera tormenta illa experti, in hoc mundo aliquandiu post vixerunt. Exempla sunt

4

Christinæ Virginis Trudonensis, quæ vocabatur miraculosa, *pag.* 205. Fabri Ferrarii in Civitate Juliacensi anno 1480. *pag.* 218. quod habet ex *Bredenbachio lib.* 8. *collat. cap.* 9. Cerevisiarii coctoris Tholæ in Zelandiâ, *pag.* 219. Alia exempla vide *ibid. cap.* 10. & 40. 3. *Apparitiones* Spirituum ex Purgatorio: quorum exempla habet per totum librum. Inter quæ imprimis notanda sunt eorum, qui aliquandiu & frequenter apparuerunt, quique publicè per Episcopos, Parochos, Presbyteros adjurati & interrogati, responderunt ac multa de Purgatorio, aliisque Romanæ fidei pietatisque mysteriis tradiderunt: de quibus peculiares historiæ sunt editæ: ut Spiritus Cassellensis in Flandriâ, nomine Pierken Zantbyle/ anno 1515. (*pag.* 55. 56. 57. 58.); qui inter alia rogatus, an omnibus Spiritibus esset credendum, respondit, non: quod ex Spiritibus apparentibus vix unus sit bonus: Sed si quis dicat se venire in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, illi credendum esse. Spiritus Meyerichensis propè Duysdorp ultra Coloniam, nomine *Henrick Bosman* anno 1438. cujus historiam in Latinum transtulisse dicitur Magister Joh. de Hassiâ (*pag.* 70. -- 89.) Duo Spiritus regnantes (uti idioticè loquitur) Bergis in Hannoniâ, anno 1580. (*pag.* 103.) Spiritus Laici Monachi in comitatu Mansfeldensi, Revelationibus Gertrudis. Adde his *Historiam spiritus Posonienſis in Hungariâ*, quam nos recusam & excussam dedimus in 2. *parte select. disp.* Atque hactenus modi, quibus diabolus per se homines seducit, & errores seminat. 11. *Probl.* An & quomodo homo seipsum decipiat? *Resp. pr. Aff.* ex *Ierem.* 17. & *Iacobi* 1. *vers.* 26. De mediis modis & methodis deceptionis, *Daniel Dijck* in eximio *tract.* (Angl. Belg. Gall.) cui tit. *Mysterium propriæ deceptionis.* 111. *Probl.* Quomodo homo hominem seducat? *Resp.* In genere ut causa moralis, per falsas ratiocinationes, sophismata, & χρηματολογίας. *Rom.* 16. 17. 18. Quæ autem, quales & quotuplices illæ sint in particulari, ex sectis Philosophicis & ex Historiis hæresiωn, ac libris hæreticorum, eorundemque Antagonistis cognoscendum est. Hic generalem manuductionem præstabit liber *Danæi* cui tit. *Elenchi hæreticorum*: ubi ad Logicæ Aristoteleę elenchos sophisticos strophas hæreticorum revocavit. Qui in Theologicis scriptis suis idem in formâ præstant, sunt *Vrsinus, Zadeel, Pezelius ad examen Melanthonis*, & *in tomis object. ac respons.* 1v. *Probl.* An omnis deceptio intellectus sit ab inferioribus potentiis intellectioni servientibus, phantasia scil. cogitativa, memorativa; aut appetitu inferiori, à quibus in operatione suâ impeditur. *Resp.* Communiter *Scholastici cum Thomâ* 1. *qu.* 85. *a.* 7. & 94. *a.* 4. & *ad Magistrum lib.* 2. *dist.* 23. *Aff.* Sed non video quomodo hoc satis conveniat cum alterâ illâ determinatione ipsorum, quod voluntas movet intel-

intellectum, omnesque alias animæ vires, exceptis vegetativis, *ad 1. qu.* 84. *a.* 4. Videtur ergo origo erroris posse esse non tantum ab inferioribus potentiis, sed etiam à voluntate; saltem ex hypothesi Scholasticorum. An autem & quæ sive motio, sive imperium voluntati in intellectum tribuendum sit, alibi disquiritur. VI. *Probl.* An & quomodo Deus dici aut non dici possit causa errorum? *Resp.* Supra §. 3. hoc determinatum est.

Pericula & remedia aliquot errorum in genere tribus verbis perstringenda. *Primum* periculum est, quod error sit socialis, vix solitarius: quod fit duobus modis, vel ut plures inseparabiliter connexi simul oriantur: vel ut peculiari quâdam fertilitate successivè error errorem pariat & trahat. *Secundum*, Quod error parvus in principio, fiat magnus in fine. Hoc axioma inculcat & probat Philosophus I. de Cœlo cap. 5. textu 33. ὥσπερ γὰρ τὸ μικρὸν παραβῆναι τῆς ἀληθείας, ἀφισταμένοις, γίνεται πολὺ μυριοπλάσιον, id est, *siquidem & parvus exitus à veritate fit hisce, qui exorbitârunt, si longè progrediantur, decies millies major.* Vide reliqua. *Thomas in libello de Ente & Essentiâ* ex mente Philosophi axioma his verbis concipit: *Error parvus in principio, fit magnus in fine.* Cujus rationem Cajetanus in Commentar. ad hunc libellum sic breviter proponit: *Quia principium est parvum in quantitate, ideo error parvus appellatur; & quia est magnum in virtute (utpote virtualiter continens omnia principiata), ideo error in principio parvus, in fine efficitur magnus. Crescit enim error sicut & dilatatur principium in suis principiatis, ut manifestè patet in principio bivii, in quo modica deviatio ad magnam distantiam deducit in processu. Tertium*, Quod error mentis secum trahat perversitatem voluntatis in Practicis: sive semper, secundum illos, qui sentiunt voluntatem determinari, à judicio practico, aut saltem necessitate consequentiæ illud sequi; sive saltem ut plurimum aut sæpe, secundum oppositæ sententiæ Sectatores. *Quartum*, Quod post lapsum nullus hominum immunis sit ab errore: uti tum Scripturæ testimoniis, *Rom.* 1. & 3. *Ephes.* 2. *Iacobi* 3. *Proverb.* 30. &c. tum universali experientiâ comprobari potest. Ex quo & præcedentibus axiomatis hæc Consectaria eliciuntur.

1. *Consectar.* Non esse somniandam in hâc vitâ πανσοφίαν, aut quasi πανσοφίαν, aut methodum, quâ facile & brevi omnium rerum, aut saltem naturalium, scientia & certa evidensque demonstratio atque explicatio haberi possit. Obstruuntur ergo hic magni hiatus promissorum, qui nomine Lullii, Paracelsi, Hermetis, Fratrum rosææ crucis, &c. quasi gorgone obtento hactenus mundum ludificârunt. Verè sapientes quo ulterius progressi, eo libentius usurpabunt laudatissimum illud celeberrimi

Heinsii quondam Præceptoris nostri Symbolum: *Quantum est, quod nescimus.*

2. *Consectar.* Studiosè & rigidè omnem errorem nobis cavendum; nec cuiquam vel minimo ex ingenii petulantiâ aut superbiâ, indulgendum aut velificandum.

3 *Consectar.* In omnibus aliis, præsertim in ejusdem veræ religionis consortibus, non quidem fovendum, sed benignè & κατ' ἐπείκειαν tolerandum, cum tollere non possumus. Quod quomodo fieri debeat aut non debeat, in Theologico aut Theologiam propius attingente errore, ostendere conati sumus in *Disp. de Tolerantiâ, de Libertate prophetandi, de Syncretismo.* Problemata hic nobis sunto. 1. *Probl.* An & quomodo Doctores extraordinarii & ψευδόπροφηται, ab errore fuerint immunes. *Resp.* Vide per distinctionem hoc explicatum in *Disp. de Auctoritate Scripturæ.* 2. *Probl.* An & quomodo Christus secundum humanam naturam? *Resp.* In omnibus, quæ concernebant officium ipsius erga Deum & proximum, quà homo & quà Mediator erat, non erravit, nec errare aut decipi potuit. Quod ad errorem illum particularem, *Marci* 11. *vers.* 13., planè erat inculpabilis; non minus quam ignorantia ipsius, de quâ ad *Luc.* 2. *vers.* 52. *Marci* 13. *vers.* 32. & in Theologiâ elenctica contra Pontificios disputari solet. Deceptionem hanc seu errorem inde ortum, *Calvinus* putat dici posse, quod arboris species ipsi esset incognita: quo nomine vapulat à *Maldonato* in *Matth.* 21. *vers.* 19. qui vult Christum non quæsivisse fructus in arbore, sed tantum finxisse se quærere. Sed an hoc satis decorum sit, & prudentiæ, gravitati, candori ejus conveniat, disquiri posset. Si enim nulla arbor tunc temporis (11. die Martii) fructum habere poterat, nec Christus ignorabat hanc arborem esse ficum, uti *Maldonatus* dictat, quâ ratione Christus *finxisset more hominum se quærere, quod se sciebat inventurum non esse,* ut vult *Maldonatus?* Alii errorem inde ortum putant, quod immaturę aliquæ ficus (sic *notæ nostræ Belgicæ*), aut residuæ ex præcedentis anni autumno in arboribus fuisse potuerint; Sic alii. Discendum varias esse ficuum species ex *Botanicis*, & *Thalmudicis part.* 1. *tract.* 5. שביעית, ubi *de Iuribus anni septimi & tract.* 3. רמאי, ubi *de Rebus, de quibus dubium, an decimæ Deo datæ sint nec ne.* Ubi referunt, fuisse præter hortenses ficus, diversas sylvestres; quarum nonnullæ ficus producebant, non nisi tertiâ æstate maturitatem consequentes: ita ut penderent in arbore per duas hyemes, duas æstates, & partem tertiæ. *Lævinus Lemnius in explicatione herbarum & arborum, quæ in Scripturâ occurrunt,* distinguit ficus in caricas, & grossos; quæ quia serius matureſcunt, aut maturitatem non assequuntur, dicuntur serotinæ. Istas produci dicit, cæteris arboribus

flore-

floreſcentibus. Quod autem *Maldonatus* ait; nullam arborem in Judæâ maturum fructum habere potuiſſe, id interpretationi noſtrorum minimè obſtat. Neque enim dicunt, nec textus habet Chriſtum quæſiviſſe ficus, alioſve fructus maturos.

Remedia errorum generalia à Bonaventurâ ad 3. diſt. 9. qu. 6. non malè; & applicatè ad Theologiam proponuntur iſta: *Triplex*, inquit, *adjutorium; quo quis vitare poteſt errorem.* Primum eſt, *promotionis Sacræ Scripturæ, &c.* Secundum eſt, *orationis internæ, &c.* Tertium eſt, *ſuſpenſionis credulitatis ſuæ. Non enim debet homo omni ſpiritui credere, ſed probare an ex Deo ſint. Qui enim cito credit, in talibus levis eſt corde, & fortaſſis etiam inflatus corde, dum tales viſiones vel apparitiones potius ſunt formidandæ, quam deſiderandæ.* Idem ad 3. diſt. 25. qu. 3. addit: *præter remedium orationis & divinæ inſpirationis (ad quod ſemper recurrendum eſt) habent ſimplices remedium humanæ inſtructionis, &c.* Explicatius & uberius remedia tum generalia, tum ſpecialia contra errores in Theologiâ proponi hic poſſent, qualia ſunt, Vincere in nobis levitatem mentis; ἀψιμαθίαν, novitatis ſtudium, curioſitatem, λογομαχίαν, & δοκησισοφίαν ſeu ſapientiam in oculis noſtris, contemtum prophetiarum & aliorum ſapientum, temerariam & magiſtralem in arduis quibuſque determinationem: contra ſtudere humilitati, doctæ ignorantiæ, conſcientiæ bonæ circa qualiſcunque veritatis diſcentiam, &c. 6

DE ERRORE ET HÆRESI, *PARS SECUNDA.*

Reſp. JACOBO de MOL, Torout-Flandr.
Die Martis 10. *Iulii*, *Anno* 1655.

ERror variè dividi poteſt. 1. In ſpeculativum & practicum. *Ille* rurſum diſtinguitur in generalem ſeu theticum, & particularem. 1. *Generalis* eſt graviſſimus, gravis, levis, leviſſimus. *Graviſſimus*, eſt circa principium alicujus ſcientiæ, qualis e. gr. *Zenonis*, non dari motum: *Gravis* eſt circa concluſiones principales, e. gr. *Galeni*, quòd anima ſit temperamentum, & *Averrois*, quòd unus ſit intellectus agens in omnibus hominibus; & *Ariſtotelis*, quòd mulier ſit mas occaſionatus, & naturæ ἀμάρτημα. *Levis*, circa concluſiones minus principales; ex. gr. *Ariſtotelis*. Quòd mulieres careant ſemine. *Leviſſimus*, ex. gr. ejuſdem *Ariſtotelis*, Quòd ignis ſit ſub 1

concavo

concavo lunæ. *Particularis* error est in historiis & relationibus Physicis, Astronomicis, Opticis, Staticis, etiam Pneumatologicis: Physicæ non paucæ apud *Plinium*, *Albertum Magn.*, *Nierenbergium*, *&c.* occurrunt, quarum aliquot à nobis notatæ sunt in *disp. de Creatione*, & *de Sortis aliisque divini nominis abusibus*. Pneumatologicæ, perstrictæ sunt, in *disp. de Spectris*, & *de Probationibus Spirituum*. 11. *Practicus* error etiam duplex est, vel universalis seu juris, vel particularis, seu facti. *Vniversalis* est gravissimus, gravior, gravis, levis. Exemplum *primi* est e. gr. *Platonis* communio uxorum, liberorum, & bonorum in Republicâ; Quem, quod ad communionem uxorum adoptabant Carpocratiani apud *Epiphanium hæresi* 32. & *Pseudo-Clemens*, & inde *Ius Canonicum c. dilectissimis.* 12. *qu.* 1. Quamvis *emendatio Gregorii XIII.* notet ab exemplaribus aliquot hæc verba: (*in omnibus autem sunt sine dubio & conjuges*) abesse. In aliis omnibus fuerunt, & sic usque ad tempus Gregorii à Studiosis Theologiæ, & Juris utriusque lectus fuit textus: quâ cum ædificatione judicent, qui judicare possunt. *Glossa* agnoscit argumento hoc uno ex lex adductis probari communionem omnium, etiam uxorum: sed postea limitat, non *quod ad usum carnis, sed quod ad obsequium, aut dilectionem.* Similis error erat *Lacædemoniorum*, quibus autore Licurgo furtum concessum, immo & laudatum: siquidem astu fieret: apud *Xenophontem de Republ. Lacædemoniorum. Secundi*, est polygamia apud *Orientales populos* passim recepta. *Tertii* est, ex. gr. *antiquorum quorundam* improbata bigamia successiva; mendacium officiosum ab uno atque altero neoterico concessum. *Quarti* est, e. gr. *Aristotelis* & plerorumque ipsius Interpretum, de virtutibus moralibus in appetitu sensitivo tanquam proximo subjecto collocatis. Ad hanc Classem refer quosdam (non omnes) errores *Pragmaticorum*, *Politicorum*, *Medicorum*. *Particularis* seu facti error est vel circa factum alienum, vel circa proprium. *Ille* dici potest error in hypothesi seu historicus: qui oritur ex falso rumore, aut ex falsâ aliorum relatione, aut ex quibuscunque falsis testimoniis, aut ex levibus suspicionibus, aut ex inadvertentiâ, aut ex visus & auditus deceptione, aut ex animi perturbatione & pravis affectibus. Huc referri debent errores *adversariorum*, præsertim laicorum & rudium Pontificiorum, tum circa dogmata quæ à nobis teneri perperam credunt: tum circa personas & personalia consilia, dicta, facta nostrorum. De quibus egimus in *disp. de Præjudiciis veræ Religionis & Ecclesiæ*. *Iste* propriè dicitur error conscientiæ circa factum nostrum, sive præteritum, sive futurum: & hinc, ut etiam ab errore circa jus quod ad nos, conscientia denominatur erronea. Quid autem sit, & quotuplex, & quomodo à dubitante ac scrupulosâ distinguatur, explicatum vide à *Scholasticis*, & à *Casuistis*;

pis; nominatim ab *Amesio* nostro *lib. 1. de Casibus conscientiæ*, & Jesuita *Bresero lib. 4. 5. 6. de Conscientiâ*. III. Potest etiam error distingui secundum causas, aut effectus. Sic alius inculpabilis, alius culpabilis. Et hic rursus vel tolerabilis, vel intolerabilis. Quam distinctionem habet *Gabriel ad 4. dist. 18. qu. 2. art. 2.* Intolerabilis est, vel propter gravitatem materiæ; vel propter pertinaciam: vel propter malam consequentiam; vel propter ingentia pericula & damna in Ecclesiis, aut Rebuspublicis, aut Oeconomiis, aut Scholis inde emergentia; vel propter universalitatem, cum pervadit totam aut saltem maximam partem alicujus scientiæ, aut scientiarum, aut vitæ humanæ. Et tales sunt, qui grassantur contra principia prima, aut contra axiomata cujusque disciplinæ principiis illis proxima. Est autem intolerabilis in Politiâ, aut in Ecclesiâ; aut in utrâque. *Primi generis* exempla sunt errores in thesi aut hypothesi contra fundamenta regiminis & συμβιώσεως humanę. Quales in thesi sunt, Deum esse causam, non hominem, omnium actionum malarum: Deum non regere res humanas, nec esse vindicem scelerum: Omnes homines esse ordine & potestate æquales, nec ullam superioritatem admittendam. In hypothesi sunt ex. gr. si quis in Belgio fœderato spargat hos errores Politicos; Non posse mutari Reipublicæ seu regiminis formam, quamdiu ille cujus interest (Philippus scil. II. antehâc Belgarum Princeps) non vult: aut jus immutabile primo geniti & quidem divinum ac humanum esse, ut etiam in casu legitimè abrogati Patri Imperii, ipse succedat: aut regimen Monarchicum, quale est in regnis Europæis, esse solum legitimum regimen; non Aristocraticum, aut Democraticum, aut mixtum. Quod de Belgis dico, idem applicari potest, Reipublicę Venetæ, Genuensi, Lucensi, Helveticæ, Ragusiensi, Genevensi. Huc refer Seductores & Impostores, qui monetam adulterant, aut sigilla & scripta, sive privata, sive publica, & subsignationes adulterant, atque eo tam multos in errorem inducunt. Quot autem modis hoc fieri possit aut soleat, discendum ex *ICC. ad L. Cor. de Falso. ff. & C. & ex Canonistis ad licet, cap. 5. de cri. fal.*, ubi dicunt literas Pontificis novem modis falsificari posse. Adde & *Diaz in Pract. crimin. cap. 108.* Quod ad imitationem Scripturæ alterius, illustria istorum artificum exempla passim apud JCCtos adducuntur. Quibus addimus unum apud *Cambdenum in Annalibus Angliæ part. 4. ad ann. 1601.* Vide & *Comment. ad Suetonium in Cl. Nerone cap. 17. & in Tito cap. 2.* Vulgatissimum etiam est Itali illius, qui nuper Amstelodami in ergasterio, ad quod damnatus erat, obiit. Sed de his aliisque falsi generibus, pluribus agimus *Disp. ad 9. Decalogi præceptum*: ubi vide. *Secundi generis* exempla sunt, omnes hæreses & hæresibus proximæ heterodoxiæ: de quibus

bus infrà. *Tertii generis* exempla sunt, ex. gr. de Platonicâ communione, de furto Lacædemoniorum, de venditione uxorum in Angolâ, aliisque vicinis Africæ partibus. IV. Secundum objecta & gradus error distinguitur, in falsum simpliciter, & in falsum malignantem seu impossibilem: quando scil. affirmatio aut negatio aliqua apertam aut implicitam habet contradictionem; ita ut nunquam possit esse vera. V. Denique error distingui potest, secundum disciplinas; ut alius sit in Theologiâ, alius extra Theologiam, in Philosophiâ scilicet, Philologiâ, Historiâ, Medicinâ, Jurisprudentiâ. Nos posterioribus omissis de solis prioribus hic agemus.

2 Theologicum errorem voco, qui repugnat veritati alicui quam Theologia tradit. Committitur autem error ille circa determinationem assertionis alicujus in thesi aut in hypothesi: qualem errorem appellare liceat *Casuisticum*. Exemplum *prioris* est, sanctos religiosè colendos, festa in honorem eorum celebranda, sub patrocinio & invocatione (uti loquuntur) eorum preces fundendas, salutem curandam, &c. *Posterioris* est, confraternitates sacras Antonii, Sebastiani, Mariæ, &c. in Papatu antehâc erectas, esse retinendas à Reformatis, & interpolandas; seu Reformatos posse absque scrupulo conscientiæ, se iis collegiis inserere, & in eorum erectionem ac statuta unà cum Pontificiis jurare, additâ clausulâ, ne præjudicet Religioni reformatæ. Confer *disp.* nostram *de Theologiâ Practicâ*; ubi agimus de erroribus & sophismatis, qui in casuum conscientiæ determinatione committi possunt. Prioris generis errorem melioris doctrinæ causa distinguo in triplicem, *heterodoxum scil. paradoxum, popularem*. Cui affines & analogæ sunt *propositiones suspectæ, malè sonantes, scandalosæ*, &c. De quibus infrà. 1. *Heterodoxum* seu ἑτεροδιδασκαλίαν, qui etiam error Ecclesiasticus, voco talem errorem qui publicâ professione in Ecclesiis quibusdam, intercedente certo decreto atque ordine, cum exclusione omnium Doctorum aliter sentientium, tenetur ac traditur ex. gr. de corporali præsentiâ & manuducatione Christi in Cœnâ. Huc refer omnem errorem, contra quem communibus confessionibus, aut declarationibus, aut Synodis Ecclesiarum reformatarum determinatum est: ut, de Prædestinatione conditionatâ, gratiâ universali, viribus liberi arbitrii ad bonum spirituale, apostasiâ finali aut totali sanctorum. Est autem heterodoxia illa directa aut indirecta. *Illa* est ex. gr. Remonstrantium, qui directè eam non tantum tuentur, sed & errores longè pejores aliunde in auxilium advocant. *Ista* est, eorum qui apertè & directè principales theses heterodoxas cum celebri Synodo Dordracenâ rejiciunt, orthodoxas tenent; interim hypotheses & præmissas tales adducunt, aut ab adversariis adductas

adductas admittunt, ut per consequentiam (quamvis imprudentes, absque tali intentione) adversariorum manus firment, nostræ verò causæ nudum latus illis oppugnandum nimis objiciant; atque adeò incauta ingenia discipulorum suorum manifesto periculo exponant. Cum enim Præceptores ex falsis verum concludentes audiunt, quidni perspicacia, quamvis præcocia, quorundam ingenia, præsertim si novitatis avida sint, ingenuè conformiter præmissis (ex dictamine præceptorum & opinione ipsorum verissimis) falsam heterodoxorum thesin colligant, & ulterius suo pondere ruant. Hoc si Præceptores omnibus orthodoxiæ & eruditionis machinis adhibitis tempestivè & validè sistere queant, sic ut subtilibus ac perspicacibus ingeniis satisfaciant, quid istis periculosis suis καινοφωνίαις profecerint, aut quæ gloria alia ipsis remanet, (siquidem gloria dicenda sit), quàm ambitiosè ineptientium Stoicorum, qui cum re ipsâ cum aliis Philosophis in aliquo dogmate consentirent, verbis tamen aut modo proponendi dissentire studebant. Tanto scil. periculo, immo & jacturâ quorundam antehâc orthodoxorum, tantâque cum Ecclesiarum concussione vanissimâ novi (uti putant) heurematis gloriola redimenda erat? Ante annos aliquot experti sumus in Belgio nostro, & alibi, quantum umbraticæ & musteæ illæ diatribæ, de gratiâ quâdam universali, causæ orthodoxæ obfuerint. *Problem.* 1. An simplex heterodoxia, quæ nondum formaliter est hæresis, possit degenerare in hæresin? *Resp. Aff.* cum scil. per hypotheses & consectaria sic extenditur, & pertinaciter usque ad extremum defenditur, ut desinat in assertionem quam aut assertiones, quæ directè aut saltem per consequentiam necessariam, evidentem, immediatam seu primam, fundamentale aliquod fidei dogma aut dogmata tollunt. Sic ex. gr. hæretica est sententia quinquarticulana Remonstrantium, prout eam partim in Synodo Nationali, partim post eam in Apologiâ & sequentibus aliquot scriptis defenderunt. *Problem.* 2. An omnes illi, qui in cœtuum Remonstranticorum communione perstant, sint dicendi propriè & formaliter hæretici? *Resp. Neg.* Supposîti enim & consortes societatis Remonstranticæ variè distinguendi sunt. Alii enim sunt in eâ nati & educati, nec ullam aliam doctrinam audiverunt: alii verò sunt adventitii; itque rursum aut ex mundo, aut ex neutralitate aliquâ, aut tanquam rasę tabulæ ex simplici & universali rerum sacrarum ignorantiâ, aut ex Papismo, aut ex Anabaptismo, aut denique ex communione Ecclesiæ reformatæ. Rursum alii sunt simpliciter ignorantes, quod ad pleraque aut saltem maximè heterodoxa Remonstrantismi placita: alii scientiam quam habent istorum placitorum, eamque cum rejectione oppositæ veritatis amplectuntur. Præterea alii sunt pertinaces

& indociles, ac quotidie in pejus proficiunt: alii sunt moderatiores, nec omnino indociles. *Insuper* alii sunt, qui informati de absurdorum & hæresiωn alluvie in Societate illâ, alicubi adhuc sistere & sisti velint: alii verò, qui nihil non admittunt, & tanquam delitias avidè deglutiunt, vel usque ad letiferum Sociniſmi aut Arrianiſmi, aut fortè semi-Libertiniſmi seu semi-Scepticiſmi venenum. *Denique*, alii sunt Doctores & Seductores: alii discipuli & seducti, aut quorum seductio intenditur. Non semper tam necessariò patiens patitur, quam agens agit. Nonnunquam castiores sunt aures discipulorum, quam linguæ Doctorum. Analogicè huc applicandæ distinctiones circa Papatum, & subditos ejusdem. Et sic absque calumniâ interpretandus modus, quo hæc Ecclesia nostra Ultrajectina aliquos ex Remonstrantico Ultrajectino cœtu (quorum statum & conditionem specialiter exploratum habet, aut habere debet) ad suam communionem admittere parata est: quem modum cum sapientissimis Synodorum Belgicarum, imprimis Hollandicarum, anni 1619. 1627. decretis examussim convenire, ostendere parati sumus; & antehâc satis ostensum est in *disp. de Libertate prophetandi, & de Tolerantiâ. Probl.* III. An dissentientium Sectarum, sive extra, sive in Christianiſmo, singuli errores Theologici possint dici hæreses? *Resp. Neg.* Multi enim in se & ex se non sunt hæreses, quamvis ab hæreticâ sectâ teneantur. Alii excedunt; nec debent, simpliciter dici hæresis, sed potius infidelitas, aut apostasia, aut blasphemia, aut Atheiſmus, seu Epicureiſmus, aut Phanatiſmus, Enthusiaſmus, furor. Uti constat perlustranti syllabum omnium errorum, antiquorum apud *Epiphanium* & *Augustinum*: & hodiernorum apud Rever. nuper Collegam nostrum, nunc Professorem in Acad. Leidensi *D. Iohannem Hoornbeeck in Summâ Controversiarum.* Sectas Muhammediſtarum hactenus satis obscurè Europeis notas, ubertim nunc in luce posuit *D. Hottingerus in suâ histor. Ecclesiasticâ*, cujus *postremus tomus* ann. 1654. editus imprimis consulendus de Chaniſmo.

3 11. *Paradoxus* error, qui & Scholasticus dici potest, est talis, qui incurrit in veritatem aliquam Theologicam communi, aut saltem communiori sententiâ Scholarum seu Doctorum receptam. Ad intelligentiam hujus descriptionis observa, vocem paradoxi dupliciter sumi, *primo*, pro eo, quod primo intuitu, aut abstractè absque genuinâ ejus explicatione consideratum, apud plures, sive vulgus, sive vulgariter doctos, sive utrosque, admirationem parit; etiam apparet falsum, revera tamen non est. *Secundo*, pro eo quod in se & per se falsum est; & quidem contra sensum aut omnium, aut plerorumque, aut complurium Scholarum & Doctorum. Prioris generis paradoxa *Quintilianus lib.* 9. vocat *inopinata*, & *Cicero lib.* 4.

lib. 4. Acad. quæst. admirabilia. Et in præfat. ad Brutum, videtur ea describere, quod *abhorreant ab usu Forensi, & publico, & discrepent ab opinione vulgi.* Lipsius lib. 3. de Manuduct. ad Philos. Stoicam differt. 2. Non malè definit. *Quæ præter opinionem multorum sunt, & audita novitatem vel admirationem pariunt.* Et sic ferè Alstedius lib. 35. Encyclopæd. sect. 10. *Paradoxa sunt decreta, quæ præter sententiam multorum sunt, & audita admirationem pariunt, &c. Licet autem sint præter opinionem multorum, tamen non sunt præter veritatem.* Hujus generis paradoxa Seneca lib. 2. de Beneficiis cap. 35. suæ Philosophiæ tribuit: *A consuetudine,* inquit, *quædam, quæ dicimus, abhorrent: deinde aliâ viâ, ad consuetudinem redeunt. Negamus injuriam accipere sapientem: & tamen qui illum pugno percusserit; injuriæ damnabitur. Insanire omnes stultos dicimus: nec tamen omnes curamus helleboro.* Talia in Scripturis non pauca occurrunt: Ex Euangelistis collegit ea *Cornel. à Lapide in Prolegom. ad Commentar. in Euangelistas.* Ex Epistolis addi possent 2. *Corinth.* 6. *vers.* 9. 10. & 12. *vers.* 10. &c. In libris Vet. Testam. sunt, Eccles. 1. *Nihil esse novi sub sole,* & cap. 7. *Ne sis justus nimis, &c.* Et ibid. *Mulierem non inveni, &c. Alstedius in Triumpho biblico cap.* 42. titulum inseruit *Paradoxologiæ sacræ.* Alibi *in suâ Encyclopædiâ* ait, sexcenta ejusmodi in Scripturâ exstare. Et in antiquis Ecclesiæ Doctoribus inveniuntur paradoxa; quale est illud vulgatum Gregorii Magni: *O felix culpa, quæ talem meruit Redemtorem:* Et illud Augustini de Peccatorum meritis, cap. 10. *Omnes homines fuerunt ille unus homo.* Quod explicat *A Lapide ad Rom.* 5. Etiam in Scriptis & Apothegmatis Lutheri, ut *Omnis fidelis minister est vir contentionum, Et, qui vult sapere in Christo, debet stultescere in Aristotele, &c. Matth. Cotterius tract.* Gallicum *de Novitate Papismi,* inscripsit *Paradoxe.* Legi alicubi citatum librum *Franciscì Lamberti,* tit. *Paradoxa ad S. Hessorum Synodum.* Et *Cœlii Sec. Curionis,* tit. *Paradoxa Christiana.* Et, libr. Anglic. Mr. *Venings,* tit. *Orthodox paradoxes,* Londini sumtibus Joh. Rothwel. Sed nullum ex illis tribus hactenus videre licuit. Extant *Paradoxa* fanatici *Sebastiani Franck* 280. pleraque ex Scripturâ & Theologis, aliqua ex profanis Scriptoribus Latinè proposita, & Commentario Germanico explicata. In quibus multa bene dicta haberentur, nisi ea ad suum Libertinismum inflecteret. Huc refer multa Apothegmata & vulgarium linguarum Adagia, ut & Latinorum, Hebræorum, Arabum, Græcorum: quale ex. grat. est illud, εἷς ἐστι δεσπότης ὁ δεσπότης. Hæc facile erit observare percurrentibus per otium collectanea adagiorum. Cum hâc paradoxi significatione cognationem habet acceptio apud Plinium libr. 9. epist. 26. ubi de Funambulis sic loquitur: *Sunt enim maximè mirabilia, quæ maximè insperata, maximè periculosa, utque*

Græci magis exprimunt, παράδοξα, quæ grandi subjecta discrimini. De victoribus antiquorum certaminum vocem paradoxi usurpatam, & hinc apud *Plutarchum in comparatione Cimonis & Luculli*, fol. 952. edit. Stephani, legendum παραδοξωτικας, observat *Petrus Faber lib. 3. Agonist. cap. 21.* Ante ipsum *Rhodiginus lib. 3. antiqu. lect. c. 16.* paulò strictius ex Galeni therapeut. 10. accipit. *Paradoxopœos nominari omnes, qui miranda extraque communem animi conceptum faciunt, moliunturque. Nam qui dicunt, ab eodem paradoxologi dicuntur.* Hæc eadem Græci appellare solent θαύμαστα & ἀπροσδόκητα, eo quod sint opinione & exspectatione majora: & Autores aut saltem promissores eorum θαυματοῦργοι. Nonnemo videtur aliam acceptionem voci *paradoxi* tribuere, ut idem sit, quod probabile aut verisimile. Sed non memini apud bonos Autores, aut hodiè in Scholis hanc usitatam esse: non est ergo necesse terminos, eorumque acceptiones otiosè multiplicando, majorem confusionem & difficultatem introducere. *Probl.* An si quis paradoxum unum atque alterum prioris generis, quale à nobis nunc descriptum est, in disp. Academicis datâ occasione & exercitii causa proponat, absurdum, aut planè insolens, aut nefas aliquid committat? *Resp. Neg.* Et non nisi Momus, & malevolus sycophanta orthodoxis Theologis, si qui tale quid semel fecissent, propterea titulo *Paradoxi* insultaret. Pejus faciunt illi, qui exemplo Jesuitæ *Campiani rat. 8.* Theologis Orthodoxis per calumniam paradoxa posterioris generis impingunt.

4 *Paradoxum* posterioris generis dici potest *assertio erronea præter communem Scholarum, aut communiorem hodiernorum Doctorum, aut saltem præstantiorum & accuratè Theologizantium opinionem.* Duo ergo ad constitutionem hujus paradoxi requiruntur: *Primo*, ut sit error: *Secundo*, ut sit insolens, seu non ita frequentatus in Scholis, præsertim istius professionis; hoc est, præter aut contra opinionem communem Scholarum, aut saltem præstantiorum Doctorum. Admittit autem hoc paradoxum gradus, tum ratione erroris seu quà error; tum ratione insolentiæ aut novitatis in Scholis, seu quà insolens & novus. *Ratione prioris* magis paradoxum est, si thesin quam alicujus loci communis minus principalem oppugnet; quam si hypothesin thesios, sive principalis, sive minus principalis: Et si hypothesin thesios minus principalis; quàm si receptum aliquod argumentum pro thesi aut hypothesi rectè concludens, aut quàm si solidam solutionem objectionis adversariorum. *Ratione posterioris* magis paradoxum est, quod præter & contra communem aut communiorem opinionem Scholarum, & Doctorum nostrorum; quàm illud, quod præter opinionem plerorumque, aut plurium Doctorum. Rursus, magis insolens, quod

contra

contra communem sententiam Scholarum, etiam Lutheranarum & Pontificiarum. Denique, magis insolens, quod etiam contra decreta & praxin Ecclesiarum & Synodorum; quàm illud quod decretis, aut communi praxi Ecclesiasticæ, aut utrisque præjudicatum non est. Exempla Paradoxorum aliquot indicamus nunc ista, quorum τὸ magis, minus, maximum facile quis discernet. Sunt autem ista: De animâ humanâ immediatè à Deo non creata; sed aut per traducem, aut per propaginem instar candelæ per candelam accensæ productâ. De eâdem incorruptili seu immortali tantum, quia Deus eam conservat, aut in æternum conservare potest; non verò intrinsecè, in se, & per naturam suam. De honestate hodierni fœnoris trapezitici. De honesto usu redituum olim ad cultum Dei, aut ad usum Ecclesiarum & pauperum, aut ad convertendos Gentiles donatorum, idque sub abusivo titulo Clericorum Hierarchiæ Papalis; hoc est de fruitione beneficii Ecclesiastici, absque ullo officio Ecclesiastico, sive secundum Reformatam, sive secundum Papisticam religionem ac conscientiam. Jus Patronatus circa vocationes Ministrorum, esse legitimum; nec repugnare doctrinę reformatæ. Deum non posse aut potuisse creare plures mundos. Mundum esse infinitum: Opliatriam esse legitimum curandi modum. Solem quiescere, terram moveri; nec hoc repugnare Scripturæ, &c. Quæ antehâc de mundo in lunâ nonnemo ruspavit (seriò an joco, hic non quæro), & nuper Anonymus quis de hominibus Ant-Adamicis, non tam ad paradoxa aut errores Scholasticos, quam fanatica Thalmudis & Alcorani deliria, meritò referenda ducimus. Problemata nobis sunto. I. *Probl.* An opinio de justitiâ Christi activâ nobis non imputata, sit paradoxum seu purus error Scholasticus? *Resp.* Si Belgium nostrum & Galliam respicias. *Neg.* Illic enim *Confessione nostrâ artic.* 22. & perpetuâ praxi Ecclesiarum in examine & admissione Proponentium ac Ministrorum, nec non communi doctrinâ Scholarum; hic vero decreto Synodi Nationalis (Vappinicanę, ni fallor) præjudicata est. II. *Probl.* An sententia de objecto prædestinationis supra lapsum, ejusque conciliatio cum sententiâ infra lapsum, sit παράδοξον, & ad errores Scholasticos referenda? *Resp. Neg.* Longè aliud ex doctrinâ Scholarum & Doctorum Belgii ante, & post Synodum Dordracenam constare potest; uti jam ab aliis hoc satis ostensum est. Ne quid dicam de præstantissimis Doctoribus Gallis, Anglis, Germanis, &c. alibi cit., *Calvino, Beza, Zanchio, Martyre, Tossano, VVittakero, Perkinso, Tvvisso, Piscatore, Ferrio, &c.* III. *Probl.* An paradoxæ sint negationes, visionis Dei per essentiam, authentici Keri seu lectionis Masoreticæ, Episcopatus modificati, perdendæ navis cum vectoribus per proprium incendium pulveris nitrati? *Resp.*

Resp. Neg. quin ajo, oppositas affirmationes esse paradoxas. Sed hæc aliaque istius farinæ dicta paradoxa suis quæque locis abundè expicuimus. IV. *Problem.* An sit paradoxum, de animâ humanâ, quod sit cogitatio, & per cogitationem constituatur. *Resp.* Siquidem verba debeant valere usu, & cogitatio ad actionem transeuntem referatur (uti debet), utique longè aliud est, quàm paradoxum, aut error Scholasticus. Quomodo immortalis & spiritualis substantia, post mortem separabilis, & suâ subsistentiâ subsistens, agens, beatè vivens, aut miserrimè afflicta, hâc ratione defendi possit, doceant nos viri παναπτήμονες, ubi visum fuerit. Nam substitutio *substantiæ cogitantis*, in locum *cogitationis* candori & veracitati, & identificatio actionis transeuntis cum substantiâ omni sanę Philosophiæ, ut & orthodoxæ Theologiæ repugnat. De quo alibi ex professo agendum.

5 Hactenus de errore Ecclesiastico seu πῶ heterodoxo, & de Scholastico seu πῶ paradoxo: sequitur nunc *popularis* seu *vulgaris*, quem sic describimus, quod sit error, qui *nec professione Ecclesiarum, nec dictatis Scholarum aut Doctorum, sed falsâ persuasione aut traditione vulgi illiterati, aut multorum ex vulgo, aut aliquorum vanâ credulitate tenetur.* Distingui potest in purum popularem, & in mixtum. Hunc vocamus, qui vulgo præeunte etiam aliquos ex Doctoribus, aut Ecclesiarum Ministris, in assensum, aut neutralitatem, aut conniventiam trahit. Et hoc in vacuis observationibus, & variis ritibus evenisse in antiquâ Ecclesiâ, & sic paulatim propagatum atque auctum, donec forma errorum Papalium inde produceretur; ostensum est à nostris, cum agunt de origine errorum. Sunt autem errores ejusmodi sparsi per omnes disciplinas: qui in Theologiâ, & in disciplinis proximè ancillantibus, à Theologiæ Studiosis diligenter annotandi sunt, ubi ex lectione Autorum aut ex propriâ observatione eos deprehenderint. Inservient huic instituto libri septem errorum popularium, titul. *Pseudodoxiæ Epidemicæ* Anglicè editorum à *Thomâ Brovvne* Doctore Medico anno 1646. ubi maximam partem refutat errores circa Physicam, & Historiam naturalem: additis etiam erroribus in Geographiâ, Historiâ, & picturis, ritibus, observationibus. Errores populares in Medicinâ seorsim exhibere cœperat *Laurentius Ioubertus* duabus partibus Gallicè: qui sex partes sigillatim quinque libris constantes colligere destinârat: sed morte præventus non absolvit, quod intenderat. Tertiam partem quinque libris constantem eodem idiomate supplevit anno 1626. *Cuspa-rus Bachot* itidem Consiliarius & Medicus Regius: ubi *lib.* 1. de complexione & consuetudine. *lib.* 2. de aëre & de vestibus, *lib.* 3. de fame & siti. *lib.* 4. de sumtione cibi. *lib.* 5. de digestione. An reliquæ partes ex

voto

voto Jouberti ab eodem aut alio quo editæ sint, hactenus ignoro. Scripserunt Latinè *de Erroribus popularibus in Medicinâ. Primerosius*, & *Gul. Stratenus*; quorum posterior antehâc conjunctiss. Collega in Academiâ hâc nostrâ *disputationes* quasdam de iis proposuit. Nos errores in Theologiâ, Pneumaticâ, & quibusdam proximè affinibus, præmissis generalibus eorum causis, sequenti parte breviter indicabimus.

DE ERRORE ET HÆRESI.
PARS TERTIA.

Resp. ISAACO BISCOP, Flissing-Zeland. *Die* 14. *Iulii*, 1655.

Distinximus præced. parte errorem Theologicum in Ecclesiasticum seu heterodoxum, Scholasticum seu paradoxum, & popularem. De postremo, & de nonnullis quæ analogicè huc pertinent, restabat agendum. Quod ad errorem popularem. 1. *Notabimus ejus causas.* 11. *Aliquot exempla.*

ERror popularis in Theologiâ oritur ex infirmitate & 1
pravâ animi humani dispositione: ex defectu artis: ex defectu studii & examinis: ex aliorum deceptione: ex nimiâ credulitate, & dependentiâ ab aliorum autoritate. 1. *Prima* causa est defectus spiritualis judicii, & affectuum perturbatio atque ἀπαξία. Per illud fit, ut verum à falso discernere nequeant: per istud, ut nolint. 2. *Est*, defectus artis & exercitationis, in dijudicatione, & deprehensione tum fabularum, tum sophismatum. Ars enim certior dux est, quam natura. 3. *Est*, defectus studii & laboris, quem subire debetur in accuratâ rei investigatione; ne temere falsum pro vero, incertum pro certo amplectantur. 4. *Est*, deceptorum & deceptionum frequentia, & seductilitas. Fiunt autem deceptiones, per fictiones fabularum, relationes non factorum, ac si facta essent & scriptiones mendacium historiarum, traditiones majorum, complicationes & intorsiones sophismatum, amplificationes & rhetoricationes extravagantes, & dolosas quascunque χρηστολογίας (*Rom.* 16. *vers.* 18.); præsertim etiam per sparsionem famosorum libellorum, sine aut cum nomine autoris. 5. *Est* nimia credulitas, seu facilitas & temeritas nihil non credendi, propter autoritatem dicentium, si sapientes sint, aut boni, aut amici ac benevoli, aut potestate & dignitate aliquâ ornati, aut bene de Republicâ & Ecclesiâ meriti, aut ante nos vixerint, & aliquâ antiquitatis canicie venerandi videantur. *Quæritur*, An

homo si velit, in hâc vitâ immunis esse possit ab omni errore. Vel, An fons omnium errorum, originalis scil. in mente & voluntate nostrâ defectus & ἀδυναμία, per certa inventa principia planè tolli, aut saltem ita obturari queat, ut homo nunquam amplius erret. *Resp.* 1. Non magis in hâc vitâ ab omni errore immunis esse potest, quam ab omni peccato & miseriâ. Excipe Doctores θεοπνεύστους, Prophetas scil. & Apostolos: quibus extraordinarium infallibilitatis charisma à Deo collatum. 2. Nec per vires intellectus & voluntatis quibuscunque inventis principiis adjutas fons ille errorum planè tolli aut ita obturari potest, ut quis non amplius erret, aut sit infallibilis, si modo velit, sive in spiritualibus, sive in naturalibus. Ratio est, quia à corruptionis originalis reliquiis, nemo in totum liberatur, nisi in morte. Atqui proclivitas ad errorem, & ἀδυναμία ad cognoscendam veritatem, est pars corruptionis originalis, cui omnes homines ab origine obnoxii sunt. Est enim imago Dei menti ac voluntati primum increata, quod ad supernaturalem cognitionem perdita, quod ad naturalem & civilem læsa. De quo *Rom.* 1. *vers.* 21. 22. Et antiquorum ac nostrorum communis consensus contra hæreses Pelagianas. Vide *locorum communium Scriptores*, & *Elencticos de peccato originali, & statu peccati, de Libero arbitrio, de Regeneratione*; & *Gerardum Vossium in Histor. Pelagian.*, & *Iansenium in Augustino.* Jam verò defectum hunc in homine naturali per quæcunque prætensa principia, ne quidem in cognitione & tractatione rerum naturalium & civilium, planè sanari posse; inde constat, quod in homine regenito per gratiam specialem Spiritus Sancti, nec in naturalium, nec in spiritualium cognitione perfectè sanetur: de quo vide *loc. communes*, & *elencticos*, ubi *de Sanctificationis & bonorum operum Imperfectione.* Quomodo & quousque hic excipiendi sint Scriptores θεόπνευστοι, ex professo explicamus in *Disp. Quousque se extendat Scriptura autoritas.*

2. Particulares vulgi, aut multorum ex vulgo errores in Theologiâ speciminis causa nunc indico ex multis pauculos sequentes. Deus concipitur à non paucis, quod sit instar hominis, & faciem ac figuram humanam habeat: nec mirum, cum antiqui Anthropomorphitæ tale quid docuerint, & Papatus huic erroneo conceptui non parum obstetricetur picturis suis; inter quas imprimis abominandæ imagines Trinitatis, quarum aliquas in faciem ipsis exprobrant *Andreas Dudithius* quondam Episcopus Quinqueclesiensis, & Delegatus ad Concilium Tridentinum, sed tunc factus Anti-trinitarius, in *Epistolâ ad Lasicium*; & *Ministri Transylvani* (Anti-trinitarii scil.), in horribili *libro de Doctrinâ Christi & Antichristi*: ubi exempla istarum imaginum exhibent. Putant etiam nonnulli Deum mutari,

mutari, & flecti, affectibus variis subjacere: nec id tam mirum, cum & Doctores ab his aut similibus absurdis planè immunes non sint. Vide *Crellium in tract. de Deo*, quem præmisit *Volckelii Institutionibus*, imprimis & *Vorstium in libro de Deo*, cum *Apologiis pro eodem libro* editis.

In parte Theologiæ, quę agit de Spiritibus, hi stupidorum quorundam 3
errores sunt: Animam humanam esse halitum & quidem ultimum quem moriens exore efflat. Animas infantium, seu infantes morientes fieri angelos in Cœlo. Meteora illa, quæ ignes fatuos vocamus, esse vagantes animas infantum non baptizatorum. *Barthol. Sibylla in Speculo peregrin. quæst. cap.* 3. *Decadis* 1. *qu.* 3. *pag.* 218. vocat hanc opinionem de vagatione usque ad extremum judicium ridiculosam, & dicit esse quarundam magarum muliercularum. Sed fuit error vulgaris plebis Papalis, quæ ad conspectum ignium istorum non minus quam ad aliorum dictorum Spirituum horrere solet. Diabolum post Christi adventum non habere potestatem Spectris, aliisque maleficiis homines infestandi. Animas separatas esse quasi corporeas, & figuratas. Cum quo convenit nugatio *Cæsarii Abbatis Heisterbachensis*, qui *in rhapsodiâ suâ miraculorum* animabus diversas figuras, triangulares, circulares, &c. attribuit; quod memini etiam à *Martino Delrio in Disquis. Magic.* in illo notari. Diabolum nihil posse adversus fideles. Nedum ut corpora fidelium attollere, aut de loco in locum transferre valeat. Nec posse apparere in formâ fidelis alicujus defuncti: nedum ut cadaver ejus induere & in eo alicubi apparere possit. Nec posse in integrâ formâ hominis ita apparere; ut non semper aut oculus dexter, aut aliud membrum desit; aut bestiarum cauda, aut ungula, aut ungue, aut cornu se non prodat. Nec posse apparere specie agni aut columbæ: quod scil. Christus sit agnus Dei, & Spiritus Sanct. in specie columbæ apparuerit. Non posse apparere in albis. Non posse ferre maledicta & verba exprobrantia, e.gr. Tu es cocus in inferno: nec ignominiam ut in obsesso virgis cædatur, aut fumo admoveatur, &c. Sed hæc, aliaque his similia ad errores Doctorum, immo & totius Ecclesiæ Romanæ referenda sunt: uti indicavi in *dispp. de Dæmonibus*, & *de Exorcismo*. De Lucifero pulcherrimo angelo, qui per lapsum in pessimum & teterrimum diabolum evaserit. Sed hæc fabula, ut & aliæ de Asmodæo, de Choris Angelorum, &c, est mixti generis: quippe à Theologis in Papatu plebi inculcata. Vide *disp. de Angelis tutelaribus*. Et confer *commentat. Pontificios* in *Iobi cap.* 40. . Et *Iesa.* 14. De albis dominabus, seu Feis, Fatis, Sibyllis, Germ. Alben/ Alwinnen/ Wittevrouwen. (Confer *disp. de Spectris*), item de lamiis infantes auferentibus, aut sanguinem eorum exsugentibus, & puerperas infestantibus, & de matre dæmonum (quæ fabu-

lantibus Rabbinis *Lilath* dicitur, de quâ vide *Buxdorfii Synagog.* & *Lexicon Rabbinicum*). Ex lacunis Judaico-Ethnicis orta est, & etiamnum hæret apud nostrates antiqua Belgarum phrasis, de Duyvel ende sijn moeder. Adde de morbo Ephialte, quem Spiritum quem aut dæmonem credidérunt. Confer *Medicos de Ephialte.* De hominibus seu virunculis nocturnis domesticas operas absolventibus; à quibus creditum domibus, quas illi nocte frequentare solent, prospera omnia adferri aut denuntiari. Confer *disp. de Spectris, §. 3. & 7.* De magicis incantationibus & philtris, quibus animi hominum quamvis maximè aversi flectantur in alicujus amorem. De intelligentiis seu spiritibus neutris, qui nec angeli sint nec cacodæmones; ut & de animabus hominum apparentibus aut vagantibus. Sed hic etiam fuit error eruditorum. Pneumatologicos hosce, aliosque complures errores antehac attigimus in *dispp. de Angelis, de Dæmonibus, de Spectris, de Magiâ, de Creatione.*

4 Ad tract. de Creatione mundi & hominis, hos pauculos tantum notamus, aliis φυσικωτέροις ad Scriptores Physicos amandatis. Sunt autem, de unicornu, de pellicano, de phœnice, de basiliſco: quos perstringimus in *disp. de Creatione*; quòd apud Theologos antiquos, & recentiores subinde ii in explicatione doctrinæ Theologicæ adhiberi solent. Adde & homines montanos, undenos, pigmæos; ex Diabolo natos, qualis Merlinus; & maledictos, qualis Melusine in serpentem mutata, cujus *utriusque historiam* Belgicè prostare memini. Nec prætereundi virunculi illi, quos subpatibulis ex suspensorum urinâ nasci fabulantur. De quibus *Mathiolus ad Dioscor. cap.* 78. ubi de mandragora. De odore Judæorum, qui baptismo exuitur, dixi in *disp. de Iudaismo.* Memini etiam me puerum aliquoties popularem illum errorem seu fabulam audivisse, Judęorum infantes nasci cum sanguine replente manum dextram: eò quod Judæi clamaverint, *sanguis ejus sit super nos & liberos nostros.* In *disp. de Gentilismo* retuli errorem popularem de Cingarorum impositâ vagatione pœnitentiali. In *disp. de Abusu sortis*, errorem de sanguine ex cadavere occisi ad indicium homicidæ erumpente. Sed hic error vulgo cum eruditis communis. In *dispp. de Creatione*, de costis pluribus in Fœminâ, quam in Viro. Adde hic de mola, Belg. Suyger/ quæ vivere, & sentire putatur. De bombycibus mortuis, & revivisćentibus, de cygneo cantu, de viperis per pertusum matris ventrem nascentibus, de Chamæleonte vivente ex solo aëre, de Salamandra in igne vivente, de urso informes fœtus producente, quamvis ad Physicos propriè pertineant, hic tamen in transitu indico: quod in explicatione rerum Theologicarum per similia, aliquando eorum mentio facta sit. Illos ergo, & reliquos adversus Physicam legat, cui visum est, apud *Thomam Brovvne lib.* 3. Et adde quæ habet in erroribus de picturis,

in

in ritibus, &c. toto *lib.* 5. Plures de picturis observabis in *Molani tract. de Picturis sacris:* ubi tamen pleroſque excuſare conatur. Inter noſtrates olim iſtæ opiniones obtinebant, de flore ſeu roſâ Jericho, quæ nocte dicti natalis Chriſti aperitur: de quo *Thom. Brovvne lib. 2. cap. 5.* Verum hic error non eſt purè popularis, ſed mixtus; quia eum fovent Doctores Papatus, præeuntibus Hiſtoricis *Bartholomæo à Saligniaco tom. 9. cap. 6.* & Adrichomio in Theatro terræ ſanctæ, in deſcriptione tribus Benjamin, num. 63. *Prope hunc fontem (Elizæi ſcil.) arbores creſcunt inſtar prunorum, ſpinoſæ tamen, in quibus flores naſcuntur, quos roſas Hierichuntinas vulgus appellat, mirandi effectus. Nocte enim natalitiâ noſtri Salvatoris paulatim hiant, atque inde ſe recludunt, licet ſiccæ ſint & aridæ, in teſtimonium virginei partus, ut credere licet. Salig. tom. 9. cap. 6.* Fuit hic Barthol. à Saligniaco ab Adrichomio citatus Profeſſor utriuſque juris, qui iter ſuum in Paleſtinam expedivit & deſcripſit anno 1522. Auream hanc legendam de roſâ Jericho recitat *Cornel. à Lapide in Commentar. ad Syracidæ 24. verſ.* 18. & amplificat ſimili roſæ Chinenſis, quam à Chinâ tranſlatam Romæ menſe Decembri ſub natalem Domini roſas proferentem viderunt primum candidas: mox rubeas & purpureas. Citat *ibidem* de roſâ Chinenſi orationem Jeſuitæ *Ioh. Baptiſtæ Ferrarii*, & de roſâ Hierichuntinâ librum *Iohannis Sturnii* Medici Lovanienſis. De apibus nocte natalis Chriſti bombos edentibus: de quo *Gerhardus Iohannes Voſſius lib. 4. de Idololatriâ cap.* 71. Memini me puerum ex hominibus plebeis & ruſticis audiviſſe, boves mediâ nocte dicti natalis Chriſti ſurgere. Errores de foſſilibus & vegetabilibus, proſequitur *Thomas Brovvne libr. 3. de Geographicis, lib. 6.*

Errores circa partem Theologiæ, quæ agit de redemtione & ſanctificatione, ſunt iſti: Sacramentorum externam adminiſtrationem, & formulas ac lectiones huc pertinentes, producere ſpirituale ac ſalutare quid. Antichriſtum fore monſtrum, non hominem, aut ſaltem hominem admodum monſtroſum. Vide *præfat. Pleſſai ad myſter. iniquit.* Hinc eſt, quod majores noſtri puerulos ſuos territare ſolent larva Antichriſti. Leproſos debere mendicatum panem edere. Carnifices & lictores eſſe malos. Facinoroſum capitis damnatum, eſſe veniâ donandum die Veneris ante Paſcha. Gravidæ fœminæ tribuendum duplex teſtimonium quippe pro duobus juranti. Facinoroſum capitis ſupplicio afficiendum, dimittendum eſſe, ſiquidem in conjugem poſtuletur ab aliquâ virgine. Facinoroſis extremo ſupplicio afficiendis quaſcunque petunt ciborum delitias, imprimis vinum largè afferendum eſſe: quod colligi putant, ex *Proverb. 31. verſ.* 7. uti etiam notat *Lavaterus ad locum.* Fuit olim hæc interpretatio & ſententia Rabbinorum, uti colligitur ex praxi *Marci* 15. 5

vers. 23. Ubi vide *notas Bezæ*. Et huc quidam trahunt *Amos* 2. *vers.* 8. sed nimis violenter. Vide ibi *A Lapide*, & in *Proverb.* 31. 7. Voces, *verè, certò*, in familiari sermone adhibitas, facere formulam juramenti temerarii. Antehâc in Belgio admodum frequentatas missiones sortium, vulgo Loterpen/ esse licitas, immo admodum laudabiles, ad publicas pauperum domos instaurandas & locupletandas. Totam aut saltem principalem praxin publici jejunii, seu indictæ supplicationis consistere in auditione unius aut duarum concionum. Principalem praxin Sabbathi hebdomadalis consistere in abstinentiâ à crasso & servili opere, & in auditione sacri, præsertim matutini. Hic error in Papatu est Doctorum, immo & Ecclesiasticus. Vide *Casuistas*, & inter eos *Toletum*. Confer *disp. nostram de Sabbatho*. Orationem dominicam, & quidem satis præcipitanter pronuntiatam, quasi ex opere operato, habere peculiarem quam efficaciam; & stare quasi pro aliquâ causâ propter quam & per quam Deus nos exaudiat. Hic error adhærere videtur, ex antiquâ superstitione rosarii in Papatu. De quo vide *disp. nostram*. Pestem cuivis esse fugiendam, juxta Medicorum præscriptum: *cito, longè, tardè*: idque ex textu Scripturæ, quem toties allegatum audivimus: *vitanda loca illa, ubi plagæ cadunt*. Nusquam tamen hoc dictum de peste in Scripturis prolatum invenire potuimus. Confer *Diatriben nostram de Peste*. Formulam illam confessionis, quam symbolum vocamus, esse formulam precationis. Hic error ex Papatu adhæret. Abstineri satis prudenter ac cautè à profanatione nominis divini, quando formulam temerarii juramenti paululum detorquemus: e. gr. nostrate linguâ: by go/ be gommen/ be gut/ by mijn solen/ &c. Publica vectigalia & telonia defraudari posse sine peccato, modo fiat sine damno. Officiosa, aut necessaria (uti vocant) mendacia, esse licita. Huc etiam refer adagia vulgaria: Een gedwongen Eedt is Godt leedt: Et, Quisque pro se ipso, Deus pro omnibus, &c. Plures errores contra quælibet Theologiæ capita, suppeditabit lectio concionum, & aliorum tractatuum Practicorum, ut & cujusque attenta, in quâlibet gente, regione, civitate, vico, observatio.

6 Errores populares in Historiâ sunt, vel in sacrâ Vet. & N. Testam., vel in Ecclesiasticâ: priores tamen ab eruditis originem trahunt, ex perperam explicatis Scripturę textibus. *Illius* exempla sunt, esse aquas super cœlestes; fructum prohibitum *Genes.* 3. fuisse malum; Principem angelorum fuisse dictum Luciferum; Non fuisse iridem ante diluvium; Mosen fuisse cornutum; Nebucadnezarem fuisse intellectu privatum, & hinc probari lycanthropiam; Johannem Euangelistam non esse mortuum; Aliquos, qui Christum viderunt in carne non esse mortuos, & hinc

fabulæ

fabula de perpetuâ vagatione Judæi, dicti Assueri: de quo in *disp. de Iudaismo*; ubi autoribus citatis adde *Rod. Boterei histor. lib.* 11. *ad annum* 1604. *pag.* 385. qui tanquam fabulam refert. Paulum proficiscentem *Actor.* 9. equo vectum, & inde dejectum. Alias infinitas fabulas historiæ sacræ assutas, aut passim per malam textus sive translationem, sive interpretationem intrusas volens nunc prætereo, ut ex. gr. de tribus Regibus, de Longino, de Jacobi adventu in Hispaniam, de Vestigiis ascensionis Christi, &c. Inspici possunt *Comment. Cornel. à Lapide*, qui aliquos ex iis adoptat. *Isti* quamplurimi legendis sanctorum, aliisque istius furfuris historicis continentur, quin & aliqui à recentioribus, ut *Baronio Annalista* ex professo defenduntur. Nos iis nunc ad quæstiones & problemata circa historiam Ecclesiasticam rejectis, hæc paucula specimina notamus: De Muhammedi loculo pensili: De *Melusinâ*, ejusque ortu, & Metamorphosi (vide *Historiam peculiarem* seu fabulam nostro idiomate editam; meminit ejusdem *Delrio lib. Disquisit.*) De Merlino Propheta Anglo, ejusque ortu, (vide *disp. de Prophetiâ*); de puellâ Aurelianensi (vide *disp. de Miraculis*); de Cingaris (vide *disp. de Gentilismo*); de fœminâ marinâ capta in Noort-Hollandiâ, & de 365. infantibus uno partu editis, deque puellulâ & aliâ quâdam fœminâ, quæ absque coitu conceperint, & de conceptu ex dæmone absque coitu; quas omnes fabulas non pauci eruditi admiserunt, quod thesi ipsorum inservirent; nos omnes illas explosimus in *disp. de Creatione*, & *de Damonibus*. Adde de quatuor Aimoini filiis uno equo dicto Bayard / vectis; quæ fabula tam placuit Papatui, ut ibi partem fecerit in processionibus. Adde & alias Historias partim fabulosas, partim dubiæ fidei in *libris miraculorum & exemplorum*, *Catechismum historialem* Jesuitæ *Drauroultii*, *in legendas & vitas Sanctorum* compactas. Non paucas etiam reperies in *Cornmanni libris de Miraculis mortuorum*, & *de Miraculis vivorum*. Subjicimus nunc unum atque alterum Problema. 1. *Probl.* An omnes errores primum orti sint ab eruditis? *Resp.* De erroribus magis subtilibus & artificiosis facile concedo. Sed crassos & magis materiales, ut & historicos, qui in externis ceremoniis Religionis, in fabulosis narrationibus, in putatitiis apparitionibus & visionibus consistunt, imperitæ plebi, & pavidis agrestibus, & stolidis mulierculis (2. *Timoth.* 3.) maximam partem tribuendos puto: hinc etiam phrasis adagialis Apostoli, 1. *Tim.* 4. *vers.* 7. usurpata, γραώδεις μύθοι. Nec dubitandum quin eruditi ab imperitis ejusmodi sæpe decepti sint, aut decipi voluerint; ex. gr. hæresiarchæ antiqui ab Helenâ, Philumenâ, Prisillâ, Maximinâ, &c. & Doctores Papales à Brigittâ Hildegarde, Mechtilde, Elizabethâ Schonaugensi, Catharinâ Senensi, Matre Tiresiâ, & supra omnes ab asinino ac stupidissimo idiotâ

idiota Franciſco Aſſiſio. Extra Papatum ſunt teterrima monſtra hæreſium aut potius furorum, ab illiterato Muhammede, Davide Georgio, Henrico Nicolao, Jacobo Boëmen orbi propinata. 11. *Problem.* An tempore Vet. Teſtam. jam inde à Moſe uſque ad Salomonem & deinceps inter Iſraëlitas errores populares contra rei veritatem obtinuerint de rebus Phyſicis, Aſtronomicis, Geometricis, Architectonicis; ſpeciatim de Syſtemate mundi, de motu ſolis & terræ quiete? *Reſp.* Ita quidem dictant novi aliqui Pythagorici, qui velint (ſi mundus faveret) pro viris ἀλφηστῆς haberi. Ratio autem hæc unica, fundamentalis, & univerſalis omnium γνώσεων ipſis eſt, quia clarè & dilucidè ita concipere & explicare poſſunt. Et hâc demonſtratione concluſum ipſis videtur contra omnes totius orbis Philoſophos. Ἄνθρ ſcil. ὁ δεῖνα, ὁ πάνυ, ὁ μέγας, ὁ θαυμάσιος (Carteſius ſcil. aut quis καρτεσιομανής) ἔφα. Hæc methodus philoſophandi ſi non certiſſima, ſaltem facillima. Nos 1. *Poſtulatum* hoc ab ipſis, ſive ex ſacris literis, ſive ex ullâ hiſtoriâ probari velimus. 2. *Quomodo* fiet veriſimile Iſraëlitas Ægyptiis, Syris, Tyriis, Sidoniis, Babyloniis, tam vicinos, minus potuiſſe capere dictatum illud de motu terræ (ſiquidem verum eſſet), quàm ruſticos & nautas Boruſſos, Hollandos, Zelandos, alioſque, qui, ſi comparentur cum Orientalibus, dici poſſent, Vervecum in Patriâ craſſoque ſub aëre nati? Adde ingeniis illis Orientalibus, ad has ſcientias ſupra alios factis ſequentia auxilia adfuiſſe, ſtudia iſtarum illic maximè florentia (præſertim tempore Salomonis); Sacerdotum ac Scribarum, & Sapientum eruditionem & inſtitutionem; Prophetarum προφητῶν extraordinariam aſſiſtentiam; ad quam proclive ipſis erat confugere, & ex ore eorum veritatem hanc intelligere. 3. *Dato*, non conceſſo fuiſſe Iſraëlitas per omnia ſæcula ad hunc ſtupidiſſimum errorem damnatos, ita ut Spiritus Sanctus & Doctores eorum debuerint abſtinere ab hâc veritate tradendâ, ne quidem cum occaſio & neceſſitas hoc poſtularet; quæ hinc conſequentia ad directam propoſitionem oppoſitæ falſitatis? Chriſtus quidem dixit Joh. 16. verſ. 12. *Multa habeo, &c. Sed non potestis, &c.* Et Paulus etiam pro tempore quædam ſimul tradere non potuit. 1. *Cor.* 3. *verſ.* 1. 2. *Hebr.* 5. *verſ.* 11. 12. 13. *Philipp.* 3. Nemo tamen unquam veritatis ejus, quam ſilentio tunc præteribat, oppoſitum aſſeruit, ſcripſit, tradidit, aut quaſi eam traderet, & aſſereret, ullo colore præ ſe tulit. Longè verecundius videntur diſputare Pontificii, cum excipiunt pro fiſto ſuo Melchizedeki ſacrificio, autorem epiſtolæ ad Hebræos ejus non meminiſſe, quòd tenella eccleſia nondum ferre poſſet. Sed de Scripturæ autoritate in omnibus contra Socinianos, alioſque iſtius commatis exceptores egimus in *Diſp. de Scripturæ autoritate*, & in *Theſite noſtro*, anno

anno 1635. contra tenebrionis cujusdam protervas Rhetoricationes; ubi specialiter quietem terræ ex Scripturâ vindicavimus, idemque postea defendimus in *Disp. de Creatione, part.* 5. & *in Appendice ad Corollaria*, pag. 880. Post illud tempus exortis alicubi, etiam in ipsâ cathedrâ Theologicâ novis terræ rotatoribus, occurrerunt ex Theologis Leidensibus, *D. Revius*, *D. du Bois*, aliique, qui cum illis manus illic junxerunt: ex Ultrajectinis uterque Collega noster *D. Essenius* & *D. Nethenus*; *Petrus van Maestricht*; *Arnoldus Niepoort*, *Ioh. Beusekom*, *Henric. Troy*, qui tres uno libello disputationes suas, earumque vindicias complexi sunt. 111. *Probl.* An errores populares per totum Decalogum, transeant in errores Ecclesiarum aut Scholarum, hoc est, in heterodoxa aut paradoxa, aut potius in quodlibeta seu problematica, & in utramque partem disputabilia, quotiescunque uni aut forte alteri erudito ejus patrocinium suscipere libuerit. *Resp. Neg.* Quia vix ullus error popularis est, qui tandem Patronum aliquem inventurus non sit; modo eidem aliqui ex magnatibus, aut potentioribus, aut ditioribus, adhærere voluerint. Docent hoc Casuistę Pontifi..ii: nec tam beatæ unquam futuræ sunt Ecclesiæ, ut nullis antecessoribus ejus aptari possit illud Poëtæ: *Quis expedivit psittaco suum χαῖρε*, &c. *Magister artis, ingeniique largitor, Venter*, &c. Expende textus *Philipp.* 3. *vers.* 3. *Roman.* 16. *vers.* 18. Confer quę de laxis Casuistis supra monemus in *Disp. de Theologiâ practicâ*, & passim in *Disp. & Quæstionibus ad Decalogum.*

Restant nunc assertiones seu propositiones erroribus Theologicis affines aut analogę; quæ errantibus & erroribus occasionem præbere, aut speciem ejus referre dicuntur. Et hæ reductivè ad hanc categoriam pertinent, non minus ac entia incompleta, aut imagines entium ad sua. Eas formaliter erroneas hic & nunc appellare si quis non velit, aut non possit, quia deest sufficiens & liquida probatio, appellet eas *temerarias*, aut *suspectas*, aut *periculosas*, aut *scandalosas*, & *causantes turbas*, *aut quæ in rigore defendi possunt.* Tales indigitantur & ab erroneis atque hæreticis distinguuntur in *Bulla Pii V.* condemnante 70. propositiones Mich. Baji Theologi & Cancellarii Lovanienſis: quam vide *in Bullario.* Alibi in censuris & condemnationibus sive Papalibus, sive Episcopalibus, sive Inquisitoriis, sive Academicis appellantur propositiones *malè sonantes.* Nos distinctius omnem propositionem malè sonantem, dicimus consequenter esse & *suspectam*, & *scandalosam*, & *periculosam*, idque vel minus, vel magis, vel maximè: prout magis aut minus malè sonant. Est autem duplex malè sonantia (ita loquar), una negativa, altera positiva. *Illa* est, quando quod dicitur, verè quidem & propriè dicitur, sed tamen non satis benè 8

lonat, & consequenter suspectum est, cum non omne dicitur, quod istâ occasione & oppositè ad adversarios, dici poterat ac debebat. Sic judicatur de multis *explicationibus Remonstrantium & Vorstii*; præsertim de *illorum Catechesi, Confessione, Apologiâ*; & de *illius disput. Apologet. de Personâ Christi, deque variis Apologiis pro libro de Deo* editis. *Ista* est, cum obscuritatibus, ambiguis, acurologiis, kainophoniis, kenophoniis, aliisque insolentibus phrasibus & expressionibus liquida veritas involvitur, & quodammodo violatur, saltem quod ad expressionem & modum proponendi. Aut cum peregrinis & insolentibus hypothesibus aut aliunde admissis, aut temerè excogitatis, non tam defenditur, quam luxatur & adversariis tanto promtius oppugnanda prostituitur: quidquid sit de intentione autorum. Et tales sunt, ex. grat. Dei essentiam esse extensam: Deum esse positivè à seipso; Deum seu intellectum Dei constitui per intellectionem seu cogitationem: Mundum hunc omnia spatia imaginabilia occupare, ita ut plures mundi condi non possint, nec hic mundus augeri. Hæ alieque teratologiæ & κενοφωνίαι, siquidem Autoribus post oppositas rationes auditas, thesin suam visum fuerit ἀλλόφυλαττειν, eamque ad finem tueri, utique ab errore immunes esse non poterunt. Quę enim Scripturæ phrases, quæ publici consensus formulæ, quę præstantissimorum Doctorum scripta, docuerunt eos de naturâ Dei ita ὁμοιοπαθοῦειν & κενοφωνεῖν, ubi vera dicere periculosum est. Videantur *Loci communes & Disp.* tum quorumvis Reformatorum, tum imprimis celebrium in Academiâ Leidensi Doctorum, *Danæi, Franciſci Iunii, utriusque Trelcatii, Gomari, Autorum Synopsios Leidenſis, l' Empereur, Zanchii*, qui postremus ad eandem Academiam vocatus fuit, quamvis in eâ non docuerit.

DE ERRORE ET HÆRESI, *PARS QVARTA.*

Resp. HENRICO REUTERO, Meppelâ-Drentino.
Ad diem 20. Septemb. 1656.

Hactenus actum de Errore in genere: sequitur nunc Error in specie & strictè dictus hæresis. Cujus I. Naturam. II. Varias species. III. Antidota & impedimenta considerabimus. *In primo tmemate occurrunt.* 1. Quid sit. 2. Unde sit. 3. Qualis sit.

VOX *Hæresis* Latinè *secta* occurrit, *Galat. 5. vers. 20. 2. Petr. 2. 1. 1. Corinth. 11. 19.* & conjugatum ejus, *hæreticus*, *Tit. 3. vers. 10.* Nomen illud etiam impositum, sed immeritò, Christi-

Christianæ religioni, *Actor.* 24. 5. & 28. 22. coll. cum *Actor.* 24. *vers.* 14. Quomodo olim eadem Gentilibus & Juliano apostatæ, dicta fuit ἀθεότης, & Christiani dicti ἄθεοι. Et fortè hinc *Syrus Interpres*, *Actor.* 24. *vers.* 5. explicat voce generali יולפנא *joulphono*, id est, doctrina; qui *Galat.* 5. 20. adhibet vocem *scismatis*, & 1. *Corinth.* 11. *contentionis*. Sed 2. *Petr.* 2. 1. retinet vocem Græcam ארסם *erseis*, id est, αἱρέσεις; & sic *Tit.* 3. *vers.* 10. גברא הרסיותא *gabro hersiouto*, id est, vir hæreticus Græcam hanc vocem retinent. *Rabbinis* hæresis dicitur כפירה *kephira*, & hæreticus כופר *copher*, id est, negans scil. Deum aut fidem: idem quod impius, infidelis, apostata. Cum quo convenit Arabicum כאפר *cafir*, id est, hæreticus, & כפרה *caphrat*, id est, hæresis. Usitatissimum etiam est *Rabbinis* מין & מינאי *min*, & *minai*, id est, hæreticus. Græco-latina vox *hæresis*, & Latina *secta* aliquando apud profanos Autores (apud *Cicer. in Proëmio paradoxorum*) neutra est, aut in bonam partem accipitur; ut idem denotet quod *via* ὁδὸν, opinio, sententia, placitum, ἀρέσκοι: Et sic diversas methodos atque opiniones Philosophorum vocant hæreses *Augustinus lib.* 8. *de Civit. cap.* 12. *Isidor. lib. de Origin. cap.* 4. *Plutarchus* librorum suum inscripsit περὶ ἀρεσκόντων); Quin & Constantinus apud *Eusebium lib.* 10. *cap.* 5. nec non *Tertullianus* cum *Cypriano* religionem Christianam *sectam*, & ille *factionem* appellant: forte nuncupativè aut secundum vulgarem & receptum usum istius nominis, subintellectâ scil. illâ formulâ seu termino diminuente *Act.* 24. τῶν ναζαρέων. Plerumque tamen, usu scriptorum Nov. Testam. ac perpetuo Ecclesiastico in malam partem accepta fuit, & etiamnum accipitur. Sic accepta ut plurimum & communiter strictè usurpatur: subinde tamen à nonnullis, præsertim hæresiologis pro quolibet errore in Historiâ, aut Philosophiâ, aut interpretatione alicujus dicti Scripturæ, aut in quæstione Theologicâ purè problematicâ. Ne quid dicam de acceptione catachresticâ, immo planè falsâ, cum veritates fidei atro nomine hæresios infamantur. Nos communem Scholam secuti strictè accipimus, ut ab ignorantiâ, errore quovis, dubitatione distinguitur. Quomodo autem abstractè & genericè considerata, ab *Apostasiâ* & *blasphemiâ* tanquam speciebus suis aut gradibus peculiaribus distinguatur, infra videbitur. Definimus eam *errorem in Theologiâ seu in fide fundamentalem*. Tria ergo sunt requisita. 1. Ut sit error directè aut per consequentiam proximam, aut evidenter certam, fundamentali veritati fidei oppositus. Quinam autem sint articuli fundamentales alibi ex professo docuimus. 2. Ut error sit in formâ, hoc est, formalis, formatus, resolutus, & cum Victoriâ: seu juxta alios, ut sit voluntarius & cum pertinaciâ: non verò ut sit initialis, informis, incompletus, irresolutus.

lutus. Et sic excludantur. 1. *Injectiones* diaboli contra voluntatem patientis. 2. *Motus primò primi* adversus aliquam fidei veritatem. 3. *Scrupuli* vellicantes, pungentes, & vexantes fidem ac conscientiam nostram. 4. Fluctuationes, luctæ, & tentationes quælibet internæ, omnesque fidei nostræ infirmitates: quæ quamvis aut formaliter peccata sint, aut cum peccato conjuncta; non tamen sunt hæresis. De dubitatione, an possit dici hæresis infra disquiretur. III. Ut contra fidem internè, seu intellectu erretur. Hic excluditur peccatum simulationis, quando quis ex metu aut merâ ἀνθρωπαρεσκείᾳ contra interiorem sensum & conscientiæ convictionem fidei veritatem verbis aut factis abnegat: Analogicè tamen hæresin profiteri aut defendere ex merâ avaritiâ, aut ex odio, vindictæ cupiditate, contentione ad hæresin reducitur. Pontificii Casuistæ, *Azorius*, aliique ab illo citati addunt hæc duo requisita. 1. Ut subjectum ejus sit, homo fidem Christianam in Ecclesiæ communione professus. Quo omnes infideles & extranei à fide; ut & Catechumeni nullam religionem & communionem Christianam hactenus externè & suscepto baptismo professi excluderentur. Sed de hoc infrà disquiremus. 2. Ut hæreticus sit is, qui aliquam fidei sententiam credat, hoc est, non ex toto omnem fidei sententiam neget: talis enim esset apostata planè ab omni fide recedens, non verò hæreticus. Sed determinatio de hoc requisito, à latâ aut strictâ vocabuli acceptione dependet: de quo infra. Definitio Azorii lib. 7. Institut. moral. cap. 9. est, *quod sit error intellectus, sive mentis voluntarius ex electione & pertinaciâ contra aliquam sententiam fidei.* Eandem ferè habent aliqui recentiores Casuistæ, *Sanches, Layman, Sylvius, Bonacina, Basseus, &c.* Bonaventura in explic. termin. definit. Theolog. *recessum à verâ fide.* Ad Azorii definitionem aliqua notari possent, si tanti hoc esset. Inter Patres Augustinus lib. de Utilitate credendi ad Honoratum describit hæreticum, *quod sit qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ principatusque sui gratiâ, falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur.* Quid hic desideremus, infra ex Problematis patescet. Magis arridet descriptio, quam habet *lib.* 18. *de Civitate Dei cap.* 51. Hieronymus in epist. ad Galat.: *Quicunque aliter Scripturam intelligit, quam sensus Spiritus Sancti flagitat, quo conscripta est, licet de Ecclesiâ non recesserit, tamen hæreticus appellari potest; & de carnis operibus est eligens, quæ pejora sunt.* Sed nimis laxè hic ponitur τὸ, *aliter Scripturam intelligit.* *Alardus* Amsterodamus, qui anno 1539. libellum edebat hoc tit. *Descriptio Hæretici, &c.* dicit vulgatam Scholarum esse definitionem: *Hæreticus est homo, qui à Romanâ & universali Ecclesiâ in fidei doctrinâ discordat.* Sed hanc non esse essentialem, nec constare ex prædicatis essentialibus, infra videbitur. Quin

& Scho-

& Scholasticorum ac Casuistarum definitiones evincunt, hanc non esse vulgatam Scholarum definitionem. Jordanus Brunus lib. 1. de Hæreticis cap. 1. definit, *dogma falsum contra fidem Orthodoxam ab eo qui fidem profitetur, pertinaciter vel assertum, vel in dubium revocatum.* Dogma falsum cum *Alphonso à Castro ibidem* definit doctrinam fallam, quam quis non solum præ se fert opere, sed etiam voce enuntiat atque confirmat. Sed hæc limitatio videtur hæresin omnem mentalem excludere; quę tamen non minus dicenda est hæresis, quam fidei habitus aut actus interior, sine actu exteriori fidei, seu sine confessione, verè est & dicitur fides. Aliorum definitiones brevitatis causâ nunc prætereo. Quod ad *Synonyma* hæresios, Vincentius Lyrinensis lib. 1. commonitorii cap. 6. vocat *humanas superstitiones*, quę pro cœlesti dogmate introducuntur.

Oritur ac producitur hęresis ab hominis corruptione, instigante diabolo, obstetricante levitate, superbiâ, invidiâ, &c. gubernante justâ & efficaci providentiâ Dei: 1. *Homo* corruptus, sive in totum, sive ex parte, est causa directa hæresios: *communiter.* Nam in carne ejus nihil habitat boni. *Rom.* 7. Hinc hæresis exsertè dicitur fructus carnis. *Galat.* 5. *vers.* 20. *Specialiter* causa hæresium est hæresiarcha seu pseudo-Propheta. 2. *Petr.* 2. 1. qui plerumque prodeunt ex Ecclesię Doctoribus, aut eruditione, ingenio, eloquentiâ prędulgentibus: ut docet historiâ hæreticorum. 11. *Diabolus*, qui in Paradiso decepit Evam. 2. *Corinth.* 11. 3. transformat se in Angelum lucis (*ibid. vers.* 14. 15.) & pravas de Deo opiniones, corruptis hominibus obtrudit, mentesque eorum excœcat. 2. *Corinth.* 4. *vers.* 4. Augustin lib. 18. de Civitate Dei, cap. 51. *Videns autem diabolus templa dæmonum deseri, & in nomine liberantis Mediatoris currere genus humanum; hæreticos movit, qui sub vocabulo Christianorum doctrinæ resisterent Christianæ.* Eadem ferè habet *Cyprianus de Simplicitate Prælatorum. Lactantius lib.* 4. *cap.* 30. multę hæreses exstiterunt, & instinctibus dæmonum populus scissus est. 111. Proegumenę seu intus impellentes causę sunt desultoria *levitas*, & *mobilitas*, & *inconstantia* hominum adjuta ἀψυχείᾳ & fastidio veterum & prędentium, novorum cupidine, 2. Petr. 3. vers. 16. *indocti & instabiles, &c.* 2. Timoth. 3. *semper discentes, nunquam ad cognitionem veritatis pervenientes.* 2. Timoth. 4. vers. 3. *Prurientes auribus, &c.* cum *Iesa.* 30. *vers.* 10. Hinc hæreses comparantur telis araneārum, quibus tantum leves muscæ capiuntur. Tertullianus de Prędscript. cap. 1. *Hæreses de quorundam infirmitatibus habent, quod valeant, nihil valentes*, si in bene valentem fidem incurrant. 1v. *Superbia* primum ut omnium vitiorum, sic & hujus elementum huc impellit. 1. *Timoth.* 3. *vers.* 6. & 6. *vers.* 3. 2. *Timoth.* 3. *vers.* 4. 1. *Cor.* 4. Hieron. Commentar. in

Hoseæ 2. *Hæretici matrem habent iniquitatis suæ superbiam, dum semper altiora se scire jactitant, & in Ecclesiæ contumeliam debacchantur.* Augustinus contra epist. Manichæi cap. 6. *Superbia mater omnium hæreticorum.* Idem evincunt exempla ambitionis & ambitus, cujus æstro agitati φιλοπρωτεύοντες (*Iohann. 3. vers. 9.*) sive Episcopaturientes, sive Papaturientes, Religionem & Ecclesiam turbârunt. Notus est typhus sæculi Ecclesiæ ex cruce emergentis Pastores occupans, & ὄφρυς ὀλλυὴ, id est, supercilium occidentale, &c. quod notatur à *Basilio.* Adhæc imago Luciferi, cui Papa Romanus aliquando comparatus. Vide 2. *Thessal.* 2. *vers.* 4. & *Scriptores de Antichristo.* v. *Invidia* comes superbiæ: unde contentio ex pravâ æmulatione. Ut enim prævalere possint alicui, quem luminibus suis obesse putant, aut paria cum illo facere, eligunt sententias aliquot illius sententiis, quamvis veris, aut non improbandis oppositas, easque contentiosè agitant; susque deque alioquin habituri quid hic sentiatur, si oculus non esset invidus. Sic Jesuitæ æmuli Ordinis Dominicani elegerunt sibi aliquas opiniones adversas; inter quas celebres illæ de Libero arbitrio, & gratiâ, & de immaculatâ conceptione Mariæ; & quia putârunt apud veræ sapientiæ ignaros, & instabiles sibi applausus incrementum, Dominicanis decrementum inde facilè oriturum, hoc potissimum schemate histrioniam hanc agere instituerunt. Nimis jam pervulgatum est ejusmodi prætextibus & artibus res sacras à malevolis & invidis tractari. VI. *Singularitatis affectatio*, & *soli-ipseitas*: quâ quis cupit αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων: ut solus sit quasi aquila in nubibus; ipse dictator & phœnix; ipse solus sapiat, reliqui tanquam umbræ volitent; ipse ex suo & in suo ingeniolo omnia deprompsisse, invenisse, atque adeo sapientia cum ipso moritura videatur. Hinc est quod omnium aliorum etiam sapientissimorum inventa, dicta, scripta contemnat, quamvis subinde ea dolosè clepserit; & non nisi rara, admiranda, inaudita, nova, nulli (scilicet) mortalium hactenus pervia, nulli dicta, scripta sectetur, ostentet, jactet; Parturient montes nascetur ridiculus mus. Nascitur monstrum sive absurditatis contra communem sensum; sive stultitiæ, & vanitatis *Erasmi Encomio Moriæ*, aut *Navi stultiferâ*, aut *Nosocomio fatuorum Thomæ Gersoni*, theatrizandum; sive Scepticismi & Atheismi in extremas oras deportandum. Exempla sint scripta *Gaffarelli* Sacerdotis Galli, tit. *Abdita divinæ cabalæ mysteria*, & *Curiositès inouies*, & *Henr. Kunrath Amphiteatrum* (quæ duo posteriora à facultate Theologicâ Parisiensi notata sunt), & Paracelsi ac Sectatorum ventosa thaumatologia, teratologa delira titulo Fratrum roseæ crucis se venditantia; & nuperrimus *Scriptor Præ-Adamiticus* à Nostris, Lutheranis, Pontificiis in primâ eruptione interceptus & exceptus: uti olim

olim *Franciſcus Puccius* univerſalis gratiæ infelix buccinator. Ex illis noſce omnes. Vide *Roman.* 12. *verſ.* 16. *Proverb.* 11. *verſ.* 12. 1. Theſſal. 5. *Prophetias ne contemnite.* Et ibi *Commentatores*; & quæ ad inſigne monitum *Syracidæ cap.* 3. 22.-26. congeſſit *Cornelius à Lapide.* VII. *Temeritas & audacia*, quæ oritur ex nimiâ *ingenii ſui conſcientiâ inque eo confidentiâ.* Vide *Pſalm.* 73. *verſ.* 8. 9. Auguſtin. Homil. 18. ſuper Johannem: *Neque natæ ſunt hæreſes, & quædam dogmata perverſitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non intelligitur, etiam temerè & audacter aſſeritur.* VIII. *Curioſitas*, quæ eſt *ſuperflua indagatio ad ſe non pertinentium* deſcribente *Thomâ* 22. *qu.* 167. *art.* 2. Aut (uti Brulifer in prol. 1. ſent.), *quâ quis quærit aliquid omnino ſuperfluum, & de quo nulla certa reſponſio dari poteſt.* Ex Gerſone de Theologiâ myſticâ talis deſcriptio colligi poteſt: *quâ inutilibus quis ſtudet; aut utilibus plus quam decet, atque expedit.* Vide de Curioſitate *Tertullianum de Præſcriptionibus*, & *Comment. ad Eccleſ.* 7. *verſ.* 16. *Rom.* 12. *verſ.* 3. & modò notata de Singularitate; & ſuprà *Diſp. de doctâ Ignorantiâ, part.* 2. IX. *Avaritia*, ut omnium malorum, ſic etiam hæreſis & apoſtaſiæ radix, teſte Apoſtolo. 1. *Timoth.* 6. cum 2. *Timoth.* 3. 6. & *Matth.* 23. *verſ.* 14. Hanc radicem innuit *Auguſtinus lib. de Utilitate credendi, modo cit.* Hæc impulit Liberium Epiſcopum Romanum, ut Arianiſmum, ſeu mavis Syncretiſmum cum eo admitteret. X. *Studium* rerum hujus mundi, omnes quæ ſua ſunt quærunt, inquit *Apoſtolus.* Et οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες. *Philipp.* 3. 19. coll. cum *Iacobi* 3. *verſ.* 15. XI. *Voluptatis*, ſeu carnalis quietis, & tranquillitatis ſtudium, *Philipp.* 3. *verſ.* 3. quorum Deus venter eſt. 2. Timoth. 3. φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι. Confer *Eſaiæ* 57. *verſ.* 10. 11. 2. *Petr.* 2. *Iudæ verſ.* 12. XII. *Nimia ſecuritas*, remiſſio, *Tepor, languor*, immo & frigus in cognitione & profeſſione veritatis in cultu Dei, in exercitio miniſterii Eccleſiaſtici. 2. *Theſſal.* 2. 10. 11. *Apocal.* 3. 15. 16. XIII. *Conſcientia laxa* aut planè cauterizata, aut ἀπραξία in opere ac vi pietatis, profanitas in moribus: breviter commodiſſimum hæreſios ſubjectum ſunt Chriſtiani & Doctores illi, qui vivunt contra fidem (uti alicubi *Auguſtinus* loquitur); & qui gentes agunt ſub nomine Chriſti. Vide 1. *Timoth.* 1. *verſ.* 19. & 2. *Timoth.* 3. *Iohann.* 7. *verſ.* 17. *Pſal.* 25. 14. Tales enim à ſeductoribus inveniuntur hæretici, non fiunt: ſi ita loqui liceat. Atque hæ cauſæ principales, & impellentes. Operæ pretium facturus videor, ſi hìc conferam *Gulielmi de Alvernià, dicti Pariſienſis*, celebris ſuo tempore Theologi, *lib.* 1. *de Fide cap.* 2. ſeptem cauſas & rationes, cur multi fidei veritatibus aſſenſum non præbeant. 1. *Cauſa* errorum eſt, ignorantia menſuræ & capacitatis intellectus humani. Qui enim intel-

intellectum suum omnia capere existimat, credit necessariò illud non esse, quidquid in intellectu suo non invenit. Confer *dispp.* nostras *de Ratione humanâ in rebus fidei, & de Visione Dei per essentiam.* 2. *Causa* est, aversio intellectus ab iis, quæ credenda sunt: quod homines tanto errore opiniones & sectas suas amplectantur, tantoque odio aversi sint & contrarii contrariis, ut de iis nec cogitare, nec ea respicere ullatenus velint. 3. *Causa*, Ipsa rerum subtilitas; quæ crasso, stupido & turbido intellectui visibiles non sunt: hinc est quod carpant, quæ non capiunt, eaque quæ non intelligunt, credunt & contendunt non esse, immo & blasphemant, *Judæ vers.* 10. 4. *Causa* est, remotio sive distantia, hoc est, longinquitas à rebus credendis. Eas enim videre nequeunt, quia longè distantes speculantur, nec studio & exercitatione ad illas appropinquârunt. 5. *Causa* est, stultitia, quâ volunt intelligere intellectu naturali per se id, quod per se capi non potest. Brevior enim intellectus credendorum altitudinem non attingit, & intellectus naturalis ad ea, quæ supra ipsum sunt, per se nullatenus extendit se. Confer nostram *disp. de Doctâ Ignorantiâ*; & *Dissert. de Termino vitæ*, ubi allegamus insigne dictum Cajetani: *Quiescet mens nostra non evidentia veritatis inspectæ, sed altitudine veritatis occultæ, &c.* 6. *Causa* est, inquisitio probationum, & rationum in illis fidei articulis ubi non sunt, aut saltem tales non sunt, quales illi requirunt. Per hanc solam probationis scalam ascendere voluerunt Antitrinitarii, Nestoriani, Pelagiani, & lapsi sunt, quippe scalâ breviori, quam ut altitudinem illam attingere posset. 7. *Causa* est, peccatum sive negligentia, quâ divinum adjutorium ad ipsa credenda non quæritur, seu quodcunque aliud quod viam gratiæ obstruit & concludit. Quod egregiis similibus *ibidem* illustrat.

3 Sequuntur *causæ auxiliantes seu instrumentales*; quę variæ sunt, & melioris doctrinę causâ à nobis distinguuntur in personas, & actiones vitiosas. 1. Quod ad personas in inchoandis, concipiendis, formandis, perficiendis, recipiendis, adoptandis, fovendis, defendendis, propagandis hæresibus, sunt inter alios trium generum homines secundum qualitates, status, sexum distinctè considerati. *Si qualitates consideres* tales sunt, quales describit Apostolus 2. Tim. 3 φιλαύτοι, φιλάργυροι, &c. φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι. ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, &c. *Sin hominum status* consideres, juvant hic, qui autoritate, potentiâ, dignitate in Politiâ & Ecclesiâ superiores sunt, aut videntur, aut esse volunt. Constat enim pleraſque hæreses ortas aut propagatas ab Ministris verbi & Episcopis. Videsis *Catalogos antiquorum hæreticorum Augustini, Philastrii, &c.* Et adde ex *Plessæi Mysterio* Episcoporum Papalium imprimis Romanorum jam inde post decimum sæculum usque in hunc diem hæreses, scismata, molimina contra veritatem in pseudo-Conciliis

illis & extra ea. Celebris JC. & Scriptor Anglus *Gulielmus Prynne in Epistol. dedicat. præfixa*, tract. *de Episcoporum Anglorum conspirationibus, rebellionibus, &c.* promittit peculiarem tractatum, de eorundem sectis & schismatis. An præstiterit, nescio. Ad primores & potentiores in Republicâ plerumque provocant & confugiunt hæretici, ut nutritios hæresiûn & factionum se præbeant, qui debebant esse Ecclesiæ. Perpetua hujus rei exempla in propatulo sunt. 3. *Si denique sexum consideres*, quandoquidem per fœmineum Satanas primum stratagema suum executus est (*Genes.* 3. cum 2. *Corinth.* 11. 1. *Timoth.* 2.); sæpe per idem hæreseos promotionem tentat, teste Scriptura, 2. *Timoth.* 3. *vers.* 6. *Actor.* 13. *vers.* 50. *Matth.* 23. *vers.* 16. *Apocal.* 2. *vers.* 20. Et experientia: Helena Simonis Magi, chori fœminei Nicolai Antiocheni, Mulier à Marcione Romam præmissa, Philumena Apellis, Prisca & Maximilla & Quintilla Montani, Lucilla Donati, Agape Elpidii, Galla Priscilliani in Historiis & Catalogis hæresiûn notantur, & ab *Hieronymo epist. ad Ctesiphontem tom.* 4. In hæresis Arrianæ agitatione celebres sunt Justina mater Valentiniani secundi, & memorata *Hieronymo loco cit.* soror Imperatoris; & Eusebia uxor Constantii cum cæteris aulæ mulierculis, apud *Socratem lib.* 2. *cap.* 2. In iconolatriâ elucet opera Imperatricis Irenes. In apostasiâ & tyrannide Pontificum stabilienda inveniuntur Mechtildis, Theodora, Marosia, aliæque *potentissimæ meretrices, quæ Romæ dominabantur* (sic eas describit Baronius). Vide *Plessei Mysterium.* In mendaci superstitione promovendâ emicant visiones & revelationes, seu potius illusiones dictarum sanctarum Hildegardis, Mechtildis, Brigittæ, Elizabethæ Schonawgensis, Catharinæ Senensis: de quibus in *disp. de Prophetiâ.* De Papissâ Johannâ controversiam attigimus in *Desperatâ causâ Papatus, lib.* 3. *sect.* 2. Hodierni Jesuitæ, & æmuli ipsorum regulares perreptant & concitant gynecæi Regum ac Principum, per quæ hæreses suas promoveant. Vide inter alia *Historiam legationum Philippi III. & IV. ad Papam pro determinatione controversiæ de immaculatâ conceptione Mariæ*, editam *à Lucâ VVaddingo* Hiberno. De hodiernis *Cloppis* (quas vocant) in Belgio nostro, deque bullâ Urbani VIII. contra ordinem fœminarum Jesuitissarum alibi agimus in *disp. de Monachatu.* Optatus Milevit. lib. 1. conjungit mulierem, ambitionem, avaritiam. *Schisma*, inquit, *illo tempore confusâ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit; ab iis tribus personis contra Cæcilianum causæ confictæ sunt, ut vitiosa ejus ordinatio diceretur.* Huc applicare liceat universale illud elogium Æneæ Sylvii, postea Pii II. *Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet, Effrenis Monachus, plenaque fraudis anus.* Apud Gentiles fuerunt diabolicæ Prophetissæ, dictæ *Sibyllæ*, de quibus alibi cum Deo disqui-

remus. Et in hoc elucet mimica dæmonum: Ut enim Deus subinde usus est operâ sequioris sexus, Deboræ, Huldæ, Annæ, &c. sic & diabolus hoc imitari voluit. Confer supra *Diss. de Magiâ.* 4. Proximè ad fœminas accedunt *Eunuchi* seu *Spadones* aulici; quorum opera Arriana hæresis sub Constantio maximè promota est, teste *Socrate lib.* 2. *cap.* 2. & *Athanasio in Epist. ad Solit.* 11. *Actiones* vitiosæ, quibus mysterium iniquitatis promoveri solet, sunt ex innumeris istæ, quas nunc indico. 1. *Prætensa doctrinæ* subtilitas, & ἀκρίβεια. 2. *Adhibita Sophismata*, & λόγοι σοφισμένοι. Vide *Commentat. ad* 1. *Timoth.* 6. *vers.* 4. & *Tract. Danæi de Elenchis Sophisticis.* Et *Coloss.* 2. *vers.* 8. & quæ *Comment. ibidem* notant de usu & abusu Philosophiæ. *Tertullianus* Philosophos hæreticorum Patriarchas vocat. 3. *Eloquentiæ aut loquentiæ* fulgor; quo Pelagius hæresi suæ non parum successus conciliabat. Idem de Priscilliano Sulpitius libr. 2. histor. *Priscillianus*, inquit, *acer, inquies, facundus, multa lectione eruditus, disserendi ac disputandi promtissimus, felix profecto, si non pravo studio corrupisset optimum ingenium.* Hinc Hieronymus in Hoseę 10. illis tribuit *verba spumantia*, & *sermonem compositum*, & quod *pulchro sermone componunt.* Et in Hoseæ 2. *Eloquii venustate, structuráque verborum.* Ibid. paulò post, quod *curam habeant artificii elegantisque mendacii.* Quod ad lacinioſam loquentiam, ea non paucis propria est: hinc *Vincentius Lyrinensis in Commonitorio* hæreticos vocat *verbosos*; ego hodiernis nostratibus soleo tribuere Rhetoricam Socinianam, quæ non tam artificiosi & suavis styli tinnitu lectorem seducit, quàm fastidiosæ verbositatis strepitu eum confundit, ac veritatem involvit: Apollinarius Laodicenus (teste *Socrate lib.* 6. *cap.* 25.) & Arius (teste *Athanasio Orat.* 2. *contra Arrianos*) carminibus & cantionibus Poëticè compositis hæreses suas insertas propagabant. 4. *Mataiologiæ*, Acurologiæ, Teratologiæ; quibus incauta aut rudiora ingenia irretiantur aut confundantur: Captantur aliquando contentiones & inutiles subtilitates circa voces ab aliis usurpatas; aut voces novæ, impropriæ, ambiguæ adhibentur, iisque malum aliquod occultatur; aut per & post multas contentionum ac disputationum ambages, tandem in usu vocum effugium quæritur, aut in eo definitur. Vide 1. *Timoth.* 6. *vers.* 4. 20, & 2. *Timoth.* 2. *vers.* 14. 16. ubi de λογομαχίᾳ & κενοφωνίᾳ. Exempla dederunt Valentiniani, de quibus *Irenæus lib.* 1. *cap.* 1. 18. & Arriani, de quibus *Augustinus Epist.* 174. Nestoriani, &c. Ambrosius lib. 2. de Spiritu Sancto, cap. 10. *Quid mirum, si de verbis amentes homines faciunt quæstionem, cum faciant & de Syllabis.* Huc applicari posset illud Prudentii in carmine de reprehensione infideli. *Fidem minutis differant ambagibus, ut quisque linguâ nequior*, &c. 5. *Culpatio nimia* Orthodoxorum acribologiæ, subtili-

ſubtilitatis, profunditatis, difficultatis. 6. *Prætextus ementiti conſenſus* cum Orthodoxiâ & Catholiciſmo, quod ad rem & ſummam rei: & diſſenſus tantum in Methodo, in Phraſi & modo loquendi, in aliquâ particulari hypotheſi, aut ἐπουσίῳ. Imprimis hic excitatur & ſpargitur pulvis, de non neceſſariis, non-fundamentalibus, &c. 2. *Timoth.* 3. *verſ.* 5. *Matth.* 7. *verſ.* 15. Cyprianus ad Jubajanum: *Hæretici imitantur Catholicos, ſicut ſimiæ imitantur homines, & ſicut lupi imitantur canes, quibus ſimiles ſunt.* Hieronymus in Hoſeæ. 7. *Hæretici primum quieſcunt in Eccleſiâ, & loquuntur occultè, & omnia pacifica repromittunt, ut cancer paulatim ſerpat in populos & fermentum doctrinæ eorum.* 7. *Huic connexa* ſunt prætextus & clamores de *moderatione, tolerantiâ, unione fraternâ, libertate prophetandi, unionibus & ſyncretiſmis ſciſſi Chriſtianiſmi.* Cui hiſtoria hæreſios Anti-trinitariæ, & factionis Remonſtranticæ nota eſt, ad ravim hæc declamata novit. Confer *Diſpp. noſtras, de Trinitate, de Moderatione, de Libertate prophetandi.* 8. *Inſervit* his ἐξουθενισμὸς ſeu μείωσις, quod minutię & titivillitia ſint Philoſophica, aut res & termini tantum & formalitates ad Philoſophiam ableganda, quæ nihil ad Theologiam aut fidem. Ars illa Remonſtrantibus noſtris non infrequens: uti videre eſt in *ipſorum Apologiâ*, & in *Vorſtii Apologiis pro libro ſuo de Deo.* Quid ſibi velint hodierni aliqui ſuâ, quam poſtulant, *libertate philoſophandi*, jam pateſcit, & amplius patebit. Sed de his alibi. 9. *Prætextus* ſuſcitandi ac curandi *praxim pietatis, caritatis, bonorum operum*: ut orthodoxiam & fidem deprimant: aut vice verſâ curandi orthodoxiam, *ſeu doctrinæ puritatem*, & ἀκριβείαν, aut conſtitutionis Eccleſiaſticæ & conſuetudinis alicujus obſervationem, ut praxin ac ſtudium pietatis omniumque bonorum operum juxta Scripturas ἀκριβείαν, quam ab aliis urgeri vident, deprimant, & hyperaſpiſtas ejus ſupplantent, aut luminibus eorum officiant. 10. *Concitatio ac formatio ſciſmatum*, & ſeceſſionum, per quas porta hæreſibus aperitur. Aliquos enim aut ſingulos à communione corporis ſui avulſos facilius aggrediuntur & ſeducunt. Vide *Actor.* 20. *verſ.* 30. *Rom.* 16. *verſ.* 17. 18. 11. *Blanditiæ, adulationes*, chreſtologiæ. Vide *Roman.* 16. *verſ.* 18. Cyprianus epiſt. 49. ad Cornelium talem deſcribit Novatum: *curioſus ſemper ut prodat, ad hoc adulatur ut fallat, nunquam fidelis ut diligat; fax & ignis ad conflanda ſeditionis incendia, turbo & tempeſtas ad facienda fidei naufragia; hoſtis quietis, tranquillitatis adverſarius, pacis inimicus.* Hieronymus in Hoſeæ 7. *Hæretici primum quieſcunt in Eccleſiâ, & loquuntur occultè, & omnia pacifica repromittunt, &c.* Ad has adulationes & blanditias imprimis referri debet nefaria ars pulvillos (*Ezech.* 13.) axillis hominum, præſertim potentiorum conſuendi: quod fieri poteſt vel docendo & determinando ad placitum

citum eorum publicè aut privatim; vel disciplinam ecclesiæ laxando, si non abrogando, saltem quod ad Deos illos in terris, qui benefacere aut malefacere possunt. 12. *Depressio atque immunitio* lectionum, prædicationum, & quarumcunque informationum atque institutionum tum δημοσίᾳ tum κατ' οἴκους (*Actor.* 20.) Ne procul abeamus, evidentissimam hujus artis ideam ac methodum dedit Anglia: ubi pontem tum Papismo, tum Atheismo introducendo sternebant per suppressiones frequentium concionum & lectionum; per prohibitiones Concionum & Catechisationum postmeridianarum, diebus Dominicis; per depressiones, etiam formales suspensiones, & depositiones præstantissimorum ac piissimorum Ministrorum, qui munere suo diligenter fungebantur, & utrâque manu ædificabant: captato prætextu, in putidâ ceremoniolâ non observatâ, aut in neglectâ ordinatione heri & nudiustertius de composito & hunc in finem inventâ atque obtrusâ. De quo *Novellæ rerum jam inde ab anno* 1638. *illic gestarum Historiæ*, & *Gul. Prynne lib. modo cit. in Epistol. dedicator.* ubi impia quædam aula Episcopi Bathensis & Wellensis referuntur. Similia, & longè pejora ac plura referuntur de *Matth. Wren*, Episc. Nortwicensi. Obtestor Ministros nostrates & Ministerii Candidatos, qui Anglicum sermonem non attingunt, ut *Historiam rerum in Scotia gestarum*, & Latinum scriptum à Clariss. D. *Hornio*, *de Statu Ecclesiæ Britannicæ hodierno*, anno 1647. in 40. editum legere dignentur: quo methodum & μεθοδείαν & πλάνης illic adhibitam cognoscant, & à se atque Ecclesiis nostris jugi solicitudine procul arceant. *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.* 13. *Tolerantia* malorum non tantum; sed & defensio ac promotio, ubi scenę hoc subservire potest, indoctorum, aut ἀπείρων, aut negligentium, aut tepidorum Ministrorum; unde facilè exercitum posse conscribi & paratum fore colligunt rebus innovandis. Illi enim similes sunt mercenariis militibus: de quibus verè dictum, *ibi fas, ubi plurima merces*: saltem ab illis in suis Diotrephicis molitionibus resistentiam non metuunt. Disce ex *libris modo cit.* aliisque alibi indicatis, quales vomicas & carcinomata foverint, promoverint, ac in delitiis habuerint, extrusis aut depressis plerisque doctis, piis, ac fidis operariis, postremus Cantuariensis, Nortwicensis, Bathensis & Wellensis, &c. in Angliâ, ut & Sanct-Andreanus cum sui similibus in Scotiâ. 14. *Calumniæ* & mendacia adversus Orthodoxiam & Orthodoxos. *Illæ* sunt communiter, quod Orthodoxa doctrina studio sanctitatis noceat, aut saltem ad illud utilis non sit. Quod ab antiquitate, successione, & Catholicismo declinet. Quod, Principum & Magistratuum potestati; aut ordini, consuetudini, statutis Ecclesiæ præjudicet. *Istæ* sunt vel generales, vel particulares seu personales. *Generales* sunt,

sunt, quod indocti, aut nimis docti, seu nimis simplices, aut nimis sapientes, nasuti, μωρόσοφοι; quasi scil. multa eruditio eos insanire faciat. Quod nimis molles, aut nimis rigidi & præcisi. Quod hypocritæ sint, quod Pharisæi, quod imperiosi, quod suis rebus studeant. Quod honori suo & utilitati velificentur. Quod ἰδιογνωμονες, Suffeni, Idiosyncratistæ, seu Humoristæ. Quod aliis plus præstent, aut præstare velint, sive in doctrinæ, sive in praxios ἀκεραιείᾳ; atque adeo impingant, in πρῶτον illud ψεῦδος, seu mavis in primum omnium tum in theoriâ, tum in praxi heterodoxorum postulatum: Nemo plus aut melius nobis, quid sciat ac sentiat; saltem non dogmatizet & apud homines ostendat; nedum ut perpetuâ praxi atque opere illud exequatur. Hoc enim (juxta ipsos) est fratrem contemnere aut in contemtum adducere, communionem sanctorum, & φιλαδελφίαν & ἰσονομίαν violare, omnes alios, etiam Antecessores in Ecclesiâ & Republicâ, qui paria in sensu & praxi non faciant, proculcare aut de ponte detrudere. Breviter Orthodoxis & fidis Christi servis plerumque imponunt, cujus ipsi tenentur, & quæ studiosè moliuntur, novitates scil., errores, hæreses, sophismata, sciſmata, seditiones, &c. Sic Ariani Catholicos vocabant Athanasianos, Petilianus Donatista Augustinum Sophistam; Cresconius eidem Dialecticam objiciebat, & reliqui Donatistę eum tanquam dialecticum fugiendum potius, quam refellendum revincendumque censebant: uti testatur *Augustinus lib. 1. contra Cresconium cap. 13.* Remonstrantes Belgici in *secundâ Remonstrantiâ* collata cum aliis ipsorum libellis ac tabellis, non tantum errorum ac novitatum, sed & Manichaismi, Turcismi, &c. Reformatos accusabant. *Vorstius* cum ab orbis Christiani Doctoribus, & inter eos à Sibrando Lubberto Theologo Franekerano errorum argueretur, per reconventionem reponebat uno libello 99. *Errores Sibrandi.* Non absimiles in eo videntur furibus illis, qui in conferta turba quam maximè clamant, *tenete furem.* Pontificiorum calumnias in Reformatos coacervatas, vide in *Commentar.* Jesuitarum *Lorini*, & *Cornel. à Lapide ad 2. Petri 2.* & *Epistol. Judæ*; & in *Commentar. Cosmæ Magaliani ad Epist. ad Timoth. & Titum.* Conferri potest *2. pars selectar. Disspp. nostrarum tit. de Præjudiciis veræ Religionis.*

Atque hæc de causis hæresium: notabimus nunc quædam attributa & *propria*, sed ob chartæ angustiam tantum titulo tenus notabimus, eo ordine, quo habentur *2. Petr. 2.* ubi describuntur Hæretici, quod sunt I. Pseudo-Prophetæ & Magistri mendaces, *vers.* I. II. Introducunt sectas perditionis. III. Dominum negant, qui eos emat. IV. Multi sequuntur eorum luxurias. V. Per eos via veritatis blasphematur. VI. In avaritiâ de fidelium corpore & animâ negotiantur. VII. Sunt Hypocritæ. 4 VIII. Adu-

VIII. Adulatores. Confer *Rom.* 16. *vers.* 18. ubi de eorum chrestologiâ. Et Hilarium contra Constantium: *At nunc pugnamus contra Persecutorem fallentem, contra hostem blandientem*, &c. Vide reliqua. IX. Perditio eorum accelerat. X. Similes sunt Dæmonibus. XI. Similes sunt carnalibus & immorigeris diluvio mersis. XII. Et Sodomitis. XIII. Post carnem in concupiscentiæ immunditiâ ambulant. XIV. Dominationes contemnunt. XV. Sunt audaces. XVI. Sibi placentes. XVII. Blasphemi. XVIII. Sunt veluti pecora, &c. Vide de gulâ & crapulâ eorum *Philipp.* 3. *vers.* 19. *Hieron. in Ierem.* 23. *Tertullian. contra Psychicos.* XIX. Quæ non intelligunt, blasphemant. XX. Voluptuarii, maculæ, deliciis affluentes, XXI. In conviviis luxuriantes. XXII. Oculos habentes plenos adulterii. XXIII. Pelliciunt animas instabiles. XXIV. Cor habent avaritia exercitatum. XXV. Sunt filii maledictionis. XXVI. Derelinquentes viam rectam errant. XXVII. Sequuntur viam Balaam, qui mercedem, &c. XXVIII. Sunt fontes sine aquâ. XXIX. Nebulæ turbinibus agitatæ. XXX. Superba vanitatis loquuntur. XXXI. Pelliciunt per escam voluptatum & luxuriæ. XXXII. Promittunt libertatem. XXXIII. Sunt servi corruptionis. XXXIV. Posteriora eorum fiunt deteriora prioribus. XXXV. Sunt veluti canes reversi ad vomitum, & veluti sues, &c. Adde attributis ab Apostolo recensitis, hæc paucula quæ nunc in mentem veniunt. XXXVI. Fervor & zelus indiscretus, *Rom.* 10. *vers.* 2. conjunctus cum impatientiâ. *Augustinus lib.* 16. *de Civit. Dei, cap.* 2. XXXVII. Hinc non-tolerantia aliorum; & consequenter concitata & exercita in Orthodoxos persecutio: unde canibus &c. comparantur, *Philipp.* 3. *vers.* 3. Vide 1. *Ioh.* 3. *vers.* 12. & infrà *Disp. de Confessione & Martyrio*, ubi de persecutione. XXXVIII. Veterum scripta captant & jactant. Sic Pharisæi traditiones majorum, *Matth.* 5. & 15. Et hoc in hæreticis sui temporis notat *Vincentius Lyrinensis cap.* 11. XXXIX. Hæretici plerumque magnates & aulas primum occupant. De Arianis Episcopis Sulpitius lib. 2. *Hi ita Palatium occupaverant, ut nihil sine eorum nutu ageret Imperator, &c.* Et Lyrinensis cap. 6. *Namque cum profana ipsa Arianorum novitas, velut quædam Bellona & Furia, capto prius omnium Imperatore, cuncta deinde palatii culmina legibus novis subjugasset, &c.* XL. Hæresios subita propagatio & diffusio. Exemplum habes in diffusione Arianismi, apud *Hieronymum in Dialogo adversus Luciferianos*, & apud *Lyrinensem cap.* 6. Hæc ex aliis Scripturæ textibus, *Matth.* 7 & 24. *Rom.* 16. 2. *Corinth.* 11. *Philipp.* 3. *Coloss.* 2. 1. *Timoth.* 4. & 2. *Timoth.* 3. *Tit.* 3. 1. *Ioh.* 4. & 2. ac 3. *Epist. Iohannis, Epist. Iudæ* & *eorum Interpretibus*; collato *Tertulliano de Præscriptionibus*, & *Vincentii Lyrinensis monitorio*, (In quem exstat eruditus

Com-

Commentarius Iohannis Fileſaci), *Iordani Bruni tract. de Hæreticis*; *commentar. Eſpencei in Epiſtolas ad Timotheum & Titum*; *comment. A Lapide in eaſdem*, & *in Epiſt. Petri, Iohannis, Iudæ*; *Lorini commentar. in eaſdem*; & *Bolduc comment. in epiſt. Iudæ, aliiſque Antiquis* & *Neotericis Scriptoribus* de hæreſibus pluribus explicari poſſunt.

Subjicimus aliquot quæſtiones, ad meliorem definitionis illuſtrationem. 1. *Quæſt.* An omnes ſint hæreſes, quæ tales in Catalogis hæreſium aut alibi dicuntur. *Reſp. Neg.* Notantur enim in iſtis Catalogis hæreſium tum antiquis, tum novis. 1. *Multæ Aſſertiones* errorem quidem habentes, non verò hæreſin: quamvis ab hæretico aliquo tenerentur; quia eo nomine hæreſios non erat condemnatus. Et tales in *Epiphanio*, *Theodoreto*, *Auguſtino*, *Philaſtrio*, *Gennadio*, *Harmenopulo*, *Damaſceno*, *Niceta Choniate*, *Euthymio Sigabeno*, *Leontio* occurrunt: ut Pontificios *Guidonem Carmelitam*, *Lutſenburgum*, *Alphonſum à Caſtro*, *Prætcolum*, *Medices*, *Theodorum Petrejum* nunc præteream. 2. *Plurimæ Aſſertiones* partim Theologicæ, partim Philoſophicę, Politicæ, Hiſtoricę erroribus aut hæreſibus oppoſitæ. *Theologicæ* ſunt e. gr. ſententia Aërii de æqualitate Epiſcopi & Preſbyteri, quæ ab antiquis nonnullis perperam hæreſibus accenſetur. Imprimis hic obſervandum, fundamentales fidei veritates à Pontificiis hæreſiologis tanquam hæreſes traduci ex. gr. de juſtificatione per fidem, de unicâ Chriſti ſatisfactione pro peccatis, de ſolo Deo trinuno religioſè adorando, de Chriſto unico Eccleſiæ capite, &c. *Philoſophicæ* ſunt, e. gr. Aſſertio de Antipodibus à Papâ Zachariâ in Virgilio hæreſios damnata, teſte *Aventino in hiſtor. Bojorum, lib.* 3. Quamvis *Froymundus* Theologus Lovanienſis *in Veſtâ* (h. e. *tract. de Terræ quiete*), pudori Papæ conſulere ſatagat, excipiendo quid contra Hiſtoriam. Et aſſertio de utilitate & neceſſitate ſtudiorum atque Academiarum: quam ſententiam Paulus II. hæreſios condemnabat, & vel nomen Academię uſurpantes appellabat hæreticos. Vide *Platinam*, & *Genebrardum in Chronico*, qui hoc elogio illum condecorat: quod obierit omnis eruditionis & virtutis hoſtis. De Victore Epiſcopo Romano ob celebrationem Paſchę & quidem tali tempore hæreſin Eccleſiis Orientalibus impingente, vide *Pleſſei Myſterium*. Ridiculum eſt judicium *Bartoli in L. hoſtes* 24. *D. de captiv. & poſtlim. re-* „ *verſ. n.* 7. Si quis diceret Dominum Imperatorem non eſſe Dominum „ & Monarcham totius orbis, *eſſet hæreticus*; quia diceret contra determi- „ nationem Eccleſię, contra textum Euangelii, dum dicit, Exivit edictum „ à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis. Non multum ab hoc abludit ineptia *Hoſtienſis in c. per venerabilem Extrav. qui filii ſunt legit*: ubi ait, eos *mortaliter peccare*, qui Imperatoris Romani poteſtati ſe vel nunquam

,,nunquam fuisse suppositos vel exemtos contendunt. Confer *Salicetum, aliosque DD. in L. cunctos populos C. de summâ Trinit. & Petrum de Andlo, lib. 2. de Imperio Romano, cap. 8.*

DE ERRORE ET HÆRESI, *PARS QUINTA.*

Resp. NICOLAO BEETS, Purmerendâ Batav.
Ad diem 8. Octob., Anno 1656.

Pergimus in Quæstionibus circa Hæresios. 1. Definitionem. 2. Causas. 3. Adjuncta.

1 11. QVæst. An omnis propositio hæretica constituat hęresin, & faciat receptorem ejus formaliter hæreticum. *Resp.* Vox hæresis aliquando objectivè sumitur, aliquando subjectivè: prout vox fidei, quę aliquando notat fidem quæ creditur, hoc est, veritates, sive articulos, sive dogmata fidei; aliquando fidem, quâ creditur: similiter vox Logicæ, notat aut Logicam in libro seu systema Præceptorum; aut Logicam in mente. Si hæresis objectivè & materialiter notet sententiam seu propositionem falsam, veritati seu articulo fundamentali fidei sive apertè, directè, immediatè, sive indirectè & vi proximæ ac certæ consequentiæ oppositam: ajo propositionem hæreticam esse hæresin, objectivè scil. & materialiter. Nego tamen quamvis hæreticæ illius propositionis apprehensionem, aut receptionem, aut admissionem, aut assensum, esse formaliter & subjectivè hæresin, & inde hæreticum quem denominandum. Quia quælibet obscura apprehensio, quilibet levis aut infirmus, aut trepidus, aut volaticus assensus hic non sufficit; qualis frequenter est in idiotis seductis: sed requiritur fixus, resolutus, obfirmatus, & cum victoriâ contra media convictionis. Huc applicanda distinctio, quam nostri adhibent, inter majores nostros communi torrente Papatus abductos; quorum alii aliis corruptiones illas & venenum Antichristi aut levius degustârunt, aut altius imis medullis haustum atque infixum receperunt. De quo in *Desper. Causâ Papatus*, & in *Disp. de Fide Papistarum salutari an damnabili.* Analogicè etiam illustrari potest hæc distinctio, si conferamus distinctionem certitudinis fidei in objectivam & subjectivam. Adhæc explicationem & descriptionem Atheismi speculativi & directi, de cujus *an*

sit

sit quærimus in *Disp. de Atheismo*. Quænam autem sint propositiones formaliter hæreticæ, & quomodo à malè sonantibus, scandalosis, periculosis, erroneis distinguendæ, pendet ex definitione oppositę veritatis, seu articuli fundamentalis: de quo *peculiari Dissertatione* antehac egimus. Pontificii variè has necessarias ac fundamentales veritates describunt, & hinc laxè nimis vocem hæreticæ propositionis & hæresios accipiunt. Sic in historiâ legationis Philippi III. & IV. ad Papam pro determinatione controversiæ de immaculatâ conceptione B. Marię sect. 3. pag. 324. distinguuntur hæ quatuor formulę. 1. *Ecclesia aliquid credit de fide*: significat aliquid fide divinâ teneri. 2. *Ecclesia certò tenet*; significat illud pro certo haberi in eâdem. 3. *Ecclesia jubet teneri, vel reputat pro probabiliori*; illud judicat probabilius. 4. *Ecclesia piè credit*; innuit illud teneri & credi in Ecclesiâ sub piâ credulitate. Sed hęc omnia extra oleas evagantur: quia prępsupponunt Ecclesiæ Romanæ, seu Papæ sensum aut declarationem esse de essentiâ & ratione veritatis fundamentalis fide divinâ credendę. De quo mox dicendum. *Paulus Gryfaldus* Dominicanus & Romæ Theologię Professor edidit *Decisiones fidei Catholicæ* Alphabetico ordine dispositas, & in principio septem propositionum Catholicarum gradus facit: ut 1. sit earum, quæ sacris literis apertè continentur. 2. Earum, quæ ex illis necessariò consequuntur, ac deducuntur. 3. Earum, quæ Apostolis traditæ sunt vivâ voce. 4. Earum, quæ in Conciliis universalibus ac confirmatis definitæ sunt. 5. Earum, quæ per sedem Apostolicam suis filiis credendæ propositæ sunt. 6. Earum, quæ ad hæreses exstirpandas, ac confutandas unanimi consensu docuerunt Doctores Catholici. 7. Earum, quæ ex tertio, quarto, quinto, & sexto generibus necessariò derivantur. Ibidem addit, propositionum hæreticarum septem esse genera, quæ cum istis pugnent, & singula singulis respondeant. Propositionem de fide definit ibidem, *quòd sit credere & tenere omnia ea, quæ sacra Biblia, traditio Apostolorum, Romana fides, generale concilium, consentiens sacrarum Scripturarum omnium sanctorum expositio, & ea quæ ab istis consecutione necessariâ deducuntur.* Sed hâc ratione præter tautologiam, principii petitionem, &c. aut nihil dicitur, aut tenebræ majores huic quæstioni offenduntur, & lector in bivio relinquitur, & partim veritati, partim Papatus ac Scholarum dogmatis ac decisionibus contradicitur. III. *Quæst.* An pertinacia constituat essentiam hæresios formalis in mente? *Resp.* Si per pertinaciam intelligatur perseverantia in errore fundamentali ad finem vitæ, aut ad longum aliquod tempus: *Neg.* Quia longi aut brevis temporis duratio, non est de essentiâ aut de ratione formali virtutis aut oppositi vitii; non magis quam duratio longa aut brevis de essentiâ alterius

cujuscunque rei. Sin intelligas formatum, completum, resolutum & vincentem mentis assensum, in quo quis acquiescit; ita ut à levi mentis apprehensione, aut dubitante, & trepido judicio & non sine aliquâ formidine oppositi, distinguatur: *Aff.* Et sic si intelligi velint veteres & recentiores, qui cum *Augustino & Iure Canonico cap. dixit, & cap. qui in Ecclesiâ.* 24. *qu.* 3. ad hæresin requiri dicunt, ut quis hæreticam opinionem pertinaciter teneat ac defendat: utique non dissentimus. Quomodo autem circa qualitatem & latitudinem hujus hæresios inter se disceptent Pontificii, vide inter alios fusiùs hæc tractantem *Malderum ad* 2. 2. *qu.* 11. *art.* 2. *membro* 4. Quodcunque hic senserint Doctores, saltem omnium suffragiis subruitur hypothesis illa, ad quam tanquam sacram anchoram in exceptionibus pro Liberio, Honorio, aliisque Papis in hæresin lapsis confugiebat *Cornel. Iansenius in Spongia sua* adversus me edita. Nec facilè, inquiebat, probabis, aliquem in hæresi mortuum. Sanè acutè, obtusè. Quomodo ergo hodie quenquam ab Ecclesiâ Romanâ dissidentem, & me nominatim potuit hæresios accusare? Nescit enim an singuli Reformati aut Sociniani, aut Anabaptistæ, tum Doctores, tum discipuli usque ad finem vitæ in suâ professione perseveraturi sint. IV. *Quæst.* An Ecclesiæ sensus aut determinatio sit de ratione formali veritatis fundamentalis, & consequenter ingrediatur definitionem hæresios. *Resp.* Sic velint Doctores Pontificii; qui tamen frequenter sui obliti, in definitionibus fidei, & oppositæ hæresios non meminerunt Ecclesiæ in genere, aut Ecclesiæ Romanæ, aut Papæ. Conferat, cui vacat, *definitiones Patrum, Scholasticorum, Casuistarum.* Quin & inter Scholasticos nonnulli apertè contradicunt, ut Johannes Altenstaig in Lexico-Theologico: *Ex hâc definitione sequitur, quod error in fide non ideo est hæresis, quia ab Ecclesiâ damnatus, sed quia fidei contrarius. Vnde hæreses ab Ecclesiâ damnatæ, priusquam damnarentur, fuerunt hæreses.* Et rectè: est enim Ecclesiæ judicium hæresi extrinsecum & accessorium quid, quod potest adesse aut abesse: haut aliter ac *determinatio Ecclesiæ non facit* (ut loc. cit. Altenstaig.) *propositionem prius veram, esse falsam; nec prius falsam esse veram. Sed quia vera est Ecclesia approbat, aut si falsa reprobat & condemnat.* Et hæc quidem de verâ Ecclesiâ in genere. Ad Ecclesiam Romanæ sedi affixam, si quis applicare velit, prius probandum erit magnum illud postulatum, de ejus Catholicismo, Infallibilitate, Monarchicâ potestate. V. *Quæst.* An assertio erronea, quæ sapit hæresin, sit hæresis? *Resp.* Sapere hæresin, (juxta *Occamum, & Gabrielem in* 4. *dist.* 13. *qu.* 2. *art.* 3.) dicitur, quod ex hæresi & aliquo vero coassumto (quod rationabiliter negari non potest) deducitur. Atqui talis assertio, quamvis hæresi proxima, aut admodum affinis ac connexa sit, non tamen semper est hæresis in formâ.

VI. *Quæst.*

VI. *Quæst.* An error aliquis Philosophicus possit dici hæresis, aut saltem sapiens hæresin? *Resp.* Distinguimus errores Philosophicæ veritati oppositos. 1. *In* eos, qui in actu exercito, & eos qui in actu signato veritatis, Logicæ, Metaphysicæ, Physicæ, &c. opponuntur. 2. *In* eos, qui veritati non tantum in Philosophiâ, sed & in Theologiâ traditæ repugnant: & in eos, qui tantum veritati ad solam Philosophiam, aut Medicinam, aliasque artes pertinenti repugnant. 3. *In* eos, qui veritati alicui ad Philosophiam propriè pertinenti, sed & Scripturæ testimonio firmatæ repugnant: & in eos, qui repugnant veritati Philosophicæ, cujus Scriptura nusquam meminit. 4. *In* eos, qui repugnant veritatibus Philosophicis proximè Theologiæ & fidei nostræ contra Adversarios defendendæ ancillantibus. His distinctionibus præmissis, sit 1. *Concl.* Quamvis errores veritati axiomatum Logicorum ac Metaphysicorum in actu signato traditæ repugnantes, non omnes dicantur hæresin sapientes: negari tamen non potest, quin communia principia & generalia luminis naturalis ac rectæ rationis effata sive theoremata & canones disciplinarum istarum, per oppositos errores præfractè loco mota, latentium & turgentium hæresin prodromi, aut adminicula, aut signa sint, & consequenter hæresin sapiant. Ex. gr. si quis contendat contradictoria, sive explicitè sive implicitè posse simul vera esse. 2. *Concl.* Error aliquis, qui veritati Philosophicæ in actu exercito seu in usu & applicatione ejus veritatis ad dogma Theologicum repugnat, potest dici sapere hæresin; siquidem dogma illud sit necessarium & fundamentale. Sic ex. gr. Si quis non sine præjudicio Theologiæ contenderet, Dari in causis processum in infinitum; Ex nihilo aliquid naturaliter fieri posse; Non dari ullum regressum à privatione totali ad habitum; Omnem actionem interre mutationem agentis; Corpus humanum non esse essentialem humanæ naturę partem; non posse ex duabus substantiis completis constitui unum per se, &c. 3. *Concl.* Error Philosophicus repugnans veritati purè Philosophicę, quam nec Theologia communiter possidet, nec Scriptura attingit, non potest dici sapere hæresin, nedum ut hæresis dicatur. Ex. gr. si quis erret circa originem nervorum, ductum chyliferum, aut lienis, hepatis, aliarumque partium naturam aut usum, circa climata & zonas orbis habitabilis, circa circum volutionem annuam Saturni, Jovis, Martis, &c., circa productionem sponte ortorum, aliaque Physica specialia quamplurima; circa morbos incurabiles, eorumque causas; circa specifica remedia omnium aliorum morborum; circa quadraturam circuli; denique circa demonstrationes quasque Geometricas, Staticas, Opticas, &c. 4. *Concl.* Error Philosophicus, repugnans veritati, quam communiter Philosophia & Theologia

2

gia possident ac tractant, siquidem sit in materia gravi ac Theologiæ judicio (ejus enim est de fidei articulis & erroribus fundamentalibus judicare) necessaria, non tantum hæresin sapit, sed etiam pro ratione subjectæ materiæ nonnunquam hæresis, immo plus quam hæresis merito dici potest. E. gr. Philosophia & Theologia communiter tenent ac tradunt hanc veritatem, quod aliquid de Deo & operibus ejus, præsertim de homine certo sciri possit, non tantum ex Scripturæ revelatione supernaturali, sed etiam ex libro & lumine naturæ. *Psal.* 19. *vers.* 1. 2. &c. *Rom.* 1. 19. 20. Si quis Philosophus sub nomine Christiano Scepticum errorem; *Quod nihil scitur, aut sciri possit,* præfractè huic veritati opponat; cur non liceat dicere hoc sapere hæresin, immo omnium hæresium, & Atheismorum scaturiginem aut sentinam fore, nisi maturè sistatur. Similiter si quis veritati Philosophicæ & Theologicę de animæ spirituali & immortali substantia opponat errorem quod sit mortalis, aut temperamentum corporis, aut modus, aut actio, aut pars essentię divinæ, &c. Idem statuendum de pseudo-Philosophematis quibusdam contra veritatem de Dei independentia, simplicitate, immensitate, æternitate, providentia & concursu, & dependentia omnium entium ab illo in essendo & agendo; de existentiâ, naturâ & operationibus dæmonum; de unâ animâ seu uno intellectu agente in omnibus hominibus; de miraculis & vaticiniis ad hominum quorundam peculiarem complexionem relatis, &c. Cum Philosophi in Italiæ Academiis antehâc tales errores prætextu Philosophię seminarent; nulla injuria ipsis facta est, quod in consilio delectorum Cardinalium errores, quamvis Philosophico titulo & scemate in scenam prodirent, Atheismi notarentur; & quod sub Leone X. in Concil. Lateran. expressè prohibitæ fuerunt assertiones contra animæ immortalitatem. Huc referri debent errores circa quæstiones mixtas, quæ altero termino Philosophico, altero Theologico constant, ut, An Deo causæ materialis, aut formalis notio & causalitas tribui possit? An Christi humana natura sit substantia singularis seu individua? An peccatum sit substantia, aut saltem quid positivum? An fides sit habitus, an verò tantum actio? An Dei scientia sit discursiva? An ratio humana sit fidei principium? 5. *Concl.* Errores veritati Philosophicæ, etiam Scripturæ testimonio confirmatæ oppositi, quamvis nec directe nec per primam consequentiam sint fundamentales, ideoque in se & per se nec hæreses sint, nec sapientes hæresin; non tamen neganda sunt sapere profanitatem & impudentiam. Ex. gr. flumina non oriri ex mari, quidquid dicat Spiritus Sanctus *Eccles.* 1. Quo nomine *Cardanus à Scaligero, Exercit.* 46. perstringitur his verbis: *adversus Salomonem disputat, qui è mari flumina dicebat generari.* Idem judi-

candum

candum de otioso & petulanti errore circa quietem terræ & motum Solis? Qui cum nullâ demonstratione naturali probari possit, nec tamen ob reverentiam Scripturæ ab eo abstineatur, videant ne temeritatis & profanæ petulantiæ suæ pœnas dent, & circa fidem aliquod naufragium faciant: Deus non irridetur. Considerentur exempla Vorstii Theologi, Claudii Alberii Philosophi Bernensis, &c.

Consect. 1. Quamvis Theologia Christiana, quod ad methodum, modum, formam explicandi ac contra extraneos à fide aut hæreticos malè contra fidem philosophantes defendendi subordinetur Philosophiæ, præsertim Logicæ & Metaphysicæ: neutiquam tamen quod ad materiam & simplices ex Scripturâ assertiones, & mediorum terminorum inventionem, ac cum minori extremo conjunctionem id intelligendum est. Vide *Disp. nostram de Ratione humanâ in rebus fidei, & de Theologiâ. Consect.* 11. Est ergo Philosophia accommodanda ad Theologiam Christianam, non contra: alioquin ancilla prætextu libertatis substituitur dominæ, eique licentiosè & tyrannicè dominatur. *Consectar.* 111. Nihil ergo absurdi fecerunt Cardinales à Paulo IV. delecti modò memorati, quod in Scholis Italiæ compesci voluerint præsumtam illam in præjúdicium Scripturæ & fidei Christianæ philosophandi libertatem: Nec Concilium Lateranense sub Leone X. quod prohibuit disputationes contra immortalitatem animæ: Nec *Clementin. unica, de Summâ Trinit.* (quamvis fortè rigidiuscule) quæ dicit hæreticos esse censendos qui pertinaciter tenent, animam rationalem non esse formam corporis humani: Nec denique congregationem Cardinalium, quæ decreto inhibuit sententiam de Solis quiete & terræ rotatione: pro cujus decreti defensione *Libertus Froimundus* Theologus Lovanienſis edidit *Vestam*, h. e. *Tractatum de Terræ quiete*; eumque postea contra exceptiones Jacob. Lansbergii vindicavit. De illis omnibus liceat pronuntiare, quod *Bellarminus* de Calvino, *in Controversiâ generali* 2. ubi de ἀνοησίᾳ: *Vtinam sic semper erraſſet!* Et ne soli Academici atque Ecclesiastici Papales, hanc in philosophando insolentiam, profanitatem, proterviam, notâsse videantur, digitum intendo ad acta Synodorum hoc anno in Geldriâ, Hollandiâ, Ducatibus Juliacensi, Bergensi, Clivensi, Marcano celebratarum; & ad decreta sive Curatorum, sive Academiarum, Harderovic., Leidens., Ultraject. Hâc ipsâ horâ, dum hoc scribo, ad manus meas pervenit exemplum decreti Illustrissim. & Præpot. DD. Ordinum Hollandiæ, quo periculosæ ingeniorum petulantiæ Academiam Leidensem prætextu libertatis Philosophicæ (verè servituris) nimis proh dolor! hactenus infestanti, fibula imponitur. *Consectar.* 2. Hinc sequitur, sponte cadere illas calumniolas exceptiunculas:

Quod hic ager sit Philosophicus, non Theologicus: Quod Theologi & Ecclesiastici falcem mittant in alienam messem, & sint πλυπραγμονες, ἀλλοτριοεπίσκοποι, immo & παντοπραγμονες: quodque more & modo Papali omnibus dominari, & libertatem investigandæ rerum naturæ adimere velint: Quod quasi jure emphiteutico Scripturæ interpretationem sibi vindicent. *Resp.* 1. *Si* materiam spectes, ad Theologicum agrum etiam pertinere arbitror, mundi creationem, & constitutionem, animæ humanæ spiritualem & immortalem substantiam, naturalis & supernaturalis effecti explicationem ac distinctionem, angelorum bonorum & malorum naturam atque operationem, Juris naturalis, & honesti, cum principiis actionum humanarum explicationem, Dei attributa, & quæcunque Theologiæ naturalibus finibus circumscribuntur. Sin principium Philosophiæ, hoc est, rationem spectes, & illa locum habet in Theologiâ, & quidem dupliciter: *primò*, quatenus & quousque Theologi assertiones Theologiæ naturalis, ex lumine naturali & rectâ ratione tanquam principio secundario, deducunt ac demonstrant. *Secundò*, quatenus assertiones soli Theologiæ revelatę proprias ex unico verbi divini principio deductas, contra adversarios malè philosophantes ratione tuentur. 2. *Resp.* Theologi & Ecclesiastici minimè sunt ἀλλοτριοεπίσκοποι nedum παντοπραγμονες, cum suâ agunt & curant, hoc est, Theologica Theologicè, Ecclesiastica Ecclesiasticè: atqui hoc eos facere, etiam cum circa aliquot quæstiones Philosophicas (sive verè tales, sive ita dictas) versantur, ex supra positis distinctionibus & conclusionibus liquere arbitror. Multò minus, ἀλλοτριοεπισκοπῆς insimulandi, cum Philosophis volentibus ἀλλοτριοεπισκοπεῖν & παντοπραγμονεῖν, non cedunt, nec agrum suum Theologicum colendum concedunt, ad Theologiæ & fidei corruptionem, Ecclesiæ perturbationem. 3. *Resp.* Libertas quam vocant philosophandi, sic non est explicanda & extendenda, ut impunè in fidem & Theologiam grassetur, ejusque firmamenta luxet aut tollat: aut etiam Theologis omnem libertatem ac facultatem, Ecclesiis omnem potestatem tollat, cum rem suam agi, & in viscera fidei, immo & in ipsum fidei ac pietatis principium sæviri vident. Salutaris hæc clausula, disputari aut disquiri aliquid philosophicè, & vi libertatis philosophandi, de quâ scil. Theologis aut Ecclesiis nihil delibare licet, facilè omnibus hæresibus, immo & atheismis prętendi posset. *Et mala sunt vicina bonis, &c.* Sic Philosophi in Italiâ, præsertim Aristotelem ad Averroen trahentes, contra Theologos se muniebant istis cautionibus: Hoc *asseritur secundum mentem Aristotelis*, seu potius Averrois, &c. hoc *tenetur secundum Philosophiam*, aut, *in vitâ naturæ*, aut, *in viâ Philosophi, &c.* Vide quæ de talibus

bus Philosophis monuit *Pererius in Proleg. seu præfat. Disput. Physicarum.* Vorstius & Remonstrantes nihil prius habuerunt, quam novitates & hæreses suas sub salvo conductu Philosophicæ quæstionis aut subtilitatis Philosophicæ intrudere, aut saltem condemnationi eripere. Vide *illius & horum Apologias.* 4. *Resp.* Jure quasi emphyteutico (si ita loqui libeat) appropriata est Theologis & Ecclesiæ Antecessoribus publica, antecedens, & directiva Scripturarum interpretatio: privatâ & sequente, nulli fidelium negatâ; quippe cum ex mensurâ doni cuique competat judicium discretionis & approbationis. 1. *Cor.* 10. *vers.* 16. 1. *Thessal.* 5. *vers.* 20. 21. Saltem Jure divino, aut naturali, aut gentium, aut civili, aut municipali, aut Academico Philosophis, nedum puris nominalibus aut conceptualibus, dictum illud jus emphyteuticum adjudicatum, & Ecclesiasticis ac Theologis abjudicatum non meminimus. VII. *Quæst.* An si idiota quis errorem Philosophicum veritati Theologicæ per consequentiam oppositum, admitteret, hæresis aut hæresin sapiens ipsi adscribendum sit: ex. gr. animam hominis esse materialem, corpoream, quantitative extensam, ex partibus compositam: vel, corpus non esse partem essentialem hominis: vel Deum essentiâ suâ non esse præsentem in locis sordidis: individuum humanum, & personam humanam perpetuò & necessariò pari passu ire ac reciprocari. *Resp.* Distinguenda est propositio talis, à receptione & assensu idiotæ. De propositione non est dubitandum, quin ad minimum sapiat hæresin, eamque apta sit juvare, promovere, fulcire: De idiotâ pariter non est judicandum, quippe qui magis crassa rerum istarum ignorantia, quam hæresi peccare præsumendus est. Hoc ergo agendum, ut edoceatur, quomodo per consequentiam sapiens hæresin post se trahat, & tandem fundamentalem illam Theologiæ veritatem justo præsidio destitutam hæreticis prodat. Quod si machinis his adhibitis animum suum in assensu nihilominus obfirmet, jam illud sapiens hæresin aut hypothesin illam ad fulcimentum hæresios tenere judicandus est.

VIII. *Quæst.* An error fundamentalis fidei non sit hæresis, nec ab eo 4
dicendus sit hæreticus, qui extra externam communionem Ecclesiæ vivit, aut qui baptizatus non est, nec Christianismum professus. *Resp. Affirm.* communiter Canonistæ, Scholastici, Casuistæ Pontificii, *Azorius, Basseus, aliique ibidem cit.* Ego puto circa non baptizatum, fidem non professum, & in communione Christianorum non existentem; τὸ implicitè & explicitè distinguendum esse. *Multi*, inquit Augustinus, *lupi intus, & mul. aoves foris.* Adhæc distinguendum forum externum Ecclesiæ, à foro interno conscientiæ coram Deo. In isto hæreticus est quicunque errorem fundamentalem tenet: in illo non est, hoc est, non judicatur & conde-

condemnatur tanquam hæreticus, nec de eo dicitur illud, Tit. 3. vers. 10. *Hæreticum hominem post &c.* Quia Ecclesia jurisdictionem & censuram suam non extendit ad eos qui foris sunt, sed tantum ad eos qui fratres nominantur 1. *Corinth.* 5. *Malderus ad qu.* 11. *art. membro* 3. aliquam partem ad nos accedit, dum fatetur professionem nominis Christiani posse sufficere, non solum ut coram Deo quis hæreticus sit, sed etiam ut talis habeatur ab Ecclesiâ. Atqui aliud est haberi ab Ecclesiâ hæreticum, & aliud propter hæresin censuræ subjici: Prius cum *Azorio* probo; posterius cum eodem rejicio. Placet ratio *Malderi* (si pro priori membro tantum militet): quia constat ex Catechumeno quem posse fieri hæreticum; immo aliquem ex Turcismo, Paganismo, Judaismo immediatè transire, ad tales hæreticos, qui baptismum non recipiunt, vel in aquâ non baptizant, sed alio superstitioso ritu sacris & Ecclesiæ Christianę initiantur. Nobis in Belgio fœderato non est procul eundum: Hic enim tot sunt Anabaptistæ, qui baptismum ad provectiorem ætatem differunt: qui tamen sub nomine Christiano (Athei enim, Gentiles, Judæi, Turcę audire nolunt) hæreses tenent & profitentur. Simile quid dici potest de illis, qui in Gentilismo aut Turcismo procul ab omni Christianæ Ecclesiæ communione vivunt; nec tamen sunt de Gentilismo aut Turcismo: quippe privatim aliter ab aliquo Christiano, aut ex propriâ lectione Scripturæ edocti. Tales in errorem fundamentalem incidentes, ab hæresi non essent immunes. De erroribus eorum, qui Gentilismum, aut Judaismum profitentur, hęresis absolutè negari non potest: quia apostasia seu infidelitas eorum est hæresis cum gradu excellentiæ. Sed hæc controversia fortè de nomine esset. IX. *Quæst.* An de ratione hæresios sit ut error fundamentalis contra conscientiam teneatur; an verò aliqua hæresis sit speculativa? *Resp.* Duæ hic sunt sententiæ, *una* Pontificiorum, quod omnis hęresis sit speculativa & secundum interiorem sensum, quamvis erroneum. Sic *Antonin. Angel. Sylvester*, & ex iis Azorius lib. 8. cap. 9. *Ut aliquis*, inquit, *hactenus, requiritur, &c. ut contra fidem intellectu erret, nam si opere tantum, aut sermone tantum, non mente erret, hæreticus non est. Altera* Remonstrantium in *Vindiciis*, seu *Vedelio Rhapsodo lib.* 1. *cap.* 1. & 10. cum *Apologiâ cap.* 24. *quod hæresis speculativa* (uti eam appellant) *non sit peccatum.* Eandem vocant errorem innoxium: quando scil. sine malitiâ aut improbitate ex merâ conscientiâ errante, & vi teneræ conscientiæ ac reverentiæ adversus Scripturam aliquid fide tenendum non recipiunt, sed op positum ejus recipiunt. Vide hæc commenta eorum abunde in lucem protracta & excussa à *Vedelio in arcanis Arminianismi part.* 4. *lib.* 2. *cap.* 4. *& locis ibi cit.* Si τὸ *innoxio* addidissent terminum *meritorii*, jam aureolâ altiori

tiori errorem, seu mavis teneritudinem illam conscientiæ hæreticorum ornassent; & propius accessissent ad Toletum, aliosque Casuistas Pontificios, qui Laici alicujus errorem faciunt meritorium, siquidem is erret ex merâ obedientiâ erga Episcopum suum, quem in hoc errore sequitur. Quod ad opinionem Pontificiam, si fortè non sit quæstio de nomine, putamus etiam hæreticum immo & archi-hæreticum posse dici, eum, qui quamvis ipse interiori sensu errorem non teneat, sermone tamen & opere eum profitetur & promovet: ita ut ab actu hæresios exteriori non minus denominari possit in judicio Ecclesiæ hæreticus, ac quis ob actum exteriorem fidei in Ecclesiâ habetur & dicitur fidelis. Et certè pleræque quæstiones Casuistarum de judicio & pœnis hæreticorum fiunt de hæresi exteriori, hoc est, de hæresios professione ac traditione: quidquid sit de interiori sensu, qui soli Deo notus est. Eandem hæresios externæ notionem respiciunt catalogi hæreticorum, quos inde tantum denominant. Quod ad hæresin dictam speculativam seu innoxiam, eam Remonstrantes metiuntur ex protestatione hæreticorum dicentium, se non posse impetrare ab animo suo, ut hoc aut illud credant; seque tantum reverentiæ habere Scripturæ, ut non possint non credere, e. gr. esse tantum unam personam divinam, Christum esse naturâ ψιλὸν hominem, eandem numero carnem non resurrecturam, &c. Sed si hominum errans conscientia innoxios facit errores, & hæreticos immunes reddit à peccato hæresios, & quidni Judæos ab infidelitatis, perfidiæ, blasphemiæ, quibus velamen cordi impositum, & qui dicent se non posse credere ob reverentiam quam Mosi & Prophetis Vet. Testamenti habent, innoxios præstabit? Immo quidni impia quævis dicta & facta hominum, quæ errante conscientia designantur. Quasi scil. homines illam conscientiam sequi, non verò deponere deberent. Sed ut ad hominem eos urgeam, Pontificiorum, & nostrorum quorundam (ex. gr. Calvini & Bezæ) sententia de blasphemis hæreticis supplicio afficiendis, passim à Remonstrantibus condemnatur tanquam infernalibus flammis expianda. Sed si quis ex eorum sequacibus protestaretur, se ita sentire ex teneritudine conscientiæ, nec posse aliter ob reverentiam, quam habet verbo Dei, ubi supplicium illud præscribi censet; cur minus hunc errorem innoxium pronuntiabunt, ac errores aliorum? x. *Quæst.* An aliqua dubitatio sit hæresis, & dubius in fide possit dici hæreticus. *Resp.* Si dubitationis objectum immediatum sit propositio seu articulus fidei fundamentalis, ejusque antithesis. *Neg.* Quia completo & firmato assensu negationem illius, & affirmationem istius non amplectitur. Sin verò, objectum dubitationis sit quæstio illa, An de omnibus fidei articulis, aut de uno aliquo articulo, ex. gr. deitate

Christi, aut adventu ejus in carnem, aut animæ existentia post mortem, aut resurrectione mortuorum, aut vita æterna, sit dubitandum, & nihil de iis certâ fide tenendum, jam dicenda est non tam hæresis formaliter, quam via ad eam aut ei quid analogum. Sed si quis formato & firmato assensu statuat, nihil certo de articulis illis cognosci & credi posse; jam erit formaliter heresis Sceptica aut Dubitantia. *In jure Canonico in cap. dubius, de Hæreticis*, exsertè dicitur dubium in fide esse infidelem. In cujus explicatione admodum laboratur. Sexdecim Doctores citati à *Thomâ Sanches lib. 2. Moral. cap. 7.* hinc colligunt, si infidelis censetur, ergo etiam hæreticus est, siquidem nomen Christi profiteatur: quos sequuntur *Sylvius in 22. qu. 11. art. 1. Conincks, aliique. Azorius cap. 9.* contendit esse verè & propriè hæreticum, atque adeò puniendum. Dissentit Malderus ad 22. qu. 11. art. 1. & 2. *membro 2. Quia quamvis infidelis sit, non tamen hæreticus; cum hæresis requirat perfectam mentis adhæsionem, adeoque perfectum errorem, & contrarietur assensui fidei, non tam ut certus, quam ut verus est. Reducitur itaque ista infidelitas dubitantis ad hæresin, tanquam imperfectum ad perfectum. Et membro 4. Dubius in fide pertinaciam habere poterit, quâ fidem amittat; sed non eam, quâ propriè sit hæreticus, nisi jam desinat esse dubius & amplectatur errorem.* Basseus in Floribus Theol. pract. hanc sententiam judicat esse probabilem, *quia*, inquit, *qui suspendit judicium non videtur errare, cum neutri parti assentiatur, &c. & consequenter non est hæreticus propriè; nisi fictione juris, & quoad forum externum. Confectar.* Falsum aut saltem minus accuratè & propriè dictum illud Juris Canonici, defendi non potest (uti defenditur à *Sanches, Cano, Sa, Tannero, Puteano, Diana, Maldero*) per actum reflexum supra cogitationem dubiam, quo dubitans in fide elicit judicium erroneum circa res fidei, & judicat dubium seu opinabile tantum, quod est fidei. Talis enim actus reflexus, seu judicium de suâ dubitatione tanquam justa & necessaria, & de dubiis aut incertis fidei articulis, non est formaliter dubitatio, sed resolutus, completus, & firmatus error seu assensus erroneus: unde dubitans formaliter est dicendus hæreticus, non autem à conjunctâ seu antecedente dubitatione. Sicuti enim dulcedo non est formaliter & propriè albedo, quamvis adjuncta sit albedini in lacte, sic dubitatio non est formaliter hæresis; nec dubius, quà talis, est hæreticus. Quod Malderus satis animadvertisse videtur, cum ait *membro 4. moraliter loquendo in re fidei dubii, sunt hæretici.* Et Basseus, cum monens, esse sanè horum Autorum sententiam intelligendam, ita corrigit: *sed quia moraliter loquendo, cum dubitatione intellectus circa res fidei, solet esse conjunctus actualis error, quo illas non omnino certas esse judicat: ita hæresis communiter adest.* Rectè sane: ergo *Jus Canonicum* impropriè & per metonymiam concomitantis dixit, dubi-

um

ùm in fide esse hæreticum. XI. *Quæst.* An qui opinione tantum tenet fidei fundamentales articulos, aut articulum, sit hæreticus? *Resp. Affirm. Azorius*, siquidem in illâ opinione sit pertinax, eo quod pertinaciter credat, posse esse verum, quod contrarium est veritati fidei. Sed melius *negat Malderus*, quia talis incurrit quidem peccatum infidelitatis, non tamen propriè est hæreticus. *Vt enim opinio opponitur scientiæ, non tamen est error scientiæ contrarius: sic opinio de rebus fidei, non est error contrarius fidei; quia deficit quidem in exercitio perfecti assensus, non autem errat circa objectum assensus, nisi fortè errore facti potius quam dicti; actu potius exercito quam significante; practicè potiùs, quàm speculativè.* Addo, si actu reflectente completi assensus & judicii de suâ opinione statuat, non esse nisi opinandum, quandoquidem non sit, nisi probabilis hic aut ille articulus circa quem opinio versatur: jam erit hæreticus, non quia aut quà opinatur, sed quia & quà completo errore de probabili & de opinione suâ determinat. XII. *Quæst.* An propositio, quæ enuntiat aliquid hæreticum, inducat hæresin, seu an talis propositio sit hæretica? *Resp.* Si per hæreticam propositionem intelligatur ea, quæ apta est constituere hæreticum. *Affirm.* Esse hæreticam à quocunque proferatur. Sic *Hadrianus, à Castro*, & cum iis *Malderus membro* 5. Contrarium tenent *Cajetanus* & *Bannes*; ad cujus rationes *Malderus loco cit.* respondet. Sed tota hæc disputatio satis otiosa & nominalis videtur, si modo τὸ objectivè seu materialiter & formaliter distinguatur. Objectivè & materialiter est hæretica, à quocunque proferatur; formaliter non est, nec actu constituit hæreticum illum, qui profert, nisi adsint hæresios requisita. Quomodo distinguitur τὸ mendacium dicere, à τὸ mentiri. XIII. *Quæst.* An per dictum inordinatè prolatum incurratur in hæresin? *Resp. Lombardus in* 4. *dist.* 13. & ibi *Thomas* ex dicto quodam Hieronymi. *Affirm.* Sed rectius *Canus lib.* 12. *de locis Theolog.* & ex eo *Malderus, membro* 2. *Negat.* Concedunt autem, occasionem esse erroris, & quem inde suspectum fieri hæresios. Quod ego de eruditis & Theologis vocum & rerum gnaris intelligi volo; non verò de idiotis.

XIV. *Quæst.* An qui per ignorantiam crassam credit aliquid contra fidem, paratus tamen sit, si quidem admoneatur, errorem suum deponere, sit hæreticus? *Resp.* Duę sunt opiniones inter Pontificios, una cum *Scoto in* 4. *dist.* 22. *qu.* 2. *Affirm.* Quin & *Gabriel in canon. Missæ, lect.* 39. (*in principio*) Apostolis hæresin tribuit. Altera communior *Canonist. & Casuist.* (apud *Azorium & Basseum cit.*), sub distinctione *Negat.* esse revera & in interiori foro conscientiæ hæreticum; dummodo paratus sit errorem corrigere, & implicitè credat quidquid credit Ecclesia: sed in foro exteriori & fictione juris *Affirm.* eundem esse hæreticum, & ut talem à judici- 6

bus meritò puniri posse. Nos arbitramur hâc distinctione rem non satis explicari. Quod ad prius membrum, nimis laxè omnes tales ab hæresi in foro conscientiæ eximi videntur: quia *τὸ paratum esse*, ambiguè, & *τὸ implicitè credere quidquid credit Ecclesia*, perversè dicitur. Si quis monitus in interiori conscientiâ revera paratus non sit errorem per crassam ignorantiam admissum deponere, & debitam instructionem quærere ac recipere; sed tantum externè hoc profiteatur, atque insuper fidem implicitam omnium quæ Scriptura continentur; cætera non obstante sufficiente convictione, constanter maneat ac se obfirmet in errore fundamentali per crassam ignorantiam primum ingenito: utique censendum, talem in foro conscientiæ esse hæreticum. Quod ad posterius membrum distinctionis, nimis rigidè & iniquè pœnis hæreticorum (quę secundum jus Canonicum & praxin Papalem sunt acerbissimæ) in foro externo tales errantes subjiciunt: præsertim cum contra Scotum asserant longè diversam rationem esse erroris, ac adulterii, furti, homicidii, perjurii per ignorantiam crassam commissi. XV. *Quæst.* An qui per ignorantiam assentitur, sit hæreticus? *Resp.* *Affirm.* Si quidem assensus sit completus & perfectus: uti supra descriptus est. Pontificii apud *Valentiam*, *Azorium*, *Bonacinam*, *Bassæum*, distinguunt: si quis, ajunt, affectet nescire res fidei, ut liberius erret in fide. *Affirm.* Sin vero affectet seu eligat nescire, non ut liberius erret in fide, sed ex tædio, vel negligentiâ addiscendi, vel ob aliam causam. *Neg.* Quia non errat cum pertinaciâ. Sed quid si ex pertinaciâ velit manere in ignorantiâ, ad quam necessariò sequitur permanentia in errore fundamentali, an ab hæresi immunis erit? Non dicent, ut opinor: nisi velint requisitum omnis hæresios facere, ut sit contra conscientiam. XVI. *Quæst.* An hæreticus dici possit, qui directè & apertè hæresin non profitetur, sed tale quid ex quo per primam & necessariam consequentiam hæresis inferri possit. *Resp.* *Affirm.* Ut enim articulus fundamentalis per consequentiam, ita & error per consequentiam haberi potest; eoque errantes gravari, exemplo Pauli, *Galat.* 5. *vers.* 2. 4. Confer *Disp. de Artic. & Error. fundamental.* XVII. *Quæst.* An Ecclesia aliqua particularis formaliter sit hæretica, quæ ab hæresibus infestatur? *Resp.* Si potior aut melior pars adhuc in acie stet pro causâ Dei, & ab hæresibus se liberare conetur: *Neg.* Sin victoria sit penes hæreses. *Affirm.* Victoria autem obtineri dicenda est, cum Antecessores & Auditores ferè omnes aut saltem potioribus suffragiis Ecclesiæ potestatem tenent & exequuntur, & in corpus Ministerii atque Ecclesiæ formam hæresios introducunt: frustrà obtinentibus, quin & oppressis, aut etiam ejectis, aut inde se subducere coactis, quorum melior sententia menti. XVIII. *Quæst.* An in Ecclesiâ victâ ab hæresi, omnes

mnes & singuli formaliter sint hæretici, qui quamvis hæresi non assentiantur, in externâ tamen ejus communione etiamnum hærent, nec peremtoriè secedunt? *Resp. Neg.* Pariter hic judicandum, ac de multis majorum nostrorum sub Papatu, qui tamen non erant formaliter de Papatu. Poterant enim quidam esse formaliter ignorantes pleraque aut præcipua Antichristi mysteria: alii dubitantes; alii pro modulo contradicentes, & meliora contra spem sub spe sperantes; alii in silentio suo gementes, *Ezech. 9.*; alii pro tempore à carnis suæ infirmitate supplantati, contra conscientiam ad instar Apostoli Petri veritatem externè abnegantes, & communem errorem profitentes. Confer nostram *Desperatam causam Papatus, lib. 3. sect. 2. & 3.* ubi de successione & secessione Ecclesiarum. *Negandum* tamen non est, quin tales omnes in Deum peccent, sive per ignorantiam, sive contra conscientiam. Vide *Hosea 2. vers. 1. 2. Corinth. 6. vers. 17. Apocal. 18. vers. 4. XIX. Quæst.* An Magia sit hæresis, & Magi sint dicendi hæretici, & vice versâ? *Resp. 1. Quod ad prius membrum:* Pontificii Casuistæ communiter *Neg.* fortè ut Papas, quos aliquos fuisse Magos, negare nequeunt, hâc ratione ab hæresi liberare queant. Sed æthiopem lavant. Cum enim pactum & exercitatio Magiæ non sit sine fundamentalibus erroribus circa dæmonum naturam & operationes, circa Dei providentiam, ut & fidem, fiduciam, spem, caritatem nostram erga Deum: sequitur non minus pronuntiari posse, quod omnis Papa Magus sit hæreticus; ac pronuntiant de dubio in fide; quod omnis dubius sit hæreticus. Quamvis ut dubitatio, sic Magia formaliter non sit hæresis; sed hæresin aut præsupponat, aut conjunctam habeat. 2. *Quod ad posterius membrum. Neg.* Quamvis inter hæreticos non pauci fuerint, qui crimen Magiæ cum hæresi conjunxerint, teste *Augustino de verâ Religione, cap. 4.* & Tertulliano de Præscript. *Notata*, inquit, *etiam sint commercia hæreticorum cum Magis quamplurimis, cum Circulatoribus, cum Astrologis, & c.* Quales Menander, Saturninus, Gnostici, Carpocrates, Basilides, Priscillianus, &c. quibus adde Papas aliquot Romanos; quos collige ex *Historiâ Papatus*, aut si compendio uti velis, lege in *Zegedini Speculo Pontificum. XX. Quæst.* An hæresis sit idololatria, aut superstitio? *Resp.* Propriè *Neg.* quamvis per metaphoram aut per metonymiam subinde dicatur idololatria. Est enim ut plurimum conjuncta cum idololatriâ, aut eidem analoga. Tertullianus adversus Praxeam: *sicut nationes manibus, ita & hæretici verbis idola fabricantur.* Eodem sensu hæretici apud Patres quosdam cum Gentilibus comparantur, immo & Gentiles seu idololatræ dicuntur: de quo infrà. *Vincentius Lyrinensis in Commonitor.* hæreses vocat *humanas superstitiones*: & *Athanasius* ac *Lucifer Caralitanus*, hæresin

Arrianam appellant superstitionem. XXI. *Quæst.* An hæresis sit species peccati in Spiritum Sanctum. *Resp. Thomas Aff. in 4. dist. 12. qu. 2. art. 2.* Sic citat *Altenstaig in Lexico Theologico.* Puto alterum scriptum ab eo innui, nam in scripto ad Comitem Hannibalem non invenio. Sed hæc opinio nititur sententiæ Scholasticorum ad *Thomæ 22. quæst. 14. artic. 2.* ubi sex species hujus peccati numerantur, quæ hoc peccatum nimium extendit.

DE ERRORE ET HÆRESI, *PARS SEXTA.*

Resp. GUILIELMO BAXCAMP, Roterod. Batav. *Ad diem 22. Novemb. 1656.*

I. Absolutis, quæ restant, quæstionibus circa hæresis causas & adjuncta. II. Ad ejus divisiones accedemus.

1 *Quæst.* XXII. An Philosophia ejusque studium inter causas hæresiωn numeranda. *Resp. Neg. Rat.* 1. Quia ut natura, lumen naturale, recta ratio naturalis, cognitio sensuum per se non est, nec esse potest causa hæresios; sic nec doctrina & veritas ex lumine naturæ & rectâ ratione ac sensibus hausta; hoc est, veritas & cognitio Philosophica. Antecedens patet, quia est à Deo totius naturę, & naturalis rationis, luminis, veritatis, omnisque boni in naturâ autore, *Iohan. 1. vers. 9.* collat. cum *Roman. 1. vers. 19. 20. Actor. 17. vers. 27.* Adde Philosophiæ præsuppositam theoriam, eique superstructam praxin in Bezaleele, aliisque Θεοδιδάκτοις, *Exod. 31. vers. 3.* Et sapientiam Philosophicam Salomonis, quâ Deus ipsum extraordinariò donaverat *1. Reg. 4. vers. 29.-34.* Et Θεόπνευστον Philosophiæ ac Theologiæ naturalis cognitionem Pauli, quâ restitit pseudo-Philosophis Athenienſibus, *Actor. 17. Rat. 2.* Quia Deus provocat & nos remittit ad cognitionem, quę per rationem, & per sensus rationi ancillantes habetur. *Rom. 1. vers. 19. 20. & 2. vers. 14. 15. Actor. 17. 27. Iesa. 40. vers. 21. 26.* atqui hęc nihil aliud est quàm Philosophia. Ergo illa non est mala, nec per se causa mali aut hæresios. *Rat. 3.* Quia veritas Philosophica naturaliter revelata supernaturaliter revelatæ veritati Theologicæ non repugnat, nec illa istam corrumpit, nec vice versâ: ergo non est causa hęresiωn. *Rat. 4.* Quia Philosophia juvat veritatem Theologicam; idque non uno modo: nedum ut eam tolleret aut corrumperet per hæreses, &

per

per se causa esset hæresiωn. Antecedens probatur: 1. *Quia* in Theologiâ positivâ & dogmaticâ subministrat formam & modum ordinatè, distinctè, perspicuè, accuratè materias explicandi per definitiones, theses, hypotheses, consectaria; easdemque probandi per demonstrationes directas, & indirectas. 2. *Quia*, in materiis quæ ad Theologiam naturalem pertinent, inservit insuper Euporiæ, hoc est, facili & certæ argumentorum seu mediorum terminorum inventioni. Hic enim lumen naturę & recta ratio præstat principium, unde conclusiones deducuntur. 3. *Quia*, in Theologiâ Elenctică inservit corruptę rationi & pseudo-Philosophiæ, quę se contra veritatem Theologicam effert, retundendæ, eamq; sive directè, sive indirectè, sive διὰ δυνάτων, sive κατ' ἄνθρωπον confundendæ ac profligandæ. *Object.* 1. *Coloss.* 2. præmonet Apostolus, ne quis eos deprædetur per Philosophiam. *Resp.* Sed per appositionem describit eam, quod sit *vana deceptio*. Atqui vera Philosophia, quam Deus ipse per lumen naturale & rectam rationem docet, non est talis: alioquin Deus esset deceptor; quod nefas est cogitare. Omne verum & bonum est à Deo primâ ac summâ veritate ac bonitate. Intelligit ergo Apostolus pseudo-Philosophiam, seu abusum Philosophiæ, hoc est, fallas Philosophorum opiniones & sectas, ex quibus prodibant heterodoxi illi; aut quarum auxilio fidei corruptelas, quas Apostolus ibi redarguit, formabant, ac defendebant. Haut aliter ac 1. *Timoth.* 1. *vers.* 4. rejiciuntur falsæ & otiosæ genealogiæ, quæ scil. sunt *fabulæ*, & 2. *Thessal.* 2. *vers.* 2. falsæ & fictæ revelationes, & 1. *Timoth.* 6. *vers.* 20. ψευδώνυμος scientia, & 1. *Corinth.* 2. *vers.* 14. vana ac sophistica eloquentia, seu loquentia. Unde tamen non infertur, veram genealogiam, revelationem, sapientiam, eloquentiam, esse malam aut inutilem, aut corruptricem religionis. Hîc valere debet vulgata regula: *Tollatur abusus & maneat rerum substantia.* Vide & confer *Commentaria Melanthonis*, & *Davenantii*, & *Victorini Strigelii*, qui Patrum aliquot testimonia ibidem adducit. *Espenceus in tract. de Animatione Cœlorum in principio*, & *Pererius in Præfat. ad Disp. Physicas*, & *Keckermannus in Præcognit. Philosophicis de vero usu Philosophiæ in Theologiâ* differunt. *Object.* 2. Tertullianus de Præscript. cap. 7. dicit *hæreses à Philosophiâ subornari: Idem contra Hermogenem cap.* 8. Philosophos *hæreticorum Patriarchas* appellat: quod etiam laudatur ab *Hieronymo lib. contra Pelagium ad Ctesiphontem, in principio. Resp.* Si quis loca citata inspiciat, & conferat cum *ipsius libro de Animâ*, imprimis *cap.* 23. videbit eum non loqui de Philosophiâ ipsâ, sed de Philosophiâ ethnizante, & de Ethnicis errantibus Philosophis, eorumque pravis opinionibus, Sectis & Magistris ibi designatis, inter quos excellebat Plato cum suis; quem hoc elogio (cap. 23. de Animâ) condecorat:

corat: *Doleo bonâ fide, Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum.* Aut loquitur de Philosophiæ inter Christianos abusu, ejusque intra terminos suos evectione & applicatione: uti se explicat in Apologetico cap. 47. *Philosophi gloriæ solius & eloquentiæ libidinosi, si quid in Sanctis Scripturis offenderunt digestum, pro instituto curiositatis ad propria verterunt.* Ibidem: *Ex horum Philosophorum semine & nostram hanc novitiolam paraturam viri quidam suis opinionibus ad Philosophicas sententias adulteraverunt, &c.* Adde verba ejus ex libr. de Resurrectione carnis: *Ita nos rhetoricari quoque provocant hæretici, sicut & philosophari.* Ubi aliquem Eloquentiæ & Philosophiæ usum sibi vindicat. Similiter accipienda & explicanda sunt, quæ *Lactantius lib.* 3. (quem hoc nomine taxat Censor ipsius *Ant. Raudensis*), & *Cyrillus Hierosolymit. Cateches. mystagog.* 18. contra Philosophiam dicere videntur. *Object.* 3. Formari solet ex dictis & axiomatis quibusdam philosophantium, quæ mysteriis fidei repugnare videntur: qualia sunt: ex nihilo nihil fit. Non datur regressus à privatione totali ad habitum, virgo non parit, &c. *Resp.* Hæc omnia verissima sunt, siquidem maneatur in terminis naturæ. Neque enim naturaliter aut per causas naturales ex nihilo aliquid fieri potest, &c. Sin verò quis extra terminos illos principia & axiomata Philosophica extendere velit, jam non ritè philosophatur, siquidem transit εἰς ἄλλο γένος, & vim facit veritati Philosophicæ: quæ propterea non est mala nec contemnenda; quamvis ex se & per se attingere nequeat veritates fidei ex solâ revelatione supernaturali cognoscendas. Simili hoc declarari potest, Veritas & doctrina, quam lex scripta continet, per se non est mala, nec Euangelio repugnat; quamvis ad veritatem Euangelio propriam de justificatione & salute peccatoris, non pertingat: nec ideo abjicienda est, quia multi sub nomine Christiano (Pelagiani, Pontificii, Sociniani, &c.) eâ abutuntur ultra suum genus & terminos extendendo usque ad justificationem & salutem per opera legis. Ut ergo non obstante defectu legis, quæ justificationem peccatoris non tradit, & abusu hominum, qui eam indebitè extendunt & applicant; veritas ejus & bonitas manet, quippe quæ est à Deo data: sic veritas Philosophica non obstante defectu, & hominum sive extraneorum à fide sive nomine Christianorum indebitâ extensione & applicatione, est ac manet veritas & bonitas; quia est donum Dei & lumen divinitus splendens atque illuminans per revelationem naturalem. Detur & aliud simile. Ut cognitio nostra sensitiva non est mala; quamvis deficiat, seu minorennis sit (ita loquar), & ad objecta purè intelligibilia sese non extendat: nec abjicienda est, quippe donum Dei; quamvis homines eâ multipliciter abutantur, eoque abusu cognitioni intellectuali obsint,

sint, quin & nonnulli ad objecta purè intellectualia eam extendant, ex. gr. ad corpoream visionem Spirituum, immo & absolutè simplicis ac infinitæ essentiæ divinæ.

XXIII. *Quæst.* An pars illa Philosophiæ, quæ Metaphysica seu prima Philosophia dicitur, inter causas hæresios numeranda? *Resp.* Non magis quàm Logica, Physica, Ethica, Politica, Oeconomica. Quidquid enim Apologiæ pro dictis scientiis afferri solet, Metaphysicæ parti generali & speciali, immo & toti Pneumatologiæ Philosophicæ, hoc est Theologiæ naturali, pariter applicari potest. Particulares errores Philosophorum, si qui in veritatem aliquam Metaphysicam incurrunt, aut ultra genus suum, & terminos scientiam hanc extendunt, non magis præjudicare debent ejus bonitati atque utilitati, quàm errores pænè infiniti Theologorum nomine & professione Christianorum, doctrinę & studio Theologiæ. Tres puto fastidii aut contemtus Metaphysici apud nonnullos causas esse, ignorantiam sc., præjudicatam sectæ alicujus Philosophicę opinionē, & invidiam, cum scientiæ hujus monopolio conjunctam. *Ignorantia* est: quia alicui fortè ingenium, aut otium, aut adminicula ad eam discendam defuerunt; aut tantum laborem sumere noluit, ut intimos recessus sublimis atque abstractissimæ hujus scientiæ penitus perlustraret, eamque in mentis suæ succum & sanguinem converteret. *Præjudicata* opinio sectę Philosophicę, est Rameorum; qui hanc scientiam eliminant, quòd putent Logicæ subjectum esse ens & non ens, & Physicæ subjectum esse substantiam omnem, tum corpoream, tum incorpoream: Et de Deo ac spiritibus, ut & de totâ Ethicâ, Oeconomicâ, Politicâ, in solâ Theologiâ tractandum: nihil ergo relinqui Metaphysicæ. Sed hæc macra atque otiosa controversia; propter quam Theologi manum non verterint. Si ipsis visum omnes illas universales abstractiones, formalitates & conceptus, qui in Metaphysicâ occurrunt, in Logicâ, Physicâ, Theologiâ suâ tractare; fruantur sanè judicio suo: modò rem ipsam habeant. Quorundam Theologorum sinistra (uti videtur) judicia de hâc scientiâ, quæ huc subinde accersuntur, non magis ei præjudicare debent, quam duriora dicta Patrum in Dialecticam & Rhetoricam; quas artes ideo Rami Sectatores ipsius exemplo studiosè excolere non desinunt. *Invidia* cum scientiæ hujus monopolio est eorum, qui soli tanquam aquilę in nubibus excellere affectant, & propriarum opinionum atque errorum nebulis se abscondere, atque apparente subtilitate aliquâ aliis scientiâ hâc destitutis formidabiles videri. Experti hoc sumus in Arminio & ipsius Sectatoribus: qui cum primum *Zvvarezii Metaphysicam*, & *Opuscula Theologica* (tunc ita dicta & in 4. edita) fervidè legerent, & inde τὸ hypotheticorum *itque reditque* de

necessario, contingente, libertate, concursu seu egressu sim ultaneo, &c. ad ravim intonarent; in progressu tamen sentirent, hæc terriculamenta cum Socinianis & χθὲς καὶ πρώην natis cogitatis pseudo-Metaphysicis, per veram & solidam Metaphysicam detegi ac profligari; in accusationem & contemtum Metaphysicæ conversi sunt, procuratâ etiam prohibitione, ne in posterum disputationes Metaphysicæ instituerentur, ne quidem ulla corollaria Metaphysica dispp. Physicis, aliisque Philosophicis subjicerentur. Qui legunt *ipsorum Apologiam & communia scripta* post eam edita, notent, quo fastidio subinde, cum ita usu venit, & Metaphysica defendendis fidei contra infideles & hæreticos mysteriis ancillari videtur, Metaphysicas subtilitates perstringant; qualibus tamen, sed detortis & malè applicatis, contra veritatem antehâc cum *Vorstio* suo usi sunt, nec etiamnum uti desinunt. Hæc ergo arma nobis è manibus excussa velint, ut inermibus commenta pseudo-Philosophica & absurda quęvis pro verâ Philosophiâ obtrudere possint. Sic olim Julianus Apostata usum eruditionis Græcanicæ Christianis ereptum ibat. Confer quę pro Metaphysicâ diximus in *Disp. de Theologiâ, & de Philosophiâ sacrâ.*

3 XXIV. *Quæst.* Quam sectam, aut quas sectas Philosophorum Apostolus *Coloss.* 2. *vers.* 8. potissimum respexisse videtur? *Resp.* Est nonnemo, qui de Peripateticâ determinat; hâc motus ratione, quod tunc temporis in Græciâ Philosophia per excellentiam sumeretur pro Peripateticâ. Sed hæc absque Philologiâ, Historiâ, atque antiquitatum cognitione temerè & imperitè dicuntur. I. *Quia* nullis Autorum testimoniis probatur, Philosophiæ nomine tunc temporis in Græciâ κατ' ἐξοχὴν appellatam fuisse Philosophiam Peripateticam. Hâc hypothesi subrutâ, cadit totum commentum illi superstructum. II. *Quia* nondum ex Historiis probatum, tunc temporis in Græciâ, & in Ægypto, Armeniâ, Syriâ, aliisque cultioribus imperii Romani Provinciis, aut etiam Romę & in Italiâ Peripateticam sectam publicè obtinuisse; reliquis, præsertim Stoicâ & Platonicâ, obsoletis & exulantibus. Quin potius contrarium ex Viris doctis circa illa tempora & post in Græciâ & Italiâ philosophantibus, ostendi posset: siquidem hoc tanti esset. Nôrunt hoc, quibus *scripta Ciceronis, Virgilii, Manilii, Senecæ, Plutarchi, Plotini, Macrobii, Auli Gellii, & nomina Tauri ac Favorini Gellio* memorata non sunt ignota. Ex Patribus proximè post Apostolica tempora florentibus, *Iustinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, &c.* erant Platonici. Sed tali auxilio nunc opus non est: cum sufficiat profitior & ex ipso textu desumta responsio; quam mox subjicio. III. *Quia Apostolus in hâc Epistolâ ad Coloss.* uti etiam *ad Galatas*, & ad *Philippenses*, directè & proximè non respicit Græcorum philosophantes, sed Judæos & Sectas

& Sectas judaizantes; uti colligitur ex *vers.* 8. secundum *elementa mundi*: quod philosophantibus Judæis convenit, aut Philosophis Gentilibus, qui ex astris & superstitiosis suis στοιχείοις (de quibus *Scaliger in Manilium*) dependebant. Atqui illorum Philosophiam (si quam à Græcis didicissent, aut adoptâssent) fuisse non tam Peripateticam, quàm Pythagoricam & Platonicam constat ex opinionibus de dæmonum ligatione, de animarum migratione, de ἀνυφωνίᾳ, &c. ex *Historiâ Flavii Iosephi*, & ex iis, quæ *Drusius* & *Scaliger de Sectis Iudæorum contra Serrarium* adduxerunt. Si quis *Philonem* Platonizantem inspexerit, & antiquitates Thalmudicas contulerit, facilè deprehendet & videbit qualis Philosophia in Judæa & in Judæorum ἀλληγορίαις, tunc magis exculta fuerit, Peripatetica an Platonica. Quod ad honoratissimam tunc temporis Sectam inter Judæos, Pharisaicam scil., illa Stoicorum Philosophiam in plerisque moralibus & in opinione de fato ex parte amplexa erat; & Philosophiam Pythagorico Platonicam in migratione animarum. De quo vide *Flavium Iosephum libr.* 18. *antiquit. cap.* 2. & *lib.* 2. *de Bello Iud. cap.* 7. Conferat, cui vacat *Ioh. Drusium lib.* 2. *de Sectis Iudæorum cap.* 14. IV. *Quia* errores Theologici, qui *cap.* 2. *ad Coloss.* notantur, non habent affinitatem cum Sectâ Peripateticâ, nec in genere, nec in specie. *Non in genere*, quia Secta Peripatetica non est secundum *traditionem hominum*, & *elementa mundi* (confer infra *vers.* 16. cum *Galat.* 4. *vers.* 39.) qualis Philosophia illa quam *vers.* 8. taxat Apostolus, de quâ hæreses & superstitiones Essæorum & similium animabantur. Nihil minus convenit Philosophiæ Peripateticę, & nihil magis Pythagorico-Platonicæ quàm traditio. Notum est decantatum illud Pythagoræorum ἀυτὸς ἔφα. Omnia examinabat *Aristoteles*, tanquam Philosophus (utrum quid assecutus sit, aut non sit, non facit ad rem præsentem), nullis prædecessoribus suis parcens; uti constat imprimis, ex Metaphysicis, & *lib.* 1. *Phys. acroas.* ubi disquirit *de Principiis*, & *lib.* 1. *de Animâ*, & ipse ingenuè hoc profitetur 1. *Nicomach. cap.* 6. Nihil minus etiam convenit Sectæ Peripateticæ, & nihil magis Pythagorico-Platonicę, *quam se convertere ad elementa mundi, hoc est, non continere se* (ut Rollocus ad hunc locum) *inter limites rerum humanarum, &c. Sed eos excedere, & altius ad Deum & res cœlestes ac spirituales assurgere, & conari regulas divini cultus tradere ac præscribere.* Ubi enim apud Peripateticos comparent regulæ de πλέξεις, θεωρίαις, & cultu atque ambitu geniorum seu dæmonum; quales apud Platonicos, *Plotinum*, *Porphyrium*, *Proclum*, *Iamblichum*. *Nec in specie* errores & superstitiones hæreticorum *cap.* 2. *ad Coloss.* notatæ affinitatem habent cum Sectâ Peripateticâ, ne quidem cum erroribus Aristotelis communiter à Christianismo condemnatis; sed bene cum aliis Sectis,

&tis, imprimis cum Pythagorico-Platonicâ. Errores notati sunt circa superstitiones in cultu angelorum & geniorum, qui inter Deum & homines intermedii putantur, & in abstinentiâ à cibis, & erant Judaizantium Essenorum, Gnosticorum, &c. De Essenis illic notatis affirmat *Scaliger in Elencho trihæres.* De Gnosticis *Cornel. à Lapide in Commentar. ad locum.* Illos autem ipsorumque Sectatores βιβλόγραφα illa hausisse aut interpolasse ex Philosophiâ non Peripateticâ, sed Pythagoricâ & Platonicâ, nôrunt illi, qui modo apud *Epiphanium*, *Augustinum*, aut alium quem hæresiologum & *Scaligerum in Elencho Trihæres.* placita istorum hæreticorum perlustrârunt, & cum Platonicâ ac Peripateticâ Philosophiâ obiter contulerunt. Certè in literaturâ omni & antiquitatibus versatissimus inter Patres Latinos *Tertullianus*, hæreticas & absurdas opiniones quasque ad alias philosophantium sectas Epicuream, Stoicam, &c. imprimis ad Platonicam, tanquam originem suam reducit in *libro de Animâ cap.* 23. ubi inter alia Platonem dicit, omnium hæreticorum *condimentarium factum.* Et paulò post: *Cum igitur hujusmodi argumento illa insinuentur à Platone, quæ hæretici mutuantur, &c. Davenantius* inter *Commentatores ad Coloss.* 2. Platonicam intelligi non malè conjicit; immo asserit *Cornel. à Lapide*: quem vide. xxv. *Quæst.* Utra ergo utilius à nævis & erroribus repurganda, interpolanda, & Theologiæ nostræ applicanda videtur, ut contra hæreses militet, Platonica an Peripatetica? *Resp.* Nos de istâ affirmamus. 1. *Quia* supra Platonicam, habet Logicam, & docentem & utentem. 2. *Quia* in reliquis disciplinis contendit ad scientiam καθ' ὅλα per definitiones, demonstrationes, divisiones: & sic Platonicam longè post se relinquit. 3. *Quia* Plato, etiam in illis quę falsa aut noxia non sunt, non tam Philosophicum indagatorem, quam ἐξηγητὴν egit, qui ab aliis auditas sive historias, sive fabulas referebat potius quam examinabat: omnia scil. recipiebat (uti alicubi de illo *Cæsar Scaliger*) tanquam vir bonus. 4. *Quia* sententiarum in Metaphysicis, Physicis, Ethicis, Politicis, veritate Platonicam longè superat. Legatur *Platonis Timæus*, & in eum *Commentaria Procli*, item *Alcinous*, *Iamblichus*, *&c.* 5. *Quia* pseudo-Philosophematis suis de Idæis, de Dæmonibus, de Animâ, ejusque statu ante hominis ortum & post discessum, de numerorum efficaciâ & mysteriis, de communione bonorum, immo & uxorum ac liberorum, de licitâ aut laudandâ ἀνυποφωνίᾳ, &c. hæreses pleraque, superstitiones, idololatrias, magicas goeteias & theurgias animavit, ut ita cum *Tertulliano* loquar. Confer supra *Disp. de Magiâ*, & *Tertullianum loc. cit.* & *Hæresiologos*, ubi de placitis Marcionis, Valentinianorum, Carpocratis, Hermogenis, Cerinthi, Montanistarum, Encratitarum, Gnosticorum, &c. 6. *Quia* Platonica ex aliorum

aliorum impuris fontibus derivata est, Pythagoræ scilicet, Heracliti, Socratis. Illum enim (teste *Laërtio*) secutus fuit & expressit in intelligibilibus, istum in sensibilibus, hunc in civilibus. Notum est ex *Laërtio*, quis & quantus fuerit Pythagoras, Pater superstitionum: qualis Socrates cum genio seu dæmone suo Paredro: Qualis Heraclitus Physicus. De Pythagoræ vitâ & Philosophematis, & quod Plato ejus Physicam sectatus sit, legi etiam potest *Photius in Myrobiblo, lib.* 259. 7. *Quia*, quamvis inter primos & antiquissimos Patres non pauci Philosophia Platonica imbuti essent; coacti tamen fuerunt Christiani Doctores, ex omnibus sectis Philosophiam Peripateticam Theologiæ nostræ ancillaturam adoptare, eamque interpolatam eidem adaptare, atque auxilium ejus in defensione fidei contra infideles & hæreticos advocare: & Platonicam relinquere; quippe hæresibus & superstitionibus magis ancillantem, quàm fidei veritati: ita ut jam ab octingentis amplius annis apud Græcos & Latinos (addo ego Arabas, Persas, Judæos) in Scholis admissa sit & regnet; uti observat *Lipsius lib.* 1. *manuduct. dissert.* 4. Eadem mens, idemque fuit consilium nostris Reformatoribus eorumque Successoribus, jam inde à primâ reformatione usque in hunc diem: uti ex constitutionibus & communi praxi Scholarum per inductionem probari posset: ubi in Physicis, Metaphysicis, Ethicis, Politicis, Aristotelis placita veritati religionis Christianæ repugnantia corrigunt, quæ deficiunt, supplent, quę redundare videntur, resecant: quę obscurè dicta illustrant, omniaque interpolant & ingeniis ac studiis hodiernis, imprimis Theologię Christianæ ita accommodant, ut Philosophia Christiana non minus dicenda sit quàm Peripatetica. Quod vi veritatis, & ex necessitate ab illis, ac minimè in gratiam Papatus, à quo aliàs quàm longissimè recedebant, factum esse credendum est. Philosophiam illam communem Scholarum è Papatu acceptam, tanquam vasa & spolia Ægypti converterunt in usum tabernaculi. *Object.* Atqui Patres nonnulli Platonem reliquis Philosophis præferunt. *Resp.* Id non simpliciter sed secundum quid intelligendum est. 1. *Propter* stylum: ut tunc Græcanica eruditio in λόγοις magnam partem statuebatur. Erat enim Plato, uti loquitur *Phrynichus apud Photium in Bibliothecâ libr.* 158. puri & Attici sermonis regula, norma, atque exemplum præstantissimum. 2. *Quod* ipse apud Grę̀cos in tanto æstimio esset, & passim *divinus Plato* salutaretur. 3. *Quod* ex eo uberius, quàm ex aliis, argumenta & testimonia suppeterent, quibus Græci Gentiles ad hominem, retundi ac confundi possent; in iis scil., in quibus Plato propius ad Christianam religionem balbutire videretur, & quę ex Mose suffuratus erat, uti hoc de illo pronuntiat *Theodoretus in curat. gr. aff. sermone* 2. *in fine*; idemque

ex professo probârat *Numenius* ex Apameâ Syriæ Philosophus Pythagoricus, Platonem scil. quę de Deo & mundo scripserat ex Mose compilasse; qui idcirco dicebat (teste *Suidâ, in voce* Νουμήνιος & *Clemente Alexandrino lib. 1. Strom.*) τί γάρ ἐστι Πλάτων ἢ Μωσῆς ἀττικίζων: quæ verba exstant apud *Numenium cap. 11. de Animâ*, citante *Lipsio lib. 1. Manuduct. dissert. 4.* Et huc respiciunt, quę ab *Eusebio lib. 15. præpar. Euangel. Lactantio cap. 19. de Irâ Dei. Augustino lib. 11. de Civitate Dei cap. 14. & cap. 4. de verâ Relig. Nazianz. Orat. 1. de Theologiâ*, aliisque deprimendo Aristoteli & extollendo Platoni, prolata sunt. Quamvis etiam longè aliter de Platone loquantur *Iustinus, Hieronymus, Tertullianus*, & ipse *Theodoretus serm. cit. pag. 25.* & passim *Irenæus lib. 1. capp. 10. 12. 13. 14.* ubi Valentini, *cap. 24.* ubi Carpocratis, *cap. 30.* ubi Continentium, *cap. 32.* ubi Basilidis, *cap. 33.* ubi Gnosticorum hæreses, cum Platonicâ Philosophiâ componit.

4 XXVI. *Quæst.* An qui in uno articulo à fide recedit ad hæresin, in aliis possit habere fidem? *Resp. Aff.* Siquidem fidem generalem & προσκαιρον intelligas, quæ est ex illuminatione Spiritus Sancti, cujus quidam irregeniti subinde participes fiunt. *Hebr. 6.* & 10. coll. cum *Matth. 13.* Et hoc inde probatur, quod hęresis omnis non sit apostasia, nec hęreticus omnis eo ipso simul sit infidelis & completus apostata, ex. gr. Novatianus quis, aut Monothelita, aut Eutychianus, aut Apollinarista, potest nihilominus reliquos fidei articulos tenere ac profiteri. Pontificii communiter nunc in Scholis cum *Thomâ 22. qu. 12.* determinant, habitum fidei per quamcunque hæresin planè amitti. Vide inter alios ex recentioribus multis hoc probaturientem *Malderum in 22. pag. 123.* cujus rationes coram, si proponantur, ostendemus non esse insolubiles. XXVII. *Quæst.* An hæresis possit cadere in vere regenitum & conversum. *Resp.* De regenito & quâvis hæresi, *Aff.* de verè & actualiter converso, & hæresi aliquâ, quæ sit secundaria, *Aff.* An autem in & cum eâ absque speciali & explicitâ resipiscentiâ mori possit, ita ut necessitate medii requiratur saltem resipiscentia generalis ac virtualis, cujus formula: *Ab occultis munda me*, Psal. 19. anxiè disquiritur. Nos malumus hâc vice ἐπέχειν: quod difficile admodum sit determinare, quænam sit minima fidei generalis mensura, cum quâ fides specialis applicativa, & justificans ejusque comes vera resipiscentia & sanctitas adhuc consistere possit. Conferendæ hic *dispp. de Articulis & Erroribus fundamentalibus in fine, & de fide Papistarum salutari an damnabili.* Magni Mornæi Plessiaci judicium in libro de Ecclesiâ cap. 2. tale est: *Vita*, inquit, *Ecclesiæ Romanæ non tenet nisi tenui admodum filo; quod jam plane putrefactum & ruptum esset, prout Antichristus sollicitè ibi partes suas egit*,

egit, si Deus per suam misericordiam tempestivè non misisset servos suos ad eum reprimendum. Quamdiu filum illud istic manet, non negamus ei nomen Ecclesiæ. XXVIII. *Quæst.* An hæretici sint dicendi Christiani? *Resp.* Non pauca occurrunt apud Patres, quæ nomen ipsis negare videntur. *Justinus Martyr, in Dial. cum Tryphone*, dicit hæreticos tam esse habendos Christianos, quam qui idola adorant, iisque sacrificant. *Tertullianus lib. de carne Christi*, inter Hæreticos & Gentiles nihil distare ait, nisi *quod Ethnici non credendo credunt, & Hæretici credendo non credunt.* Idem adverſ. Praxeam: *sicut nationes manibus, ita hæretici verbis idola fabricantur.* Cum quo convenit Vincentius Lyrinensis in Commonitorio cap. 15. *nova dogmata, quæ vetus Testamentum allegorico sermone Deos alienos appellare consuevit; eo quod scilicet ita ab hæreticis ipsorum opiniones, sicut à Gentilibus Dii sui, observentur.* *Ambrosius epist. 29. ad Theodosium Imperat.* Valentinianorum fanum incensum, nihil aliud fuisse dicit, quam conventum Gentilium. *Augustinus in Enchirid. cap. 5. & lib. 21. de Civit. Dei, cap. 25. & lib. de verâ Religione cap. 38.* hæreticum facit Gentili pejorem. Similia habet *Athanasius Orat. 2. contra Arrianos, Hieronymus in Isa. 2. & 8. & in Zachar. 13. Lucifer Calaritanus lib. 1. pro Athanasio, & lib. de non conveniendo cum Hæreticis, Prudentius in Apotheosi*, ubi contra hæresin Sabellii. Et hæc fortè inter exaggerationes hujus peccati, aut inter metaphoras atque hyperbolas numeranda. Propius ad rem facere videtur, quod Samosatenianos seu Paulianistas διυπέρους Ιουδαίους dictos fuisse testatur *Epiphanius, hæres. 65.* & eos rebaptizandos statuat *Concil. Nicen. can. 19.* Et quod Arrianis *L. cunctos C. de summâ Trinit.* negatur nomen Christiani. Pontificii promiscuè omnibus hæreticis nomen hoc negandum censent. Vide inter alios *Lorinum in 2. Petri 2.* Nos distinguendum putamus inter hæreticos & hæreticos. Ubi aliquem Baptismum, & aliquod Ministerium Ecclesiasticum adhuc agnoscimus, illi nomine Christiano absolutè privandi non sunt: quamvis non sine caudâ seu termino diminuente nomen hoc ipsis tribuendum. Hodiernos Socinianos Christiani Doctores, tum Pontificii, tum Protestantes ac Reformati nomine illo non dignantur. XXIX. *Quæst.* An Baptismus hæreticorum sit baptismus? *Resp.* De hoc olim acriter disputatum inter Cyprianum cum Concilio Africano (quod vide *in Operibus Cypriani*) & inter Episcopos Romanos. Hodie communiter à nostris & Pontificiis sententia Cypriani improbatur; eademque in Anabaptistis oppugnatur: quamvis diversis hypothesibus nitantur. Paulianistas rebaptizari voluit *Concil. Nicenum can. 19.* & refert *Augustinus de Hæresibus, hæres. 44.* eò quod Trinitatem negarent. Nostrorum disputatio cum Anabaptistis, ita accipienda non est, quasi promiscuè quorumvis hæreti-

hæreticorum & Apostatarum (ex. gr. Sectatorum Franciſci Davidis, aliorumque ſemi-Judaizantium) Baptiſmum pro vero Baptiſmo haberi velint: aut cum Pontificiis etiam à Judæo aquę aſperſionem adjuncta pronunciatione formulæ præſtitam, ratam habeant. Quos enim nomine Chriſtianorum communiter privamus, quomodo baptiſmum eorum pro Chriſtianiſmi teſſerâ habebimus? Quod ad Socinianos, ſi quis dicat, eorum profeſſionem Chriſtianiſmi & Baptiſmi adhuc habere ſubſtantiam, eſſentiam, & veritatem Baptiſmi, is nobis ſolidam probationem debet. Ego nondum abſolutè nego, ſed ἐπέχω, inclinans tamen in hanc partem magis quam in oppoſitam: itaque tantiſper à baptizandis iſtis abſtinerem, ne quid in cultu Dei facerem abſque πληροφορίᾳ, contra *Roman.* 14. *verſ.* 5. 23. Sic tamen ut contendere nolim cum illis qui infantes iſtorum, Apoſtatarum & Semi-Turcarum baptizare auſint, aut adultos converſos illic dicto baptiſmo tinctos abſque baptiſmo ad Eccleſiæ noſtræ & Cœnæ communionem admittere. Anno 1620. (ſi bene memini) gravamen motum fuit in Hollandiâ, de Baptiſmo ab exauctoratis ob Remonſtrantico errores, ſciſmata, αἱρέσεις Miniſtris clam adminiſtrato. Sed peremptoriè de eo hactenus, quod ſciam, nihil determinatum. xxx. *Quæſt.* An omnis hæreſis ſit contra conſcientiam, ſeu interiorem ſenſum hæretici? *Reſp.* Ita quidem velle videntur Remonſtrantes in *Vindiciis ſeu Vedelio Rhapſodo.* Refut. 1. *Quia* hâc ratione omnes peſſimi hæretici (ex. grat. Gnoſtici, Valentiniani, Marcionitæ, Manichæi, Arabici, Henric.-Nicolaitæ, David-Joriſtæ, Franciſco-Davidici, &c.) non tantum ſeducti, ſed & ſeductores ab hæreſi in judicio Eccleſiaſtico abſolvendi eſſent; quamdiu ipſis dicere liberet, ſe in conſcientiâ ita ſentire, nec aliter per conſcientiam Dei & per reverentiam Scripturę debitam ſentire poſſe. Quandoquidem de occultis non judicat Eccleſia, nec hominum mentes inſpicere, aut καρδιογνωστεῖν ſibi vindicare poteſt. 2. *Quia* idem φάρμακον omni infidelitati Judæorum, Muhammediſtarum, Gentilium, quin & craſſiſſimæ idololatriæ Dæmonolatrarum analogicè applicari deberet; & infideles ab idololatriæ, infidelitatis, ſuperſtitionis, apoſtaſiæ crimine abſolvi: quamdiu ſcil. proteſtarentur, ſe ita credere & agere ſecundum ſuam conſcientiam. 3. *Quia* hâc ratione tolleretur diſtinctio hypocriſis in formalem & craſſam; & nulla eſſet formalis hypocriſis aut deceptio proprii cordis, contra *Iacobi* 1. *verſ.* 26. *Ierem.* 17. Confer *Diſp. noſtram de Simplicitate & Hypocriſi*, & præſtantes Practicos ibi cit. xxxi. *Quæſt.* An hæreſis indirecta ſeu per conſequentiam, quam errans proteſtatur ſe non videre, etiam ſit vera hæreſis? *Reſp. Aff.* Quia ipsâ re evertit fundamentalem fidei veritatem, ſive errans id intelligat, ſive non intelligat. Nec de veritate

tate hujus consequentiæ quidquam remittendum, quamvis longanimitas, tolerantia, & æquitas adhibeatur in censurâ errantis, seu in applicatione ad ipsius personam. Fieri enim potest, ut hæreticam sententiam ad momentum aut ad tempus aliquod quis teneat, qui tamen formaliter nondum transformatus sit in hæreticum. Ab alterâ parte fieri potest, ut protestatio alicujus facto non tantum exteriori, sed & interiori contraria sit; atque adeo ipse errans consequens absurdum facilè concessurus sit, si modo per homines & rationes mundanas hoc liceret; Tutissimum ergo est de re ipsâ, hoc est de consequentiæ veritate in se spectatâ candidè & absque συσσωπολυψία judicare ac pronuntiare, dicendo ex tuâ sententiâ sequitur eversio veritatis fundamentalis fidei, e.g. de justificatione per solam Christi justitiam imputatam: ergo hæc sententia est lætifera hæresis, & fidei in Christum abnegatio. Probatur 1. ex *Galat.* 5. *vers.* 1. 2. 3. 4. cum 2. *Petr.* 2. *vers.* 1. Quis dicet omnes illos Deum directè & apertè negasse? 2. *Ex* Hæresibus & Sectis, de quibus 1. *Corinth.* 11. *vers.* 19. *Tit.* 3. *vers.* 10. 11. *Rom.* 16. *v.* 17. 18. 1. *Tim.* 1. *vers.* 4. 13. 2. *Tim.* 2. *v.* 6. 17. In quas Apostolus judicium stringit; & Christus *Matth.* 7. Jam verò multos ex iis indirectè & tectè fidem evertisse, non directè & apertè, constat ex tegumento ovium, *Matth.* 7. *v.* 15. & chrestologiâ, *Rom.* 16. *v.* 17. 18. & quod exemplo diaboli transforment se in angelos lucis, 2. *Cor.* 11. *v.* 14. 15. & habeant cornua agni, *Apocal.* 13. & dolosi sint operarii, *Philipp.* 3. 3. *Ex* analogicâ collatione Magiæ & Idololatriæ indirectæ seu interpretativæ, quæ à peccato superstitionis, Magiæ, Idololatriæ, secundum judicium verbi divini (suprain *Disp. de Superstitione*, *de Idololatriâ*, *de Magiâ* probatum) non absolvitur. Eadem etiam ratio est hæresios. 4. *Ex* lege oppositorum: quia veritas fidei fundamentalis seu necessaria, per solidam consequentiam ex textu aut textibus Scripturæ educta, est veritas fidei: ergo veritatis fundamentalis per solidam consequentiam abnegatio, est hæresis. XXXII. *Quæst.* An sola hæresis, absque aliis peccatis contra caritatem Dei & proximi possit hominem subjicere æternæ damnationi? *Resp.* 1. Hic videtur præsupponi falsum, posse quem esse verè & formaliter hæreticum, & nihilominus cætera verè sanctum ac pium: saltem posse quem hæresin aliquam tenere, tueri, propagare, & oppositam fidei veritatem oppugnare, immo & blasphemare piâ, sanctâ, purâ, ἀπροσκόπῳ conscientiâ: ita ut peccata præparatoria seu antecedentia, & concomitantia non adsint. *Resp.* 2. *Aff.* Hæresin quâ hæresin, & per se esse peccatum aptum natum subjicere hominem condemnationi. 1. *Quia* hæreses dicuntur hæreses ἀπωλείας, 2. *Petri* 2. *vers.* 1.; & eo nomine Apostolus *Rom.* 3. *vers.* 3. 1. *Timoth.* 1. *vers.* 20. & 2. *Timoth.* 2. *vers.* 18. 20. &

2. *Petri* 2 *verſ.* 3. hæreticos condemnat. Nec excipi poteſt, quaſdam hæreſes eſſe ſalutares, quamvis fortè minores ſint, quia magis & minus non variant ſpeciem. Et certè qui cum nonnullis innoxias fingeret hæreſes, tantundem faceret, ac ſi cum Pontificiis diſtingueret ad *Matth.* 12. peccata poſt hanc vitam remiſſibilia, & ad 1. *Petri* 4. idololatriam licitam. 2. *Quia*, eſt peccatum, & opus ac fructus carnis, *Galat.* 5. *verſ.* 20. Atqui omne peccatum ex ſe, in ſe & per ſe eſt mortale: uti hoc alibi contra Pontificios probatur. Antecedens probatur ex remotione partium, Quia actus hic humanus non eſt opus bonum, nec eſt adiaphorum: ergo eſt peccatum; Et inter peccata contra 1. *Præceptum* ab Interpretibus numeratur. 3. *Quia* eſt pars, actus, praxis impietatis & irreligioſitatis, virtuti fidei & ſapientiæ ſpiritualis, cultuique divino, ac novę creaturæ ſeu novo homini directè oppoſitus. Si ergo ignorantia veri Dei, 2. *Theſſal.* 1. ſi infidelitas, ſi abnegatio Dei aut Euangelii, ſi perverſio viarum Domini, *Actor.* 13. damnabilis eſt, & cœcus ductus à cœco unà incidit in foveam, *Matth.* 12.; quomodo hæreſis non erit Deo exoſa, proximo pernitioſa, ſaluti noſtræ & gloriæ divinæ adverſa, & conſequenter damnabilis? XXXIII. *Quæſt.* An propter ſolam profeſſionem alicujus hæreſios, homo cætera coram Eccleſiâ inculpatus à communione excludi debeat? *Reſp. Aff.* cum *Catecheſi noſtrâ quæſt.* 85. rationes ex præcedentis quæſtionis determinatione deſumi poſſunt. XXXIV. *Quæſt.* An ex verbis inordinatè prolatis incurratur hæreſis, uti ex Hieronymo hoc allegat *Thomas p.* 3. *qu.* 16. *artic.* 8. & inde argumentatur. *Reſp.* Diſtinguendum cum Cajetano ad locum cit. *Non formaliter: ſed vel materialiter in ſignificato verborum inordinatorum errorem contrarium fidei importantium; vel apparenter, dum inordinata verba ſpeciem hæreſis præ ſe ferunt. Sicut etiam in aliis vitiis incurritur ex aliquâ inordinatione ſpecies mali: à quâ univerſaliter abſtinendum eſſe jubet Apoſtolus.* Ubi etiam docet, quomodo & cur non ſit communicandum cum hæreticis, quod ad vocabula ipſorum propria. Atque hinc illuſtratur poſſe quem tempeſtivè moneri ut abſtineat in rebus fidei ac Theologiæ à phraſibus & propoſitionibus ſuſpectis, aut malè ſonantibus, aut periculoſis, aut ſcandaloſis; qui ideo tamen hæreſios, ne quidem erroris, accuſatur, nedum ut condemnetur: ut homines quoſdam rerum iſtarum imperitos, quamvis in oculis ſuis ſapientiſſimos, injuſtè & importunè ſubinde conqueri audimus. Legat, cui vacat, *artic. cit.* cum *Commentario Cajetani.*

DE DIVISIONIBUS HÆRESIOON.

5 HÆreſes variè dividi poſſunt. 1. Secundum Autores, ſic alia Manichæa, Arriana, Pelagiana, &c. Ita diſtinguunt eas *Epiphanius*, *Auguſtinus*,

gustinus, & plerique recentiores: Ex his *alii* hæreses & hæreticos juxta seriem temporum enarrant, ut *Irenæus Libris quinque*: *Tertullianus* de præscript. à cap. 45. usque ad finem: *Epiphanius* Græcè *contra* 80. *hæreses, tit. Panarii*, quod constat *Libris tribus*, *Tomis septem*: *Theodoretus* Græcè *in Compendio hæreticarum fabularum à Simone Mago usque ad Nestorium & Eutychen*: *Philastrius*, qui ante Christum 28. & post Christum 128. hæreses numerat: *Augustinus in libro de Hæresibus à Simone usque ad Eutychen*; in quem *Daneus* luculentum *Commentarium* conscripsit, addito aliquo supplemento, & tribus indicibus, Alphabetico, Chronologico juxta seriem temporum per centurias, & materiarum seu dogmatum Catecheticorum juxta ordinem Decalogi, Symboli, de Oratione & de Sacramentis: *Damascenus* Græcè *lib. de Hæresibus*, ubi præmissis hæresibus ante Christum incipit à Simone & desinit in Muhammedo & Eiconoclastis: *Vincentius Lyrinensis in Commonitorio*, *cap.* 2. 16. 17. quasdam hæreses imprimis contra Trinitatem attingit: *Leontius de Sectis*, Græcè: *Harmenopulus de Opinionibus Hæreticorum*, Græcè: *Nicetas Choniates in Thesauro orthodoxæ fidei* Græc. ubi *lib.* 1. *à cap.* 31. *usque ad finem*: 2. *Alii* omnium Sectarum & Sectatorum nomina ordine Alphabetico proponunt *Luxenburgius*, *Prateolus*, *Medices*, *Petrejus*, & *Cratepolius de Hæreticis Germaniæ*. Et sic *Daneus in Indice*, quem *Augustino* præmisit. 11. Secundum capita doctrinæ, quæ impugnant: sic aliæ adversus Euangelium seu credenda, aliæ adversus legem & facienda: aliæ adversus naturam Dei, aliæ adversus personam & officium Christi. Quæ recenseri solent, 1. *Vel* juxta ordinem capitum Catecheticorum, sic *Daneus ad Augustinum de Hæresibus*. Et *Matth. Martinius in Breviario de verâ Religione*: ubi etiam Catalogum subjungit secundum ordinem Alphabeticum: 2. *Vel* juxta ordinem materiarum Theologicarum, sic *Tilenus in Syntagmate* perpetuò; *Synopsis Leidensis* subindè; ubi multiplicis lectionis Theologus & in Historiâ Ecclesiasticâ versatissimus *Anton. Thysius* autor disputationis est. Eandem methodum servant *Gennadius de Ecclesiasticis dogmatibus*; ut & *Nicetas in Thesauro*, & *Euthymius in Panopliâ*. 3. *Vel* juxta ordinem Alphabeticum, sic *Alphonsus à Castro*, & *Sebastianus Medices*: qui idem addit nomina Sectarum ordine Alphabetico. Quem ordinem servârint, & quid præstiterint ex Pontificiis *Guido Carmelita*, & ex nostris *Hartmannus Springlius*, studiosis nostris in præsentiarum indicare nequeo: quia libros illos hactenus, quamvis quæsiverim, videre non licuit. Idem dico de *Pontani Catalogo hæreticorum*, quem citat *Ephraim Pagit in tract. de hodiernis Sectis in Angliâ*. 111. Secundum circumstantiam temporis: & sic aliæ sunt veteres, aliæ recentes & hodier-

næ. Illæ ab *Annalistâ Baronio, aliisque Historicis & Chronologis in Bibliothecâ nostrâ* indicatis juxta seriem temporum recensentur. Addo nunc & indico studiosis nostris *Hottingeri Histor. Ecclesiast.* Istæ tantum à recentioribus, tum Pontificiis, ut *A Castro, Prateolo, Alphonso, Medices, Lindano, Petrejo*: tum Protestantibus & Reformatis, ut *Conrado Schlusselburgio, Micrælio in Histor. Ecclesiasticâ, Iohan. Hoornbeeck in Summâ Controversiarum.* Huc pertinet distinctio in novam & innovatam; quam habet *Altenstaig in suo Dictionario Theologico.* Sed recentiores omnes innovatæ atque interpolatæ sunt: vix enim quidquam novi sub sole. IV. Secundum loca, & nationes. Sic aliæ sunt Orientalium; aliæ occidentalium; aliæ sectæ Germanorum, aliæ Anglorum, &c. Orientalium sectas indicat *Daneus ad finem Augustini de Hæresibus.* De nonnullis ibidem aliquid referunt *Gabriel Sionita*, & *Iohan. Hesronita in Appendice ad Geographiam Nubiensem* ex Arabico translatam. Sed uberius ex Pontificiis *Aubertus Miræus in libris de Statu religionis Christianæ per Europam, Asiam, Africam, & orbem novum*, & *Thomas à Iesu lib. 6. & 7. de Procurandâ salute omnium gentium*; ex nostris *Edoardus Brerevvodus in Scrutinio Religionum.* Cum quibus conferat cui vacat *Archontologiam cosmicam, aliosque speciales topographos ibidem* indicatos. *Cratepolius* scripsit *de Hæreticis Germaniæ*: *Ephraim Pagitt de hodiernis Sectis in Angliâ*, idiomate vernaculo; *Eduardus de iisdem*, eodem idiomate; *Honorius Reggius* de iisdem Latinè. Confer *D. Hoornbeeck Summam Controversiarum.* Huc analogicè referri possunt antiquorum Græcorum sectæ Philosophicæ; de quibus *Laërtius in vitis Philosophorum*; *Aristoteles lib. 1. & 2. Physicæ ἀκροάσεως*, & *ibi Commentatores*; *Plutarchus in tract. περὶ ἀρεσκόντων*, &c.; *Epiphanius in principio Panarii*, & *Damascenus de Hæresibus in principio*; *Pererius in disp. Physic. lib. 1. Lipsius in manuduct. ad Philosophiam Stoicam*; *Paulus Merula in comment. ad Ennium.* Sectæ Judæorum, Muhammedistarum, Gentilium hodiernorum: quas indigitamus in *2. parte selectar. disp. titt. de Iudaismo, Gentilismo, Muhammedismo.* Tantum nunc addi velim Autoribus illic citatis in *disp. de Muhammedismo, Hottingeri Historiam Ecclesiasticam, sæculo* 15. quę nuper prodiit: ubi de sectâ Muhammedicâ Gingischanicâ, seu Tartarorum. V. Secundum sectas; seu species specialissimas cujusque sectę. Sic *Flaccius Illyricus* scripsit sectas Papistarum: *Crastovius Bellum Iesuiticum*, *Mortonus Apologias Catholicas*; *Anonymus* quis ex solo Bellarmino 200. dissidentes opiniones enotatas Anglicè edidit, quæ etiam in nostrum idioma translatæ prostant. Sed de his alibi.

Sectas Anabaptisticas, eorumque Autores & originem descripsit *Bullingerus*, & ex *Belgis nostris aliqui*, sed vernaculo idiomate. Sectas Enthusiasticas

siasticas & Libertinicas, *Marnixius Sanct-Aldegondii Dominus*, sed idiomate nostrate. Nostras sectas & dissidia describere conati sunt *Fitz Simon in ministromachiâ Britannicâ, Feuardentius tract.* Gallico tit. *Entremangeries & guerres ministrales, Andr. Iurgievvicius, tract.* cui tit. *Bellum quinti Evangelii, Lindanus in suâ Panopliâ.* Quibus addi potest *Maximil. Sandei Hexoticum dissecti Belgii.* Ex illis in suum *Catalogum hæreticorum*, omnes nostros, hoc est, quos velit esse nostros, traduxit *Theodorus Petrejus* Carthusianus, Coloniæ, Anno 1629. Sectas & dissidia inter Protestantes in Germaniâ exortas prosecutus est aliquot tomis *Conradus Schlusselburgius.* Eorundem Catalogum exhibet *Micrælius in Synopsi Histor. Ecclesiasticæ* ferè *in fine*, ubi 18. *scismata* enumerat. VI. Secundum eventum, aliæ sunt sepultæ: aliæ latent, in familiis, privatisve quorundam ingeniis: aliæ etiamnum publicè prostant, & exercitiis ac scriptis propagantur, aut saltem foventur. *Primi* generis sunt, opiniones *Flacii, Stancari, Osiandri, Antinomorum, Huberi*; quæ in Germaniâ ortæ, ibidem obierunt. De *Antinomis*, qui nuper in Angliâ emerserunt, aliisque sectis *ibid.* vide *Iohan. Hoornbeeck summam Controversiarum. Secundi* generis sunt, Libertinicæ & Enthusiasticæ *Davidis Georgii, Henrici Nicolai, Sebastiani Franck, Caspari Zvvenckfeldii, VVeigelii, Valentini Stifelii.* Quibus accenseri possint quædam ex primis sectis Anabaptisticis, *Hutterica* scil., *Monasterienses*, &c. *Tertii* generis sunt, quarum exercitia vigent, vel publicè, ut *Papismi* in multis partibus orbis; & *Arrianismi* ac *Sociniismi*, alicubi e. gr. in Transylvaniâ: vel privato publicè per quandam sive tolerantiam sive conniventiam; ut *Anabaptismi* in plerisque fœderati Belgii Provinciis; & *Remonstrantismi*, in Hollandiæ 11. aut 12. partim urbibus, partim oppidis & oppidulis, & vicis aliquot; & in tribus Geldriæ; ac in nostrâ hâc urbe Ultrajectinâ, nec non alterâ aliquâ hujus Provinciæ Ultrajectinæ civitate; denique in oppido Bureno, atque in uno, quod sciam vico, qui oppido illi subjectus est. VII. Secundum gradum excellentiæ seu gravitatem. Et sic multipliciter distingui potest. 1. *Alia* est interna tantum seu mentalis; alia etiam externa & oralis. Ista illâ nocentior est, quia potest scandalizare, aut seducere proximum. 2. *Alia* conjuncta cum scismate & separatione à communione veræ Ecclesiæ: alia sine separatione. Hæc gravior non est priori, siquidem ex simplici ignorantiâ, aut simplici animo maneant in communione, quod reliquis doctrinæ partibus adhuc adhæreant, & dissensum suum in illâ hæresi à communi sensu Ecclesiæ existiment non esse fundamentalem, aut non tantum, ut eum prodere atque agitare debeant. Sin verò tanquam hypocritæ, lupi, & Sinones in Ecclesiæ externâ communione maneant, utique priori longè gravior est. 3. *Alia* gravior,

e. gr. quæ Dei essentiam aut personas, aut personam Christi oppugnat, ut Anabaptistarum: *alia* minus gravis, ut eorundem error de juramento aut de pædobaptismo. Et sic in Practicis, gravior est, quæ oppugnat primam Decalogi tabulam & cultum Dei, e. gr. Francisci Davidis de Christo non adorando, aut Pontificiorum, de adorandis Angelis, Sanctis, Imaginibus, &c. Minus gravis est error Anabaptistarum de Magistratu, si cum illis comparetur. Rursum in Practicis gravior est, quę oppugnat omnem honestatem naturalem, ejusque principia; quam quæ particularem aliquam thesin aut hypothesin, aut casum conscientię. 4. *Alia* directè evertens & negans articulum fidei; alia indirectè & per consequentiam: quarum illa istâ gravior est. Ex. gr. Sociniani directè negant Christi satisfactionem: Pontificii indirectè eam evertunt per suas satisfactiones humanas. 5. *Alia* est simplex & prima; alia duplex & geminata, seu repetita, quæ *relapsus* dicitur, cum quis ab hæresi conversus ad veræ fidei & Ecclesiæ communionem, eam resorbet rediens cum cane ad vomitum. 2. *Petri* 2. Sunt autem relapsi, qui *vel* in Ecclesiâ nati & educati, & in hæresin prolapsi, indeque reversi ad Ecclesiam in eandem aut aliam quam hæresin relabuntur: *vel* qui in infidelitate aut hæresi nati atque educati & inde ad fidem conversi, in priorem infidelitatem aut hæresin relabuntur. Quid *Pontificii Canonistæ* & *Casuistæ* de relapsis statuant. vide apud *Azorium part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 14. 6. *Alia* conjuncta est cum professione Atheismi seu Epicureismi, aut Magiæ, aut Apostasiæ, aut blasphemię: alia sine eâ. De Atheismo & Magiâ alibi seorsim egimus. De Apostasiâ *sequenti parte*, & aliquid etiam in transitu de Blasphemiâ. Conferre potest, cui vacat, partitionem *Epiphanii hæresi primâ in principio pag.* 6. 7. in Barbarismum, Schytismum, Hellenismum, Samaritismum. Et *Damascenus, in principio*, in Barbarismum, Schytismum, Hellenismum, Judaismum: ex quibus cæteras ortas dicit. *Epiphanius* addit *ibidem* septem hæreses Judæorum ante adventum Christi floruisse, Scribas scil., Pharisæos, Saducęos, Hemerobaptistas, Essęos, Nasachæos, Herodianos. De iisdem sectis Judæorum agit *Isidorus lib.* 8. *Etymolog. cap.* 4. Sed hæc omnia minutius excutiuntur in scriptis adversis *Scaligeri*, *Drusii*, & Jesuitæ *Serrarii*. Post quos hanc historiam illustrârunt *Casaubonus Exercit.* 1. *contra Baronium sect.* 9. *Iac. Capellus in vindiciis Casauboni libr.* 3. *cap.* 12. *Richardus Montacutius appar.* 7. *ad origin. Eccles. Abrahamus Scultetus in Exercitat. Euangel. lib.* 1. *cap.* 20. *Clemens Alexandrinus libr.* 7. *Stromatum* sic partitur, ut appellentur ex nomine, ut Valentini, Marcionis, Basilidis: aliæ à loco, ut Peratici: aliæ ex gente, ut Phrygum hæresis: aliæ ex operatione, ut Encratitarum: alię ex propriis dogmatibus, ut

Dori-

Doritarum & Hæmatitarum: aliæ ex iis quæ honorârunt, ut Cajanistæ & Ophiani: aliæ ex iis quæ nefariè ausæ sunt, ut inter Simonianos Eutychitæ. Singularum hæresiũn, tum antiquarum, tum hodiernarum descriptiones & historias seorsim meditas, earumque refutationes, nimis prolixum esset hic enumerare. Sunt e. gr. *Pelagianæ*, de quâ ex recentioribus *Iohannes de Laet, Gerhard. Iohannes Vossius, cum supplemento Vsserii, Cornel. Iansenius in suo Augustino: Eutychianæ*, de quâ *Vigilius cum additamento Vadiani: Donatisticæ*, de quâ *Augustinus*, & *Optatus Milevitanus*: *Anabaptisticæ*, de quâ *Bullingerus: VVeigelianæ*, de quâ *Ioh. Hoornbeeck*, & post eum *Ioh. Crocius: Enthusiastico-Libertinicæ*, de quâ *Marnixius Sanct-Aldegondius*, &c. Plures indicavi in *nostrâ Bibliothecâ*. Posset quis ad recentissimum catalogum hæreticorum antiquorum & recentiorum, sive strictè, sive laxè, sive verè, sive falsò ita dictorum (qualis est *Theodorici Petrei*) annotare autores, qui singulas descripserunt aut refutârunt; eique supplementum subjicere omnium, quæ aut qui ab edito *Catalogo Petrei* innotuerunt, hoc est ab anno 1629. usque in hunc diem.

Circa divisiones, & hæreses speciales ac dictos hæreticos plurimæ quę- 6
stiones moveri possent, partim purè Historicę, partim Historico-Theologicæ. Sed quia quæstiones illæ in historiâ Ecclesiasticâ, & controversiis ibidem tractari solitis, & plerumque in singularum hæresiũn elenchis ex professo institutis locum inveniunt, hâc vice supersedebo: Sunt autem tales quęstiones, An fuerit hęresis Prędestinatiana: de quâ recentiores *elenctici Anti Pelagiani*. An Græci, aliique Orientales sint hęretici. De quâ vide fluctuantes *Pontificios* apud *Thomam à Iesu lib. 6. & 7.* paulò antè citatos: ubi & alię de iis quæstiones occurrunt. An hodiernus Anabaptismus & Remonstrantismus sint hæreses? Hujus quæstionis determinatio ex *disp. nostris de Necessitate doctrinæ de Trinitate*, & *de Articulis ac Erroribus fundamentalibus* desumenda. An Anti-trinitarii, & inter eos Sociniani sint dicendi Christiani. De quâ *Antagonistæ* eorum, tum *Nostri*, tum *Pontificii*, nominatim Jesuita *Smiglecius*. Confer *supra §. 4. quæst. 27. & disp. de Necessitate doctrinæ de Trinitate*. Hic abrumpo, indicatis Scriptoribus de peccato hæresios in genere: & sunt *I. Canonistæ, ad tit. de Hæreticis*, qui est, *septimus libri quinti decretalium*. Studiosi nostri indicium aliorum habebunt apud *Vallensem in paratitlis decretalium*, & *Zypæum in Iure Canonico novo*. *II. Iureconsulti ad tit. C. de Hæreticis & Manichæis*, & *tit. de Apostat.* Juniores sententias Juris Civilis congestas & applicatas videant apud Pontificium *Tholosanum lib. 33. Syntagm. cap. 12.* Et Reformatum *Althusium lib. 1. dicaiologiæ cap. 101. III. Politici*; ex Pontificiis *Tholosanus lib. 12. de Republicâ cap. 23.* & passim alibi; *Ada-*

mus

mus Contzen lib. 6. & 9. Politicæ, & passim alibi; *Canonhierus in introduct. ad Politicam, &c.* Ital. *lib.* 10. Reformati ubi de curâ Religionis hîc parciores sunt: rem tamen ipsam attingunt, saltem ut inde deduci possit. Vide *Althusium Polit. cap.* 9. & 28. *Keckermannum lib.* 1. *cap. ult. Reinhardum Köningh disp.* 9. *IV. Theologi*: qui vel 1. *Didactici* seu locor. commun. Scriptores, ad quos refer *Scholasticos ad* 22. *qu.* 11. *art.* 11. 12. 2. *Casuistæ*, ex Pontificiis *Azorius lib.* 8. *cap.* 18--22. ex nostris, *Amesius lib.* 4. *cap.* 4. 5. huc refer *Interpretes Decalogicos ad* 1. *præc.* alibi indicatos. 3. *Elenctici*, Pontificiorum & Socinianorum: ad quos refer *Vedelium in arcanis Arminianorum.* 4. *Commentatores* ad Scripturam, præsertim ad *Epistolas ad Timotheum & Titum*: quales inter Pontificios *Espenceus*, & Jesuita *Cosmas Magalianus*; inter nostros *Daneus* & *Ioh. Crocius.* 5. *Tractatores*, qui peculiari tractatu aliquo hæresin explicârunt: quales ex Pontificiis *Royas* Episcopus Sergentensis; *Alardus* Amsterodamus; & *Conradus Brunus* professione J. C. sed qui Theologicè & uberius quam vulgares Theologi Pontificii hanc materiam *sex libris* pertractavit; quos honorariâ præfatione commendavit Johannes Cochleus Theologus. Exstat etiam *Antonii Santtarelli* Jesuitæ *tract. de Hæresi, Schismate, Apostasiâ*, &c.; sed quem non vidi. Ex nostris *Daneus Diatriben Commentarius suis in Augustin. de Hæresibus* præmisit; deque eâdem Diatriben *Polanus* edidit, quæ etiam in idioma Belgicum traducta est. *De Hæresi tract. Theodori Thummii*: & alter *Iacobi Durveldii* Rostochii in 4. anno 1639. à me studiosè quæsiti hactenus haberi non potuerunt.

DE ERRORE ET HÆRESI,

PARS SEPTIMA.

Quæ est

DE APOSTASIA ET BLASPHEMIA.

Resp. JOHANNE ab HOLST, Ultrajectino.

Ad diem 6. Decembr. Anno 1656.

VOX Apostasiæ occurrit *Actor.* 21. *vers.* 21. 2. *Thessal.* 2. *vers.* 3. Conjugatum ejus est ἀφίστημι 1. *Timoth.* 4. *vers.* 1. & apostata, ἀποστάτης, quod *Augustin. lib.* 20. *de Civit. Dei cap.* 19. vertit *refuga*. Syriacè in *rituali Severi* מרורא *morouro*, à rad. Hebr. מרר *marar*, id est, rebellis fuit, Rabbinicè כופר *kopher*, Arabicè

כאפיד

כאפיר *kaphir*, à radic. Hebr. כפר negavit, quia abnegat fidem. Idem Rabbini apostatam ad Athei sinum & omnem religionis abnegativam, vocant *Epicurum*, quod vocabulum occurrit in *Sanhedrin cap. 1. apostata*: sic Julianus Imperator à fide ad Gentilismum deficiens antiquæ Ecclesiæ dictus fuit ἀποστάτης. Hujus Synonymum apud Scriptores sacros est *abnegans fidem*. 1. *Timoth.* 5. *vers.* 8. Naufragans circa fidem. 1. *Timoth.* 1. *vers.* 19. Usurpatur etiam παράτης (quasi dicas *transitor*) quo epitheto Julianus Imperator notatus fuit. Vox apostasiæ variè accipitur. 1. *Strictissimè*; cum consideratur secundum ordinem ad terminum à quo & notat actualem & formalem discessionem à verâ fide, quam quis professus est. Et sic communiter à Patribus & recentioribus Theologis accipitur. 2. *Strictè*; cum consideratur in ordine ad terminum ad quem & notat sectationem infidelitatis aut collectionis hæresium, etiam à termino negativo, h. e. quamvis fidem aut orthodoxiam non habuerit, aut professus sit, sed in ἀπιστίᾳ aut hæresium collectione natus & educatus sit. Potest hæc apostasia etiam virtualis aut implicita, aut originalis, seu in origine & in causâ appellari: quia dici possunt in majoribus suis defeciisse à fide: dum πατροπαράδοτον apostasiam sequuntur. 3. *Improprie* seu *analogicè*, pro discessione totali aut partiali à praxi & moribus Christianis: quâ per consequentiam ipsa veritas fidei, quam quis professus est, abnegari videtur. *Tit.* 1. *vers.* 16. *Dicentes se Deum nosse factis abnegant*. Et huc facit dictum Augustini: *hæreticus disputat contra fidem; malus Christianus vivit contra fidem*. Est ergo hæc hæresis in praxi, & apostasia practica; cui è diametro opponitur discessio seu apostasia à peccato. 2. *Timoth.* 2. *vers.* 19. 4. *Improprie*, pro schismate & discessione ab Ecclesiâ illâ, in quâ fidem quis professus est. 5. *Catachrestice*, pro discessione ab apostasiâ, aut hæresi, aut errore, aut schismate, aut vitę morumque deformatione & cœtu malignantium. Sic calumniosè & iniquè Paulo imponebant quod doceret apostasiam à Mose. *Actor.* 21. *vers.* 21. Et Pontificii reformatoribus & reformatis nomen apostatarum tribuunt. Sed perperam: talem enim discessionem & separationem à malo & malis Deus præscribit, 2. *Timoth.* 2. *vers.* 19. *Roman.* 16. *vers.* 17. 18. De quo abundè egimus *lib.* 3. *Desper. caus. Papat. sect.* 3. 6. *Catachrestice*, pro defertione clericatus Papistici, aut ordinis, regulæ, & vitæ monasticæ. Et sic hæc vox à *Pontificiis*, *Canonistis*, *Casuistis*, & *Scholasticis ad* 22. *qu.* 12. *art.* 1. accipi solet. Illis enim triplex est apostasia, à fide, à clericatu seu sacro ordine, à religione. *Prima* definitur *cum quis à perfectiore statu clericali, quem in manu Episcopi, edito etiam continentiæ voto, assumserat, ad statum conjugii vel laicæ conversationis, dimisso suo habitu, propriâ temeritate se transfert*. Talem apostatam ipso jure infamem

asserunt: & si non correxerit se, deponendum: Posse tamen clericos minoribus ordinibus tantum initiatos ad nuptias aut statum laicorum transire; dummodo, si quæ obtineant, beneficia Ecclesiastica derelinquant. De quibus videat, si cui hoc tanti est, *Canonistas ad cap. ult. de vitâ & honestate Clericorum* & *c. beatus* 3. *quæst.* 4. & 5. *præcipimus* 21. *qu.* 4. & *c. Ioannes, de Clericis conjugatis*: aut ut compendio studeat ex recentissimis Canonistis *Zypæum*, aut aliquem ex Casuistis recentissimis, aut ex *Comment. ad* 22. *qu.* 12. Apostasia à religione definitur ipsis, *criminosa & mortifera recessio à religioso ordinis instituto, sine revertendi proposito.* Ab hâc apostasiâ immunem faciunt illum, qui cum licentiâ prælati ab ordinis observantiâ liberatur: aut secundum Canones ad Episcopalem dignitatem transfertur: aut si revertendi animum retineat vagaturus ad tempus; talis enim *fugitivus* est, non propriè *apostata.* Fugitivos illos quotannis requirendos & extrahendos in claustra statuit *Gregorius IX. c. fin. sup. De Regularibus.* Plura vide apud *Zypæum hoc tit.* §. 7. 8. 9. Controversum est, an qui ad aliam laxiorem religionem transit, sit apostata, an tantum fugitivus. Sed de his, ut & de pœnis apostasiæ monachalis, aliisque nugacibus quæstionibus operosè *Rodericus* in vasto volumine *de Regularibus*, & *Barthol. Miranda in Manuali Prælatorum regularium.* Consuli etiam poterit *Zypæi Ius Canonicum novum.* Ad apostatas referuntur à Canonistis reiterantes baptismum juxta *tit.* 9. *libri quinti decretalium. De apostatis & reiterantibus baptismum.* Quod verò sacramenta characterem imprimentia reiterari non debeant, docetur ab illis *lib.* 1. *tit.* 16. *Quartum* genus apostatarum addit ex *glossâ* & *Panormitano ad c.* 1. *hoc tit.* itemque *Menochio* & *Mascardo*, *Vallensis lib.* 5. *tit.* 9. §. 3. eorum scil., qui superioris vel Ecclesiæ præcepta transgrediuntur. Nos vocem apostasiæ in primâ & secundâ acceptione promiscuè hic usurpabimus.

2 Apostasia, sic accepta, distinguitur ab hæresi, infidelitate, & schismate. Ab *hæresi* secundum extensionem, quod sit defectio à fide universalis, aut quasi universalis seu universali proxima: hæresis verò particularis ab aliquâ fidei veritate, aut ab aliquot veritatibus. Vel sic, quod vox hæresios habeat se indifferenter ad defectionem particularem ab aliquo articulo, & ad quasi universalem à plerisque articulis: vox verò apostasiæ propriè notet non unum errorem fundamentalem, sed aut omnem Christiani nominis ejurationem, aut collectionem & systema errorum sub nomine Christiano, quod proximè accedit ad perfectam & completam apostasiam. Hæc perspicua sunt & sufficiunt, ut multis disquirendum non sit cum Scholasticis, an omnis hæresis sit apostasia. Ab *infidelitate* distinguitur ut motus à suo termino. A *schismate* distinguitur, quod apostasia sit discessio

a fid

à fide & ab Ecclesiæ universalis communione: scisma verò sit discessio non à fide Christianâ, nec à communione Ecclesiæ universalis, sed tantum à communione Ecclesiæ alicujus particularis. Describi potest apostasia, *quod sit universalis à fide Christianâ ad infidelitatem, aut saltem à plerisque fidei dogmatis ad collectionem & systema hæresium discessio.* Hic considerandа terminus à quo, terminus ad quem, movens, mobile, res motu facta. 1. *Terminus* à quo per prius est fides: per posterius seu consequenter est Ecclesia Christi, & communio cum eâ sive explicita, sive implicita. *Fides* accipitur vel objectivè, pro eâ, quæ creditur; vel subjectivè, pro eâ, quâ creditur. *Illa* dicit veritates seu articulos fidei fundamentales: qui cum omnes de Deo & de communione nostri cum illo per Christum, quid asserant, hinc fit ut in Scripturâ dicantur homines ἀποστῆναι desciscere à Deo vivente, *Hebr.* 3. *vers.* 10. à Christo, 1. *Iohan.* 2. *vers.* 22. collat. cum 2. *Iohan. vers.* 9. 10. ab Euangelio seu ejus veritate, 2. *Timoth.* 2. *vers.* 18. & 4. *vers.* 4. *Iacob.* 5. *vers.* 19. à pietate seu à vi pietatis, 2. *Timoth.* 3. 5. *Rom.* 3. *vers.* 12. à viâ rectâ, 2. *Petri* 2. *vers* 15. ab Ecclesiâ Christi, 1. *Iohan.* 2. *vers.* 19. *Fides* in mente, seu quâ credimus, est vel assensus generalis veritatum fidei in animo & ore credentis: vel assensus specialis seu applicativus cum fiduciâ; non quidem revera in animo sic credentis, sed tantum in ore ac gloriatione temporarii credentis, & interiori ejusdem fallaci ac deceptoriâ opinione, ut & in opinione aliorum. De quo in *disp. de Simplicitate & Hypocrisi.* Ab utrâque fide discedi potest, ex 1. *Timoth.* 1. *vers.* 19. 2. *Petri* 2. *vers.* 1. 18. *Matth.* 13. *vers.* 12. & consequenter à communione Ecclesiæ Christi, 1. *Iohan.* 2. *vers.* 19. Sed à verâ fide speciali seu applicante, solis electis ingenita per specialem gratiam Spiritus Sancti, discedi non potest; totaliter scil. & finaliter. Ita ut apostasia Sanctorum, quam Remonstrantes cum postea apostatâ ad Papismum Petro Bertio buccinârunt, sit merum commentum, novo gratiæ fœderi & Euangelio repugnans. Uti hoc satis superque ab *Antagonistis Remonstrantium* demonstratum est; inter alios à *Francisco Gomaro* in accuratissimâ *Diatribâ de perseverantiâ Sanctorum.* Porrò terminus à quo in negativum & positivum distingui potest. *Negativus* est, cum quis ex. gr. in Judaismo, aut Gentilismo, aut Turcismo, &c. natus atque educatus, sequitur & pro suâ parte continuat atque implet majorum ac prædecessorum suorum infidelitatem & apostasiam: ita ut ipse personaliter & actu nunquam habuerit aut professus fuerit fidei veritatem. *Positivus* est, cum quis à fide quam actu habuit ac professus est ad infidelitatem discedit; & consequenter à conversione & purgatione, & sanctitate quam & quousque habuit, atque unà à communione Ecclesiæ Christianæ transit ad profanam communionem

Gentilium aut Judęorum, aut &c. II. *Terminus adquem* est infidelitas, perfidia, impietas; & consequenter communio cum diabolo, mundo in malo posito, Ecclesiâ malignantium. Hinc in Scripturâ dicuntur à Deo vivente ad vanitates, idola, deastros, &c. se convertere. De infidelitate fidei opposita, quid & quotuplex sit, contradictoria scil. seu negativa, privativa, contraria; docent *locorum communium Scriptores*, & *Aretius part.* 1. *Probl.* ubi etiam de ἀπιστίᾳ; pluribus *Scholastici ad* 22. *quæst.* 10. Quod de diabolo dixi, intelligendum est vel interpretativè, vel formaliter seu directè. Priorem communionis modum habes in apostasiâ quâvis infidelium, hæreticorum, idololatrarum, 1. *Timoth.* 4. *vers.* 1. 2. 1. *Corinth.* 10. *vers.* 19. 20. & 2. Corinth. 4. vers. 4. *in quibus Deus hujus sæculi, &c. Posteriorem* modum habes in cultu antiquorum Gentilium, qui Plutonem, Proserpinam, Vejoves colebant, & placabant: imprimis directè hoc agunt hodierni aliqui Gentiles, de quibus in *Disp. de Gentilismo.* Huc etiam pertinet Israëlitarum apostasia idololatrica & Gentilium mimetica, quâ dęmones שדים *schedim* colebant, iisque liberos suos sacrificabant. *Psal.* 106. *vers.* 37. Eodem pertinet idololatria, seu potius dæmonolatria magica. Directa enim & crassa magia, quæ fit interposito pacto expresso cum Dæmone, si formaliter non dicat apostasiam, eam saltem in se includit. Porro terminus adquem, infidelitas scilicet, potest distingui in completam & incompletam. *Illa* rursum in crassam, apertam, directam & quod ad rem, & quod ad nomen; & in palliatam, saltem quod ad fictionem nominis. *Ista* rursum in primariam & secundariam: uti infra mox explicabimus. III. *Movens* apostasiæ, primum ac principale est diabolus. 2. *Corinth.* 4. *vers.* 4. & 11. *vers.* 3. 1. *Timoth.* 4. *vers.* 1. 2. Motivum subordinatum commune est rejectio bonæ conscientiæ & amoris veritatis practicè habendę atque applicandæ, &c. 1. *Timoth.* 1. *vers.* 19. 20. collat. cum 4 *vers.* 2. & 2. *Thessal.* 2. *vers.* 9. Sed de causis Apostasiæ non est quod hic seorsim agamus, cum causæ hæresios supra notatæ huc applicari possint. IV. *Mobile* seu subjectum apostasiæ est, *remotum*, propinquum, proximum. *Remotum* sunt homines reprobi (*Judæ vers.* 4. collat. cum 2. *Timoth.* 2. *vers. ult.*): siquidem apostasia sit totalis & finalis. *Propinquum* sunt homines fidem Christianam professi (primariam apostasiam, seu à termino positivo hic intelligo). Quod probatur ex 2. *Timoth.* 2. 2. *Petri* 2. 1. *Johan.* 2. & reliquis, quæ modo de termino à quo dicta sunt. *Proximum* sunt, homines versatiles, dubitantii, hæretici, semper discentes (2. *Timoth.* 3.), φιλήδονοι, mundo ac ventri dediti, αὐθάδεις & ambitiosi, contentiosi: observatum enim fuit, hæc vitia apostasiæ esse præambula, pręludia, prænuntia. V. *Res motu facta* seu effectum motus

est

est infidelitas professione oris & operum testata: eaque vel positiva seu contraria, in illis qui fidem professi fuerunt, vel privativa in illis, qui personaliter nunquam professi fuerunt. De infidelitate multa cum *Scholasticis ad 22. qu* 10. quæri possent, quę studio nunc prætermimus: qualia, An sit peccatum? An sit in intellectu, ut in subjecto? An sit maximum peccatorum? An omnis actio infidelium sit peccatum? Utrum sint plures infidelitatis species, & rectè cum Thomâ dividatur in Paganismum, Judaismum, hæresin? Utrum infidelitas Gentilium sit cæteris gravior? Utrum sit cum infidelibus publicè disputandum? Utrum infideles sint compellendi ad fidem? Utrum cum infidelibus possit communicari? Utrum infideles possint habere prælationem seu dominium super fideles? Utrum infidelium ritus sint tolerandi? An pueri infidelium sint invitis Parentibus baptizandi? Harum quæstionum determinationes apud *recentiores ad Thomæ loc. cit.* nominatim *Malderum*, propositas, alibi suis quasque locis satis superque à nobis partim probamus, partim improbamus aut corrigimus, cum genuinam responsionem ad quæstiones damus.

1. *Consectar.* A Papatu, aut alio quo hæretico cœtu, immo & à cœtu erroribus infecto, quamvis nondum formaliter hæretico aut apostatico, ad religionem aut Ecclesiam reformatam transire non est apostasia. Ratio, quia deest terminus à quo, & ad quem; qui ad apostasiam necessariò requiruntur: uti modo explicatum est. 2. *Consect.* Nec est apostasia, si quis ordinem clericatus Papalis deserat, ex. gr. munus Pastorale, Sacerdotium, Episcopatum, Canonicatum, Archidiaconatum, &c. & fiat Pastor Ecclesiæ reformatæ, aut privatum ejus membrum: ob eandem rationem. 3. *Consectar.* Multò minus est apostasia, si quis impurum monachatum deserat, & ad statum sæcularem immo & conjugalem in communione Ecclesiæ nostræ transeat. 4. *Consectar.* Non est apostata, si quis permanens in fide & communione Ecclesię Christianæ à particularis Ecclesiæ externâ & explicitâ communione recesserit. Si enim temerè & illegitimè id fecerit, est schisma: sin justâ de causâ, & ut consulat conscientię suæ, jam est prudentia justorum. 5. *Consectar.* Non est apostasia, si quis justis de causis (quæ illæ sint, alibi dicemus) & cum approbatione Ecclesiæ, à munere sacri ministerii ad vitam privatam, aut alium quem statum sæcularem transeat. Si quis ambitione aut avaritiâ, aut invidiâ, aut nescio quo carnali fastidio impulsus hoc egerit, judicium suum feret. Memini ante annos aliquot in quâdam Synodo Provinciali Belgii approbantibus Illustr. Ordd. istius Provinciæ Delegatis judicatum esse, tales Ministerii desertores, muneris & dignitatis Politicæ, quam affectant, debere

bere incapaces esse. 6. *Consectar.* Idem dico de illis, qui nondum quidem in sacro ordine constituti sunt, sed præparati ad illum & destinati, in proximâ versantur potentiâ. Quod si quis ex hoc præparatorio sanctitatis statu, suâ culpâ, aut animo non sancto discesserit, judicium suum feret. Quo autem animo inde discesserit, ex fructibus cognosci potest: quales sunt in voluptatibus aut luxu vivere, & mundo ac carni velificari; aut animal gloriæ & ambitionis mancipium esse; aut Deo Mammonæ seu Plutо se addicere; aut invidiam ac vindictæ cupiditatem spirare atque explere; aut religionem & Ecclesiam suis commentis turbare; aut disciplinam impugnare; aut ordinem ministerii & fidos Ministros incessere, etjam persequi, si & quousque vires adsunt. Quibus rectè applices jactatum illud in Papatu dicterium, sed sæpe malè applicatum: *Omnis apostata est ejor sui ordinis.* Et illud Augustini epistol. 137. *Quod non invenerit meliores his, qui in Monasteriis profecerunt, neque pejores his, qui in Monasteriis ceciderunt.* Ita semper fieri videmus, ut corruptio optimi sit pessima. 7. *Consect.* Turpissima est apostasia, quâ quis ex nostrâ Ecclesiâ, ad quam ex Papatu confugerat, ad vomitum & volutabrum Papatus relabitur. De quali celebris Theologus Venetus Fulgentius Theologo cuidam reformato coram dicebat: *Illum oportere esse atheum aut bestiam, qui à reformatâ Ecclesiâ transiret ad Papalem.*

4 Accedamus nunc ad varias apostasiæ & apostatarum distinctiones. I. Distinctiones desumi possunt *ex termino à quo.* 1. *Alia* est à termino negativo; alia à termino positivo. *Illa* est omnium sive infidelium, sive nomine Christianorum, qui veram fidem personaliter nunquam professi sunt, sed in apostasiâ à majoribus constituta, & ipsis per manus tradita nati atque educati sunt. Quæ apostasia dicitur, & consortes ejus apostatæ, quomodo ejus synonyma de Gentilibus in Gentilismo à majoribus successivè tradito usurpantur, *Ephes.* 2. ubi ἄθεοι dicuntur, & *Galat.* 2. *vers.* 15. ubi κατ' ἐξοχὴν peccatores; & 1. *Thessal.* 4. qui Deum non nôrunt. *Ista* est eorum qui desciscunt à fide, quàm in communione Ecclesiæ professi sunt, aut profiteri voluerunt. 2. *Alia* est à verâ fide Christianâ; alia ab hæresi aut apostasiâ nomine Christianismi etiamnum volente tegi: ex. gr. si quis dictus Christianus, ab Arrianismo, aut Photinianismo, aut Papismo, aut Libertinismo, aut Scepticismo, aut Atheismo, seu Epicurismo ad Muhammedismum, aut Judaismum, aut Gentilismum transeat. Talis fuit ille, quem refert *Clenardus in Epistolis* ex Christiano (Papistico scil.) Theologo Muhammedismi defensorem factum. Et Sergius Monachus Nestorianus, à quo Muhammed in fabricandâ suâ apostasiâ adjutus dicitur. Tales item illi qui in Lusitaniâ non infrequenter à Papatu

ad

ad Judaismum deficiunt, aut ad ejuratum Judaismum redeunt; & qui in Hispaniâ ad Muhammedismum. Propter utrosque institutum illic fuit crudelitate & injustitiâ satis celebre officium inquisitionis. Exempla Lusitanorum, qui ex Papistis facti Judæi, Amstelodami vulgò satis nota sunt. Adversarii nostri subinde exprobrant, ex Reformato Muhammedistam factum esse Neuserum Concionatorem in Palatinatu. Sed quamvis hoc non magis causæ nostræ præjudicare deberet, quàm Judas ex Apostolo factus proditor Apostolis, & Nicolaus Antiochenus ex diacono Apostolico factus hæresiarcha, iisdem Apostolis aut ordini Diaconorum: dicimus illum proximè ex nobis ad Turcas non transiisse, sed ex Arrianis aut Photinianis in Transylvaniâ, quorum hæresi & sectæ ex Palatinatu profugus se associârat. Quomodo Andreas Dudithius à Papatu in reformationem aliquamdiu, postea à reformatione in Papatum inclinans, tandem ad castra Socinianorum transfugit. Mitto nunc exempla Francisci Puccii, aliorumque aliquot Italorum ex Papatu prodeuntium, & in terris reformatorum hæresin seu apostasiam suam ex Italiâ allatam parturientium: ut & Vanini ex Papatu & Monachatu ad Atheismi Apostolatum translati, & in Galliâ maledicto illo Apostolatu clam fungentis. Confer *disp. de Atheismo.* Hoc indicium sufficiet monendis Pontificiis, ut secum habitent, &c. & parcius ista viris. 3. *Alia* à fide quam quis ex interiori sensu & assensu professus est; alia à fide, quam per crassam hypocrisin contra sensum & assensum interiorem professus est, tantum ut homines ludificaret. *Illa* est subtilium hypocritarum: *Ista* est crassiorum; & talem puto fuisse Julianum apostatam, ideoque non peccasse propriè in Spiritum Sanctum. II. *Ex subjecto.* Sic 1. *Alia* est fidelium, alia catechumenorum, aut etiam competentium. Est enim secundaria aut analogica ad minimum apostasia, si natus, baptizatus, educatus in fide & Ecclesiâ Christianâ, & etiamnum in statu & ordine Catechumenorum aut competentium consistens, ad Judaismum aut Turcismum deficiat. Immo nec Catechumenus ex Gentilismo planè ab omni apostasiâ analogicè dicta absolvi potest; si scil. sponte & proprio judicio, ac petitione ad ordinem illum admissus, & aliquamdiu in eo versatus atque institutus fuerit. Hinc facile est judicare de quæstione illâ à Casuistis Pontificiis mota, An Catechumenus possit esse apostata. Quæ ferè coincidit cum illâ, An Catechumeni sint in Ecclesiâ. Sed de hoc alibi, ubi de Ecclesiâ institutâ. 2. *Alia* est Doctorum; alia fidelium; sive illi homines privati sint in sæculo, sive viri principes, proceres, literati, prudentes, &c. 3. *Rursum*, alia virorum; alia fœminarum. Virorum celebrium, aut alicujus nominis sive in sæculo, sive in Ecclesiâ, frequentiora sunt exempla, quam fœminarum.

Deficiente

Deficiente Henrico IV. constanter veræ religioni & Ecclesiæ adhęsit unica ipsius soror. Antonio Rege Navarræ fluctuante Regina Johanna Albreta integro animo religioni adhærebat. Idem dici debet de sorore Francisci I. ducissa Florentina. Tot magnatibus in Angliâ tempore reginę Mariæ deficientibus, animosè perstitere Elizabetha postea regina, & *Johanna Graja*; cujus *Historia* lectu dignissima edita Italicè à *Michaële Angelo Fiorio*, & Belgicè ab eruditiss. Viro *Arnoldo Boot*. Deficientibus duce Aerschotano in Belgio, & Tremoliano in Galliâ, & administratore Hallensi in Germaniâ, perstiterunt uxores eorum: quod idem mihi relatum de uxore Jeremię Ferrier Theologi apostatæ, antea apud Reformatos Pastoris & Professoris Nenausensis: Vix Principum fœminarum ad Papismum tranleuntium exempla post inchoatam reformationem nota sunt, præterquam Christinæ nuper reginæ Sueciæ, & Principissæ Landtgraviæ Hassiacæ, quæ maritum celsiss. Landtgrav. Fridericum in defectione secuta dicitur. 4. *Alia* singularum personarum; alia communitatis alicujus. Hujus exemplum dedit Anglia tempore reginæ Mariæ, in repræsentativo corpore nationis, hoc est, in Parlamento, in quo non ita pridem suscepta sub rege Eduardo VI. reformatio, abrogata, & Papatus restitutus fuit. De quo *Historia Thuani & Foxi in Actis & monumentis martyrum*. Dedit etiam post stabilitam publicam reformationem urbs Constantia: de cujus apostasia vide *Histor. Sleidani*. 5. *Alia* est simplex, alia qualificata, relapsorum scilicet. *Illa* est eorum, qui à fide, in quâ nati & nutriti, ad Judaismum, aut Arrianismum, aut Papismum, &c. transeunt. *Ista* eorum, qui à positivâ infidelitate, Judaismo scil., Turcismo, &c. aut ab Arrianismo, aut Papismo, in quo nati & educati, ad fidem & Ecclesiam conversi, cum cane ad priorem vomitum revertuntur: qualis ex. gr. Julianus Imperator, Ecebolius, & Comites Felix, Helpidius, Julianus, de quibus *Epitome Histor. Eccles. Philostorgii lib. 7. cap. 10. Theodoreti lib. 3. cap. 11. 12. Sozomeni lib. 5. cap. 7.* Adde Christianismum amplexos Judæos; inter quos *Epistolis obscurorum virorum* celebratus Joh. Pfefferkorn, postea combustus. Ex Pontificiis Patrum ac nostra memoria in Galliâ, Dux de Candale; in Belgio, Dux Aerschotanus; pariter Bolsecus, Jesuita Jarrige, Capuchinus Clovetus, aliique infra nominandi; & plerique monachi, quos ego jam ultra 50. annos meminisse possum ad tempus apud Reformatos in Belgio nostro devertisse, aliquos etiam insuper ad Ministerium promotos. Sed illi ex ordine Virorum obscurorum, nec scriptis, nec eruditione, nec eloquentiâ apud suos inclyti, hic memorandi non sunt. Notetur autem *relapsos* dupliciter ita dici: ut alii sint, quos jam descripsimus: alii qui bis aut ter à positivâ professione fidei deficiunt:

unt: hoc est, qui ex lapsu ex. gr. in Gentilismum aut Papismum retracti & per debitam reconciliationem Christianæ professioni & Ecclesiæ restituti, denuò prolabuntur. Priores usu antiquo & hodierno Ecclesiastico propriè dicuntur *lapsi*; de quibus *Cyprianus* & *Canones antiquæ Ecclesiæ*. Posteriores propriè relapsi. Sed secundum Scripturas. 2. *Petri* 2. collat. cum *Hebr.* 10. priores etiam possent dici relapsi. Ex posterioribus relapsis sensu & judicio Pontificiorum fuerunt, Henricus IV. Galliarum Rex; de quo vide *Bullam excommunicationis Sixti V.* eique oppositum celebrem *Tractatum*, cui tit. *Brutum fulmen*: & Marcus Antonius de Dominis Episcop. Spalatensis: *cujus Historiam*, inter alias relationes exhibet *Dominus de S. Lazare*, Gallicè. Nobis sunt illi Theologi, qui in Angliâ sub rege Eduardo reformationem amplexi, sub Mariâ ad Papismum redierunt, sub Elizabethâ rursum reformationem admiserunt, & ab eâ tandem ad Papismum profugerunt. III. *Ex termino ad quem*. 1. *Alia* est completa, alia incompleta. Completa est vel aperta, vel tecta. *Aperta* est eorum, qui nec articulos fidei, nec objectum, nec principium, ne quidem nomen seu appellationem Christiani retinent: quales omnes Gentiles, Judæi, Muhammedistæ; de quibus *peculiares Diatribas* antehâc evulgavimus. *Tecta* est, eorum qui in Christianismo habitantes, sub communi nomine & umbrâ Christianorum adhuc latere volunt: quales sunt Athei, sive Epicurei, sive Deistæ; & quædam sectæ Libertinorum atque Enthusiastarum. *Incompleta* est eorum, qui non tantum nomen, sed & principium aliquod Christianæ fidei retinere se profitentur. Estque hæc vel primaria, vel secundaria. *Prior* est Arrianorum, Photinianorum, Semi-Judaizantium, & similium: qui directè fundamentales plerosque articulos negant. *Posterior* est Papistarum, qui quosdam articulos directè, plerosque indirectè & per solidam consequentiam (sive illi eam intelligant sive non) corrumpunt ac subvertunt. 2. Huc refer distinctionem: quòd *alia* sit informis seu in viâ, alia formata seu formalis, seu in termino. Secundum illam sunt Candidati apostasiæ & in proximâ potentiâ, seu in procinctu stantes ut transeant. Exemplum ejus habemus in Hugone Grotio, viro admirandi ingenii, plurimæ eruditionis, vastæ lectionis & studii indefessi. De quo vide *Scripta Riveti*, & *Iacobi Laurentii*. 3. *Alia* est incompleta, alia completa. *Prior* est, cum quis veram religionem ex professo tegit, & non profitetur; nullam tamen aliam amplectitur; quales possent dici ἀποσιωπῶντες ex *Hebr.* 10. *vers.* 38. aut *neutrales*; de qualibus exstat *Tractatus V Vigandi*. Et hi indirectè, reductivè scil. aut analogicè ad categoriam apostasiæ pertinent. Abnegat enim quodammodo fidem, qui eam non profitetur, ubi & quando eam profiteri debet.

Vide 1. *Petri* 3. *vers.* 15. 16. cum *Rom.* 1. *vers.* 16. & 10. *vers.* 4. *Matth.* 10. *vers.* 32. 33. & infrà *Disp. de Confessione & Martyrio. Posterior* est, quando quis exsertè oppositam infidelitatem profitetur, immo & tuetur ac promovet: uti e. gr. Julianus apostata Gentilismum: Ostorodus, Lismaninus, Statorius, &c. Photinianismum; Staphylus, Agricola, Pistorius, &c. Papismum. IV. *Ex adjuncto* sive concomitante, sive consequente. 1. *Alia* est conjuncta cum blasphemiâ, alia non est. *Prioris* exemplum est in Juliano apostatâ, qui in Christum ejusque doctrinam blasphemias vomebat. Adde & exemplum Serveti, aliorumque fidem de Trinitate blasphemantium. *Posterioris* exemplum est in Henrico IV. & Samoiscio Poloniæ Cancellario, qui fidem reformatam blasphemiis, reformatos calumniis, insectationibus, persecutione aggressi non sunt. 2. *Alia* conjuncta cum apertâ blasphemiâ in Spiritum Sanctum & desperatione: *alia non.* Prioris exempla solent à nonnullis monstrari in Juliano, & Francisco Spira. Sed *de isto* nos, re ipsâ propius inspectâ & perspectâ, meliora speramus: quod judicium alibi promimus. Quidquid sit, saltem constat ex historiâ, abnegationem ejus fuisse πρόσκαιρον, immo & transeuntem, minimè permanentem aut finalem; metu subitaneo & circumsistente extortam. De *illo* sic sentio, desperasse quidem: non posse tamen propriè dici eum peccasse in Spiritum Sanctum; nisi constet saltem morali certitudine illum interiori animo assensisse veritati, ac de eâ convictum. Quod mihi vix fit verisimile: omnia enim tanquam crassus hypocrita, ut avunculo Constantino placeret, simulasse credendum est. 3. *Alia* conjuncta cum professione & exercitio magiæ, ac transitu ad dæmonem: alia non. Prioris exemplum dedit Julianus. 4. *Alia* notata manifestis & peculiaribus Dei judiciis in hâc vitâ: alia non. *Illius* exempla habes in Juliano Comite Orientis, avunculo Juliani apostatę, aliisque Comitibus, de quibus *Historici* suprà *cit.*; & in Mane, Ario, Francisco Davidis, domo seu familiâ Marchionis Badensis, Tamero, qui seipsum suspendit, & Concionatore illo apostatâ in pago *Kunervvald*, qui fulmine percussus. De utroq; *Honsdorfius in Theatro judiciorum Dei ad 2. Præceptum.* V. *Ex circumstantiâ temporis. Alia* est finalis, alia ad tempus seu πρόσκαιρος; qualis *Augustini ad Manichæismum*, & aliorum infrà *cit.* 2. *Alia* est, sub tempore veteris, alia tempore novi Testamenti. Tempore Vet. Testamenti notabiles sunt, partim universales, partim nationales apostasiæ. *Prima* ante diluvium, ut Cainitarum. *Secunda* post diluvium posterorum Japheti & Chami. *Tertia* posterorum Semi usque ad Abrahamum. *Quarta* posterorum Lothi. *Quinta* posterorum Abrahami ex Ismaële & filiis Keturæ. *Sexta* posterorum decem tribuum, *tum* ante captivitatem Assyriam, tum post eam in terrâ Israëlis, qui dicti Samaritæ: nam reliqui Israëlitæ decem tribuum gentibus permixti in suis posteris

posteris degenerârunt in Gentiles, iisque incorporati sunt; de quibus alibi in *Dispp. de Iudaismo*, & *de Gentilismo*. Tempore Novi Testamenti notabiles sunt apostasiæ, tum universales, nationis alicujus, aut variarum nationum: tum particulares singularum personarum. Inter universales, *Prima* est Judæorum & Samaritarum. *Secunda*, & varia Hæreticorum, Ebionitarum, & similium Judaizantium, Valentinianorum, Marcionitarum, Manichæorum. *Tertia*, Arrianorum, aliorumque anti-Trinitariorum & Antichristorum. *Quarta*, Papistarum; de quâ 2. *Thessal.* 2. *vers.* 3. *Quinta*, Libertinorum & Enthusiastarum. *Sexta*, Neo-Arrianorum & Photinianorum. Inter particulares sunt maximè notabiles, eorum, qui eruditione, aut scriptis, aut hominum æstimatione, aut gradu dignitatis sæcularis excelluerunt. Qui sunt vel antiqui, ut Julianus Imperator, Porphyrius, & Hæresiarchę, quales Marcion, Manes, Arius, &c. vel recentiores; quorum aliquos, prout nunc in mentem veniunt, hic indicabo, catalogum Lectori cuivis augendum relinquens. Nos hic persequemur jam ab Anno 1517. usque in hunc diem.

Defecerunt à nomine Christiano. I. Ad *Gentilismum* Japonicum milleni aliquot Christiani Papales, sanguinariis edictis, & exquisitissimis cruciatibus ante annos aliquot ab 1628. & deinceps compulsi. II. Ad *Iudaismum* quotidie non pauci in Lusitaniâ & Hispaniâ. Ex nostris Concionator quis in agro Genevensi nomine Antonius, Genevæ, Anno 1636. (si bene memini) combustus. M. Eraſmus Præceptor Classicus in Scholâ Marpurgensi, qui anno 1617. post defectionem in Græciam profectus, Thessalonicę in *magnâ paupertate* (uti ipse ad Amicum scribebat) *Iudæus vivebat*. Quid illi postea factum sit; ignoro. III. Ad *Muhammedismum*, Theologus ille Pontificius, de quo *Clenardus in Epistolis*; & Neuserus antea Concionator in Palatinatu: de quo supra. IV. A fide Christianâ ad *Neo-Arrianismum*, aut *Photinianismum*: Michaël Servetus; Andreas Dudithius; Socinus uterque Lælius scil. & Faustus; Blandrata, Gribaldus; Alciatus Mediolanensis; Valentinus Gentilis; Franciscus Davidis; Eraſmus Johannis; Occhinus; Volckelius; Petrus Statorius; Franciscus Lismaninus, Christophorus Ostorodus, Moscorovius, Valentinus Smalcius, Gossavius de Bebelno, Somerus, &c. V. Ad *Papatum* defecerunt, quamvis omnes à sensu reformatę doctrinæ, aut favore erga reformatos non æquè alieni ac remoti; immo aliqui sensum reformatæ religionis, quod ad summam rei, in communione Romanâ existentes, retinuerint. 1. *Reges*, Principes, Primores, Panegyres; urbes, &c. Parlamentum Anglicum sub regno Mariæ, annitente proxenetâ & parario Papæ Cardinale Polo; qui tamen postea præmium Bileami & Judæ assecutus est. Et Urbs

Constantia. Adhæc Marchio Badensis; Henricus IV. Rex Galliarum; Sigismundus Rex Sueciæ; Wolphgangus Dux Neoburgicus; Fridericus Landtgravius Hassiæ; Georgius Comes Nassavius; Johannes Comes Nassavicus; Filii natu majores Wilhelmi Comitis Bergensis in Religione nostrâ instituti Hermannus, Fridericus, Adolphus: Princeps Chimaicus, postea Dux Aerschotanus; Dux de Candale Ducis Espernonii filius; Dux Tremolianus; Dux Buillionæus; Eduardus Princeps Palatinus; Comes du Vall in Galliâ; Comes Leoburgius; Comes Mansfeldicus; Ulricus Comes Helfensteinius, anno 1567.; Princeps administrator Hallensis, anno 1633.; Samoiscius Poloniæ Cancellarius; Comes de Lesno; Comes seu Baro Ungnadius in Austriâ. 2. Viri prudentiâ, aut eruditione, aut munere ac dignitate, aut rebus gestis, aut adversariorum agitatione atque oppositione, celebriores. 1. *Politici*, ut Canayus Septimontii Præses, postea Legatus Gallicus ad Venetos, qui tanquam cognitor à parte reformatorum unà cum Casaubono collationi inter Plesseum & Perronum interfuerat, & cujus crebra mentio in *Epistolis Perroni*. 2. *Militares*, Rantzovius nuper copiarum Gallicarum Præfectus. 3. *Iureconsulti*, Paulus Schalichius, Julius Pacius, Hubertus Giphanius, Christophorus Besoldus, Bernardus Sutholt; Militierus, qui per infelices syncretismi molitiones in Papatum prolapsus. Franciscus Balduinus verè Ecebolius, aut potius vertumnus, cothurnus, polypus, qui sexies ad minimum religionem mutârat; quemque ipse Cassander probare non potuit. Vide ejus motoriam vitæ comœdiam, quod ad religionem graphicè depictam ab Anonymo, tit. *Antonii Guærini Epistola ad Franciscum Balduinum apostatam Ecebolium*, anno 1564. in 8. Backhovius: scriptis in jure ad Institutiones & ad Theses Treutleri hodie celebris: sed qui rediisse dicitur. 4. *Medici* aut *Philosophi*, Claudius Alberius Lausannæ, Jungnicius Heidelbergæ, Pistorius; Bollecus triplex secundum Pontificios apostata, à fide, clericatu, & ordine seu regulâ monachali, seu religione; duplex secundum nos, ad Pelagianismum & Papismum; de quo in *Desper. causâ Papatus*. 5. *Philologi, Critici, Historici*, ut Josephus Langus, Spondanus, Gaspar Schioppius, Johannes à Wouweren, Lucas Hollsteinius, Petrus Bertius; sed qui aliquot annis Provinciam quam Theologicam, quamvis ad eam ineptissimus, favore Arminianorum obtinuerat, & ab Orthodoxiâ ad eorum errores defecerat; & ab iis tanquam termino proximo ad Papismum rebus factionis illius desperatis Lutetiæ anno 1619. transibat: quo eodem anno paucis mensibus ante in Synodo Zuyd-Hollandicâ Leidensi eum formalibus verbis profitentem audivi se esse & velle esse membrum Ecclesiæ Leidensis, Ich houde mp als een Lidtmaet van de Kerck van Leyden. De Justo Lipsio

Lipsio apostatâ aut quasi apostatâ, consuli potest eruditiss. *tractatus Anonymi*, cui tit. *Dissertatio de Idolo Hallensi*, in 4. primum editus. In quo nihil omissum video, præter carmen illud à Lipsio in commendationem *libelli de Ecclesiâ contra quendam in Zelandiâ delitescentem*, autore *Feugræo* tunc Professore Theologo in Acad. Leidensi, in quo inter alia de Religione & Ecclesiâ reformatâ quam Feugræus defendebat, sic canit: *Ecce iterum, ecce fidem turbat hic ardelio.* Qualem autem & quantam fidem Christianam habuerit Lipsius ostendit post autorem Dissertat. de Idolo Hallensi, *Georgius Thomsonus contra Lipsii divum asprecollensem. 6. Theologi* aut *Concionatores* in *Germaniâ*, & vicinis terris, Fredericus Staphylus, Johannes Islebius Agricola, Nigrinus, Isengrinius, Rabus, Flaschius, Coppensteinius, Neuhusius, Paceus. *In Galliâ*, Serres, sed qui ante obitum ad meliorem mentem rediisse dicitur; Victor Palma Cajetanus, Jeremias Ferrier, Lanoyus, Peletier, Clovetus. *In Angliâ*, Bristous, Wilhelmus Reginaldus seu Raynoldus celeberrimi Theologi Johannis Raynoldi frater; Hugo Cressy, Decanus Lachl. *in Hibernia: In Belgio*, J. Haren (de quo *Iohannes Tossinus in tract.* Gall. *de notis Filiorum Dei*): sed qui in senectute rediit, & publicè in Ecclesiâ Gallicâ Vesalienſi revocavit, Anno 1609. quique aliquot annis Leidæ exactis, piè obiit. *Ex Italia*, M. Antonius de Dominis Episcop. Spalatensis, qui relapsus benefactricem Angliam cum fœtore deseruit; quod hiatum ejus nunquam obstruere potuisset: spe veniæ & impunitatis à Papâ ipsi facta. Sed hoc mortuo Romę in manus Inquisitorum, & tanquam relapsus ad rogum damnatus, ante diem executionis in carcere obiit, & fuit cadaver ejus publicè combustum; quamvis Pontificii scribant, eum ante obitum relapsus sui pœnitentiam egisse, & Ecclesiæ reconciliatum. Qui statum hujus viri in Angliâ nosse cupit, adeat eruditiss. *scriptum Cracanthorpi*, dicto *M. Antonio oppositum.* Tragicum ejus exitum Romę, describit *Dominus de S. Lazaro* historiographus in lib. Gallico, tit. *Histoires Tragiques de nostre temps. Gramundus* Præses Tholosanus *Histor. Gallicar. lib. 3. pag. 196.* paucis eundem virum characterizat. Fuit ergo utrique parti & Reformatę, & Papisticæ relapsus. Interim *libri istius de causis profectionis* seu discessus sui ex Italiâ, imprimis de *Republicâ Ecclesiasticâ*, & *de Papatu Romano*, & Italicus tit. *Scogli di Christiano naufragio* tantum rationum Papatui offuderunt, ut iis amoliendis nec ipse post relapsum, nec ulli alii fesso & desperato huic myrmilloni succedentes sufficerint, aut sufficturi sint.

Ob argumenti affinitatem hic notari possunt. 1. Qui ab apostasiâ ad majorem apostasiam transierunt. 1. *Ab* Arrianismo scil. ad Muhammedismum: ut Neuserus, qui Constantinopoli eum professus est: & Alcia- 6

tus, de quo testimonio Valentini Gentilis id refert *Beza in Epistolis, epist.* 16. 2. *Ab* Arianâ aut Photinianâ apostasiâ ad semi-Judaismum, ut Franciscus Davidis, & Martinus Seidelius. Priorem oppugnavit Socinus; posteriorem refutat *Iacobus Martinius* Theol. Wittenbergensis *in tract. de tribus Elohim contra Gossavium de Bebelno.* 3. *Ab* Arrianismo aut Photinianismo, aut Anabaptismo, ad Scepticismum aut Libertinismum, aut fanaticos Enthusiasmos progressi sunt: quales hodie in Angliâ & Belgio non ignoti sunt. II. Qui ab Ecclesiâ Græcâ ad Romanam transeunt: quales Episcopi aliquot in Russiâ Poloniæ subjectâ, quam albam Russiam appellant, Kiovienses scil., Luceorienses, &c. numero octo: quos propterea *unitos* vocant. Historiam hujus unionis describunt ex Pontificiis *Baronius in Annalibus in Append. ad Tomum VII. Possevinus in Appar. sacro in voce Rutheni*, sed plenissimè *Thomas à Iesu* Carmelita discalceatus *lib. 6. de procurandâ salute omnium gentium*: cum quibus confer ex nostris *Scriptorem Historiæ Ecclesiarum Slavonicarum.* Ante Ruthenos anno 1594. Papæ unitos, viam illam olim calcârant tempore Concilii Florentini sub Eugenio IV. Bessarion & Theodorus Ruthenus, facti Ecclesiæ Romanæ Cardinales. III. Qui à nostrâ Religione resilientes, ad tohu vabohu seu ad τὸ nihil credere & profiteri delati sunt, & in Scepticismi, Neutralismi, Lucianismi, Epicureismi scopulos impegerunt: quales celebriores Rabblæsius, Doletus, Goveanus; quorum meminit *Calvinus in tract. de Scandalis.* IV. Qui quamvis ipsi non ita celebres celebrium tamen inter Reformatos virorum filii, ad Papismum defecerunt: ut filius Isaaci Casauboni, & filius Ludov. Capelli. Nec prætereundus hic Jac. Perronus Cardinalis, reformati Concionatoris filius; cujus characterem pinximus in *Desper. causâ Papatus.* Minorita Joh. Ney *Historia inductarum Belgicarum anno* 1608. decantatus, Patrem habebat civem Antwerpianum ob zelum religionis & libertatis Belgicæ historiis nostris insertum. Videatur eximius *Historicus Petrus Bor*: ubi de memorando stratagemate ad occupandam Antwerpiam, archonte Loisio magno Commendatore. V. Qui stantes in externâ Ecclesiæ nostræ communione sensum tamen Enthusiasmi, Libertinismi, aut Arrianismi, aut Photinianismi, aut Papismi, sive in totum, sive bonâ ex parte in pectore fovent. *Primi* exemplum ostendit *Commentariolus Historicus Basilienſium de Vitâ & doctrinâ Davidis Georgii: & Vbbo Emmius in detectione doctrinæ Davidis Georgii*; ubi in *Præfat.* refert Concionatorem quendam in agro Emdano portentis Davidis Georgii addictum fuisse. Et *Synodus Hollandica* in *Scripto contra Hermannum Herberts* Ministrum Goudanum, anno 1592. edito, *pag.* 13. 16. 27. 47. 62. 111. 113. 115. suspectum eum reddit consensûs

sensûs aut saltem syncretismi cum *Davide Georgio*; quod Alcoranum ejusdem, *librum*, inquam, *mirabilium* (ita dictum) dedisset recudendum. Herboldus Tombergius, quem sibi in Collegam asciverat dictus Herberts, in linguam nostram transtulerat librum quendam Libertinici Sebastiani Franck: quem Belgicè vocabat **hooghe verlichten.** Antonius Corranus Hispanus, qui Genevæ & Londini Hispanico idiomate aliquamdiu concionatus fuerat, scripta Valentini Cratoaldi & Casparis Zwenckfeldii omnibus Reformatorum scriptis tanquam maximè spiritualia, præferenda censebat. Vide *Epistolas Bezæ ad Corranum.* Aggeus Albada J.C. qui nomine Ordinum Belgii pacificationi Colonienſi interfuit, ejusdem erat judicii: ut colliges ex ἀμοιβαίαις *Epistolis ipsius & Marnixii Sanct. Aldegondii*, quæ cum *Epistolis illustrium Belgarum* editæ sunt. *Iohannes Langus* vir doctissimus & Commentario suo in Justinum Martyrem satis celebris à Swenckfeldio non alienum se ostendit in *Apologiâ suâ contra Staphylum. Secundi* exempla vidit Belgium nostrum in Conrado Vorstio, & in Remonstrantibus quibusdam ante peremtoriam secessionem ab Ecclesiis reformatis, ut Johanne & Petro Geisteranis: de quibus in *Actis Synodi Nationalis Dordracenæ*, *sess.* 138. Post sententiam Synodi illius, qui & quales sub nomine Remonstrantico dictam societatem constituerint, indicium fecere aliqui; inter eos *Theologi Leidenses*, & *Vedelius in 4. partibus arcanor. Arminianismi. Tertii* exemplum dedit Anglia archonte Wilhelmo Laudo postremo Archiepiscopo Cantuariensi: Et qui à consiliis illis non longè aberat *Grotius* Papaturiens, seu mavis *Papizans*, uti sonat titulus *libri à Iacobo Laurentio* in ipsum scripti. VI. Qui gustum veritatis habuerunt, & conscientiam melioribus imbutam, aut qui insuper reformatam doctrinam in plerisque approbârunt; postea tamen resiluerunt, alii impetum sistentes seu non pertendentes, ut Wilhelmus Dux Cliviæ, & celebris scriptor Joh. Bodinus; alii insuper in eam, aut defensores ejus invecti sunt: quales Cardinalis Polus, Wicelius, Michael Bajus, Genebrardus, Gropperus, Cardinalis Lotharingus in Galliâ; qui ad tempus præ se ferebat consensum cum reformatione Augustanæ confessionis: an schemate Politico, an verò aliquid melioris sensus ex matre & aviâ maternâ (de quibus in *Historiâ Thuani*, & in *Epistolis ac vitâ Olympiæ Moratæ*), ego non dicam. Quæ ille contra veræ religionis consortes in Galliâ machinatus est, ostendunt eum aut vulpem sub pectore gestâsse, aut instar arcus resiliisse. De Justo Lipsio quid statuendum, abundè ostensum est ab eruditiss. *Anonymo*, *in Dissertatione de Idolo Hallensi*: cui ἐπίμετρον eximium adjectum à *Georgio Thomsono in Lipsii virginem Sichemiensem*: unde vel cœco constare posset, quæ, qualis, quanta fuerit religio Lipsii.

Tantùm

Tantum addo duobus illis Scriptoribus non visum fuisse epigramma Lipsii in commendationem libelli Feugeræi tunc Theologi Leidensis, quo retundebatur tenebrio quis in Zelandiâ delitescens, qui in dubium trahebat, penes nos esse veram Ecclesiam: cujus supra meminimus §. 5. VII. Qui melioribus ad tempus affecti & studentes, post impedimenta à Papatus inquisitione objecta, à cœpto destiterunt, non tamen, quod sciam, priorem sensum deposuerunt; saltem eam in Reformatis insectati non sunt: quales Cardinalis Moronus, & Bartholomeus Caranza. VIII. Qui melioribus imbuti in plerisque reformationis capitibus, externam tamen communionem Papatus non deseruerunt; sed consiliis moderationis & syncretisticis conscientiam suam pacârunt: quales Erasmus, Modrevius, Cassander, Joh. Gualterus, Joh. Metellus, & plures in Galliâ Jureconsulti, *ac Catholici status* (uti appellari solent), ut Thuanus, Pithœus, Paschasius, Servinus, Petrus Mattheus, &c. IX. Qui capita doctrinæ reformatæ in se consideratę probant, & Ecclesiis reformatis favent: tamen ab omni externâ, generali ac titulari communione Ecclesiæ Romanæ non recedunt: sive quod putent familiæ suę & Reipublicæ rationes id in præsentiarum non ferre; sive quod judicent Ecclesiam suam à se aliter juvari & salubri pabulo pasci non posse. Prioris exemplum habes in Maximiliano II.; posterioris in Paulo Scharpi & Fulgentio Theologis Venetis, qui in sensu religionis nostræ vixerunt & mortui sunt. X. Agmen claudant illi, quorum tam dubia aut obscura professio, ut utraque pars eum tanquam suum sibi vindicet. Tale quid de Turnebo referri puto (si bene memini) à *Thuano in Histor.* Sunt etiam qui dubium hoc moverunt de Julio Cæsare Scaligero. Quod si non constet eum ante obitum ad partes nostras accessisse; saltem indubium est filium utrumque Sylvium & Josephum, etiam in maximis periculis Religionem nostram ab ineunte ætate professos esse.

7 Prophylactica & antidota Apostasiæ sunt. I. Ut contra scandala nos probè muniamus. Vide *Matth.* 24. *vers.* 10. Hic usui erit egregius *tract. Calvini de Scandalis.* II. Ut caveamus nobis ab infelicibus syncretismis, & consiliis syncretisticis. Per illas molitiones Militierus seipsum ex nostræ religionis & Ecclesiæ communione, cujus zelum præ se ferebat, extrusit. III. Ut veritatis solidam cognitionem non tantum catasceuasticam, sed & anasceuasticam nobis studiosè acquiramus. IV. Ut veritatem Religionis, non tantum eruditâ speculatione teneamus; sed insuper intimo corde diligamus, & in devotionis ac pietatis usum & praxin deducamus. V. Consequenter, caveamus nobis ab ambitione, avaritiâ, & rerum terrenarum studio. Si quis autores conferre desideret, indico præter *Calvinum modo cit.*

cit. *Cyprianum in tract. de Lapsis, & in Epistolis quibusdam de iisdem; Hermanni Lignaridi, & Iohannis Spinæi tractat. de Apostasiâ.* Aliquid etiam attingit *Libellus Ioh. Taffini*, Gall. & Belg. *de Notis filiorum Dei.* Vidi ante annos aliquot *tract. Iohan. VVigandi*; ubi *de Apostasiâ*: sed nunc ad manum non est, ut eum perlustrare & propius indicium de eo facere queam. Ex Pontificiis instar omnium sit *Azorius part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 21.

Gradus & ἐξοχὰ hæresios atque apostasiæ sunt varii; qui vel ex effectibus & studiis hæretici aut apostatæ; vel ex conjunctione aut superadditione alterius peccati, e. gr. Magiæ, Idololatriæ, Antichristianismi, Atheismi seu Epicureismi, blasphemiæ, oriuntur. *Priori* respectu dicitur hæresis excellenter hæretica, & apostasia supra modum apostatans, cum ea exstirpationem contrariæ veritatis & ejus sectatorum, *aut* lege quâpiam præscribit & profitetur (qualis e. gr. Papismus): *aut* hæretici & apostatæ, quamvis doctrinâ suâ exsertè illud non profiteantur, re ipsâ tamen plus minusve hoc moliuntur (qualis est hæresios Arrianæ, & Anabaptisticæ Monasterienſis, adhæc Remonstranticæ in primo suo ortu). De plerisque enim (non de omnibus) hæresios aut apostasiæ promachis ac zelotis dici potest illud in Papatu jactatum dicterium de Apostatis ab aliquo ordine Monachali: *Omnis apostata est osor sui ordinis.* Odium hoc in nervum erumpit; quandocunque adest potestas & potentia. *Posteriori* respectu dicitur hæresis aut apostasia 1. *Magica* seu dæmonolatrica. De dæmonum cultu directo & indirecto, vide *Disp. de Gentilismo.* De hæresi magicâ & magiâ quorundam hæreticorum, vide supra *Disp. de Magiâ.* II. *Idololatrica.* De hâc vide supra *Disp. de Idololatriâ*: & confer *supra part.* 4. §. 1. III. *Anti-Christiana.* Sic hæretici quidam præcursores magni Antichristi κατ' ἐξοχὴν dicuntur Antichristi. 1. *Ioh.* 2. *vers.* 18. & 4. *vers.* 3. Vide ibi *Comment.* & *Gomari* accuratissimam *Diatriben de Antichristo. Primasius in Apocal.* 13. ait Antichristum verbo ἀρνέομαι (scil. fidem) denotari, & titulo negationis dignum esse, cum Christo nomen congruat credulitatis. Simile quid habet autor orationis (sub nomine *Hypoliti*) *de Antichristo & consummatione sæculi.* IV. *Athea* seu *Atheistica*: quia negationes hæreticorum, vires acquirunt eundo, & sæpe desinunt in Atheismum, seu Epicureismum. Hinc est, quod *Ignatius Epist. ad Trallianos* hæreticos dicat esse ἀθέους, quos ante dixerat, non esse *Christianos*, sed χριστεμπόρους, id est, *Christi institores.* Eosdem *Gregor. Nyssenus Orat. de Filii & Spiritus Sancti Deitate Epicureos*: appellat; & *Hieronymus lib.* 1. *adversus Iovinianum*, vocat eum *Epicurum Christianorum*; *Idem Epist.* 61. *ad Pammachium adversus errores Ioh. Hierosolymitani*, Eunomium dicit *Atheum.* Arius *Athanasio Orat.* 2. *contra Arrianos*, & *Valentinus Niceta lib.* 4. *The-*

4. *Thesauri cap.* 4. *Atheus* est. De Eudoxio, Theodoro Mopsvesteno, aliisque hæreticis resurrectionem, judicium futurum, pœnas inferorum negantibus, deque Manichæis, Samaritanis, aliisque idem affirmari posset; uti de postremis illud affirmat *Cyrillus Hierosolymit. Catecheſi* 6. Post inchoatam in Ecclesiis Occidentis reformationem, nomen *Athei, Atheismi* & *Epicureismi*, reformatis objectum est: ut aliis præteritis constat ex *Possevini Bibliothecâ selectâ tom.* 1. *lib.* 8. ubi tit. de *Theologiâ* & *Atheismis hæreticorum:* & lemma, *De Atheismis Lutheri, Melanthonis, Bezæ, Anabaptistarum, &c.:* qui liber *lemma* hoc in titulo præscribens Vilnę seorsim in 8. editus est. Nec defuerunt à parte nostrorum justæ detorsiones in Papatum Romanum: adeo ut paradoxum sit, si reformatus quis ob Atheismum Papali alicui satelliti in Jesuitarum sacrariis educato, & reformatis quasi è plaustro maledicenti, & quod ad praxin satis Libertino, per retorsionem ob fanaticos & periculosissimos errores, per consequentiam intortum calumniæ latâ sententiâ condemnaretur, siquidem indecorâ & calumniatoriâ palinodiâ se non expediret, & talem condemnationem non præveniret. Sed plura de appellatione Atheismi in 1. *part. select. disp. tit. de Atheismo.* v. *Blasphema*, quę scil. conjuncta est cum blasphemiâ, aut in eam definit. Ad talis hæresios intelligentiam subjicimus hæc de peccato blasphemiæ.

9 Blasphemię vox cum suis conjugatis in genere notat βλάπτειν τῷ φήμῳ: sed hoc loco appropriatè, juxta communem usum loquentium, etiam Scripturæ, accipitur pro peccato directè & immediatè tendente in Deum, seu divinam Majestatem. Describi potest *assertio falsa contra Deum, quâ derogatur ejus perfectioni, seu alicui excellenti ipsius bonitati.* Hebr. גדוף *gidouph*, גדופה *giddouphah*, גדופה *gedouphah*, à rad. גדף cujus synonymum נקב *Lev.* 24. *v.* 11. quod metaphoricum est: quia blasphemans quodammodò transfigit. Nomen Rabbinicum ex radice Hebraicâ dicitur Chald. & Syriacè גודפא *goudapha*, & Arabicè תגדיף *tagdiph*, Æthiopicè verò ዘርፋት *zerphat*, à rad. זרף *zarepha* blasphemavit: fortè convenit cum rad. Chaldaicâ זרף *zeraph* incidit, succidit, ut metaphora sit, qualis *Levitic.* 24. *vers.* 11. Divisiones blasphemiæ sunt I. In eam quæ Deo tribuit seu de eo asserit quod ei non convenit: & in eam quæ negat de Deo, quod ei convenit: Exempla *prioris* sunt, si quis Deum dicat crudelem, aut invidum, aut injustum, &c. *Posterioris*, si quis neget Dei scientiam & providentiam, *Psal.* 94. *vers.* 7. aut potentiam, 2. *Reg.* 18. *vers.* 32. 33. II. Utraque rursum vel in directam magis, vel in indirectam. *Directa* vel magis vel minus turpiter, fœdè, & abominabiliter sonat. Exempla crassorum & abominandorum dicteriorum, refert *Henr. Stephanus in Præparat. ad Apologiam Herodoti cap.* 14. & 25. quæ hic non repetam. Et Azorius

part. 1.

part. 1. lib. 9. cap. 28. *Si*, inquit, *per membra Dei vel Christi domini obscenè & turpiter jures.* Alia exempla notat *Honsdorfius* & *Lonicerus in Theatro judiciorum Dei. Indirecta* est, cum quis rei creatæ tribuit, quod est proprium Dei. Hujus exemplum rectè statuitur ab Azorio loc. citat. *Quando molles & lascivi puellarum amatores, eas ita amant ardenter: ita immodicè laudant & prædicant, ut eas nominibus quibusdam appellent, cæco amoris igne inflammati ad libidinem, quibus aliquid Dei proprium significatur.* Ad indirectam etiam referri potest, quando blasphemia immediatè emittitur in res divinas, hoc est, institutа aut opera Dei, e. gr. verbum, sacramenta, fidem, ecclesiam, &c. Sicuti enim temeraria aut falsa juramenta per cœlum, terram, templum, altare, &c. ad abusum nominis divini reducuntur, *Matth.* 5. & 23. sic ad blasphemiam maledicta in verbum, sacramenta, sacrum ministerium, sanctos & sanctitatis studiosos sive viventes, sive mortuos: inter quos excellunt B. Virgo Θεοτόκος, Prophetę, Apostoli, Martyres, &c. III. In simplicem, & qualificatam. *Simplex* est, cum quis ex stupidâ, nihilominus culpabili ignorantiâ, aut ex imitatione aliorum, aut ex pravâ consuetudine, aut ex indeliberatione seu inadvertentiâ, aut ex irreligiosâ vanitate in ostentandâ jocosâ urbanitate (hoc est, profanâ scurrilitate), aut ex subitâ & vehementi perturbatione iræ, metus, &c. *Qualificata* est duplex. *Una*, quando imprecationes aut comminationes in se continet, aut sub formâ imprecationis aut comminationis concipitur. Horrenda ejusmodi exempla hic non referam. *Altera*, quando ex certo & obfirmato judicio ac proposito blasphemia in Deum emittitur: Et hæc proprio nomine dicitur *hæretica* seu *hæreticalis*. Hæc ab aliis distinguitur, quod aliquid contineat fidei contrarium, & sic formaliter aut virtute fidei opponatur. IV. *Hæreticalis* vel magis directè, vel magis indirectè hæretica. *Illa* est, quæ apertè & crassè Deum blasphemat. Tales erant blasphemię Serveti, quas refert *Calvinus tract.* cui *tit. Expositio & Refutatio errorum Serveti.* Tædet eas hic exscribere. Huc refer blasphemias Davidis Georgii, aliorumque Libertinorum & Enthusiastarum. De quibus consulenda *ipsorum scripta cum adversariis in Bibliothecâ nostrâ indicatis. Ista* est, quæ magis indirectè, & tectè sub hoc illove prætextu, aut per consequentias promitur. Et tales sunt Pontificiorum, Remonstrantium, aliorumque contra doctrinam de Dei providentiâ, & speciali gratiâ salutiferâ prædestinationis, vocationis & regenerationis, justificationis, conservationis. Antidota earum dedimus in *scripto* vernaculo *contra Danielem Tilenum*, & in 1. *part. select. Disp. tit. de Calumniis de Deo autore peccati.* V. Utraque hæreticalis rursum secundum gradus excellentiæ distinguitur in apostaticam, magicam, & in spiritum sanctum.

Apostatica est, cum quis per apostasiam à fide aut in signum ejusdem ipse erumpit in blasphemiam, aut alios blasphemare facit. Sic antiquitus professio apostasiæ à fide obsignabatur tanquam symbolo & sigillo, blasphemiâ in Dominum Jesum: uti patet ex *Actor. 26. vers. 11. & historiâ Martyrum*, nominatim Polycarpi. Huc refer Pauli confessionem 1. *Timoth. 1. vers. 13. Magica* est, quando dæmoni tribuuntur, & quidem ex pacto, quę Deo soli conveniunt; aut quando Christus, fides, baptismus negatur, aut ejuratur. Quo refer apertum dæmonum cultum per preces & sacrificia, olim & etiamnum hodie gentibus aliquot usitatum. Confer supra *Disp. de Magiâ*, & 2. *part. sel. disp. tit. de Gentilismo. Blasphemia* in Spiritum sanctum summum hujus, & omnium aliorum peccatorum gradum constituit, & dicitur irremissibile. Synonymum blasphemię in Spiritum sanctum ex *Hebr. 10. vers. 29.* assignari posset ὕβρις *contumelia* in Spiritum sanctum. Sed de hoc *in priori parte Theol. tit. de Peccato*, ex professo agi solet.

10 Ad materiæ hujus majorem illustrationem respondebimus ad sequentes aliquot quæstiones. 1. *Quæst.* An blasphemia consistat in intellectu, aut voluntate, aut verbis aliisque signis externis. *Resp. 1. Concl.* Blasphemia hæreticalis consistit in intellectu, sicut hęresis: quia ex hâc parte & hoc respectu fidei opponitur. De blasphemiâ non hæreticali aliter statuendum; quia virtuti religionis (secundum veriorem sententiam) opponitur. Quod enim *Thomas 22. qu. 13. artic. 1.* in genere omnem blasphemiam virtuti fidei seu confessioni fidei opponi dicit, illud cautè accipiendum. Potest quis vera Christo θεανθρώπῳ tribuere, sed per contumeliam & irrisionem: quod tamen implicat blasphemiam. Sicut convitium in hominem, potest esse contra mentem convitiantis; cum ipse non credit vera esse, quæ dicit. Errant etiam qui omnem blasphemiam juramento directè opponi volunt, & sic cum perjurio confundunt. Potest enim blasphemia esse sine perjurio, aut juramento temerario. 2. *Concl.* Ad blasphemiam requiritur prava voluntatis dispositio & affectio, sive formalis, sive virtualis. 3. *Concl.* Verba externa non sunt de essentiâ blasphemię: possunt enim adesse aut abesse. Per ea tamen manifestatur, magisque consummatur: & hinc divisio ejus posset institui in mentalem & verbalem seu oralem: aut actus ipsius in interiorem & exteriorem; uti fides & oratio distinguuntur. Ad verba referenda sunt omnia signa externa, ut nutus, infamis digiti extensio, nasi corrugatio, expuitio in cœlum, aut qualiscunque Dei deputatio. Uti rectè de talibus gestibus & signis observat *Zvvarez tom. 2. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 4.* 11. *Quæst.* An semper sit peccatum mortale? *Resp.* Movet hoc *Thomas qu. cit. artic. 2.* & absolutè affirmare videtur

tur quod ex suo genere sit mortale: allatâ hâc ratione, quia repugnat caritati divinæ, in eo quod derogat divinæ bonitati, quæ caritatis objectum est: jam vero peccatum mortale est illud quod separat hominem à principio spiritualis vitæ, quod est caritas. Postea tamen in *Resp. ad 3. limitat*, & distinguit: Quod, quando quis propter subitam passionem non advertit verba imaginata, in quæ prorumpit, esse blasphemiam (quia ad eorum significationem non attendit), sit peccatum veniale. Thomæ interpretes *Alagona*, *Milderus*, *Arriaga*, cum Casuistis *Azorio*, *Bonacina*, *Reginaldo*, *Graffius*, &c. eodem fere modo determinant. Addit Azorius cap. cit. quæst. 16. eum qui subito iræ impetu Deo vel sanctis maledicit, *non incurrere peccatum quando ira aut alia perturbatio tam subita est, ut omnem rationis deliberationem antevertat: si vero aliquantulum rationis judicium sequatur, plenam tamen præcurrat, veniale & leve peccatum committere. Basseus in voce blasphemia* secutus *Valentiam tom. 3. disp. 1. qu. 13. § 1.*, eum qui non serio, non ex indignatione Deum lædente, sed joco aut alio fine de Deo aliquid falsi dicit, non blasphemare. Sed laxa hæc Casuistica ipsis relinquenda. Nobis stat illud ex 1. *Joh.* 3. omnem ἀνομίαν esse peccatum: atqui talia verba, non tantum otiosa, sed & blasphema sunt ἀνομία; & consequenter ad certam peccati speciem reducenda, hoc est, ad blasphemiam: quamvis negandum non sit esse inferioris gradus blasphemiam. Quod ad vanam illam distinctionem inter peccatum mortale & veniale, ea alibi discutitur. *Arriaga disp. 24. sect. 6. contra Toletum lib. 4. cap. 13. num. 7.* aliosque ibidem *in Additionibus citatos* disputat, probabilius esse, non obligari quem sub mortali ad impediendam consuetudinem indeliberatè blasphemandi. En laxam casuisticam: sic scil. ἀκριβειαν, præcisitatem, & rigorem fugiunt, ne suorum conscientias per viam angustam deducant. III. *Quæst.* An blasphemia in Deum sit ejusdem speciei cum blasphemiâ in sanctos? *Resp.* Movent hanc quæstionem post *Cajetanum in Summulâ*, recentiores Casuistæ *Azorius*, *Filliucius*, *Layman*, *Zanchez*, *Diana*; & ex Commentatoribus in Thomam, *Valentia*, *Sylvius*; nec non *Zvvarez tract. cit.*; & determinant in partem affirmantem cum distinctione, de blasphemiâ scil., quæ non est hæreticalis. Rationem hanc assignant, quia religio, quâ tribuitur cultus Dei & sanctis propter Deum, est unius speciei: jam vero blasphemia repugnat religioni; Ergo. Dissentit tamen *Arriaga disp. 20. sect. 5.* Nos & assertionem, & rationem negamus, ut & falsam ejus hypothesin, de cultu religioso sanctorum. Blasphemia erga sanctos & viros Dei, quæ propter causam aut verbum Dei, aut munus divinitus ipsis impositum contumeliosè intorquetur, est indirecta; & per consequens specie differt, & genere analogico tantum con-

venit, ab & cum blasphemiâ in Deum. Addo & hanc rationem, quia blasphemiæ in Deum specie differunt. IV. *Quæst.* An de ratione blasphemiæ sit, ut verba sint enuntiativa? *Resp.* Movent hoc quidam recentiores, & in diversas opiniones abeunt. Sed non malè notat *Arriaga in* 22. *disp.* 24. *sect.* 2. esse quæstionem de nomine. Certè ex elementis Logicis constat, orationes optativas, interrogantes, imperativas, aliquando æquipollere enuntiantibus, easque virtute seu potentiâ continere. V. *Quæst.* An injectiones diabolicæ sint blasphemiæ? *Resp.* Respectu diaboli agentis *Aff.* respectu hominis merè patientis *Dist.* Materialiter sunt verba seu propositiones blasphemæ, seu blasphemus conceptus objectivus: sed formaliter non sunt; quia non sunt conceptus formalis istius hominis à diabolo vexati & colaphizati. Sed de his injectionibus alibi agimus: ubi *de Tentatione.* VI. *Quæst.* An damnati blasphement? *Resp.* Tractant hanc quæstionem *Thomas* & *Commentator. ipsius artic.* 4. Et facilè responderi potest affirmatè: quidquid sit de demerito eorum, de quo hic disceptandi non est locus. Rationes sunt 1. *Quia* diaboli blasphemant tum in se, tum in aliis per suggestiones blasphemas. 2. *Quia* in damnatis desperantibus, nihil cogitari potest, quod repugnet: quin contra, cum jam sint in termino malitiæ, illos magis ibi blasphemare credendum, quam in hâc vitâ. VII. *Quæst.* An qui publicè blasphemat, ab audiente increpari debeat; quamvis blasphemus non credatur emendandus? *Resp.* *Navarrus c.* 12. *Manualis* §. 83. *aff.* Contra *Azorius cap. cit. qu.* 7. *negat*, nullâ aliâ adductâ ratione, quam, *non esse id usu receptum.* Pro Navarro (quamvis ipse nihil adducat nisi Concil. Lateranense) facere videntur *Levitic.* 5. *vers.* 1. & 19. *vers.* 17. Et certè zelus erga Dei gloriam requirit ad minimum aliquam facti detestationem, aut doloris nostri & justæ indignationis indicium. VIII. *Quæst.* An & quomodo differat blasphemia, & spiritus blasphemiæ? *Resp.* *Bonaventura ad* 2. *dist.* 43. ait hæc duo se habere, ut generale & speciale: ita ut omnis spiritus blasphemiæ sit blasphemia, non contra: quia spiritus blasphemiæ est affectus & desiderium vituperationis divinæ, & sic spirat ad odium Dei, sicut Spiritus Sanctus ad Dei amorem. Addit ibidem, esse peccatum irremissibile seu in Spiritum Sanctum. Qui blasphemant ex infirmitate & coactione, peccant in Patrem: qui ex deceptione, in Filium: qui ex certâ malitiâ in Spiritum Sanctum. Sic ille. Sed fortè est quæstio de nomine. Certè quod dicit in Evangelio peccatum in Spiritum Sanctum vocari spiritum blasphemiæ, solidè nondum probatum est. Sunt enim diversę phrases, blasphemia in Spiritum Sanctum, & spiritus blasphemiæ: prior occurrit *Matth.* 12. *vers.* 31. & dicit denominationem ab objecto; posterior non occurrit, & dicit

cit denominationem à subjecto; Posset quidem talis phrasis juxta analogiam phrasios Scripturarię formari; ubi πνεῦμα κατανύξιος, φθόνου, aliorumque peccatorum: sed inde non sequeretur blasphemiam esse peccatum in Spiritum Sanctum: hoc enim ex vi vocis *Spiritus* subjectivè acceptæ inferri nequit. Ut jam non dicam *spiritum blasphemiæ* alibi practicis Pontificiis notare blasphemas diaboli injectiones. Sunt & aliæ quæstiones partim Theologicæ, partim Canonisticæ. *Illæ* sunt e.gr. Quomodo differat blasphemia ab infidelitate, odio Dei, desperatione, irreligiositate, iniquis juramentis: de quibus inter & supra alios ex professo disquirit *Arriaga sect.* 3. & 4. *Istæ* sunt, An crimen blasphemiæ sit mixti fori? An inquisitores jus habeant & autoritatem inquirendi & animadvertendi in blasphemos? Quibus pœnis canones vel leges, & jura afficiant blasphemos? An blasphemia manifesta seu notoria sit casus, cujus absolutio Episcopo reservetur? An blasphemus in foro interiori pœnitentiæ absolutus, & peractâ injunctâ pœnitentiâ, possit nihilominus in foro exteriori à judice puniri? An blasphemus in foro exteriori à judice Ecclesiastico absolutus, possit iterum apud judicem sæcularem accusari, & ab eo puniri? An qui simul plura maledicta in Deum vel Sanctos conjecerit, unum tantum crimen blasphemiæ committat, & unâ tantum pœnâ puniri debeat? An consuetudo in aliquâ Provinciâ maledicendi Deo, jure queat impunita relinqui? An blasphemus à testimoniis in judicio dicendis repellatur, tanquam infamis. Ad omnes has quæstiones videre potest, cui vacat, *Azorium cap. cit.* & cum eo conferre *vulgares Canonistas*, & ex Jureconsultis *Tholosanum in Syntagm. lib.* 33. *cap.* 12. Ex Theologis *Alphonsum à Castro lib.* 1. *de Hæretic. pun. cap.* 12. Leges & sanctiones varias contra hoc enorme peccatum, & exempla aliquot judiciorum Dei in blasphemos, notat *Tholosanus loc. cit.* Vide & *Honsdorfium in Theatro*, & *Manlium in Locis commun.* Post omnes longè plures sanctiones tum antiquas tum recentiores collegit *Anonymus* libello vernaculo tit. *Pœnæ contra maledictiones, &c.* Anno 1652. hìc Ultrajecti edito.

DE ERRORE ET HÆRESI,
PARS OCTAVA.

Quæ est

DE IMPEDIMENTIS ET REMEDIIS HÆRESIOS,

Resp. GERARDO HOLCKENBURGH, Ultrajectino.

Ad diem 13. *Decembr. Anno* 1656.

Oppo-

Opponuntur Hæreticis fideles seu Christiani distinctionis causa dicti Orthodoxi, aut Reformati, aut Catholici. De cujus nominis origine, significatione & usu, Wittakerus ad Bellarminum de Notis Ecclesiæ, Rob. Abotus in Defensione Cathol. Reformati Perkinsi, &c. *Opponitur hæresi. 1. Primò, directè, & proximè fides Orthodoxa, ejusque professio: Apostolus vocat* λόγους ὑγιαίνοντας. *2. Consequenter omnia auxilia & media, tum interna, tum externa, quæ ad fidei veritatem plantandam (de quibus alibi actum est), propagandam, conservandam, ingenerandam, augendam, excitandam ex præscripto & indicio verbi divini, testimonium unâ ferente experientiâ, comparata sunt. 3. Media illa sive prophylactica, sive antidota, quæ proximè & directè hæreticis juvandis, ac convincendis, convertendis, aut præveniendis, avertendis, confundendis inserviunt. Nos omissâ explicatione mediorum illorum, tum in generali, tum in particulari, & ad politiam Ecclesiasticam rejecta, delibatis solummodo in transitu remediis quibusdam, controversam quæstionem de coërcitione Politicâ ventilabimus.*

1 MEdia hæresi & hæreticis opponenda melioris doctrinæ causa distinguimus. 1. In Conservantia, seu Præservantia. 2. In Convertentia, seu Antidota. 3. In Coërcentia. I. *Conservantia & præservantia*, sunt vel privata singulorum fidelium; vel publica ab Ecclesiâ & Ministris adhibenda. *Illa* sunt vel interna vel externa. *Interna* sunt. 1. *Cognitio* non tantum simplicis veritatis, sed & τῶν διαφερόντων (*Rom.* 2. 18.); talium quæ istic locorum clam repunt, aut apertè agitantur. 2. *Affectatio*, renovatio, & excitatio certitudinis, stabilitatis, evidentiæ in illâ veritate. *Rom.* 14. *vers.* 5. coll. cum *Iudæ vers.* 20. 2. *Thessal.* 2. 2., *Ephes.* 4. 14. 3. *Excitatio* & renovatio, applicationis intimæ ac sensibilis istius veritatis in corde nostro, ad veræ solidæque consolationis, zeli, caritatis, & inoffensæ conscientiæ quotidianum profectum. 4. *Amor* & æstimium veritatis, supra omnia vitę animalis & civilis bona ac commoda. 5. *Consideratio momenti*, quod est in hâc aut illâ hæresi, & quantum sit periculum & damnum quod fidei, conscientiæ & saluti nostrę ab hæresi infertur, *Galat.* 5. *vers.* 2. 4. 1. *Timoth.* 4. *vers.* 1. *Tit.* 3. *vers.* 11. *Roman.* 10. *vers.* 3. Hoc autem plenius & evidentius perspicitur, si hæresios superficiem & primam frontem non tantum intueamur, sed absurdissimas ac turpissimas in recessu ejus consequentias, quas post se trahit, accuratius investigemus. 6. *Humilitas* respectu Dei & hominum; & humilis ad verbum Dei subjectio, & ab eo tanquam unico fidei principio absoluta ac pertinax dependentia: conjun-

cta

ta cum generali abnegatione noſtri ipſius, & ſpeciali noſtrę corruptę rationis, ut ut ingenioſa & blanda videatur. 7. *Denique interior Scripturæ & rerum ſpiritualium meditatio*, eique juncta precatio ad imitationem *Pſalmi* 119. Hæc duo ſunt communia exercitia. *Iſta ſunt* 1. *Adhæſio* & aſſociatio cum verâ Eccleſiâ & cœtu Eccleſiæ, ut & in eâ exercitiorum aſſidua obſervatio ac praxis. *Hebr.* 10. *verſ.* 24. 25. 2. *Fuga hæreticorum*, & familiaritatis cum illis. *Tit.* 3. *verſ.* 10. *Iohan. epiſt.* 2. *verſ.* 10. *Philipp.* 3. *verſ.* 2. 3. *Abſtinentia* à non neceſſariâ hæreticorum auditione, aut librorum hæreticorum lectione. 1. *Corinth.* 15. *verſ.* 33. *Media publica* ab Eccleſiis & Miniſtris adhibenda ſunt. 1. *Solida, ſimplex* tamen, Scripturarum pro concione explicatio, præſertim illarum, quę ſerpenti aut imminenti illic hæreſi opponendę, aut quæ ab hęreticis pro hæreſi contra fidem detorqueri, ac vulgò obtendi ſolent. Hâc methodo utebatur laudatus in Scripturis Apollo. *Actor.* 18. *verſ.* 24. 28. II. *Controverſiarum illarum* oblatâ à textibus, aut tmematis, aut catecheticis occaſione, & Eccleſiæ neceſſitate ita poſtulante, ſolida, expedita, dilucida tractatio. Sint ergo Miniſtri in Scripturâ potentes: ſint auxiliis linguarum, præſertim originalium Scripturę, ut & artium, Philoſophię, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, præſtantiorum Theologorum elencticorum inſtructi. *Conſectar.* Cauſam fidei & Eccleſiæ hæreticis produnt ſive prudenter, ſive imprudenter, qui hæreſes circa Eccleſiam vagantes, aut ei imminentes, pro concione non tangendas, aut ſaltem ex profeſſo non detegendas ac refutandas cenſent. Quaſi ſcil. adverſariis clamantibus, & ſcriptis calumnioſis ac ſcandaloſis omnia implentibus, & infirmiores ſubinde pervertentibus, ſilentio litandum ſit; inſuper aliis pro cauſâ Dei & Eccleſiæ loquentibus & ſcribentibus capiſtrum injiciendum ſit. Scilicet ſic factitabat Paulus, ſic Timotheum & Titum facere docebat. III. *Controverſiarum* illarum tractatio & adductio ad praxin tum conſolationis, tum pietatis: ne arida & praxi omni deſtituta aliqua fidei veritas videatur. Nos ſpecimen hujus methodi damus in 1. *part. diſp. de Trinitate*: & pluribus in controverſiâ quinquarticulanâ Remonſtrantium *tract. peculiari*, ſed vernaculo, quem *Danielis Tileni* horribili & blaſphemo libello ex Gallico in noſtrum idioma traducto oppoſuimus. *Perkinſus in oppoſitione Symboli*, & *nonnulli Commentatores Catechetici* uſus practicos ad ſingula capita Catechetica, & aliqui locorum communium Scriptores ad ſingula loca annotârunt. Ita hæreticis diſputantibus contra fidem, pro fide non tantum diſputare docebuntur Orthodoxi, ſed & vivere, ac luce bonorum operum adverſariorum nebulas diſcutere: juxta 1. *Petri* 3. *verſ.* 1. IV. *Catechizationes* frequentes, ſolidæ, perſpicuæ, expeditæ; in Scholis, in Familiis,

miliis, in Ecclesiis. Quis earum hâc in parte usus sit, testatur *Synodus Nationalis Dordracena sess.* 17.; & docet experientia; nec habet ars hæc artium inimicum, nisi ignorantem, aut ignavum, aut fastuosum ac fastidiosum. Videant studiosi nostri, quæ pro bono Catechizationis ante annum edidit, Rever. & Clariss. nuper Collega noster D. *Ioh. Hoornbeeck.* II. *Media convertentia* seu antidota, quibus seducti reducendi, aut in hæresi educati ad Ecclesiam adducendi, sunt ista. 1. *Missiones* Euangelicæ ad tales, qui ab Ecclesiâ aut loco nostro absunt. De quibus *in Politiâ Ecclesiasticâ.* 2. *Visitationes*, alloquia, colloquia, collationes, κατ' οἶκον instituenda; quibus invitentur, instruantur, & convincantur qui ex nostræ religionis consortibus, aut ex civibus atque incolis in hęresin abducti sunt. 3. *Collationes* publicæ & privato-publicæ, quas inter antidota etiam numerandas alibi probamus. 4. *Fraternæ & Paternæ monitiones* & correptiones eorum, qui in bivio constituti, qui nutant, qui hæreticis patulas nimis aures præbent, nimisque familiariter cum ipsis conversantur. De Fraternâ correptione alibi ex professo egimus. Synodus Hollandica jam inde post annum 1620. aliquoties judicavit visitationes illas domatim instituendas, in urbe Roterodamensi, tanquam unum ex præstantissimis antidotis contra validam Remonstrantismi secessionem. Sed sinistris quorundam consiliis & machinationibus saluberrima hæc consilia & decreta in spongiam incubuerunt. Idem est consilium & monitum Illustr. ac Præpot. Hollandiæ Ordinum contra invalescentem Papismum ad singulas Classes nuper (a. 1655.) perscriptũ. 4. *Reformatio* & emendatio vitę, tali occasione in Ecclesiis instituenda, & quidquid collapsũ est, instaurandum; incipiendo à Ministris, & inde circumducenda per totam Ecclesiam: ut seducti, qui nec verbi prędicationem, nec causę ventilationem audire dignantur, sine verbo lucrifiant, uti loquitur Apostolus, 1. *Petri* 3. *vers.* 17. Præsentissimum hoc remedium adhibitum fuit Constantinopoli à Nazianzeno, felici cum successu, teste *Ruffino.* Admodum urgetur & commendatur hoc medium à *VVilhelmo Teellingio* in *Scriptis* vernaculo sermone *editis*, inter quæ *Eubulus* & *Necessaria demonstratio.* In eodem hoc medio urgendo zelum & practicam eruditionem suam ostendit Frater ejus germanus, *Evaldus Teellingius I. C.* in *variis Libellis* eodem sermone editis, tit. *Querelæ Ecclesiæ, Sulamith*, &c. *Consectar.* 1. Malè imperitus & φορτικὸς Cornhertus ad minuendas sectas in Belgio nostro, hoc consilii olim libello quopiam suggessit, ut Concionibus omnibus tantisper abrogatis, tantum Scripturæ textus in Ecclesiâ prælegeretur. Atqui hoc est prophetias contemnere, contra 1. *Thessal.* 5. *vers.* 2. *Consectar.* 11. Malè Remonstrantes ad unionem dissecti Christianismi, & ἀποτροπαῖον hæresiωn

resiωn commendant suam tolerantiam, syncretismum, moderationem, libertatem prophetandi; hæresiωn ἐξουθενισμὸν, quâ ex hæresi faciunt non hæresin. III. *Media coërcentia* sunt tum Ecclesiastica, tum Politica. *Illa* sunt censuræ, de quibus alibi disquisitum est, an sint, & qui gradus earum, & quomodo adhibendæ. Ad censuras pertinet suspensio aut depositio à functione Ecclesiasticâ. Ubi hæretici aut seducti Ecclesiæ nostræ subjecti non sunt aut fuerunt, aut quando alioqui per objecta impedimenta, censura formaliter stringi non potest, vicarium seu analogum censuræ & excommunicationis propriè dictæ est vitatio, *Tit.* 3.10. & secessio, *Rom.* 16. *vers.* 17. 18. aut renunciatio fraternitatis, aut anathematis denunciatio; quomodo Hilarius Liberio Episcopo Romano denuntiabat his verbis: *anathema tibi Liberi.* Antiquitus etiam denuntiationem & renuntiationem talem declarabant deletione nominis ex diptychis, hoc est, ex tabellis, quibus nomina inscribebant eorum, quorum in publicis Ecclesiæ precibus meminerant. De quo more quid censendum sit, hic non disquiremus. Et hæc tota est coërcitio, quam armis spiritualibus Ecclesia capessere & exequi potest. Ultra si quid requiratur hoc à Magistratu petendum.

Consectar. I. Relinquimus ergo Ecclesiæ antiquæ sequentia hæc sua statuta; quę pręterquam quod partim dubiæ æquitatis, partim certæ iniquitatis mihi videntur, omnia ad Politicam legislationem ac potestatem pertinent; ac propterea nomine Canonum venire nequeunt, aut ex corpore legum civilium descripta canonizari. Melius dicerentur privilegia Ecclesiis ab Imperatoribus concessa: quam abusivè Canones, quæ *Photius* & *Balsamo ejus Scholiastes in Nomocanone* suo exhibent, *tit.* 12. ex quo excerpimus *cap.* 2. *Quod* hæretici nullam militiam, nullam publicam functionem obeant. *Quod* hæreticis mulieribus non dantur privilegia, quæ Orthodoxis; ut videlicet vice sufficientis de dotalibus suis rebus nuptialibusque lucris cautionis, tacitas contra maritorum suorum res habeant hypothecas, atque in hypothecis etiam antiquiores vincant creditores. *Quod* Manichæi & Donatistę ultimo supplicio afficiantur; bona ipsorum publicentur: testamentum non faciant; nullo modo contrahant; liberos, si orthodoxi non sint, hæredes non habeant; post mortem accusentur; & eorum testamenta irrita sint; Quod ab urbibus ejiciantur; Quod ædes, in quibus hæretici consensu domini congregantur, Ecclesiis applicentur; Ne hæretici contra orthodoxos testimonium dicant. *Ex cap.* 2. Hæreticorum libri adversus Christianos comburuntur; Qui dictos libros habent & legunt, ultimo supplicio afficiuntur; Qui Severi (hæretici) scripta habent, nec comburunt, manibus mutilandi. *Ex cap.* 13. Qui Christianus

stianus Judæam in matrimonium accipit, aut qui Judæus Christianam, adulterii accusatur. *Ex cap.* 14. De hæreticis ad rectam fidem conversi, quidam baptizantur, quidam verò tantum unguntur. *Ex cap.* 15. Ne Episcopi aut Clerici hæreticis quippiam donent, aut in testamentis dent, etiamsi sint ipsorum cognati. *Consectar. II.* Nec admittimus Juris Canonici Papalis, sive antiqui sive novi sequentes coërcitiones Ecclesiasticas; quas collectas habes apud *Diaz in Practicâ criminali Canonicâ, cap.* 106. & 107. Quod clericus hæreticus perpetuo carceri mancipatur aut traditur Curiæ sæculari: quod bona ejus publicantur, & Ecclesiæ, à quâ stipendia acceperat, applicantur. Quod hæretici nec in Ecclesiâ, nec in cœmiterio, nec alibi sepeliuntur. Adde ex *Alphonso à Castro l. 2. de justâ hæretici punit. cap.* 2. Quod relapsus Curiæ sæculari traditur sine ullâ spe veniæ aut miserationis, quamvis sui peccati pœnitentiam egerit. *Index librorum prohibitorum* confectus à Deputatis Concil. Tridentini, *Reg.* 10. statuit. Quod, qui legit aut retinet libros ob suspicionem hæresios aut falsi dogmatis prohibitos, incurrit excommunicationem. Quod defendunt inter recentiores Casuistas *Azorius & Basseus.* Huc reduci debet prohibita retentio & lectio Bibliorum etiam à Papistis in Papatu translatorum, quæcunque post Tridentinum Concilium ex decreto ejus non sunt translata, edita, approbata: Immo & talium prohibita lectio, absque habita licentia in Scriptis à suo Episcopo; quam tamen licentiam concedendi Papa Episcopis licentiam minimè concedit. Vide *Regulam* 4. & *Pontificalem* ejus explicationem in *Indice libr. prohibit.* sub Urbano VIII. edito, additam. Eandem applicatam & defensam vide apud *Azorium tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. Nec prætereunda hæreticorum librorum, aut suspectorum, etiam Patrum & Papisticorum Scriptorum expurgatio. De quâ *Pragmatica* videndi *Indices expurgatorii*, præsertim *posterior Hispanicus*; & quæ notamus in *Desper. causâ Papatus.* Ad cumulum accedit, quod Principes sæculares, si hæreticos ab Ecclesiâ (hoc est, Papâ) denotatos non exterminant, incurrant excommunicationem, & nisi intra annum Papæ satisfecerint, denuntiaturus sit vasallos ejus fidelitate absolutos, & terram ejus expositurus Catholicis hæreticos expulsuris occupandam. Hoc peremptorium decretum Concil. Lateranensis sub Innocentio III. quo augustius præter Chalcedonense non fuisse prædicat *Zypæus lib.* 5. *Juris Canonici novi, tit de Hæreticis, pag.* 332. edit. in 4. Qui Pauli IV. *conforme fulmen* (sunt ejus verba) datum dicit; & acerbè conqueritur, quod illi canones hodie observari nequeant. Unde jam discant & firmiter statuant Protestantes ac Reformati, Reges, Principes, Magistratus non esse secum compatibilem sedem & perfidiam Romanam: uti *peculiari disp.* antehâc pluribus ostendimus.

Politica

Politica coërcitio, est quam Magistratus conformiter juri divino & natu- 3
rali adhibere potest, non tamen omnem aut semper & ubique debet: si-
quidem habenda est illi ratio ab unâ parte potestatis & potentiæ suæ, ab
alterâ parte multitudinis errantium & modi ac gradus errorum: ne vul-
neret magis quam sanet, & remedium Reipublicæ atque Ecclesiæ fiat i-
pso malo deterius. Consistit autem hæc coërcitio in prohibitione I. li-
brorum: ne scil. excudantur, aut si excusi sint, distrahantur, atque aliunde
importentur. II. Concionum, conventuum, sacramentorum & sacra-
mentalium, quæ ad hæresin atque idololatriam pertinent. III. Scho-
larum. IV. Clandestinarum cursitationum, & instructionum, κατ' οἶκον.
V. Prohibitione & exclusione hæreticorum à muneribus publicis. VI.
Accedunt in casu contumaciæ, inobedientiæ, & contemtæ autoritatis
publicæ, imprimis si non tantum negativè sed & positivè coërcitioni mo-
do designatæ resistatur, pœnæ justè & prudenter irrogatæ, seductoribus
aliisque factionis incentoribus, & ducibus, Reipublicæ turbonibus. Sunt
autem pœnæ illæ vel deprivationis muneris, vel multæ pecuniariæ, vel
deportationis, vel exilii; & similes graviores aut leviores, pro re natâ;
juxta vulgarem regulam, *crescentibus delictis crescunt pœnæ*. Solum supplí-
cium capitale & mutilationem membrorum hic excipio, de quibus infra
disquirendum.

Conferamus nunc media coërcitionis Politica secundum Theologiam 4
Papisticam. *Recentiores Canonistæ*, *Casuistæ & Scholastici ad* 22. *qu.* 11.
artic. 3. distinguunt inter pœnas hæresios Ecclesiasticas seu spirituales,
& civiles. Illæ sunt *I. Excommunicatio*. Sic ex *Bullâ Cœnæ Domini*, &
Jure Canonico 3. *cap. Excommunicamus*, *de Hæreticis*, & 3. *cap. noverit*,
de sentent. excommunic. II. Irregularitas ex *cap. saluberrimum* & *cap. con-
venientibus*. 1. *qu.* 7. *III.* Privatio omnis jurisdictionis Ecclesiasticæ; ita
ut de facto suspensus sit ab omni officio & beneficio ex *cap. audivimus*,
cap. apertè, *cap. miramur*, 24. *qu.* 1. quod restringunt ad hæreticum, no-
minatim excommunicatum & publicè denuntiatum; & secluſa extremâ
necessitate. Addunt, retinere tamen potestatem ordinis ad conferenda
validè sacramenta. Sic *Basseus in voce hæresis* 18. *pag.* 339. *b. IV.* Inha-
bilitas ad beneficia: unde hæretici, ipsorumque filii usque ad secundam
generationem ad nullum beneficium Ecclesiasticum, seu publicum offi-
cium, admitti possunt. Ex *cap. quicunque §. hæretici*, *de hæreticis*, *n.* 6. *V.*
Privatio dignitatum & beneficiorum Ecclesiæ: unde hæreticus statim post
lapsum in hæresin, privatus est ipso jure & titulo beneficii, non tamen
possessione. Ex *cap. ut commissi §. privandi*, *in* 6. & *Pio V. in Bullâ. cum
ex apostolatus. VI.* Privatio Ecclesiasticæ sepulturę. Ex *cap. quacunque*,

de Hæreticis. Pœnæ civiles enumerantur istæ. 1. Confiscatio omnium bonorum, ex *cap. cum secundum leges, de Hæreticis in 6.* Et hoc extenditur ad Principes seculares, qui in hæresin lapsi amittunt omnem potestatem & jurisdictionem in subditos, & ipso facto spoliantur titulis suorum principatuum. Vide *Bullam excommunicationis Sixti V. in Henricum Navarræ regem*, eique oppositum *Brutum fulmen*, autore (uti putatur) *Hotomanno, & Bullam Pii V. Regnans in excelsis*, anno 1570. quâ Elizabetham Angliæ Reginam ob prætensum crimen hæresios regno privat, & subditos jure vassaligii eximit. Sic ex *cap. finali de Hæreticis. Basseus & Azorius loc. cit.* addunt subditos Principem per sententiam spoliatum in principatum non teneri recipere, post pœnitentiam, nisi Ecclesia illum restituat. Et hæc est communis, authentica, & canonisata sententia Papalis: quæ si in Ecclesiis & Scholis Galliæ, etiam Jesuitarum, publicè non sonet, iniquitati temporum, & coactioni sæculari id imputandum putant; prout & alia nonnulla. Confer nostras *disp. de Sede Romanâ incompatibili, & de Potestate temporali Papæ.* VII. Privatio omnium officiorum publicorum. Ex *cap. commissi, de Hæreticis in 6.* VIII. Infamia juris, quam contrahit, post declarationem criminis (hæresios scil.) per Judicem Ecclesiasticum: ita ut non requiratur, ut per judicem declaretur infamis. Etiam infamiam facti contrahit, si crimen hæresios fuerit notorium per evidentiam facti. Ex *cap. excommunicamus, de Hæreticis.* IX. Capitis supplicium. Sic ex *cap ad abolendam, de Hæreticis in 6. Alphonsus à Castro lib. 2. de justâ Hæreticorum punitione, cap. 9. Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 11. 12. 13. Filijucius tract. 22. cap. 7. Sylvius in 22. qu. 11. artic. 3. Zypæus loc. cit. & Vallensis lib. 5. juris Canonici tit. 7. cap. 2. §. 7. Tholosanus lib. 33. Syntagm. cap. 8.* Et quis Canonistarum, Casuistarum, Scholasticorum, Polemicorum; qualis *Bellarminus tom. 2. controvers. lib. 3. de Laicis cap.* immo & Juridicorum ac Politicorum religionis Papisticæ, se extra quærat, cum à Papâ hoc ita determinatum sit? Basseus addit, *alicubi gladio necantur ut in Flandriâ & inferiori Germaniâ; alibi ligatis manibus projiciuntur in flumen, ut in Geldriâ; per Italiam, Galliam, & Hispaniam igni traduntur. Hæc omnia servanda sunt in rigore juris: in æquitate tamen aliter fit, prout Provinciarum fert usus.* Qualis & cujas hæc sit æquitas, disces ex acerbâ querelâ Zypæi lib. 5. juris Canon. pag. 332. *Verum enimvero in ea tempora proh dolor! incidimus, ut neque sine Reipubl. incommodo antiqui S. Pontificum Canones, Imperatorumve edicta, ne quidem quæ Carolus V. & Philippus II.* (N.B.) *prodeuntibus primum hic hæresibus opposuerunt, observari possint. Tantum religio potuit suadere malorum. Et quidem reformata, &c.* Ibidem num. 7. observat edictum Caroli V. ann. 1540. *quod simulac in hæresin quis inciderit, non possit dis-*

ponere

ſponere de bonis ſuis, neque inter vivos, neque per ultimam voluntatem, executionem ſuſpenſam fuiſſe, præſertim tempore Margaretæ regentis, ut furori cederet, & populus in ſe deſcenderet. Artes, μηχαναὶ, & conatus Principum Belgarum Caroli & Philippi, per ſua ſanguinaria decreta, Inquiſitores, novos Epiſcopos, Præfectos, ad exſtirpandam religionem, & Belgas libertatibus privandos, ex Hiſtoricis Pontificiis deſcripſerunt *Famianus Strada*, & *Nicol. Burgundus*: quos conſulant, ſi qui Hiſtoricos noſtrates *Meteranum*, *Borrium*, *Petitum* ſuſpectos habent. Hinc quæſo diſcant noſtri, majorem libertatem, aut mitigationem Papalis tyrannidis, quam Papiſtæ noſtrates præ ſe ferunt, ſimilem eſſe lupinæ, cum oves non devorat, quia loco inacceſſo, aut præſidio munitę ſunt, ut eas invadere nequeat. In hâc diſtinctione pœnarum aliqua à nobis notanda ſunt. *Prima eſt*, quod *Baſſeus* dicat, in inferiori Germaniâ puniri gladio: cum experientia docuerit multos, ſi non plærosque hæreticis Papiſtis dictos hæreticos vivicomburio punitos, aliquos etiam ſuſpendio; & *Vallenſis* apud Lovanienſes Canonum Profeſſor *in Paratitlis juris Canonici lib. 5. tit. 7. cap. 2. §. 7.* dicat pœnam ex interpretatione conſuetudinis eſſe exuſtionem. *Secundum eſt*, non omnes pœnas ſpirituales & civiles à *Baſſeo* & *Vallenſe* enumerari, quo conſilio, jam non dicam. Nôrant forte, ſe in Belgio ſcribere. *Alphonſus à Caſtro lib. 2. cap. 10. & 11.* operoſè & acriter contendit pro pœnis hæreticorum etiam liberis eorum Catholicis (ut loquitur) infligendis: ut ſcil. ſint infames, inhabiles ad beneficia & officia, priventur bonis omnibus paternis, quę ipſis hæreditario jure obtingere poterant. *Conradus Brunus* J. C. *ſex libros de Hæreticis* conſcripſit: ubi pœnis jam relatis addit: hæreticos ab agendo, accuſando, teſtificando repellendos *libr. 5. cap. 10.* Irrita eſſe leges, reſcripta, pacta ſæcularis poteſtatis, quibus hæreticis pax & ſecuritas promittitur, eâ lege, ut qui ea oſtenderint pœna fractę pacis teneantur. Inducias cum hoſte extraneo, non verò cum hæreticis iniri poſſe. *lib. 3. cap. 15.* Irrita eſſe pacta, quibus hæreticis permittuntur Eccleſiæ, & reformationes, bonorumque Eccleſiæ poſſeſſio & adminiſtratio, *Ibid. cap. 16.* Irrita eſſe pacta, leges, reſcripta, quibus lites Eccleſiarum adverſus hæreticos motæ aut movendæ tolluntur aut ſuſpenduntur; hæreticis juriſdictio aliqua aut munerum publicorum functiò permittitur. *Ibid. cap. 17. & 18.* Hæreticos eſſe diffidatos & banno imperiali ſubjectos. *lib. 5. cap. 14.* Interdicto eccleſiaſtico ſubjiciendas civitates & communitates, ubi hæreſes foventur. *Ibid. cap. 16.* Hæreticos etiam poſt mortem excommunicandos, & memoriam eorum delendam. *Ibid. cap. 17.* Quod idem defenditur ab *Alphonſo à Caſtro libr. 2. cap. 17.* Hæc ergo & ſimilia, quæ fuſè apud *Iordanum Brunum*, & longè fuſius apud *Alphonſum à Caſtro*, odioſa placita, cur *Baſſeus* præterierit,

terierit, prudens Lector facilè conjiciet. Denique ad pœnas hæreticorum pertinet, quod ipsis fides servanda non sit, juxta *dictatum Concilii Constantiensis*: quidquid *Molanus*, *Rosweidus*, *Becanus* hanc perfidiæ doctrinam palliatum eant. Sed de hoc in *Disp. ad nonum Præceptum*. *Tertium*, quod observo circa istam distributionem pœnarum in canonicas seu spirituales & in civiles: quod membra coincidant; quandoquidem & leges à Papâ ejusque factione sæculari potestati præformatæ ac præscriptæ sunt, immo velit nolit ipsi sub pœnâ æternę & temporalis perditionis impositę: & si quædam leges ex cœco zelo à secularibus unquam latæ sunt, illæ canonizantur atque in canonicas transformantur; ita ut nunc formaliter sint canonicæ. Judicia criminalia secundum illas leges, & latæ sententiæ contra quem hæreticum, & traditio ejusdem in manus Magistratuum, ut cœci fiant executores, sunt purè Ecclesiastica seu Canonica. Itaque, potestas legislatoria & juridicialis seu jurisdictio Magistratui hâc in parte non magis tribuitur, quam in Politiis Protestanticis lictori cuipiam aut carnifici; nec magis dicendæ sunt pœnæ civiles, quam apparitoriæ, aut spiculatoriæ, aut lictoriales, quia scil. ab apparitore, aut spiculatore, aut lictore condemnatis plagæ corporales infliguntur.

5 Delineanda nunc restat controversia de Politicâ coércitione hæreticorum; quam tanti momenti faciunt nonnulli, ut si ab aureo Libertinismi & indefinitæ licentiæ somnio, seu mavis prætextu dissidere quem contingat, illum & cœlo, & solo exclusissimum, habendum putent. Sed multa & diversissima hic in rationibus atque exceptionibus adducendis misceri ac confundi solent; nonnulla per calumniam nostris affinguntur: quædam autoribus quos pro se citant, supponuntur; ita ut fallaciis ἐπὶ ζητήσεως & ignorationis elenchi, imprimis hic ludatur. Distinguamus ergo quæstiones, & antagonistæ cogitent de categoricis ad singulas responsionibus. *I. Quæst.* An Magistratus potestate legislatoriâ, judiciali, coactivâ seu coërcitivâ in foro conscientiæ seu bonâ cum conscientiâ uti possit, eamque ad Religionem & Ecclesiam veram aut falsam, & ad quasvis causas & personas applicare pro arbitrio. *Resp. Neg.* Aliud enim est titulus, jus, ac potestas; & aliud exercitium, seu potestatis usus atque abusus. Sic e. gr. Pilato potestas aderat, *Iohan.* 19. *vers.* 11. sed exercitium illius potestatis circa innocentem Christum erat illicitum. *II. Quæst.* An propter multiplices abusus Magistratuum in legibus ferendis, in judiciis exercendis, contra veram Religionem & Ecclesiam, ejusque consortes, ex. gr. antiquos Christianos, & hodiernos dictos Protestantes ac Reformatos: omnis legitima potestas coërcendi hæreses & blasphemias, Magistratui in totum neganda, aut saltem exercitium potestatis in iis sufflaminandum

nandum sit? *Resp. Neg.* juxta regulam: tollatur abusus, & maneat res ipsa. *III. Quæst.* An modus procedendi sive contra veros hæreticos, apostatas, blasphemos, sive contra falsò ita dictos in Papatu usitatus, sit probandus; aut probetur à Nostris, qui aliquam potestatem Magistratus, etiam coërcentem hic agnoscunt. *Resp. Neg. utrumque.* Aliud enim est res ipsa in genere & in se considerata, & aliud hic aut ille modus rei. Rem agnoscunt; modum procedendi inquisitorum Papalium, præsertim Hispanicam meritò nostris exosam inquisitionem detestantur. Ex. gr. Quod in causâ hæresios idem possit esse testis & denuntiator: item quilibet alius, etiam infamis, perjurus, &c. Et quod sententia absolutoria nunquam transit in rem judicatam; quod hæretico condemnato appellationis remedium non est concedendum. Adde de juramento inquisitorio, quod antehâc attigimus in *Disp. de Iuramento Religionis.* Et de duplici judicio Episcopi & Inquisitorum: & quod Inquisitor procedere potest contra hæreticum, etiam si procedat episcopus. Hæc aliaque vide exposita apud *Canonistas*, ut *Vallensem loc. cit.* & *Casuistas*, ut *Azorium tom. 1. lib. 8. cap. 20.* & *Iureconsultos*, ut *Tholosanum lib. 32. cap. 7.* Et *tract. peculiares* de hâc materiâ conscriptos, ut *Eimerici directorium Inquisitorum*, *Bernardi Comensis lucernam Inquisitorum*, *Bariolæ flores directorii Inquisitorum.* Sed nos de Inquisitione alibi & alias, si Deus volet. *IV. Quæst.* An quis ad fidem à Magistratu cogi possit. *Resp. Neg.* Quod si aliquo in casu liberi à Parentibus, subditi aliqui infideles ut Judæi, aut ad hæresin seducti à Magistratu urgeantur, ut conciones, lectiones, collationes audiant, per quas meliora proponuntur: illud non potest dici coactio ad fidem, aut vis conscientiis illata; quia ea libera relinquitur. Et sanè *Arminius in disp. de Secessione à Papatu* §. 14. putat defendi posse, *impedimentum publicorum conventuũ, hominunq; ad audiendas reformatorum conciones per mulctas pecuniarias compulsionem sic administrari posse, ut sint officia caritatis.* De compulsione hâc Judæorũ vide *Gregorii XIII. constitutionem anno* 1584. 3. *Kal. Septemb.* unde Principes & Magistratus reformati exemplum si sumerent, utique nihil in Deum & libertatem conscientiæ peccarent. *V. Quæst.* An libertas conscientiæ, coactioni opposita dissentientibus in Religione permittenda sit. *Resp. Affirm.* & distinctè gradus illius libertatis explicuimus, eamque à libertate exercitii distinguendam docuimus in *Disp. de Libertate conscientiæ & permissione Religionum, &c.* Non repugnat huic libertati, nec tyrannis exercetur in conscientias, si Magistratus hæreticum quem idololatram, blasphemum, infidelem, apostatam jure civitatis non donet, quamvis id petentem; aut si quem jure illo gaudentem dimittat tanquam inutilem civem. *VI. Quæst.* An Magistratus ad exaltationem fidei ac pietatis, & depressionem hæresios, apostasiæ, impietatis, possit à muneribus, dignitatibus, emolumentis, privilegiis,

legiis, hæreticos, apostatas, idololatras, imprimis eorum ductores excludere; & verę fidei ac pietatis consortes ac zelotas iis pręferre? *Resp. Aff.* Ex *Galat. 6. vers.* 10. Et si in omnibus Politiis, hæc aut illa qualitas sæcularis in promovendis ex arbitrio Magistratus requiritur, sine quâ alioquin excluſi sunt, quidni qualitas fidei ac religionis, quę omnes alias superat. In his sex quæsitis, puto inter nos & adversarios sic satis convenire. Sed in sequentibus non ita: An libertas professionis & exercitii hæreticis quibusvis à Magistratu sit permittenda, an verò eam in totum aut ex parte impedire possit. An si hoc obtineat; vim & coactionem adhibere possit, in casu inobedientię, aut resistentiæ? Quod si posterius concedatur, an post pœnas & coërcitiones minores, tandem ad capitis supplicium devenire possit. Sit ergo. *VII. Quæst.* An libertas exercitii quibusvis hæresibus promiscuè, quæ nomine Christiano se tegunt, concedenda sit, nec ullum impedimentum à Magistratu iis ponendum? *Resp.* Remonstrantes contendunt pro *Aff. pr.*, & *Neg. post.*, tum in aliis libris & libellis vulgari linguâ editis, tum in *Apologiâ* suâ *cap.* 25. *fol.* 305. quorum rationes observatis distinctionibus quas quæstiones nostrę distinctè propositæ insinuant, nullo negotio difflantur. Tangunt etiam hanc rem in *præfat. Apologiæ*, sed magis rhetoricando, quam probando: ad quod respondit *Isaacus Iunius in Antapologiâ pag.* 9. 10. Nos volaticis & rei ac statui præsenti velificantibus ratiunculis, istas opponimus & probamus, impediri posse hęreses, si non omnes ex judicio Remonstrantium, saltem aliquas, ex. gr. Marcionis, Valentini, Carpocratis, Manichæorum, Arabicorum, Priscillianistarum, Henric-Nicolaitarum, Davidis Georgii, Francisci Davidis, Papistarum curialium, &c. 1. *Rat.* Quia
" Magistratus, quousque potestas & potentia adest, omnia mala & peccata
" arcere atque impedire debet, quę Dei gloriæ, hominum saluti, & publi-
" co bono præjudicant. Atqui talia sunt hæreses contra priorem tabulam. Ergo. 2. *Rat.* Quia hoc colligitur ex *Exod.* 7. *vers.* 1. & 12. *vers.* 1. Cui adde laudata in Scripturis exempla Mosis, Asa, Elia, Hiskia, Josia. 3. *Rat.* Quia exercitia, praxis, & propagatio aliorum peccatorum contra priorem
" tabulam, ut Magiæ, blasphemiæ, perjurii, atheismi, profanationis Sabba-
" thi, idololatriæ, dæmonolatriæ, à Magistratu impediri debent, saltem possunt: ergo & hæreses, si non omnes (ut e.g. Sociniana aut Arriana juxta Remonstrantes, quam non agnoscunt esse hæresin) saltem majores & tetriores; quales fanaticæ & blasphemæ modo memoratæ. 4. *Rat.* Quia non tantum totus Christianismus hactenus potestatem illam Magistratus agnovit, sed & ipsi Remonstrantes, simulac Magistratum aliquem, non tantum supremum, sed & subordinatum, oppidanum scil. aut vicanum,

num, sibi saventem habebant. Quid Alckmariæ, Roterodami, Schonhoviæ, Goereedæ, Brielæ, in agro Schielandico, hic Ultrajecti gestum, probè meminimus, nec ex publicis actis, aut Historiis tam illustria Remonstranticæ caritatis, tolerantiæ, moderationis, eleutherophiliæ specimina eradi possunt. Sed distinguenda sunt tempora, quibus scripsere Remonstrantes tanquam jacentes; ab illis temporibus, quibus scribebant, buccinabant, agebant triumphantes, hic scil. & alibi, ubi brachium sæculare sibi mancipârant. Vide *Grotii Pietatem Ordinum Hollandiæ*, & *Eorundem Ordinum decretum pro pace Ecclesiarum, an.* 1614. Et sententiam ex *Platonis Politic.* 2. & *Melanthonis loc. comm.* de Deo autore peccati, eidem decreto non sine tacitâ atque intolerandâ in Ecclesias reformatas calumniâ prœmissam. Adhęc *Triglandii Historiam* istorum motuum universalem; prœter particulares istic & alibi indicatas. Hęc omnia coërcitionem innuunt. *VIII. Quæst.* An si impedimenta Magistratus per prohibitiones verbales licentiæ & vastationi hæreticorum objectas contemni & impediri contingat; realia impedimēta per coërcitiones, coactiones, & pœnas adhiberi possint? *Resp.* Quidni? Si enim potestas Magistratus precatoria & hortatoria non est, qualis est Ecclesiastica, sed coactiva, cum habeat jurisdictionem cum Imperio; utique coërcitio & coactio in casu resistentię aut inobedientiæ, à prohibitione separari non potest. Quæ nunc non probabo, sed tanquam probata à Politicis & Jureconsultis, & à Theologis contra Anabaptistas hic præsuppono. Cum quo junge praxin universalem antiqui (vide *Leges Imperii Romani*; ut & *Canones* suprà *cit.*) & hodierni Christianissimi; ut & Reges, Principes, & Magistratus omnes Protestantes ac Reformatos. Duo tantum dicam, quæ ad hominem Remonstrantibus opponi possunt. *Unum* est, quod illi Magistratui non tantum tribuant potestatem Politicam circa Ecclesiastica, sed insuper formaliter Ecclesiasticam, & quidem supremam, legislatoriam scil. juridicialem, gubernatoriam. *Alterum* est, quod & doctrinâ & instigatione suâ, cum res ipsorum starent, Magistratui autores fuerunt, ut coactivâ potestate uterentur, per Prætores, eorumque satellites, lictores, armatos, & de novo contra aut præter militiam fœderati Belgii conscriptos milites; perque exilia, deportationes, mulctas pecuniarias, incarcerationes; adhæc per prohibitiones & impeditiones scriptionum, collationum ac disputationum, conventuum, concionum in privatis ædibus habendarum, etiam extra territorium, quin & extra totam Provinciam subinde audiendarum. Et hæc vis ac coërcitio non exercebatur contra hæreticos, quales Semi-Judaizantes, Francisco-Davidici, Monasterio-Anabaptistici, Sociniani, Arriani, Enthusiastæ & Libertini, &c. Sed circa orthodoxos fratres, quos ita salutabant, & quorum religio, etiam in doctrinâ quinquarticulanâ

cum appendicibus in toto orbe reformato & in fœderato Belgico per publicam potestatem Ecclesiasticam recepta, per Politicam confirmata, stabilita, atque armis hactenus defensa fuerat: & quam orthodoxi per conscientiam Dei deserere, aut cum placitis Remonstranto-Socinianis privato ausu mutare non poterant; ne leves, ἄτακτοι, scismatici, heterodoxi, ingrati, audirent. Quod dixi de incitatione Magistratuum, ex concursatione Concionatorum quorundam Hagę-Comitis, Ultrajecti, Roterodami, &c. quibus unum cum Magistratibus consilium, & variis libellis ac libris colligitur. Vide inter alios *Grotii Pietatem Ordinum Hollandiæ, Barlæi Philippicam in orthodoxos Ministros*, cui *Ioh. Damius* Medicus egregium *responsum* opposuit, *Ioh. VVtenbogardi defensionem decreti Ordinum, Anonymi libellum Belgicum*, cui tit. *Campana incendiaria, &c.* Sed de totâ hâc controversiâ alibi agitur, *tit. de Libertate conscientiæ & permissione religionum in Republicâ.* Interim universalem tum antiquorum, tum recentiorum Politicorum & Theologorum consensum videat Lector apud *Gulielmum Prynne* J. C. Anglicum in *tract. per VVolf. Meyerum* Theologum Basileensem ex Anglico in Latinum translato, tit. *Fulcimentum gladii, &c. IX. Quæst.* An hæretici extremo supplicio per Magistratum afficiendi sint. *Resp. Neg.* Non disputabo nunc contra Pontificios in thesi id affirmantes, insuper in hypothesi reformatæ Ecclesiæ pœnam illam applicantes: sed solummodo disquiram, an ab Ecclesiâ nostrâ doceatur hæreticidium: Fontes solutionum contra Pontificiorum argumenta aliàs cum Deo suppeditaturus.

6 Est ergo quæstio non de Fide, nec etiam de Theologiâ, sed tantum de Historiâ & facto, hypothetica scil. & status inficialis; An reformata Ecclesia credat ac doceat hæreticidium. Remonstrantes haut obscurè hoc illi impactum velint: uti constat ex *variis* eorum *libellis* vernaculis, tum Anonymis, tum nominatis, etiam ex *Apologiâ loc. cit.* & ex *Vindiciis*, seu *Vedelio Rhapsodo.* Ex Lutheranis, *Eckhardus in Fascic. controvers. cap.* 23. idem intendit, ubi tamen pro parte negante, quam & nos amplectimur, non satis feliciter disputat. Jesuita Becanus lib. 5. Manualis c. 17. ad quæstionem propositam, *An Magistratus possit hæreticos propter solam hæresin pœna capitis punire?* Respondet: *Affirmant Calvinistæ: negant Lutherani. Nos distinguimus. Duo enim spectari possunt in hæresi, primò, quod sit peccatum, &c. Secundò, quod perturbet pacem & tranquillitatem Reipublicæ, &c. Priori modo non punitur à Magistratu pœna capitis, sed posteriori, & quidem justè.* Paulo post probaturus, quod perturbat pacem Reipublicæ, non minus, quam homicidæ, fures, adulteri, raptores, hanc distinctionem addit, quod turbet non primo ac per se, sed consequenter: quod pax Reipublicæ

publicæ sine unitate fidei conservari nequeat. Sed calumniator ne verbulo quidem probat Calvinistas indistinctè & absolutè affirmare homines propter solam hæresin pœna capitis puniendos. Nec probat suam sententiam sub distinctione, doloſè tamen propositam & applicatam, esse sententiam, Papæ, juris Canonici, Ecclesię Romanę, Inquisitorum, nominatim in Hispaniâ; qui nihil hic distinguunt. Consulantur supra §. 2. & 4. imprimis *Bellarmin. lib. 3. de Laicis cap. 21.* citati, aliique omnes Papales, *Scholastici ad 22. qu. 11. Commentatores & Concionatores ad Dominicam 4. post octavam Epiphaniæ*, seu ad *Matth. 13.* Canonistæ, Casuistæ, Elenctici, Politici, Juristæ, & vel solum bullarium: ita ut non tantum dicant posse, sed debere à Principibus ac Magistratibus exstirpari & puniri hæreticos sub pœna deprivationis. Quin ipse *Becanus* immemor simulatę distinctionis *ibidem* disputat æque puniendos esse ac homicidas, fures, adulteros; quippe perturbatores pacis publicæ. Ergo homicida non magis aut minus punitur, quàm hæreticus, nec vice versâ: & uterque propter solum homicidium, aut solam hæresin, quatenus perturbat pacem Reipublicæ. Rationem de homicidio spirituali hæresios magis morte puniendo, quam homicidio corporali, habet & urget *Cardinalis de Turre crematâ in quæst. super Euangelia anniversaria ad Dominicam 4. post octavam Epiphaniæ.* Remonstrantes accusationem suam, hactenus ex duobus probare conati sunt. Quorum *prius* est, quod nostri negent debere Magistratum libertatem exercitii, quousque & quantam hæretici sibi secundum conscientiam suam, necessariam esse dicerent, concedere. Ex hoc putant per consequentiam sequi doctrinam hæreticidii. *Posterius*, est ex supplicio Serveti, & *Scriptis Calvini & Bezæ*; quos alii nonnulli, apud *Eckhardum* Lutheranum, *cap. 23.* dicuntur secuti. *Resp.* Ad prius, quod est Remonstrantium, non valere istam consequentiam. Alioquin æquè Lutheranis & Remonstrantibus hæreticidium, quod alioquin exsertè negant, impingi posset: *Illi* enim Magistratui potestatem coërcitionis circa idololatriam, hæreses, & scilmata exsertè tribuunt, & ubique in terris Lutheranorum exercitam probant. *Isti* eandem potestatem antehâc Magistratui tribuerunt, & ejusdem circa Reformatos exercitium quam maximè probârunt: quamvis se & suos Socinianos studioſè semper excipiant. Quæ Theologia temporum, & partium est, non Catholica & Scripturaria. *Resp.* ad posterius. 1. Opinionem particularis Doctoris alicujus & factum particulare Genevensium, non debere Ecclesiis nostris impingi tanquam dogma Ecclesiasticum. Præterquam enim quod alii Doctores exsertè improbent hæreticidium, e. gr. *Musculus cit.* ab ipso *Eckhardo*, & *Professores Leidenses in Censurâ confessionis Remonstrantica*,

& *Isaacus Iunius in Antapologiâ ad præfat. p. 9. 10. Ioh. Crocius in Commentar. ad Tit. 3. vers.* 10. aliique complures alias indicandi; nusquam in publicis confessionibus (unde doctrina Ecclesiæ nostrę cognoscenda) hæreticidium traditur: non est ergo dogma Ecclesiasticum, ne quidem Scholasticum, communiori scil. suffragio Doctorum in Scholis probatum. 2. *Quod* ad particulare factum Genevensium; defensionem ejus à *Calvino* (non in *libro de Hæreticidio* quem nunquam dedit, quamvis ab hæreticorum defensoribus citari solet); sed *in Refutatione errorum Serveti*, & à *Bezâ* tum *in Epistolâ ad Dudithium*, tum in *tract. contra farraginem Bellii*, susceptam agnoscimus. Sed illa, si non defendere, saltem in benignam partem interpretari possumus; si modo distinguamus hæresin in simplicem, & in qualificatam: sicuti furtum distinguimus. Hanc voco, quæ est 1. hæresiarchę & seductoris, non simpliciter seducti. 2. Pertinacis & sine fine, sine modo pro viribus eam spargentis. 3. Cujus objectum sit, e. gr. Atheismus, seu Epicureismus, aut sceptico-Lucianismus omnem cultum numinis deridens ac tollens; aut opiniones & praxes cyclopicæ, circa vagas libidines, uxorum communionem, &c. 4. Aut quæ conjuncta sit cum Magiâ, aut cum crassissimâ Idololatriâ, e.g. directâ dæmonolatriâ, aut cum horrendâ blasphemiâ, 5. Nullis remediis hactenus coërceri potuit; non multis scil. pecuniariis, aut deportatione, aut exilio, aut incarceratione, aut fustigatione, aut linguæ blasphemę pertusione, aut stigmate. 6. Si blasphemias, aut naturali & civili honestati hominumque συμβιώσει repugnantes furores spargit non sine rebus novis adversus Rempublicam excitandis, moliendis. 7. Et Magistratus judicet salvâ Republicâ & publicâ autoritate toties ac tamdiu contemtâ ac proculcatâ, non posse se illum blasphemum turbonem in vitâ conservare; sed præstare ut unus pereat quam unitas. Hęc, & similia si concurrant ad hæresiarchæ aut apostatici aut relapsi turbonis qualitatem conficiendam, quamvis ego Theologus Magistratui nolim autor esse, ut miserum & noxium hominem tollat, (siquidem castigatus carceri perpetuò includi possit); non ausim tamen, si sustulerit, talem Magistratum in conscientiâ coram Deo gravare super hoc facto, tanquam crudelitate & tyrannicâ in conscientiam alterius usurpatione; nec video, quomodo probari possit hoc juri divino & naturali repugnare. Pone exempla Carpocratis, aut Priscilliani, aut Henrici Nicolai, &c. cum talibus circumstantiis. Adhæc Serveti, Sylvani capite plexi in Palatinatu; aut Adamitarum, in quos Ziska in Bohemiâ impetum faciebat, de quibus *Plesseus in Mysterio Iniquitatis*; adde & hodiernorum fanaticorum in Angliâ (Angl. *Quakers*) qui ex conscientiâ sectæ suæ nullum Magistratui honorem exhibendum volunt: denique eorum, qui ibidem jactare dicuntur, nullos debere

esse

esse Reges aut Principes, præter Christum, itaque exterminandos eos ex toto Christianismo; & statum omnium fidelium in hoc sæculo seu in politiâ debere esse æqualem aut collateralem, &c. Quid si dico Magistratus, in aliquo istorum casuum qualificato, judicet ex Reipublicæ necessitate esse, ut è medio tollatur? Et quid si judicium hoc Magistratus ex corpore Juris & legibus domesticis Jureconsultus quis tueatur? Quid si Theologus dicat Magistratum jure divino permissivo statuere posse in quælibet delicta, gradus & species pœnarum, secundum rectam rationem ex æquo & bono; & nunc in tali aut tali casu e.g. Serveti, aut Sylvani statuisse atque adjudicasse talem supplicii gradum ac speciem: ilico tragicos illos clamores tollent Remonstrantes, de coactione ad fidem, de tyrannide in conscientias, de sanguinariâ Jureconsulti aut Theologi illius doctrinâ? Quidquid hi fecerint, saltem non decet Lutheranos similibus consequentiis nostrorum doctrinam gravare. De Serveti supplicio quid mitissimus Melanthon judicârit, ejusque discipulus Hemmingius, adhæc Bullingerus cum Theologis Helvetiis, aliique qui Calvini discipuli non fuerunt, nimis notum est. Videatur modo inter *Epistolas Calvini* 157. quæ est Melanthonis. Et *Hemmingii Syntagma. cap. 1. de Deo.* Pauli Crellii Saxoniæ Cancellarii post tot annorum carceres capite truncati supplicium, ubi ritè contra orationem funebrem Pezelii, aliaque nostrorum scripta (inter quæ *Hospiniani Historia sacramentaria*) & *Peuceri* duodecim annorum incarcerationem contra Historiam ab eodem postea editam, defenderint: videbunt in hâc disputatione sibi distinguendum, & mitius de Calvini opinione & judicio judicandum. Repeto & concludo. 1. *Concl.* Ecclesiæ aut Ecclesiasticis Antecessoribus, eorumque Conventibus & Synodis non licet hæreticos, aut apostatas, aut blasphemos, aut cujusque delicti contra primam aut secundam Decalogi tabulam damnatos pœnis corporalibus, sive capitalibus, sive aliis quibuscunque, ut exilio, deportatione, verberibus, mulctis pecuniariis, ne quidem incarceratione coërcere. Quod statuimus contra præsumtam potestatem coactivam & carceres Episcoporum Papalium, totumque praxis criminalis Canonicæ choragium: de quibus in Politicâ Ecclesiasticâ. Idem applicatum volumus carceribus Inquisitorum, & disciplinæ Regularium: de quibus *ibid.* Quod autem Pontificii exemplum Petri *Actor.* 5. huc advocant, æquè absurdum est, ac si exemplum Phineas gladium Magistratus extraordinario & peculiari Dei instinctu ac mandato usurpantis, aut Eliæ, 2. *Reg.* 1. cum *Lucæ* 9. *vers.* 55. Ecclesiasticis applicarent. 2. *Concl.* Quamvis delatorum aut actorum partes Ecclesiæ aut Ecclesiæ Ministri ordinariò sibi nec sumant, nec sumere debeant: non tamen absolutè illicitum est in casu claman-

clamantium & impunitarum blasphemiarum, aliorumque scelerum, quibus ira Dei in populum provocatur, Magistratum indefinitè & in genere officii sui moneri; aut in casu maleficiorum & injuriarum in ipsam Ecclesiam & ministros propriè redundantium, etiam definitè Magistratibus hoc denuntiari. Sic tamen, ut ipsis nihil præscribatur, sed tantum necessarium remedium postuletur, modus verò & ordo, qualitas & quantitas illorum conscientiæ, prudentiæ & potestati relinquatur. De accusatione Ithacii apud Maximum & supplicio Priscilliani quidquid statuendum sit, saltem Pontificii cum *Baronio* suo *ad ann.* 385. §. 29. & 386. §. 27. nullo colore illud improbare queunt, nisi propria vineta cædere velint. Confer supra *Disp. de Patronatibus, & tutelis Sanctorum, part.* 3. *sect.* 2. §. 5. Quod *Bellarminus lib.* 3. *de Laicis c.* 21. ex exemplo Concilii Niceni concludit hæreticos ab Ecclesiasticis posse condemnari aut postulari ad corporales pœnas, fruſtraneum est. Neque enim *Sozomenus* ab illo citatus *lib.* 1. *cap.* 20. dicit Arium cum sociis *ad petitionem Concilii Niceni* ab Imperatore missum in exilium. Ad libri inspectionem provocamus. 3. *Concl.* Nullum esse jus divinum positivum, quo Magistratus teneatur, hæreticos quà tales pœna capitis, tanquam ordinariâ afficere. Fruſtra ergo hic allegatur lex Forensis Israëlitarum: cujus sanctionibus pœnalibus politias Christianas in specie & formâ non teneri, alibi ex professo disputatur. 4. *Concl.* Esse tamen jus divinum permissivum, quo contra quævis delicta pœnarum convenientes gradus ac species sancire potest: modo ne quid contra jus divinum, rectam rationem, aut naturalem justitiam atque æquitatem, sive in legibus, sive in judiciis suis determinet. Vide supplicia capitalia partim jure Romano, quousque illud à Republ. nostrâ servatur, partim legibus quarumcunque politiarum in Christianismo, ut & Belgii nostri municipalibus, militaribus, nauticis sancita. 5. *Concl.* Si quid à Magistratu aliquo reformato alicubi in casu hæresios qualificatæ sancitum, judicatum, factum sit: inde nec commune & perpetuum jus, nec Ecclesiastica doctrina & communis reformatorum fides colligenda est. 6. *Concl.* Factum tale e. gr. supplicium Serveti, aut Valentini Gentilis, aut Sylvani, non debet temere aut usurpationis, aut abusus condemnari; nedum ut Magistratus & Ecclesia reformata, quæ aut probasse, aut non dissuasisse ac condemnasse dicitur, conspirationis cum Papali tyrannide atque inquisitione, insimulari possit. *Non usurpationis*, quia hactenus nulla probatio à larvato Bellio & Vaticano (qui revera fuerunt Lælius Socinus & Sebast. Castellio) & similibus hæreticis, hæreticorumque fautoribus, nec etiam à Remonstrantibus, aut Eckhardo, aut à novis quibusdam Libertinis in Angliâ allata fuit, quâ evincatur absolutè illicitum esse Magistratui hæreti-

hæreticum quem, non quâ talem, sed quâ qualificatum & in talibus circumstantiis positum, è medio tollere. Quod enim absolutè illicitum est, & malum (ut ex. grat. mendacium, blasphemia, &c.) id juri divino ac naturali absolutè repugnat, nec aliquo in casu potest honestari, nec positivâ lege divinâ præscribi. Atqui Deus lege Forensi Israëlitarum, quæ nusquam juri divino & naturali repugnat, supplicia illa aliquibus in casibus præscripsit, ut *Deuter.*13. *Levit.*24. Ergò si Magistratus analogicè suas sanctiones inde formet, & ad suas circumstantias prudenter & secundum rationem applicet ac determinet, non incurrit in jus divinum ac naturale. *Non abusus*: quia ex publicis actis, & historiis constat, legitimè & justè processum criminalem adversus illos institutum; nec *in innocentes* (uti generalem hanc phrasin subinde usurpant Remonstrantes) *sævitum* fuisse: nedum ut in eos tanquam in pios Christi martyres sævitum esset. Consuli possunt *Bullingeri, aliorumque Helvetiorum Apologia*, ubi *de supplicio Valentini Gentilis*. Quod ad Historiam hæreticorum illorum, colliges eam ex *Possevino de Atheismi*, *D. Cloppenburgio in Prolegom. ad refutationem compendii Socinismi*, *D. Hoornbeeck in Prolegom. ad Socinismum confutatum*, & in *Summâ Controvers.* Et consensum antiquorum ac recentiorum de pœnis hæreticorum, apud *VVilhelmum Prynne in Fulcimento gladii*, supra cit. Adeo ut non nisi insigni pravi affectus paroxysmo odium hujus facti in unum Calvinum derivârit vir maximi alioquin ingenii & diffusæ eruditionis *Hugo Grotius in eristicâ Appendice ad notas in quatuor Euangelistas*: sive studio in Antitrinitarios, sive odio in Reformatos (qui Calvinistæ à Remonstrantibus appellantur); ex quorum Ecclesiâ egressus erat.

NOTITIA LATENTIS ET SERPENTIS HÆRESIOS ANTI-TRINITARIÆ.

Resp. HENRICO SELYNS, Amstelredamensi.

Ad diem 5. *Iulii*, *Anno* 1656.

Egimus aliquot Disputationibus de Ignorantiâ, Errore & Hæresi: Affinis huic tractationi, quin immo & pars ejus, est notitia hæresios anti-Trinitariæ: quam si studiosis nostris hâc tempestate præformemus, operam nos minimè lusuros putamus. Scitè enim dictum: Hæreticos detegere est refutare. *Quod ut in omni hæresi locum habet, ita imprimis in anti-Trinitariâ, quæ & olim & hodie tanquam proprium sibi symbolum fixisse videtur decantatum illud* λάθε βιώσας; *donec scil. omnia in Ecclesiâ & Republicâ tam latè occupaverit,*

paveris, ut triumphum tibi decernere, & omnes jugo tuo colla non submittentes, aut cædere, aut evertere, aut in triumphum ducere possis. Illam ergò ut è latebris extrahere, & serpens lætale ejus toxicum sistere queamus, notitiam ejus capessamus. Dispescimus eam in duo capita: quorum I. *continet* Narrationem seu delineationem Historię. II. Disquisitionem & consultationem geminam super detectione hujus hæresios in Belgio latentis serpentis.

1 HIstoria hujus hæresios est vel antiquę, vel hodiernæ. *Antiqua* in varias species dissecta fuit, quarum consecranei & sectatores multiplicantes ab unâ parte supra τὸ trinunum, personas aut essentiam, dicti sunt Tritheitę, Triformiani, Marcitæ, Apollinaristę, Tetratheitæ: tollentes ab alterâ parte trinitatem personarum, aut τὸ ὁμοούσιον alicujus personæ, Simoniani, Colarbasii, Montanistę, Noëtiani, Praxeani, Sabelliani, Apollinaristæ, Priscillianistæ, Aëtiani, Arriani, Samosateniani, Photiniani. De quibus consulendi Scriptores hæresium, tum veteres, tum recentiores supra in *Disp. de Hæresi* indicati. *Nova*, potissimum in tres sectas divisa est, Neo-Arrianorum, Neo-Photinianorum, (qui communiter Sociniani dicuntur), & Francisco-Davidicorum. Quod ad Didericum Philippi aliosque Anabaptistas, hic impingentes aut fluctuantes, quia apertè & communi confessione dogmata anti-Trinitaria non profitentur, & linguæ eorum confusæ sunt, nec desunt qui melioribus hic imbuti sunt, non insignimus sectam eorum nomine anti-Trinitariæ: quamvis non desint Doctores eorum, qui quod ad rem non dissentiant; nec cœtus, qui latibulum sectæ illi præstent. Vide inter Antagonistas Anabaptistarum *Joh. Cloppenburgium in Gangræna Theologiæ Anabaptisticæ, disp.* 1. & 2. Inter anti-Trinitarias hodiernas diffusior & celebrior est Sociniana: contractę admodum & obscuræ Arriana, & Francisco-Davidica: quarum ista in Transylvaniâ ubi nata, ferè exstincta, saltem oppidò in angustum compacta videtur, nec unquam extra terminos ejus egressa: illa itidem in eodem solo paulatim exarescens; nisi quòd aliqua ejus propago in Belgium nostrum traducta sub umbra & titulo aliarum sectarum delitescat. Ejus indicium aliquod nobis factum ab interceptâ *epistolâ Sartorii* Sociniani, quam in nostrum idioma translatam edidi cum *catechizatione Catechismi Remonstrantici*. Hodierni Socinismi placita, originem, progressum compendio discent Studiosi ex D. *Iohannis Hoornbeeck* nuper Collegæ nostri *Summâ Controversiarum*, & *Prolegomenis ad Socinianismum confutatum*, & *D. Cloppenburgh Prolegom. ad compen-*

ad compendiolum Socinismi confutatum. Tantum hic notari velim, quod propriè hujus loci est, tentatum aliquoties ab hâc hæresi Belgium nostrum; quòd maximè commodum videretur, ut hinc tanquam ex sede aut armamentario suo per quascunque orbis plagas deferretur. *Primum stratagema* fuit susceptum Anno 1585. ab Erasmo Johannis Scholæ Antwerpianæ Rectore, cujus tract. Anonymus tit. *Antithesis doctrinæ Christi & Antichristi de uno vero Deo*, refutatus est ab *Hieron. Zanchio* Anno 1586. *Secundo stratagemate* tentatum fuit Anno 1588. per *Cornelium Daems*, Advocatum quondam Mechlinienſem, tunc Goudæ commorantem Fausto Socino notum & laudatum (uti videre est in editis *Epistolis Socini*), qui equi illius Sociniani claustra laxare cœperat Ultrajecti, illatis & sparsis hic libris Socini, M. SS.: quod cum innotuisset urbis Senatui, Sinoniæ chartæ à Prætore in diversorio deprehensæ, & inde in Curiam delatæ sunt: Cornelio fugâ sibi consulente, ne parem fortunam cum chartis subiret. Paucis mensibus post Senatus collegio, quod Religioni addictum erat, per factionem Politicam mutato, & Jacobæis hybridis neutralibus substitutis (de quo vide *Iohannem Uytenbogardum in Vitâ suâ cap.* 8.) ilico Goudâ Ultrajectum rediit Cornelius, & à Magistratu tunc rerum potiente chartas suas repetiit, atque obtinuit eo modo, quem describit *Petrus Bor, lib.* 21. *Histor. fol.* 113. Ut videas consanguinitatem doctrinæ & moderationis, atque animi à purâ ac genuinâ reformatione aversi, & favoris in hæreticos in antiquis nostris Jacobæis, & sociis Remonstranticis. Ipse Uytenbogardus, quamvis aliâ intentione, inscius instar Cajaphæ prophetat pag. cit. *Eadem erat fabula in parvo, quæ* 30. *annis post in magno acta est in Hollandiâ & Vltrajecti, & quidem inter easdem partes.* Confer *ibid. pag.* 11. Ex illo tempore præter Jacobæos jam in throno collocatos, semina Socinismi sparsa & sub glebis tecta fuerunt, quæ triumphante Remonstrantismo se prodiderunt. *Tertium stratagema* erupit ann. 1598. ubi Ostorodus & Voidovius cum apparatu librorum manuscriptorum & impressorum Socini Amstelodamum appulissent, plantaturi Socinismum in Belgio per libros in nostrum idioma transferendos, & jam transferri cœptos. Sed cum stratagema hoc inclyto Senatui Amstelodamensi innotuisset, libri que omnes ablati ad Illustr. & Præpotentes Ordines Generales missi essent, ibique frustra obnitentibus Ostorodo & Voidovio publicè combusti, tantis ausis tunc temporis exciderunt, & intra quindecim dies Belgio excedere jussi in Poloniam remeârunt; emissâ paulò post Apologiâ Latino & Belgico idiomate editâ: quâ hæc gesta atque unà decretum Ordinum exhibita sugillantur. *Quartum stratagema* omnium periculosissimum, occasione factionis Remonstranticæ admotum, abiit in perpetuam

pyraticam seu latrunculationem, quâ Belgium nostrum jam ab anno 1605. usque in hunc diem infestatum fuit. Eam variis in libris elenchticis nostrorum contra sectam Remonstranticam *in Catechizatione nostrâ* indicatis, & in *Historiâ* Clar. D. *Triglandii* passim detectam, videre poterunt nostrates. Nos antehâc ὡς ἐν πίνακι in *Disp. de Necessitate & Vtilitate doctrinæ de Trinitate* nonnulla huc spectantia oculis studiosorum nostrorum subjecimus. Hic ergo ab ulteriori ἐπεξείᾳ supersedebimus.

2 Accedimus nunc ad disquisitionem & consultationem super notitia hæresios Anti-Trinitariæ in Belgio. Ea est gemina; *Vna*, An hic sit necessaria notitia & investigatio. *Altera*, quomodo acquirenda. Priori deliberationi præstruimus istas hypotheses. *I. Hypothesis*: Hæresin hanc esse noxiam maximè, quippe totum corpus religionis Christianæ depascentem; & affectas à communione non tantum Ecclesiæ, sed & nominis Christianorum excludentem. Vide quæ olim *Grotius in Pietate Ord. Hollandiæ*, ibique laudatus illi *Vyttenbogardus* contra abominandam hanc hæresin eructabant, & *Barlæus in Defensione Epigrammatis sui contra Vedelium*. Aliqua ad probationem hujus hypothesios spectantia adduximus in *disp. de Trinitate*: cum quâ conferantur *dispp. de Moderatione & Tolerantiâ, de Syncretismo*. *II. Hypoth.* Eandem ἰδιοσυγκρασίᾳ suâ, vitam & incrementum omne (quamdiu fortuna non vertitur) in occultis dedecoris, & in ambigui illusionibus quærere: ut ita sanis Christianæ & reformatæ Theologiæ phrasibus insanas & profanas opiniones vestitas, incautioribus obtrudere; aut saltem viam ad fraternitatem cum nostris, quam semper præ se ferunt, munire queant. *III. Hypoth.* Eam in Christianismo & in Belgio nostro politicè tolerandam non esse: quamdiu Magistratui potentia adest. Probavimus hanc hypothesin in *Disp. de Trinitate*: cum quâ conferri potest *Disp. de Libertate conscientiæ*. *IV. Hypoth.* Eandem tamen in Belgio nostro jam ab annis aliquot, præsertim in Hollandiâ, cum inchoatis turbis Remonstranticis ac per illas, latenter serpere cœpisse, ac de die in diem progredi. Remonstrantes id negant, sed contra lucem factorum, immo contra scientiam & conscientiam suam, quam frustra lusu aliquo ambigui aut simili arte liberatum ibunt. *Nullos hic esse Socinianos constat*: sunt verba Remonstrantis *A. F. P. in Epistolâ ad C. H.* an 1655. Amstelodami edita *contra D. Hoornbeeckii Summæ controvers. lib.* 8. Atqui contrarium constare res ipsa clamat, vel imprimis in ipsâ illâ urbe, ubi scribebat, ut Roterodamum aliasque urbes nunc præteream: Idem evincunt *decretum Illustriss. Hollandiæ Ordinum contra Socinianos*, cujus ipse *ibidem* meminit, & præcipui Socinianorum libri in idioma nostrum transfusi; quod in gratiam Polonorum & Transylvanorum fieri, nemini facilè

facilè persuadebit: denique cœtus Remonstranticos, eorumque Ministros, & Gymnasium in eâdem urbe occultum, ejusque Doctores (Episcopium, Curcelleum) & discipulos intueatur; ubi si Socinianos, aut Unitarios, seu Anti-Trinitarios, sive in totum, sive in tantum non invenit, oculos claudere dicendus est.

His ita præsuppositis, in deliberationem venit, An notitia latentis & 3
serpentis hæresios hujus capienda tantum per explorationem & investigationem in propriis cœtibus, si quos segreges instituunt; an vero etiam & imprimis in cœtibus aliis; hoc est, an ibi quærenda, ubi latere & foveri putatur, & unde aliquando occasione obstetricante colonias ducere, ac proprios sibi cœtus constituere posset. De propriis & separatis hæresios cœtibus parum adhuc constat: si quidem præludia aut rudimenta alicubi cœpta, ilico disturbata & sponte collapsa feruntur. Hactenus ergo tutius visum sub aliorum vexillis hyemare. Cœtus & conventus Religionis ergo in nostro Belgio in universum sunt, præter publicos publicæ Religionis, id est, reformatæ, clandestini Pontificiorum; & privato-publici Lutheranorum, Anabaptistarum, Remonstrantium. Indubium est non foveri hanc hæresin, in cœtibus Reformatorum, aut Lutheranorum, aut Pontificiorum: siquidem nulli ejus assecla ad communionem istic admitterentur, nec si dolosè irrepsissent, aut in communione illâ existentes ad hæresin hanc seducti essent, tolerarentur. Restat ergò, quandoquidem per Belgii partes aliquas hæresin illam latenter serpere constat, ut cœtuum Remonstranticorum & Anabaptisticorum doctrina, regimen, & status exploretur, & perlustretur ab illis, penes quos potestas est cœtus illos tolerandi aut non tolerandi. Quia autem aliqui Magistratus Belgici, rationes sibi esse putant, cur cœtus dissidentium à reformatâ Ecclesiâ, non quidem promiscuè omnium, sed alibi tantum Lutheranorum, alibi tantum Anabaptistarum, alibi utrorumque, alibi insuper Remonstrantium tolerent; utique illis cœtuum istorum doctrina & status exploratus esse debet; quod fieri non potest sine debitâ cognitione & informatione: Ut ita actionum suarum circa illam tolerantiam ratio ipsis constet, illique Deo eam reddere possint. Quomodo autem suæ tolerantiæ aut conniventię ratio ipsis constabit, si ignorent, quę & qualis sit secta, & qui ac quales cœtus, circa quos tolerantia versatur? Quomodo res & statum istorum cœtuum, quorum partem non faciunt, & in quibus non versantur, cognoscent, nisi debitè explorent & inquirant? Ne quis autem inquisitionem Hispanicam & conscientiarum torturam ac tyrannidem objiciat, & hâc larvâ Magistratus à debito cognitionis officio pueriliter se absterrer patiantur; præmoneo, in eo non consistere tyran-

nicam in conſcientias inquiſitionem, cum ad externas hominum actiones attenditur, iiſque ſi nimis exorbitent, ad ſalutem Reipublicæ modus aliquis ponitur: ſalvis tamen cujuſque interiori conſcientiâ & ſenſu. Quod ipſi ſupremi Magiſtratus exſertè teſtantur: & proteſtantur in celebri *decreto anno 1619. contra Remonſtrantium conventicula* edito. Et certè quicunque hodie, primâ caritate deſertâ Remonſtrantibus & Pontificiis hâc in parte, ſeu mavis Deo ſuo, hoc eſt, ventri velificantur, inſigni injuriâ afficiunt Illuſtr. & potentes Belgii Ordines, dum ſtramineis conſequentiis ſuis eos in Inquiſitorum Hiſpanicorum cortem compingunt. Illi enim ſunt, qui jam tot annis quęvis Pontificia exercitia & conventicula prohibuerunt; quibus Illuſtr. Hollandiæ & Zelandiæ Ordines multis annis præiverant, tanto cum zelo & conſtantiâ; ut fruſtrà magnus Reipubl. & libertatis Belgicæ Atlas Wilhelmus Princeps Auriacus eos ſufflaminare tentaret. De quo vide *ipſius auream Apologiam*, contra proſcriptionem Regis Hiſpaniarum, Latinè, Gallicè, Belgicè, anno 1583. editam, & ab Illuſtr. Ordd. fœderatis approbatam. Sed figmenta à Libertinis noſtratibus, Remonſtrantibus, Enthuſiaſtis, Neutralibus, Anabaptiſtis pro promiſcuâ quarumvis ſectarum libertate, hoc eſt, licentiâ & omnium rerum confuſione agitari ſolita, alibi tangimus in *Diſpp. de Libertate conſcientiæ, & de Romanâ ſede incompatibili cum Politiis Reformatis.*

4 Cœtus Anabaptiſtarum & Remonſtrantium à Magiſtratibus, aut delegatis eorum explorandos, ibique quærendam hæreſin Anti-Trinitariam, operoſè probandum non eſt. Quandoquidem hujus cognitionis & explorationis tanta ſit neceſſitas, eâdem methodo utantur Magiſtratus, quâ in aliis cauſis longè minoris momenti, ubi *præſumtiones & ſuſpiciones admittuntur, ad evincendam aliquam probationem eorum, quæ occultè & ſemotis arbitris teſtibus fiunt, & ut levius ſit onus probandi*; & ne veritas, quæ exquiri omnimodo debet, pereat *L. non omnes D. de Re militari. L. conſenſu*, &c. Ut compendio ſtudeamus, videatur *Syntagma Tholoſani lib. 48. cap. 11.* Sed non multum hic legibus agendum, cum mores & praxis univerſalis ſatis confundat iniquum quorundam poſtulatum, qui ne unquam hoc tam neceſſario officio fungantur, petunt in anteceſſum probari ab Eccleſiâ petente, ut ad inſidias hæreticorum attendatur, eſſe hunc cœtum in hâc civitate aut vico formaliter Socinianum aut Socianiſmi latibulum. Quaſi Miniſtri aut Eccleſię peterent conniventiæ ſeu tolerantiæ abruptionem, idque propter mixturam Sociniſmi, aut propter metamorphoſin Remonſtrantiſmi quinquarticulani in Sociniſmum, ſeu quaſi Sociniſmum; antequam ſcil. hoc liqueat Magiſtratui; ita ut cœci judices, aut abſque ullo judicio antecedente executores eſſent. Minimè, ſed tantum petunt, ut

Magi-

Magistratus hujus rei legitimam cognitionem suscipiat, eâque peractâ statuat quod juri & conscientię Dei consentaneum erit. Cur autem ad detegendam & amoliendam latitantem hæresin, ab Ecclesiis hęc indago urgenda, & à Magistratu suscipienda sit, quod ad Anabaptistica latibula, ratio non longè quærenda est; quia factum hic notorium est, & ab ipsis Anabaptistis Roterodamensibus sectæ Flandricæ ita in luce positum, & chartis eristicis ante biennium Roterodami, aliisque nuperrimè Amstelodami editis, vulgatum; ut nullus de eo amplius dubitare debeat. Remonstrantium cœtus jam pridem Socinismi aut Arrianismi, aut cognatæ alicujus sectæ latibula esse, partim ex probationibus, partim ex præsumtionibus hactenus constare arbitror, ut Magistratui satis causæ sit quærendi ex Remonstrantibus, Quod genus? unde domo? quos socios asciscitis? qui qualesque novi hospites, in cœtibus vestris succedunt? qui Ministri vocantur? *Probatio prima est:* Quia Remonstrantes in communionem & societatem suam aut receperunt, aut in eâ retinuerunt notos sive Socinianos, sive alterius generis Anti-Trinitarios: quales Adolphus Venator, quem blasphemis scriptis infamem (ut de vitâ & moribus nihil dicam) collegium Deputatorum Ord. Hollandię, quamvis Remonstrantibus addictum, cujus partem tunc faciebant Advocatus Barneveldius & Grotius, in Gravelandam deportârat: qui tamen postea brevi liberabatur; quod pœna hæc ei irrogata videretur, uti deprehensis in furto apud Lacædemonios secundum leges Lycurgi. De quo vide *Xenophontem de Republ. Lacædemon.* Infamem tamen hunc hominem tanquam ὁμόψηφον verbi divini præconem ad Cathedram suam admittebant Remonstrantes Ultrajectini, eundem excusare conantur *Autores scripti vernaculi, quod Antonii VValæi præfationi ad Professorum Leidensium Censuram confessionis Remonstranticæ, opponebatur* Anno 1627. pag. 18. 19. Videat Lector, cui vacat, *Venatoris Theologiam veram & meram*, seu *Librum fundamenti*, & ejusdem petulans ac profanum *Scriptum contra Concionatores Dordracenos.* Adde Venatori utrumque Geisteranum, quorum alter primum in hâc Provinciâ, postea Alcmariæ ministerium obiverat. De aperto eorum Socinismo, vide *Acta Synodi Dordracenæ, sess.* 138. Succedit infamis ille paricida Henricus Slaetius, quem hominem studio Theologico nullum, vita & moribus primipilum in Academiâ Leidensi bacchantem, doctrinâ Socinianum Concionatores Remonstrantes Ultrajectini, quamvis seriò præmoniti à Casparo Wiltens ad Euangelium in Indiâ Orientali prædicandum destinato & tunc stante in procinctu, ad examen & missionem in Indiam admiserant: cujus tamen executio studio & pietate dicti D. Wiltens apud Præfectos Societatis Indicæ impedita fuit. Nihilominus infamis

infamis ille Slaetsius à Remonstrantibus Neomagensibus in Classe illâ ad Ministerium promotus; inde ad vicum Bleiswijck in Classe Roterodamensi translatus: quidquid ex Zelandiâ, unde oriundus & exclusissimus erat, de ipsius Socinismo significaretur. Ubi duravit, & rebus secundis Remonstrantium non minima pars turbonum fuit: quin & *in collatione*, quæ super ejus calumniatoriâ & provocatoriâ tabellâ in ignominiam reformatę Religionis publicatâ. *inter D. Cloppenburgium* tunc Ministrum in vico Aelburch agri Heusdani, & inter dictum *paricidam Bleiswvici habita* fuit, mandato Delegatorum Senatus Roterodamensis (inter quos Nicolaus Grevinckhovius), convictioni de hæresi Socinianâ, quam D. Cloppenburgius moliebatur, & plerique auditores unicè expectabant, subtractus fuit. Succedit *Diedericus Camphuysen* Minister in Vleuten, vico hujus Provincię; cujus Epicureo-Socinismum spirat *Tractatus* in idioma nostrum traductus, unà cum *Smalcii Concionibus in Ioh.* 1.; cujus horribilis libri mentionem fecimus in *Catechizatione Catechismi Remonstrantici ad qu.* 101.102. Adde Engelbertum Pott, Henricum Welsingium, Nicolaum Lodingium, & similes Vorstii discipulos, qui cum Socinianam Theologiam Steinfurti hausissent, à Remonstrantibus ad Ministerium in Belgio perquam cupidè promoti sunt. Instar omnium sit Conradus Vorstius, cujus θεομαχίαν cum incrustato Socinismo conjunctam cum totus orbis Christianus, Reformatorum, Protestantium, Pontificiorum deprehenderet, Remonstrantes tamen hactenus non deprehendunt. Adeat, cui vacat, libros super hâc causâ editos; cui non vacat, inspiciat *Iudicium Synodi Dordracenæ, sess.* 152. De non paucis privatis cœtuum φοιτήσεις Socinismo in totum aut ex parte addictis, ibique toleratis, non est quod verba faciam: Et crimine ab uno noisce omnes. Atqui hi quidem Doctores Remonstrantici, qui cum sine Ecclesiasti â admonitione, correptione, censurâ, suspensione, exauctoratione, in communione eorum Sociniana sua placita tenuerint: merito iporum societas & cœtus, latibula Socinianorum dici & haberi possunt; & consequenter investigatio ac pervestigatio eorum non magis à legibus & moribus Reipubl. nostræ absona videri debet, quam pervestigatio domorum & familiarum, quæ de lenocinio, aut latibulo furum, aut conjuratorum, aut de celebratione missarum suspectæ sunt. 11. *Præsumtio valida est* de latebris Socinianis: quod Remonstrantes communi sententiâ statuant fraternitatem aut syncretismum iniri sive posse sive debere cum Socinianis, Vide *Apolog. fol.* 53. & *in præfat. num.* 2. *fol. verso*; & in *exam. præfat. fol.* 6. *verso* & *fol.* 19. Et *responsionem ad excerpta Professor. Leidens. pag.* 85. Et *genuinum Theologum Remonstranticum* (cujus autor *Episcopius*, teste *Curcellæo in præfat. ad opera Episcopii*),

Episcopii), *in tit. libri & pag. versa*, & *pag.* 46. 49. 69. 70. 71. 72 83. 115. 176. imprimis *pag* 72. 85 86. 96. 97. 161. edit. in 8. Et hanc perpetuam ipsorum cantilenam non ita pridem epiphonemate suo concluſit extremus inter Scriptores *A. F. P.* qui anno 1655. ſummam controverſiarum D. Hoornbeeckii admordit. Vide ibi *pag.* 38. Poſitâ ergo hâc ſententiâ de Syncretiſmo, & additâ caritate, moderatione, ac tolerantiâ Remonſtranticâ, quæ ipſis quaſi quarto modo propria (ſi quidem *Actis Synodi Remonſtrantiæ Roterodamenſis, anno* 1624. fides habenda); quomodo non præſumendum, piiſſimis illis fratribus Socinianis, qui toto fere orbe Chriſtiano deturbantur, apud ipſos hoſpitium aut latibulum præberi? 111. Præſumtio non minor ducitur à conſanguinitate doctrinæ. Judicet pius Lector, an non à ſenſu communis Chriſtianiſmi ad Anti-Trinitarios propius accedant, cum abſurda *Vorſtii in libro de Deo*, de Dei immenſitate, *pag.* 232. 235. 240. & in *Exegeſ. Apologet. pag.* 37. 84. 96. 97. immutabilitate, *pag.* 212. 306. 312. de præſcientiâ, *pag.* 441. & *in modeſtâ Reſponſ. pag.* 18. aut probant, aut excuſant. Vide judicium eorum de toto libro coram Illuſtr. Hollandiæ Ordinibus propoſitum, anno 1611. Et de Immenſitate *Apolog. fol.* 42. 43. & in *Belgicâ defenſione confeſſionis*, *pag.* 28. de Præſcientiâ, in *Apolog. fol.* 44. *Reſponſ. ad excerpta Profeſſ. Leidenſ. pag.* 68. *Epiſcop. in Epiſtol. ad Beverovic. de Termino vitæ. Myſterium Trinitatis* an fideliter & conſtanter tueantur contra adverſarios, judicet Lector, ex *Apolog. fol.* 52. *a.* imprimis ex *genuino Remonſtrantico Theologo pag.* 85. 86. ubi hæreſin Socinianam de Perſonâ & Deitate Spiritus Sancti extra omnem errorem ponunt. Velim pii Lectores verba ipſorum expendant. Adde quæ vacillanter de Invocatione Spiritus Sancti loquuntur, *Apolog. fol.* 51. 8. collato *Reſponſ. ad excerpta pag.* 58. Et *Vedelio Rhapſodo pag.* 50. De ſatisfactione Chriſti, cum antea *Henricus Slatius* tam impiè (vide *Feſſli Hommii Specimen, art.* 21.), & *Vorſtius* tam obſcurè & dubiè (vide *Paraſc. reſponſ. ad Piſcatorem, pag.* 25. & *Catalogum errorum Sibrandi, pag.* 31. *Orat. Apologet. pag.* 47.); atque illi ſuſpicionibus gravati uberius & plenius, quam ulli alii hic ſe declarare deberent: hactenus tamen non ceſſant tam tenuiter & parcè *in Confeſſione, Catecheſi, Formulis Liturgicis*, ſe explicare, ut ſupra recentiores Socinianos Smalcium, Slichtingium, Crellium, (quos *in Catechizatione Catechiſm. Remonſtrant. ad quæſt.* 36 adduco) non videantur aſſurgere: quod etiam Anonymus veles qui Summam controverſ. D. Hoornbeeck vellicare cœpit, haut obſcurè fatetur pag. 61. *In eodem libro Apologetico, ſicut etiam in ipſâ confeſſione tantum paſſioni D. Ieſu tribuunt, ut nemo vel paulo æquior, aliquid merito deſiderare poſſe videatur.* De Reſurrectione ejuſdem carnis, tam injuſtorum quam juſtorum ſatis dubiè loquuntur, & hæreſin Socinianam excuſant.

Vide *Episcopii disp. privatas disp.* 23. *th.* 2 & 4. *Apolog.* 217. *In confessione cap.* 19. *§.* 2. injustorum resurrectionem planè prætereunt. *Statum impiorum post hanc vitam*, præterit *Catechismus Remonstrant. qu.* 100. & 105. & dubiè de eo differunt *in Responso ad excerpta pag.* 93. 94. 95. *Diedericus Camphuysen* horribili illo *libro* supra *cit. pag.* 163. 164. 169. 170. 171. præsertim *pag.* 214. 215. 219. impiè tanquam fabulam explodit. Et hæc hactenus indicata sufficient ad præsumtionem de convenientiâ Socinianorum cum Remonstrantibus, saltem in necessariis. & tantâ, quæ vetet ipsos ab horum cœtibus excludi. Plura si quis desideret, diffundat se per ea, quæ *Bodecherus, Peltius, Professores Leidenses in Censurâ*, & *VValæus in præfat. ad Censuram* à se in nostrum idioma translatam, Iidem *Professores in Specimine excerptorum, Is. Iunius in Antapologiâ*, & *nos in Catechizatione*, *&c.* ad comparationem doctrinæ Socinianæ & Remonstranticæ contulimus.

5 Contra has probationes & præsumtiones nostras excipitur. *I. Except.* Inter Remonstrantes illos, qui apertè Socinismum suum prodidisse dicuntur, duo Geisterani confessioni Remonstranticæ nunquam subscripserunt, nec societati Remonstranticæ se adjunxerunt: ergo ex eorum exemplo nihil Remonstrantibus de Socinismi tolerantiâ impingendum. Vide *defens. confessionis Remonstrantica contra VValæum*, *pag.* 19. *Resp.* Dato antecedente, consequens tamen non sequitur. Distingue modo tempora. Duo Geisterani post ejectos Remonstrantes, noluerunt clandestino ministerio inter ipsos fungi, & consequenter tanquam Concionatores ad subscriptionem confessionis postulati non sunt: sed ante magnam illam mutationem alter eorum prius in Provinciâ Ultrajectinâ, uterque in Classe Alcmarianâ tanquam gratissimi Remonstrantibus Collegę & Fratres ad Ministerium promoti, suscepti, examinati, inque eo confirmati & retenti fuerunt. Hoc ergo Remonstrantibus imputatur. *II. Except.* Negant se esse Socinianos: & hoc sufficit contra omnes præsumtiones, & præsumtas probationes. Sic *Grotius in Pietate*, ibique adductus *Vyttenbogardus in Epistolis*: Et sic Remonstrantes de Episcopio, *in Defensione Catechismi sui contra D. Heidanum. Resp.* 1. De candore & veracitate eorum in negando, cum ipsis usui est, in *catechizat. Catechismi Remonstrantici ad qu.* 66. antehâc monuimus; nec hic repetimus. 2. *Stricte* intelligere possunt formalem titulum & denominationem: uti ego propriè loquendo (juxta 1. *Corinth.* 1. 12. 13.) Paulianus aut Petrinus appellari nolim; quamvis in omnibus cum iisdem sentire velim. Et sic *Augustinus*, aliique Orthodoxi collocutores *in collatione Carthaginensi* negabant Cæcilianum esse Patrem suum, quamvis in sensu Religionis illi

esset

essent ὁμόψηφοι 3. *Quamvis* distinctè in dogmatis seu Theologiâ aliqui antehâc negârint, & etiamnum nonnulli negarent se esse Socinianos; eo tamen non liberatur societas Remonstrantica: nisi affirmarent se suosque per omnia idem sentire, & quidem in rejiciendis κυρίαις δόξαις Socinismi, quæ à Reformatis, Lutheranis, Pontificiis, Ecclesiis Orientalibus unanimiter rejiciuntur. Sed hoc non facient. Et quamdiu hoc non faciunt, stant probationes & præsumtiones contra societatem, quod ea Socinianis, aliisque sectis ex peculiari moderationis & syncretismi studio, latibulum & refugium præstet; in eo non dissimilis sectæ illi inter Anabaptistas, quæ currus aut carpenti stercorei titulo insigniri solet. 4. *Denique*, Inficiatione hâc tantisper illudunt incautioribus, donec major libertas affulserit. Aliquid enim in non-fundamentalibus & Problematicis (saltem ipsorum judicio) aut statuere aut susque deque habere, aut nullius facere possunt, in quo à Socino dissentiant; fortè studio dissentire malint: sed an hâc ratione candidè à Socinismo, quod ad sensum Religionis & præcipua dogmata illi sectæ propria, se eximere poterunt, categoricè negando unionem aut communionem cum illius sectæ doctrinâ, aut Theologiâ, aut Religione? Et quidem sine fraude, sine illusione æquivocationis, aut mentalis reservationis? Itane Crellius negare poterit se Socinianum aut Socinismo addictum, quia dissentit à Socino in naturali cognitione & demonstratione Dei? Et Slichtingius cum hodiernis Sociennis, quia dissentit à Socino, in quæstione de resurrectione impiorum? Et ego sensum eundem in Religione aut Theologiâ cum Calvino, Bezâ, Zanchio, Wittakero, Piscatore, Ursino, Francisco Junio, &c., siquidem mihi objiciant, aut ex me quærant Remonstrantes, categoricè negare potero; quia in latifundiis Theologiæ facilè aliquid invenire possem, in quo ab aliquo istorum Theologorum dissentirem? 5. *Insuper* negare possent artificio hoc non probando nec imitando, se Socinismum tenere, aut cum eo sentire, aut ei affines esse; quod in capite de Trinitate sentiant, aut propter rationes sentire, saltem docere malint, cum Ario, quam cum Socino: ut ita odiosum illud & ubivis exagitatum Socinismi nomen declinare possint? Prudentia carnis docet tali tectorio seu fuco utendum, si toto orbe Christiano cedere, & in extremum aliquem Transylvaniæ aut Turciæ angulum cogi nolint. Siquidem in Poloniâ, quam propter Socinismi libertatem tantopere (quamvis contra Historiæ fidem) extollebant in *Genuino Remonstrantico Theologo sub finem*, mutata rerum facies: uti ex ministri Sociniani *Sartorii* inde profugi *epistola*, & ex *Slichtingii* querelâ *in Apologetico* facilè colligi potest. Nec etiam de hodierno celsiss. Transylvaniæ Principe exteri illuc catervatim confluxuri imaginariam

libertatem sibi polliceri possent: ut ut subditis suis illic possidentibus eam ex pacto non adimat. Quod de Arianismi tectorio præsumitur, non esse de nihilo, constat ex dictâ *Epistolâ Sartorii*, ubi ait multos in Hollandiâ (fuerat autem Hagę, & aliquamdiu hæserat Amstelodami) se reperisse Arianos, sed latentes Nicodemitas. Confer *Theologiam Episcopii & Curcellæi, de Christo Deo subordinato*, abundè detectam à Rever. Collegâ nostro *D. Essenio in Dispp. de Subjectione Christi ad legem Dei.* 6. *Denique* quidquid sit de Arii sententiâ, aut ei affine hic adoptatâ, non dicerent tamen Remonstrantes illi, si qui Arii sententiam Socini sententiæ in articulo de Trinitate & de Personâ atque officio Christi præferrent, seu mavis schemate quodam Politico ob respectum ad hodiernas Christianismi Politias præ se ferrent, se eo ipso ostium Socinianis claudere; multo minus se & Arrii & Socini & quorumvis hæreticorum Trinitati, aut personæ atque officio Christi adversantium placitâ à cœtibus suis arcere; atque hâc ratione hæresi Anti-Trinitariæ hospitium aut latibulum in dictis cœtibus non concedi. *III. Excepi.* Quod in suis cœtibus non inquirant, nec attendant, quid singuli in dogmatis fidei sentiant, aut non sentiant; sed aut cujusque conscientiæ hoc relinquant, aut inspectores cœtus cujusque & directores societatis contenti sint, si in genere constet, ipsos Christum, resipiscentiam, caritatem profiteri. Fortè addere possent se propter doctrinam neminem à communione suâ arcere, si modo probus sit. *Resp.* 1. Disciplinam aliquam in externâ Ecclesiâ instituta servandam etiam circa doctrinam statuebat *ordo Ecclesiasticus* à Remonstrantibus in hâc Provinciâ anno 1612. procusus, *cap. de Disciplinâ, artic.* 17. 24. Quod si umbra aliqua illius apud ipsos supersit, non possunt non cognoscere & non curare, quid prætensi ministri & auditores eorum in Religione sentiant; & consequenter non possunt non providere, ne latibulum fiant hæresios, aut heterodoxiæ, cujus esse nolint. Providerent procul dubio, si quis ex auditoribus imaginum adorationem, Manichaismum, Turcismum, David Jorismum, familiam caritatis, Socinianorum condemnationem, & à nomine Christiano exclusionem, Papæ primatum, Calvini totam Theologiam institutionibus ipsius descriptam, introduceret. 2. Quamcunque hic sive ignorantiam, sive securitatem, sive moderationem & tolerantiam obtendant, saltem communio cum talibus, & latebræ eorundem cœtibus & ministris Remonstranticis jure imputari possent. *IV. Excepi.* Quæcunque excerpta ex scriptis adferuntur, non potest ex iis, de Socinianis aut Remonstrantibus ministri quidquam colligi aut præsumi: siquidem alibi aliter loquuntur; quibus non obstantibus si quis in suspicionem heterodoxiæ aut collusionis cum hæreticis eos porro trahere pergat,

pergat, is contra bonam conscientiam hoc facere judicandus est. *Resp.* Sic forte harum rerum ignari, aut in hâc palæstrâ tyrones, aut dubitantii, judicarent; & hoc velint hæretici. Cui certamina Ecclesiæ antiquæ & reformatæ cum hæreticis perspecta sunt, is novit eos plerumque Davos & Proteos in fabulâ agere; quamdiu rerum non potiuntur. Si ipsi per zelum importunum secreta effutierint, aut aliqua invitis illis vulgata sint, unde & periculum imminere animadvertant, aut de eo à fautoribus moniti sint, apertè ea resorbent, sed dicis causa, donec melior opportunitas affulserit. Exemplo sit Claudius Alberius Professor Philosophus, post palinodiam in Synodo Bernensi ad vomitum rediens, & tandem ad Papismum deficiens: Conradus Vorstius, qui Heidelbergæ (quod Illustris Comitis Benthemiensis pietas Socinianum virus non ferret) ab omni Socinismo se purgabat, & facultati Theologicæ satisfaciebat: Belgium nostrum grassante Remonstrantismo aliquot ejusmodi exempla dedit. Nec ignota est palinodia Hermanni Herberts Ministri Goudani; qui nihilominus antiquum obtinebat: de quo ex parte *Historia P. Bor*, & plenè *declaratio Apologetica Synodi Hollandica*. Quod si necessitas palinodiam aut perpetuum silentium nondum imponat; sententia aliqua contradictoria, aut ἀναλλοφανεῖ, aut paulò melius sonante, aut ambiguâ subdole lectores circumveniunt, aut à peremtoriæ condemnationis judicio ad dubitationem abducunt. Aliquando etiam audaciores facti dicta negant, aut à judicibus detorta clamant. Sic *Vorstius* cum *libro* suo *de Deo* tot difficultatibus se implicuisset, & candida palinodia se purgare debuisset; inficiationibus, protestationibus, juramentis, effugiis, distinctionibus, melioribus quibusdam, uti præ se ferebat, sententiis & declarationibus post vulneratam causam conquisitis, malum & miseriam suam in immensum auxit: Uti hoc ad oculum demonstrârunt *Ministri Leovardienses*, *Matth. Sladus*, *Sibrand. Lubertus*, *Eglisemmius*, *Piscator*, *Anonymus*, (*Joh. de Laet*) *c. responsum Vorstii ad articulos ex Anglia nuper transmissos*. Et quamvis ita judicaret orbis Christianus, soli tamen Remonstrantes præjudicio excœcati & causæ suæ per fas per nefas velificantes, ex dictis *Vorstii in Apologiis* postea editis, quamvis aut dolosis & ambiguis, aut si quæ apertiora videbantur manifestè *libro de Deo* contradicentibus, ausi fuerunt librum illum Vorstii absolvere, atque adeo omnibus Christianis Theologis eundem librum censurâ notantibus, salem scientiæ & conscientiæ haut obscurè negare. Eadem fabula acta est à *David Georgio* vivente, *in Apologiis*; & illo defuncto, à Sectariis ejus, nominatim à quodam Kirchero Medico Embdano, sub ficto nomine *Huygelmomsoon*. Spiritum Davidicum accuratissimè descriptum vide ab *Ubbone Emmio* Historiographo & Professore Groningano.

gano in *tract. vernaculo* anno 1603. edito. Sociniani & Remonstrantes eâdem methodo usi, in posterioribus scriptis, melius aut mollius quid dicunt, aut dicere videntur; quo priora omnia malè aut crudè nimis dicta aut explicari aut emendari videantur; atque ita Capys & quorum melior sententia menti, cum suo, *equo ne credite Teucri*, apud incautos calumnię arguantur. Sed *instet* quis: Quid ultrà à quoquam expeti potest, quam ut alibi in eodem scripto, aut alio in scripto annis aliquot post edito, aliter loquatur? *Resp.* Immo cum res tanti momenti est, duo hæc ad minimum requiruntur: *Primò*, ut candidè revocet & refutet tanquam apertè falsa, aut absurda, siquidem talia sint; aut saltem tanquam malè sonantia, periculosa, & scandalosa (si tantum talia sint); quibus incauti ad noxias opiniones abuti possent. *Deinde*, ut in posterum ab illis effutiendis, spargendis, defendendis, incrustandis, & dolosè tegendis abstineat. Quod si quis contra ab illis defendendis & palliandis non desistat; quin insuper in defensione illâ glorietur, & bene monentibus tanquam improbis calumniatoribus insultet, seque & alios hâc otiosâ contentione turbet; utique malæ causæ, aut conscientię, aut intentionis suspicionem apud prudentiores excitabit: Frustra eam tollere conatur opponendo absurdis, aut periculosis, aut scandalosis antea sponte & ex professo dictis, dictum aliquod longo tempore post metu aut coactè extortum, tanquam σόφοι φάρμακον; aut subdolè eidem libro insertum, tanquam contradictorium, aut saltem ἐναντιοφανές, ut tempore necessitatis aliquis supersit refugii locus. Quod si hoc non suffecerit, pręsidium quærunt in solito hodierno Atheorum seu Deistarum amuleto: Quod disquirendi causâ in personâ opponentis seu adversarii hoc dixerint, aut scripserint, non vero ex suâ sententiâ. Ita illi, cum dicendo, absurda, infanda, abominanda, satis docuerunt, & animos rudiorum occupârunt aut turbârunt, abstergunt os suum. Et hæc scil. vera theologizandi methodus: sic Vorstium Socinus docuerat verè θεολογεῖν, & ipse discipulos suos ex Socino. Vide *Apologiam Regis magnæ Britanniæ* pro actis in causâ Vorstii. Qui Vorstianas, David-Joristicas, & similium novatorum ac fanaticorum artes perspexerunt, aut saltem *librum Emmii* modo laudatum contra David-Joristas, Et *Eglisemmii duos libellos contra Vorstium*, & *Ministrorum Leovardiensium specimen &c.* legerunt, non facile dicto aliquo contradicente, aut protestatione facto contrariâ à judicio & attentione se dimoveri patiuntur.

6 Atque hactenus de priori consultatione; sequitur altera de modo, quo per & circa cœtus Remonstranticos investiganda sint latibula Anti-Trinitaria. Duo sunt media, quæ à Theologis adhiberi possent, siquidem res esset cum talibus, qui in tenebras suas se non abderent: 1. Auditio & exce-

exceptio Concionum: quod per idoneos viros binos aut ternos fieri posset. 2. Collatio cum ipsorum Ministris. Sed quia in Concionibus se continere possent; & ad collationes se pertrahi non paterentur: aliud medium adhibendum videtur, tale scil. quod removere aut eludere nequeunt: Ut Magistratus, sub cujus potestate cœtus aliquis toleratur, dictis illius cœtus Ministris & Senioribus imponat abrenuntiationem hæresios Anti-Trinitariæ, & verbis & manu consignandam; sub comminatione & pœnâ ilico abrumpendæ omnis tolerantiæ, & conniventiæ. Forma autem talis rejectionis non deberet constare terminis generalibus, nec etiam in confessione speciali aliquot articulorum fidei; cum experientiâ edocti simus, beneficio æquivocationis aut similis fraudis hoc ab heterodoxis haut gravatè factum: sed sequenti, aut simili modo: *Rejicimus sequentia dogmata tanquam falsa & repugnantia verbo Dei: & promittimus, nos neminem cum sensu & sententiâ illorum sive conjunctim, sive separatim in communionem nostram Ecclesiasticam (seu cœtus nostri) admissuros, aut in eâ retenturos.*

SUNT AUTEM DOGMATA.

I. Quod Christus non sit ὁμοούσιος ejusdem essentiæ Deus cum Deo Patre: sed quod sit alius & minor seu inferior Deus, qui in tempore ad suam Deitatem seu divinitatem, quam nunc habet, evectus & promotus fuit.

II. Quod Spiritus Sanctus non sit ὁμοούσιος ejusdem essentiæ & æternus Deus cum Patre & cum Filio, Creator cœli & terræ; nec tertia persona divina, quæ cum Patre & Filio unâ eâdemque Religione, & divino cultu adoranda sit.

III. Quod Deus non sit immutabilis; nec secundum essentiam infinitus & omnipræsens; nec certam omnium rerum futurarum contingentium actionumque humanarum præscientiam habeat.

IV. Quod primum Adami & Evæ peccatum, omnes homines coram Deo non constituerit reos; & quod consequenter in omnibus nullum innatum originale peccatum sit, quod tanquam verum peccatum singulos coram Deo damnabiles faciat.

V. Quod Christus passione, morte, & perfectâ obedientiâ, tanquam Mediator & Sponsor nostro loco, & pro nobis perfectè seu plenè non solverit pro omnibus nostris peccatis; nec justitiæ divinæ secundum legis postulatum satisfecerit; nec nos per ac propter illud justificemur.

VI. Quod corpora fidelium novissimo die non suscitabuntur; eadem scil. corpora, quæ nunc habent: adeo ut hæc nostra corpora, quæ per mortem cadunt, planè abolenda sint, nec denuò unquam proditura; nec ex mortalibus immortalia & incorruptibilia unquam futura & glorificanda.

VII. Quod

VII. Quod impii æternos cruciatus infernales perpessuri non sunt; sed animâ & corpore plane annihilandi, aut ante, aut post judicium extremum.

VIII. Quod Baptismus, secundum divinum mandatum, necessariò ab omnibus Christianis suscipi non debet.

7 Omissis nuncob temporis brevitatem rationibus, cur hæc octo rejectanea, & talibus verbis, absque ullâ disquisitione an sint formaliter hæreses, & an condemnationem æternam post se trahant; & an sint Socini aut alterius cujuscunque hæretici, nec ne; conceperimus: breviter respondemus tribus objectionibus. *I. Object.* Consilium hoc nulli usui futurum esset, siquidem executioni mandaretur. *Resp.* Si negent formulæ huic subscribere, magis suspectos se reddunt tum apud suos, qui non sunt Sociniani aut Arriani; tum apud nostros: adhæc Magistratibus, si cui ex illis stet sententia purorum quinquarticulanorum conventus porrò tolerandi, justissimam causam dant hâc occasione omnem tolerantiam abrumpendi. Sin verò subscribant, inter se & cum Socinianis atque Arrianis committentur; & multa alia evenire possent, quæ hic non indico. Saltem *bellum hæreticorum est pax Ecclesiæ. II. Object.* Quod si subscriberent, videretur via propior ad syncretismum muniri. *Resp. Minimè*: sed potius ad separationem Socinianorum ab ipsorum cœtibus, & hinc transitum faciliorem aliquorum ad nostros cœtus; qui nunc per admixtionem Socinismi, quàm longissimè à nobis abducuntur. Quomodo autem auditores eorum ad nos transire & à nobis conformiter Synodorum Holland. decretis anno 1619. 1623. 1627. 1628. & accommodatè ad hanc nostram Ecclesiam recipi queant, *formulâ Consistorii nostri*, typis editâ, satis significatum est. Sed ad hanc consultationem non pertinet quæstio de Syncretismo cum societate aut sectâ Remonstranticâ; quam nullam esse posse, ut novit Consistorium nostrum, sic nec per somnium cogitavit de hoc, aut de ullâ aliâ communi causâ cum dictâ societate agere; nec etiam cum cœtus Remonstrantici in hâc urbe dicto Consistorio quidquam egit aut agere voluit. Uti pluribus hoc, si opus sit, ostendi poterit. *III. Object.* Quod si mandato Magistratus parerent, videretur tum de novo ipsorum tolerantia stabiliri. *Resp. Neg. consequentia.* Ex eorum subscriptione bona modo memorata sequerentur; & in tantum propagatio Socinismi sisti posset. Interim judicium & potestas Magistratus nullum præjudicium ex hujus aut illius inter Remonstrantes purgatione à Socinismo pateretur. Quinimmo in contrarium Societatis & Ministerii Remonstrantici infectio magis in luce poneretur, & Magistratibus nunc cunctantibus & conniventibus occasio daretur de debitis remediis seriò cogitandi.

DE

DE FIDE, CONSCIENTIA, THEOLOGIA DUBITANTE.

Resp. NICOLAO HARINGH, Oostz:-Batavo.

Ad diem 17. Decembr. Anno 1656.

Absolutâ explicatione Ignorantiæ & Erroris, restat aliquid Appendicis loco dicendum de Dubitatione, quæ cum studio affectatur & exaltatur, plerunque ignorantiæ atque erroris & mater & pedissequa esse solet: uti dubitantiorum, Scepticorum, neutralium tumultus, & olim & hodie excitati, abundè docere poterunt. Nos eam tanquam malum aut defectum à fide, conscientiâ & Theologiâ nostrâ, juxta communem Ecclesiarum & Theologorum nostrorum doctrinam, arcendam defendemus; ut studiosos nostros contra vana & insulsa dubitationis Philosophicæ præconia, facile Theologiæ ab imprudentibus adolescentibus applicanda, præmoneamus.

PRæsupponimus distinctionem dubitationis ab ignorantiâ, errore, opinione, conjecturâ, suspicione, fide humanâ, inquisitione seu scrutatione veritatis, discentiâ ejusdem, suspensione judicii seu determinationis in rebus ignotis, atque incompertis, donec eas investigaverimus, meditati simus, perceperimus. Determinandum ergo melioris doctrinæ & cautionis causa sigillatim & distinctè contra dubitationem fidei, conscientiæ, Theologiæ. Quod ad fidem, præsupponitur eam secundum Scripturas & communem nostram Theologiam duobus constare momentis, assensu sc. generali veritatis salutaris in Thesi; & assensu speciali seu applicante veritatis & promissionum Euangelii in Hypothesi. Quod ad prius momentum, extra dubium & controversiam est apud nos & Pontificios, nullam fidei divinæ debere subesse dubitationem, & si quæ subsit, eam esse malam, & detectam; quippe quæ directè tanquam contrarium certitudini fidei opponitur. Si ergo virtus est vitium fugere, sequitur verè fidelem, ut infidelitati, sic & dubitationi atque incertitudini pro viribus resistere. Huc enim applicari potest illud *Roman. 14. vers. 4. Quisque in* &c. Porro objectum fidei primum & immediatum est verbum Dei tanquam principium: mediatum conclusiones seu veritates fidei ex verbo eductæ: Illud rectè comparâris luci, quæ per se visibilis est: istas rebus coloratis, quæ mediante luce videntur. Quamvis autem Pontificii circa certum assen-

ſum & receptionem principii illius verbi ſcil. ſcripti, plurimos dubiorum fluctus ab Atheis & Extraneis à fide excitari ſolitos commovere non deſinant, ut per abſurdum aut quaſi per regulam falſi homines ad anguſtias illas redigant, ex quibus ſeſe nequeant expedire, niſi in caſſes Nimrodi Romani ſe conjiciant: in genere tamen determinare non deſinunt, dubitationem cum fide ἀνυπαρκτον eſſe, immo & dubium in fide eſſe hereticum, cum diſtinctione ſcil. Vide *Scholaſticos ad 22. qu. 2. art. 1. II.* Quod ad ſecundum fidei momentum, illud formaliter in certo mentis aſſenſu, quem proprium & eſſentiale πάθος fiduciæ comitatur, conſiſtere alibi docuimus in *Diſp. de Praxi Fidei*; & *in Problemate de Juſtificatione.* Jam vero aſſenſum illum applicantem de ratione ſuâ formali dicere certitudinem, omnemque dubitationem excludere, ſatis ſuperque à noſtris probatum contra dubitationem Pontificiorum & aliorum, ubi de certitudine gratiæ, ſalutis, perſeverantiæ. Videantur *Antagoniſtæ Bellarmini, Pareus, & Ameſius contra Bellarminum tom. 4. lib. 1. de Juſtific.* & *Chamierus tom. 3. Panſtratiæ. lib. 13.* Nos breviter ad lectionem iſtorum autorum ſic manuducimus. *I. Argum.* Scriptura quotieſcunque fidelibus ſtatus ſui ſpiritualis notitiam præſcribit, nuſquam utitur phraſibus *dubitationis, conjecturæ, certitudinis moralis, judicii caritatis, ſi fortè, &c.* ſicuti in notitiâ ſtatus aliorum, *Actor. 8. verſ. 22.* & *2. Timoth. 2. verſ. 25. Philipp. 1. verſ. 7.* ſed phraſibus *fidei, cognitionis* ſeu *ſcientiæ*, πληροφορίας, πεπεισμαι, πεποιθησις, *2. Corinth. 5. verſ. 1. Iacob. 1. verſ. 6. 2. Roman. 4. & 8. II. Argum.* Objectum fidei ſpecialis ſeu applicantis in tria membra diſpeſcimus, præſentem ſtatum gratiæ, futuram permanentiam gratiæ ſeu perſeverantiam fidei, terminum gratiæ, vitam ſcil. æternam. Atqui à ſingulis Scriptura dubitationem removet, & certum de iis aſſenſum requirit. De *primo* vide *2. Corinth. 13. verſ. 5. 2. Timoth. 1. verſ. 12.* De *ſecundo Rom. 8. 35. 36. 37. 38. 2. Timoth. 4. verſ. 7.* Plura quære apud *Antagoniſtas Romaniſtrantium de Perſeverantiâ Sanctorum*, imprimis quondam fidelem Præceptorem noſtrum *D. Gomarum*, in ſolidiſſimâ *Diatribâ de Perſeverantiâ.* De *tertio 2. Corinth. 5. verſ. 1. 2. Timoth. 1. verſ. 12.* & *4. verſ. 8.* & *Roman. 8. verſ. 16.* ubi cauſa certi aſſenſus ſeu certitudinis indicatur: ad quem locum aurea verba Chryſoſtomi: *Paracletus, inquit, iſtud cum dono nobis præſtito facit. Non enim vox hæc præſtiti tantummodo chariſmatis eſt, ſed donantis Paracleti. Ipſe quippe chariſmate ſuo ita nos loqui docuit. Quando vero Spiritus teſtatur, quænam relinquitur ambiguitas? ſi enim homo quiſpiam, vel Angelus, vel etiam Archangelus, aut alia certè hujuſmodi quædam poteſtas aliquid promitteret, merito quiſpiam dubitaverit. Supremâ vero illâ eſſentiâ, quæ & hoc ipſum largitur, quod promittit, atque adeo orare etiam juſſit, teſtimonium*

nobis

nobis perhibente, quisnam de dignitate hâc deinceps dubitare poterit? Consectar. I. Pontificiorum dubitatio quam docent, evertit fidem salvificam, &c. Principem virtutem Theologicam in vitium oppositum transformat. *Consectar. II.* Qui certitudinem perseverantiæ negant, & dubitationem de eâ tanquam *laudabilem* extollunt (uti *Remonstrantes in collat. Hagiensi*), certitudinem salutis contra Pontificios solidè defendere nequeunt. Opponent enim Pontificii, cujus fundamentum & medium necessarium seu conditio absolutè necessaria est incerta, illud ipsum est incertum, & consequenter certitudine subjectivâ seu formali apprehendi non debet. Sed fundamentum seu medium salutis perseverantia scil. est incerta, nec certò fide salvificâ & applicante credi debet. Ergo. *Major prob.* ex *Matth.* 24. *vers.* 13. *Apocal.* 2. *vers.* 7. *Hebr.* 10. *vers.* 38. *Minor prob.* ex propriâ confessione & doctrinâ Remonstrantium. *Consectar. III.* Quamvis fides etiam fortissimorum non sit sine circumsistentiâ, & oppugnatione dubitationum, & illi sæpe in dubitationem prolabantur; & Deus suos hic exerceri sinat ac velit: non convenit tamen ut ex facto nostro jus, ex peccato virtutem, ex infirmitate robur, ex defectu perfectionem sponte & studio affectandam faciamus, in eâ gloriemur, & aliis commendemus, tanquam peculiarem & certissimam viam ad salutem. Tali fallaciâ accidentis circa omnium peccatorum commendationem, uti quis posset: quod & indoctum & improbum esset. Confer *Disp. de Peccati usibus per accidens. Consectar. IV. Ioh. Cirellus* seu *Crellius* Socinianus de dubitatione fidei, *Ethicæ Christianæ lib.* 1. *cap.* 6. & *lib.* 2. *cap.* 2. aut πανίζει, aut admodum impeditè & ambiguè loquitur, cum dicit, virtutem spei conjunctam esse posse *cum dubitatione de salute æternâ*, aut *aliis pietatis præmiis adipiscendis, nempe ex parte nostri, non verò ex parte Dei*: quam paulo post dicit esse *salutarem*; quæ tamen differentiam aliquam habeat, ut *interdum recta sit & laudabilis, interdum vitiosa, &c.*

Accedamus nunc ad dubitationem conscientiæ. Conscientia in genere definitur, *judicium hominis de semetipso, seu de statu & actionibus suis, prout subjiciuntur judicio Dei.* Conscientia dubia describitur, quæ *in quæstione, de quâ agitur, neutri parti assentitur, sed planè hæret ac hæsitat inter assensum & dissensum.* Communiter *Scholastici* & *Casuistæ Pontificii*, & ex nostris *Perkinsius, Balduinus, Amesius* in hâc descriptione, quod ad summam rei, conveniunt. Et sic distinguunt eam à probabili aut opinante conscientiâ, ut etiam à scrupulosâ; quarum illa subinde laxè & impropriè, hæc analogicè conscientia dubia dicuntur. Requiruntur ergò ad conscientiam dubiam seu dubitationem conscientiæ. 1. Ut sit ambiguitas sive suspensio animi constituti in æquilibrio, nec assentientis nec dissentientis: suspensio 2

inquam, negativa & privativa; quæ nihil aliud est quam suspensio assensus & dissensus, non tantum de veritate objecti, sed etiam de probabilitate. Et hoc est de ratione ejus formalis per quod distinguitur à conscientiâ errante, & opinante. Quod autem recentiores quidam *Scholastici* apud *Vasquez in* 1. 2. *qu.* 95. *cap.* 1. insuper requirunt expressam dubitationem per judicium positivum reflexum super istâ animi suspensione, seu dubietate objectivâ; illud non est de essentiâ conscientiæ dubitantis; est enim formaliter dubitans, si modo intellectus dubitet negativè & suspensivè, sive adsit sive absit reflexum & positivum illud judicium; quamvis per illud malum dubitationis, & turbatio conscientiæ in suis officiis augeatur. 2. *Vt* dubium hoc contingat vel ob defectum rationum seu mediorum assentiendi aut dissentiendi: vel ob rationum utrimque æqualitatem; quo fit ut intellectus hæreat dubius utra alteri præferenda sit. 3. *Vt* ad dubium hoc sit advertentia aliqua rationis: alioquin sequeretur omnes dubitare de omnibus, de quibus non cogitant; & neminem teneri conscientiæ dubiæ, quam non adverteret, rationem habere. 4. *Vt* adsit peculiaris aliqua ratio dubitandi: neque enim universalis sufficit. Sic ex. gr. non censetur quis dubius, an tale vel tale peccatum commiserit, eò quod illud à multis committitur, sed requiritur, ut particulari aliquâ ratione hæreat, dubitet & suspicetur se illud fecisse. Prius enim illud dubium non est propriè morale seu conscientiæ, sed Metaphysicum. His ita præmissis deducimus de conscientiâ dubiâ & de dubio conclusiones. *I. Concl.* Conscientia dubia propriè ita dicta, non est conscientia, sed tantum impropriè; adeo ut vox *dubia* conscientiæ addita sit diminuens seu alienans: haut aliter ac ens rationis ens dicitur, & homo mortuus dicitur homo. Quia conscientia dicitur dictamen seu judicium super aliquo à nobis faciendo aut facto: atqui hic nullus est assensus, nullum judicium; sed mera privatio illius dictaminis seu judicii, sicuti homo mortuus est privatio, aut dicit privationem vivi ac veri hominis. *II. Concl.* Spectat tamen huc & reducitur dubia conscientia ad propriè dictam conscientiam, sicuti negatio ad affirmationem, privatio ad habitum: consequenter ad praxin non minus conducit conscientiæ dubiæ consideratio, quam propriè dictæ. *III. Concl.* Est ergo talis conscientia mala, si non malitia turpi, saltem tristi: consequenter est deponenda, quia periculum est, ne voluntas, absque determinato alterius partis assensu & plena bonitatis & malitiæ cognitione prosequatur objectum dubiè sub ratione boni & mali propositum. *IV. Concl.* Dubium & conscientia dubia est vel circa jus, vel circa factum. *Illa* est, cum dubitatur, an aliquod sit mandatum, aliqua lex lata. *Ista*, cum dubitatur an illud, vel illud contigerit. *V. Concl.* Dubium seu

con-

conscientia dubia, est vel speculativè vel practicè. *Illa* est, quando dubium est de re in communi, ut e. gr. an lex verè extet, eâque obligeris: & an res tua sit: an vero aliena, consequenter an tenearis ad restitutionem, nec ne. *Ista* est, de re in singulari & cum omnibus circumstantiis spectata; an scil. praxis seu actio, ejusve omissio hic & nunc honesta ac licita sit, nec ne. Dubium practicè rursum distinguitur in completum & incompletum. *Prius*, quod etiam practicè practicum dicitur, est quando de actu interno, & bonitate seu malitia formali dubitatur. *Posterius*, quod etiam speculativè practicum dicitur, est quando de actu externo & bonitate vel malitiâ objectivâ dubitatur. *VI. Concl.* Dubium de jure & de facto, speculativum & practicum, est vel purum putum negativum, vel insuper cum judicio reflexo ac positivo, super istâ dubietate nostrâ conjunctum. *Consectar.* Cum ergo conscientia dubia sit deponenda, quippe quæ non possit esse regula actus boni, & cum quâ operari non liceat, juxta *Rom.* 14 *vers.* 4. quisque in animo suo πληροφορεῖσθω coll. cum *vers.* 14. 23. & variis rationibus ac consensu communi Casuistarum hoc satis probatum hic præsupponimus: sequitur hâc in parte nullum esse bonum dubitationis. Alias quæstiones de dubitationibus conscientiæ hâc vice non explicabimus, contenti præcipuas aliquot indicâsse; de quibus consuli possunt *Casuistæ*, tum *Nostri* modò indicati, tum *Pontificii*, inter quos instar multorum Jesuita *Bresserus lib.* 5. *de Conscientiâ.* Sunt autem 1. *Qu.* Quo sensu in dubio (e. gr. an res sit mea vel aliena) via tutior eligenda sit. 2. *Qu.* An & quâ ratione dubia in meliorem partem sint interpretanda? 3. *Qu.* An & quâ ratione in dubio locum habeat ἐπιείκεια? 4. *Qu.* An judicium in dubio temerarium, ipsaque dubitatio ac suspicio sit peccatum? 5. *Qu.* An & quâ ratione dubium juramentum obliget? 6. *Qu.* An dubius sitne res aliena vel propria, possit eam retinere aut consumere, privilegio possessionis? 7. *Qu.* An subditi in dubio debeant obedire superioribus? 8. *Qu.* An milites evocati ad bellum dubium, possint ac debeant obedire superioribus?

Restat nunc agendum de Theologiâ dubitante. Hic præsupponimus distinctionem Theologiæ in supernaturalem & naturalem. *Illa* est, quam Christiani hauriunt ex solo Dei verbo, & quæ formaliter est ac dicitur Theologia Christiana. *Ista* est quam alieni à fide & destituti verbo Dei habere possunt ex lumine & ratione naturali; & quam Christiani habent aut habere possunt ex eodem lumine tanquam principio secundario, & simul ex verbo Dei tanquam principio primario. Sunt autem veritates Theologiæ naturalis partim primę seu speculativæ (ita loqui liceat); partim ex primis ortæ seu illis superstructæ. *Illæ* sunt, tum principia, tum

conclusiones ex principiis eductæ. e. gr. Aliquid sciri posse, seu esse aliquid γνῶστὸν: esse sensus, & mentem, per quæ cognitio: nihil simul posse esse & non esse: Esse Deum: eumque omniscium, omnipotentem, bonum, justum, mundi gubernatorem, ἀνυπερχῆ seu nullius rei indigum: esse animam hominis rationalem intellectu & voluntate præditam: eamque à corpore distinctam; nec cum eo interire, sed immortalem esse. *Istæ* sunt tum principia practica, tum conclusiones: ut, dari bonum & malum morale in actionibus humanis, & alterum ab altero distinctum: bonum prosequendum, malum fugiendum: Deum colendum, & cultu naturali, & instituto ab eodem: proximum non lædendum: suum cuique tribuendum: quod nobis fieri velimus, alteri faciendum: Ordinem quem inter homines, seu communitates & societates hominum, tum œconomicas, tum Politicas esse debere: consequenter superioribus, ut Parentibus, & Magistratibus honorem, subjectionem, obedientiam deberi: propagationem & perpetuationem generis humani, per conjunctionem maris & fœminæ, non ἀπάκτως per vagas libidines bestiarum instar, sed intra ordinem conjugii procurandam: moderamen inculpatę tutelę, & vitæ ac facultatum suarum contra injurias & aggressiones aliorum defensionem esse præstandam: breviter temperantiam, justitiam, fortitudinem, modestiam, liberalitatem, opera misericordiæ, aliasque virtutes esse exercendas, atque opposita vitia fugienda. His præmissis, *quæritur*, An Theologia Christiana debeat sive in totum sive in tantum esse dubia; aut an ad ejus solidam scientiam, & commodissimam ac tutissimam discentiam, dubitatio tanquam certum medium, aut conditio per se requisita, aut principium capessenda, affectanda, commendanda, sive rationibus, sive exemplis sapientum ita dictorum. *Resp. Neg. utrumque*: 1. *Quod ad primum* membrum probatur, 1. *Quia* Theologia formaliter dicit scientiam seu γνῶσιν; uti patet ex definitione ejus nominali, & reali, quam hic pręsupponimus. Atqui dubitatio non dicit scientiam, cognitionem, assensum, sed oppositam ejus privationem, & negationem. 2. *Probatur* ex distributione partium: *Quia* Theologia supernaturalis, nec quod ad cognitionem & receptionem principii sui, quod est verbum Dei, nec quod ad cognitionem conclusionum, hoc est, fidei dogmatum seu veritatum, seu articulorum est dubitatio; neque etiam quâ talis, aut per se dubitationem admittit; nedum ut requirat; non magis quam virtus, aliquod oppositum vitium, at sanitas aliquem morbum. 3. *Quia*, Theologia à fide generali realiter non differt. Si ergo cognitio seu assensus fidei, in se & per se consideratus, non admittit, nedum ut requirat dubitationem: ergo nec Theologia. Antecedens tanquam probatum pręsuppono ex *Disputationibus*

nibus Scholasticorum de Fide, & Nostrorum de Fidei specialis seu applicantis certitudine contra Pontificios; quæ analogicè certitudini fidei generalis applicari possunt. II. *Quod ad alterum membrum* probatur, 1. *Quia* Scriptura nusquam docet aut scribit dubitationem, tanquam principium, aut medium, aut certissimam ac tutissimam methodum & viam, per quam solida Theologia & rerum divinarum fides acquiri debeat. 2. *Quia*, nusquam etiam Theologi antiqui (ex. grat. *Augustinus de Doctrinâ Christianâ*), aut *Recentiores in suis Methodis & præcognitis Theologiæ*, *Regulis Scripturam interpretandi*, *aut locorum communium Scriptores* cum *Elencticis*, *de Perspicuitate*, *Interpretatione Scripturæ*, hanc dubitationis panacæam tanquam adminiculum & remedium specificum, aut præstantissimum, aut selectum commendant. 3. *Quia* dubitatio in se formaliter, & suâ naturâ est στέρησις, defectus. Ergo non est principium ex quo, aut medium atque adminiculum per quod scientia Theologica comparetur. Probatur antecedens; Quia dubitatio in se & per se est privatio. Ergo &c. Sed excipiat quis, 1. *Except.* Posset esse privatio salvativa seu perfectiva. *Resp.* Hoc dicitur, non probatur. Nos ex abundanti contrarium probamus: quia habitui & actui per se perfectivo, fidei scil. scientiæ, certitudinis seu certi assensus, & judicii directè opponitur: ergo non est privatio perfectiva, nec mentem perficit, nec est causa per se sive principalis, sive instrumentalis, quâ posità mens perficiatur. 2. *Except.* Posset dici causa sine quâ non, aut dispositio præparatoria, aut removens impedimentum. *Resp.* Non potest dici, nisi prædicatione per accidens: atqui tum non esset medium, aut causa per se, nec principium sapientiæ Theologicę, sive inchoans, sive præparans aut disponens, sive fundans: quomodo timor Domini est sapientiæ initium. *Proverb.* 1. quippe qui aptos reddit ad sapientiam percipiendam, & impedimenta removet. Et Scriptura unicum est principium fundans Fidei ac Theologiæ. *Ephes.* 2. *vers.* 20. cum 2. *Timoth.* 3. *vers.* 15.

Consectar. 1. Hinc liquet, quid statuendum, de dubiâ Fide, Professione, Theologiâ sive Neutralium, sive Libertinorum, qui post inchoatam reformationem anno 1517. partim ex infirmitate, vanitate, instabilitate ingenii. (2. *Petri* 3. *vers.* 16. *Ephes.* 4. *vers.* 14. 2. *Timoth.* 3. *vers.* 7.); partim & imprimis propter odium & amorem hominum, & ut privatis rebus suis consulerent, inter utrumque volârunt, nusquam figentes, nusquam quiescentes; modo nihil, modo omnia credentes, modo hoc modo illud amplectentes ac præferentes, prout occasio aut necessitas ferebat; qui polypis, chamæleonti, cothurnis, Scepticis, Pyrrhoniis, novis Academicis, nasis cereis, molitoribus & nautis ad ventum vela flectentibus subinde 4

inde comparantur; quorum Fides non Euangeliorum, sed temporum (ut cum Hilario loquar) Theologia non Veronensis, sed Placentina, versatilis, mundana seu politica, horaria, πρόσκαιρος, ἡμερόβιος, jure merito dicenda. Alicubi in Belgio nostro, cum turbæ Remonstranticæ ferverent, tales Ecebolios metaphora vernacula vocabant Waggelmutsen. *Consectar.* 2. Remonstrantes dubiam seu dubitantiam aut potius cothurnatam Theologiam in confessione suâ proponunt: & ad hujus methodi defensionem, subinde bonum dubitationis in formâ seu in actu signato commendare, saltem ut non illicitum aut inutile admittere videntur; & quidem in articulis fundamentalibus de Trinitate, Dei immensitate, de lapsu, peccato originali, servo arbitrio; De Personâ & officiis Christi; de Justificatione, Fide, Lege, Euangelio; de Perfectione in hâc vitâ; de Resurrectione, vitâ & morte æternâ. Ut non dicam de aliis quamplurimis, quæ proximè ad hæc fundamentalia accedunt. Vide præfat. Confessionis: *Quædam res ejus indolis sunt, &c.* & *Apolog. cap.* 2. *fol.* 42. 43. 45. *cap.* 3. *fol.* 51. *cap.* 4. 7. *fol.* 91. *cap.* 17. *fol.* 91. *cap.* 7. *fol.* 154. *cap.* 10. *fol.* 120. *cap.* 12. *fol.* 138. 139. *cap.* 13. *fol.* 142. *cap.* 14. *fol.* 145. *cap.* 15. *fol.* 151. *cap.* 19. *fol.* 217. *cap.* 20. *fol.* 220. *cap.* 22. *fol.* 333. *cap.* 23. *fol.* 245. *cap.* 25. *fol.* 301. *b.* & *fol.* 284. *cap.* 24. *fol.* 301. *a.* & *cap.* 10. *fol.* 113. 114. *cap.* 13. *fol.* 142. *cap.* 22. *fol.* 232. *a.* cum quibus conferenda quæ in *Respons. ad excerpta Professor. Leidens.* in *Vedelio Rhapsodo, Genuino Remonstrantico Theologo* passim inculcant: Imprimis notandum, quod Theologiam annuam, menstruam, diurnam, horariam, & partes dubitantium non tantum teneant, sed & sibi objectas, haut obscurè admittant ac defendant. *Apol. cap.* 17. *fol.* 175. *a. ad præfat. censuræ fol.* 7. Adeò ut non temerè ἐποχὴν & Pyrrhonismum iis objecerint Professores Leidenses, eumque ut & Libertinismum probaverit *Vedelius part* 1. *Arcanorum Armin. lib.* 1. *cap.* 8. 9. & *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 1. 2. *part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 8. 9.

5 Examinemus nunc, quæ pro dubitantiâ Theologiâ contra certam adferri possunt aut solent. 1. *Object.* Prætexit libertatem conscientiæ, libertatem prophetandi, mutuam tolerantiam, & fidem fallibilem seu humanam. *Resp.* De tribus prioribus ante hâc peculiariter à nobis actum: hic ergo non repetam. De fide fallibili *Vedelius part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 8. & 2. *cap.* 1. addo, hunc esse genuinum scepticismum tam in Philosophicis quam Theologicis, quo certitudo omnis negatur, quia omnis intellectio hominum, exceptis πνευστοῖς, est fallibilis. Talis Lojoliticus, quo certitudinem fidei nostræ expugnasse se putant, de quo in 1. *part. selectar. disput.* talis obscuri illius Viri cujus libellus exstat tit. *ad legem & ad testimonium*, refutatus à Rever. Collega nostro *Joh. Hoornbeeck.* Fides nostra subjecto

jecto humana quidem est, sed principio, in quod ejus analysis, divina: & sic nec fallimur nec falli possumus, ex hypothesi scil. deductionis ex verbo Dei infallibili, & cum eo convenientia. Mens ergo nostra in se & absolutè fallibilis, ex hypothesi & in sensu composito, hic & nunc, dum actu non fallitur, est infallibilis, seu non potest falli: unumquodque enim dum est, necessario est. 11. *Object.* Prætexit, se non credere illa, de quibus dubitant, & dubitare docent esse necessaria ad salutem, aut exsertè in Scripturis definita esse. *Resp.* Quasi verò veritas à Deo revelata non sit certo fidei assensu recipienda. Et quasi dogmata de trinitate, personâ & officio Christi, justificatione, &c. non sint necessaria: & omnia susque deque habenda, quæ exsertè, hoc est, totidem verbis in Scripturâ non deciduntur. Confer *Vedelium part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 9. & *disp. nostras de Articulis & Error. fundamental. & de Necessitate doctrinæ de Trinitate.* 111. *Object.* Quia nemo est ex Doctoribus qui non dubitet. Sic Remonstrantes in *Vedelii Rhapsodo pag.* 53. 54. *Resp.* Ex facto & defectu hominum, jus divinum non est colligendum. Nemo ex Theologis etiam optimis, qui aliquid non ignoret, ex fidelibus, qui non dubitet, ex sanctis, qui non peccet, & cujus optimum opus peccato non sit inquinatum. Hinc tamen nec ignorantia, nec dubitatio, nec peccatum, tanquam sapientiæ Theologicæ, veræ fidei ac fiduciæ, sanctitatis medium aut principium commendandum est. 1v. *Object.* Dubitationem esse principium; aut saltem medium & viam solidæ scientiæ Theologicæ constat, ex *Scholasticis & reformatis Doctoribus*, qui per dubia eam docent; & nota sunt *Theodor.* ἄπορα τ῀ θείας γρα῀φης. *Parei dubia in comment. in Epist. ad Rom.*, & *Spanhemii Dubia Euangelica. Resp.* Per dubia intelliguntur aut quæstiones seu erotemata, per quæ in Catechesibus, & Systematis Theologicis, Artium, Philosophiæ, &c. vulgò rudiores instituuntur: aut objectiones, quæ ab adversariis formari, aut imperitis, etiam subinde eruditis in mentem veniunt, quibus à Scriptoribus occurritur. Atqui hæc methodus toto cœlo distat à viâ dubitandi; quæ ut tutissima & certissima sive ad Theologiam, sive ad Fidem, sive ad quamcunque veram sapientiam esse nequit. Egregiè Maximus Poëta *Heinsius in* acuto *Epigrammate parti* 2. *dubior. Spanhemii* præfixo: *Dum qui sic dubitat, non dubitare docet.*

DE FIDE, CONSCIENTIA, THEOLOGIA DUBITANTE,

PARS SECUNDA.

Resp. PETRO LACCHER, Zirizæo. *Ad diem* 11. *Februar.* 1657.

1 *Object.* v. Quia Theologi subinde quæstioni propositæ & agitatæ, apponunt τὸ ἐποχὴ, cujus conjugatum est ἐποχὴ; aut, *in medio relinquo*; aut, *non liquet*; aut, *mihi non satisfacto*; aut, *disquiritur*; aut, *disquiri permittimus*; aut, *amplio*; aut, *nondum certò assentiri possum*; aut, *hæreo*; aut, *fateor me nondum videre*; aut, *dubito, nescio, non video, utra pars eligenda sit*; aut, *eligat Lector alterutram sententiam*, aut expositionem; qualis formula Scripturæ interpretibus non infrequens. *Resp.* 1. Aliud est Theologorum ignorantia, aut dubitatio, quam subinde profitentur; cum aut planè ignorant sive doctâ sive indoctâ ignorantiâ aliquam quęstionem, materiam, expositionem capitis aut tmematis Scripturarii (e. gr. in libro Apocalypsios); aut, rationes utrinque probabiles judicant: & aliud est determinare, an dubitatio aut ignorantia sit principium, & medium sapientiæ Theologicæ, ab omnibus affectandum & capessendum, qui cupiunt verè θεολογεῖν. A posteriori longè absunt veri & pii Theologi, qui quotidie precibus atque indefessis studiis certant contra suas dubitationes, tanquam ἀτελήματα & defectus, & ad oppositam perfectionem contendunt. *Philipp.* 3. *vers.* 15. 16. Prius cum agunt, humiliter fatentur, multum ignorantiæ, caliginis, dubitationum circa verbum Dei & res divinas menti suæ etiamnum inhærere. 2. Quidquid hic dicant Theologi, saltem illis formulis alios non docent dubitationem; nec Theologiam faciunt dubitantem seu scepticam; nedum ut dubitationem de omnibus tanquam principium Theologiæ, aut ut medium necessarium, aut ut viam rectam ac tutissimam ad sapientiam Theologicam requirant, atque omnibus hoc stadium ingressuris veritatemque quæsituris ac feliciter inventuris sive institutione suâ, sive exemplo commendent. Absit, absit. Quasi vero absque erroribus aut periculo errorum nemo in Orthodoxâ Theologiâ proficere queat, nisi omnia hactenus ab Ecclesiis ex verbo Dei tradita & à se certo assensu rectè recepta, prius strenuè dediscat, obliviscatur, & percepta tanquam non percepta abjiciat, aut saltem tantisper seponat, mentemque suam puram, hoc est, ab omni Theologicarum veritatum assensu liberam ac liberatam

consti-

constituat: donec ex affectatæ ignorantiæ, oblivionis, & dubitationis tenebris, in quas se abdidit, intercedente peculiari inquisitionis & inventionis methodo, novum lumen exoriatur, eoque mens affecta, vera sapientia Theologica demum conscribatur, & sic prodeant Theologi αὐτόχθονες, αὐτοδίδακτοι soli-ipsi, & à-se-ipsi, doctoresque illuminati & resoluti, qui absque lectione bonorum autorum, exercitiis Academicis, Ecclesiasticis Concionibus & Catechizationibus, & propriâ cognitione atque assensu præcedente, solo admirabili beneficio tum dubitationis tum methodi, ad tantum Theologiæ fastigium pervenerint. Hæc fere arcana Libertinorum, Enthusiastarum, & novorum in Angliâ *quæsitorum*, quorum propago ecstatici (vernaculè Seekers & Quakers) & quorum similes in Belgio nostro ex sordibus Anabaptistarum, Socinianorum, & cum illis symbolizantium nuper proreptare cœperunt. His fanaticis & scepticis portentis affinis aliquo modo erat imaginatio quorundam, qui vigente contentione Remonstrantică, subinde effutiebant, non debere spectari à reformatis Ecclesiis & Synodis, quid hactenus doctum esset, sed quid posthâc docendum: præterea absolvi debere omnes Ministros à subscriptione confessionis Belgicæ & Catechesios, eaque totas à capite ad calcem *revisioni* (hoc odioso & nimis præjudicante termino utebantur) in Synodo Nationali subjiciendas. Quasi scil. judices illi Synodales omnium articulorum confessionis (etiam primi, ubi de existentiâ Dei) fidem omnem ac certum assensum deponere, ac tantisper in antiquum chaos ignorantiæ, infidelitatis, dubitationis resolvi debuissent; ne scil. in illâ, quam agitabant, revisione, partibus studere, aut quidquam ex præjudicatis à se receptis veritatibus agere viderentur. Mirabilis sanè neo-Scepticа sapientia; quam excussam vide in *Actis Synodi Dordracenæ anno* 1619. *sess.* 26. & 29. VI. *Object.* Scholastici Theologi per sua quodlibeta, & Reformati subinde per verisimilia, aut per *disquiri permittimus*, aut per *probabilia*, & utramque partem probabilem, ad Theologicam scientiam eniti solent: Ergo non est negandum, dubitationem de omnibus, quæ antehâc proprio studio aut aliorum manuductione verè cognoscere cœpimus, esse principium, aut tutissimam scientię comparandæ viam ac methodum. *Resp.* 1. Cum ignorantiæ, aut dubitationis suæ imperfectionem in quibusdam Theologi fatentur, (non enim semper & in omnibus sunt omniscii): utique non commendant eam, tanquam principium scientiæ, nec omnes veritates antehâc cognitas, atque à Parentibus, Præceptoribus, Verbi Ministris haustas, simul & semel abjicere docent. Minimè: omne enim verum & bonum, quantillum sit, perpetuò amplectendum ac retinendum. Proverb. 1. 7. *Sapientiam & disciplinam stulti contemnunt.* Et

cap. 23. vers. 23. *Eme veritatem, & noli vendere.* 2. Scholastici, quamvis nimio quęstiones, præsertim curiosas, ineptas, absurdas, portentosas, multiplicandi, & de iis disceptandi pruritu, Theologiam Christianam in multis deformârint, (uti hæc aliaque ipsorum vitia *disp. de Theologiâ Scholasticâ* satis superque notavi): non tamen putandum est, eos per quodlibeta tantum intelligere in utramque partem disputabilia, atque adeò dubia sine ullâ determinatione; nam usu obtinebat, ut etiam maximè necessaria & tanquam de fide aut saltem de communi Scholâ ac Theologiâ illic determinata vocarent *quodlibeta*, aut *quæstiones quodlibetales*, & *orationes quodlibeticas*; ut nihil aliud videantur significare voluisse, quàm *quæstiones determinatas* in Scholis, quales exstant *Thomæ*, & ex Nostris *Davenantii*. Hic usus quodlibeti apud ipsos manifestè deprehenditur, ex inspectis *quodlibetis Thomæ, Hadriani Florentii* (postea Papæ); imprimis *Henrici de Gandavo* seu *Henr. Goethals*, cujus quodlibeta in *quatuor libros sententiarum*; & aliorum; ad hæc ex *Orationibus quodlibeticis Adami Sasbout*, & *Iohannis Molani*, Lovanii habitis. 3. *Nostri* Theologi cum subinde *in Commentariis & notis ad Scripturam*, plures ejusdem loci interpretationes judicant probabiles, quia rationum æquilibrium ab ipsis tunc temporis perceptum, ulterius eos ire non sinit: non docent nec commendant dubitationem, tanquam certissimam theologizandi viam ac rationem; sed aliis ulteriorem disquisitionem ac progressum relinquunt, immo & commendant, si fortè ad certitudinem pervenire queant. Quod si analogia contextus & Scripturę evincat, nihil certi de e.gr. aliquâ herbâ, animali, tempore, loco, personâ, utensili, mensurâ, nummo, &c. sciri posse, ultra conjecturam, opinionem, & τὸ probabile non assurgere, sed potius doctè ignorare docent. Atqui opinio, conjectura, docta ignorantia non est dubitatio. Confer *Disp. de doctâ Ignorantiâ*, & *Petri Martyris* probabilia, ex *Genesi, Exodo*, &c. Argentinæ anno 1543. ad disputandum proposita, & à positionibus necessariis exsertè distincta. Adjecta sunt ad finem *locor. commun.* 4. Aliud est si Theologi in lectionibus, & scriptis editis, commendarent dubitationem de omnibus veritatibus, tam quas auditores & lectores jam perceperint atque amplexi sint, quam quas nondum certo assensu perceperint: & aliud est si in exercitiis disputationum, aliquid probabile in utramque partem, aut problematicum, aut non ita liquidum, aut in quod ipsis hoc tempore non vacat inquirere, ventilandum proponant; si fortè ex rationum concertatione, ulterius veritatem inveniendi ac certiores conceptus formandi occasio daretur. *Ferrum ferro acuitur, &c. Proverb. 27. vers. 17.* Et satis notum ex Logicis, è præcognitis Philosophicis & Scholarum ordinationibus, quem usum habeant exercitia

citia disputationum. Si sic accipias τὸ *disquiri potest*, aut *permittitur*, uti accipi debet, modo absit œstrum invidiæ, odii, sycophantiæ; nihil pro dubitatione Theologicâ hinc auferretur. Non versari autem fidei, aut communis doctrinæ Ecclesiarum, aut communioris sententiæ Theologicæ in Scholis receptę salutem, in tali, τὸ *disquiri potest*, circa ἀκριβῶν magis Philosophicam, aut Historicam, aut Philologicam, quam Theologicam, ex sequentibus constare poterit. Summus Theologus *Andr. Rivetus in Annot. ad notas Grotii in Cassandrum, pag.* 160. edit. in 8. *An præceptum de Imaginibus sit naturale disquiri potest.* Mox tamen *ibid.* distinctione adhibita affirmat & negat hoc esse dicendum. Idem in *Disp. de Idololatriâ* anno 1626. respondente Isaaco Basirio Rhotomagensi, tale habet Corollarium: *An Religio sit virtus Ethica, an Theologica. Quodlibet.* Idem in *Disp. de Sabbatho, & Die Dominicâ*, 23. Novembris, anno 1630. Respondente M. Petro Cabbeljau Lugduno-Batavo, thesi penult. quæ est 17. *Quidquid ergo sit, sive hæc institutio* (diei Dominicæ) *ad Christum, sive ad Apostolos referatur parum refert, quod nos disquiri permittimus. Iohannes Polyander ad finem Disp. tertiò repetitæ, de Resurrectione carnis & judicio extremo*, 17. Julii 1635. Respondente Adriano Heereboord Leidensi, Coroll. 19. *Quomodo caro, quæ in alimentum cessit Anthropofagis restituenda sit ei, in quo primum humana caro esse cœpit, disquirendum proponimus.* Et hęc quidem in Academiâ Leidensi. In Franequeranâ *Iohannes Cloppenburgius in Syntagm. Disputationum, ad finem disput.* 4. *de Fœderis Novi Testamento*, 25. Augusti 1642. Corol. 1. *Potuerintne ista latere Grotium.* (de negatâ à Remonstrantibus internâ intellectus illuminatione, & sanctorum affectuum excitatione, & potentiæ novæ in voluntatem infusione) &c. *disquiri permittimus.* In Scholâ Academicâ Daventriensi *Henricus à Diest, in Enchir. Theol. Christianæ* in usum Collegiorum disputantium, anno 1641. edito, *Loco* 33. *qui est de Vitâ æternâ*, §. 10. *An sint gradus gloriæ in vitâ æternâ? Aff. Potest tamen & negativa, exercitii causa, salva fide defendi. Calvinus lib.* 3. *Institut. cap.* 15. §. 46. ad quæstionem, in Oratione Dominicâ, an τὸ πονηρὸν diabolum an peccatum notet, sic ait: *utrum hoc vel illum intelligamus, minimum refert.* Sexcenta ejusmodi, aut iis ἰσοδυναμοῦντα ex *Commentariis ad Scripturam* huc advocari possent. Unde tamen colligendum non est, illos Theologos, aut me insceleto Problematum antehâc edito, Reginæ dubitationi assurgere, nedum ut formulâ, *disquiritur, disquiri permittitur*, juventutem rectâ ducam ad Pyrrhonismum & Scepticismum in rebus sacris. Docebunt hoc aliquando edendæ *explicationes Problematum*, quibus τὸ *disquir.* adjectum est. Quamvis Lectiones meæ, disputationes, privata exercitia, & scripta hactenus edita, clament, non posse vel minimâ

ſpecie illud mihi, à quo, ſi quiſquam, quàm longiſſimè abſum, impingi. Ante complures annos *in Therſite* reſpondi Remonſtrantico tenebrioni ſimilem formulam admordenti *part. 3. pag.* 315. eo Lectorem ablego. Si quis fortè inciderit in rancidam cavillationem Remonſtrantis, multis annis poſt ab alio renovatam, & nimis quam auctam, is adeat *Diſpp. de Selectis Problemat. part.* 12. VII. *Object.* Quia temeraria, & magiſtralis omnium in Theologiâ aſſertio, ac determinatio eſt culpabilis; ergo dubitatio, ſaltem in multis, ſi non in omnibus eſt laudabilis? *Reſp.* 1. *Non* ſequitur. Poteſt enim utraque eſſe mala; ſicuti duo vitia extrema uni virtuti oppoſita. Non quia prodigalitas eſt culpabilis, avaritia eſt laudabilis. 2. Aliud eſt præmeditatè & non niſi debitâ cum inquiſitione quid aſſerere, aut cum rem nondum percipimus, ad tempus judicium atque aſſenſionem differre, aut etiam ignorantiam tantiſper profiteri; quia ulterius nunc ire non poſſumus: & aliud dubitare, & quidem ex profeſſo, inque ea dubitatione tanquam legitimo ac certiſſimo principio, aut medio, aut viâ, aut methodo ſciendi ſibi applaudere. Prior ſive dubitatio ſive ignorantia non eſt affectata; poſterior eſt: illa conjuncta eſt cum humili ſenſu noſtri defectus; iſtâ cum gloriatione peculiaris ἐυρήματος & ἕξεως ſupra vulgus ſapientum. VIII. *Object.* Videtur dubitatio locum poſſe habere imprimis in Theologiâ: quia nullibi major contradicentium opinionum labyrinthus: ita ut ambigere neceſſe ſit; quæ pars potiſſimum eligenda. *Reſp.* Genuinus Scepticiſmus eſt ex hominum falſis opinionibus, quæ multæ ſunt, in eam deſperationem venire, ut inter veritatem quæ una eſt, & multiplicem falſitatem non diſtinguamus. Tale quid hodie agunt directè Neutrales & Libertini; indirectè Pontificii cum de Religione reformatâ deſerenda conſulunt; & Remonſtrantes paſſim, præſertim in *Vindiciis*, ſeu *Vedelio Rhapſodo.* Quaſi ſcil. in æquilibrio poſita ſit prætenſio veritatis & mendacii. Conferri poſſunt *Diſpp. noſtræ de novo Scepticiſmo Lojolitico, & de Proteo Romano, & Problemata, de Scripturâ*, ubi de judice controverſiarum. IX. *Object.* Non tantum *Scholaſtici ad Lombardi* 3. *diſt.* 17. & 35. & *ad Thomæ* 3. *qu.* 27. *artic.* 4. dubitationem aliquam faciunt inculpabilem, immo & bonam ſeu utilem; ſed & *noſtri Theologi ad Luc.* 1. *verſ.* 34. & ex Practicis *Hilderſhamus ad Pſal.* 51. *verſ.* 6. *lect.* 48. *Reſp.* 1. *Non* eſt propriè dubitatio, ſi quis per ſimplicem interrogationem, ulteriorem inquiſitionem, & diſcurſum ac ratiocinationem, item per ſalutaria conſilia ac deliberationes ad veri ac boni acquiſitionem procedat. De tali autem proceſſu autores noſtri loquuntur: quod ad quæſtionem noſtram nihil facit. 2. *Quamvis* dubitatio propriè dicta, quæ eſt non ex formali infidelitate, ſed ex tarditate (ut *citati Scholaſtici* loquuntur)

tur) excuſet in tantum, non tamen in totum: uti hoc peccatum perſtringitur, *Luc.* 25. *verſ.* 25. Et quamvis differentia ſit inter dubitationes fidelium & irregenitorum, ut & inter alia utrorumque peccata: non tamen deſinunt eſſe peccata. De quo *in* 2. *parte ſelectar. Diſpp. tit. de Simplicitate & Hypocriſi, §.* 4. & 5. 3. *Bonum* dubitationis, quod allegatur, eſt totum per accidens: ſicuti bonum mortis, omniumque malorum triſtium hujus vitæ, immo bonum ex quolibet malo turpi per Dei providentiam eductum. Vide *Diſp. de Peccati uſibus per accidens.* Nemo tamen hæc mala tanquam bona per ſe appetere, affectare, aut commendare debet: niſi id fiat, eo modo, quo *Eraſmus moriam, Syneſius calvitiem, Paſſeratius cæcitatem, altus febrim quartanam* celebravit. 4. *Dubitatio*, ſi quæ planè ſit inculpabilis, eſt tamen defectus & malum triſte, ſicuti & ignorantia inculpabilis; ideoque non affectanda nec commendanda tanquam principium ſcientiæ.

Sequitur quæſtio de dubitatione circa Theologiam naturalem: cujus 2
determinationi præmittimus, iſtas hypotheſes. 1. Datur Theologia naturalis ex *Rom.* 1. *verſ.* 19. 20. *Pſal.* 19. *verſ.* 1.-8. *Actor.* 14. & 17.; accedente univerſali experientia, & ratione: de quo antehâc egimus in *Problematis de Theologiâ*, & *part.* 1. *ſelect. Diſpp. tit. de Atheiſmo.* 11. Eſt donum Dei commune, per communem revelationem in naturâ. *Rom.* 1. *verſ.* 19. 20. cum *Actor.* 14. & 17. & *Pſal.* 19. 111. Eadem tamen, quod ad principia, axiomata, & theſes ſuas revelata eſt in verbo Dei: idque non tantum in actu exercito, quatenus illis omnes ejus veritates proponuntur ſub formali revelationis divinæ; ſed etiam in actu ſignato, quatenus de iiſdem affirmatur, quod natura ſint nota, aut quod hoc modo naturaliter demonſtrentur. Vide 1. *Corinth.* 11. *verſ.* 14. & *loca* jam *citata.* 1v. Non ſufficit ejus lumen ad ſalutem, non magis ac lux minimæ cujuſque ſtellæ ad illuminandum noſtrum hemiſphærium: facit tamen *tum* ad conſervationem univerſi, & ordinis alicujus inter homines, ne inſtar ferarum aut Cyclopum hic viverent: *tum* ad ἀναπολογησίαν, *Rom.* 1. *verſ.* 19. cum 2. *verſ.* 14. 15. v. Certa tamen eſt, ſi objectivè & in ſe conſideretur: non tantum ratione principii primi, quod eſt verbum Dei, ubi veritates ejus proponuntur; ſed etiam ratione principii ſecundi, quod eſt lumen & ratio naturalis, unde eædem materiales veritates educuntur. Probatur hypotheſis 1. *Quia*, eſt à Deo per naturalem revelationem. *Rom.* 1. *verſ.* 19. *Pſal.* 19. *verſ.* 1. 8. Atqui Deus non docet aliquod falſum aut incertum. 2. *Quia*, ſi incerta eſſet in ſe, ac ratione principii ſui proprii, luminis ſcil. & rationis naturalis; ſequeretur pariter incertam eſſe naturalem omnem conſcientiam, & ſyntereſin, ſeu hominibus ingenitam facul-

facultatem discernendi inter honestum & turpe, atque adeo incertam esse omnem ἀναπολογησίαν; immo eam penitus tolli: quæ absurdissima sunt, & contra textus jam citatos. *Consect.* 1. Rejicimus antiquos & hodiernos Scepticos ac semi Scepticos. 2. *Consectar.* Et Philosophos illos, qui in Scholis Italiæ cum Atheismos contra Religionem Christianam, immo & contra Theologiam naturalem effutirent, effugium quærebant in distinctione hâc, quod in viâ naturę falsum aut incertum esset, e. gr. animam esse immortalem, dari dæmonas, dari miracula à solo Deo immediatè facta, esse providentiam Dei specialem circa omnes singularium creaturarum & hominum actiones &c. sed in viâ Scripturæ & traditionis Ecclesiasticæ aut concedebant, aut susque deque habebant, & Theologis atque Ecclesiasticis totum hoc relinquebant. 3. *Consect.* Rejicimus & hallucinationem quorundam, qui statuunt aliquod verum in Theologiâ falsum esse in Philosophiâ. 4. *Consectar.* Rejicimus illam opinionem, quâ Theologia naturalis statuitur esse mala. Confunditur enim Theologia subjectivè accepta, ut recipitur, & est in hoc aut illo homine, qui eam corrumpit, *Rom.* 1. *vers.* 21. 22. cum Theologiâ objectivè accepta, ut est in se, & per Dei naturalem revelationem donata. Malitia illa est per accidens, sed bonitas seu perfectio ejus in suo genere, est per se. 5. *Consectar.* Denique rejicimus illos, qui dicunt nullam esse aut posse haberi Theologiæ naturalis veritatem aut certitudinem sub illo formali, quâ per lumen naturæ & rationem innotescit; sed tantum ex Scripturâ. VI. Veritates Theologiæ naturalis ut sic (e. gr. esse Deum, esse Providentiam &c.) materialiter eædem sunt in Theologiâ supernaturali: formaliter tamen differunt, quatenus illæ per solum naturæ ductum haberi possunt, aut habentur; istę per revelationem supernaturalem seu scripturariam. VII. Tutius nobis, qui Scripturę autoritatem agnoscimus, innotescunt veritates Theologiæ supernaturalis, quàm naturalis strictè ita dictæ; & in dictâ naturali Theologiâ, principia, quàm conclusiones. Ratio est: quia hîc mens nostra majus periculum errandi subit in ritè deducendis consequentiis, quàm istic. *Consectar.* Pansophia seu perfecta omnium rerum scientia absque periculo errorum in hâc vitâ, per certa inventa principia haberi nequit: nisi Deus velit aliquem miraculosè & immediatè Spiritu suo afflare. Ratio est, quia acies mentis nostræ per interventum lapsus Adamici ratione rerum spiritualium est planè sublata, ratione rerum naturalium & humanarum est hebetata: nec restitutio imaginis Dei per Christum est perfecta, quod ad scientiam naturalem, nec Deus credentibus in Christum tale quid promisit. Quod diximus de mentis nostræ obtenebratione & defectu, quod ad scientiam naturalem Dei ac creaturarum

rum, alibi, de communi consensu Theologorum, imaginem Dei, ejusdemque privationem per lapsum protoplasti explicantium, probabitur.

3 Accedimus nunc ad quæstionem: An circa veritates Theologiæ naturalis à nobis affectanda aut aliis commendanda sit dubitatio, tanquam principium, aut causa, aut via certissima ac tutissima, ad evitandos errores aut pericula errorum, & certam solidamque Theologiæ naturalis scientiam consequendam. Nos negamus. *I. Quia*, aut de omnibus ejus veritatibus dubitandum, aut de aliquibus: atqui neutrum dici potest. Ergo. *Non de omnibus*: quia sequeretur etiam dubitandum esse, An sit Deus, An Deus sit unus, An sit bonus an verò malus, An sit justus, An sit providentia, An ego rectâ ratione sim præditus, An discrimen inter honestum & turpe, An bonum prosequendum malum fugiendum, An suum cuique tribuendum, An illud alteri non faciendum quod nolim mihi fieri, &c. Atqui hæc omnia tam absurda, ut animus humanus ea refugiat, nec quisquam sanæ mentis deliberato consilio secundum interiorem animi sensum illa profiteri ac tueri velit aut possit. De primâ veritate, quod sit Deus, contra exceptiones Remonstrantici tenebrionis hoc probavimus in 1. *part. Disp. tit. de Atheismo. Nec de aliquibus*: quia ratio nulla dari potest, quare dubitatio & affectata mentis ab omni assensu evacuatio circa unum principium aut axioma, aut communem notionem, sit perfectio, sit bonum, quippe principium, aut causa, aut tutissima via ac ratio liberandi nos à periculo erroris, à præjudiciis, ab omnibus impedimentis inveniendæ ac cognoscendæ veritatis: & quare contra non sit præjudicium & impedimentum veritatis & scientię, quæ quæritur, si aliud quod principium Theologiæ naturalis sive Theoreticum sive Practicum certo mentis assensu recipiamus, teneamus, illudque in methodo ac studio quærendæ scientiæ, & quærendi certi principii, aut principiorum, per quæ certo scire possimus, præsupponamus. Quare per unum principium, aut unam communem notionem, certo assensu receptam ac præsuppositam, tanquam certissimam & tutissimam viam ad Theologiæ naturalis scientiam & solidam atque evidentem Scepticorum & Atheorum convictionem contendendum erit: per aliud, aut aliam non erit. *II. Quia*, Deus in sacris literis non commonstrat dubitationem; aut assensus vacuitatem & studiosam evacuationem, tanquam principium, medium; viam ac methodum comparandi Theologiam naturalem, & Atheos atque Epicureos solidissimè, evidentissimè, ac tutissimè convincendi; sed sensualem cognitionem, observationem, & inde collectionem ac dianoëticum discursum per inductionem & demonstrationem. Vide & expende *Iesa.* 40. *vers.* 21.

26. *Psal.* 19. *vers.* 1. 8. & 8. *vers.* 4. 5. *Roman.* 1. *vers.* 20. *Actor.* 14. & 17. *III. Quia*, si de veritatibus omnibus, aut plerisque, aut aliquibus Theologiæ naturalis ex professo sit dubitandum: sequitur etiam Christiano agnoscenti autoritatem Scripturæ, dubitandum esse de veritate illorum textuum, qui veritates aliquas per luminis, rationisque naturalis ratiocinationem & demonstrationem, haberi posse ac debere testantur. Vide *textus* modo *cit.* Atqui nefas est dubitare de veritate Dei primæ veritatis in Scripturâ loquentis. *IV. Quia*, Dubitatio, de ratione suâ formali tantum dicit aut puram negationem, aut puram privationem seu defectum, uti supra *part. priori* dictum fuit. Jam verò non ens sive negativum, sive privativum, directè enti & bono assensus, certitudinis, scientiæ, mentem humanam perficienti oppositum, non potest esse principium & causa (per se scil.) scientiæ mentem nostram perficientis; nec tanquam tale aut affectari aut aliis sive exemplo sive quibuscunque quæsitis paralogismis, sophismatis, coloribus Rhetoricis commendari debet: non magis, quam affectata ignorantia. Hâc enim ratione periculis errorum, & falsis præjudiciis, scientiam veri impedientibus, quæreretur remedium ipso malo deterius. Quasi quis remedium febris tertianæ faceret continuam, aut myopiæ cœcitatem, scientiæ multarum rerum divinarum & humanarum non satis illimis & defœcatæ, omnium oblivionem & ignorantiam, saltem ad tempus induendam; donec scil. certa principia quis invenerit, quorum beneficio omne scibile, distinctè & evidenter percipiat, & unde per reflexivam cognitionem certissimus esse possit, hoc infallibiliter verum esse, quod hic & nunc clarè ac distinctè percipit.

4 Restant perstringendæ præcipuæ aliquot exceptiones & objectiones pro Helenâ dubitationis ex mente antiquorum Scepticorum & hodiernorum, si qui ex asse aut ex semisse, aut ex besse illorum hæredes sint. Opiniones antiquorum Pyrrhonicorum, Scepticorum, Megaricorum, & Academicorum Parmenid s, Nausiphonis, Zenonis, Eleatæ, Protagoræ, Eretricorum, (seu juxta vulgatam editionem *Creticorum*, quod *Lipsius* emendandum putat *Criticorum*: *Gruterus* contendit τὸ *Eretricorum* retinendum esse, adducto loco ex *Ciceronis lib.* 3. *de Oratore*) ὡς ἐν τύπῳ proponit *Seneca Epistol.* 88. *in fine.* Uberius explicatas si requiris, adi *Laërtium in Vitis eorum*, *Tertullianum de Animâ*, *cap.* 17. *Aristotelem* 2. *de Animâ cap.* 5. *Arnobium lib.* 2. *contra Gentes. Lactantium lib.* 3. *cap.* 27. & 29. *Minutium in Octavio*; *Photium in Bibliothecâ*, *lib.* 212. *Augustinum tom.* 1. *lib. contra Academicos*, imprimis *Sextum Empiricum in libris Pyrrhon.* & *libris* 8. *contra Mathematicos*, & *Galenum de optimo genere docendi*, qui unà cum Empirico & vitâ Pyrrhonis ex Laërtio Græc. Lat. editus est in fol.

in fol. Ex recentioribus *Hadrianum Iunium centur. 6. adagior. adag. 59.* Sint ergò istæ objectiones. *I. Object.* Circa principia & axiomata Theologiæ naturalis, quà talis, necessario dubitandum est, quia nulla eorum certa cognitio habetur, nec per sensum, nec per intellectum: uterque enim falli potest. *Resp.* 1. Geminum hoc sophisma est isti: nulla Theologiæ supernaturalis, seu articulorum fidei ex verbo Dei, aut per illud certa cognitio in hâc vitâ habetur, quòd omnes homines (exceptis θεοπνεύστοις Prophetis & Apostolis) falli & fallere possint: consequenter de principio fidei, Scripturâ scil. & de omnibus articulis fidei homini Christiano est dubitandum. Confer *Antagonistas Pontificiorum*, & *Enthusiastarum*, & Clariss. *D. Hoornbeeck* antehâc Collegæ nostri *scriptum contra libellum*, cui tit. *Ad legem & ad testimonium.* 2. Conclusio dubitationis educta ex fallibilitate sensus & intellectus humani, ad Pyrrhonismum, & Scepticismum releganda: quem hâc vice ex professo non examinamus; estque ab antiquis jam *cit.* olim, ac nuper à recentioribus hoc abundè præstitum. Sufficerit nobis digitum intendisse ad *Iesa.* 40. 22. 26. *Psal.* 19. & 32. & 34. *Rom.* 1. *Luc.* 24. *Ioh.* 20. *Actor.* 17. &c. ubi Deus, Christus Mediator, Angeli, Scriptores θεόπνευστοι ad cognitionem sensus & intellectus provocant, hominesque eò amandant. *II. Object.* Dubitatio passim à Philosophis, nominatim ab Aristotele via ad scientiam statuitur. *Resp.* Sed hinc non sequitur esse principium aut causam, sen medium per se, aut genuinam methodum sciendi. Nihil aliud volunt, nec voluisse debent, quam esse terminum à quo, uti nihil est terminus à quo (negativus scil.) creationis, & ut ignorantia puræ negationis, est terminus à quo scientiæ. Aut esse scientię terminum à quo privativum; uti tenebræ quę præcedebant in primâ creatione lucis; & privatio formæ introducendæ in quovis subjecto generabili, est terminus à quo geniti; & ut ignorantia pravæ dispositionis seu infidelitas, in conversione Gentilium, vetus homo seu mors peccati in conversione quorumvis peccatorum est terminus à quo novæ creaturę. Aut esse occasionem & causam impulsivam (per accidens scil. & passivam) scientiæ. Quale quid admirationi vulgò adscribunt; quæ suspensio est humanarum cogitationum, sed ex ignorantiâ proveniens, ut rectè *Philosophus* 1. *Metaphys. cap.* 2. Quale etiam omni ignorantiæ adscribi potest: unde tamen non sequitur eam esse affectandam, aut præscribendam. Si dubitationis præconia hoc saltem vellent, quod diximus, utique non obsisterem, ut quis malo huic, quod per accidens inservire & desinere potest in bonum, panegyricum pangat non minus quam ignorantiæ, morbo, morti, &c. quomodo *Erasmus Moriæ*, *Synesius calvitiei*, *Passeratius cœcitati*, &c. Quod si quis ex Autoribus citari solitis,

ultra quid dubitationi tribuerit, ejus autoritatem rationi non præferimus. Breviter, ut bonæ leges ex malis moribus nasci, & ubi abundat peccatum abundare gratia *Rom.* 5. & mors lucrum *Philipp.* 1. Et fidelis est fortis cum est infirmus 2. *Corinth.* 12., & Adami culpa felix esse dicitur, quæ tantum meruit Redemtorem, & *Ambrosius tract.* scripsit *de bono mortis*, & bona sunt omnia mala in hâc vitâ divinitus nobis immissa: sic dictum accipio ab *Aristotele*, ejusque Sectatore *Pachymerio in Epitome Logica*: ἐκ τῆ ἀπορίας ἡ εὐπορία γεννᾶται. Sit ergo, ut privatio tertium principium naturale Aristoteli, dubitatio unà cum ignorantiâ principium scientiæ & quidem necessarium, ut se nunc habet intellectus humanus post lapsum; sed per accidens, quemadmodum peccatum in omnibus hominibus post lapsum (excepto Christo) omnis virtutis terminus à quo, principium antecedens, & adjunctum concomitans ac consequens est, Sed excipiat quis, Atqui omnis dubitatio non est malum culpæ. *Resp.* Sic est: nec etiam omnis ignorantia est peccatum: est tamen defectus, & malum triste; non vero formaliter est perfectio, per se mentem perficiens, aut perfectionis principium seu causa per se; ideoque per se nec laudanda nec affectanda. *III. Object.* Si dubitationi locus non sit circa veritates Theologiæ naturalis quæ sunt de Dei existentiâ, unitate, bonitate, justitiâ, potentiâ, providentiâ, &c. ne Atheis & Epicureis saltem videtur laudabilis & affectanda esse dubitatio circa veritates ejusdem Theologiæ naturalis, quæ sunt de existentiâ, & affectionibus creaturarum. *Resp. Neg.* 1. *Quia* illæ veritates habent respectum ad veritates de existentiâ, & attributis Dei modo memoratis: unde juxta dictamen & methodum Spiritus Sancti (*Ies.* 40. *Roman.* 1. *Psal.* 19. *Actor.* 17.) necessario habendæ & præsupponendæ sunt, unde vi insiti luminis naturalis & rectę rationis veritates Dei de existentiâ, attributis, providentiâ colliguntur, procedendo scil. ab effectu ad causam. Qui ergo de illis dubitat, etiam de istis dubitabit. *Except.* Atqui non ex creaturis extra nos, sed ex ideâ nobis insitâ veritas de Dei existentiâ cognoscitur. *Resp.* 1. Idea illa aut nominalis ignorantia est, aut chimæra: uti à variis satis ostensum. 2. *Dato* talem ideam esse, est tamen creatura aut concreatura, de quâ pariter ac de aliis Dei operibus dubitandum aut non dubitandum esset, immo de intellectu tuo, synteresi, conscientiâ, & principiis omnibus innatis tum Theoreticis, tum Practicis. 3. *Quia* cum Deus hominem in hoc mundi Theatro tanquam speculatorem constituerit, eique facultates ac principia ad cognitionem operum Dei suppeditaverit; non vult ut volens ac sciens dubitationem universalem, de omnibus illis sibi accersat, non magis quam ignorantiam. 4. *Quia* quędam veritates de existentiâ & affectionibus creaturarum in

Scriptu-

Scripturâ proponuntur, quod sint, & quod ac quomodo per naturam cognitio earum haberi & acquiri possit ac debeat: uti constat ex *locis* jam sæpè *cit.* Quod si ergo Christianus etiam de illis veritatibus, ut & de totâ rerum naturâ atque universitate, dubitare debeat aut possit; sequeretur unà de testimoniis Spiritus Sancti, & de totius Scripturæ autoritate dubitandum esse. Quod nefas. Exceptio autem illa, quod Scriptura in relatione operum Dei naturalium, cum vulgo errante loquatur, aut potius nihil asserat, quamvis orationibus enuntiantibus utatur; ab aliis satis superque refutata est: quorum dicta, quod ad summam rei hic præsuppono, ut & communem nostrorum sententiam de autoritate & interpretatione Scripturæ. *IV. Object.* Dubitatio nihil aliud notat, quam suspensionem assensus & assertionis, donec rem plenè percipiamus: aut debitam inquisitionem, ut veritatem rectè discamus, atque intelligamus. Atqui talis dubitatio est laudabilis, & omni modo affectanda. *Resp.* Conceditur consequens: nec quisquam sanus de hoc dubitavit; nedum ut controversiam alicui moverit. Quia si quis talem, & nullam aliam dubitationem sive exemplo suo sive doctrinâ, tanquam necessariam viam & methodum perveniendi ad scientiam suggessisset, nihil peculiare, nihil insolitum protulisset, sed literatis passim & illiteratis, notum ac receptum, quodque omnibus Scholarum minorum ac majorum discipulis ad ravim Præceptores insonare solent. Sed accidit sæpe, ut δικηπίσοφοι soli-ipsi, vertiginosos quosdam conceptus temerè effutiant, idque vel ex purâ ignorantiâ elementorum ac terminorum alicujus scientiæ, vel ex distorto & corrupto ingenio cum intentione errores spargendi: Quos ubi insciticæ & absurdi viderint coargui, aut latens virus heterodoxiæ in lucem protrahi, ad triplex asylum confugiunt, & tempori ac præsenti necessitati servientes, os suum abstergent, dicendo, *Nihil mali feci.* Est autem asylum illud, *primò*, audacis inficiationis. *Secundò*, lusus ambigui, acurologiæ, logomachiæ. *Tertiò*, maledicentiæ, obtrectationis, cavillationis, calumniæ, & similium colorum. Exemplo sint David Georgius, cum pullis suis, Conradus Vorstius, primi & primipili Remonstrantismi promachi, & ille, cui Clar. *Vedelius tractat.* suum, cui tit. *Deus Synagoga*, opposuit. Interim meminerint Auditores & Lectores nostri, dubitationem quæ à scientiâ, discursu, ignorantiâ, opinione, suspicione, fide divinâ & humanâ observatione, experientiâ, inquisitione veritatis simplici rei propositæ apprehensione ejusdem, item judicio distinguitur, *Philosophis antiquis & recentioribus*, ut & *Theologis nostris* ac *Scholasticis ad* 3. *qu.* 27. *art.* 4. & cum utrique agunt de dubitatione fidei & conscientiæ, propriè notare motum intellectus in utramque partem contradictionis, cum formidine determinandi,

minandi, ob rationum utriusque ignorantiam aut æquilibrium. Atqui *Aristoteles* 3. *Metaphys. cap.* 1. per dubitationes nihil aliud intelligit quam considerationes, examina, disquisitiones & disputationes, seu quæstiones de re aliquâ propositas cum rationibus pro utrâque parte, earumque accurato examine: uti patebit *cap. cit. textum* 1. & 2. inspicienti & quatuor rationes, quas ibi adducit; eumque conferat cum lib. 1. de Cœlo cap. 10. text. 101. ubi se explicat: *Simul autem ea quæ dicentur majorem fidem habebunt, si disceptantium rationum jura* (ἀμφισβητούντων λόγων δικαιώματα) *prius fuerint audita, minusque videbimur indictâ causâ damnare: arbitros enim, non adversarios oportet esse eos, qui de veritate, ut res postulat, judicium laturi sunt.* Hanc methodum in Ethicis, Physicis, Metaphysicis observat *Philosophus*, ut rem subjectam per prædicata possibilia à se excogitata aut ab aliis illic refutandis ante ipsum rei propositę tributa prius circumducat & quęrat de singulis an hoc sit aut possit esse; remotisque per adhibitas rationes prędicatis omnibus, quæ non convenire putat, ad ipsum tandem genuinum (ipsius sententiâ) prædicatum deveniat, & ex illo demonstrato definitionem & quidditatem rei eliciat. Si quis Interpretes *Aristotelis ad Metaphys.* 3. *cap.* 1. *Averröem*, *Albertum*, *Thomam*, *Iavellum*, *Fonsecam*, consulere velit, videbit cujus dubitationis utilitatem illic prædicari censeant. Sed *textus Philosophi* per se satis perspicuus est. Jam verò actus seu agitatio illa mentis, quam in inveniendis primùm & constituendis scientiis, earumque demonstrationibus, aut in falsis principiis, axiomatis & thesibus rejiciendis, requiri fatemur, longè differt ab habitu dubitationis suprà definitæ; de quâ propriè quæstio est, aut esse debet: nisi ineptis logomachiis & sciomachiis gloriolam novitatum, ante ab aliis scil. non dictarum, captare quis studeat. Veruntamen non est necesse, ne quidem utile, ut in docendis discendisque in cursu Academico disciplinis tam operosa per tot ac tam longas quæstionum ac disputationum ambages methodus illa servetur: uti judicioſè & doctè hoc observat *Fonseca in Commentar. ad textum Philosophi cit.* Discipulis ad facultates superiores contendentibus, sufficere potest, si propositas demonstrationes ac definitiones Theologiæ naturalis (quod idem intelligi volo de Philosophicis, quæ & quatenus illa Theologiæ Christianæ ancillantur) primum percipiant, ac tantisper judicium suspendant, donec terminos probè intellexerint; deinde de veritate earum, ex principio primario, Scriptura scil., & secundario, lumine scil. rectæ rationis debitè ac candidè dijudicent & determinent; atque ita successivè τὰ γνωστὰ imprimant, in thesaurum memoriæ reponant, & retineant juxta 1. Thess. 5. *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Hanc methodum si servent ab omnibus Scholis Christianis, saltem Reformatis receptam Pythagorica aliorum dicta-

ta,

ta, usque ad minimos apices etiam non intellectos, immo sæpè non lectos aut auditos, tanquam serva pecora non lingent; nec ἀνηδίας in ignorantiâ aut paupere scientiâ suâ acquiescent; nec ad superiores facultates, præsertim Theologiam, inepti fient, aut à studio & amplexu ejus resilient, nec primum illud τὸ nihil scire, & universalis dubitationis sive chaos sive barathrum repetent; necdum mentem suam in tabulam rasam ἀνηλύσεως coëgerint, omnibus scil. veritatibus rejectis aut in dubium vocatis, quas hactenus didicerunt, in desperationem proficiendi & ad solidam scientiam perveniendi incident; nec dum opportunitatem sibi elapsam, seque ab equis ad asinos transiisse, & temporis angustiâ exclusos viderint, & inter Philosophos recoctos curriculi denuo inchoandi tædio, in nescio quas vertigines se immergent, nunquam aut vix sine læsione aut eclipsi aliquâ, solidæ scientiæ, aut orthodoxæ Theologiæ, pietatis, modestiæ inde emersuri; si modo emergere eos contingat.

APPENDIX DE DUBITATIONE PHILOSOPHICA.

V. Object. Dubitatio etiam in rebus per se certissimis necessaria est, tum ratione docentis, tum ratione rei scibilis, tum ratione discentis. *Ratione docentis*, quia homo est qui errare potest. *Ratione rei*, necessariò dubitare debet qui discit; quod illa magis abstrusa sit, quam ut primo intuitu illius causa & ratio saltem probabiliter noscatur. Et huc adducitur *Arist. Metaph.* 1. *cap.* 2. *Ratione discentis*, quod fortè non ut decet aliorum sensus capiat, vel contemplationes & veritatis inquisitiones fortasse non convenienter formet. Et huc adducitur *Aristoteles Metaph.* 3. *cap.* 1. *Plato in Timeo & Menone*; ubi dubitationem commendant. *Resp.* 1. Hic primum quæro an per res certissimas, etiam existentia Dei, & animæ, illiusque providentia, & hujus immortalitas, rationalitas, & distinctio ab animabus brutorum, adhæc, & officia hominis erga proximum, etiam principia practica de bono faciendo, peccato fugiendo, suum cuique tribuendo, &c. intelligantur. Si affirment, absurdis eos urgebimus: sin negent rationem differentiæ petemus; siquidem circa has veritates etiam errari potest, & non tantum circa veritates Philosophicas, sive illæ à Theologiâ procul remotæ sint, sive eandem tum naturalem tum supernaturalem propius tangant. *Resp.* 2. Rationes triplices prætensæ necessitatis, nihil aliud concludunt, quam homines de facto in Philosophiâ theoreticâ & practicâ, & consequenter in Theologiâ naturali, multò magis in supernaturali, idque per interventum lapsus & inde ortæ universalis cœcitatis ac corruptionis, ignorantiâ laborare, in veritatis cognitione capessendâ impediri, & dubitationibus atque erroribus obnoxios esse. De quo cum necessariò non quidem dubitare, sed certi esse debemus: extra controversiam est, eum qui abstrusa aliqua

aliqua scientiarum primum invenire conatur, per multas tum observationes, tum disquisitiones, disceptationes seu disputationes, rationum omnium accuratas ponderationes ac inter se collationes ad quietem genuinam demonstrationis & definitionis moveri ac contendere debere: eum verò qui γνῶσιν illa ab aliis inventa discere tentat, non temerè & magistraliter primo intuitu determinare ac judicare debere, sed judicium suum tantisper suspendere, donec rei scibilis sibi propositæ terminos apprehensivè cognoverit, & rationes additas probè examinârit, perspexerit, perceperit. Hoc ipsum est, quod Theologi & Philosophi in Scholis Christianis hactenus inculcârunt: improbantes maximè, quod adolescentes primum Academias ingressi tanquam omniscii & soli-ipsi ἀπείρως ἀλφηστεῖ, omnia à se non inventa, sibi tamen nec intellecta, nec degustata, nec visa fortiter contemnere & explodere præsumunt; quo fiet, ut plerique eorum evadant, quod studio affectârunt, tabulæ rasæ, in quibus nihil aut parum scribitur, & deletum jam est, si quid antea bene scriptum erat. *Resp.* 3. Triplices illæ rationes æque pro ignorantiæ & erroris necessitate adferri possunt, ac pro necessitate dubitationis propriè dictæ. Sed inde consectarium, pro affectatione & commendatione ignorantiæ aut erroris tanquam principii sciendi educi non debet: Ergo nec pro commendatione dubitationis propriè dictæ; prout in hâc controversiâ accipi debet. Nam de dubitatione illâ, quæ notat debitam disquisitionem in inveniendâ veritate aliquâ, aut suspensionem judicii in discendâ eâdem, aut æquipollet doctæ ignorantiæ nulla est controversia: sed tantum de eâ, quæ est habitus contingens menti humanæ inhærens, & quid permanens, ex quo dubitationes actuales, seu transeuntes actus homogenei eliciuntur. Dubitatio talis propriè ita dicta, supra à nobis definita fuit, & quidem secundam communem acceptionem *Theologorum & Philosophorum nostrorum*, imprimis cum disputant *de Conscientiâ dubiâ, & contra Pontificios de dubitatione Fidei, & de Habitibus mentis*, (ad quos reducunt opinionem, dubitationem, fidem humanam), deque *principiis, & certitudine scientiarum*, & in *Commentar. ad Rom.* 4. *vers.* . *Iacob.* 1. *vers.* 6. *Matth.* 28. *vers.* 17. *Luc.* 1. *vers.* 29. Quæ acceptio etiam vulgata est apud *Casuistas Pontificios, titt. de Fide, Conscientiâ, Dubitatione, &c.* & apud *Scholasticos ad Magistrum lib.* 3. *dist.* 17. & 25. & *ad Thomam part.* 3. *qu.* 27. *art.* 4. & *ad* 1. 2. *qu.* 57. *art.* 2. ad 22. *qu.* 2. *art.* 1. & *qu.* 4. *art.* 8. & *qu.* 11. *art.* 1. Sed dubitatio sic accepta toto cœlo distat à sequentibus sive laxè & impropriè, sive abusivè, dictis dubitationibus, 1. *à non temerè judicando* (juxta *Lucæ* 6. *vers.* 37.), hoc est, *suspendendo determinante & peremtorio judicio nostro, quando & quamdiu rem aliquam non satis percipimus, neque recordamur*

damur nos eam antea rectè percepisse, tantisper dum cognita nobis fuerit & explorata: idque eo fine, ut ad controversias accedentes mentem à præconceptis falsis opinionibus liberam adferamus, neque nos in errorem præcipitemus; sed rectà duntaxat judicia feramus. 2. Differt etiam à quæstionibus & erotematis, quæ *Catecheſis*, & *Catechetici Scriptores*, ut & *Theologi* ad exercitia diſputantium aut ad collegia examinantium per ſingulos *locos communes* diſcipulis proponere, iiſque ſolutiones & reſponſiones ſive ſcripto ſive vivâ voce addere ſolent. Neque enim requiritur ut ſemper reſponſiones explicantes & demonſtrantes una cum quæſtionibus ad exercitia diſputationum aut examinationum propoſitis, ſimul in lucem edantur: aliquando enim ſufficit, immo & plerumque ſufficere debebat, ut ad quæſtiones, in uſum diſcipulorum typis excuſas, quò à moleſtiâ deſcriptionis liberentur, Præceptor coram in actu diſputationis, & in Collegiis privatis examinantium reſpondeat, nec diſcipulis ſuis ad examina ac diſputationes ſuper dictis quæſtionibus ſe præparantibus, præſtantes Autores è manibus excutiat, ſed contra lectionem eorum ſeriò ipſis commendet, & vivâ voce ad præſtantiſſimos illos Autores manuducat, conceptus accuratos, & perſpicuos iis præformando. Quæſtionum ſeu Problematum, & Erotematum ejuſmodi uſum, meumque in illis edendis ad *priorem partem Theologiæ* conſilium ante annos aliquot *præfixâ Præfatione* aperui; & pluribus, ſi Deus volet, aliquando aperiam, ubi reſponſiones ad aliquot Problemata aliquoties vivâ voce in Collegiis privatis examinantium datas, & à diſcipulis nonnullis ſubinde exceptas evulgavero. 3. *Differt*, à diligenti inveſtigatione ſeu diſquiſitione, quæ per rationum utriuſque partis examen, & diſputationes ſcripto aut vivâ voce peragendas utiliſſimè inſtituitur; imprimis in rebus & quæſtionibus abſtruſis, difficilibus & maximè controverſis. 4. *Differt*, à ratiocinatione & diſcurſu, tum ſyllogiſtico ſeu illativo, tum ordinativo ſeu methodico; quo à noto ad ignoti cognitionem proceditur. 5. *Differt*, ab explicatione, ſolutione & ſublatione dubiorum ſeu dubitationum, quæ aut ab aliis mota ſunt ac moventur, & à nobis ex neceſſitate aliquâ ſolummodo repetuntur; aut à nobis ipſis per prolepſin innuuntur, ut diſcipulos noſtros ab iis liberemus, aut contra ea præſervemus ac præmuniamus: ſiquidem talia ab humani ingenii infirmitate, aut ab ἀκαιδευσία & inſtabilitate quorundam, aut à tentatione & ſuggeſtione carnis & diaboli oboriri poſſunt ac ſolent. 6. *Differt* ſpecialiſſimè à refutatione & ſolutione propoſitorum dubiorum, quæ certâ quâdam lege ac ſcientiâ (non-ſcientiâ) antiquorum & recentium Scepticorum, contra veritatem ac certitudinem ſcientiarum adferri ſolent. Hæc ita per ἀναπαφαλαίωσιν hic viſum denuò inculcare: ut videant Studioſi noſtri, me-

ram esse logomachiam & sciomachiam, quidquid pro admirando dubitationis quasi arcano, in scholis Christianis hactenus ignoto aut non admisso (scil.) tanquam medio ad scientiam utilissimo hactenus contra communem Scholam contenditur. Nullus enim Philosophus aut Theologus sex illa modo proposita negabit. *Sed excipient*, ergo commendanda, non culpanda fuisset methodus Philosophi alicujus recentis ejusque sectatorum; qui nullam aliam dubitationem intelligunt, quam quæ nunc explicata est, & quam ab omnibus Scholis probatam dixi. *Resp.* 1. Nolumus personali & Historicâ controversiâ Studiosis nostris, aliisque Lectoribus obstrepere: siquidem hoc tanti non est, & ab aliis abunde jam ostensum est, non posse periculosa & malè sonantia illius Philosophi sive dogmata sive dicta planè purgari, nisi id fiat eo affectu, quo *Thomas* subinde Aristotelem & Patres interpretatur, non ut senserunt & locuti sunt, sed ut sentire & loqui debuerunt, (uti memini alicubi *Cajetanum* sic respondere): aut eo candore, quo *Index expurgatorius Belgicus* Bertramum excogitato commento in meliorem sensum exponendum censet, uti hoc in Patribus fieri consuevit: aut denique eo modo, quo Davidici suum Davidem Georgium, & *Vorstius* cum Remonstrantibus horrida dicta in *libro de Deo* defendere aut excusare conatus est. Vide hanc purgationis methodum Davidicam in luce positam ab *Vbbone Emmio*; & Vorstianam à *Ministris Leovardiensibus in quæst. de Dei immensitate*; & ab eximio Philosopho *Eglisemmio* in eâdem, aliisque omnibus. *Resp.* 2. Quod ad sectatores Philosophi τοῦ Δεῖνα seu novi Pythagorę, certum est inter eos primum & celeberrimum, maximè ipsi laudatum, tanquam qui optimè novi Pithagoræ Philosophiam percepisset & Thesibus suis expressisset, apertè Scriptis editis tueri, nihil per lumen naturæ & rectam rationem in Physicâ certò posse cognosci, sed tantum probabiliter: eo quod sensus falli possint, & mens nostra æquè imaginariis ac veris afficiatur. Illi autem opinioni directè hujus nostræ Academiæ Professores, & ego inter eos, restiterunt: uti ex *Commentariolo Historico de novâ Philosophiâ* typis edito cuivis constare poterit. Illius sententiæ adversarios hâc in parte, si dubitationis zelotis, appellare nos libeat, fateor hoc verè dici, & nos opinioni illi etiamnum adversari, quam laudatus ille novo Pythagoræ Philosophus publicis scriptis etiamnum profitetur. Non est ergo quod ad personales & textuales super apicibus & voculis τοῦ δεῖνα contentiones quisquam hanc nostram Academiam pertrahat: cum ex *Commentariolo* anno 1645. edito in propatulo sit, quâ occasione & quo jure studiis suorum suæ curæ & institutioni commissorum consulere voluerit.

Posset hic quæri, an dubitationis Patroni satis inter se conveniant: alii enim

enim nullam aliam Pythagoræ suo dubitationem vindicant; quam quæ supra à nobis ex ipsorum scriptis proposita est. Alii philosophandi methodum, *quæ in solidam rectamque ac certam Dei, sui ipsius, rerumque aliarum notitiam hominem Philosophum deducat*, hanc præscribunt, *ut omnes res, quæ existere dicuntur in dubium vocet, vel potius* (N. B.) *neget*: donec scil. *aliqua certa veritas existentiam comprobârit*. An ergo à studiosis Academiam & studium Philosophicum ingredientibus, tota Theologia naturalis, & in eâ existentia, essentia, & attributa Dei tantisper neganda sunt, donec à principio illo Philosophico & primâ veritate (*cogito, ergo sum*) exorsi, alias omnes de Dei existentiâ, aliisque rebus demonstrationes porro moliantur, easque dictæ primę veritati, quâ rem aliquam esse firmiter & invictè probatur, necessariò superstruant? Sed de his, aliisque διαφερῶσι circa defensionem τοῦ Δεῖνα hyperaspistis ipsius & sectatoribus hujus methodi inter se transigendum relinquimus. Satis erit hâc vice uno hoc argumento ostendisse, quo cum contradictionis judicio apologeticus Pythagoræ instituatur.

Sit ergo *Resp.* 3.

Dubitatio (quæ ab omnibus Philosophis aut Theologis in Scholis commendatur atque inculcatur, in discendâ Theologiâ cum naturali tum Christianâ studiosis æque immo magis est necessaria, quàm in discendâ Philosophiâ), non est dubitatio doctrinâ aut praxi τοῦ Δεῖνα unicè commendata.

Sed dubitatio supra ab Hyperaspistis τοῦ Δεῖνα exposita ac descripta, eique sola ad justam ejusdem ab omni Scepticismi suspicione purgationem, tributa, est illa dubitatio, quę ab omnibus Philosophis & Theologis, &c. quęque in discendâ Theologiâ &c. est necessaria,

Ergo, dubitatio supra ab Hyperaspistis τοῦ Δεῖνα exposita ac descripta, eique sola &c. tributa, non est dubitatio illa doctrinâ & praxi τοῦ Δεῖνα unicè commendata.

Major propositio est omnium eorum, qui novam aut renovatam seu instauratam philosophandi methodum & dubitationem τοῦ Δεῖνα hactenus thesibus & libris editis defendere tentârunt. Pro duobus enim istis assertis acriter contendunt 1. *Assertum est:* à τῷ Δεῖνα methodum philosophandi & in eâ viam ac medium dubitationis, & principium primum seu primam veritatem (*cogito ergo sum*) aut primum inventam, aut Theologis & Philosophis in Scholis Christianis ante exortum τοῦ Δεῖνα sive ignotam, sive inusitatam novè dias in luminis oras ex tenebris eductam atque instauratam. Cui methodo in Scholis absurdè & injustè reclametur à Theologis &

gis & Philosophis communiter glebæ suæ, hoc est consuetudini, autoritati humanæ, Præceptorum suorum traditionibus ac dictatis affixi. 2. *Assertum est*, τὸ Δεῖνα, cum suis excipere & eximere à laudatâ illâ dubitatione tanquam medio dextrè philosophandi & inveniendæ veritatis ac certitudinis veritates Theologicas; seu, ut verbis ipsorum utar, dubitationem τὸ Δεῖνα *nullo modo pertinere ad res Fidei & Religionis*. Hinc calumniæ & cavillationis, & nescio cujus non dica scribitur omnibus Antagonistis τὸ Δεῖνα, qui dubitationem ipsius urgent absurdis à dubitatione circa veritates Theologicas aut circa fidem desumptis: quasi scil. ille universalem de omnibus, nominatim de rebus fidei dubitationem tanquam necessariam commendasset; & non potius exsertis verbis contrarium professus esset.

Minor propositio, probatur per partes. *Prior pars* prædicati probatur inductione: Quia Philosophi & Theologi in Scholis Belgii fœderati, qui novam methodum τὸ Δεῖνα hactenus aut rejecerunt, aut susque deque habuerunt, aut non defenderunt, quam maximè probant, Apologistarum τὸ Δεῖνα dubitationem ut eam nunc exponunt & variis argumentis ex parte docentium, discentium, & rerum cognoscendarum desumptis usque ad numerum 25. additis etiam testimoniis Autorum, tum veterum, tum recentiorum, defendunt. Nec tantum probant, sed insuper eam adhibent, & perpetuo discipulis suis inculcant; ne scil. videantur sibi omniscii, soli-scii, & ne evadant in μωροσόφους ignorantes, desultorios, Pythagoricos, fastidiosos, calumniatores eorum quæ ignorant, Scepticos semper dubitantes & nunquam ad cognitionem veritatis pervenientes. Hoc constat ex ipsorum *Lectionibus*, *Thesibus*, *Scriptis*. Idem affirmo de aliis Theologis nostris & Philosophis extra Belgium: nec potest dari dissimile exemplum. Et mox in probatione secundi membri illud patebit ex enumeratis 25. defensionibus.

Posterius membrum minoris probatur; Quia universa illa methodus dubitandi, seu dubitatio (quam ipsis ita appellare libet) ut eam nunc exponunt, & suo τῷ Δεῖνα adæquatè sine additione aut detractione applicatam velint, illa, inquam, tota tota quanta est, æquè necessariò adhibenda est, immo multò magis, omnibus studiosis Theologiæ Scholam Theologicam ingredientibus in discendâ verâ Theologiâ, rebusque ad fidem Christianam pertinentibus. Addo in verâ fide & religione inter tot sectas & errores capessendâ, omnibus idiotis huic methodo insistendum, juxta 1. Thessal. 5. *Omnia probate, quod bonum est tenete.* 1. Johan. 4. *Probate spiritus, an ex Deo sint.* 1. Corinth. 10. *Judicate vos quod dico.* Philipp. 1. vers. 10. εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα. Quin magnum Ecclesiæ nostræ lumen Mornæus Plessiaci dominus, in Paræneſi

ad

ad Judæos non veretur eos ita alloqui: *An nondum tempus est, ut incipiatis dubitare? non sanè de Dei promissis, &c. sed de vestrâ interpretatione, de vestro sensu, &c. ut in hâc dubitatione causam hanc Sacrâ Scripturâ finiatis seu determinetis.* Atque hic quidem dictæ explorationis & probationis, quam ἀκυρολόγως dubitationem vocant, usus in fide generali. In fidei specialis seu applicationis fiducialis actu reflexo, & judicio conscientiæ de suis actibus ad jus Dei relatis, non minorem ejus usum esse, docent *Theologi*, cum agunt *de examine conscientiæ, de proprii cordis deceptione, de subtili & formali hypocrisi, de seriâ & frequente exploratione status nostri, de probatione nostri ipsius, deque totâ semeioticâ spirituali.* Conferatur *Amesius de Casibus conscientiæ lib. 2.* Et *Autores* à nobis *indicati in Disp. de Simplicitate & Hypocrisi, & de praxi Fidei; & Commentar. ad Ierem. 17. vers. 9. 2. Corinth. 13. vers. 5. Iacob. 1. vers. 26. Zephan. 2. vers. 1.* Sed his nunc missis ostendamus ad oculum quod intendimus, Theologis sc. & Theologiæ studiosis in primo ad theologizandum accessu dictam illam seu catachrestícam dubitationem in discendis veritatibus Theologiæ naturalis primariò ex solidâ demonstratione Scripturariâ, secundariò ex demonstratione luminis naturalis & rectę rationis; & in discendis veritatibus Theologiæ supernaturalis ex solâ demonstratione scripturariâ, esse ęquè, immò multò magis necessariam: quod periculosius hìc, quam in Philosophicis à Theologiâ distinctis, erretur, & hostes nostri diabolus, caro, & mundus nos hìc magis oppugnent. Debent ergo omnes Theologi & Theologiæ studiosi, 1. ad controversias Theologicas accedentes mentem à præconceptis falsis opinionibus liberam adferre, neque in errorem se præcipitare. 2. Non debent secundum verba Christi, *Luc. 6. vers. 37.* temerè judicare. 3. Dubitatio ipsorum non debet esse oblivio eorum, quæ cognoverunt. 4. Non debet eadem abolitio esse simplicium notionum, quæ sunt in animâ. 5. Dubitando non debent affirmare falsa, aut negare vera. 6. Dubitatio ipsorum non debet includere ignorantiam rudem & crassam, sed quodammodo eruditam, & sui conscia, quæ primus ad scientiam gradus est. 7. *Quia* nonnisi gradatim & paulatim seu successivè itur ad scientiam Theologicam. 8. *Quia* Theologia est argumentativa, neque possunt Theologiæ studiosi ad ullius conclusionis scientiam pervenire nisi ratiocinando. Vide *part. 1. Disp. select. tit. de Ratione humanâ in rebus fidei.* Nec Theologiæ studiosum facere debemus aut bestiam omni judicio destitutam; aut talem, qui simplici intuitu res Theologicas intelligat. 9. *Quia* contra rectæ rationis regulam est, de re aliquâ judicare quam nondum percepimus, & contra conclusionem aliquid velle inferre, antequam quæstio proposita, aut medius terminus repertus fuerit. Hæc omnia Logicè & secundum rationis præscriptum theologizantibus impossibilia sunt. Et

Et nemo theologizantium tam felicis ingenii est, ut abstrusarum rerum veritatem inveniat, priusquam quæsiverit; & ut certus sit, antequam dubitaverit; & omnia sciat antequam quidquam ignoraverit. 10. *Quia* mora adhibenda est in inquirendis & examinandis iis, quæ in Theologiâ proponuntur: quia non possunt res majoris momenti & maximè controversæ in Theologiâ primo intuitu ita percipi. Itaque actu inquisitionis & examinis præparatorio solius veritatis investigandæ gratiâ suscepto opus est, ad rem propositam attendendum est, difficultates omnes circumspiciendæ, argumenta in utramque partem ventilanda, donec veram ac certam sententiam inveniamus. 11. *Quia* Catecheses Religionis quæstionibus suis non tantum dubitationes, sed subinde rationes dubitandi proponunt. 12. *Quia* dubitatio (ita dicta) non suscipitur temerè, seu absque ratione & causa; nuda tamen est sine assensu aut dissensu. 13. *Quia* quod differtur non aufertur: dubitatio ergo illa, quæ in quæstionibus Theologiæ arduis & difficilibus non aufert, sed differt judicium, donec eas perceperit, non potest jure reprehendi. 14. *Quia* talis dubitatio Theologorum brevis est; nec ulla dubia ab illis proferuntur, quæ eodem tractatu ilico non tollantur ac refutentur: ut neque in Catechesi quæstio ulla proponitur, quam subsequens responsio non statim solvat. 15. *Quia* non tenemur semper de omnibus quæstionibus Theologicis judicare, & controversias de iis propositas decidere: quia præter praxin & exercitia pietatis multa alia in Theologiâ textuali, Didacticâ, Practicâ sunt discenda, quæ differri non possunt: è contrario quęstiones aliquot difficiliores, immo & totius Theologiæ Elencticæ studium sæpe commodius differri potest. 16. *Quia* si sint, qui nunquam controversias Theologicas attingere curant: non sunt culpandi, aut saltem minus culpandi sunt, qui in Theologicis controversiis judicium suspendunt aliquantisper propter difficultatem in judicando retardati. 17. *Quia* dum huic theologizandi rationi assuescunt studiosi Theologiæ, præcipitantiam in judicando cavere discunt, prudentes ac circumspecti evadunt, non proclives sunt ad cito judicandum, multò minus inauditâ causâ in conventibus & judiciis Ecclesiasticis, in quibus aliquando partem facient, ad condemnandum properabunt. Hæc enim regula perpetuo in theologizando studiosis inculcatur & inculcanda est, ne temerè & præpropere judicium ferant, sed cohibeant animi impetum, donec rem debitâ cum *attentione* ad rectæ rationis trutinam ponderaverint. 18. *Quia* in τοῖς γνώσεις de Dei naturâ, attributis, personis, decretis, providentiâ, de Christi personâ & officiis, &c. certitudo & invictæ demonstrationes requiruntur: in agendis quandoque probabilia argumenta sufficiunt. 19. *Quia* Politici statuunt, ante judicium

à præ-

à præconceptis opinionibus animum esse muniendum, utramque partem in judicio audiendam, præcipitantiam sententiæ fugiendam. Idem in studio controversiarum Theologicarum observandum. 20. *Quia* dum quærunt Philosophi an ulla detur naturalis luminis certitudo, an detur scientia inter homines omni falsitatis suspicione carens, an sensus principia sint cognoscendi satis firma, &c. omnia illa solum intellecta volunt in ordine ad nudam contemplationem rerum Philosophicam, neutiquam verò in ordine ad vitam agendam & praxin, quasi in rebus agendis velint diffidere sensibus, ac dubitare, utrum somniemus an vigilemus, an habeamus manus & pedes, nec ne, &c. Sic nonnemo ex Hyperaspistis Δεῖπα. Nos idem dicimus de Theologis, dum quærunt, An detur cognitio Dei naturalis, An Deus sit unus, infinitus, immutabilis, trinus personis, an sit Dei providentia, & an ea se extendat ad omnia etiam minima, mala, &c. An Scriptura habeat autoritatem divinam, an sit necessaria fidei & vitæ regula, an religio Christiana sit vera, an per eam solam homines salventur, an animæ etiam impiorum post mortem supersint, an omnis actio humana moraliter sit bona aut mala, An motus primò primi sint peccata, an renovata praxis fidei & resipiscentiæ, an assidua attentio ad conscientiam sit necessaria, An & cur necessaria sit precatio, An sortibus ludicris fallendi temporis causâ sit utendum, an vectigalia sint fraudanda; an encænia, bacchanalia, Martinalia, festa trium (ut vocant) regum sint celebranda, &c. 21. *Quia* Theologi non proferunt dubitationes à se primum inventas atque excogitatas; sed dudum à Scepticis (addo, ab omnibus hæreticis ac fanaticis) decantatas, & quas præterire Theologus non potest; quod antequam adversarii sententiam ut falsam damnemus, audire oporteat omnia ejus argumenta præcipua, neque ullum eorum dissimulemus. 22. *Quia* Theologi nullas dubitationes proponunt aut urgent in ordine ad seipsos, quasi accedentes ad Theologiam adeo omnes sint dubii atque incerti: sed tantum in ordine ad adversarios Scepticos, Atheos, infideles, hæreticos. Ab horum impetu Theologia nulla, quam tali dubitativâ methodo liberari potest. Ac proinde qui hoc more non theologizant, ad omnis dubii expertem certitudinem non promoventur. 23. *Quia*, requisita hæc dubitatio non spectat ad Theologum, qui firma jam Theologicæ cognitionis supernaturalis ex Scripturâ, naturalis ex Scripturâ & ratione naturali fundamenta jecit, quasi ea deberet in dubium revocare aut rejicere: verum ad illum duntaxat, qui fundamenta ejusmodi nondum posuit, quique assensum cohibere tenetur in illis, in quibus nec conclusionem ullam, quatenus est conclusio, neque principia quatenus sunt principia, hactenus dijudicasse præsumantur.

24. *Quia*

24. *Quia* utilis est historica cognitio illorum argumentorum, quibus non pauca Atheorum, Scepticorum, infidelium, hæreticorum subtilia ingenia adducta fuere, ut veram fidem & Theologiam sive in totum sive ex parte incertam aut falsam existimarent. 25. *Quia*, defensio dubitationis nostræ sub ingressum Theologiæ sive naturalis sive Christianę inde petitur, quod utraque Theologia cum admiratione cœperit, quodque admiratio illa cum dubitatione conjuncta sit. De Philosophiâ suâ testantur *Aristoteles lib. 1. Metaph. cap. 2. Plato in Theæteto*: prior, quod admirans cum dubitatione *existimet se planè ignorare*; Posterior Philosophis usu venire, ut admirentur; nec aliud esse *præter hoc Philosophiæ* principium. Quibus efficitur, reprehensores talis dubitationis, aut nunquam theologizasse, aut pariter damnandos esse. 26. *Quia* dubitatio hæc generalis nihil aliud est, quam universalis quædam recognitio eorum quæ ineunte ætate & juvenilium annorum tempore judicavimus; ut animadvertentes quæ rectè judicata quæ secus, alia quidem assumamus in theologizando, alia rejiciamus. Quomodo maturâ ratione prædiți relegere solemus epistolas aut orationes jam tum à nobis conscriptas, ut calami vel etiam judicii lapsus corrigamus; & quomodo Augustinus aliique magni viri retractârunt sententias, quas publici juris fecerant. Atque hæ rationes, quibus dubitatio Philosophi Σ Δεῖνα anno 1653. à nonnemine & formaliter & eminenter (ita loquar) defensa videtur. Nos eas omnes aut directè, aut analogicè discentiæ & studio Theologiæ tum naturalis, tum Christianæ, examussim applicuimus; atque in eâ explicatam & defensam illam dubitationem æque immo magis aut necessariam aut utilem esse ostendimus. Sed quid hoc ostendere satagimus? cum ipsi illi defensores asserant eandem dubitationem non tantum studiosis Theologiæ in studii Theologici initio, sed & omnibus idiotis ac catechumenis in catechizatione, hoc est, in docendis & discendis fidei Christianæ elementis esse utilem: hoc scil. arguunt formulæ Catechesios per quæstiones & responsiones tum scripto tum vivâ voce proponi solitæ. Apologiam decantatæ dubitationis à Catechesi petitam habet *Disputatio de dubitatione Philosophicâ ex Iure & Politicis potissimum defendendâ, anno 1653. 20. Decembr. thesi 14. & 17.* quæ continent defens. 9. & 12. Cum quibus junge, quæ *Corollaria dicta Disp.* excerpta exhibent ex *Bezæ epist. dedicator. ad librum quæstionum & responsionum Christianarum*, & ex *Perkinsi tract. de Imaginationibus cordis humani*: ad quę mox respondebimus. Alius quis ex Sectatoribus Σ Δεῖνα (quem κατ' ἐξοχὴν Philosophum nominat) in disp. de Philosophiâ anno 1654. 17. Julii, thesi 17. sic ait: *tantum abest, ut methodus hæc* (dubitantia scil. τῦ Δεῖνα) *viam sternat ad Scepticismum, ut*

nulla

nulla alia ad veritatem inveniendam superſit. Et theſi 18. immediatè ſubjungit: *Nec aliter credo explicari S. Scripturæ loca ad* 1. Theſſal. 5. verſ. 21. 1. Joh. 4. verſ. 1. Actor. 17. verſ. 11. *Nec alium eſſe hujus effati ſenſum, de omnibus ſemel in vitâ dubitandum, ſive ut Servius loquitur in Æneid. 9. ad hæc verba*, percipe porro quid dubitem, &c. *omnis dubitatus in cogitatione eſt ante ſententiam, & quod Ariſt. docet Metaph. lib. 2. cap. 6.* Unde invictè & evidenter probatur, dubitationem quam ceruſſâ & purpuriſſo ſuo apologetici τὸ Δεῖνα pingunt & tantopere commendant tanquam eximium immo unicum veritatis inveniendę & diſcendæ medium adoleſcentibus in ingreſſu Academiæ & ſtudii Philoſophici neceſſarium, pariter immo majori ratione extendi ad omnes idiotas in initio & in curſu diſcendæ Catecheſios ac fidei Chriſtianæ, adeoque omnibus illis perpetuò à Catechiſtis, verbi Miniſtris, Theologiæ Profeſſoribus perpetuò inculcandum ac commendandum. Atqui dubitatio intenta, habita, exercita, commendata à τὸ δεῖνα, ab hâc fucatâ longè alia eſt: quippe quę ſiquidem proteſtationi τῷ Δεῖνα fides adhibenda, non admittitur, nec commendatur in rebus fidei, quæ principio unico divinæ revelationis nituntur. Magiſtro ſuccinit, hyperaſpiſtes ejus in *Diſp.* 1653. 16. Decembr. modo cit. *theſi* 25. Hinc ſequitur 18. defenſio, quâ ſpeciatim aſſerimus, dubitationem noſtram (τὸ δεῖνα ſcil. & Scholæ ejuſdem) utpote merè Philoſophicam *ad res Fidei & Religionis* (v. g. an detur Sacra Scriptura? an ei tanquam divinæ credendum? &c.) *nullo modo pertinere: ſed tantum ad res, quæ ex naturæ lumine cognoſcuntur in Philoſophiâ. Ita quidem, ut illa quæ utroque lumine cognoſcuntur* (naturæ & revelationis) *pro certis atque indubitatis habeamus, quatenus à ſole divinæ revelationis deteguntur, at examinemus, an eadem quoque beneficio reliquarum in naturâ ſtellarum poſſint à nobis videri.* Theſi 21. & 23. magis contrahit laudatę dubitationis terminos, dicendo, dubitationem ſuam, quæ ab adverſariis *tanquam nimis generalis & vehemens exagitatur, pertinere ad res Metaphyſicas, & tantum ad contemplationem rerum, non verò ad res in vitâ agendas. Nimirum, dum quærimus, An ulla detur naturalis luminis certitudo, an detur ſcientia inter homines omni falſitatis ſuſpicione carens, an ſenſus principia cognoſcendi ſint ſatis firma, &c.* Hæc aliaque ad has ſimileſque Sectatorum τὸ δεῖνα Apologias pertinentia, an candidè & ſtudio veritatis ſine proſopolepſiâ, contradictione, & ἀμετρίᾳ τῆ ἀνθολκῆς, dicantur, ſcribantur, atque unà omnibus Scholarum reformatarum Theologis & Philoſophis non Pythagorizantibus meræ fidei atque autoritatis humanæ, conſuetudinis, & præjudicii iners atque improba ſervitus imponatur, hæc, inquam, æquis & prudentibus Lectoribus expendenda relinquo. Ne autem ἀπαίδευτοι & incauti adoleſcentes ſtudio Theologico ali-

quando applicandi, allatis Scripturę & Theologorum noſtrorum teſtimoniis, præjudicio aliquo occupentur, non pigebit in tranſitu ad illa reſpondere. Sit ergo *VI. Object.* 1. *Theſſal.* 5. *verſ.* 21. 1. *Ioh.* 4. *verſ.* 1. *Actor.* 17. *v.* 11. *Reſp.* ad duo priora, ibi agi de diſcernendis erroribus & hæreſibus à verâ fide: atqui res fidei à controverſâ hic dubitatione planè ſubmovent & excipiunt adverſarii. Nihil ergo hi textus ad rem: niſi ex iis argumentari velint à minori ad majus, hoc modo: Si Spiritus Sanctus præcipit nobis dubitationem in rebus fidei, multò magis commendanda eſt in rebus Philoſophicis ſolo naturę lumine cognoſcendis. 2. *Nulla* hic mentio dubitationis, ſed δοκιμασίας, hoc eſt, probationis, explorationis, dijudicationis, diſcretionis, ἀνακρίσεως, κρίσεως, uti 1. *Cor.* 2. *verſ.* 15. & 10. *verſ.* 15. *Rom.* 2. *verſ.* 18. ubi γινώσκειν τὸ θέλημα (ſcil. Dei) & δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα conjunguntur: verum enim qui diſcit, unà à falſo illud, ſi non ſemper explicitè ſaltem implicitè, diſcernit, illi aſſentiendo, hoc negando & rejiciendo. Pendet enim negatio ab affirmatione, & rectum eſt index ſui & obliqui. Cum verò Scriptura dubitationem deſignat, non adhibet phraſes ſibi aliàs frequentatas δοκιμάζειν, ζητεῖν, ἐρωτᾶν, ἐπερωτᾶν, πειράζειν, ἐρευνᾶν, ἐπιγινώσκειν, &c. ſed διακρίνειν, *Matth.* 14. 31. & 28. 17. ἀπορεῖσθαι *Iohan.* 13. 22. *Actor.* 25. 20. 2. *Corinth.* 4. 8. *Galat.* 4. 20. διαπορεῖν *Luc.* 9. 7. & 24. 4. *Actor.* 2. 12. & 5. 24. & 10. 17. διαλογίζεσθαι *Iacob.* 1. *verſ.* 6. *Rom.* 4. 20. & 14. 23. quod verbum in Novo Teſtamento non tantum *ambigere, dubitare*, ſed etiam & plerumque τὸ *judicare, diſcernere, diſceptare, diſputare, certare*, ſignificat: *Reſp.* 2. ad locum *Actor.* 17. *v.* 11. laudantur Beroenſes, non quod dubitarent, ſed quod *reciperent* Pauli prædicationem *cum omni promptitudine*, & Scripturas ſcrutarentur ac conferrent cum prædicatione Pauli ad fidei & cognitionis ſalutaris majorem in animo ſuo confirmationem ac πληροφορίαν. Jam verò ſtatim verbum amplecti (uti *Beza in notis* exponit) & Scripturas ſcrutari, atque addere ſcientiam ſcientiæ, medioque divinitus ordinato uti ad magis roborandam fidem, eſt ire de virtute in virtutem, de fide ad fidem, non vero divertere ad vitia dubitationis aut infidelitatis, quæ virtuti fidei in Scripturâ ſemper opponuntur; ut videre eſt *Iacobi* 1. *verſ.* 6. *Rom.* 4. *verſ.* 20. Nec quicquam pro Helenâ dubitationis exſculpi poteſt ex phraſi, *An hæc ita ſe haberent.* Eâ enim minimè innuitur, τὸ κεκριμένον ſeu quæſtionem, *An ſit*, toto illo tempore, quo Paulus prædicabat & Beröenſes ſcrutabantur Scripturas, manſiſſe apud illos eodem in ſtatu, & animos eorum fuiſſe, quod ad elementa & myſteria fidei tanquam raſas tabulas, ipſoſque ſimiles columbæ Noachicæ inter cœlum & terram volantis, nuſquam conſiſtentis. Quaſi ſcil. veri fideles, qui uſque ad finem vitæ nocte ac die meditari

meditari debent in lege Domini *Psal.* 1. ad confirmandam & augendam fidem suam circa omnes etiam maximè fundamentales articulos; eo ipso sint ac debeant esse meri dubitantii, ab omni assensu fidei vacui. Et quid fiet nostris Concionibus, ac Catechizationibus, ubi τὸ *An sit* antiquę veritatis de novo semper proponitur, & auditores ad Scripturæ collationem ac scrutationem amandantur, ut videant: An ista ita se habeant? An ergo Concionatores assensum omnem fidei prohibent, & prævìam dubitationem pręscribunt? An omnia hactenus audita, lecta, credita, negare docent? *Resp.* 3. Hæc & similia Scripturę dicta ad hanc controversiam de dubitatione absurdè admodum trahuntur: quia Scriptura in rebus ad fidem & conscientiam spectantibus nusquam dubitationem, fluctuationem, instabilitatem, ignorantiam, ἀναισθησίαν, neutralitatem præscribit, nec divinæ gratię eam adscribit, nec à Deo eam petere docet, aut pro eâdem ejusque incremento gratias agere: sed contra præscribit πληροφορίαν *Rom.* 14. *vers.* 5. ἐδραιότητα 1. *Corinth.* 15. *vers.* 50. βεβαιότητος *Philipp.* 1. *vers.* 7. *Coloss.* 2. *vers.* 7. ὑπόστασιν *Hebr.* 11. *vers.* 1. τὸ ἡρίζειν. *Rom.* 1. *vers.* 11. & 16. *vers.* 25. 1. *Thessal.* 3. *vers.* 2. 13. 1. *Petr.* 5. *vers.* 10. 2. *Petr.* 1. *vers.* 12. τὸ ἀσφαλες, *Actor.* 2. *vers.* 36. τὸ ἀμετακίνητον & μὴ μετακινεῖσθαι 1. *Corinth.* 15. *vers.* 58. *Coloss.* 1. *vers.* 23. & τὸ ἐπαγωνίζεσθαι, pro fide, *Iud. vers.* 3. pariter munit contra seductiones τῷ μὴ σαλευθῆναι, μὴ θροεῖσθαι 2. *Thessal.* 2. *vers.* 2. & improbat τὸ ἀστήρικτον & ἀκαταστάτους 2. *Petr.* 3. *vers.* 16. *Iacobi* 1. *vers.* 7. Dicta illa dona gratię Dei adscribit, earumque incrementa à Deo petere, & pro iisdem gratias agere docet: uti de singulis hìc ostendi posset, nisi apud omnes in confesso esset. Quod si tam ineptè ex Scripturis Philosopho theologizantes, ἀκρισίαν & contradictionem suam hìc agnoscere nolint, ægrè non ferent, si eos invadendæ & paulatim transformandæ fidei ac Theologiæ, prætextu libertatis philosophandi, suspectos habeamus: quidquid aliàs protestentur, se dubitationem & novam suam methodum ad res fidei nullo modo velle extendi. Præterquam quod Magistrales Scripturę interpretationes, invito universali Christianismo, adhęc periculosè interpolata & ad novam Philosophiam adaptata de Deo ejusque attributis theologemata, aliaque ab aliis jam observata nos μεθόδῳ & μεθοδείας Conradi Vorstii & Remonstrantium oblivisci non sinunt. Parvus error in principio fit magnus in fine. Ergo princi-
„piis obstandum. *VII. Object.* Ut ratio certa constet, omnino *dubitan-*
„*dum* primo est de rebus etiam per se certissimis. Velut enim se habet i-
„psa ὑπομονὴ *exspectatio cum tolerantia*, ad τὴν δοκιμὴν *experientiam*,
„Rom. 5. vers. 4. ita se habet *dubitatio* prævia ad *indubitatam rationem.* Ita nonnemo in disp. cui tit. *Quod dubitatio sit via ad Philosophiam neces-*

ſaria. anno 1646. 19. Novembr. *Reſp.* 1. Notamus hic tum concluſionem ſeu theſin, tum rationes nihil aliud videri ſonare, quam in genere de omnibus γνώσεις prius eſſe dubitandum. Quod an abſolutè de creaturâ rationali in quocunque ſtatu intelligi velint, creationis ſcil. ſeu integritatis, lapſus ſeu corruptionis, viæ, termini, amplius & candidè declarandum eſſet. Intellectio per compoſitionem & diviſionem, & per diſcurſum homini competit in ſtatu integritatis, lapſus, reſtitutionis. Intellectio per diſtinctos, diſcretos & ſucceſſivos conceptus competit angelis & hominibus quà talibus, in quocunque ſtatu: quia ſolus Deus uno mentis in actu ſimul & ſemel omnia intelligit. Sed an de dubitatione circa res fidei dici velint Patroni ejus, quod homini in ſtatu quocunque, an vero tantum in ſtatu lapſus & reſtitutionis ſeu in hâc vitâ ſit neceſſaria tanquam medium per ſe requiſitum ad ſcientiam, ipſi aliquando, ubi ita viſum fuerit, explicabunt. Hic modo notandum, hyperaſpiſtas τὸ δεῖνα videri nobis adverſis frontibus concurrere: alii enim magiſtrum exponunt de univerſali, de omnibus etiam certiſſimis dubitatione: alii ad Philoſophica reſtringunt lumine naturali cognoſcibilia: alii ad ſolam Philoſophiæ partem contemplativam, Phyſicam ſcil. potiſſimum; Metaphyſicam. Sunt qui ad momentum ſeu breviſſimum tempus eam tantum concedunt, quantum ſcil. in examine & conſideratione propoſitæ quæſtionis & argumenti, & ad eam reſponſione requiritur: alii aſſenſus omnis vacuitatem aut etiam negationem omnium tamdiu neceſſariam eſſe ſtatuunt, donec quis certa principia invenerit, &c.: Alii cum Magiſtro ſtatuunt omnia quæ ante cognovimus aut didicimus eſſe ſimul & ſemel neganda: alii contra negant eſſe neganda, aut oblivioni tradenda. *Reſp.* 2. Si quod adfertur ex *Rom.* 5. *v.* 4. tantum ſimile eſt ad declarandum, tranſmittimus: ſin argumentum ex loco comparatorum à ſimili aut à pari, hoc modo formatum: Ut ſe habet ὑπομονὴ ad τὸν δοκιμὸν, ſic ſe habet dubitatio ad ſcientiam. Sed ὑπομονὴ ad δοκιμὸν, ſe habet, ut cauſa ejus per ſe & abſolutè neceſſaria, &c. *Ergo. Neg. conſequentia.* Ratio eſt, *quia* ὑπομονὴ eſt perfectio aliqua & bonum per ſe, quippe eximia & peculiaris virtus fidelium ſecundum Scripturas & communem Theologiam: dubitatio non eſt, niſi πήρωμα, defectus, miſeria, & malum ſive turpe ſive triſte, quale etiam omnis ignorantia, tum privativa, tum contraria. *Quia* illa à Deo in Scripturis mandata & ſummopere commendata, ſemperque à fidelibus affectanda eſt: de iſtâ nihil tale in Scripturis comparet. *Quia* illa tanquam cauſa per ſe ſemper (cum ſcil. eſt cauſa actu) operatur ac producit δοκιμὸν experientiam; iſta vero nec eſt cauſa ſcientiæ per ſe, non magis quam ignorantia aut error: nec ſemper ubi mentes hominum occupat, operatur certam ſolidamque

damque scientiam, sive per se, sive per accidens; sed non rarò, si non plerumque aut semper affectatam ignorantiam, errorem, negligentiam, φιλονεικίαν, solidæ ac necessariæ scientiæ fastidium & contemtum; breviter aut superbiam & αὐθάδειαν, si non omniscium, saltem multi-sciam ac soli-sciam, aut pusillanimitatem, & desperationem ad scientiam perveniendi. Experientia optima omnium magistra cum tempore docebit, & jam do-
„cere cœpit. *VIII. Object.* Augustinus Retract. lib. 1. cap. 1. *Contra*
„ *Academicos vel de Academicis primum scripsi, ut argumenta eorum, quæ*
„ *multis ingerunt veri inveniendi desperationem, &c. amoverem.* Ergo etiam
„ bene facit Philosophus, quod primum scribit contra ejusmodi homines
„ qui de omnibus dubitant, ac de vero inveniendo desperant. Hos autem
„ satis refellere nemo potest, qui non ante eorum dubitandi rationes a-
„ pud animum suum expenderit. Atque ita initio dubitandum est. Sic *Disp. de dubitat. Philosoph.* anno 1653. 20. Decembr. *Corollarium* 1. *Resp.* 1. Mutatur status controversiæ: quia quæstio est de dubitatione assumendâ & affectandâ à studiosis in Academiæ & studii Philosophici ingressu, idque tamdiu donec certa principia invenerint: non vero de refutatione Scepticorum à Doctoribus Philosophis aut Theologis exemplo Augustini ex professo suscipiendâ & scribendâ. *Resp.* 2. Consequentia negatur: nititur enim hâc ratione, Nemo rationes aliorum pro dubitatione Scepticorum & Academicorum allatas satis refellere potest, nisi ipse prius formaliter dubitet. Quid absurdius dici potest? Ergone Augustinus tantisper erat formaliter dubitantius Scepticus, Phanaticus, furens, dum eorum Scepticismos, Phanatismos, furores considerans apprehenderet, examinaret, dijudicaret, refutaret? Ergo nemo errorem cujuscunq; hæretici aut heterodoxi ritè refutat, nisi errorem eundem erret? Nemo sophisma detegit aut solvit, nisi prius sophistam agat? Quot erroribus & sophismatis mentem pictam habebunt Scriptores Theologiæ elenchicæ? Quasi nemo cœcum curare posset, nisi ipse ante actum curationis aut in ipso actu cœcitatem affectet atque induat, aut saltem oculos claudat. Nemone ergo ex Theologiâ naturali Atheismum aut Epicureismum, aut Deismum, hodiernorum Atheorum rationesque eorum expendet & refellet, nisi prius de Dei existentiâ, potentiâ, providentiâ, totâque Theologiâ naturali, & solidis rationibus, quas hactenus certo tenuit, dubitet, omnique assensui suo seu iis, quæ clarè ac distinctè hactenus percepit, volens ac sciens renuntiet, saltem pro illo tempore? Ergone tabula bene conscripta debebit radi? Quis sanus & sobrius, ne dicam quis fidelis & pius examen & elenchum Academicorum, aut Scepticorum, aut Atheorum, suscipere auderet, siquidem exemplo Augustini

tantisper (uti fingitur) in Parnasso dubitantium cum dubitantibus & dubitationum Patronis somniandum esset, donec auxilio illius somnii ritè evigilaret, ut hâc methodo alios somniantes excitet; simile scil. simili, homogeneum homogeneo, pellendo. Sed pudet pigetque consequentiæ hujus τὸ ἄτοπον pluribus persequi. *IX. Object.* Ab autoritate Bezę in Epist. dedicator. libr. quæstionum & responsionum Christianarum ad Joh. Calvinum: *In hâc humani judicii imbecillitate judico dubitare de rebus necessariis & utilibus non tantum licere, verum etiam oportere, modo eorum similes non simus, quos dicere consuevi semper quærere ut nunquam inveniant. Resp.* 1. Τὸ dubitare Bezæ idem est quod *quærere* aut *inquirere*. Probatur *Primo* quia hoc innuunt verba sequentia, *semper quærere ut nunquam inveniant*, collata cum verbis præcedentibus, *Causam huic scriptioni partim præbuerunt amici dum varia* percunctantur, *partim ipsemet de multis* dubitando velut accersivi. *Etsi enim illa Academicorum* ἀκαταληψία *nostræ persuasioni ex diametro repugnans ex Ecclesiâ prorsus explodenda, & inanis* curiositas *valde reprehendenda.* Et rursum cum verbis sequentibus: *Hunc igitur & in quærendo & in respondendo modum an satis servârim, tu pro acerrimo tuo judicio æstimabis. Secundò*, quia ipse titulus libelli procul habere jubet eam dubitationem, quam in Philosophis & Philosophiæ studiosis novi methodici requirunt & tanquam unicum ac necessarium scientiæ medium commendant. Sic enim habet titulus: *Quæstionum & responsionum Christianarum libellus. In quo præcipua Christianæ religionis capita* κατ' ἐπιτομὴν *proponuntur.* Quis sanus dicet Bezam anno 1570. hoc est, anno ætatis 52. Theologiam tot annis professum & scriptis editis nominatim editâ fidei confessione, celebrem de capitibus religionis Christianę & quidem studio atque ex professo dubitasse, hoc est, neutri contradictionis parti assensisse? hæc enim est dubitationis panacæa à novis methodicis tantopere commendata. Quod si dicatur, Bezam sic dubitasse, & talem dubitationem verbis ex ipso citatis commendasse, quæro an tunc Theologiam suam & fidem atque assensum Christianorum dogmatum & ante scriptionem libelli & in scriptione ejusdem deposuerit, tantisper donec quæstiones ab aliis oblatas autà se motas satis perpendisset, rationes in utramque partem examinasset, & responsiones ad propositas quęstiones edolasset. Breviter ut tantisper esset sine fide, assensu, cognitione Theologicâ, consequenter sine speciali assensu & applicatione fiduciali promissionum Euangelii. *Resp.* 2. Cum *Bezæ quæstiones de capitibus Christianæ religionis* advocant ad inclytam suam dubitationem probandam, velim cogitent quam bene hoc conveniat cum protestatione, de non extendendâ hâc dubitatione ad res fidei; & an non meritò suspicari liceat, hanc dubitationis machinam

machinam æque admovendam discendæ ac docendæ Theologiæ cum naturali tum Christianæ, ac Philosophiæ suæ, & an importunè invigilent Theologi methodo studii Theologici muniendæ contra tam periculosas neo-methodi vertigines. *Resp.* 3. ἐν παρόδῳ monemus *Bezæ librum quæstion. & respons.* non esse dedicatum Joh. Calvino (ne quis inclyto hoc nomine Theologiam dubitantiam per participationem aliquam exornari existimet): titulus enim ille *Ornatiss. Viro eruditione & virtute præstanti D. IO. C. P. domino & amico plurimum observando Th. Beza S. P. D.* Calvino à Bezâ tribui non solet; nec etiam tunc poterat illi anno 1570. dedicatio & salutatio eidem aptari, qui anno 1564. obierat, teste *Beza in vitâ Calvini. Except.* Atqui Beza sine præcedente & intercurrente dubitatione quæstiones illas non determinavit, nec Theologiam suam didicit aut docuit. *Resp.* Factum libenter concedimus, probante id communi experientiâ, & Scripturâ: *in multis labimur omnes*, Jac. 3. Nullus Theologus est infallibilis, nullus immunis ab omni ignorantiâ, dubitatione, errore, peccato, tentatione diaboli, carnis, mundi; præstantissima eorum opera ex virtute fidei, spei, caritatis elicita, sunt imperfecta & peccatis inquinata. Sed inde non sequitur illos defectus sive tristes sive turpes necessariò esse affectandos, asciscendos, laudandos, tanquam per se & suâ naturâ certissima, tutissima, immo unica media acquirendæ scientiæ, fidei, & cujuscunque alterius virtutis. *X. Object.* Unam eandemque rem posse pro certâ atque indubitatâ haberi & affirmari, quatenus in Scripturâ revelatur; quæ tamen in dubium vocari (*examinari* dicitur; quâ arte, jam non dicam: in *Corollario* tamen ingenuè dicitur *negari*) elenchum disquiratur *in libello de Dubitatione*, anno 1655. edito debeat ac possit, quatenus ex lumine naturali cognoscitur. Hoc probatur in *Corollario disputationi* subjecto, & reponitur in libello de dubitatione edito anno 1655. ex *Perkinso tract. de imaginationibus cordis*, pag. 776. *Scindum est hasce duas cogitationes: est Deus & non est Deus*, in uno eodemque corde *esse posse. Idem homo qui lumine naturæ novit esse Deum, corruptione tenebrisque illis ex Adami lapsu fluentibus, Deum non esse potest cogitare.* Unde intelligitur, quomodo idem diversâ ratione affirmari & negari, dubium & certum esse possit, quod observa *ad finem thesis* 25. Ut videat Lector τὸ ἀνακόλουθον, nec minus periculosum hujus argumenti præcipitium, adscribam integram thesin 25. *Hinc sequitur decima octava defensio, quâ speciatim asserimus, dubitationem nostram utpote merè Philosophicam, ad res fidei & religionis (v. g. an detur Sacra Scriptura? an ei tanquam divinæ credendum, &c.)* nullo modo pertinere; *sed tantum ad res quæ ex naturæ lumine cognoscuntur in Philosophiâ. Ita quidem ut illa, quæ utroque lumine cognoscuntur*

sciuntur (naturâ & revelationis) pro certis atque indubitatis habeamus, quatenus à Sole *divinæ revelationis deteguntur; at examinemus, an eadem quoque beneficio reliquarum in naturâ* Stellarum *possint à nobis videri. Resp.* 1. Ex allegato testimonio *Perkinsi*, & illatione inde facta, & ex collatione *Thesis* 25. jam luce meridianâ clarius constat, de asserto quocunque seu axiomate Theologiæ naturalis, seu Metaphysicæ, seu primæ Philosophiæ, adhæc Physicæ, Ethicæ, Politicæ, quod γνῶστον est tum Philosophicum ex lumine naturali, tum Theologicum ex lumine Scripturæ posse debere necessariò dubitari, immò negari Philosophicè, certo tamen teneri & affirmari Theologicè. Sic e. gr. assertum illud, *Est Deus*, quamvis certum & indubitatum sit, & esse debeat, quatenus Scripturâ revelatur, & inde certo cognoscitur, nihilominus dubitatione Philosophicâ (quam ita appellant) & respectu luminis seu revelationis naturalis divinitus factæ (θεὸς γὰρ ἐφανέρωσε *Rom.* 1. *vers.* 19.) simul potest ac debet in dubium trahi, immo *negari:* non obstante lumine naturali divinitus omnibus hominibus, indito, & κοιναις ἐννοιαις, & principiis tum Theoreticis, tum Practicis, breviter Theologiâ naturali insitâ seu congenitâ; quam contra Atheos, Socinianos, &c. tenemus. Confer, si ita visum, 1. *part. selectar. disp. tit. de Atheismo.* Idem de omnibus aliis Physicis, Ethicis, Politicis assertis & axiomatis judicandum. Debebit itaque studiosus Philosophiæ, quamvis certò credat ex autoritate Scripturæ principales theses quas in *Physicâ, Ethicâ, Politicâ* suâ *Christianâ* eruditiss. Theologus *Daneus*, & post illum alii Philosophi Christiani ex Scripturis probârunt easdem tamen necessariò in dubium trahere, immo negare Philosophicè; saltem tamdiu, donec &c.: alioquin nunquam ad scientiam perventurus. Jam expendat Lector, an studiosis in hoc dubitationis & negationis sive paroxysmo sive labyrintho constitutis, verum futurum sit illud commune Christianæ Philosophiæ assertum: Philosophia non pugnat cum Theologiâ, & quod in Theologiâ verum, non est falsum in Philosophiâ. Et an fidei divinæ certitudini rectè consulatur, dum eam dubitatione & directè oppositâ negatione, sed diverso respectu scil. (in viâ naturæ, uti antehâc Philosophi in Italiâ contra Dei providentiam, miracula divina, existentiam dæmonum, animæ immortalitatem, &c. disputantes se excusare solent) tentamus & sollicitamus rationemque fidei & Scripturæ opponimus: saltem tantisper, & tamdiu, donec &c. Sed *excipient*, Tantum velle, ut quæ de rebus simul Scripturâ & naturâ revelatis; à Philosophis vivâ voce & scripto traduntur, temere peremtorium judicium non ferant, nec determinent, antequam probè eas perceperint & rationes examinaverint: quod ad easdem res, quatenus ex Scripturâ probantur, extendi nolint. *Resp.* Requisitum examen

amen æque, immo magis, locum habere debet in iisdem rebus, quatenus à *Danæo, Zanchio, VVendelino, Alstedio, Casmanno*, aliisque Theologis & Philosophis in Metaphysicis, Physicis, Ethicis, Politicis Christianis ex Scripturâ proponuntur & probantur: juxta 1. *Corinth.* 10. *vers.* 15. 1. *Thessal.* 5. 21: 1. *Iohan.* 4. *vers.* 1. 2. *Actor.* 17. *vers.* 11. Sicuti enim dubitatio novæ methodi (uti ἀπολογεῖ Hyperaspistes τοῦ δεῖνα in libello tit. *Initiatio Philosophi sive dubitatio N. ad Metaphysicam certitudinem viam aperiens* pag. 111. 113. 114.) nihil aliud quam argumentorum Scepticorum pro dubitatione consideratio & examen, quod tempus aliquod requirit: sic eadem brevis moræ & provisionalis dubitatio pariter necessaria erit Theologiæ studiosis in principio studii Theologici, & deinceps, & Philosophiæ studiosis in veritatibus omnibus Theologicis & Philosophicis lumine tum naturæ tum Scripturæ revelatis. Omnia enim, quę ab utrâque parte ex Scripturis proponuntur, prius consideranda & examinanda sunt; ne fides & Theologia nostra propriâ opinione, aut fide atque autoritate aliorum nitatur. Hæc si ita se habeant, quo colore aut quo candore protestari possunt, se commendatam suam dubitationem nullo modo admittere in rebus fidei, & Scripturæ. *Resp.* 2. Viderint ita philosophantes, quo candore & judicio, stomachentur adversus quosdam Antagonistas τοῦ δεῖνα, ejusque Sectatorum; quibus atrocissimæ calumnię dicam scribunt, quod absurdum consequens sumtum à dubitatione, de existentiâ Dei, contra novam hanc philosophandi methodum intorqueant. *Resp.* 3. Absurdè & periculosè & quidem autoritate eximii Philosophi ac Theologi Perkinsi cogitationes negantes Deum, huc trahuntur, ad commendandam dubitationem, quam vocant, Philosophicam, immo & negationem, veritati divinitus revelatæ oppositam. Nec juvat hîc distinctio (verè exstinctio) inter eandem veritatem affirmandam Theologicè, negandam Philosophicè: ea enim à toto Christianismo jam diu explosa est. Quidquid sit, saltem Perkinso maxima fit injuria, quod volaticę cogitationes Atheæ, & blasphemæ, quæ per injectiones diabolicas, aut per corruptæ carnis agitationem mentes sanctissimorum aliquando pertransire aut vellicare possunt, quasque pii maximè detestantur, huc advocentur ad commendandam Christianæ Philosophiæ studiosis, de veritate Theologię naturalis dubitationem, immo ejusdem negationem tamdiu, donec &c. Malè ex facto quod Perkinsus concedit, jus, & ex malo detestando bonum maximè sive ἐπαίνετον sive τίμιον concluditur. Tantundem est, ac si quis de B. Pauli malo quod nolebat, quodque in carne ipsius habitabat, & de concupiscentiis ac peccatis inde pullulantibus concluderet, ea affectanda & laudanda esse. *XI. Object.* Ex eodem

Perkinso Dial. inter Ministrum & Christian. tom. 1. pag. 1039. *Qui de suâ salute nunquam dubitavit, nunquam credidit: ille autem qui verè credit, multas dubitationes, & hæsitationes in se deprehendit, perinde ac si quis integrâ valetudine, multas morborum reliquias persentiscit, quas si agrotaret, non agnosceret.* Et paucis interjectis: *& sine dubio potes tuto tibi ipsi persuadere, eos esse perditos & protervos homines, qui jactitant se diu in Christo sine ullâ salutis suæ dubitatione credidisse. Resp.* 1. Hinc probatur factum dubitationum fidei, hoc est, defectus seu morbus noster, & quidem ex hypothesi imperfectionis nostræ in hâc vitâ, necessarius atque inevitabilis: ita ut tam verè dici possit, qui nihil dubitat nihil scit aut credit; ac dici potest, qui non peccat, non consequitur Dei misericordiam, & remissionem peccatorum; aut non est conversus, fidelis, pius, ex *Eccles.* 7. *vers.* 20. cujus spiritualis sensus & agnitio bona & omni studio affectanda; unde etiam talis sensus πνευμάτιον salutis. Sed ipse defectus nec laudandus nec affectandus: non magis quam ignorantia, stultitia, lapsus noster in peccatum, pugna carnis contra spiritum, aut defectus optimis nostris operibus adhærentes, aut errores, aut quævis mala tristia hujus vitæ; quæ tamen agnoscere & sentire debemus. Jam verò agnitio peccati non est peccatum, nec vice versâ: illa studiosè affectanda, & omnibus commendanda, tanquam initium & medium pietatis per se, istud minimè. Quomodo autem intelligendi sint textus illi, 1. *Corinth.* 1. *vers.* 25. 2. *Corinth.* 11. *vers.* 17. & 12. *vers.* 5. 9. 10. ab Interpretibus explicatur. Manet ergo, nec à Perkinso, nec ab ullo Theologo in praxi fidei & conscientiæ, & in explicatione Decalogi, commendari dubitationem ab omnibus fidei aut Theologiæ initiandis studio ac necessariò induendam, tanquam bonum per se aut dicens aliquam perfectionem per se, aut donum Dei: qualia Theologis sunt dona illa *Jesa.* 11. *vers.* 2. & fructus spiritus, *Galat.* 5. *vers.* 22. & beatitudines, *Matth.* 5. *vers.* 3-11. & charismata seu gratiæ gratis datæ, 1. *Corinth.* 12. & virtutes Theologicæ ac morales, ut & quinque intellectuales vulgatæ, iisque conjunctę ὑπολήψεις, conscientia, fides divina: de quibus omnibus *Scholastici ad* 1. 2. De intellectualibus, earumque speciebus, partim analogis, partim secundariis, nec non requisitis subjectis, mediis, atque instrumentis, Philosophi in præcognitis seu prolegomenis Philosophicis. Ubi commendari videas, nec dubitationem, nec ignorantiam, sed ingenium, memoriam, eloquentiam, certitudinem, evidentiam, judicium, subtilitatem, perspicacitatem, ἀκρίβειαν, ἀγχίνοιαν, sagacitatem, solertiam, diligentiam, attentionem, observationem, experientiam, disquisitionem, meditationem, considerationem, comparationem & distinctionem, definitionem, discursum, εὐπορίαν in inveniendis argumentis seu mediis terminis,

terminis, ordinationem seu methodum; denique opinionem & suspicionem, ubi certa scientia haberi nequit. *XII. Obj.* Magister Ethicus Aristoteles, vult ab uno extremo seu vitio in alterum deflectendum, ut ita ad medium virtutis tandē deveniatur: adducto simili ab agricolis, qui vimen à recto declinans in oppositam partem flectunt: ergo in dubitationis ergasterium concedendum, ut ad sapientiæ sacrarium perpendamus. *Resp.* Si analogicè hoc applicandum sit præsenti quæstioni; deflectendum esset in oppositum scientiæ, hoc est, in ignorantiam; ut ex ejus tenebris lux oriatur. Illa ergo longè supra dubitationem extollenda & affectanda esset: quod nemo sanus probabit. Alia sunt media scientiæ, observatio scil., experientia, inductio, & demonstratio propria, quousque illa haberi potest: & perceptio ac dijudicatio observationū, axiomatum, demonstrationum, definitionum ab aliis tum vivâ voce, tum editis libris propositorum: quibus inserviunt diligens lectio, auditio, meditatio, collatio cum doctis, disputatio, auxilii divini imploratio. *Resp.* 2. Hæc & similia quò studiosius ex Scripturâ, & Theologis producunt, eò magis se reddunt ἀυτοκατακρίτους de decantatâ dubitatione, quam Philosophicam vocant, in res fidei & Scholas Theologicas introducendi, tanquam necessarium discendæ fidei & Theologiæ medium. Quod aliàs contentiosè non sine contumeliâ in Theologos negare solent, ut eos hoc specioso scil. prætextu ab omni cognitione hujus causæ submoveant. *XIII. Object.* Quia tam multa in hâc mentis humanæ caligine cogimur ignorare, & verita: tam difficulter invenitur, necessaria est docta ignorantia. *Resp.* Conceditur totum: sed illa non est dubitatio. Unde supra *disp. de doctâ Ignorantiâ*: ubi explicuimus, in quo ea consistat. *XIV. Object.* Quia plurima non cognoscimus nec cognoscere possumus certitudine scientię, sed tantum morali aut conjecturali, seu per opinionem aut fidem humanam: Ergo de pluribus dubitandum est. *Resp.* Aliud sunt opinio, conjectura, suspicio, fides humana; & aliud dubitatio: illa formaliter dicunt rei alicujus cognitionem; ista formaliter est privatio cognitionis, seu assensus. Illa excludunt certitudinem non omnem, sed tantum scientię & fidei: ista omnem excludit. In hâc controversiâ de certitudine scientiæ & quidem Metaphysicæ ac Theologiæ naturalis eique oppositâ dubitatione propriè disceptatur, fatentibus illis, qui dubitationem tuentur: alii addunt Physicam: nos evicimus ex allatis hyperaspistōn argumentis, ipsorum dubitandi methodum ad totam fidem ac Theologiam æque extendi, ac ad Philosophiam. *XV. Object.* Quærendum est, antequam invenitur: ergo studioso Philosophiæ in vestibulo necessariò & ex professo dubitandum est, de omnibus etiam certissimis, præsertim generalissimis Metaphysicæ & philosophandi principiis,

axiomatis, hypothesibus. Qui Philosophiam & methodum τῶ ὁλῶν in Belgii Academias invehere conati sunt, contendunt, & quidem editis scriptis, alii omnia etiam certissima à studiosis Philosophiæ neganda esse, saltem ad tempus, donec certa principia invenerint &c.: alii, nullam haberi posse certitudinem & scientiam ex lumine naturali & rectâ ratione, sed tantum opinionem seu τὸ probabile. *Resp.* 1. Aliud est *quærere*, affectare, sectari, prosequi, laborare, conari, ut & donec bonum aliquod inveniamus, assequamur, obtineamus, possideamus: & aliud *dubitare. Illud* nobis mandat Scriptura tanquam medium necessarium per se ad obtinendum Deum, sapientiam, veritatem, sanctitatem, pacem, Dei gratiam, gloriam æternam, Dei beneficia quævis vide *Iesa.* 55. *vers.* 6. *Matth.* 7. *vers.* 7. *Hebr.* 12. 14. *Proverb.* 15.: *Istud* non mandat: sed contra mandat bonum & verum tenere, & conservare quod habes *Apocal.* 3. *vers.* 2. stare in veritate & gratiâ jam acquisitâ, inque eâ firmari ac crescere. Vetat aliquid vendere *Proverb.* 23. in bono aliquo ὀκνηρεῖν, remittere, languere. *Galat.* 6. *vers.* 9. *Hebr.* 12. *vers.* 12. *Apoc.* 3. 2. 11. 15. Atqui omnem assensum etiam rerum certissimarum jam acquisitum sponte abjicere aut deponere, mentemque suam hoc bono denudare, immo oppositâ negatione illi assensui contraire, est in bono retrogredi, ὀκνηρεῖν, deficere, vendere veritatem, quocunque fine hoc fiat. *Resp.* 2. Ex hâc objectione sequeretur commendatam dubitationem æque debere extendi ad omnia, quæ ad fidem moresque vivendi necessaria in Scripturis, revelantur. Illa enim diligenter quærere, Scripturam assiduò scrutari & meditari jubemur. *Iohan.* 5. 39. *Psal.* 1. *vers.* 2. 2. *Timoth.* 4. Sed de Scripturâ aut rebus fidei dubitare, & assensum omnem studio retrahere, sive semel in principio studii Theologici, sive perpetuò in legitimâ scrutatione & meditatione Scripturę nusquam jubemur: ne inter tepidos (*Apocal.* 3. *vers.* 11.), & semper discentes (2. *Timoth.* 3. *vers.* 7.) numeremur. Vide ibi *Commentat.*, inter alios *Davidem Cythræum in Apocal.* 3. ubi de *Neutralibus*, & *Wigandi tract. peculiarem de iisdem. Resp.* 3. Ut argumento à necessariâ scrutatione & quęsitione veritatis non evincitur necessitas dubitationis de eâdem per se tanquam medii aut principii: sic multo minus evincitur necessitas negandæ à studiosis certissimæ veritatis, provisionaliter sc. in ingressu Academiæ & studii Philosophici, aut in perpetuum amplectendi principium illud fanatico-scepticum, *Quod nihil scitur*, ex lumine scil. & ratione naturali; sed in merâ opinione & probabilis usque ad finem vitæ subsistendi. Contra posterius assertum in hâc nostrâ, contra prius in vicinâ Academiâ vivâ voce & scriptis traditum, cum tempestivè studiosos monuerunt illi, ad quos ex conscientiâ muneris hoc pertinebat;

nebat; videt Lector quam scitè & justè coccysmi de calumniâ πρὸ δεῖνα intentatâ, & laboriosæ interpretationes mentis τὸ δεῖνα adversus hujus nostræ & vicinæ Academiæ Theologos ac Philosophos non δεινοπαθείας, ingeminentur. Quidquid sit de extremâ anchorâ λογομαχίας (quam tamen vetat Apostolus 2. *Timoth.* 2. *vers.* 14.), nos concludimus ἐποχὴν Academicam, Scepticam, Pyrrhonicam, Neutralem, Libertinicam, aut illi affinem, procul à fide, conscientiâ, & Theologiâ arcendam, & insidias prætextu libertatis philosophandi ipsi Scripturæ & Theologiæ jam strui cœptas, tempestivè detegendas. Hoc est, quod clarè & distinctè percipimus, quodque à conscientiâ in hâc parte nec errante, nec dubitante, nobis dictatur. *XVI. Object.* Præjudicatur libertati judicii & philosophandi; immo illa planè tollitur; nisi methodum hanc dubitandi in studio Philosophico adhibeamus. *Resp.* 1. Quasi veritatem certissimam sive Philosophicam sive Theologicam ab aliis traditam ritè percipere ac dijudicare nequeamus, cum nobis proponitur, nisi prius in antiquum ignorantiæ aut dubitationis chaos resolvamur. Proponatur nobis e. gr. illud axioma, *Est Deus*, & quidem absque additis operosis demonstrationibus, cur lumen istius veritatis non radiaret in mente nostrâ, quæ lumine sibi insito lumen illud perciperet; absque intercedentibus affectatæ dubitationis tenebris, absque Aristotelicâ rasâ tabulâ, absque affectato tohou vabohou. Idem dico de verâ ex lumine naturali demonstratione divinæ existentiæ aut providentiæ ab aliis proposita, quam quisque vi insiti luminis naturalis percipere ac concipere debet, absque præmissa affectata ignorantia aut contradictione, aut dubitatione. Quod si eveniat aliquem hic aut obloqui, aut dubitare, id culpæ aut miseriæ ipsius imputandum: quo nomine laudandus non est. Confer *Disp. nostram de Atheismo*, ubi Theologiam naturalem contra Socinianos defendimus. *Resp.* 2. Fallò præsupponi videtur, id omne malè disci aut sciri, quod qui s ipse primus noninvenit, aut quod ab aliis inventum ac propositum certissimis cum demonstrationibus, aliquamdiu tanquam non inventum habuit. Quasi scil. per plura necesse sit fieri omnia, quamvis ea per pauciora haberi possint. *Resp.* 3. Optimè stabilitur judicii libertas, quando in veras tum assertiones tum demonstrationes ab aliis suggestas ac propositas mens nostra liberè ac promptè fertur, sicuti voluntas in bonum propositum. Sed contra imminuitur ac corrumpitur libertas cum dubiis affectatis atque excitatis animus perturbatur: sicuti sanitas animę aut corporis turbatur, cum peccata & morbi affectantur atque excitantur, ut animam verâ resipiscentiâ & corpus verâ meditatione in meliori statu collocemus.

Sequuntur nunc selecta quadam Disputationes ad secundum Decalogi Præceptum.

QUÆSTIO STATUS INFICIALIS DE ADORATIONE IMAGINUM IN PAPATU.

Resp. MICHAELE HENTES DEBRECINO, Ungaro.

Ad diem 17. *Martii*, *Anno* 1649.

Error, contra ac veritas, semper quærit latebras. Exempla illustria exhibet Papatus, ubi Mysterii iniquitatis non minima pars, occulta & occultatio dedecoris. Hinc magna & molesta necessitas Theologis reformatis imponitur non tantum veritatem suam explicandi ac tuendi; sed etiam per multam variamque lectionem & accuratam farraginis decretorum ac Doctorum Papalium excussionem operta aperiendi; atque ita tum Laicos tum Clericos ipsorum partim ignorantes de fide propriâ informandi; partim prævaricantes de justitiâ expostulationis suæ hâc in parte convincendi. Hoc saxum dum nos inter alios pro ratione muneris assiduo volumus, memores pervulgati illius dicterii; Hæreticos detegere, est refutare: *visum est in præsentiarum specimen aliquod dare in capitali controversiâ de adoratione Imaginum.* Ubi hæc puncta notanda. I. Status Controversiæ. II. Divortium laicorum à clericatu suo, atque adeo ab ipso Papatu. III. Prævaricatio, simulatio, & mutua contradictio Clericorum. IV. Evidentissima convictio utrorumque. V. Consectaria hinc educenda.

1 QUod ad primum punctum; status controversiæ principalis est: *An imagines* Dei, crucis, Mariæ, Angelorum, Sanctorum, *verè & propriè sint adorandæ, cultu religioso*, Dei & crucis latriâ aut duliâ; Mariæ hyperduliâ aut duliâ; Angelorum & Sanctorum, duliâ aut alio aliquo inferiori. Huic principali subserviunt, aut cohærent quæstiones minus principales partim Hypotheticæ, partim Consectariæ. 1. An imagines Dei aut Trinitatis sint faciendæ. 2. An Deus sit adorandus per imagines, aut ad imagines: ita ut sint medium cultus divini & adminiculum adorationis. 3. An imagines in templis, & in exercitiis sacris usum habeant, qualem libri, aut qualem signa significantia & commemorantia. 4. An decori, ornatus, aut similis usus causâ imagines in templis relinquendæ, aut in ea de novo introducendæ. 5. An præceptum de Imaginibus constituat secundum Decalogi. 6. An sit moralis, & universalis; an verò ceremonialis, aut propria populi Israëlitici prohibitio, de imaginibus Dei faciendis & habendis.

Nos

Nos in omnibus his quæstionibus negantem partem tenemus, Pontificii affirmantem (apud *Bellarminum lib. 2. de Eccles. Triumphante*); cum quibus faciunt hodierni Lutherani in quæstionibus primâ, quartâ, quintâ, apud *Thummium* & *Danhauuerum in Decalogum*. Et apud *Danielem Crammerum de partitione Decalogi*. Pontificios refutatos vide apud *Martinum Bucerum in libro contra Imagines*, edito Argentorati, anno 1530. *Raynoldum in Prælection. ad libros Apocryphos tom. 2. prælect. 21. usque 250. & lib. 2. de Idololatr. Chamier. lib. 21. Panstrat. Rivetum in Cathol. Orthodox., & in Decalogum, & in postremis scriptis adversus Grotium; Amesium in Bellarm. enervat.; Daillie in tract. peculiari*, ubi Patres & antiquitatem Pontificiis eripit. Quod idem ex professo agunt *Plesseus lib. 2. de Miss. à cap. 12. Molinæus in Novitate Papismi*; Et inter Anglos *Perkinsus in Problemate Catholico, Georgius Downamus de Antichristo lib. 5. cap. 4. & 5. Iacobus Vsserus in refutatione Iesuitæ Hiberni, & Robertus Abotus in defensione Cathol. reform. Perkinsi*, qui duo postremi tantum Anglicè exstant, quod sciam. Imprimis etiam hic nominandi *Chemnitius in Examine Concil. Tridentin.* & *Hospinianus tract. de Templis à cap. 8. usque 22.* ubi præter plenam & prolixam refutationem, etiam justam historiam originis & progressus Imaginum, nec non catalogum testium veritatis in ipso Papatu contexit; denique *Goldastus in decretis Imperialibus adversus Imagines seorsim editis* in 8. & hujus causæ defensione *in Replicâ pro Imperio contra Gretserum*. Lutheranorum opiniones examinant *Beza in Colloq. Mompelgard.*; *Rivetus in Decalogum, Altingius in Syllabo controversiar. Lutheranar.*; *Defensio Sculteti contra Thummium*, tum Germanica prior & prolixior, tum Latina posterior & contractior. Quæstionem de partitione Decalogi solidè & plenè ventilavit *Gerhard. Iohannes Vossius in Disp. peculiari*. Conferri possunt ad accurandos conceptus in hâc materiâ, *Scriptores Decalogi*, & qui peculiariter disputant *de Ceremoniis sacris & mysticis*, quales *Author altaris Damasceni, Amesius*, aliique *in dispp. de Staurolatriâ* antehâc edita, indicati. Controversiæ statu sic constituto, diligenter attendant juniores ad usitatam Papistarum Sophisticam, quâ coram *in Collationibus*, & *in libellis Polemicis* suos & nostros abducere student, quasi controversia esset. An ullę picturæ hominum sanctorum, aut angelorum, fieri & haberi possint: Aut an Deus potuerit aut voluerit locum & usum aliquem picturis & signis quibusdam externis sive formalibus sive materialibus in templo & cultu typico Vet. Testam. concedere. De his enim nos minimè contendimus: ita ut frustrà probationes suas hic moliantur. Quod ad sex quæstiones modo notatas, fatemur nobis cum Papatu hic minimè convenire: negamus tamen τὸ πρῶτον & capitale ψεῦδος in iis consistere; sed esse concomitantia

tantia & connexa, controversiæ principalis, quæ hæc est, *An ipsæ imagines Dei, Mariæ, Angelorum, Sanctorum, Crucis, Religiosè adorandæ sint.* Hic pedem figant Disputatores Pontificii, & prius affirmantem nobiscum erroris, idololatriæ, scandali absolutè condemnent; aut probent ac defendant: & deinde ad sex quæstiones accedant. Alterutrum necessariò faciendum ipsa rei necessitas suadet; quandoquidem intimè hoc tangit perpetuam & quotidianam Religionis ac pietatis praxim, & vel hoc solum perpetuam ab communione ipsorum divisionem faceret. Sed frustrà, uti vereor, quasi surdis (*Psal.* 58. *vers.* 5. 6.) hanc fabulam narramus.

2 Laici Papales in hoc Belgio nostro, aliisque in Politiis, ubi non viget sacrę inquisitionis officium, apertè negare solent adorationem Imaginum in Papatu obtinere, aut præcipi, aut doceri; & si qui nasutiores inter ipsos de hoc convincantur, non verentur tamen contra & supra Papatum & Papam suum subinde magistraliter determinare, se saltem ita non sentire nec sentire posse, aut velle; nec in praxi devotionis suæ hoc observare: addunt alii, esse hoc planè absurdum & erroneum. Sunt etiam ex simplicioribus, qui audaciores facti, sententiam hanc idololatriæ insimulant; atque unà nos calumniæ, quod tale quid Religioni & Ecclesiæ Romanæ imponamus. Quid dicam de illis, qui pro innocentiâ Papatus ab hoc crimine parati sunt vel pignore certare, ut etiam polliceantur & offerant desertionem Papatus, siquidem probari posset, tale quid ibi obtinere. Inter laicos literatos, qui fortè ex aliquo enchiridio, aut compendio didicerunt, Papatum ab hoc excusari non posse, eò confugiunt, ut dicant; saltem non doceri in Papatu, imagines Trinitatis, & crucem eodem genere & gradu cultus religiosi adorandas, quo ipsa prototypa, h. e. latriâ. Sed illi ad Sacerdotes & Doctores suos ablegandi sunt, ut ab iis petant propriâ manu signatam aut coram Notario & testibus prolatam determinationem istam: *Quod ex sententiâ Papatus ipsæ imagines religioso cultu latriæ aut uliæ adorandæ non sint, & quod contrarium sentire, docere, defendere, practicare, sit error, aut hæresis, aut idololatria, aut omnia.* Quod si nec ausint, nec possint, nec velint; ut ergo ejusdem determinationis prius membrum affirment, posterius negent, & utrumque seriò defendendum suscipiant. Quorum alterutrum ad Kalendas Græcas præstituros arbitror. Et hæc quidem lucta laicorum contra idololatricam matrem suam Romanam in liberis vocibus, & praxi eorum satis nota est. Nec tamen ignota est aliorum laicorum tum ante reformationem, tum post eam, imprimis in Hispaniâ, Italiâ, &c. opposita ignorantia & praxis; quâ I. Ipsę imagines ut numina satis ethnicè colantur. Testes hic mihi sunto *Polydorus Virgilius lib. 6. de Inventor. cap.* 13. *Cassander in Consultatione*, confe-

conferendus cum *scriptis Riveti contrà Grotium.* II. Etiam chimæricæ imagines non entium, ut, Christophori, Georgii, Catharinæ, Ursulæ, &c. Confer supra *disp. de Divis Chimæricis.* III. Insuper imagines entium seu hominum non canonizatorum, e.gr. Rochi, & similium Divorum apud plebem, non Divorum apud Ecclesiam repræsentativam, & sedem Romanam. IV. Adhæc imagines ritè non consecratæ aut dedicatæ; quales ex manu factis, indicari possent. V. Denique Imagines quę personas quidem repræsentant, sed tali sub formâ aut specie, cum talibus adjunctis mendacibus, aut ridiculis, aut absurdis & indecoris; ut Papas & Clericos earum pudeat. *Molanus in tract. de Picturis & Imaginibus sacris à cap. 12. usque ad finem* non paucas notat in Papatu publicè in templum ad cultum prostitutas, perperam pictas fuisse. Quin ipse Urbanus VIII. ante paucos annos publico diplomate Imagines aliquot istic coli solitas condemnavit ac prohibuit.

Clerici Papales in hoc Belgio nostro, & ubicunque absque terrore Inquisitionis disputare ac docere solent, admodum fluctuant & prævaricantur: ita ut vix ad collationem de integrâ hâc thesi se trahi patiantur. In vulgaribus libellis Polemicis vernaculo aut latino sermone editis hunc usum imaginum profitentur, ut in iis tanquam mediis & adminiculis seu per ea Deum, Sanctos, Angelos adoremus. Contendunt enim Ecclesiam Romanam *paululùm plus tribuere Imaginibus, quam protestantes ipsi confitentur deberi omnibus rebus sacris pertinentibus ad Religionem.* Sic in terminis apostata Hugo Paulus Cressi nuper Decanus Laglyensis in Hibernià, & Præbendarius Windsorienſis in suâ Exomologesi Anglicè editâ Parisiis, Anno 1647. pag. 610. Ibidem pag. 611. asserit, *Ecclesiam* (Romanam scil.) *nullum hominem obligare hic & nunc ad exhibendam ullam venerationem Imaginibus,* &c. modo non condemnent illud in iis, qui hoc probant & practicantur. Bayllius in Catechesi tractat. 4. quæst. 34. *Imago nos tantum memorialis instar excitat, ad adorandum eum, quem nobis repræsentat.* Waddingus Jesuita Antwerpianus negat adorandas Imagines, in disceptatione Epistolicâ ad Simonem Episcopium, pag. 136. fidenter asserit hunc esse *Ecclesiæ Catholicæ sensum: Nullus nostrum Imaginem orat, aut ab eâ aliquid petit; sed coram Imagine oramus Deum,* &c. *Nullam veram sanctitatem, aut virtutem in Imaginibus esse credimus, &c. Iosephus Malevalette in Enchiridio Catholicæ veritatis,* Gallicè edito, & postea in Germanicum, ut & in Belgicum idioma traducto, ac plurimis in locis aucto ex Bellarmino & Becano, part. 1. cap. 71. thesin ita proponit: *Quod possumus Imaginibus honorem exhibere,* additâ probatione ex *Psal. 98. (99.) vers. 5. & Ios. 7. vers. 6.* Idem part. 2. 3

in solutione argumentorũ contra adorationem imaginum ait, *Quod quamvis orantes genuflectant ad Imaginem, aut facie conversâ ad altare aut ad imaginem* (sicuti Reformati templa intrantes magis decorè convertunt se ad Concionatorem aut ad suggestum) *non tamen adorent Imaginem, sed tantum externâ reverentiâ honorent, quatenus imago repræsentat prototypon; ita ut omnis honor referri debeat ad prototypon, & Patres nullo alio sensu vocem adorationis hic accipiant.* Unum Bellarminum si quis legat, videbit manifestè contradictionem, simulationem, luctam inter viri interiorem sensum, & inter exterius susceptum imsiginum patrocinium. Cum enim *cap.* 21. determinasset imagines colendas per se & propriè, ita ut ipsæ terminent illum cultum. Postea *cap.* 25. fatetur non competere ipsis propriè, latriam, duliam, hyperduliam, aut cultum alium qui conveniat naturæ intelligenti. Videantur hic *Antagonistæ ejus Franciscus Iunius, Amesius, Chamierus tom.* 2. *panstratiæ lib.* 18. 19. 20. *&c.* & *lib.* 16. *cap.* 12. *Rivetus in Dialusi contra Grotium sect.* 9. *Becanus in Manuali* more suo vulpinatur, ut pudorem matris Romanę tegat. Ipsum *Concilium Tridentinum sess.* 25. insigni æquivocationis & simulationis artificio Imaginum adorationem involvit. Sed evolvit *Andradius in defensione Concil. Trident. lib.* 9. aliique qui post Concil. Trident. scripserunt. Confer hic *Chemnitium in Examine Concil. Trident.* Similem simulationem observabis in vulgaribus *Catechesibus, Tridentinâ, Mechlinensi, Sylvæ-Ducensi, Costeri, Malderi, &c. Catechesis Heidelbergensis excalvinizata à Coppenstenio*, adhibet voces *colendi & honorandi*, abstinet autem à voce *adorandi*. Vide & *Costeri Enchiridion*, *Manuale Becani*, & Facultates Paris. & Lovanien. apud Crespetium in Summâ Fidei in voce *imago* pag. 505. col. a. & b. *Hanc doctrinam de venerandis Imaginibus* FACULTAS LOVANIENSIS *sub Carolo Imperatore V. anno salutis* 1544. *congregato artic.* 27. 28. *&* 29 *confirmat.* FACULTAS *autem* PARISIENSIS *anno* 1543. *congregata sub Francisco I. Rege, artic.* 16. Nullo modo (*ait*) addubitandum est, quin genu flectere coram Imagine Crucifixi, & beatæ Mariæ, & sanctorum, ac rogandum Christum & sanctos opus sit bonum ac pium, &c. Censura Colonien sis in Catechesin Monhemii, Dial. 3. pag. 56. *Hactenus ab Apostolorum temporibus hoc servatum à veris Christi fidelibus comperimus, ut sanctæ Crucis signa, Christi, Sanctorumque imagines varias ob causas asservarentur, ut dum eas contemplamur. in memoriam revocemus acerba Christi supplicia, quæ inexhausta charitate nostri gratia non dubitaverit sustinere. Ejusque & Sanctorum vitam imitemur; eorum charitate ad Deum pari modo amandum exstimulemur, ac inflammemur. Rude enim & indoctum vulgus imaginibus pro literis utitur, similiter & homines alioqui docti plus iisdem quàm libris subinde moventur, ut præ-*

tereà

tereà charitatem nostram, quâ in Deum sanctosque ferimur, non obscurè testemur. Solent enim homines, quos amant, eorum semper præsentiam diligere: quos si aliquando abesse contingat, absentiæ solatium ab Imaginibus accipiunt. Agmen claudat tergiversationis, putidæ simulationis, atque αὐτοκατακρισίας ipsorum non minimum argumentum, quod tam studiosè præceptum Decalogi de Imaginibus concelant, aut expungunt: de quo vide *Riveti Cathol. Orthodox. tract. 2. qu.* 34. Et sic patent tergiversationes & simulationes Clericorum. Quibus contradicunt alii inter ipsos Doctissimi, præsertim in Hispaniâ, & Italiâ, aliisque in partibus, ubi inquisitio dominatur, qui apertius & confidentius suam Imaginum adorationem profitentur, & quidem tanquam de fide, seu ut communem doctrinam & praxim Ecclesiasticam: uti infrà probabitur.

Evidentissimè autem & divortientes Laici, & simulantes ac prævaricantes Clerici convincuntur ac confunduntur duabus illis thesibus Papisticis, quarum prior nobis sufficit, posterior ad cumulum accedit. *Quod ad priorem* de ipsis Imaginibus religiosè & quidem propriè ac per se adorandis, ita ut objectum sint adorationis, eamque terminent, ea probatur ex pseudo-Concil. Niceno, quod approbatur à *Concilio Tridentino sess.* 25. *Concilium Nicenum* 2. (vide illud *Act.* 4.) ita explicatur à Doctoribus, imprimis post Concilium Tridentinum, & nominatim à *Bellarmino*. Omnium catalogum hic texere nimis operosum esset. Fiat modo inductio ex Scriptoribus illis, quos nostri suprà citati notârunt; quibus addantur omnes *Commentatores ad Exod.* 20. *Pererius, A Lapide*, collati cum 25. *artic.* nostris *V Villeto* & *Riveto*; & *Commentatores ad summam Thomæ part.* 3. *qu.* 4. (imprimis *Vasquez, Zvvarez*); *Casuistæ*, imprimis *Azorius*, ut & recentes *Polemici*, præsertim *Bellarminus*; denique qui peculiaribus tractatibus hanc materiam explicare & defendere conati, quales *Sanderus de honorariâ Imaginum adoratione*, & ex ordine Jesuitarum, *Petrus Roestius de Imaginibus & Reliquiis*; *Sebastianus Herfius de cultu Sanctorum, Reliquiarum, Imaginum*; *Immanuel Vega, Christophorus Mayer, Carolus Scribanius, Richeomus, Andreas Iungius*; *Cardinalis Palæotus*; qui postremus *lib.* 1. *de Imaginibus cap.* 32. contendit quibusdam Imaginibus latriam esse tribuendam. Quod refero fide *Joh. Raynoldi in Epistol. dedicatoriâ ad tract. de Idololatriâ. Marcus Anton. de Dominis in tract.* Italico, cui tit. *Scopuli Christiani naufragii §.* 5. & *lib.* 7. *de Republicâ Eccles. cap.* 12. hinc concludebat formalem idololatriam in cultu Imaginum à populo Papali committi, & à Doctoribus doceri. Quod quamvis postea contra scientiam & conscientiam palliare conatus sit, hîc tamen non erat prætereundum. Sed instar omnium sit *Bellarminus* & *Zvvarez*: ubi & alii citantur. Ita ut post 4

tam multos enumeratos consueta inductionum formula tutò adjici hic possit, *Nec ullum datur dissimile exemplum*; probatum scil. in Ecclesiâ Romanâ. Nam quod olim *Ionas Aurelianensis*, & postea *Durandus*, *Abulensis*, & superiori sæculo *Provincialis Synodus Moguntina* (*Histor. Concil. Trident. lib. 3. p. 344.*) *Perezius*, *Papyrius Massonus*, *Masius* (quos in *Desper. causâ Papat. lib. 3. sect. 2. pag. 552.* citamus) negârint Imagines religioso cultu adorandas, illud à *Baronio tom. 9. ad annum 794. §. 39. 40. 41. Bellarmino in Controvers. & in libro de Scriptor. Eccles.*, *Zuvarezio*, *Medina*, *Cabrera*, *aliisque ad Thomam commentantibus*, *Margerino de la Bigne in Bibliothecâ Patrum*, *Possevino in Apparatu sacro*, *Recentioribus Polemicis*, *Indicibus Expurgat.* (præsertim *Hispanico posteriori*) haut obscurè condemnatur, & ab ipso *Concilio Tridentino*, uti ex *sess. 25.* colligimus. Nihilominus post habitum Concilium de Synodo Diœcesianâ Moguntinâ refert Historia Concil. Trident. lib 3. pag. 267. *In quibus memoratu maximè digna capita XLI. & XLII. ubi docet, iteratque, Imagines non ad adorationem aut ad cultum iis deferendum in templis proponi, sed ad ea tantum in memoriam revocandi, quæ adorari oportet, quòd si ad imaginem aliquam populus confluat, cui homines opinionem quandam divinitatis tribuunt, eam hoc casu inde auferendam, aut aliam diversæ magnitudinis in ejus locum reponendam; ne populus inducat animum credere, Deum & Sanctos supplicum votis annuere per imaginis illius solummodo intercessionem. Neque minus observatu dignum est caput XLV. quo asseritur, cœlites esse quidem honorandos, sed civili, & dilectionis cultu, non secus atque viros sanctos in hâc vitâ suo merito colimus: nisi quod Sanctis beatitudinem adeptis cultum magis religiosum tribuimus, utpote in statu magis tranquillo constitutis.* Hic ergo nullum patet effugium, nisi aut mittant imposturas prævaricationum & simulationum; aut nostram hâc in parte, Durandi & similium sententiam approbent, ejusque oppositam condemnent, consentiente sede Romanâ; aut saltem hoc declarent consentiente eâdem sede, eam in Papatu, præsertim in Hispaniâ & Italiâ liberam esse, nec unquam condemnatam aut condemnandam. Sed hoc ad Kalendas Græcas facturi sunt. Interim judicet æquus Lector, an non mendacia, prevaricationes, & conscientiæ cauterizatę Clericorum supra *thesi 2.* cit. pelluceant: nisi fortè quem inter ipsos per stupidam & crassam propriæ Theologiæ ac Religionis ignorantiam ab horrendis illis peccatis excusari posse putemus. Quod ad effugia vertiginosarum distinctionum inter objectum ultimatum & non ultimatum, seu inter objectum adorationis & inter finem ultimum: inter adorationem absolutam & relatam, item relativam & objectivam, item propriam & analogicam, &c. ea nullâ specie aut in totum aut in tantum ipsos absolvunt ab hæresi invocationis ipsarum

ipsarum imaginum, nec à miseræ plebis seductione; quippe quæ distinctiones illas non audit, & si audiret non caperet, & si caperet in ipsâ praxi tamen adhibere aut observare non posset: ut à *Nostris* suprà *cit.* satis superque ostensum. Quin ipse Bellarminus simile periculum urget disputans lib. 2. cap. 22. p. 1325. edit. in 8. contra Thomam, Bonaventuram, Cajetanum, alioque cap. 20. cit. *Dicere*, inquit, *populo, imaginem Christi vel crucem adorandam esse latriæ cultu, illo ipso, quo adoratur Deus, non caret magno periculo; nam qui defendunt imagines adorari latria: coguntur uti subtilissimis distinctionibus; quas vix ipsimet intelligunt, nedum populus imperitus. Iste modus loquendi offendit aures Catholicorum, & præbet occasionem hæreticis libertùs blasphemandi.* Et quidquid hic fingant & refingant, ut letales ictus nostrorum declinent, nunquam tamen probant, immo ne quidem conantur probare. I. Fuisse unquam sententiam hanc jam inde à primordiis pertendentis reformationis, Anno 1517. à Papis aut Conciliis, aut SS. congregationibus Cardinalium, aut ab Inquisitoribus, aut ab Episcopis, aut ab Universitatibus censurâ notatam ut erroneam, aut saltem ut periculosam, ut scandalosam, ut piarum aurium offensivam; nedum ut condemnata & prohibita esset tanquam hæretica & acatholica. II. Fuisse oppositam sententiam ab aliquâ autoritatum modo dictarum approbatam, tanquam veram, piam, catholicam; aut saltem tanquam probabilem & tolerabilem, quam in Ecclesiis & Scholis quilibet liberè proponere possit, aut saltem privatim tenere; quomodo talem libertatem sententiæ Dominicanorum & Thomistarum de conceptione Mariæ, quamvis admodum ingratè communi Papatui, à Papis concessam novimus, ex *Bulla* anno 1622. in *fine compendii Bullarii.*

Posterior thesis, de Imaginibus Trinitatis, Christi, Crucis, non tantum 5
propriè adorandis, sed insuper religioso illo & summo cultu, quem tanquam soli Deo propriam, *latriam*, & *cultum divinum* appellant, hoc modo probatur. I. *Quia* ex precationibus publicis in liturgiâ Ecclesiæ Romanæ, ubi Crucem adorant, tanquam *mundi veram salutem, spem*, &c. tale quid colligitur. Et vide Breviarium post Dominic. 4. quadr. & ad 3. Maji, & 14. Septemb. pag. 664. a. *O crux, &c. quæ sola fuisti digna portare talentum mundi: dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera: salva præsentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam, alleluja, alleluja.* Ibid. b. *Concede, ut vitalis ligni pretio, æternæ vitæ suffragia consequamur.* Et Pontificale, fol. 161. tit *de Benedictione novæ crucis. Rogamus te Domine Sancte: Pater omnipotens: sempiterne Deus: ut digneris bene ✠ dicere: hoc lignum crucis tuæ: ut sit remedium salutare: generi humano; sit soliditas fidei: bonorum operum profectus: & redemtio animarum: sit solamen & protectio ac tu-*

tela: contra sava jacula inimicorum. Et Missale, pag. 450. in festo invent. Crucis; & 14. Septembr. in festo exaltationis crucis, pag. 529. edit. Plantin. in fol. *Jesu Christi Domini nostri corpore & sanguine saginandi, per quem crucis est sanctificatum vexillum, quæsumus Domine Deus noster: ut sicut illud adorare meruimus.* Et hæc quidem publica atque Ecclesiastico-authentica scripta Papatus. II. *Quia* Thomas hoc non tantum exserte asserit, tanquam opinionem suam, sed addit hanc esse sententiam Ecclesiæ, *part.* 3. *qu.* 25. *artic.* 4. Jam verò doctrina Thomæ in tam gravi ac necessario religionis capite, pro Catholicâ Romanæ Ecclesiæ doctrinâ, omni jure & divino & Ecclesiastico haberi deberet. Ipse enim Christus per divinam revelationem Thomæ dixit: *Rectè de me scripsisti Thoma.* Et sedes Romana pro doctrinâ Thomæ determinavit per diversos Papas; de quo *Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothec. pag.* 384. Videatur de eodem Thomâ, *Surius in Vitis Sanctorum*; *Auberti Mirai Oratio de Thomâ*, quæ edita est cum ipsius *libro de Origine Monachorum* in 8. *Possevinus in Appar. sacro, pag.* 477. 479. Et *Sylvius* Theol. Duacenus *in Præfat. ad libellum de Motione primi motoris, & in Præfat. ad Commentar. ad Thomæ part.* 3. III. *Quia* hoc asserunt, ex antiquis Scholasticis, *Bonaventura ad* 3. *dist.* 9. *qu.* 2. *Marsilius, &c., Turrecremata in quæstionibus ad Euang. Dominical. de Inventione Crucis quæst.* 3. Et ex Recentioribus, *Cajetanus, Cabrera, Medina, Valentia, Zuarez, Torre in Comment. ad Thomæ locum cit. Vasquez in* 3. *disp.* 108. Verba eorum quamvis oblatâ occasione accuratè legerim & expenderim: hic tamen non exhibeo, quod prolixiora sint, quam ut huic Diatribæ inseri possint. Et *Alagona in Epitome, ibid.* Adde ex *Casuistis, Azorium, Filijucium, Iacob. de Graffiis.* Recentissimus eorum *Eligius Basseus in Floribus Theologiæ Practicæ*, in voce *adoratio. §.* 6. 7. 10. 11. distinguit inter crucem, & reliqua passionis instrumenta, claves scil. lanceam, præsepe, spongiam, flagella, coronam spineam, &c.; ut *illa* secundum se latriâ colenda sit, non tantum quatenus Christum tetigit, sed quatenus crux est, hoc est, signum & imago Christi, quæ eum repræsentat; *ista* vero eodem cultu colenda sint, sed in ordine ad Christum, quatenus cum eo conjuncta fuerunt. Et citat *ibid.* Thomam, Sylvium, Valentiam, Filijucium, Bonacinam. *Recentiores Scriptores de Imaginibus*, quorum aliquos supra indicavimus, & *Gretserus lib.* 1. *de Cruce cap.* 46. statuit, cultu divino colendas; & addit, sententiam hanc esse communiorem, & in Scholis magis tritam; hocque probat testimonio Thomæ, Gregorii de Valentiâ, &c. Idem conatur demonstrare *Puteanus, ad* 3. *qu.* 25. *art.* 4. *Renatus Benedictus* Theol. Parisiensis, in *tract.* Gallico *de vero usu Imaginum*, anno 1567. in Belgicum sermonem translato per H. K. & Antwerpiæ apud Petrum Keerbergen

cum

cum approbatione excuſo; ubi aſſerit Imagines & Crucem coli atque adorari eodem cultu & eâdem adoratione, quæ competit rei per Imagines repræſentatę. Et *hanc eſſe ſententiam ſanctorum Eccleſiæ Doctorum: hanc eſſe Catholicam doctrinam & praxin, quæ unquam in Chriſtianâ Eccleſiâ obtinuit.* Severtius part. 3. Chronolog. Lugdunenſis ſect. 2. cap. 1. *ait eſſe de fide Catholicâ, credere crucem Chriſti aliaſque omnes in quâvis materiâ eſſe adorandas cultu latriæ.* Vide & *Naclantum in Rom. 1. pag. 42.* & *Andradum in explic. Concil. Tridentin. l. 9.* De imaginibus Chriſti idem aſſeritur à *Thomâ p. 3. qu. 25. art. 3.* De Reliquiis quibuſdam à Jeſuitâ *Breſſero lib. 6. de Conſcientiâ cap. 23. concl. 3. num. 34.* Atque hęc convictio. Sed ſtudent excipere ἀυτοκατάκρισιν. *I. Except.* Non eſſe imputandum Eccleſiæ Romanę ſeu Papatui, quamvis aliqui Doctores ita ſentiant: cum ſint etiam Doctores, qui ita non ſentiant, ut *Serrarius in Ioſuæ 22. pag. 450. Sylvius ad Thomæ loc. cit. Bellarminus loc. cit. Becanus. Reſp. 1.* Non tantum Doctores particulares produximus, ſed probatas, authenticas, & publicè receptas atque uſitatas formulas cultus ſolennis. *Reſp. 2.* Quod ſi tale quid contra alios Doctores excipi poſſet; non tamen pariter contra Thomam, cujus doctrinam revelatione divinâ, & autoritate ſedis Romanæ munitam eſſe credunt. *Reſp. 3.* Ne quidem contra torrentem aliorum Doctorum excipi poteſt in hâc materiâ. Quia præterquam quod ſint præſtantiſſimi & probatiſſimi Doctores ipſorum, hanc communem & publicam cultus religioſi praxim ſic docent, & Clericos, & Laicos; addentes, eſſe ſententiam Eccleſiæ. *Reſp. 4.* Nec unquam uſque in hunc diem publicâ autoritate ſedis Romanæ, aut Concilii ſive Generalis ſive Provincialis, aut Inquiſitionis, aut Univerſitatis, aut SS. congregationis Cardinalium, aut Indicis expurgatorii, aut Indicis librorum prohibitorum, aut ſedis ac curiæ Epiſcopalis hæc ſententia prohibita fuit tanquam hæretica; ne quidem contra ipſam quidquam monitum, tanquam periculoſam aut ſcandaloſam, aut ſonantem in malum, aut piarum aurium offenſivam; cum tamen in aliis longè minoris momenti id fieri ſoleat, e. gr. de compoſitione continui, de motu terræ, &c., de ordine ſervando in officiis Eccleſiaſticis, de ritibus, de præcedentiis, &c. Vide *Deciſiones SS. congregat. ab Auguſtino Barboſa* in lucem productas. Et *Papæ Vrbani VIII. prohibitionem de quibuſdam Feſtis, & aliam de quibuſdam Picturis. II. Except.* Latrica illa adoratio non eſt abſoluta, ſed reſpectiva: ſic communiter diſtinguunt. Vide *Zvvarez lib. 1. de Religione cap. 4.* & *Vaſquez in 3. qu. 25. diſp. 98. cap. 1. Reſp. 1.* Dicitur reſpectiva, quod non materiæ Imaginis ligno aut lapidi ſeu imagini materialiter conſideratæ deferatur, ſed formaliter ſeu in eſſe relativo conſideratæ, quatenus ſcil. repræſentat prototypon;

totypon; nihilominus est adoratio Imaginis per se & propriè, ut scil. ipsa terminet adorationem, & sit ejus objectum seu materia circà quam, ut loquitur *Eligius Basseus loco cit.* Quomodo omnis honor humanus superioribus exhibitus est respectivus, ex. gr. à subditis Regi, à liberis Patri, ab uxore Marito, ab ovibus Pastori Ecclesiæ, à discipulis Præceptori, à Principibus aut Magistratibus legato honor cuique debitus tribuitur, non absolutè quà homini sed relativè seu sub illâ relatione quà Regi, Patri, Marito, Pastori, & Legato quatenus repræsentat Regem aut Rempublicam, à quâ cum literis fidei missus est. *Resp.* 2. Si hæc distinctio & exceptio sufficit, sequitur quamvis rem, etiam inanimatam, immo & diabolum adorandum; quod & quatenus respectum habeat ad Deum. Hoc necessariò coguntur concedere; uti exsertè concedit *Gregorius de Valentiâ lib.* 3. *de Adoratione disp.* 1. *cap.* 8. & *disp.* 4. *cap.* 4. Quam horridam opinionem taxat *Anonymus* (conjicio esse Theologum quem Sorbonicum) in *Theologiâ morali Iesuitarum.* Eandem distinctionem adhibere possent, & olim adhibuerunt Gentiles. Vide (ut chartæ parcam) *D'Aille, Rivetum, Molineum, aliosque ex Nostris* supra *cit.* An ergo Gentiles ab Idololatriâ absolvendi erunt? *III. Except.* Non adorantur per se, sed per aliud; non absolutè sed in ordine ad prototypon. *Resp.* 1. Ergo adorantur. Quæstio hic est, *An sit*, non *cur*, aut *quomodo*, aut *quo respectu*, aut *quo fine sit? Resp.* 2. Distinctio hæc coincidit cum præcedenti. Vide *Chamierum cap.* 12. & *Autores* modo *cit. IV. Except.* Quamvis imago Christi dicatur objectum, & terminus, qui terminat adorationem divinam; non tamen ultimò terminat, nec est terminus ultimatus; quia refertur tota illa adoratio divina imaginis, ad honorem ipsius Dei. *Resp.* 1. Manet tamen esse & dici à Doctoribus Papisticis objectum, & terminum, seu materiam circa quam propriè dictam. Vide *Basseum, Torre, Azorium suprà cit. Resp.* 2. Distinguenda est actio ipsa formalis & specifica, à fine sive ultimo sive subordinato actionis. Quidquid facimus, ad gloriam Dei facere debemus, 1. *Corinth.* 10.; nec tamen actio quælibet specifica hominis, sive animalis, sive civilis, sive spiritualis seu religiosa ideo neganda, aut cum fine confundenda. *Resp.* 3. Nullus est Gentilis, nullus Idololatra, qui factum suum, aut ejus qualitatem hâc ratione negare non posset, assignando finem ejus, gloriam Dei. Confer *Vossium lib.* 1. *de Idololatriâ, pag.* 19. 20. & *Heraldum lib.* 1. *digress. ad Tertulliani Apologet. digr.* 11. & 14. *V. Except.* Ipsa imago divino cultu seu latriâ non adoratur. Immo ne quidem adoramus imaginem Christi, sed tantum prototypon, seu ipsum Christum. Ratio est, quia adorare nihil aliud est, quam honorare cum professione subjectionis: atqui hic honor defertur soli prototypo,

non

non imagini. Sic *Malderus* Episcopus Antwerpianus in Catholijck Onderwijs / *cap.* 20. coll. cum *cap.* 19. Confer *Colonienſium cenſuram Catech. Monchemii, Dial.* 3. *pag.* 56. ubi inter uſus Imaginum, nullam adorationem memorant, quin *pag.* 67. adorationem à Deo prohibitam dicunt. *Phil. Guadagnolo defendens Chriſtianam fidem contra Mahumetiſtam Achmedum, pag.* 151. abſolutè negat Imagines adorari. *Reſp.* 1. Hanc turpiſſimam ſimulationem convincunt hymni & orationes, in feſtis Exaltationis & Inventionis Sanctæ Crucis. Vide *Miſſale, pag.* 450. & 529. edit. Plantinianæ in fol.; & *Elucidator. Eccleſiaſtic. Clichtovei*, ſeu dictum Hymnarium; Et *Breviarium ſuprà citatum.* In genere ad omnes exceptiones reſpondemus, & concludimus excuſationes Gentilium & Papiſticorum iconolatrarum eaſdem eſſe, & nullum idololatram eſſe, qui ſub illis diſtinctionibus non poſſet latere: uti hoc oſtenſum à *Riveto in ſcripto Anti-Grotiano*, cui tit. *Dialuſis &c. & Ioh. D' Aille lib.* 1. *de Imaginibus*, cum quibus conferendus *Voſſius loc. cit. VI. Except.* Quod latria imagini Chriſti tribuitur, ſed non ut Chriſto. *Reſp.* Hæc eſt *Gregor. de Valentiâ.* Similis mihi videtur tali diſtinctioni, quâ quis uteretur in Hiſpaniâ aut Galliâ. Tribuenda eſt majeſtas Regia ſeu honor Regius, Titio aut Hermacho, &c. ſed non ut præſenti Regi Philippo IV. aut Ludovico XIV. Et quid ſi fœmina diceret ſe uxorio affectu uſque ad omnem ſui uſum ferri in hos aut illos viros, non tamen ut in Titium maritum ſuum, cui nupta eſt? An hâc exſtinctione honeſtis ſatisfaceret? *VII. Except.* Imaginum illa adoratio non eſt idololatria, quia imagines & cruces Papiſticæ non ſunt *idola. Reſp.* Hoc effugium ab *Autoribus noſtris* ſupra *cit.* nominatim *Raynoldo de Idololatriâ, lib.* 1. & in *Cenſurâ libr. Apocryphor. tom.* 2. *prælect.* 211. *& ſeqq.* refutatum eſt. *VIII. Except.* Quidquid ſit, licet aliter ſentire; nec Eccleſia Romana aut Papa quemquam cogit ad ſic credendum & faciendum. *Reſp.* Sic Apoſtatæ & Syncretiſtæ dulce canere ſolent. Sed duo ipſis regerimus. 1. Quod nunquam bullam aut motum proprium Papæ Romani, aut Conciliialicujus univerſalis decretum nobis oſtenderunt, aut oſtendere poterunt, quo hoc, quod ex ſuâ autoritate (quæ in Papatu nulla eſt) affirmant, confirmetur. 2. Quod ideo non liberatur Papatus à ſacrilego & idololatrico illo errore; nec ullâ ratione à noſtratibus Romano-Catholicis dici poſſit Imaginum adorationem tum dulicam tum latricam Eccleſiæ ſuæ affingi & calumnioſè imponi.

Quæſtione ſtatus inficialis hoc pacto abſolutâ, educimus hæc poriſmata. 6
1. Mendacia, ſimulationes, fraudes Papiſtarum circa doctrinæ noſtræ non tantum, ſed & ſuæ propriæ explicationem, confeſſionem, defenſionem. Certè *Guadagnolo loc. cit.* Apoſtatæ *Launeus* & *Pelletarius*

lib. 1. declarat. cap. 3. (vide eorum verba Latinè exhibita apud *Chamierum*) *Cressy supra thesi 2. cit.*, &c. à mendacio hic excusari non possunt. Hæc ad augendum *tetrastylon VVilleti*, ubi *de mendaciis Papatus.* II. Labyrinthum contradictionum, dissidiorum. Vide hic *Rivetum in Decalog.* edit. post., ubi *Appendix.* Confer *Crastovii* & *Pappi bella Papalia*, *Illyricum de sectis Papistarum*; *VVilleti Tetrastylon*; *Christophorum Potter in defectu caritatis sect. 6.*; qui duo postremi Anglicè tantum exstant, quod sciam. Quod si quis compendio studere velit, unius *Bellarmini Controversias*, aut unum ex *recentioribus Commentatoribus in Thomam*, collatum cum uno ex *recentioribus Casuistis* (*Azorio*, aut *Reginaldo*, aut *Eligio Basseo*, aut *Diana*, *&c.*) solummodo consulat. Et hoc contra prętensam unitatem & concordiam. III. Novitatem Papismi, & particularem factionem Papismi: contra prætensam antiquitatem, successionem, catholicismum. Vide ex nostris *Bullingerum de Origine erroris lib. 1.*, aut *Robertum Abotum in defensione Catholici Reformati*, *Perkinsi part. 3. in fine*; *Richardum Cracanthorpin defensione Ecclesiæ Anglicanæ contra Marcum Anton. de Dominis*, *capp. 63. 64. &c.* *Hospinianum de Templis*, aut *Iohannem Forbesium in Instruct. Historico-Theolog. pag.* 314. aut *Chemnitium*; aut, qui compendio studet, *Problema cathol. Perkinsi*, & *nostram Desperatam causam Papatus*, *pag.* 551. ubi testimonia Autorum accumulavimus. Quibus ex Pontificiis nunc addi possent *Rupertus Tuitensis in Apocal.* 13. ubi imaginum usum ponit tanquam signum Antichristi. *Fridericus Schenck à Toutenburch* ultimus Episcopus Ultrajectinus *in libello de usu Imaginum cap. 9.* ubi fatetur Christi & Divorum imagines progressu temporis in Templa illatas, & rationes addit, cur hoc factum. En confessionem novitatis. *Id enim verum, quod primum, &c.* teste *Tertulliano.* Vidi antehac *Disputationem de Imaginibus* à *Theologo* quodam *Gallo contra Iesuitam Gontier*, vernaculo sermone Lugdun. Batavor. anno 1613. editam, ubi memini per novem priora sæcula Chronologiam imaginum contextam. IV. Corruptionem Religionis seu cultus divini tum publici, tum privati: contra jactatam integritatem integerrimam, & infallibilitatem ac fidelitatem Ecclesiæ Romanæ, quam jactant apud *Bishopum contra Cathol. Reformat. Perkinsi.* De corruptelis hâc in parte conquesti sunt *Catharinus de cultu Imaginum* (apud *Molanum de Picturis cap. 33.*), & ipse Molanus. Sic enim loquitur: *Vt meritò hic exclamet Ambrosius Catharinus. Quod verò omnium est teterrimum, hâc tempestate in excelsis templis sacellisque offendas picturas tantæ lasciviæ, ut quicquid natura occuluit turpe nostrum, ibi liceat contemplari, ad excitandam non devotionem, sed cujusvis demortuæ carnis libidinem. Notum est pictores sæpe infantem IESVM nudum sculpere, aut*

pingere:

pingere: sed ob hoc malè audiunt à multis non exiguæ pietatis & prudentiæ viris. Quid enim in hâc nuditate esse potest ædificationis. Atque utinam nulla hinc oriretur in parvulis destructio, nullum in pusillis scandalum. Nec negare potest Concil. Trident. quidquid dissimulare conetur. sess. 25. pag. 507. *Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in Templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & veneration em impertiendam, non quòd credatur ineſſe aliqua in iis divinitas.* † *vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in Imaginibus sit figenda; veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, quæ eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procombimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.* * *Id quod Conciliorum, præsertim verò secundæ Nicenæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sanctitum.* Quomodo mutis imaginibus partes docendi tribuerint Monachi, & miseram plebeculam iis deluserint, indicat *Author Historiæ Concil. Trident.* & passim clamant *Legendæ* atque *Historiæ Sanctorum.* Testes aliquot veritatis annotavit *Hospinianus.* V. Nuditatem doctrinæ & causæ Pontificię, cujus & hic & alibi ita eos pudet; ut nihil præsidii relictum sibi putent, nisi mendaces contra propriæ conscientiæ & factorum lucem inficiationes. VI. Irreformabilitatem Ecclesiæ Romanę; quæ ne quidem ubi maximè ἀνυπευθύνεται, meliora monentes audire sustinet, eosque calumniis, iniquis judiciis, ferro, flammâ persequitur. Vide *Cassandrum in libello, de Officio Viri pii, &c.* VII. Conformitatem Papismi cum Ethnicismo ut in aliis, sic etiam hâc in parte. Vide inter alios *Hospinianum* & *Molinei Novitatem Papismi.* Conferat cui vacat *Heraldi digressionem* 11. & 14. *ad Tertulliani Apologeticum supra cit. Rhenanum in Tertull. Apolog. cap.* 16.; & *Vossium de Idololatriâ supra cit.* Et *Franciscum de Croy*, qui idiomate Gallico (ex eo etiam in Anglicum transl.) & *Gasp. Grevinckhovium*, qui idiomate Belgico collationem Papatus cum Ethnicismo delineârunt. VIII. Laicos in Papatu esse quasi Papas; quippe instar Papæ sui servos servorum & dominos dominorum: hinc omnia servili & cœcâ obedientiâ credere, aut teneri credere; illinc de principali Papatus articulo aliquo (e. gr. de adoratione Imaginum) aut articulis aliquot pro arbitrio dispensare, & contra ac supra Papas suos determinare.

DE STAUROLATRIA SIVE CULTU ET ABUSU CRUCIS.

Resp. JOH. EBERHARDO LÖHRIO, Franckenthalo-Palatino.
Ad diem 12. *Novemb. Anno* 1642.

1 SPeciem & partem non minimam idolomaniæ Papalis facit Staurolatria, & consequenter nostris non minima ratio inde sumitur persuadendi secessionem ab Ecclesiâ Romanâ: ut videre est in *Disputationibus nostrorum de Idololatriâ, & de Secessione à Papatu*: Hinc etiam ἀκρίβεια & cura nostris incumbit, quam longissimè recedendi & religiosissimè sibi cavendi ab omni symbolizatione cum staurolatriâ, aut cum aliquâ superstitionis specie in usu sacro aut quasi sacro crucis. Pertinet ergo disceptatio de Cruce ad primum & secundum Præceptum. Ad illud, ut est idolum, hoc est, ut habetur pro objecto religionis, fidei, fiduciæ, invocationis: ad istud ut est pseudosacrum, hoc est, ut habetur pro medio sacro seu mystico Religionis, & cultus instituti & consequenter gratiæ divinæ. Illic arguimus Pontificios crassę idololatriæ, propriè & strictè sic dictæ. Istic φιλοτρησκείας, superstitionis, & multiplicis idololatriæ indirectę. Constabit autem hęc Diatribe nostra tribus partibus, quarum prima Theticè & Historicè explicabit usum & cultum Crucis; secunda & tertia Elencticè disquiret de ejus veritate & bonitate. In Theticâ nostrâ descriptione præsupponimus & præterimus hâc vice Philologica & Antiquaria, quæ de Cruce adferri possent: pertinent enim propriè ad explicationes & disquisitiones textuales circa Historiam sacram, de crucifixione Christi; nec non ad locum communem de Perpessionibus Christi. Interim studiosi per occasionem, aut aliquando consulere poterunt *Lipsium*, *Arnoldum Mermannium*, *Alphonsum Ciaconium*, *Gretserum*, *Bosium*, quorum exstant *tract.* peculiares *de Cruce*. Qui, compendio student, consulant *Baronium in Annalibus*, cum *animadvers. Casauboni*, & *Herib. Rosweidi talionem pro Baronio contra Casaubonum tab.* 6. *pag.* 86. 5. *Gallonium de Martyrum cruciatibus*; *Notas & Commentarios ad Euangelistas*, aut *ad Historiam Passionis*, inter eos *Cornel. à Lapide*, *eundemque in* 2. *Petr.* 3. *pag.* 404. *Thomam part.* 3. *quæst.* 46. & *ibidem Commentatores*, nominatim *Zvvarezium*; denique *Azorium*, *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 16. Sunt ergo potissimum delibanda nobis. I. Ipsum objectum cultus & usus Religiosi. II. Adjuncta & effecta ejus. III. Fundamentum

mentum istius σφάσματος, & mysticæ sanctitatis atque efficaciæ. IV Cultus & usus hujus variæ species, partes, & modi in Papatu. V. Affinia quædam. VI. Pugnantia.

Ut sciant nostri quid per crucem intelligatur, cum ejus cultus & religio à Pontificiis hodie vindicatur, observent crucem posse notare. 1. *Metonymicè* mortem Christi in cruce seu totam crucifixionem pro nostris peccatis: & per metonymiam synechdochicam, omnes Christi perpessiones quas pro nobis subiit toto vitæ tempore, præsertim in fine vitæ. 1. *Corinth.* 1. 18. *Gal.* 6. 14. II. Doctrinam de Cruce, seu Christo crucifixo, hoc est, ipsum Euangelium. *Galat.* 5. 11. & 6. 12. *Philipp.* 3. 18. 1. *Corinth.* 1. 17. III. Afflictiones, quas pii pro Christi nomine sustinent, *Matth.* 10. *vers.* 38. & 16. 24. *Marc.* 8. *vers.* 34. *Luc.* 9. 23. IV. Instrumentum Dominicæ passionis, *Matth.* 27. 32. *Marc.* 15. 21. *Luca* 23. 26. *Philipp.* 2. 8. quod alibi Synonymicè ad imitationem phrasios Hebraicæ vocatur lignum, 1. *Petr.* 2. 24. coll. cum *Galat.* 3. 15. Sola hæc postrema acceptio propriè locum habet in hâc controversiâ. Sed eam extendunt Pontificii, & imaginibus ac signis crucis etiam applicant. *Bellarminus tom.* 1. *controv.* 7. *lib.* 2. tria significatu hujus vocis notari fatetur, lignum crucis, imaginem ejus, & signum in aëre efformatum. *Quod ad lignum crucis* potest notare, 1. *Vel* ipsum individuum illud lignum, in quo Christus pependit, quod revera tum erat, & forte aliquo tempore post crucifixionem exstitit: quod nos doctè ignoramus. 2. *Vel* idem illud lignum, uti ab Helenâ Constantini matre inventum dicitur: quod an idem fuerit nos dubitamus, & malumus doctè ignorare, si non fraudibus & fabulis mysterium hoc inventionis adscribere. 3. *Vel* idem lignum aut ejusdem ligni partes ac fragmina sub formali ratione reliquiarum in Papatu asservari & coli solita. Vide de iis passim *Baronium* & *Bzovium in Annalibus*; qui ad suos quæque annos retulerunt. Quibus adde *Arnoldi Raissii Hyerogazophylacium Belgicum, sive Thesaurum Reliquiarum Sacrarum in Belgio*; *pag.* 217. & 389. ubi docet modum & rationem fertilitatis seu multiplicationis istarum Reliquiarum. *Quod ad imaginem*, potest notare crucis imaginem, *aut* pictam & expressam in chartâ, in tabulâ, in arenâ, pulvere, cineribus, lapidibus. 2. *Aut* quâcunque ex materiâ fictam, fusam, sculptam: eamque aut solam, aut cum imagine Christi. 3. *Aut* rursus eam sive ordinariâ hominum quorumvis operâ: sive extraordinariâ alicujus sancti sanctitate factam & consecratam: sive miraculosâ seu prodigiosâ apparitione divinitus factam, exhibitam, monstratam. 4. *Aut denique* miraculosam illam, vel κατ' ὑπόστασιν seu substantiam realem, vel κατ' ἔμφασιν & nudam speciem. Particulares

Historias vide enarratas apud *Alphonsum Ciaconium* peculiari *libro de Signis*, hoc est, *de variis crucis Apparitionibus antiquis & novis. Quod ad signum in aëre*, notare potest aut figuram crucis religiosè in aëre factam: aut in quâcunque corporis aut corporum aut partium corporis ordine, symmetriâ, figurâ, tum naturali tum artificiali, sive per mimesin & studio factam, sive deprehensam & observatam.

3 Privilegia & effecta crucis, totidem elogia, quibus eam insigniunt Pontificii, sunt vel generalia vel particularia. *Generalia* sunt. 1. *Quod* sit lignum & signum sanctum, benedictum, glorioſum, salutiferum, triumphale, &c. Sic passim *collectanea* apud *Gretserum tom.* 2. *lib.* 4. & 5. nec non elogia Concionatorum, & alloquia ad crucem, denique *hymni* ipsorum *Ecclesiastici de Cruce*. 2. *Quod* sit insigne militis Christiani. Explicat & defendit hoc *Costerus in Enchiridio*, & post eum ac pro eo contra Marbachium *Gretserus tom.* 2. *lib.* 3. *Append.* 2. *cap.* 2. 3. *Quod* contineat mysteria fidei nostræ. Defendit *ibid. cap.* 3. 4. *Quod* nihil sit, quod diabolus magis odio prosequatur. *Ibid. Particularia* sunt vel ordinaria, vel mystica, vel miraculosa. Ordinaria sunt. 1. *Quod* piis mirificè augeat devotionem, tanquam ejus occasio, & medium, & terminus: uti ex usibus crucis infra referendis colligitur. 2. *Quod* per eam excitetur spes & fiducia obtinendæ remissionis peccatorum. *Gretserus loc. cit.* 3. *Quod* per ejus conspectum excitetur caritas erga Deum. *Ibid. pag.* 397. immo ad recordationem omnis virtutis inducamur. *pag.* 405. 4. *Quod* sit sacramentale universale omnia sacramentalia, eorumque benedictionem seu consecrationem mysticè operans & perficiens. De quo vide *Disp. nostram de Benedictionibus*. Et eleganter pleraque coacervat Nobiliss. *Marnixius tom.* 2. *Alvearii part.* 3. *cap.* 2. 5. *Quod* juxta cum aliis sacramentalibus, & supra ea, muniat nos contra hostes & nequitias spirituales diabolum, carnem, & mundum: contraque omne malignum & noxium. De quo vide *Delrio Disquis. libro* 6., alioſque, quos citamus *Disputation. de Magiâ, Spectris, Exorcismis*, & *Diatriba de Peste*. Sed complectamur multa verbis *vulgatorum hymnorum de Cruce*, quos vide in *Breviariis*. Confer porro quæ *Gretserus tom.* 1. congessit; & *Catechism. Historic. cap.* 1. *titul.* 40. 41. 42. 43. & ante eum *Turrecremata, Themesvar, Gabriel Biel, Sermonibus in festis inventionis, & exaltationis Crucis*. A quibus non abludunt recentiores *Postillistæ*. Solent & huc advocare atque applicare, quæ habent omnes illi Autores, quorum *scripta de Cruce* collegit *Gretserus tom.* 2. quibus addenda *liturgica Græcorum* ab eodem edita *tom.* 3. *Miraculosa* effecta dispescimus in transeuntia seu communia; & in localia, sæpiusque recurrentia, ac certis quibusdam reliquiis aut imaginibus crucis affixa.

Primi

Primi generis insigne exemplum vide apud *Belethum, cap.* 125. & compluria in Jesuitæ *Drauroeltii, Catechismo Historiali cap.* 1. 1. 33. 34. 35. Et apud *Baronium anno* 604. 1. & 591. 1. & 508. 6. & 847. 5. & 944. 5. & 1033. 4. & 116. 6. Et apud *Gretserum tom.* 2. *lib.* 3. *append. de cruciatis expeditionibus.* Quibus adde *Francisci conformitates, Vitas & Legendas quorumcunque Sanctorum Papalium, Scriptores Miraculorum*; ubi videbis dæmones fugatos, tentationes superatas, mala & pericula quævis abacta per signum crucis. *Secundi generis* exempla, crucis Dominicæ (uti vocant) suggeret *Baronius* tabularum istarum diligens observator; Vide *eum anno* 566. 6. & 598. 4. & 614. 8. & 633. 1. & 622. 1. & 628. & 1101. 3. & 1105. 5. & 1120. &c. Imaginum crucis localia & frequentia miracula passim deprædicant *Scriptores Reliquiarum, Annalium, Histor. Ecclesiastic.*, *Vitarum, Monasteriorum, Ordinum Monasticorum, &c.* nec non *Topographorum & Historicorum particularium*: ex quibus excerpat, cui otium est: mihi nunc non vacat. Miracula crucis in Hoboken propè Antwerpiam jactat *libellus fraternitatis crucis in* Hoboken. Non prætereunda divisio Miraculorum utriusque generis in apparitiones, & in operationes. *Istarum* exempla habet *Baronius loc. cit. Illarum* vero ad *annum* 540. 9. 588. 2. 1188. 2. 1028. 2. 1180. &c. Et *Scriptores* aliquot *de Apparitionibus* collegit *Gretserus tom.* 2. Confer *Catechismum Historialem cap.* 1. *tit.* 38. 39. Exstat etiam *Iacobi Puche* Jesuitæ *Liber de Miraculis sanctæ Crucis.*

Fundamentum cultus seu adorationis Crucis statuitur in Dei instituto 4
& electione. Sic *Biel sermone de inventione Crucis sub finem:* Licet lignum illud salutiferum *sanctum non sit per gratiam informantem: tamen sanctum est per sui specialem electionem, & summi operis divini applicationem. Illius, inquam, operis quo mundus sanctificatus pariter est & redemtus.* Confer *ejusdem Serm. de Exaltatione crucis.* Ita ut tanquam instrumentum dicatur cooperata fuisse saluti nostræ. Fundamentum proximum est contactus, quia Dominus membris suis eam tetigit, & sanguine suo tinxit: ut colligere est ex antecedentibus *ibid.* & sic *Commentatores ad Thom. part.* 3. *quæst.* 25. Remota fundamenta fuerunt præludia & simulacra atque umbrę staurolatriæ tum in naturâ, tum in Scripturâ Vet. Testam. Quæ infra notabimus in *parte Elenchicâ?* Quibus ad cumulum accesserunt apparitiones, & miracula Crucis, & revelationes factæ de eâdem. *Fundamentum peculiare Imaginis crucis*, est ejus benedictio; quam defendit *Gretserus tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 6. & *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. & *lib.* 2. *cap.* 9.

Cultus & religio Crucis ad hæc capita reduci potest. 1. Adorationem 5
tum directam, tum indirectam. 2. Usum superstitiosum. 1. *Adoratio directa* specificè dicta latria, tribuitur Cruci duplici respectu, *tum* quate-

nus

nus Christum repræsentat, tum quatenus Christus in eâ crucifixus est. Vide *Turrecrem. in Festo S. Crucis qu.* 3. & *Themisvar. parte* 2. *serm.* 59. & *Biel in Expositi. Canonis Missæ, lect.* 49. & 50. Eandem latriam in formâ & quidem propter duplicem illum respectum, asserit *Thomas part.* 3. *quæst.* 25. *art.* 4. quem sequuntur plerique *Scholastici antiqui & recentes.* Vide plures citatos apud *Gregor. de Valentia tom.* 4. *d sp.* 1. *quæst.* 24. Et *Zvvarez in* 3. *quæst.* 25. *art.* 3. *Bellarmin. loc. cit.* Adde *Azor. tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 6. *Iacobum Payva Andradium lib.* 9. *pro Concil. Trident.* Adde praxin ex *Breviario*, ubi hymni, & precationes de Cruce: eadem colligitur ex *Beletho divin. offic. cap.* 125. & 151. Et *Durantis Rational. lib.* 7. *capp. de Inventione & Exaltatione crucis*, mihi *fol.* 124. 130. Confer & *Baronium anno* 628. 1. & *anno* 701. 1. Breviter Gretserus tom. 2. de Cruce, lib. 3. cap. 5. *Thomæ sententia meritò in Scholis apud plerosque primas tenet.* 11. *Adoratio indirecta* elucet. 1. *Ex* dedicatione Templorum, Altarium, Monasteriorum, Hospitalium, & Locorum piorum, immo & profanorum sub tit. & invocatione S. Crucis: quę quia ubivis passim occurrunt, non est quod hic indicemus. 2. *Ex* consecratione ordinum sacrorum, *tum* Monachorum, quales crucigeri; *tum* fraternitatum quales hic & alibi frequentes fuerunt, & celebris etiamnum hodie est, S. Crucis in Hoboken in agro Antwerpiano, *cujus liber* editus est; *tum* equitum seu militum sacrorum, quos alibi recensemus, in *tract. de Monachis.* 3. *Ex* Festis Crucis, Inventionis scilicet & Exaltationis: quorum origines, fundamenta, institutores & institutiones, vide in *Agendariis & Postillistis* modo *cit. Beletho, Durante, Biel, Themesvar, &c.* & confer cum iis *Baronium ad annum* 628. 1. 4. *Ex* officiis de S. Cruce; seu horis Canonicis. 5. *Ex* Litaniis de eâdem: Vide de iis *Autores cit.* in *Disp. de Rosariis, &c.* 6. *Ex* Missis de Cruce. Vide *Missale.* 7. *Ex* peregrinationibus ad Crucis reliquias, & certas imagines. Sic olim fiebant ad Crucem in Cranenburch Ducatus Clivensis; & hodie fiunt ad Crucem in Hoboken / aliasque, quas vide in *catalogis Reliquiarum.* 8. *Ex* processionibus, seu supplicationibus, in honorem Crucis.

6 Crucis usus religiosus est vel in cultu publico, vel extra cultum. Prioris partes seu species sunt. 1. In precibus & gratiarum actionibus: ubi sine crucis formatione nihil fit. Hinc etiam Rosariis cruces loco medalliorum appendi solent. 11. In lectione & prædicatione verbi, quam non tantum inchoant à cruce, eâdemque finiunt: sed & inter prædicandum haut infrequenter crucis imaginem manu tenent, eamque pro re natâ alloquuntur, præsertim Franciscani. *Carolus Borromæus lib.* 2. *de sacris nostrorum temporum Oratoribus, p.* 59. Alphonsum lupum Franciscanum tanquam perfectissi-

ctissimum sui temporis Concionatorem extollit; quem ait fulgidam ex ære crucem inter concionandum manu tenuisse *& quidem pectori ferme affixam, cum eâ loquendo quam terrimè, &c.* eoque colloquio accensum fuisse incredibiliter, inque eo alloquio tantam fuisse vilam ejus pietatem erga crucem, ut dolorem accenderet. *Secuta*, inquit, *postea nonnullorum imitatio tentavit inutiliter, quod Lupo cesserat felicissimè.* III. In administratione septem Sacramentorum: de quibus, ne me aut Lectores meos onerem, consuli debet ab iis, quibus & quando vacat, *Rituale seu Pastorale Romanum, Ceremoniale Episcoporum, Pontificale*, coll. cum *Ambrosio Vice-Comite de Ritibus Baptismi, Ioh. Stephano Durante, Durantis Rationali, Thesauris & libris Exorcisticis* alibi *cit.*; imprimis & *Gavanti Thesauro*, ubi *tom.* 2. cruces in Missâ adhibendæ recensentur, *aliique Autores* cum novis juribus ac determinationibus S. congregat. Rituum allegantur. IV. In administratione Sacramentalium, aliorumque agendorum Ecclesiasticorum. 1. In Ecclesiasticis benedictionibus & consecrationibus personarum, rerum, utensilium, vestium sacrarum; adde ciborum, vestium, domuum, navium, aliorumque utensilium communium. De quibus vide *Rituale & Pontificale Romanum*, & *Ceremoniale Episcoporum*, & *manualia seu libros Exorcisticos.* Huc refer benedictiones agni, cerei, rosæ, gladii, pallii Archiepiscopalis, &c. quę à solo Papâ peraguntur: de quibus vide *Ceremoniale Romanum.* 2. In dedicationibus templorum, altarium, &c. de quibus *Pontificale.* 3. In pane Eucharistiæ, in turribus Templorum: de quo *infra in Problematis.* 4. In Exorcizationibus: de quibus *libri Exorcistici*, & nos infra *Disp. de Exorcismo.* 5. In supplicationibus & processionibus Cruces proferuntur. Vide *disp. de Processionibus.* 6. In Funeribus & curâ mortuorum. Vide *Rituale*, & confer *Gretserum de Funere Christiano. Catech. Histor. c.* 1. *tit.* 36. 37. 7. In introductione puerperarum. *Ibid.* 8. In excommunicatione, & reconciliatione. De quo *Rituale*, & *Pontificale. Crucis usus extra cultum publicum* est. 1. In regimine hierarchico, id est, defertur crux ante Pontificem equitantem, juxta *ceremoniale Romanum*: cujus ritus antiquitatem enarrat *Baronius anno* 855. & *Aug. Eviſanius* 3. *libris.* 2. *Gestant* crucem argenteam legati Pontificii, uti occasione Poli in Angliâ tunc exlegati, refert *Autor Historiæ Concil. Tridentin. lib.* 3. 3. Et ordines quidam Monachorum, Canonicorum, Equitum, Fratrum, &c. de quibus *supra.* II. In regimine, publicisque negotiis hujus sæculi. 1. *In coronatione* Imperatorum, & Regum. 2. *In* numismatis: de quibus prolixè *Gretserus tom.* 3. *lib.* 1. 3. *In* insignibus Regnorum, Civitatum, Legionum, &c. de quibus *ibid. cap.* 31. 4. *In* inscriptionibus. *Ibid. cap.* 30. 5. *In* scriptione Epistolarum; in scriptione instrumentorum, ubi olim pro fide ac subscriptione cessisse probat *Rytelen in Iuristâ Romano-Catholico cap.* 91.

ex *Novell.* 90. *& l. ult.* 5. 2. *C. de Iure deliberand.* 6. *In* inchoatione librorum, lectionum, alphabetorum in Scholis. 111. In privatis actionibus & exercitiis religiosis aut quasi religiosis. 1. Ordinariis & perpetuò recurrentibus, ut in cibo capiendo, in accubitu, in surrectione, &c. 2. *In* oscitatione; quod attigimus in *Disp. de Superstitione.* 3. *In* aliis negotiis incidentibus aut rarioribus. *Primo* muniunt contra incursus hostium, speciatim contra diaboli infestationes. De quo *Delrio lib.* 6. *Disquis. Secundo*, suspendi solent ad collum à redeuntibus ex peregrinatione Hierosolymitanâ. *Baronius anno* 1191. 5. *Tertio*, constituta tessera militaris sacri belli, ad recuperationem terræ sanctæ. *Idem anno* 1095. 5. *& Franciſc. Iuretus in notis ad Ivonis Epist.* 173. Quod postea extensum ad alias quascunque expeditiones cruciatas pro Papâ contra prætensos hæreticos aut Papæ adversarios: de quibus videndus *Gretserus in Append.* 1. *ad libr.* 3. Conferri potest celebris JC. *Stephanus Paschasius lib.* 6. *Recherces &c. cap.* 26. *Quarto*, Cruces variati coloris distinguebant milites diversorum Principum. *Baronius ann.* 1188. 2. *Quinto*, data pro insigni Bulgaris recens ad Christianismum conversis. *Idem anno* 866. 2. *Sexto*, Deferri solita tanquam apostolatus insigne ante Stephanum regem Hungariæ, ex concessione Papæ. *Idem ann.* 1000. 2. *Septimo*, Olim etiam probationem faciebat vulgarem, sed postea à Romanâ Ecclesiâ prohibitam. Probationis hoc genus invenies in *antiquis legibus Frisiorum*, *in Formulis Marculphi*, *in capitulari Caroli Magni.* Huc refer cruces de tremulo ad detegenda furta; cujus probationis modum describit *Iuretus ad Epist. Ivonis pag.* 74. *pag.* 645. atque formulas illas exstare in codicibus Monasteriorum.

6 Affinia Staurolatriæ sunt 1. proxima. 1. Magorum characteres quos in horrendis sacris peragendis adhibent; quorum alii crucem in formâ referunt, alii prope ad figuram ejus accedunt, alii aliam quamcunque figuram exprimunt. De quibus vide *Autores cit. in Disp. de Magia.* Hic solummodo repetimus ex *Toleti confessione* omnes characteres, excepto signo Crucis, quæ ad miras operationes adhibentur, implicare & inferre Magiam. Nunc applica ad Græcam literam ☩, quam adhibent in consecratione aquæ. 2. *Lanceæ*, clavi (de quibus in *Disp. textuali ad Iohann.* 19.); ad hæc corona spinea, sudarium, flagellum, columna ad quam flagellatus, spongia, & similia passionis adjuncta aut instrumenta. Quæ pleraque ubi asserventur, vide in *Hierogazophyl. Belgico Arn. Raissii, p.* 216. 3. *Crux* S. Andreæ, cujus in aëre apparitionem, Hungo Pictonum Regi salutare victoriæ erga Anglos signum fuisse, refert *Hector Boëthius lib.* 10. & *ex eo Catech. Histor. cap.* 3. *tit.* 48. *§.* 7. *Ibidem* §. 8. refert lanceam

Christi

Christi ab Andreâ Apostolo ostensam, quâ inventâ victoriam obtinuerunt Christiani; cujus meminit & *Baronius anno* 1098. 16. An autem crux Andreæ arbor fuerit (uti habet *Chrysol. serm.* 133.) an verò crucis forma arte facta, relinquitur adhuc disceptandum. De quo vide *Notas Baronii ad martyrol. Romanum*, 30. Novemb. 4. *Cruces* in quibus passi sunt alii Sancti & Martyres; quos non paucas esse disces ex *Martyrologiis*, & *compendiosè ex Gallonio tract. de Martyr. cruciatibus c.* 1. Harum particulæ aut fragmina, si quæ alicubi servata sunt, aut miraculosè reproducta & multiplicata, ea religioso cultui & usui sunt, sub formâ reliquiarum. *S. Agni* Dei, & aqua benedicta. 11. Propinquè ad Papalem crucis usum accedit superstitio Græcorum, aliorumque Orientalium. Qualis & quantus apud illos *tum* in sacris, *tum* extra ea sit crucis usus, docent ipsorum *publica Scripta liturgica & ritualia*, à nobis in *Disp. de Liturgiâ* indicata; Idem docent *Scripta privata Doctorum*; quorum excerpta & collectanea dedit *Gretserus tom.* 3. *lib.* 4. & 5. & *toto tom.* 2. Quibus adde *Bodini Curopalaten cum notis Gretseri*. Et *jus Orientale Græcorum* editum à *Leunclavio*. Hinc universa diœcesis Episcopi illis dicta fuit σταυροπήγιον, quod in eâ scilicet Episcopus Crucis figendæ jus habeat: nullum enim templum, nullum monasterium ædificari potuit, nisi loci Episcopus locum oratione consecraret, ibique crucem figeret. Sunt etiam illic Ecclesiastici dicti σταυροφόροι, ut videre est in *Actis Concil. Florentini*. Quin & olim cruce subscriptiones firmatas fuisse, & juramenta ad eam (sicuti hodie alicubi tacto codice Euangeliorum) præstita colligi videtur ex voce σταυροπάτης, id est perjurus, qui fidem scil scriptione crucis datam, aut propositâ cruce juratam fallit. 111. Remotè, per symbolizationem scilicet aliquam & speciem mali videntur huic usui Crucis, si non hastam aliquam porrigere, saltem nimiâ tolerantiâ aut conniventiâ tepidè eum expugnare, & expurgare. 1. *Protestantes* quidam in Germaniâ; qui usum crucis circa panem eucharisticum, in administratione Baptismi, in Templis, & alibi passim adhuc retinent, aut tolerant, nonnulli etiam defendunt: Vide *Eckhardi compendium Theologiæ Patrum, cap.* 8. *pag.* 203. Et *resp. Bezæ ad acta colloq. Mompelgard. part.* 2. *pag.* 14. & *Marbachii Theses* apud *Gretserum tom.* 3. *lib.* 3. *append.* 2. *cap.* 1. 2. *Reformati* in Angliâ, apud quos in publico cultu hactenus obtinuit formatio crucis post Baptismum. Vide *constitut. Ecclesiastic. anni* 1603. *can.* 30. Nonnullis enim ceremoniis aliisque ingratis & inutilibus Papatus monumentis ibi relictis, tempore Eduardi VI. & denuo Elizabethæ, aut quia non potuerunt expurgare propter populum iis assuetum, aut quia quidam Theologorum penes quos tunc erat autoritas, noluerunt, quippe diversum quid ab aliis Reformatis hic sentientes:

tientes: hæsit ibidem crux illa verè crux piissimis Ecclesiarum tum Pastoribus tum Membris. Magno conatu actum à nonnullis; ne malum hoc bene (uti prætexitur) positum, loco moveretur: sed frustrà, & invitâ Scripturâ ac Theologiâ reformatâ. Inter omnes, nervos ingenii & eruditionis hic intendit *Mortonus in libro* Anglico, cui tit. *Three innocent ceremonies*; & post eum *Hyperaspistes ejusdem causæ D. Burges*: sed quantum profecerint, discet Lector ex eruditissimo Scripto *Rob. Parkeri de Symbolizatione crucis*; & *Anonymi (Gulielmi Amesii) refutatione libri Mortoni* modo cit.; *Ejusdem Defensione scripti sui Anti-Mortoniani contra D. Burges cap. 4. sect. 7. 8. &c. & 22.* Atqui hi quidem Anglicè tantum exstant, quod sciam. Latinè contra usum crucis in Anglià, *Didoclavius in Altari Damasceno, pag.* 831, ubi citat & *Bezam Epist.* 8. Usus crucis, quem posterioribus annis novatores quidam in Ecclesias istic intrudere conati, non symbolizat cum Papistico, sed planè papizat. Audiatur Richardus Montacutius in Antid. pag. 17. *Ego certè illas reliquias fasciis involvam; auro includam circumgestandas, admovebo labiis ac collo suspensas manibus, oculisque crebro usurpatas intuebor.* Ibid. pag. 24. *Imagines præsertim Christi crucifixi asservamus diligenter & cum curâ: sunt apud nos per fenestras, ambones, vasa, vestimenta.* Idem in libro Anglico, cui tit. *Appeale*, pag. 268. *Quid prohibet cur minus possim me signare signo crucis in quâcunque parte corporis. Samuel Hoardus in Sermonibus Anglicis, pag.* 15. numerat inter sacras traditiones cruce signare seipsum in exitu, in introitu, in accubitu, in sumptione cibi, in accensione candelæ, in capessendo aut exequendo negotio alicujus momenti. 4. *Inter Reformatos* si alicubi sive quorundam ex plebe pertinaciâ, sive Ministrorum negligentiâ, sive Magistratus tepore, sive ignorantiâ aut inadvertentiâ (ita loquar), cruces in templis, in turribus, in pulpitis, in cœmiteriis, in ossuariis, in sepulcris, in loculis, in panno contegente loculum, in sertis & corollis funeralibus, in vestibulis ædium, in parietibus extra aut intra, picturæ aut imagines crucis conspiciuntur: id quidem reformationi non est imputandum, sed iis qui hoc curant, aut tolerant ubi tollere possint, aut ex contentione palliant, & defendunt. Et tales indirectæ aut participatæ idololatriæ affines esse evicimus ex sacris Literis, consensu Antiquorum, & sensu ac praxi nostrorum Reformatorum, supra in *Disp. de Idololatriâ indirectâ*. Ad exceptiones, quæ postmodum nobis oblatæ sunt, *infra in Problematis* respondebimus.

Adversarios Crucis faciunt Pontificii. 1. Mahumedistas. *Baronius anno*
7 650. 2. & *Bongom. ann.* 1118. 2. 11. Claud. Taurinens. ann. 800. contra quem scripsit, *Ionas Aurelian.* Et eodem tempore Paulicianos teste *Euthymio in Panopliâ part. 2. tit. 21.* 111. Petrum Bruis & Henricum; conse-

consequenter Waldenses, Wiclefistas. IV. Lutheranos & Calvinistas. Sic *Bellarminus*, & *vulgares hæreseon Scriptores*, *Prateolus*, *Alphonsus à Castro*, *Sebastianus Medices*, & *Feuardentius in Theomachiâ Calvinistarum*, *lib.* 5. *cap.* 1. Quid autem veri, quid falsi dictis eorum insit, examinatum vide apud nostros *Chamierum*, *Rivetum*, *Deckerum*, *Hospinianum*, infra citandos. Atque hæc quidem thetica & rudis delineatio crucis; quâ digitum ad ipsos fontes intendimus: neque enim thesium ratio patitur infinitis pene minutiis chartas conscribillari, nedum formalia Autorum verba exhiberi. Porro Autores si quis requirat sunt præter nonnullos jam citatos & infra citandos. 1. *Ex* Theticis & locor. commun. Scriptor. *Thomas cum comment. p.* 3. *qu.* 25. *Viguerius in Institutionibus*, *cap.* 5. *§.* 5. *vers.* 12. 2. *Ex* Ritualibus & Antiquariis, *Gavantus in Thesauro Rituum*, ubi alii citantur. De *Autenticis libris Ceremoniali*, *Pontificali*, *Pastorali seu Rituali*, non est quod moneam. 3. *Ex* Practicis Casuistis & Canonistis; *Azorius*, & *Barbosa in collect. ad Concil. Tridentin. & ad Bullarium*; *ipsumque* adeo *Bullarium*, aut *ejus Compendium*. His addendi *Delrio disq. Magic. lib.* 6. & superstitiosiss. *Augustin. VVichmans in Apothecâ spirituali cap.* 61. 4. *Ex* Postillistis & Concionatoribus, quilibet ex Antiquioribus aut Recentioribus, qui ad manum est. 5. *Ex* Historicis, *Annales Baronii & Bzovii*; & instar omnium *Catechismus historialis* Jesuitæ *Draulroultii*. His adde ex catalogis hæresium, *A Castro*, & *Medices*. 6. *Ex* Commentatoribus, *A Lapide*. 7. *Ex* Polemicis, *Costerus in Enchiridio*, & *Bellarminus*, quibus adde utriusque vindicem *Gretserum tom.* 3. *de Cruce*, *lib.* 3. *Append.* 2. *&* 3. Denique *Cornelius à Ryntelen in Iurista Catholico*, *cap.* 91.

DE STAUROLATRIA SIVE CULTU ET ABUSU CRUCIS.

PARS SECUNDA.

Resp. JOH. EBERHARDO LÖHRIO, Franckenthalo-Palatino.

Ad diem 19. *Novemb.*, *Anno* 1642.

SEquitur pars Elenctica. Ubi primo occurrunt controversiæ generales & capitales inter nos & Pontificios: deinde & aliæ partim particulares & hypotheticæ, partim problematicæ. Est ergo prior controversia capitalis, an crux sit adoranda seu religiosè colenda. Nos istis conclusionibus respondemus. *Prima Concl.* Crux quâcunque notione accepta, sive pro ipsâ cruce, 1

sive pro imagine, sive pro signo, non est honoranda, aut colenda, aut adoranda honore, cultu, adoratione civili seu societatis. *Ratio:* *Quia* non est capax illius cultus seu honoris: quia communionem naturæ ejusdem in totum, aut excellentioris naturæ participationem ex parte; aut societatem Ecclesiasticam, aut Politicam, aut Oeconomicam cum eâ non habemus. Sublatis ergo illis fundamentis tollitur cultus & honor socialis, civilis, caritatis, & quicunque alius non religiosus. Sed non est hoc multis probandum, quia non contendunt Pontificii honorem civilem ei exhibendum, sed religiosum. *Secunda Concl.* Crux non est religiosè colenda & veneranda tanquam instrumentum redemptionis, & cooperarium salutis nostræ. *Rat.* 1. Quia non fuit instrumentum & medium redemtionis; sed tantum passionis Christi materialiter spectatæ, non vero formaliter, ut scil. erat meritoria & satisfactoria. 2. *Quia* nequidem fuit instrumentum passionis activum seu cooperativum, uti alia fuerunt, tum inanimata ut clavi, funes, flagella; tum animata partim moraliter, partim Physicè causantia ut Judas, milites, Pilatus, Judæi. Fuit ergo tantum merè passivum, quod tenuiter admodum aut vix ad causam instrumentalem apud Philosophos reducitur. 3. *Quia*, dato fuisse instrumentum activum, immo fuisse inter causas secundas principalem, tamen non esset religiosè colenda; multo magis enim colendæ essent manus militum & carnificum, labia Judæ, tribunal Pilati, ipse Pilatus, Herodes, Cajaphas, ministri Sacerdotum & manus illæ, quę alapas illi inflixerunt, sputa & phlegmata, quibus facies ejus obtecta, &c. 4. *Quia* in patibulo aut ligno crucis, quamvis ut instrumentum passivum (ita loquar) concurrat ad passionem Christi, nihil est honorandum, nihil venerandum, nec secundum Scripturam, *Galat. cap.* 3. *vers.* 13. nec secundum rationem, quæ potius suaderet abominationem & detestationem omnium instrumentorum, quibus innocens affligitur. 5. *Quia* quidquid tribueretur ipsi ligno crucis, non tamen veneratio illa extendi & applicari posset aut deberet ad ejus imagines & signa. 6. *Quia* ipsa crux Christi non exstat; ergo non potest honorari. De quo iterum in sequenti conclusione.

2 *Tertia Concl.* Crux ipsa in quâ Christus pependit, non est religiosè sive latriâ, sive aliâ specie Religiosi cultus (quam illi fingunt) colenda & adoranda tanquam objectum adorationis, in quod directè tendat, & quod eam terminet. *Arg.* 1. Quia Deus nullibi mandavit hanc adorationē, nullibi exauditionem promisit, nullibi in Scripturâ hujus adorationis exemplum. *Arg.* 11. Quia est crassa idololatria, quidquam adorare divinâ, aut religiosâ adoratione, quod non sit Deus. Et si Angeli & Sancti, ne quidem B. Virgo θεοτόκος, non sunt adorandi; multò minus crux. Hoc argumentum diducta

ctum & defensum vide apud *Nostros in Controversiâ de Idololatriâ Papali. Arg.* 111. Quia objectum quod hic adorandum, materialiter nullum est; aut saltem plane in certum: *Ergo*, &c. Probatur consequentia majoris ex 1. *Corinth.* 8. *vers.* 4. ex quo loco Pontificii arguere solent idola Gentilium, atque adeo omnem cultum rerum non existentium. Atqui inter eas referimus crucem Christi. Quod si inter res dubias referri patiamur, stringit tamen argumentum: Quia omnis adoratio, omnis religio debet esse ex fide divinâ, cui non possit subesse falsum. Vide *Rom.* 10. 14. coll. cum 14. 23. & *Iohann.* 4. 22. Conser *Disputationes nostrorum de Adoratione Idoli panacei*, ubi homines perpetuo secundum dogmata Ecclesiæ Romanæ dubitare tenentur, an hostia sit transsubstantiata & consequenter an Christum an vero panem adorent. 2. Probatur minor: *Primo*, quia si exstat crux aut tota exstat aut partes ejus. Totam non supereſſe, *Bellarminus* satis fatetur *lib.* 2. *cap.* 27. *Partes* si supersint, deberent esse frusta illa lignea, quę passim ostentantur, & quibus collectis multas naves quis impleat, uti bene observat *Philippus Marnixius in Alveario eccl. Roman. part.* 4. *cap.* 3. Sed quâ fide divinâ, aut quâ probabili conjecturâ humanâ constare poterit esse veras partes crucis; aut has magis esse quam illas; aut reliquias illas sacras divino miraculo in tantam multitudinem excreviſſe; Vide *Baronium anno* 34. 18. *Secundo*, Si extaret aut tota aut per infinitas illas partes, facile sciri posset quodnam genus ligni fuerit: atqui hoc certo non sciturin Papatu, sed de eo variantibus sententiis seu conjecturis disceptant. Vide *Lipsium lib.* 2. *de Cruce, cap.* 13. *alioſque Autores de Cruce* supra *citatos*; conser & *Bellarmin. cap.* 27. *Tertio*, si extaret aut per naturam, aut per ordinationem Christi, aut per curam Ecclesiæ conservata fuit. Non primum: quia fieri non potest ut lignum tanto tempore duret. Non secundum, quia Christus non vult nos inhærere rebus externis aut reliquiis, non corpori Mosis, *Deut.* 34. 6. coll. cum *Iudæ vers.* 9. ne quidem suæ propriæ carni, 2. *Corinth.* 5. 16. Non tertium; nam demonstrare non possunt Pontificii per quos, ubi, quomodo, quando successivè conservata sit. Norunt illi quid petant à nobis demonstrari in successione aut mutatione doctrinæ & Ecclesiæ. Quod absurdum & delirum eorum postulatum ex professo & operosè examinamus in *Desperatâ causâ Papatus lib.* 3. *sect.* 1. Quod hic recurrunt ad inventionem crucis per Helenam Constantini matrem, illud ipsum est ignotum probare per ignotum. Vide *Autores* infra *citandos*. *Quarto*, si exstaret crux, & conservata fuit aut conservanda, non posset satis reprehendi tepor aut profanitas primitivæ Ecclesiæ Apostolicæ, & quę illam subsecuta est primo, secundo, tertio sæculo; quæ tam venerabile lignum in cimeliis & in primâ suâ curâ non posuerit,

posuerit. Et hinc sequeretur, sequioris & deterioris ætatis Ecclesiam multò prestantiorem fuisse quod ad divina privilegia, spirituales Thesauros, & devotionis intensionem atque extensionem, quam Ecclesiam primam. *Arg.* IV. Si adoranda crux, ergo vel in se, absolutè, & materialiter; vel formaliter seu relativè ad Christum. Non prius, quia est lignum; nec hoc volunt Pontificii; ergo posterius. Sed tum coleretur, vel quia instrumentum fuit passionis, vel quia instrumentum fuit redemptionis seu salutis, vel quia contactu corporis Christi sanctificatum est, est, vel quia Christum repræsentat. *Primum & secundum* supra rejecimus; & si daretur (quod tamen falsissimum) cooperatam esse crucem saluti nostræ, non tamen sequitur eam adorandam: deberent enim Biblia, Apostoli & Euangelistæ adhuc viventes, immo omnes boni Concionatores, sacramentum Baptismi, & Cœnæ religiosè adorari tanquam συναίτια salutis. *Tertium* nullo modo fundat adorationem: Quia, non omne quod Christi corpus in his terris attigit, præsertim in passione, est sanctificatum; sequeretur enim & manus militum, & labia Judę esse sanctificata. Deinde, siquidem daretur aliquo contactu crucem tunc sanctificatam, desineret tamen illa relativa sanctitas cessante illo contactu: nam alioquin loca illa Hierosolymę & extra eam omnia etiam hodie essent sancta, quæ Christus pedibus suis (præsertim tempore passionis) perambulavit. *Denique* detur per illum contactum indelebilem Sanctitatis characterem esse impressum; inde tamen non sequitur esse adorandam. Biblia enim, Baptismus & Cœna, omnesque veri fideles in his terris sancti sunt; non tamen adorantur. *Arg.* V. Ab absurdis consequentibus. 1. *Quod* plura statuuntur numina. 2. *Item* plures adorationes divinæ aut religiosæ; directę scil. & indirectæ, reflexivæ, per accidens, &c. Quæ commenta Perroni & similium Sophistarum, vide detecta à *Riveto in Decalogum*, & *Molinæo in Novitate Papismi*. 3. *Quod* nulla irrationalis creatura adorationis, honoris, cultus sive religiosi, sive civilis capax sit. Hoc agnoscit Doctor Parisiensis *Iudocus Clichtoveus in Paraphrasi ad Damascenum de Fide Orthodoxâ. lib.* 4. *cap.* 12. *fol.* 309. Sed distinctionis panaceam advocat *Marcus Vigerius* Cardinalis in *tractat. de Excellentiâ Instrumentorum Dominicæ Passionis, p.* 421. edit. Duacenæ in 4. Ubi concedit æquum non esse, ut rebus non intelligentibus, sentientibus, vivențibus latriam, hyperduliam, duliam *suâ ipsorum gratiâ* impendamus: & addit, *Verum si ob summi Regis excellentiam Dominicæ Passionis instrumenta inspiciamus, tanquam Christo Regi conjuncta, latriâ erunt adoranda simul cum Rege, vel Hyperdulia, si cum Regiâ carne ea fuerimus venerati.* 4. *Quod* hypothesibus, quas substruunt staurolatriæ, admissis, religio nullis non creaturis in ordine

seu

seu relatione ad Deum aut Christum deferri possit. Et quidni diabolo Christum vexanti, tentanti & de loco in locum transferenti? Hæc aliaque absurda indicant & evincunt *Scriptores de Idololatriâ in genere, & in specie de Idololatriâ Romanâ.* Qui videndi, *Arg.* VI. Accedat consensus antiquæ Ecclesiæ, qui ex tribus potissimum elucet. 1. *Ex* dictis & sententiis Patrum, ut Minutii in Octavio: *cruces etiam nec colimus, nec oramus,* (sic editio *Elmenhorstii*; sed *Ioh. à VVouvveren* in 8. & *Heraldi* in 4. legit *optamus*) *Vos qui ligneos Deos consecratis, cruces ligneas, ut Deorum vestrorum partes, forsitan adoratis.* Ambros. in Orat. Funebri de obitu Theodosii ad Honorium ejus filium: *Invenit ergo* (Helena) *titulum, Regem adoravit, non lignum utique: quia hic gentilis error, & vanitas impiorum. Adoravit illum, qui pependit in ligno, scriptus in titulo.* 2. *Ex* eo quòd à Gentilibus objecta staurolatria, per Christianos Doctores repulsa & refutata sit. Tertull. apolog. cap. 16. *Sed & qui crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster, cum lignum aliquod propitiatur, Viderit habitus, dum materiæ qualitas eadem est; viderit forma, dum id ipsum Dei corpus sit.* Cyrill. Alexandr. *libr. 6. contra Iulianum.* §. 5. ubi ad objectam adorationem ligni crucis, nihil aliud defendit, quam haberi ut picturam & signum memoriale. Atque hæ quidem rationes, ad quas excipiunt Pontificii; atque insuper objiciunt apud *Bellarminum.* 1. *Object.* Quia Christus sibi elegit crucem, ut altare, summi sacrificii, ut instrumentum liberationis, &c. 2. *Object.* Quia multa mysteria cruce significantur; quo trahit. *Ephes.* 3. 18. 3. *Object.* Ex inventione crucis. 4. *Object.* A testimoniis veterum. 5. *Object.* Ab exaltatione Crucis, & restitutione. Hic adde miracula Crucis: quæ ab *Autoribus* suprà *cit.* & *Baronio*, & *Catechismo Historiali* notantur; quibus adde *Surium in Vitis Sanctorum.* 6. *Object.* Quia locus sanctus *Exod.* 3. 5. & femicinctia Pauli, & sacramenta, &c. Solutiones dabimus coram in ipsâ disputatione: Si quis Autores requirat, supra *parte* 1., & hic rursum indicamus *Conradum Deckerum*, qui peculiari *tract. de Staurolatriâ Romanâ* Bellarminum doctè & plenè refutavit; Idem præstitit *Hospinianus de Templis*, edit. posterioris *lib.* 2. *capp.* 19. 20. 21. *Idem de Festis*, *pag.* 82. 83. 135. ubi objectiones 3. & 5. fusè refutat. Et *Chamierus in Panstratia*, *tom.* 3. *lib.* 22. per totum; & *Marbachius in disp. de Cruce*, sed quam non vidi, nisi apud Antagonistam ipsius *Gretserum tom.* 3. *lib.* 3. *append.* 3.; Adiri etiam potest *Amesii Bellarminus Enervatus*, ubi argumenta ex Scripturâ & ratione deductâ retundit; & *Rivetus Cathol. Orthodox. tom.* 1. *part.* 2. *quæst.* 20. ubi imprimis respondet ad ea quæ ex antiquitate afferuntur; cui adjunge *Problema Catholicum Perkinsi*, & *Raynoldum in libros Apocryphos lectione* 241. 242. 246. 247. *eundemque colloquio cum Harto cap.* 8. *sect.* 4. *p.* 343. edit. in fol.

Ioh. Forbesium lib. 7. Instruct. Historico-Theolog. cap. 8. & *p.* 450. Et *Elmenhorstium in Commentario ad Minutii Octavium pag.* 49. edit. in fol. Summa responsionis Elmenhorstii huc redit, eos per metonymiam cruci adscribere, quod propriè Christo fuit tribuendum. Et citat in hunc finem *Chrysost. in Matth.* 16. *homil.* 55. *Ambrosium de Cruce Christi sermone* 55. *part.* 3. *Athanasium tom.* 1. *in passionem & crucem Domini, Nazianzenum Orat.* 2. *in Pascha, & Orat.* 2. *in Iulianum, Theodoret. Orat.* 6. *de Providentiâ*, alioisque, qui totam salutem Cruci tribuunt; quę unico Servatori crucifixo à Scripturâ tribuitur: tribuunt, inquam, propter Christum, qui in eâ passus est. Quod nisi metonymicè intelligas, totam fidem Christianam ab iis sacrilegè eversam, dicendum esset.

Concl. 4. Imago Crucis nullo modo adoranda est. Probatur argumentis plerisque pro concl. 3. allatis: quibus adde 1. *Arg.* Quia dato prototypon adorandum, hinc tamen non sequitur imaginem adorandam: honor enim exemplaris in exemplum non transit. 11. *Arg.* Quia nullæ imagines adorandæ: cujus argumenti deductionem & defensionem vide apud *nostros Disp.* præcedente *de Imaginibus citatos.* 111. *Arg.* Quia crux non est imago Christi crucifixi & mediatoris à nobis divino cultu unà cum Patre & Spiritu Sancto invocandi: non magis enim dici potest imago ejus, quam lancea, clavi, cumulus Golgatha, vincula, manus militum. 1v. *Arg.* Quia nondum certum est, ne quidem certitudine humanâ & historicâ, quæ fuerit forma crucis, immissa scilicet an commissa: ut videre est apud *Bellarminum cap.* 26. & *Lipsium de Cruce lib.* 1. *cap.* 6. *Baronium ad ann.* 34. 62.; cum quibus confer ex nostris *Deckerum lib.* 2. *cap.* 2. Ut nec certum est quæ fuerit forma crucifixionis, & consequenter qualis debeat esse genuina imago Christi crucifixi seu in cruce pendentis. Vide quæ de quatuor clavis Baronius anno 34. num. 118. *Antiquiores*, inquit, *imagines quatuor ipsum affixum clavis repræsentant &c. sed aliam sententiam de tribus recentior probavit usus. Iohannes Molanus libr. de Picturis sacris cap.* 24. pro quatuor clavis ex suis testes producit, *Innocentium tertium, Gabriel Biel, Brigittæ Revelationes.* Et sic determinat: *Non sunt veteres imagines reprehendendæ. Sed nec reprehendo: quod Christus nunc constanter tribus clavis cruci affigatur.* Hæc scil. antiquitas superstitionis Romanæ. De iisdem ac de ligno suppedaneo *Augustinus VVichmans Brabant. Marianæ lib.* 3. *cap.* 11. Et *Corn. Curtius* Augustinianus *peculiari tractatu de Clavis Dominicis*, anno 1634. secundò edito. *Alphonsus Paleottus* & *Felix Mallonius in Libro de sacro Sindone* & *Gretserus tom.* 1. *de Cruce*, *Corn. à Lapide in Matth.* 27. *Chifletius de Linteis sepulcralibus Christi, cap.* 31. Citatur à *Ioh. à VVouwer in notis ad Minutium p.* 158. *Ioh. Matthæi VVackeri* Consiliarii Cæsarei

Synta-

Syntagma de Cruce. Sed hactenus illud non contigit videre. Ex noſtris *Molineus in tract. de Reliquiis*, edito cum *Epiſtola Nyſseni*, & *Deckerus loc. cit.*; *Caſaubonus in Exercit. ad Baronii Annales*; & *Scaliger in Euſebianis*, contra quem tamen in nonnulliis excipit *Fullerus Miſcellan. lib. 4. cap. 12. v. Arg.* Sequeretur hoc abſurdum: pariter imagines pictas aut ex materiâ aliquâ formatas, omnium clavorum, lancearum, ſepulcrorum, tumulorum infelicium (Belg. Galgen-bergen) vinculorum, flagellorum, coronarum ſpinearum, ſputorum & phlegmatum, manuum carnificum, &c. religioſè adorandas. Antitheſin ſuam de adoratione Imaginis Crucis, etiam non adpictâ vel additâ imagine Chriſti probat *Bellarminus* iſtis objectionibus, quarum *Object. 1.* Quia apparebit ſignum filii hominis, &c. *Matth. 24. 30.* *Object. 2.* Ex teſtimoniis Conciliorum. *Object. 3.* Ex teſtimoniis & uſu veterum. *Object. 4.* Ab apparitione & miraculis Crucis, ubi imprimis nobilis illa crux Conſtantino viſa, cum hiſce verbis: *in hoc vince*, &c. Quod commentum excuſſum vide à *Raynoldo in coll. cum Harto pag. 345. cap. 8.* & à *Iacobo Gothofredo in Comment. ad epit. Philoſtorgii, lib. 1. cap. 6.* Nos infra *part. 3. §. 5. Probl. 5.* idem attingimus: ubi vide. Hic adde effecta miraculoſa ex *Catechiſmo Hiſtoriali.* Nec prętereunda rarior illa crucis imago Trajecti ad Moſam, de quâ *VVichmans* & *Gretſerus*; *lib. 4. pag. 538.* & celebris illa crux in Hoboken / de quâ idem *VVichmans lib. 3. cap. 11.* & *libellus Fraternitatis, Crucis in* Hoboken. *Obj. 5.* Quia ſigna rerum ſanctarum ſancta & venerabilia ſunt. Adde *Object. 6.* Ex Jure Civili, apud *Rhyntelen in Iuriſta, loco cit.* Solutiones iſtarum objectionum vide apud *Autores* ſupra *cit.*

Concl. 5. Character crucis non eſt adorandus ſeu religioſè colendus. 4
Probatur argumentis ſupra allatis; & ſumma omnium ſit: Si ipſa crux, aut imago ejus non adoranda; ergo multo minus character ejus. Antitheſin ſuam ſic probare conatur *Bellarminus. Object. 1.* Sanguis agni in poſtibus *Exod. 12.* nihil aliud ſignificabat, quam ſignum crucis. *Object. 2.* Et Tau in frontibus *Ezech. 9.* coll. cum *Apocal. 14. 1.* & *7. 4.* *Object. 3.* Jacob cancellatis manibus benedicens filiis Joſephi *Geneſ. 48.* ſignificavit benedictiones aliquando peragendas ſigno crucis. *Object. 4.* Ex teſtimoniis veterum. *Object. 5.* Ex miraculis. Adde ex *Bellarmini* exceptionibus rationes noſtrorum. *Object. 6.* Quia triplex ejus eſt effectus & quidem ex inſtituto divino: terret enim diabolum, qui eam timet ut canis baculum; pellit morbos, &c. (Hic imprimis confer *Catechiſm. Hiſtor.*); ſanctificat ea, quibus imprimitur. *Object. 7.* Ex iiſdem objectionibus deſumpta: Quia vim habet ex opere operantis, eo modo, quo oratio, *nam ſignum crucis eſt invocatio quædam. Object. 8.* Ex iiſdem exceptionibus:

Quia ex opere operato, & ex instituto Dei valet contra diabolum. *Object.* 9. Addatur ex *Baronio*: quia apud Judæos & Gentiles fuit signum salutis. Quod refutat *Casaubonus Exercit.* 16. §. 78. & reliquas objectiones *Autores* supra *citati.* 10. *Denique* exceptio capitalis & ultimata est, per distinctionem adorationis *per se*, & *propter se*: Aliud enim est imaginem *per se* adorari, & aliud *propter se* adorari. Sicuti aliud est exemplar adorari in imagine, & imaginem adorari propter exemplar. *In se* adorari & proximè actum illum terminare, licet tota ratio ejusmodi cultus & observantiæ sit ipsum exemplar quod in imagine exprimitur; non secus ac dum observatur legatus propter regem, &c. Sic *Vasquez ad* 3. *Thomæ disp.* 108. Cujus sententiam adoptat *Chifletius* & applicat sindonibus & linteis sepulcralibus Christi, *cap.* 36. quæ eodem cultu, quo Thomas crucem, adoranda statuit. Ibidem refert *Iulium* 2. *in Bulla*, anno 1506. sindoni Camberiensi festum diem ac proprium officium constituisse.

5 Posterior principalis controversia, quæ nobis cum Papatu intercedit, est: An crucis usus sit in sacris & extra ea, tanquam sacramentalis habentis mysticam & sacram non tantùm significationem, sed & operationem seu efficaciam, atque adeo meritum à merito crucifixionis seu mortis & passionis Christi distinctum. *Aff.* Pontificii qui de cruce scribunt, hactenus à nobis citati, inter quos emicat *Gretserus tom.* 3. *lib.* 3. *append.* 2. *cap.* 2. & 3. Et *Catechismus Historialis loc. cit.* Sed sufficerit hic exhibere verba precationis in Pontificali Romano tit. de Benedictione novæ Crucis: *Sanctificetur istud lignum, & benedictio illius ligni, in quo membra sancti Salvatoris suspensa sunt, sit in isto ligno: ut orantes, inclinantesque se propter Deum ante istam crucem, inveniant corporis & animæ salutem.* Nos omnia ista *Neg.* ducti istis rationibus. 1. Generales seu communes rationes sunt, quas infrà adferimus in *Disput. de Sacramentalibus*: ubi videndæ. 11. Quia aut substituitur meritum & efficacia illius crucis, merito Christi, operationi & speciali gratiæ Spiritus ejus, verbo & sacramentis, aut in societatem causalitatis cujusque admittitur; aut singenda est nova & peculiaris causalitas, genere & specie ab illis distincta; *Primum* si quis dicat; jam plane negatur Christus & gratia ejus, quod Gentile aut Judaicum plane: adhæc negatur necessitas & efficacia moraliter instrumentalis verbi & sacramentorum. Sed hoc nolunt Pontificii. *Secundum* dici non potest, nisi quis imagini crucis, aut characteri tribuere vellet meritum valore infinitum quale est Christi, idque propter æternam ipsius Deitatem: adhæc eidem imagini tribuat efficaciam infinitam qualis est Spiritus Sancti supernaturaliter intra cor humanum operantis, quæque soli Deo competit, & unde argumentum solidissimum deduci solet ab Orthodoxis contra

Anti-

Anti-trinitarios pro Deitate Spir. S. Insuper, non potest cruci tribui vis & efficacia organica in cooperatione salutis nostræ, qualis tribuitur verbo & sacramentis, & quidem excluse, in illo genere causalitatis. *Roman.* 1. 16. 1. *Cor.* 1. *v.* 21. III. Ab absurdis consequentibus, 1. *Quia* usus hic accedit ad Magicas superstitiones, aut cum iis coincidit: ibi enim adhibent figuras & caracteres, &c. Confer suprà *Disp. de Superstitione* & *de Magia.* 2. *Quia* non auget justitiam, fidem, devotionem, sed potius excutit: homines enim confusi panacæâ illâ crucis & obvio ac facili isto opere operato, in spirituali & intimâ praxi fidei, resipiscentiæ, ac caritatis circa Christum crucifixum flaccescunt, ut eam susque deque habeant. 3. *Quia* ludibrio exponit Christianam religionem apud extraneos.

Accedamus nunc ad problemata quædam, quorum alia magis dogmatica & practica generalia; alia magis hypothetica & historica seu magis particularia. Prioris generis sunt. 1. *Probl.* An crucis usus in sacris, solummodo tanquam signi memorativi, aut significativi Christianismi adhibendus? *Resp.* Signum potest intelligi vel purè arbitrarium, simplex, commune & adiaphorum (qualis ex. gr. impositio manuum); vel mysticum & formaliter sacrum: Si posteriori modo explicetur & defendatur crucis usus in Ecclesiis nonnullis extra communionem Romanam (uti aliqui illius patroni in fervore disputationis eò aliquando abripiuntur, aut ab adversariis eò adiguntur), utique iisdem argumentis urgendi, quibus omnia sacramentalia & pseudo-sacræ ceremoniæ Papatus. Sin dicantur tantùm esse signa arbitraria, haut aliter assumta, quàm vulgaria insignia, aut imagines in arte Mnemonicâ, historiæ & memoriæ causâ: tamen omittendæ sunt tanquam 1. Idolothyta. 2. Tristia & fastidiosa monumenta horrendæ idololatriæ. 3. Scandala & occasiones seductionis Papistarum. 4. Species externæ symbolizationis cum Papisticâ staurolatriâ. 5. Breviter quia majus est damnum emergens metuendum, quàm utilitas inde speranda. Quo in casu omnia non necessaria, quamvis darentur esse adiaphora & in se non illicita, omittenda & abolenda sunt. Quæ argumenta cum solidâ refutatione exceptionum vide confirmata apud *Autores* suprà *citatos, Parkerum* scilicet, *Amesium, Didoclavium.* Nos axiomata, distinctiones, & fontes generales solutionum suprà indicavimus in *Disp. de Idol. indirecta, parte* 1. usum crucis post baptismum strictim attigimus *ibid. part.* 2. *thesi* 7. 11. *Probl.* An cruces in turribus templorum, una cum gallis, aut sine illis retinendæ à Reformatis, ubi tolli possunt; aut ubi non sunt, de novo antiquis aut novè ædificatis Templis imponendæ; & an piè, utiliter, prudenter Theologi hæc ædilibus, aut populo, aut Magistratui in casu con- 6

scientiæ suadere possint? *Resp.* Non agitur aut quæritur hic de tolerantiâ aut conniventiâ: nec de licito usu templi, cui cruces adhuc impositæ sunt, immo in cujus vitris, columnis, vestibulis, &c. etiam num conspiciuntur: nec de reali executione Theologorum non zelantium aut contendentium pro crucibus in turri, templi tecto, cœmiterio retinendis, aut reponendis; an scil. ipsi actu eas dejicere debeant, aut dejectionem ab ipsis peragendam tentare & velle: nec disputatur propriè de magnitudine hujus defectus, aut negligentiæ, aut παρεράματος: sed quæritur quid ex indicio Scripturæ pietas & prudentia Christiana Theologorum debeat suadere, inculcare & commendare Magistratibus, ædilibus, populo, Ecclesiæ. Præmissâ hâc limitatione nos *Neg.* Rationes in Problemate præcedente allatæ huc applicandæ: quia quod ad summam rei eadem fere utriusque ratio. Specialiter hic exprimendum, à Pontificiorum sensu, intentione, & praxi esse recedendum, non tantum formaliter, & protestatione verbali, sed etiam materialiter & ipso facto. II. Quia pinnaculum illius figuræ turribus impositum nullum habet usum necessarium sive Ecclesiasticum, sive Politicum. Ergo talis figura sive in Templo sive super Templo aut turri symbolizans cum idolo crucis in Papatu, potius aut removenda, si fieri possit, aut omittenda, ubi non est. III. *Accedit* praxis Reformatorum, qui ubi penes ipsos potestas fuit, & commodè fieri potuit, hoc effecerunt, ut aliæ quæcunque figuræ ornatus causâ, aut aplustrum (ita loqui liceat) ad ventorum indicium, aut nihil omnino superponeretur. Provoco ad Galliam, Scotiam, Hungariam, (de quâ nuper indicium mihi fecerunt Doctiss. Theologiæ Studiosi ex illâ gente hic commorantes), Belgium nostrum, illis scil. locis, ubi nova Templa extructa. Nolim tamen negare alicubi per ædilium, aut patronorum negligentiam, aut ignorantiam, aut contendendi studium prævaluisse antiquam consuetudinem: non tamen defuerunt officio suo Ministri, sed fecerunt quod debuerunt, quantum in se est. De Helvetiâ & Germaniâ locuples testis est *Gretserus tom. 3. lib. cap. 6. & lib. 5. cap.* 32. & nostri nunquam hoc negârunt, aut eum mendacii arguerunt. IV. Addenda praxis communis Ecclesiarum in Belgio, quæ hoc sedulo agunt apud Magistratus, ut cruces omnes intra aut extra Templa, in Cœmiteriis, in loculis, in pannis sepulcralibus, in tumulis, in sertis, &c. tollantur. Hic provoco ad *Acta Synodiorum, Classium, & facta quotidiana.* Exstat *Decretum Synodi Zuydhollandicæ Gorinchemensis, anno* 1595. ut tollerentur cruces ex vitris Templorum, tanquam res superstitiosę. Et *Decretum Synodi Noort-Hollandicæ, anno* 1642. *artic.* 31. de tollendis crucibus in Cœmiteriis. V. *Denique* suffragatur exserta determinatio præstantissimorum Theologorum: qui specialiter

cialiter perstringunt cruces in turribus Templorum, *Hospinianus de Templis cap.* 27. ubi gallum & crucem impositam inter traditiones Papales, & *inutiles superstitiones* recenset, quem propterea acriter incessit *Gretserus tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 6. Idem de cruce in turri judicat *Marnixius Alvearii tom.* 2. *part.* 3. *Beza homil.* 15. *in passionem, p.* 371. edit. lat. in 8. taxat Papistarum gallos in turribus. Idem in responso ad acta Colloquii Mompelgardensis part. 2. pag. 14. sic de Crucibus: *Si ex animo loquitur D. Andreas, cur non cruces & crucifixorum idola sustulerit; immo cur alibi sublata vel curaverit ipse, vel passus sit restitui, cum nulla idola magis propensos ad idololatriam homines reddant.* Ubi ut & pag. 23. *Cum nullo magis in simulacro sit peccatum.* Et *pag.* 25. effugia & exceptiones Jacobi Andreæ diluit. Ejusdem vestigiis insistit *Daneus contra Bellarminum*, quem insectatur *Gretserus loc. cit. Marbachius in Thesibus* (apud *Gretserum lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 394.) opinionem Costeri de cruce & gallo, in turre positis, ut peccatores dum ea eminus vident, pœnitentiæ Petri, & veniæ per crucem concessæ recordentur, sic reprehendit: *Hæc explicatio & applicatio maximè pugnat cum Historia, &c.* Memini mihi à Reverendo & veterano Theologo, p. m. aliquando relatum, Calvinum cum Collegis suis seriò admodum privatim publiceque pro concione monuisse Genevenses, ut crux in summitate Templi aut turris relicta auferretur: quod cum non fieret ab illis qui poterant, eam ablatam esse casu & modo quodam non vulgari, quem hic non referam. Affirmabat mihi venerandus Senex, se aliquoties à Viris fide dignis (& inter eos, Theologis) hoc audivisse, cum Genevæ studiorum causâ commoraretur. Ita ut minimè credendum sit Theologos reformatos (præsertim in Galliâ) delectatos fuisse crucibus in turribus, aut pro iis sive retinendis sive reponendis zelatos. Certè Calvinus in Epistolâ ad Knoxum pag. 213. b. edit. in fol. sic censet: *Certè luminaria, cruces, & ejus farinæ nugas ex superstitione manasse, nemo, ut arbitror, sano judicio præditus negabit. Unde constituo, qui eas in libera optione retinent, nimis cupidè ex face haurire. Nec video, quorsum attineat Ecclesiam frivolis & inutilibus ceremoniis, ne proprio nomine noxias appellem, onerari, ubi puri & simplicis ordinis libertas nobis permittitur.* Quo magis miror hæc, & quæ istius generis hypomnemata conscientiis nostrorum datâ occasione ad abundantem cautelam, à me suggesta sunt, tam temerè rideri & explodi à non nemine. Sed audiamus quibus hæc causa agatur. 1. *Cruces ibi repositas, nullum alium nunc habere usum, quam ut ventorum spiracula notent, & loca sacra à profanis distinguant. Resp. Primò*, Si in Papatu nullo alio fine fuissent, aut etiamnum essent: utique non adeò curandum esset, cujus figuræ esset pinnaculum turrium. Sed quandoquidem hæc figura seu imago crucis etiam hodie abominandum

dum idolum est in Papatu, & publica professio Staurolatriæ, & consequenter inter nos, quidquid contrà protestemur, periculosum monumentum idololatriç, & excelsum quasi relictum & occasio posteris nostris relabendi in aliquam superstitiosam crucis conscientiam, & consequenter idolothyton, aut saltem ejus umbra ac species: aliâ potius pinnaculi formâ uti possemus in tectis & turribus Templorum. *Deinde*, Reformati nostri in Galliâ, Scotiâ, Helvetiâ, Germaniâ, Ungariâ, non ignorârunt cruces posse inservire pro pinnaculis aut ornamentis, æque ac aliam quamcunque figuram, & tamen eas sustulerunt. Quibus insignis imprudentia, & perversitas ab ejusmodi crucis apologiis haut obscurè exprobrari videtur. Quæcunque enim mihi hoc in casu, aliisque similibus ad idololatriam indirectam pertinentibus hic absurda impinguntur, *Calvino, Bezæ, Danæo, Hospianino, Raynoldo*, Ecclesiis reformatis in Galliâ, Scotiâ, Belgio, &c. pariter, immò multo magis (quia mihi præiverunt) impinguntur, & calumniarum Pontificiarum spicula in illos egregiè acuuntur. *Quid ominis nunc caperet cruentus ille tyrannus* (Solymannus scilicet) *si videret in Germaniâ tot crucium millia ex Ecclesiarum verticibus decussa, &c. improbitate & perversitate hæreticorum.* Sunt verba Gretseri tom. 3. lib. 5. pag. 32. Vide eundem *lib.* 3. *cap.* 6. ubi loca Helvetiorum Papistica à Reformatis per cruces Templorum distingui ait, & quidem in chartis chorographicis, quas nostræ Religionis chorographi ibidem edunt. Paulo post addit: *Si Calviniani crucem non odissent, non eam ex culminibus turrium deturbarent. Tertiò*, lepidum illud idiotarum effugium de spiraculis ventorum responsum non meretur: majori ergo ratione & colore, ac minori cum specie mali, nautæ suis malis crucem imponerent. *Quartò*, de locis sacris à profano quovis distinguendis, quo stylo & sensu hoc dicatur, non intelligo. Agimus hâc de re in *Disp. de Templis*; & infrà in *disp. de Benedictionibus*. Si quis tam bliteus esset, ut distinctionem inter Templum, & inter curiam aut aulam, aut caulam, aut macellum, aut bursam mercatorum, aut palatium Danistarum, aut sphęristerium non videret, quid si illius simplicitatem scedulâ valvis affixâ, aut libro seu codice Bibliorum appenso, ut distinguamur à Pontificiis (quomodo olim Bohemi calice turribus imposito templa sua à Pontificiis) aut alio quovis indicio juvandam diceret, quibus clavis trabalibus cruces tum retinerentur? Sed nimis futile & ludicrum hoc effugium. 2. *Immo vix illæ alium sub Papismo usum obtinuerunt. Resp.* Vix autim suspicari ex ignorantiâ hoc dici. Cogar ergo mirari, & dolere à Theologo aliquo in controversiis Pontificiis versato ἀμετρίαν ἀνοήτου, quâ contra mentem & protestationem Pontificiorum, ipsorum superstitio coloratur. Quâ arte usi nuper *Militierius* & celeberrimus *Grotius*

tius ab utrâque parte vapulant. Repono, Pontificii *Primo*, cruci quocunque in loco, præsertim sacro (secundum ipsos) constitutæ, symbolicam & sacram significandi & operandi vim tribuunt. Vide *Catechismum Historialem*, *Gavantum in Thesauro rituum*, *Gretserum tom.* 3. *lib.* 3. *eundem* passim *lib.* 2. *de Benedictionibus*. *Secundo*, speciatim cruci & gallo in turribus mysteria, & efficaciam attribuunt, Durantes in Rationali lib. 1. cap. 1. *Pinnaculum turris vitam vel mentem Prælati, quæ ad alta tendit repræsentat. Gallus super Ecclesiam positus prædicatores designat. Gallus enim profunde noctis pervigil horas ejus cantu divisit. Dormientes excitat. Diem appropinquantem præcinit. Sed prius seipsum alarum verbere ad cantandum excitat. Hæc singula mysterio non carent, &c. Hi etiam sicut & gallus contra ventum se vertunt, quin increpando & arguendo contra rebelles fortiter resistunt. Ne lupo veniente fugisse arguantur. Virga ferrea in quâ gallus sedet rectum repræsentat prædicantis sermonem ut non loquatur ex Spiritu hominis, sed Dei juxta illud: Si quis loquitur quasi sermones Dei, &c. Quod vero virga ipsa est supra crucem seu summitatem Ecclesiæ posita. Innuit sermonem Scripturarum consummatum esse & confirmatum. Unum Dominus in Passione ait: Consummatum est. Et titulus ejus super eum indelebiliter scriptus est Tolus, id est summitas Templi eminens & rotunda super quem crux ponitur propter sui rotunditatem, significat, quòd perfectè & inviolatè Catholica fides prædicanda sit & tenenda.* Similiter crucis efficaciam inculcat *Augustinus Vichmans in Apothecâ spirituali cap.* 71. *aliique Scriptores Theologi de Peste. Costerus in Enchiridio* ex professo, quem operosè contra Marbachium defendit *Gretserus lib.* 3. *Appendic.* 2. confer & *libr.* 3. *cap.* 6. *Tertio*, nostris Ecclesiis & primis Reformatoribus, quin & hodiernis Theologis usum crucium in turribus Papalibus longè alium notantibus videtur haut obscurè nota inuri craſſæ ignorantiæ, & atrocis calumniæ. Vide *Hospinianum*, *Marnixium*, *Bezam*, *Marbachium*, *Daneum*, supra *cit.* Sed pluribus hanc assertionem de usu crucis templaris in Papatu prosequimur *parte* 3. sequente, §. 1.

DE STAUROLATRIA SIVE CULTU ET ABUSU CRUCIS,

PARS TERTIA.

Resp. JOHANNE ROLDANO, Trans-Halano.

Ad diem 8. *Iulii. Anno* 1643.

1 EXcept. III. Speciatim non videre se dicit, *cur tam infensus sim crucibus illis, quæ templis sunt impositæ, aut quare debeat religiosissimum Magistratum idololatriæ insimulare, quod eas vel patiatur ubi sunt, vel etiam curet reponi, ubi collapsæ sint*: ubi rationes aliquot subjicit quas infra excutiemus. *Resp.* 1. Amplificatio illa quod tam infensus sim crucibus in turribus transeat cum cæteris istius generis rhetoricationibus. Eaſdem & similes antehâc nostris opposuerunt Pontificii & Lutherani mox infrà citandi. Fateor communem mihi causam esse cum Ecclesiâ reformatâ, (præsertim in Gallià, Belgio, &c.) ejus communem doctrinam & praxin proposui in *Disp. de Idololatriâ indirectâ*, eandemque hâc disputatione pro modulo defendo. Memini Sylvæ-Ducis anno 1629. & 1630. in urbe & agro suburbicario mensibus aliquot rumorem sparsum de miserabili & horrendo exitu unius ex Concionatoribus (me autem designabant) quod tam infensus fuisset cruci, & quod tum Concionibus, tum consiliis & obtestationibus suis in eam hostiliter incurrisset, tantumque effecisset, ut crux lignea ex magno templo ibi tolleretur. Quæ fabula tragica postea Hispali in Hispaniâ peculiari chartâ, seu scedulâ Mercuriali vulgata fuit; cujus exemplum in nostrum idioma transl.tum, addito ab aliquo ex nostris epigrammate fabulam Papisticam non inconcinnè exsibilante, Amstelredami editum fuit. *Resp.* 2. Altera amplificatio, *quod quis* (secundum meam scil. doctrinam in *Disp. de Idololatria*) *debeat religiosissimum Magistratum idololatriæ insimulare*, quamvis videatur comparata ad odium doctrinæ & causæ meæ conflandum, pari jure relegetur ad rhetoricationes. Quæstionem quomodo ego proposuerim, Lector ibidem videat; si cui hoc tanti est. Quid si de religiosissimis Regibus, Proceribus, & Theologis in Angliâ cætera quam maximè Reformatis similiter quis amplificet in negotio de Cruce, quæ ibi post Baptismum formari solet: *Non video quomodo debeam eos idololatriæ insimulare?* Quid quæso responsuri essent Genevenses, Galli, Belgæ, Scoti, &c.

Resp.

Resp. 3. Saltem non esse partem Religionis, aut ejus actum, aut gradum excellentiæ Magistratui Christiano in casu & foro conscientiæ suadendum, aut admodum laudandum, reponere scil. in turribus Templorum collapsas aut sublatas cruces, certum est, propter rationes à nobis allatas, quæ logis & cavillationibus quibusdam arroduntur, non refutantur. *Resp.* 4. Ego multo minus rationes video, *cur novæ reformationis, purgationis Religionis, inscitiæ, temeritatis, imprudentiæ, noxiæ scrupulositatis, & captivatæ libertatis Christianæ* hi flosculi amplificationum, qui orthodoxæ Theologiæ opponuntur) insimulare debeam religiosissimos Magistratus & Pastores in Belgio, Germaniâ, Ungariâ, Galliâ, Scotiâ, &c. quorum zelo, consilio, operâ cruces illæ aut sublatæ sunt, aut saltem non repositæ, ubi collapsæ: uti supra *part.* 2. *thesi* 7. indicavimus. Addo nunc, verba Bezæ part. 2. act. colloq. Mompelgard. pag. 22. *Historicum autem & aliorum picturarum usus, longè aliud est à sacris locis, &c. propter idolomaniæ certissimum, ut tristissimo tot sæculorum exemplo docemur, periculum arcere, quam simpliciter eas fieri prohibere. Theologiam certè D. Andreæ non noverat Ezechias, quum æneum illum serpentem, &c. Quid autem illis temporibus apud æneum serpentem, & in locis excelsis patrârunt Israëlitæ, quod hodie qui excitatæ Euangelii luci adversantur, suis imprimis crucibus & crucifixis prolixè non exhibeant? Et Ecclesiæ scilicet ædificationi consulunt, qui tam execrandæ idolomaniæ fomentum retinendum, immo etiam, ubi sublatum fuit, restituendum censent (N. B.): cum tamen ne Constantini quidem Magni, qui tanti signum crucis materiatum fecit, ullus fuerit in sacris locis crucibus, nedum crucifixis locus.* *Resp.* 5. *Rationes*, cur cruces à Templis arcendę essent, habuerunt primi Reformatores & etiamnum habent ipsorum Imitatores satis multas. *Cruces* (inquit Beza ibid pag. 23.) *Et crucifixos retinuistis. Atqui nullæ magis imagines fuerunt eliminandæ, &c. Nam quo plus honoris exhibitum crucibus & crucifixis illis fuit, quam reliquorum, quos vocant, sanctorum imaginibus, tanto magis hæc impietas fuit.* Et in Præfatione ad part. 2. *Si ex animo loquitur D. Andreas, cur non cruces & crucifixorum idola sustulerit, immo cur alicubi sublata vel curaverit ipse, vel sit passus restitui, quum nulla idola magis propensos ad idololatriam homines reddant.* Rationes cur imagines (& consequenter majori jure cruces, ut vult *Beza*) non sint retinendæ aut restituendę, quamplurimas *ibidem* adfert, easque solidè defendit, *part.* 2. *à pag.* 17. *usque pag.* 38. Cum quo junge *Scultetum Orthodoxum*, hoc est, responsionem ad theses Thummii de Imaginibus; quâ defendit reformationem Sacelli Pragensis in arce seu aulâ jussu Frederici sereniss. Bohemiæ Regis prę-stitam, omnesque Lutheranorum exceptiones diluit. Ubi inter alia pag. 33. *Rationes in promptu multæ, non tam suadent, quam impellunt Magistratum,*

ut Imagines, quas veneratur hominum libido, exurat & destruat, &c. & pag. 19. *Partim sunt ac fuerunt superstitiosæ & idololatricæ: partim occasionem superstitionis, maximè infirmis præbent, &c. jam regula habet. Qui vult vitare peccatum, vitet occasionem.* & pag. 32. *Imagines, ubi etiam in privatâ domo, aut alibi,* εἶδος πονηρὸν *præ se ferunt, itidem auferantur.* Sed totus liber esset describendus. Conferendi etiam Autores, qui rationibus oppugnant crucem post Baptismum in Angliâ, quales *Didoclavius, Parkerus, Amesius*; quæ omnia analogicè huc applicanda. *Resp.* 6. *Respondemus*: Nos rationes non videre, cur tam improvidè confirmentur manus Lutheranorum, ceremonialium in Angliâ, & imprimis Pontificiorum. Velim videre quomodo tales Disputatores responderent Gretsero, objicienti tom. 3. lib. 1. cap. 23. Calvinianam hæresin *aversari imaginem crucis, & undecunque potest exterminare: penes quam, si in crucem plena potestas esset, jam non modo ex omnibus Templis profligata fuisset.* Et *lib.* 3. *cap.* 3. defendit crucem ad cultum in Templis esse propositam. Et cap. 6. *Vos*, inquit, *cur deturbatis tam sedulo, ut vix amplius vestris in ditionibus turris appareat, quæ salutari hoc trophæo fulgeat? Cur, inquam, deturbatis, nisi quia Alcoranico spiritu pleni estis, qui quam crucium sit impatiens, etiam in culmine turrium, non ignorant, q i historias non ignorant. Dicit hæreticus: crucem turribus Ecclesiarum eo consilio impositam, ut significaretur, Ecclesiam vel cruce redemtam, vel cruci in terris subjectam perpetuò fore. Cur ergo testem & præconem redemtæ Ecclesiæ de turribus præcipitastis, & adhuc quotidiè præcipitatis? cur hoc symbolum crucis spiritualis nusquam in vestrarum Ecclesiarum fastigiis apparet? An ideo abjecistis, ut significaretis vestras Ecclesias non esse subjectas cruci, sed genio, ventri, Veneri? An ideo abjecistis, ut indicaretis vos per crucem non esse redemtos, & Ecclesiam vestram non esse Ecclesiam crucifixi; sed stigmatici Calvini, aut Doggiensis Spartaci Zvvinglii?* Et paulò post: *At quod hæreticus noster crucis in turribus positæ causas alias reticet, non probo. Saltem addidisset tertiam, quæ est, tutela & munimen. Apponere potuisset etiam quartam, quæ est cultus & veneratio crucis. Nam si majores nostri crucem non honorâssent, nunquam in Templorum turribus sublimem collocâssent, sicut si Calviniani non odissent, non eam ex culminibus turrium deturbarent.* Ita Gretserus nostros crucibus in turribus infensos dicit: cui quid absque syncretismo aut symbolizatione aliquâ à reformato Theologo responderi possit & debeat, velim quidem audire. Sed non contentus Thesium nostrarum examinator dixisse, se rationes nullas videre, &c. insuper opponit rationes suas pro crucibus retinendis aut reponendis: quarum *una* est à fine & usu longè diverso ab idololatrico, seu Pontificio, qui est, indicare ventorum flabra, & distinguere Templa ab aliis ædificiis: quin & confidentior factus, adjicit, vix

alium

alium habuisse usum in Papatu. *Resp.* Quem usum habuerit in Papatu, discat Lector ex verbis *Gretseri* modo citatis. Sed ad hoc effugium *part. 2. thesi 7.* jam respondimus. Ibidem infrunitum commentum de ventorum flabris &c. tetigimus. Addimus nunc ceremoniales in Angliâ, & Lutheranos effugio hoc uti; quod scil. alio fine & usu retineant cruces. Sed effugio huic occurrit Beza part. 2. colloq. Mompelgard. ad thesin 3. pag. 23. 24. ubi inter alia: *Ecce illi D. Brentium totidem verbis ista scribentem in 20. cap. Exodi*: Hoc simpliciter prohibetur in politiâ Mosaicâ, nec licuit publicè in Ecclesiâ imagines instituere, etiamsi non adorarentur, nec colerentur. *Num verò D. Brentius quoque in istâ hujus præcepti parte fuerit Calvinista?* Effugium Ceremonialium in Angliâ vide solidè refutatum à *Didoclavio in altari Damasceno, pag.* 845. 846. *Altera* ratio examinatoris dicitur partim ab absurdis consequentibus, partim ab exemplis, factis, & autoritate. Sed eas melioris doctrinę causâ distinctè & seorsim singulas excutiemus.

Sit ergo IV. *Exceptio. Nova sanè textrina erit excogitanda, novi monetarum publicarum typi fingendi, nova ædium naviumque invenienda architectura, si cruces quælibet propter abusum idololatrarum sint abhorrendæ. Resp.* 1. Eodem præsumto absurdo reformatas Ecclesias urget *Theodorus Thummius in Disp. de Imaginibus* anno 1620. *thesi* 11. ut defendat suas cruces & imagines. Et Gretserus tom. 3. lib. 1. pag. 10. *Monet insuper moneta crucifera, quàm longè recedant à veterum pietate, qui crucis signa & imagines demoliuntur & exterminant, neque ullo pacto in Templis, usuque communi ferunt. Si enim veteres posuerunt crucis typos in nummis, quanto promtius id fecisse censendi sunt in Templis.* Et paulò post: *Calviniani vitale hoc signum tolerant in pecuniâ; quam ideo non abjiciunt quod signo crucis consignata sit, similes in hoc Iudæis, &c.* & pag. 12. *Si rerum summa penes Calvinianos foret, jam dudum pecunia, & ipse Imperatoris globus, crucis specie careret, & ut à Templis, ita etiam à nummis omnes cœlitum imagines proscriptæ essent, Turcico more, &c.* Et paulò pòst: Reginæ Elizabethæ *imago in quibusdam nummis argenteis coronata cernitur; non sine cruce in coronæ vertice, quam à Prædicantibus eradi vix crediderim, &c. Sed solenne hæreticis, ut tam factis, quam verbis sibimet ipsi adversentur. Resp.* 2. Resp. Reformati jam satis ad calumniosas & febricitantes has consequentias, ut mirum sit à Theologo eas ignorari; nisi forte eas improbet, & hic aliter sentiat. Sic enim Beza unâ distinctione ineptas has consequentias diluit part. 2. colloq. Mompelgard. pag. 25. *Historicum autem & alios civiles picturarum usus* (quod paulo post extendit ad cruces) *longè aliud est à sacris locis ex perpetuo Domini præcepto & perpetuo puræ Ecclesiæ usu &c. arcere; quam simpliciter illas fieri* 2

Prohibere. Et Scultetus tract. c. contra Thes. Thummii, pag. 17. *Geometrarum & Astronomorum lineas, superficies, angulos, circulos, figuras: Geographorum tabulas, mappas, lintea, Physicorum & Medicorum libros, quibus animalia & plantæ depinguntur, Politicorum insignia, monetas, vexilla, & ejus generis alia, quæ etiam sequens thesis attingit: volentes ipsi probamus & probavimus semper. Vtique nihil hic faciunt.* Et pag. 8. *Imagines Politicas, quæ in artibus & scientiis, vitâque communi usum probabilem nobis præbent, libente manu admittimus. Idem pag.* 37. Negat consequentiam illam Thummii: Si imagines tollitis, ergo etiam templa tollatis, necessum est. Posset quis eâdem consequentiâ urgere Reformatos, siquidem vasa aquis repleta in vestibulo Templi (quod similitudinem aquæ lustralis Gentilium & Pontificiorum referre videantur) non probarent: dicendo, ergo omnis aquæ usus in culinâ, tonstrinâ, &c. fugiendus est, & Reformati sunt hydrophobi. Sed nos in *Disp. nostrâ de Idololatriâ indirectâ* ita omnia distinximus, & infrunitis ejusmodi consequentiis aditum præclusimus, ut non satis mirari possimus, crambem hanc à quoquam, qui doctus & reformatus haberi vult, reponi. *Resp.* 3. Mirum est, unâ operâ non amplificatam hanc bellam consequentiam, imponendi nobis mutationem alphabetorum in variis linguis, quod literæ aliquæ alicujus crucis figuram referant: commissæ crucis Latinorum *T.* Græcorum *Tau*, Ægyptiorum seu Coptitarum *Dau*, Æthiopum *Psa*: *decussata*, seu crucis Andreæ (uti vulgò vocari solet), Græcorum & Ægyptiorum *Chi*: *immissa* talis, qualis in Papatu communiter pingitur & tanquam crux Christi adoratur, Abassinorum seu Æthiopum *Tavi*, & Coptitarum *Dei*. *Origenes*, & post eum *Hieronymus* supra *cit. in Commentar. ad Ezechiel.* 9. Samaritarum literam *Tau* ait ejusdem figuræ esse. Sed inspectio Alphabeti Samaritani hoc phantasma refellit: nec puto Hieronymum unquam literas Samaritanas vidisse, nedum ut eas didicisset. Ab illo tamen non pauci seducti, hanc opinionem tanquam autenticam præsupposuerunt & adoptârunt, ad stabilienda adorandæ suæ crucis mysteria. Ut *Commentatores in Ezechielem, Corn. à Lapide*, &c. præteream, *Morinus in Exercitationibus ad Pentateuchum Samaritanum, cap.* laborat, ut invitæ literæ Samariticæ *Tau* crucis figuram affingat, per detractionem scil. & additionem eam planè transformando pro libitu. *Pictoribus scil. atque Poëtis. Quidlibet audendi, &c.* Sed frustra ita nugatur. Quidlibet enim ex quolibet sic fieri, & cuilibet assimilari posset. Longè probabilius phantasmati suo indulgere potuisset in literis vulgaribus Hispan. Ital. Gall. Belgarum. &c. in literis F. & T. Sed ἄλις ῥήτωρ. v. *Except.* Urget nos novo absurdo: *Cavendum est prudenter, ne dum circa talia volumus esse nimis scrupulosi, etiam seditiones inter milites concitemus,*

quibus

quibus ita esset religio signa sua sequi, quod cruces plerumque depictas contineant. Resp. 1. Consequentia satis otiosa & odiosa: quæ perquam similis est calumniæ Lutheranorum qui postulatâ & affectatâ nostrorum mutatione circa illa adiaphora (quæ ita vocant) publicam Ecclesiarum ac Politiarum tranquillitatem novis motibus conturbari clamant. *Responsio Altingii in Syllabo controvers. pag.* 260, huic negotio analogicè applicetur. Est etiam hæc consequentia opponentis gemina *Gretseri de Nummis* (de quâ suprà), & alteri de globo crucifero Electoris Palatini (lib. 1. cap. 15. p. 55. *Libenter equidem ex Miseno meo Professore Heidelbergensi intelligerem, quibus oculis Calviniani prædicantes cruciferum hoc stemma intueantur. Nulla me dubitatio tenet, quin si tam impune furere ac grassari possent in cruces stemmatum principalium, quam impune bacchantur in cruces Templorum, jamdudum illustrissimum hoc & regium insigne ex insignibus electoralibus exturbassent.* At qui milites illi non magis abhorrebunt à cruciatis vexillis, quàm à cruciatis nummis; aut quàm Theologi Palatini à crucigeris insignibus Electoris, & insignibus Imperii, de quibus idem *Gretserus pag.* 74. 78. aut Concionatores reformati à Templis in formam crucis ædificatis, aut à turribus, quibus cruces & galli sunt *pro coronide & flaminum indice*, uti de iis determinat Examinator: non abstinebunt, inquam, à crucibus & cruciatis illis, quamdiu scil, insignia & coronides in nummis, in vexillis, in globis, in turribus non mutantur: Quæ mutare non est in ipsorum potestate. *Resp.* 2. *Interim*, certum est cruces etiam vexillis & nummis in Papatu imprimi & circumferri ad *cultum & venerationem crucis*, & ut præstent amuletum: uti demonstrat *Gretserus tom.* 3. *lib* 1. *cap.* 3. Alio tamen fine cruces olim coronis Regum additas, & vexillis expressas docet Martyr loc. class. 2. cap. 5. §. 20. pag. 222. *Citra superstitionem signum crucis à principibus in coronis gestatur, quoniam eo signo tantummodo profitentur ac testantur se Christianam religionem colere ac tueri. Porrò si licet insignia propria familiæ gestare, licet etiam signo crucis, Christianam religionem profiteri. Constantino autem Magno apparuit olim signum crucis in cœlo, inscriptio addebatur:* In hoc signo vinces: *quoniam Deus eum miraculo in Christi cultu, quem recens acceperat, confirmare voluit. Neque damnari potest, quod illud signum in vexillo, quo erat usurus, exprimi curavit. Sed quod postea hujusmodi signum aureum fecerit, minimè probo, quod eo facto superstitionibus non parvam fenestram aperuerit.* VI. *Excepit. Tot scrupulos circa res naturâ suâ adiaphoras non tam continere regulas vitandæ idololatriæ, quam libertati Christianæ compedes injicere. Resp.* 1. *Libertatem* Christianam prætexunt Neo-Lutherani apud *Thummium Thesi* 5. Sed respondit illis *Scultetus pag.* 11. 33. 35. 38. ubi docet propter offendiculum non esse liberum imagines (ergo nec cruces)

ces) retinere in Templis. Dicimus ergo libertatem non esse prętexendam ubi actum in specie ligat lex Dei, aut in individuo caritas proximi, & prudentia Christiana: quod hic fieri demonstravimus in *Disp. de Idololatriâ. Resp.* 2. *Adiaphorum* prætexunt iidem Lutherani, & ceremoniales in Angliâ: sed vide, quid responderint Hierarchicis *Didoclavius cap.* 9. ubi doctè *de Adiaphoris*; & *Amesius contra Mortonum & Burgesium de tribus Ceremoniis*, Lutheranis Altingius in Syllabo controvers. cum Lutheranis part. 2. Ubi *calumnias illas & Lutheranorum insigne calumniandi studium* (sunt ejus verba) detegit; & ostendit à Reformatis inter alia rejicientibus panes orbiculares, altaria & calices, albas vestes, geniculationes, cantiones latinas, imagines, organa, aliosque ritus *partim aperte, partim obliquè vetitos* (pag. 259.) res adiaphoras tanquam necessarias Ecclesiis non obtrudere, nec *Christianæ libertati* insidiari. Ego nihil aliud nunc reponam, quam quod Beza contra imagines Lutheranorum part. 2. colloq. Mompelgard. pag. 29. *Christus ne in ablutione quidem manuum Pharisæis quidquam concessit: quas res tamen per se ἀδιαφόρους esse liquet.* VII. *Excip. Si religio nobis debeat esse uti iis, quæ olim idololatriæ inservierunt, aut ejus videantur esse monumenta, oportebit cementa & lapides Templorum olim idololatricorum in pulverem redigere, ut factum à nobis in vitulo aureo, & in serpente æneo ab Hiskiâ: immo nec respirandus ille aër, qui olim Missarum reboatu personuerit. Resp.* Eâdem consequentiâ Bezam ad absurdum redigere tentabat *Iacobus Andreas.* Sed rectè negabat *Bezæ* consequentiam à crucibus & imaginibus ad templa, *pag.* 17. 18. imprimis *pag.* 28. 29. & *in Præfat. ad part.* 2. Et nos *negamus* cum *Bezâ* (qui ibi videndus) rationesque disparitatis in *disp. de Idololatriâ*, & antehâc in *disp. de Templis* satis superque indicavimus contra *recentiores nonnullos*, quos *Brovvnistas* appellant: nec hic repetimus. Quod ergo paulò antè pag. 49. dicit, *me plures adhibere cautelas circa usum Templorum, quæ olim inservierant Papistis, quam ipse canon Missæ habeat; viderique malle alibi quam in illis, si aquè commodè posset, nostra sacra peragi.* & pag. 44. *Idololatricum templa B. Virgini, Petro, Iohanni, Annæ dicare. An ideo cum Brovvnistis statuemus non licere in his Templis cœtus agitare sacros, aut qui ad illa conveniunt puri cultus causâ, quoniam prisca sua nominaretinent, idololatras fieri? Resp.* Aliam aut uberiorem hic non requiri explicationem & apologiam quam habet *Disputatio de Idololatr.* & scriptum nostrum *de Fraternitatibus Marianis*; sed tantum confirmationem ex verbis Bezæ, ut constet me nihil novi contra aut præter reformationem Gallicam & Belgicam attulisse: Sic autem ille pag. 29. *Templorum profanorum eversionem per se damnandam esse, ne ipse quidem D. Andreas dixerit. Et quod ad me attinet, optârim quamplurimis locis à Christianis Magistratibus*

stratibus ingentia illa templa quæ Pontificiam idololatriam suâ ipsorum formâ testificantur, & ad ambulandum, ac edendos boatus potius, quam ad commodè recipiendos auditores & ad audiendum Concionatorem sunt comparata, jam inde ab initio fuisse subversa (adderem ego, aut in aliâ palatia ac publica ædificia fuisse conversa; quod etiam in Belgio nostro aliquando factum), *& aliâ Concionibus ac sacramentorum administrationi commodiora exstructa.* VIII. *Excip. Tot scrupulis* (*speciatim circa cruces*) *novæ reformationes in nostrâ à Papismo reformatione cuduntur, ut conscientiæ piæ vix certi quidquam habeant, in quo acquiescant. Resp.* 1. *Antiquæ* & primigeniæ sunt reformationes Ecclesiarum, ut doctorum in Galliâ, Belgio, Scotiâ, Helvetiâ, &c. uti satis à me ostensum arbitror. Fateor tamen novas posse dici respectu Lutheranorum, aut ceremonialium in Angliâ, quia illi nondum tali ἀνεξηβείᾳ assueverunt; aut etiam respectu nonnullorum sæcularizantium & semineutralium, qui cum Grotio in pietate Ordd. Hollandiæ, primigeniæ & antiquæ nostræ Reformationi in Belgio aptent illud Poëtæ, *Excessit Medicina modum, &c.* Contra quos genuinam doctrinam & praxin Ecclesiarum nostrarum *in Disp. de Idololatriâ indirectâ* defendi. *Resp.* 2. Lutherani similiter pro non tollendis Imaginibus, aliisque, quæ vocant, adiaphoris obtendunt turbationes & scandala multorum: quibus respondet *Altingius loc. cit.* Idem obtendebant ceremoniales in Angliâ, contra purgatiorem reformationem Genevensem, Gallicam, Scoticam, Belgicam, &c. Quibus à multis solidè responsum: imprimis doctè & plenè ab Autore aut Autoribus eruditissimi *Tractatus* anno 1638. linguâ vulgari editi, cui tit. *Anglo-Papistica ceremoniæ Ecclesiis Scoticis obtrusæ, &c. Resp.* 3. Ubi piæ conscientiæ habeant in quo quiescant, in sententiâ examinatoris, an in meâ, ipsis, & Ecclesiis nostris judicandum relinquo. Quod pag. 42. mihi ingerit, *de purgatiori Religione, quæ nodum in scirpo quærit, & scrupulos sibi format ex nominibus:* id responsum non magis meretur, quam si cum Richardo Montacutio Ecclesiis reformatis novitatem, catharismum, & Puritanismum Genevensem impegisset. Vide quid Montacutio responderimus in *Disp. de Tempore nativitatis Christi.* Porro de nominum idololatricorum usu & abusu supra satis superque actum in *Appendice ad disp. de Idololatriâ indirectâ*, & pag. 532. *in Appendice ad disp. de Idololatr. & Superstitione.* IX. *Excip. Plurimis Ecclesiis Reformatis, quibus in ejusmodi non contigit huc usque esse tam scrupulosis, nota inuritur idololatriæ participatæ, gaudentibus ideo Pontificiis, amplaque fomentis suggeritur imprudentioribus, qui hæc axiomata mordicus urgerent, & schismatum in Ecclesiâ, & seditionum in superiores. Resp.* 1. De schismatis & seditionibus nimis temerè hic præsumitur. *Parcius ista viris*, &c. *Resp.* 2. De notâ idololatriæ participatæ

Ecclesiis inurendâ, Quæro, justumne hoc judicium futurum sit, an verò injustum? *Si posterius* dicatur, jam causam nullam dico, quin tota hæc Theologia severè proscribatur. *Sin prius*, nego partem hanc veritatis secundum pietatem esse omittendam; nedum ut apertè oppugnari debeat propter defectus & nævos quarundam Ecclesiarum. Nunquam enim alioquin doctrina de excommunicatione à Bezâ tradi & contra Erastum defendi & ab Ecclesiis reformatis urgeri debuisset, quod in Ecclesiis Helveticis & quibusdam Germanicis ἥττημα quoddam circa disciplinam nondum emendatum sit. Nunquam ab eodem & iisdem de formâ Politiæ, & ministerii Ecclesiastici contra Hierarchiam & Hierarchicos determinari debuisset, nunquam etiam à Theologis in Belgio jus & potestas Ecclesię contra Remonstrantes, aliosque Theologos quosdam (in Angliâ scil., Germaniâ, Helvetiâ) vindicari, ne scil. *plurimis Ecclesiis reformatis, quæ Magistratibus eam in totum aut ex parte tribuunt, quibus in istiusmodi non contigit huc usque esse tam scrupulosis, nota* ἡττήματος *aut* ἀταξίας *inuratur, gaudentibus ideo Pontificiis, amplaque sementis subministretur imprudentioribus, qui hæc axiomata mordicus urgerent & scismatum in Ecclesiâ & seditionum in superiores.* Eâdem infelice consequentiâ, urgeri possent omnes Ecclesiæ reformatæ, quæ defendunt reformationem suam in expurgatione ceremoniarum, circa quas reformationi Anglicanæ aut Lutheranæ in Germaniâ non contigit esse tam scrupulosę. *Resp.* 3. Theologia practica nostrorum in determinationibus usque ad minimos conscientiæ casus, in expurgationibus omnium reliquiarum Papatus usque ad minimas ceremonias & vacuas observationes, non intendit ignominiam aliarum Ecclesiarum, si quę in aliquo deficiant: nec tamen committere debet, ut nota ignominiæ inuratur suæ reformationi ab illis qui deficiunt, sive Lutheranis, sive Hierarchicis in Angliâ, sive quibuscunque aliis; nedum ut Ecclesiæ nostræ à perfectione ad imperfectionem relabi debeant, & in posterum non tam procul à Papatu abesse, ac hactenus per Dei gratiam abfuere. Sic Beza seipsum & Ecclesias Gallicas; Scultetus seipsum & reformationem sacelli Regii Pragensis, & nominatim Bezam (cui objiciunt quod *imaginem crucifixi odio habuerit & detestatus fuerit*) contra Pontificios & Lutheranos tuetur. *pag.* 9. & 31. Eosdem ego, ut & Calvinum, Hospinianum, Danęum (quos tanquam crucis hostes infensissimos acerbè perstringit *Gretserus tom.* 3. *lib.* 3.), atque adeo Ecclesias Belgicas hactenus cum Deo tuebor, ne nota ignominiæ ipsis inuratur, quod doctrinâ & praxi suâ circa cruces, aliasque Papismi reliquias, aut umbras, *novas reformationes in nostrâ reformatione procuderint; quod scrupulis suis circa res adiaphoras libertati Christianæ compedes injecerint, ut conscientiæ piæ vix certi quidquam habeant,*

in

in quo acquiescant; quod amplam sementem subministraverint imprudentioribus & scismatum in Ecclesiâ, & seditionum in superiores, &c. Omnia hæc absurda consequentia pro crucibus ingerantur à Thesium mearum Examinatore Ecclesiis Belgicis, & earum ad illa responsio petatur. Illæ enim ad curam suam pertinere putabant, ut publicis decretis synodaliter factis tollerent, quantum in se erat, cruces à Cœmeteriis (Synod. Noort-Holland. anno 1642. articul. 3.), & ex fenestris vitreis Templorum (Synod. Zuyd-Holland. anno 1595.) x. *Excip.* Clar. D. Rivetum Cathol. Orthodox. tract. 2. quæst. 20. statuere, *cruces formare ac gestare rem indifferentem esse, si tantum ornatus, vel indicii, vel distinctionis causâ adhibeantur*, &c. *Resp.* Omnibus, quæ Rivetus ibi habet, libenter subscribo, & optimè cum iis conveniunt *Theses meæ de Idololatriâ indirectâ*: Nunquam enim autor fuit Rivetus ut cruces in Templis, aut Templorum turribus in Galliâ aut alibi reponerentur, ubi abesse possunt. Ideo etiam limitationem hanc addit *in rebus civilibus*, & exemplis illustrat, *in vexillis militaribus, in monetis*, &c. Sed nihil comparet ibi de Templis & Turribus. Nec per consequentiam inde educi potest, non magis quam si quis ab Imaginibus, quas Rivetus admittit in usu civili, consequentiam, contra mentem ipsius, faciat ad imagines retinendas aut reponendas in Templis in Galliâ, Belgio, &c. Quin immo historicum usum Imaginum & crucis à Templis removet disertis verbis ab ipso examinatore citatis: *potuisse usum Historicum crucis figuratæ* quo domini supplicium in memoriam revocabatur, *si ad eum abusum non devenisset, in Ecclesiâ retineri*. Quid hoc aliud est, quam propter causam dictam jam non posse retineri. Si quis dubitet de D. Riveti mente (de quâ ego nullus dubito) ipse eum adeat, non dubito quin illi satis facturus sit. x1. *Excip.* Videri ipsam Ecclesiam antiquam hâc ratione condemnari, quę crucis figuram contra Gentiles defendit, eamque contra eosdem ostentavit. *Resp.* Vide §. *seq. Probl.* 11. Atque hæ exceptiones & effugia, quæ axiomatis nostris *de Idololatriâ indirectâ* in genere, & in specie determinationibus de abusu crucis opponuntur. Pergamus nunc ad reliqua Problemata.

111. *Probl.* An nomina *Crucis*, imprimis addito epitheto *sacræ*, rebus, 3
locis, ædificiis, collegiis, instrumentis, temporibus imponenda sint; aut olim in Papatu imposita, retinenda? *Resp. Neg. utrumque.* Rationes generales contra quævis idola indirecta, seu idiothyta, & speciales contra nominalem speciem seu collusionem cum aliquâ superstitione, *in Disp. de de Idololatriâ*, & *libello de Fraternitate Marianâ* allatæ, huc applicentur. Duo solum hic addo; quorum *Primum* est. In Synodis nostris Belgicis actum aliquando de quibusvis nominibus, præsertim Deum aut divinas res in-

debitè, aut etiam idola denotantibus, in Baptismo non imponendis. *Alterum* est, motum aliquando gravamen, ut postularetur à Synodo anno 1624. ut distinctiones dierum per denominationes exaltationis crucis, corporis Christi, assumtionis Mariæ, immaculatæ conceptionis ejusdem, Petri ad Cathedram, Catharinæ, Martini, Nicolai, Michaëlis, Bavonis, Victoris, &c. ex libellis Almanachicis, & ex publicis Notariorum instrumentis tollerentur à Magistratibus. Quæ hic refero, ut videant rerum istarum fortè ignari, meam solius Theologiam purgatiorem non esse, quæ scrupulum in nominibus quærat. Omnia hæc absurda consequentia pro crucibus ingerantur à Thesium mearum Examinatore Ecclesiis Belgicis, & earum ad illa responsio petatur. Illæ enim ad curam suam pertinere putabant, ut publicis decretis synodaliter factis tollerent, quantum in se erat, cruces à Cœmiteriis (*Syn. Noort-Holland. anno* 1642. *artic.* 3), & ex fenestris vitreis Templorum (*Syn. Zuyd-Holland. anno* 1595.) IV. *Problem.* An tutum sit Pontificiorum funera deducere & comitari, ubi præter preces, cantus, ritus, aliasque superstitiones exerceri solitas, cruces præferuntur? *Resp.* Incl. in *Neg.* Periculum enim est ne reformati implicentur alicui participatæ idololatriæ; aut Pontificios in suis superstitionibus confirmare videantur: dum absque ullâ contradictione, aut exceptione pariter cum aliis Pontificiis cruciata illa funera deducunt. Tale est consilium & talis praxis Ecclesiæ reformatæ illâ in civitate fœderati Belgii, ubi ex pacto Papatus etiamnum publicè obtinet. V. *Probl.* An non fuerint nimis scrupulosi & libertati Christianæ compedes injecerint reformati nostri quod ferta cruciata tumulis virginum antehâc, & cruces ipsi terræ, ut & loculis, & pannis loculos tegentibus imponi solitas ubicunque potuerunt, in Belgio aboleverint, & etiamnum aboleant; implorato etiam, ubi opus, sæcularis brachii auxilio. *Resp. Neg.* VI. *Probl.* An crux, in quâ Christus pependit sive propriè, sive analogicè fuerit altare, & sic vocari debeat. *Resp.* Pontificii communiter affirmant; & hypothesin ac fundamentum faciunt adorationis crucis, ut videre est apud *Bellarminum lib.* 2. *de Imaginibus cap.* 27. & *Gretserum tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 7. Et occurrunt nonnulla, à Patribus in calore amplificationum effusa, quæ huc facere videntur. De Germano Patriarchâ Constantinopolitano (cujus verba vide apud *Gretserum tom.* 2. *pag.* 169.) aliisque recentioribus, aut intermediæ ætatis, qui post stabilitam iconolatriam scripsere, non est quod hic quidquam referam. Sunt ex orthodoxis, qui non negant, ut *Chamierus Panstrat. tom.* 2. *lib.* 22. *cap.* 3. *Plesseus lib.* 3. *de Eucharistiâ*, *Molinæus tract. de Altaribus cap.* 6., qui duo posteriores *Hebr.* 13. *vers.* 10. per altare crucem intelligi volunt. Nos negantem partem potius sequimur cum

Daneo,

Daneo controverſ. 7. cap. 27. contra Bellarminum, & *Ameſio contra eundem tom. 2. cap. 6.* ubi *de Cruce*. Et locum ad *Hebr. 13. 10.* de ipſo Chriſto cum novis *Interpretibus Belgicis*, *aliiſque Commentatoribus*, & cum *Martyre loc. Claſſ. 4. cap. 12. §. 21.* & *Polano lib. 9. Syntagm. cap. 36. Tileno Syntagm. tom. 2. diſp. 64. §. 35.* interpretamur. Ratio hęc communiter adfertur ex *Matth. 23. 19.* Quia altare ſanctificat donum, quod offertur ſuper altari, & eo reſpectu majus eſt: atqui nulla creatura, nedum lignea & maledicta crux major eſt Chriſto, nec eum aut ejus oblationem ſanctificat: non magis quam clavi, lancea, manus militum, aliaque inſtrumenta paſſionis. Contra hunc tam evidentem textum nihil excipi aut adferri poteſt, præter meras conjecturas. Sunt qui dicunt *verſ. 20.* per ea, quæ ſuper altari ſunt, intelligi ignem ſacrum abſumentem victimas, & conſequenter ſymbolum ſacrum præſentiæ Spiritus Sancti, cujus Baptiſmo ſanctificabatur altare, & mediante altari dona ad ſacrificium oblata; adeo ut jurans per altare, juramento ſuo implicaret Majeſtatem Spiritus Sancti, quæ ſuper altare ſe exſerit. Sed iſta conjecturarum, ſeu hypotheſeωn & conſequentiarum concatenatio, nec ex Scripturâ probatur, nec ex circumſtantiis textus; quin contra manifeſtè iis repugnat, ut colligitur ex collatione *verſ. 20.* cum *verſ. 18. 19.* nihil aliud intelligendum, quam donum oblatum ſuper altari; uti etiam accipiunt Pontificii apud *Cornelium à Lapide in Comment. ad locum.* Planæ ergò, evidenti, & tritæ interpretationi, inhæremus: *tum* quod nec analogiæ fidei, nec textus verbis & circumſtantiis repugnet, nec difficultatem ullam adferat; *tum*, quod quam tutiſſimè & longiſſimè Pontificiorum ſtaurolatriam arceat. VII. *Probl.* An crucis imagines retinendę, ut adminicula memoriæ. *Reſp. Neg.* non magis quam aliæ quæcunque imagines. Vide *Scultetum Orthodox. pag. 20. 21. 36.* VIII. *Probl.* An poſſent excitare aut promovere devotionem. *Reſp. Neg.* cum *Didoclavio* (hoc eſt *Davide Calderwood*,) *in altari Damaſceno, pag. 841.* IX. *Probl.* An ſignum ſeu imago crucis rectè dicatur *teſſera & ſignum meritorum Chriſti*? *Reſp.* Ita quidem appellant *Canones Eccleſiaſtici Anglicani*: ſed meritò oppugnat illud *Didoclavius, pag. 842.* X. *Probl.* An veriſimile ſit commentum illud, ſeu mendaciorum prophylacticum Papiſtarum de ligno crucis non imminuto, quamvis multæ particulæ inde deſumantur: de quo vide *Boſium de Cruce Triumph. lib. 6. cap. 16.* & *Hierogazophylacium Belgicum Arnoldi Raiſſii pag. 389. Reſp. Neg.* Finguntur enim quotidiana & ordinaria quaſi miracula abſque neceſſitate & contra Scripturam, ac cultum divinitus inſtitutum; immo & contra lumen naturæ & rectam rationem. Quomodo enim erit eadem numero crux, quæ quod ad partes ſimilares quotidie ſic mul-

multiplicatur ac de novo creatur. XI. *Probl.* An sit contemtus antiquitatis, quod Ecclesiæ nostræ nullum usum crucis ab antiquis receptum retineant, aut revocent. *Resp. Neg.* Vide doctè & ex Scripturarum fontibus hoc ostendentem *Didoclavium loc. cit.* Multum est, si excusari possunt & dicta ac facta eorum in bonam partem explicari: quippe qui Gentilibus crucis figuram tanquam infamem exprobrantibus ac ridentibus eam extulerunt, & ad hominem reposuerunt crucis figuram in naturalibus, & artificialibus quamplurimis inventam aut adhibitam ab ipsis, non fuisse antehâc traductam, aut derisam, aut explosam. Vide *Iustinum*, Et *Minutium loc. citat.* Ubi tamen omnia non æquè solidè ac σπουδῇ adducuntur. Nec mirum. Notum est, quomodo zelo quidem bono, sed non secundum scientiam, solidis argumentis pro fidei articulis, ex. grat. trinitate subinde iisdem aliqua addiderint, quæ ad rem illam nihil facerent. Non ignorant hoc, qui scripta eorum viderunt. Eodem fine & modo antiqui gloriabundi figuram crucis ostentârunt, eâque etiam crucifixi fidem professi sunt, quomodo in initio motuum Belgicorum fœderati Nobiles per convitium *mendici geuts* seu *geux* appellati, nomine illo tanquam tesserâ usi sunt (*vive le geux*), & mendicorum patellas tanquam medallia in pileis suis ostentârunt. Quia autem hoc tolerando tunc antiquorũ factoposteri ad superstitionẽ abusi sunt, & tandem figura crucis in tantum idolum à Papatu erectum est, immo in universale omnium superstitionum instrumentũ (*Maistre fait tout*, uti appellat *Marnixius in Alveario*), ac in ipsius Papatus tesseram assumtum est, & Papæ legati peculiariter insigni prægestatę crucis argenteæ dignoscuntur (*Histor. Concil. Trident. lib.* 4.): non est nobis nunc integrum aut tutum antiquorum usum reducere. Quia evenit cruci (ait *Rivetus loc. cit.*) quod Gideonis Ephod, quem ille *in signum* victoriæ erexerat (*Iud.* 8.), & *citat ibidem* egregium dictum Johannis Feri. Sed ipsum vide, & cognosce, quam dextrè pro crucibus supra allegatus fuerit. Bezæ nostro cum adjunctis, Episcopus Monlucius cum adjunctis obtulit in consilio de unione dissidentium, omnium imaginum ablationem, exceptâ imagine crucis. Sed nostri hâc conditione pacem redimere noluerunt. De quo *Thuanus in Histor.* Confer *Bezam in colloqu. Mompelgard. part.* 2. & in *Concione* 27. *in Passionem, pag.* 674.

5 Problemata magis hypothetica & historica sunt partim textualia seu sacra; partim Ecclesiastica. *Textualia* nonnulla hic solum indicamus. 1. De signo Tau *Ezechiel.* 9., & Hieronymi commento de Figurâ literę Samaritanæ: quæ nulla est. Æthiopum litera *Tau* sive *Tavi* refert figuram crucis immissæ: de quo supra. 11. De longitudine, latitudine, &c.

Ephes.

Ephes. 3. III. De signo filii hominis in Cœlo, *Matth.* 24.: quod attigimus (si bene memini) in *Dispp. select. part.* 2. *tit. de Signis Temporum.* Ad hæc & similia explicanda imprimis consulendi *Commentar. à Lapide*: cum quo conferendi *Elenctici* ex *Nostris* & *Pontificiis*, qui de Cruce disputant: quorum primipilos passim in hâc disputatione indicavimus. *Ecclesiastica* sunt quæ quid disquirunt circa antiquitates, aut novitates Ecclesiasticas. I. *Probl.* An fuerit aliquis usus signi crucis in primitivâ Ecclesiâ; & an ille supra declarationem, memoriam, atque ostentationem contra Gentiles exprobrantes ipsis fidem in crucifixum, processerit usque ad venerationem & adorationem? *Resp. Aff. pr. Neg. poster.* Vide hoc explicatum & defensum à *Riveto Cathol. Orthodox. tract.* 2. *quæst.* 10. *Casaubono Exercit.* 13. *ad annales Baronii*; *Deckero in tract. de Cruce, part.* 3. 61. 62. *Raynoldo, aliisque supra cit.* II. *Probl.* An postea paulatim vim amuleti, & signi mystici & instrumenti moralis ei tribuerint? *Resp. Aff.* & huc facit farrago testimoniorum apud *Gretserum*, & *Bellarminum loc. cit.* & *Molanum lib. de Picturis sacris*, *cap.* 5. Ut compendium habeant Juniores, utantur hic indicio *Perkinsi in Problemate Catholico*; cum quo conferant aliquando Chemnitii Examen. III. *Probl.* An apud Judæos & Gentiles crux fuerit insigne salutis, & rectè hoc dictum sit à nonnemine antiquorum? *Resp. Neg.* Vide *Casaubonum Exercit.* 16. §. 78. IV. *Probl.* Quid de inventione crucis per Helenam Constantini matrem? *Resp.* Videri fabulam. Vide præter *Centuriatores Magdeburgens.*, *Molineum de Peregrinationibus*, *Raynoldi prælect. in libros Apocryphos*, *tom.* 2. *pag.* 1690.; *Hospinianum de Festis*: ubi *ad* 3. *Maji de Festo inventionis crucis.* Et confer ex Pontificiis *Baronium in Annal. anno* 326. §. 7. 8. qui fassus plura minus solidę veritatis in hanc Historiam irrepsisse, fabricat eam more suo, *cæteraque legentium arbitrio relinquit*, ut ipse loquitur. Conferat, cui vacat *Fr. Zvvarez, tom.* 1. *de Religione, lib.* 2. *cap.* 7. Et *Onuphrium Panuinum* fusè de *Inventione Crucis*, & *de Titul.* ejus commentantem *de præcipuis urbis Romæ Ecclesiis, cap.* 5. De titulo veræ crucis Hierosolymâ Romam translato, ibique asservato, deque visibili apparitione Helenæ post tot annos, quam fabulam cum Appendicibus refert idem *Onuphrius pag.* 266. idem statuendum quod de millenis aliis istius commatis reliquiis, & apparitionibus. V. *Probl.* An Constantinus crucis usum religiosum instituerit, cum Labarum seu vexillum verteret in formam crucis? *Resp.* 1. Primo quæro, unde certò constet fuisse formam crucis immissæ, qualis hodie in Papatu colitur. *Resp.* 2. Unde constet *Formam* seu figuram crucis Constantino in somno fuisse ostensam; aut saltem somnium illud Constantini fuisse θεόπεμπτον; majorisque faciendum, quam ordinaria & vul-

vulgaria quævis quorumvis somnia. *Resp.* 3. *Nec certum* est Constantinum signum crucis labaro circumtulisse: sed potius Græcos characteres X &P. abbreviatè nomen Christi denotantes, unâ cum hâc inscriptione, τούτῳ νίκᾳ, vel ἐν τούτῳ νίκᾳ (ut habent *Socrates lib.* 1. *cap.* 1. & *Nicephorus lib.* 7. *cap.* 29.) hoc est, in isto Christo, non in signo. Vide *Raynoldum* & *Iac. Gothofredum* supra *part.* 2. §. 3. *cit. Resp.* 4. *Non fuit* usus iste religiosus, sed merè Politicus: prout & hodiernorum insignium, quæ crucem habent: nedum ut crucem adorationis objectum fecerit. Conferantur *Bellarmin. Baron.* & *Gretser.* cum *Perkinso, Deckero, Riveto tract. Cathol. Orthodox. quæst.* 18. Et supra *part.* 2. §. 3. VI. *Probl.* Quid statuendum de antiquorum dictis, quo volunt 1. *Crucem* esse armaturam contra Satanam. 2. *Per illam* Baptisma sanctificatum esse. 3. *Eâque* frontem esse signandam, & crucem Domini semper in signo esse tenendam; etiam digito formandam super cibo, potu, &c. *Epist.* (sub nomine *Martialis*) *ad Burdegalenses; Tertullianus de coronâ Militis cap.* 3. & *lib.* 2. *ad uxorem. Lactantius lib.* 4. *cap.* 26. *& seqq. Hieronymus ad Eustochium, & in Ezechiel* 9. *vers.* 4. *Chrysostomus Homil.* 8. *ad Colossenses, & Homil.* 6. *in* 2. *ad Timoth. cap.* 8. *Cyrillus Hierosolymitanus Cateches.* 4. *&* 13. *Augustinus tract.* 118. *in Iohannem, Prudentius Cathemerinon* 6. *in Hymno ante somnum*; idem *in Romano Martyre*, aliique quos objiciunt *Gretserus loc. cit., Rosweidus in Talione pro Baronio contra Casaubonum, Filesacus selector. lib.* 2. *Pamelius in Notis ad loca Tertulliani*; imprimis & *Iud. Coccius in Thesauro Cathol. tom.* 1. *lib.* 2. *art.* 9. *& seqq.* Intermediæ ætatis & recentiores Scriptores hic non citabo: quos constat nimium hic exorbitasse? *Resp.* 1. Probari non debent: si quis excusare velit, per metonymias, aut synechdochas (vide *Deckerum lib.* 2. *cap.* 4.) patimur quidem: quamvis in nonnullis durioribus non putemus eos ab omni errore liberari posse; saltem de aliquibus eorum dictis pronuntiandum esse (ut mollissimè loquamur) quod sint malè sonantia, & periculosa. Siquidem definitionem superstitionis aut vanę observantiæ communiter Scholasticis & Casuistis Pontificiis frequentatam praxi antiquorum circa usum crucis candidè & sine prosopolepsiâ applicemus, non video, quomodo ea magis excusari possit, quam tot aliæ vanæ observantię, quas in plebe Christianâ cum Ethnicis symbolizante ipsi Patres, & Scriptores Pontificii reprehendunt. Vide supra §. 4. *Probl.* 11. & confer *disp. de Superstitione. Resp.* 2. Quod si frontem cruce signârint, speciatim Catechumenorum & Baptizandorum tantum ut hâc externâ tesserâ se ostenderent Christianos esse & cultores crucifixi; utique in benigniorem partem hoc factum interpretari possumus (multæ enim rationes erant ex Gentilium moribus deductæ, uti notat *Iosephus Vicecomes lib.* 2. *de Ritibus*

Baptismi

Baptismi cap. 40.) sed quod dęmonem illud signum sustinere non posse commenti sunt, quia scil. recordetur se per Christum in cruce passum olim devictum esse, illud nimis dilutè & futiliter ab illis excogitatum à Pontificiis hodie tanquam articulus fidei adoptatur ac defenditur. Quæro enim unde hoc ipsis constet ex revelatione verbi Dei, aut propriâ dęmonum confessione, aut experientiâ. Non ex *primo*; quia altum de eo silentium, imprimis & illis in locis, ubi agitur de resistentiâ *Iacob.* 4. *vers.* 7. 1. *Petri* 5. 9. præsertim *Ephes.* 6. *vers.* 12. ubi de pugnâ adversus dæmonas, & panopliâ spirituali. Nec *ex secundo*, quia si quid tale dixerint aut simulârint dæmones, illis minimè credendum: sunt enim mendaces & patres mendacii. Nec *ex tertio*: quia experientia (si *Historicis Papalibus* fides adhibenda) evincit contrarium. Potest enim ille & audire ac recordari Christum crucifixum, & ipse de eo loqui, immo & eum prædicare; potest & solet imprimis circa Templa, Cœmiteria, Monasteria crucibus abunde instructa grassari tum tentationibus, tum externis terriculamentis & apparitionibus. Percurrantur modo *legendæ*, & *vitæ Sanctorum*. Ut jam non disquiram, an & quomodo externo signo, quasi per artem memoriæ, dæmonum memoria juvari & recordatio excitari, eorumque voluntas inde suspendi & determinari, & actus voluntatis imperati impediri dicantur, magis quam hominum quorumcunque Christi crucifixi hostium, ut Judæorum, Gentilium, Muhammedistarum. Hactenus enim inauditum, eos oppositio crucis signo fugatos esse. *Resp.* 3. Quomodocunque vanæ observantiæ & superstitioni veteres aliqui hic imprudenter accessissent, dum cruci ut instrumento morali, non naturali, divinæ virtutis manifestandæ vim & virtutem, sed ἀπαρχάφως adscribunt: nihil tamen inde inferri potest de profligatione dæmonum ex opere operato, multò minus de cultu ejusdem crucis religioso. Et sic ipse *Richardus Montacutius*, quamvis usus crucis in Baptismo rigidus assertor, Patres explicat & contra Jesuitam Roswеidum aliosque Pontificios vindicat *tom.* 1. *Origin. Ecclesiast. part. poster.* §. 123. Breviter ipsi Patres à se cultum & adorationem crucis à Gentilibus sibi calumniosè impositam studiosè removent, ut videre est apud *Minutium* supra *part.* 2. *cit.*, *Tertullianum in Apologetico cap.* 16. & *ad Nationes cap.* 9. & 12. & *cap.* 13. ubi depulsâ *cap. præced.* calumniâ de adoratione Solis sic loquitur: Alii planè „ humanius *Solem, Christianum Deum æstimant*, quod innotuerit ad Ori„ entis partem facere nos precationem, vel die *solis lætitiam* curare. Unde colligi potest, ne quidem ad cruces orasse Christianos: alioquin æquè humanè, hoc est, verisimiliter adoratio crucis ac solis ipsis à Gentilibus impingi potuisset. *Resp.* 4. Si diabolus crucem ferre nequiret utpotè instru-

mentum morale passionis Christi & redemtionis nostræ, & consequenter habens ex Dei peculiari dispositione efficaciam adversus diabolum (quod tamen gratis dicitur), inde tamen non sequitur figuram quamvis illius instrumenti habere eandem efficaciam, ita ut eam non ferat, sed fugiat. Necessariò enim ex toto mundo & elementari & cœlesti fugatus esset, nec circuire posset, creaturas infestare, hominesque oppugnare internè aut externè per spectra, energemata, maleficia: Quod tamen facit 1. *Petr.* 5. *vers.* 8. cum *Iobi* 1. & 2. & *Ephes.* 6. *vers.* 12. 13. *Matth.* 8. *vers.* 28. Ratio est, quia præsentes ubique sunt figuræ crucis, in syderum situ & positurâ, ut & terrarum, aquarum, in corporibus arborum, fossilium, animalium, & hominum, eorumque situ ac motu progressivo, ut avium volatu, piscium natatione, gressilium saltu, reptilium sinuosis flexibus ac spiris, humanorum brachiorum extensione, luctatorum complexibus, acierum concursione, equitum sessione, gladiatorum commissione, domorum, templorum, curruum, navium, aliorumque artificialium formâ, figurâ, usu, agitatione. Quomodo diabolus militibus, opificibus, agricolis, textoribus, sartoribus, fabris, pistoribus, pictoribus, typographis, scriptoribus, aliisque artificibus & architectis, sive civilibus sive militaribus, aut histrionibus, petauristis, saltatoribus, thymelicis, præstigiatoribus, incantatoribus unquam adesse poterit? quorum corpora, instrumenta, operæ, opera, sine crucis figurâ non magis esse queunt; quam corpus sine quantitate & figurâ. Omnia, inquit *Iustinus Martyr Apol.* 2. in mundo iconi figuræ hujus &c. Vide jam, an in hoc phantasmate de diaboli recordatione ad præsentiam figuræ crucis, sive permanentis, sive transeuntis, & inde sequente fugâ, veteres defendi possint. VIII. *Probl.* Quid statuendum de *Historiis Miraculorum*, quæ per lignum aut signum crucis patrata dicuntur apud *Gretserum*, *Baronium* passim, & in *Catechismo Historiali*? speciatim à *cruce Trajectensi ad Mosam*, *Cranenburgensi*, & *Hobokensi prope Antverpiam*? *Resp.* 1. Pleraque ad fabulas relegenda; nonnulla ad hominum offucias, aut ad dæmonum præstigias. *Resp.* 2. Si quæ olim verè facta fuerint à Deo, pro Religione Christianâ facta esse: non autem pro Staurolatriâ, nec per crucem, ut instrumentum morale, nec ad ejus præsentiam: uti à Pontificiis perperam eò trahuntur. Vide *Deckerum pag.* 147. 159. 167. 252. 254. Et confer *Disp. nostram de Miraculis.* IX. *Probl.* De crucis formâ hodiè usitatâ, an quid certi statuendum? *Resp. Neg.* Vide *Casauboni Exercit. ad Baronium* 16. §. 77. *Molinæum de Peregrinationibus* coll. cum *Lipsio*, & *Gretsero de Cruce.* De forma crucifixionis, alibi disquiritur. Vide *Fulleri Miscellan. lib.* 4. *cap.* 11. X. *Probl.* Crucis reliquiæ an genuinæ? *Resp. Neg.* Vide *Exercit. Casauboni* 16.

ni 16. §. 77. & *Marnixii Alvearium.* XI. *Probl.* Quid de cruciatis expeditionibus quas ex professo describit *Gretserus tom. 3. lib. 2. Resp. 1. Contra* Albigenses, Hussitas, & similes, fuisse toto genere malas & abominandas; quippe susceptas contra Deum & fidei veritatem. Quibus adde cruciatas à Papâ indictas contra Imperatores & reges Christianos: de quibus *Gretserus lib. 2. cap. 34. pag. 165. 166.* 2. *Alias* ad recuperationem terræ (quam vocant) sanctæ, aut sepulcri domini, zelo quidem Dei à multis Principibus & Heroibus Christianis, immo & multis Heroinis (quæ turmatim instar virorum armatæ & equis insidentes partem exercitus Imperatoris Conradi (teste *Nicetâ* apud *Paschasium lib.* 1. *Recherces cap. 26.*) constituebant; fuisse susceptas: sed non secundum scientiam. Quâcunque enim ratione eas tueri velit *Gretserus tom. 3. libr. 2.* manent tamen in causis, modo, & fine earum sequentes defectus: Quia prætensa recuperatio terræ sanctæ nullo jure divino aut humano nitebatur. Quis enim Papæ, aut Imperatori, aut Regi Galliæ, aut Angliæ potestatem dederat invadendi terras alienas, idque titulo sepulcri Dominici, & terræ sanctæ ab infidelium dominio liberandæ. Quasi terra illa esset sancta, ac non potius maledicta, juxta Matth. 23. vers. 38. 39. *Ecce domus vestra vobis deserta relinquitur,* &c. Quasi illic exstaret sepulcrum domini; & si extaret, quasi ad illud religiosę peregrinationes institui deberent; & hoc respectu Christianorum Occidentalium vi fidei Christianæ possessio & peculium esset terra Palæstina, Hierosolyma, quas Christus frequentavit, ubi mortuus est, ubi sepultus, consequenter armis vindicanda è manibus infidelium. Hæc postulata, & hæ consequentię probandæ essent. Confer *Disp. nostrorum de Reliquiis & Peregrinationibus.* Accedit quod Papæ Principes, Heroas, & robur Christianorum in Syriam amandarent, ut interea ipsi quasi vacuâ in aulâ dominarentur & fimbrias potestatis suæ impunè dilatarent. Denique militiam instituere, & expeditiones bellicas indicere, & milites sacros facere, non est Ecclesię, aut Episcopi, aut Concilii: sed totum hoc pertinet ad Magistratum civilem, penes quem potestas coactiva, seu jurisdictio cum Imperio. *Rom. 13. vers. 1.--8.* De quo in *Disp. de Monachis part. 4.* ubi *de Equitibus sacris.* Conferat, cui vacat, celebris J. C. *Stephani Paschasii* notata de cruciatis *lib. 6. Recherces de France, cap. 26.* ubi has expeditiones absolutè improbat, & citat ibid. *Gul. Bellayum, lib. 1. de bello,* tanquam sibi ὁμόψηφον. 3. *Reliquas,* in Gentiles, Mauros, Turcas, aliosque infideles (de quibus *Gretserus lib. 2. cap. 34.*) ut ut causa & finis fuerit bonus: modus tamen & formalitas minimè probanda. Fuerunt autem decem cruciatæ expeditiones ab Europæis in Syriam contra Saracenos susceptæ, quarum prima incidit in annum 1096. postre-

ma in annum 1268. Omnes enumeratas vide ab *Auberto Miræo in Originibus Ordinum equestrium cap.* 17. & in *Calvisii aliorumque vulgatis Chronicis.* XII. *Probl.* Quid de prodigiosis crucibus statuendum, quæ anno 781. 956. 1501. (vide *vulgares Chronologos*, & *Baronium in Annal. ad annos* 781. 956. & *Spondani Epitomatoris appendicem ann.* 1501.) in vestes hominum delapsæ. *Resp.* De iis quid notavimus in *Disp. de Ostentis & Prodigiis pag.* 934. *part.* 2. *selectar. Dispp.* Ubi concedimus potuisse esse ostentum aut prodigium calamitates belli, pestis, &c. antecedens. Sed inde nullis fidiculis extorqueri potest crucium istarum, nedum cujuscunque figuræ crucis naturâ aut arte factæ religiosa veneratio aut adoratio. Alioquin etiam de variorum portentorum, spectrorum, apparitionum in aëre, in aquis, in terrâ, quæ mortem privatorum, aut bella ac clades publicas non raro præcedunt, religiosâ adoratione statuendum esset. Quod absurdissimum. Sunt enim inter portenta illa cometæ, dracones volantes, spectra diabolica, phases armorum, tubarum, equorum, exercituum in aëre, &c. de quibus nos in *disp. select. part.* 2. ubi de *Ostentis & Prodigiis*, & de *Præsagiis mortis*, & *part.* 1. ubi de *Spectris*; *Autoresque ibi cit.* & *Cardanus lib* 19. *de rerum varietate cap.* 69. *usque* 77. & *Gaffarellus in tract. Gallico*, tit. *Curiositates inauditæ, cap.* 12. ubi §. 7. ex *Histor. & versibus Francisci Pici* refert anno 1534. in Helvetiâ pluviam sanguineam seu rubram decidisse, quæ non tantum in vestibus hominum se formabat in figuram crucis, sed etiam in lapidibus & farinâ. Unde censet non fuisse hoc purum naturale, sed subfuisse aliquid divini. Similiter judicat pluvias & Figuras crucis tempore Juliani prænuntias fuisse crucis & persecutionis Christianismo ob fidem crucifixi imminentis. Figuras etiam fuisse veritatis secuturæ cruces anno 747. 783. 959. 1503. 1507. Scripsit de ejusmodi signis crucis *Alphonsus Gacone* Romæ anno 1592. & de signis crucis quæ anno 1593. passim in Galliâ in linteis apparuerunt *Alexander Georgius* Jesuita (refert *Philippus Alegambe in Bibliothecâ*) sed quid tractent, hactenus non constat; quod neutrum videre contigerit. Si quis rectum de his judicium formare voluerit, necesse est in Historiam facti accuratè inquirat. Hanc enim multâ ignorantiâ aut deceptione non rarò conspurcari deprehensum est. XII. *Probl.* An cruces, siquidem in privatis ædibus, aut aliis locis, speciem mali præ se ferant, & Pontificiis offendiculum præbeant, aut rudiores inter Reformatos eas æstimare incipiant, tollendæ sint? *Resp. Aff.* non minus quam aliæ imagines, de quibus tale quid affirmat *Scultetus Orthodox. pag.* 28. 32. XIV. *Probl.* An dici possit, Pontificios non tantum substituere crucem ipsi Christo, sed etiam aliquâ ratione ei præferre? *Resp. Aff.* & vel unica probatio ad hominem, innixa falsæ

ipso-

ipsorum Theologiæ sufficere posset: quod die Veneris ante Paschа Missæ celebrationem & Christi in eâ adorationem omittant, ut illâ horâ soli solenni adorationi crucis vacare possint: *corpus* (inquit Durantes lib. 6. Rationalis cap. 77.) Christi, *quod flagellis & spinis, & contumeliis illâ die revera affectum est, non debet* ecclesia *cum mißarum solennitatibus celebrare, quoniam veniente veritate debet cessare figura.* XIV. *Probl.* An rectè ultimum supplicium tanquam blasphemis, attribuatur omnibus Reformatis promiscuè (vel hominibus privatis) qui imagines aut cruces conscindunt, aut in terram prosternunt: idque per remotas & violenter contortas consequentias ex Jure Civili: apud *Rytelen in Iuristâ Romano-Catholico, cap.* 91. *Resp.* 1. In eos quibus autoritas publica præsto est, nihil stringunt citatæ leges: quippe qui exemplo Hiskiæ cruces & imagines tollunt, quod in horrenda idola transformatæ sint. *Resp.* 2. *Nec etiam* blasphemiæ crimen imponunt zelo privatorum, quamvis fortè non sit secundum scientiam. Vide exemplum Gideonis, & eorum qui in primitivâ Ecclesiâ simile quid patrabant; de quibus egimus in *Disp. de Idololatriâ indirectâ*: quos quidem honore Martyrum privat, *can.* 60. *Concil. Eliberini*; sed ultra nihil de illis statuit. Vide *Bezam ad acta colloq. Mompelgard. part.* 2. *p.* 17. 28. cujus verba supra in *Disp. de Idololatriâ indirectâ pag.* 311. exhibemus. *Resp.* 3. Duo ad hominem Pontificio huic Jureconsulto reponimus. *Primus* est, quod tam multi ex sanctis eorum Euangelii Præconibus aut Ecclesiarum Plantatoribus passim ob zelum in dejiciendis idolis Gentilium adhibitum (confer supra *de Idololatriâ indirectâ part.* 3.) tantopere ab ipsis celebrentur. Quomodo ergo condemnare poterunt eos, qui ipsorum idola ethnicis non rarò deteriora dejecerunt? *Posterius* est, quod cum cruces pavimentis non insculpendas, immo nec Historias ullas Sanctorum ipsi sanciant, & in eum finem *Bernardum in Apologiâ*, & *legem Codicis libr.* 1. *tit.* 11. adducant (adde *can.* 83. *Synodi in Trullo* habitæ, ἢ ὁ ἐπ' ἐδάφους κεῖσθαι χαράττων ἀφαιρεῖσθω), & tamen in Monasteriis quibusdam pavimenta hoc nefas (ipsorum sensu) ostentent, ibique imagines pedibus conculcentur, cur æquale supplicium non intentatur à Jureconsultis ipsorum? Ut jam nihil dicam de Crucibus tumulo mortuorum imprimi solitis, deque cruce quam lapidi insculpunt Episcopi in consecratione Ecclesiæ: uti habet *Pontificale Romanum.* De his aliisque vide fluctuantem *Molanum in lib. de Picturis sacris cap.* 35.

Addamus nunc Problemata quædam partim inter eos, qui à Papali 6
staurolatriâ recesserunt, partim inter ipsos Pontificios controversa. Prioris generis sunt. 1. *Probl.* *An* dedicatio infantis baptizati, per crucem declarativa solum, non vero consecrativa retinenda sit? *Resp. Neg.* Distinctio

ſtinctio enim hęc aut exſtinctio eſt, aut nugatoria. Vide *Altare Damaſcenum pag.* 837. II. *Probl.* An piè, prudenter, & tempeſtivè reformatio ſacelli ſeu templi in arce Pragenſi anno 1620. juſſu Sereniſſ. Bohemię Regis Friderici fuerit inſtituta? *Reſp.* Quidquid Pontificii & Lutherani in eam incurrerint; nonnulli etiam ex Reformatis ex eventu negotii Bohemici perperam facti ipſius qualitatem æſtimantes, ſubinde quid muſſitârint: non videmus tamen, quin eximius Dei vir *Scultetus* p. mem. eam ſatis ſuperque defenderit, *in Libello* cui *tit. Scultetus Orthodoxus* contra Theſes Theodori Thummii Theologi Tubingenſis, quibus editis titulum hunc præſcripſerat: *Scultetus Iconoclaſtes*; utiipſe citat in *Explicat. Decalogi ad* 1. *Præceptum pag.* 55. III. *Probl.* An *Beza* edendis epiſtolis ſuis (ubi *Epiſt.* 8. & 12. determinat contra crucem in Baptiſmo) condemnaverit Eccleſiam Anglicanam, & imprudentioribus viam ſtraverit ad ſciſmata & ſeditiones? *Reſp. Neg.* Quia ſequeretur in illis & omnibus aliis ad fidem moreſque vivendi ſpectantibus, lucernam ſub modio collocandam, ne aliorum luminibus obſtruamus, aut eorum defectus ab aliis deprehendantur. Rectè *Vedelius lib.* 1. *de Prudentiâ veteris Eccleſiæ cap.* 1. *pag.* 46. veterum morem facto aut oſtentato crucis ſigno indicantium ſe „eſſe Chriſtianos, quia in idololatriam abiit, in multis Eccleſiis Euan„gelicis (N. B.) ſublatum eſſe, ad exemplum æneiſerpentis, qui cum „præcepto Dei à Moſe confectus eſſet, ob eandem cauſam ab Hiskiâ „comminutus eſt. De Gideonis Ephod ſuprà *Riveti* judicium citavimus. Ut & *Bezæ* verba in *Colloquio Mompelgardenſi.* Scio ab omnibus extra Papatus communionem conſtitutis omnia hæc non revocari ad primævam & Apoſtolicam ſimplicitatem, nec totalem crucis tanquam lapidis offendiculi abolitionem urgeri: ne ſcil. omnem doctrinam & praxin antiquæ Eccleſiæ ac meliorum ſæculorum hâc in parte condemnare videantur; aut ne ſcandalum dent, nimiumque turbent populum, qui talibus aſſuevit: hoc tamen ambabus ulnis amplectimur, quod abuſum idololatricum & ſuperſtitioſum Papatus, eorumque opus operatum apertè redarguunt. Nos Patres modo citatos, nec recentiores morem eorum probantes aut potius excuſantes non appellamus idololatras, (uti per calumniam odioſè hoc nobis à nonnemine imponitur) ſed hoc contendimus, tutiorem ab Eccleſiis noſtris viam inſiſti. Sunt autem recentiores illi *Mortonus in tract.* Anglico *de tribus innocentibus Ceremoniis: Balduinus lib.* 3. *Caſuum cap.* 7. *caſ.* 8. *Caſaubonus Exercit. contra Baronium* 13. §. 33. *Elmenhorſtius in Commentar. ad Minutium, pag.* 49. edit. in fol. *Conradus Rittershuſius ſacr. lection. lib.* 5. *cap.* 14. *Loccenius lib.* 1. *antiquit. Sueo-Gothicarum cap.* 5. *Mentzerus in Exegeſi Auguſt. confeſſ. pag.* 860. *Himmelius in Collegio Irenico diſp.* 8. §. 15.

Rich.

Rich. Montacutius tom. 1. Origin. Ecclesiastic. parte poster. pag. 77. & seqq. sed qui dissertationem nimis indulgenter concludit p. 82. *Non video cur partes, utrinque Catholici, dissidium foveant; cum ex unâ parte saniores virtutem non congenitam & naturalem, sed accommodatam tantum adscribant & dispensatoriam: ex alterâ parte illam vim non negent aut virtutem, nostræ confessionis Viri eruditi.* Quinam sint illi Viri confessionis Reformatæ, aut saltem Anglicanæ, velim indicasset. In propatulo est quid *Beza, Chamierus, Rivetus, Molinæus, Deckerus, Vedelius, Mornæus Plessiacus, Marnixius Sanct-Aldegondius, aliique Papatus Antagonistæ.* Galli, Belgæ, Germani, Scoti, &c. sentiant. Inter Anglos celebres *Raynoldus, Perkinsus, VVilletus, Amesius* ab illis non dissentiunt: qui consulendi. Sed fundamenta harum & similium objectionum atq; exceptionum pro symbolizatione cum cruce aliisque idolothytis supra in *Disp. de Idololatriâ indirectâ* abundè subruimus. IV. *Probl.* An accuratè & tutò crux dicatur *beatum ac benedictum Christi instrumentum*, ad vitam salutemque mundi destinatum; item *salutare signum. Fuller. miscell. lib. 4. cap. 1. & lib. 2. cap. 1. Resp. Neg.* V. *Probl.* An dici possit *crux sancta, sive in se, sive relatione, sive institutione?* *Resp. Neg.* cum *Deckero libr. 2. pag. 171. 172.* VI. *Probl.* An si crux exstaret, eam magnifaceremus, & in rei gestæ memoriam conservaremus? *Resp. Aff. cum Dist.* cum *Deckero pag. 283.* VII. *Probl.* An cum eodem pag. 302. dicendum: *Amamus & honoramus crucem, non ut objectum adorationis, sed ut instrumentum passionis & supplicii?* *Resp.* Explicari fortè possunt hæc verba: Ego malim abstinere; & fateor me non capere cur & quo genere amoris & honoris infame & infelix lignum debeam prosequi: quamvis in veterum amplificationibus non pauca de honore (sed à religiosâ invocatione distincto) occurrant. VIII. *Probl.* An cum eodem tutâ & commodâ phrasi dici possit, crucem esse signum repræsentans. *pag. 297. Resp.* Malumus abstinere. Idem dicimus de distinctione *Nicolai Fulleri lib. 4. miscellan. sacr. cap. 12.* inter crucem quà beatum & benedictum Christi instrumentum ad vitam salutemque mundi destinatum, & inter eundem quà maleficum ac maledictum hostium instrumentum. IX. *Probl.* An supplicium crucis cum Constantino (apud *Baronium ad annum 325. §. 51.*) abrogandum sit, eo quod Christus hoc genus supplicii passus sit? *Resp.* Non videmus hoc magis pertinere ad zelum & prudentiam justorum, quam abolitionem flagellationis, hastarum transfixionis, vinculorum: quia hæc Christus non minus passus est, quam crucifixionem. X. *Probl.* Quid censendum de dictato Genebrardi in Commentar. ad Psal. 78. vers. 47. *Tau Hebræorum crucis gessit effigiem, ut apud Græcos, & omnes ferme linguas. Hodie figura immutata est improbitate Masoretarum & Iudæorum,*

rum, ut mysterium crucis obruerent. Resp. Esse fabulam. Unde hoc probat? Quid si ad hominem reponam illi vulgare postulatum Papistarum. Si Judæi mutârunt, ostende qui, quando, ubi, quomodo, quibus reclamantibus. Contra *Hieronymus in Prologo galeato* affirmat Ezram has literas invenisse & Samaritanas, quæ antea erant Hebræorum, sustulisse. An ergo odium crucis illi impinget? Quod ad Tau Samariticum, illud crucis figuram non referre suprà dixi. XI. *Probl.* An pertica vexillaris, cui serpens æneus impositus (*Numer.* 21.) habuerit figuram crucis? *Resp.* Ex veteribus id à quo suspensus fuit serpens, alii vocant σημεῖον, alii τύπον τοῦ σταύρου, *Iustin. Apol.* 2., alii σταυρὸν, ut *Chrysostomus*, cujus *Homilia* exstat hoc titulo, περὶ τοῦ κατὰ Μωσὴν ὄφεως, ὃν ἐσταύρωσεν ἐν τῇ ἐρήμῳ. Sed hæc conjectura est, à quâ tutius abstinetur. Similis commatis est illud *Nysseni libr.* 2. *de Vitâ Mosis*, cum dicit in Euangelio (*Matth.* 5.) per jota & κεραίαν significari lineam transversam & perpendicularem, quibus forma crucis exprimitur. Cum quo musteo commento convenire videtur *Hesychii* Philologia, ubi *in Lexico*, κέραιος exponit per σταυρὸς: allusione, ut opinor, factâ ad mysticum illud interpretamentum *Matth.* 5. de κεραίᾳ & τῷ Jota in lege, hoc est de duabus partibus crucis ibi prenuntiatis aut typicè adumbratis. Nec melioris monetæ sunt μυστηριώδη seu ἀλληγορούμενα illa de ligno *Exod.* 15. *vers.* 25. & de geminâ percussione Petræ, *Numer.* 26. *vers.* 11. Quæ duo postrema exprobrat Christianis crucem ibi quærentibus. *R. Lipman in* suo *Nizzachon num.* 56. & 116. Malè fides Christiana defenditur accersitis ejusmodi kabalis.

7 Problemata inter ipsos Pontificios dubia aut controversa. 1. *Probl.* An imago crucis seu crucifixi latriâ; an vero alio genere cultus religiosi adoranda sit? *Pr. aff. Thomas* 3. *qu.* 25. *art.* 4. Vide *Andabatas Commentatores ibidem* & apud *Bellarminum lib.* 2. *de Ecclesiâ triumphante*, qui est *de Reliquiis*, & *de Imaginibus cap.* 23. Et *Gretserum lib.* 3. *cap.* 5. inter se pugnantes. Imprimis notandum est discrimen inter linguam Doctorum in Hispaniâ & Italiâ, & inter linguam Doctorum in Germaniâ, Belgio, Galliâ disputantium; ubi turpi & desperatæ causæ suæ fasciculis, & igni inquisitionis succurrere nequeunt. Confer ex nostris *Deckerum lib.* 1. *cap.* 3. & 4. Et *Rivetum in Decalogum*, & *Andr. Crastovii Bellum Iesuiticum.* 11. *Probl.* An figura crucis in pavimento, aut eo in loco pingi debeat, ubi pedibus hominum conculcari posset? *Resp.* Extat pro parte negante *determinatio* cujusdam *Doctoris Parisiensis* de ordine Fratrum minorum, quam *Epistola peculiari* refutavit *Ægidius Bailleul* Doctor Lovaniensis, quę ibidem excusa fuit in 4. typis Joh. de Westphaliâ: *Molanus de Picturis cap.* 35. extendit hoc ad quasvis Sanctorum Historias in pavimento

non

non tantum, sed & iis in locis non ponendas, ubi clavi sunt figendi. Quin & *Corn. à Ryntelen in Iurista Romano-Catholico* ex Jure Civili probatum „vult: Eum qui humi posuerit, vel positum non levaverit, gravissimâ „pœnâ mulctandum, quam *(fortè)* mortem interpretamur (*Azo*) *toto ti-* „*tulo C. Nemini licere signum Salvatoris Christi humi vel in silice, vel in mar-* „*more, aut insculpere aut pingere.* III. *Probl.* An tanta sit necessitas & devotio cultus crucis, ut etiam adoranda sit, quamvis diabolus specie ejus appareat, aut sub eâ deliteseat? *Resp. Affirm. Vasquez.* Vide Mysterium hoc iniquitatis evolutum à *Riveto in Decalogum.* IV. *Probl.* An & quâ certitudine Historiæ de Inventione Crucis, festum ejus sit institutum, & an certitudo humana hic sufficiat; & in quo propriè fundetur hujus festi observatio? *Resp.* Vide ex nostris *Hospinianum in lib. de Festis, pag.* 82. 83. 135., & torquentem *Zvvarezium tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *cap.* 7. Et *Gelasium, (in Iure Canonico dist.* 15. *c. Sancta Romana,)* ubi scripta de Inventione Crucis, & de inventione capitis Johannis Baptistæ vocat *novellas revelationes*, & *legendas* monet cum illâ cautelâ Apostoli: *Omnia probate*, &c. V. *Probl.* Quando cœperit observari hoc festum? Vide *ibid. num.* 11, 12. VI. *Probl.* An præter festum *inventionis crucis*, sit & aliud *exaltationis crucis*, quod observatur mense Septembri? *Resp. Zvvarez. ibid. num.* 12. ait non observari ex præcepto in Ecclesiâ Romanâ; esse itaque festum solum, quod ad Ecclesiasticum officium, non quoad festivam observationem ex præcepto. Communi tamen praxi contrarium teneri videtur. VII. *Probl.* An crux ex opere operato pellat dæmonas: hoc est, ex virtute propriâ & divinâ institutione, prout sacramenta. *Resp. Affirm. Zvvarez in* 3. *disp.* 56. §. 3. *Bellarminus lib.* 2. *de Imaginibus cap.* 30. & cum iis *Oliverius Boenartius* Jesuita *in Comment. ad* 8. *Esther vers.* 8. *pag.* 287. VIII. *Probl.* An cornu monocerotis habeat formam crucis? *Resp.* Vide de hoc commento *part.* 1. *select. disp.* ubi *de Creatione pag.* 731. Hæc aliaque istius generis accumulat *Iustinus in Dialogo cum Tryphone.* Ex recentioribus meminit monocerotis *Thomas Bartholinus tract. de Vnicornu, cap.* 23. IX. *Probl.* An cruces, & nova insignia, præter solitum in processionibus deferre liceat? X. *Probl.* An crux in processionibus publicis possit absque velo aut pallio appenso à regularibus deferri? XI. *Probl.* An presbyteri propriam crucem erigere possint intra limites propriæ parochiæ? XII. *Probl.* An in funeralibus tantum una crux deferri debeat, ejus scil. Ecclesiæ, ad quam corpus defertur? XIII. *Probl.* An crux propria novæ parochiæ in funeralibus deferenda sit, an vero antiquæ parochiæ à quâ dismembrata est? XIV. *Probl.* An coadjutor Episcopi in functionibus Pontificiis, dum incedit per urbem, cruce uti debeat, quæ signum est &

ornamentum dignitatis ac jurisdictionis? XV. *Probl.* Quis Episcopo civitatem aliquam ingredienti deosculandam porrigere debeat? & quis eidem Ecclesiam parochialem ingredienti? XVI. *Probl.* An Capuchinis, qui prius in processionibus incessere sub cruce Conventualium, propriam crucem erigere liceat? XVII. An Regulares vigore bullæ cruciatæ possint confessarios sibi eligere, & per eos absolvi à casibus reservatis. *Fr. Zvvarez tom* 2. *de Religione cap.* 16. *Sebastian. Costa in Bullâ cruciatæ quæst.* 107. XVIII. *Probl.* An necessarium sit Bullam cruciatæ ante vel post suscipere, ad consequendas indulgentias Jubilæi in regnis Hispaniarum? XIX. *Probl.* An Bulla cruciatæ suffragetur laicis, & clericis sæcularibus in foro externo, an vero tantum in foro conscientiæ? Has similesque profanas nugas vide determinatas à Pontificibus, & SS. congreg. Cardinalium, apud *Barbosam in collectaneis Bullarii in vocibus, crux, cruciata, bulla*: cum quo confer ipsum *Bullarium*, aut ejus compendium. XX. *Probl.* An lignum crucis ab igni exustionis mundi futurum sit immune? *Resp.* Ex *Matth.* 24. *vers.* 13. hoc probabile censent *Zvvarez p.* 3. *tom.* 2. *disp.* 57. §. 2. *Gretserus lib.* 1. *de Cruce cap.* 42. *Corn. à Lapide in* 2. *Petri* 3. *vers.* 9. *pag.* 404. & *in Matth.* 24. *vers.* 13. Habet & *Gretserus* nonnulla problemata, circa cruciatas expeditiones, bullas, & ipsos milites cruciatos. Sed tædet vel titulos & summa fastigia inaniarum istarum ulterius describere. Conferat, cui vacat, *Barbosam, Gretserum, Bosium, Zvvarezium, Boenartium, Mallonium, Chifletium, Molanum de Picturis cap.* 75. -- 78. *Arnold. Raissium in Hierogazophylacio Belgico, Draulroeltium in Catechismo Historiali*, passim; aliosque Pontificios hactenus citatos: quibus adde, si fortè præterierim, *Arnoldi Meermanni* Minoritæ *tract. de Cruce ejusque Adoratione, Ægidium Gelenium in Coloniâ supplice*, & *Matheneſii Theophoriam Colonienſem*, ubi de Cruce argenteâ eremitarum Augustini, & *Staurologiâ Colonienſe*. Et ex Philologis atque antiquariis *Iohannis Filesaci elector. lib.* 2. *tit. de Ceremoniis* §. 15. 16. 17. *Iosephum Vicecomitem de ritibus Baptismi lib.* 2. *cap.* 40. *Ioh. Stephanum Durantem lib.* 3. *cap.* 20. *Laur. Pignorium in Symbolis epistol. epist.* 24. *Ioh. Ludov. de la Cerda Miscell. sacr. cap.* 90. 153. *Petrum Messiam lib.* 1. *variar. lectionum cap.* 3. *Martinum de Roa libr.* 1. *singular. cap.* 1. 2. 3. *Maximilianum Sandeum libr.* 6. *de Theologiâ Symbolicâ comm.* 2. *pag.* 456. ubi de signo crucis in obeliscis & hieroglyphicis Ægyptiacis; de quibus fusius, *Athanasius Kircherus in Copto prodromo cap.* 4. & 5. ubi & miram pandit antiquitatem de cruce & fluxu sanguinis Thomæ Chinensium Apostoli, ejusdemque mutatione in varios colores, qui incidit quotannis in festum ejusdem Thomæ. Imprimis *Gavantum in Thesauro sacrorum rituum*, & *Bullarium Pontificum*

ficum aut *ejus compendium* autore *Flavio Cherubino*: unde multa Romanæ matris mysteria de crucis materiâ, formâ, figurâ, titulo atque utriusque inventione, exaltatione, efficaciâ, miraculis, multiplici cultu per invocationem, gestationem, processiones, festa, fraternitates, &c. Denique de figuræ crucis formatione & usu in publico cultu & extra eum, innotescent. Adde *Thyræum de Locis infestis, part. 3. cap. 66. Martin. Delrio lib. 6. Disquisitionum Magicarum pag.* 1005. edit. in 4. aliosque in *Dispp. meis de Spectris, de Energumenis, de Exorcismo, de Peste*, citatos. *Augustinus Viviſanus tres libros* conscripsit, *de more ſummo Pontificis crucem præferendi. Alphonſus Giacone ſeu Ciacconius libellum de Signis, hoc est, de variis Crucis Apparitionibus priſcis & novis.* De modo crucifixionis aliqua Brigittæ revelata dicuntur. Vide *lib. 1. revelat. cap.* 10. & *lib. 4. cap.* 70. *cum notis Gonſalvi Duranti. Frater Petrus Correa* Ulyssipone anno 1615. librum sermone vernaculo edidit, tit. *Conſpiracion Vniverſal*, ubi inter alia monstrosa crucis elogia, *fol.* 94. 95. adducit verba Bonaventuræ serm. 2. de inventione crucis: *Non est aliud crucem invenire, quam illum invenire, qui pependit in cruce.* Et ibidem de suo addit, *Crucem æque esse pretium redemtionis noſtræ ac ſanguinem Chriſti, pag.* 98. citatis verbis quibusdam *Eusebii Emisseni*, infert tantum valere seu posse crucem ac sanguinem Christi, ad nos tuendos in omni necessitate, & in medio omnium periculorum.

MANTISSA AD DISPUTAT. DE STAUROLATRIA ET DE IDOLOLATRIA INDIRECTA.

QUæ *Lindanus* dubitantii *Dial.* 2. & ex eo *Prateolus in voce Iconoclaſtæ*, & *Gretserus* passim declamat de Calvinistis crucis osoribus, quod in Templis, Turribus, vexillis, insignibus, Locis & Provinciis suis nunquam sponte aut de novo ejus figuram adhibeant, sed tantum coacte & quia aliter non possunt; & quod Calvinus juratissimus, Danæus immanissimus crucis hostis sit (*lib. 3. pag.* 290. 313. 314. 335. 366.): hactenus inter atroces calumnias nostri non deputârunt: nisi quod Turcis & Judæis in eo nos comparent: quasi crucis figuram fugeremus odio Christi crucifixi, & non potius odio Staurolatriæ Papisticæ. Quomodo Feuardentius lib. 5. Theomachiæ Calvinisticæ cap. 1. dicit Bezam in colloquio Mompelgard. in has horrendas & Turcicas voces erupisse: *Fateor me ex animo detestari imaginem crucifixi, quæ est imago crudelitatis Iudæorum in Chriſtum; ideo eam non possum ferre.* Videatur *Bezæ* ipsius pia & orthodoxa explica- 1

tio *in responso ad Acta colloquii Mompelgardensis part.* 2. Communis praxis nostrorum sic se habet. In sacris & cultu divino cruces refugimus, sive ut signum declarativum, sive ut consecrativum, sive ut confirmativum, sive ut operativum, sive ut otiosum adiaphorum, sive ut formaliter sacrum eas adhiberi quis pretendat. In Politicis & Civilibus (imprimis ubi respectu aliquo religioso olim superstitio earum usum introduxit) eas sponte & otiose non retinemus, nedum ut de novo assumamus; nisi necessitas moralis mutationem aut omissionem ejus impediat. Ratio est, quia in tantum à Papatu erectum est idolum. In naturalibus & artificialibus promiscuè juxta cum aliis quibuscunque lineis & figuris, ex. gr. spiris, helicibus, perpendiculis, triangulis, circulis, quadratis, &c. utimur crucibus ex necessitate aut commoditate naturali. Huc referimus usum in Architectonicâ civili & militari; In Medicinâ, Chirurgiâ, Chimiâ, in re Navali, Culinariâ, Rusticâ, artibusque omnibus Mechanicis. Haut aliter ac necessarium usum aquæ, aëris, arborum, animalium, alimenti, medicamenti, &c. non relinquimus, quamvis Gentiles omnia illa idolis suis consecrârint, & etiamnum dæmonolatriâ suâ polluant. Juxta textum 1. *Corinth.* 10. *vers.* 20. cum *Tit.* 1. *vers.* 16. 1. *Timoth.* 4. *vers.* 3. 4.

2 Inter profunda & stratagemata Satanæ numerandum est: quando idola &, idolothyta olim Ethnica, nunc Papistica, (collegia scil. confœderationes, vocationes & ministeria seu munera Hierarchica, ordines Regulares ac Religiosi, ceremoniæ & observationes, aliæque istiusmodi superstitionum Reliquiæ, & loca excelsa) in adiaphora & decora Politica, in ritus & formalitates civiles transformari, atque ita sæcularizari dicuntur, atque illo titulo venditantur. Quò fit, ut homines non tantum passim & facilè ea admittant, sed & aliter sentientes ac difficiles hâc in parte, hostiæ fiant publici odii, & tanquam ἀλλοτριεπίσκοποι, quippe in materias atque autoritates Politicas involantes (scilicet,) apud Potentiores traducantur, aut saltem tanquam contentiosi, & ἰδιογνώμονες, personales scil. inimicitias cum his & illis exercentes, soli relinquantur; quin immo tanquam homines turbulenti & seditionum flabra atque incentores proclamentur. Specimina hujus artificii ediderunt Reges & Prophetæ Idololatrici, aut Syncretistæ in Eliâ, Michâ filio Jemlâ, Amos, Jeremiâ, 1. *Reg.* 18. 17. & *cap.* 22. 18. 24. 25. 27. *Amos.* 7. 10. 12. *Ierem.* 26. & 37. &c. Et Idololatræ Gentiles in Paulo, *Actor.* 17. 6. 16. 18. & 19. 24. 25. 26. 27. & ante paucos annos Jesuita *Iohannes David* in summo Theologo practico, & mitissimo ac pacis studiosissimo Viro Wilhelmo Teellingio; qui suum *salvum conductum* oppositum ejusdem *Teellingii Admonitioni contra spectacula*

cula *Idolorum*, &c. concludere non erubuit *pag.* 90. (edit. in 8. apud Joachimum Trognæsium anno 1609. Antwerp) *Admonitione ad omnes Status & potestates*, ubi inter alia: Ende want soodanige woorden merckelijck saecken zijn van disorderen/ beroerte/ ende seditie/ directelijck tegen de verschte gemeyne ruste ende welstant; (per inducias belli Belgici) soo dient daer in voorsien: want het te spade is/ als de furie tot effect gekomen is. Te meer/ om dat soodanige voorvincken ende bedeckte voorstichters/ moetwillige Geesten/ na dat de saecke op sulck hun bedeckt ende loos-sinnigh aenstoocken tot synen volkomen wasdom gekomen is/ alsdan noch protesteren willen/ dat sy 't niet gedaen en hebben/ noch tot sulchs raet of daet gegeben. His aliisque larvati Bileami Sinoniis artibus & incendiariis clamoribus *peculiari libro* respondit D. *Teellingius*. Et Jesuita *Saylly* in altero præstantissimo Theologo ac fidelissimo Patriæ suæ atque Ecclesiæ contra insidias & machinationes Papales monitore; egregii & utilissimi illius libelli Autore, cui tit. *Horologium Belgicum*, & *Speculum Iuventutis* (quem ego putavi hactenus nullum alium esse, quam D. *VVilhelmum Baudartium* p. m. Ecclesiæ Zutphanienſis, dum viveret, Pastorem, & novæ translationis Bibliorum Belgicę, cum doctissimis Collegis suis Autorem.) Hunc enim turbulentus & seditiosus Jesuita ausus fuit tanquam amnestiæ, inducarum, & pacis publicæ hostem ac turbatorem traducere, & hoc prætextu Horologium ipsius Belgicum impugnare. Sed peculiari Apologiâ ita os ei obstruxit laudatus modo præstantiss. Theologus & Historicus, ut postea, quod sciam, mutire ausus non fuerit. Referrem hic etiam, si charta pateretur, de præstantissimis & fidelissimis Theologis Gallicis & Genevensibus, à *Carpentario* JC. Genevensi & Religionem reformatam professo, palam & simili ferè modo, sed quæsito causæ Politicæ prætextu, traductis. Sed videat Lector ipsius librum, cui tit. contra *Causarios*; ejusque *refutationem* per *Franciscum Portum* Græcæ linguæ apud Genevenses Professorem. Attendant prudentiores, an non Jesuitarum, Hispanizati Papatus, Libertino-Scepticilmi, Lucianilmi, atque Epicureilmi hodierni emissarii idem drama nunc peragant, de consilio & ex præscripto sacri consilii Inquisitionis, & Consistorii Romani.

Illustre exemplum schemate quasi Politico secularizatæ alicujus indire- 3
ctæ ac participatę idololatriæ Ethnicæ exhibent nobis sacerdotia Gentilium à Christianis olim affectata, aut retenta: quæ tamen nec Apostoli, nec Ecclesia Apostolica unquam approbavit (uti perperam ex *Actor.* 19. concluditur;) & quæ Ecclesia antiqua disertè condemnavit, ac disciplinâ Ecclesiasticâ severè coercuit: ut patet *ex* 2. 3. 4. 55. *canonibus Concil. Eliberini*; quos cum egregiis notis *Gabrielis Albaspini* Episcopi Aurelianensis in gratiam Pontificiorum antehac seorsim edendos curaveram, tanquam

appendicem ad *Disp. de Idololatriâ Indirectâ*, & supra ibidem inserui: ut videant nec absque exemplo Ecclesiæ, tum antiquæ, tum ipsius Romanæ neque temerè aut stolidè Reformatos nostros ἀκριβολογεῖν in casibus conscientiæ de Idololatriâ indirectâ.

4 Precatio versus orientem aut occidentem in se & per se planè est adiaphora: cum tamen alterutrum ab Idololatris, inter quos vivunt Christiani, mordicus retinetur & conscientiæ idololatricè ac superstitiosè ad illud alligantur; libertatem suam Christianam optimè tuentur fideles, si ipso actu in contrarium eant, atque ita secundum legem caritatis & prudentiæ proximum ædificent, non scandalizent. In antiquis Ecclesiis, si ad circumstantias illas orationis, propter urgentes rationes à Judæorum aut Gentilium cultu ipsis oblatas, ita attenderint, ut plurimæ ad Orientem, aliæ ad Occidentem se verterent (prout eas hoc feciſſe observat *Rivetus in Apologet. pro verâ pace Ecclesiæ contra Grotium pag.* 148.); utique ἀκρίβεια eorum laudanda videtur. Secus judicandum, si tales rationes nullæ fuerint. Quidquid sit, videmus saltem tam novum aut ridiculum non esse, si occasione grassantis Idololatriæ Ethnicæ aut Pontificiæ, attendat quis ad externum situm, gestum, habitum, aliasque Orationis circumstantias. Sed de hoc supra in *Disp. de Idololatriâ indirectâ.*

DE AGNIS DEI I.

Resp. JOHANNE LE FEBRE, Medioburgo-Zelando

Ad diem 2. *Septemb. Anno* 1643.

Inter Sacramentalia & res sacras seu consecratas Papatus numerantur Agni Dei. Illorum Mysterium ad pleniorem detectionem Idololatriæ Papalis nunc explicaturi, agemus. I. De eorum Origine & Antiquitate. II. Consecratione. III. Requisitis & Conditionibus. IV. Efficaciâ.

1 PRimæ Origini *Agnorum Dei* occasionem dediſſe videtur Theologia Symbolica & Allegorica de Agno; qui symbolicè est Christus, *Ioan.* 1. *vers.* 29. & 36. *Actor.* 8. *vers.* 32. 1. *Petr.* 1. *vers.* 19. occurrit vox ἀμνὸς; & *Apocal.* 5. &c. in quo libro vox ἀρνίον vicies septies, de illo usurpatur. Dicitur autem Agnus duplici respectu, *tum* ratione quâdam communi propter similitudinem & convenientiam in qualitatibus, actionibus, & passionibus; quomodo idem dicitur leo, vitis, arbor, ἀστὴρ πρωϊνὸς, ostium, via,

via, &c. *tum* ratione quâdam speciali, secundum typum scil. & adumbrationem: erat enim Agnus Paschalis, & Agnus qui quotidie in juge sacrificium, & alio quocunque tempore in sacrificium propitiatorium offerri solebat, typus destinatus Christi. De quo videnda loca, *Exod.* 12. & *Levitic.* 1. *&c.* A verbalibus his symbolis malè progressi sunt homines ad realia, picturas scil., & imagines Agnorum, ut scil. signo illo significativo & memorativo monerentur agnum Christum, ejusque innocentiam jugiter præ oculis habere. Atque hic primus gradus ἐθελοθρησκείας & superstitionis, quem docet *sexta Synodus anno* 670. (juxta *Prateolum*) habita *Constantinopoli in Trullo can.* 82.; ut quidem pro se Synodum illam citat. *Cornel. à Lapide in Apocal.* 5. *vers.* 6. Quam tamen *Baronius ad annum* 692. rejicit tanquam erraticam & pseudo Synodum. Vide *ipsum*, & *Epitomen Spondani* posterioris edit. anni 1622. *Autoresque* alios *ibidem citatos*. *Bellarminum*, *Perronum*, *Canum*: quibus addo *Molanum orat. de Agnis Dei cap.* 16. quæ edita est cum *tract. de Canonicis*. Quidquid sit de autoritate hujus Synodi (de quâ alibi disquirendum), saltem inde constare potest de facto; sub illud tempus scilicet cœpisse alicubi in Ecclesiis inter alia usum picturarum sacrarum (uti vocant), & inter eas Johannis Baptistæ digito monstrantis Agnum: Quamvis vetuerint iidem Christum pingi specie Agni, sed voluerint pingi specie hominis, uti fatetur *Cornel. à Lapide loc. cit.* Ex usu illo pictorum primum, ac deinde etiam sculptorum Agnorum, emerserunt tandem Agni cerei; quorum usum antiquum ex ordine Romano colligere quidem velit *Baronius loco cit.* & *Ambrosius Vicecomes lib.* 5. *de antiquis Baptismi ritibus cap.* 51. sed nullis testibus antiquis, nullâ etiam consequentiâ. *Baronius* conjicit ordinis Romani autorem esse Gelasium, qui vixit circa annum 500. *Vicecomes* consuetudinem baptizatis dandi cereas Agni imagines nullo teste probari fatetur, nisi Durante, *recente*, (ut loquitur) *antiquitatum liturgicarum Scriptore*. *Quod in causa fuit, ut diu dubitaverim*, inquit, *an hæc levioris fidei assertio cæteris tot nobilium, ac veterum Scriptorum autoritate confirmatis esset adjungenda*. Subjicit *ibidem* quam turpiter *Carthagena* pro Agnorum illorum in Baptismo usu citaverit *Optatum Milevitanum*: cum nihil in eo compareat. Fatetur insuper usum apud Græcos non fuisse; sed rejectum potius. Explicat præterea in quem finem Agni illi in Ecclesiâ Romanâ baptizatis dati sint, & cur ac quamdiu collo gestati. *Baronius ad annum* 58. §. 76. Et cum illo atque ex illo Cherubinus in compendio Bullarii tom. 3. ad Bullam Pauli V. anno 1608. pag. 51. addit, *Quia Gentiles infantibus suis ad collum appendebant bullas re turpiculâ signatas, aut aliter superstitionibus auctas, ad avertendas fascinationes, ut inquit* Varro de linguâ Latinâ lib. 6. *sed placuit Christi fidelibus*

delibus superstitione *in religionem mutata, ad illas abolendas (ut de multis accidit N. B.) ex sacris ceris bullas confici, quas Agni Christum præ se ferentis imagine insignitas geniti in Christo gestarent. Baron. lib. 1. annal. Eccles. asticor. p. 520. lit. C.* De superstitione Gentilium circa fascinum, ejusque amuleta, agit *Turnebus lib. 9. Adversar. cap. 28.* ubi *Varro, Plinius, Virgilius, Horatius, Plutarchus*; qui postremus ait turpia & ridicula ad eam pestem avertenda, credita fuisse, obtutu & aspectu invidentium ex obscœnitate & miraculo turpitudinis avocatis. Hinc addit *Turnebus* appellatum *Deum fascinorum*, qui illud depellebat; Et nomine fascini membrum virile, quod de collo infantium suspendebant; quibus scil. fascinum magis nocere putabatur. Confer de lustralibus salivis amuleto contra fascinum *Persii Satyram 2.* & ibi *Commentar. Casauboni*, Baronius loc. cit. *cordis imaginem in bullis suis Gentiles ferre consueverant, &c. Christiani verò Christi Agni imagine, discerent &c. esse mites &c. Molanus de Picturis sacris, cap. 65.* & *Oratione 1. quæ est de Agnis Dei, cap. 6.* pro antiquitate nullos alios citat Scriptores, quam *Alcuinum cap. de Sabbatho Sancto*, & *Amalarium* (sive *Fortunatum*, discipulum Alcuini, sive Treverensem Archiepiscopum, sive Diaconum: de quo *Spondanus in Notis ad Epitomen Baronii anno 831.*) *lib. 1. de divinis Officiis cap. 17.* Scripsit autem prior circa annum 778. posterior circa annum 831. Quæcunque tunc veneratio Agnorum fuerit, non ascendit ultra alia amuleta crucis, codicis Euangeliorum, &c. quibus fascina & diabolicas infestationes averruncari putabant: ut ex verbis *Amalarii* colligitur. Nondum ergo ad formam & ἀκμὴν pervenerant Agni à Papis consecrari soliti: De quibus nobis hic sermo est, & quorum εὐχρονισμὸν *Ceremoniale Romanum* refert ad annum 1365. annum 4. aut 5. Urbani V. Et sic exsertè Dionysius Mutzart abbas Tongerloënsis in Histor. Eccles. Belgico sermone conscriptâ ad annum modo indicatum: *Circa hoc tempus in magnâ veneratione erant apud sanctam Ecclesiam cerei Agni, quos Agnos Dei appellant, &c.* Atque hæc de antiquitate, seu potius novitate Agnorum; quantum quidem apud Scriptores Pontificios observare potui. Video alicubi citari *tractatum Onuphrii Panuini de Antiquo ritu baptizandi, & de Origine benedicendi imagines cereas, quæ Agnus Dei vocantur.* Sed quia tractatus ille mihi nondum visus est, dicere nequeo, an aliquid habeat quod Autores nobis modo citati ex illo non exhibuere.

2 In consecratione Agni consideranda consecrator, materia, ceremoniæ & circumstantiæ: de quibus *Ceremoniale Romanum. lib. 1. sect. 7. in fine*, & *lib. 3. sect. 2.* 1. Consecrator est Papa Romanus, qui primo anno Papatus, & septimo quoque recurrente (siquidem tam diu vivat) numerum aliquem

aliquem Agnorum benedicit, eosque distribuit primum Cardinalibus & Episcopis in eorum mitras, dum illi manum ejus, hi autem genu dextrum osculantur; postea protonotariis & reliquis, in manus, qui ad pedis osculum provolvuntur. II. Materia Agni est balsamus, & sacrum Chrisma, aqua benedicta, cera alba seu munda. III. Ritus & ceremoniæ consecrationis sunt istæ. *Primò*, benedicit aquæ. *Secundò*, aquæ per modum crucis infundit balsamum, & sacrum chrisma. *Tertiò*; multas preces & benedictiones fundit super cereas formas Agnorum. Horrendum carmen seu formulam orationis benedicentis, vide in *Ceremoniali*, aut apud *Molanum cap.* 8. Nos infra extractum exhibemus. Dionys. Mutsart loc. cit. dextrè satis medullam & summam ejus sic proponit: *Ut veneratio Agnorum illorum, non tantum abluat peccata, sed insuper cœlum & vitam æternam mereri faciat.* *Quartò*, cum solemnitate cubicularii in pelvibus argenteis Agnos Pontifici deferunt: quas ipse in aquam immergit: astantes autem Prælati decenter extrahunt, & ut siccentur, reponunt, usque ad Sabbathum in albis: Sabbatho autem hoc peractâ communione, Pontifex competenti ritu Agnos distribuit.

Requisita & conditiones sunt. I. Ut à cunctis albi & mundi decenter ac reverenter habeantur, deferantur, & custodiantur; nec depingantur, minio notentur, aut illo colore inficiantur, aut quidquam aliud superinducatur, sub pœnâ excommunicationis de facto; nec sic depicti vendantur, uti fieri solet. Hoc sancitum *peculiari constitutione Gregorii XIII.* 8. *Kal. Iunii* 1572. *quæ est ipsius secunda in Bullario:* ubi videnda; & conferendus *Zvvarez lib.* 4. *de Religione, cap.* 14. *ubi de Simoniâ.* II. Ut materia seu ingredientia ejus sint omnia, quæ supra recensuimus. III. Ut amuleto hoc & fide & devotione se muniant: & tum vim habeat, ratione consecrationis & orationis à Pontifice factæ, non verò ratione intentionis & devotionis consecrantis. Nam qui se ex fide munit, is externo illo symbolo orat, ut fiat sibi secundum fidem suam, & secundum eas preces, quas Pontifex in Agni consecratione effudit. Ita mysteria hæc explicat *Molanus cap.* 8. *pag.* 363. IV. Ut honor (religiosus scil.) & reverentia iis deferatur: hęc enim illis deberi determinat *Azorius lib.* 9. *cap.* 9. V. Ut domi asservati loculo includantur: de collo suspensi in thecam auream, aut argenteam, aut eburneam includantur: ne in annulo gestentur: ne habeant profanum ornatum; ne attingantur à laicis, nec à fabris thecarum; sed tantum à clericis: ne in campum projiciantur, nec arbori affigantur; sed, quod antiqui est instituti, eorum cera adoleatur ad suffumigationem in agris, vineisque, ob imminentem tempestatem, fulgura, &c. Hæc omnia in *Concil. Provinciali Mediolanensi* sub Carolo Borromęo ita decreta sunt, ut refert *Azorius loc. cit.* VI. Ne indulgentiæ concedantur aut attribu-

tribuantur pro Agnis cereis, seu Agnis Dei benedictis, aut pro quibusvis sacris reliquiis retinendis. Sic habet *constitutio Clementis VIII. Quinto Idus Ianuarii*, 1597. (quam refert *Emman. Rodericus in collectione Privilegiorum Regularium, tom. 2. pag.* 478.) & *Bulla* 10. *Clementis VIII.*

Bonum & efficacia Agnorum, juxta fidem Romanam, considerari potest absolutè, aut comparatè. Priori modo consideratam melioris doctrinæ causa divido in significationis, devotionis, impetrationis, operationis. I. *Significatio duplex est, Primaria*, quod sigillare seu sacrum hoc signum, docet confugere ad Agnum Christum, qui in cruce immolatus est pro nobis: hoc enim indicat crux & vexillum, quæ Agno adsculptæ sunt, & hoc ex ipsâ benedictione colligitur; in quâ idem sæpe inculcatur. Sic *Molanus cap.* 9. *Secundaria* significatio est, quod per idem in memoriam revocatur nos per Baptismatis sacramentum esse velut Agnos novellos, super nivem dealbatos; atque adeo sollicitè agendum, ut vestem innocentiæ, quam cum baptizabamur accepimus, usque ad diem judicii, candidam servemus. Idem *Molanus cap.* 10. qui hoc colligit ex verbis Subdiaconi Apostolici qui ter cantat, dum Agni ad Pontificem in lance deferuntur: *Pater Sancte, isti sunt Agni novelli, qui annuntiaverunt vobis alleluia: modo veniunt ad fontes: repleti sunt claritate, alleluia.* In Ceremoniali Roman. lib. 3. sect. 2. cap. 6. Et huc facere volunt, quod Syri, si qui in septimanâ candidatorum Romæ baptizantur, à Pontificibus cerea sigilla vexilliferi Agni figurâ expressa, & aquæ chrismatis admixtione immersa tanquam Symbola Baptismi, sacraque amuleta accipere consueverunt: ut refert *Widmanstadius in præfat. ad Nov. Testamentum Syriacum.* II. *Devotio*, & forma pietatis in usu hujus amuleti servatur à Pontificiis tanta & tam multiplex, ut omnis boni recordationem ingerat, teste *Molano cap.* 11. qui *ibidem* citat librum *Gerhardi Busæi contra Illyricum* nondum editum. *Primo* enim quisque pius cogitet Abelem mirum in modum placuisse Deo, quod Agnos de grege suo consecrarit & obtulerit, & hoc exemplo consoletur se, etiamsi per invidiam à Fratribus multa ferre debeat. Admoneatur quoque cum Abele agnos spirituales, hoc est, vitam innocuam, &c. Deo consecranda & offerenda esse. *Secundo*, in mentem veniat quod Filii Israël sanguine Agni postibus illito, &c. mirabiliter liberati sint. Et in hâc meditatione admonitus suo amuleto, attentius oret Dominum, ut & illum & quotquot Agni Dei amuletis piâ hujusmodi cogitatione utuntur, tum à similibus plagis &c. liberare &c. *Tertio*, veritatem cum figurâ conjungens, expendat quidnam significaverit, quod Moysi præceptum fuerit Agnos immaculatos in juge sacrificium &c. & quidnam Mysterii habeat, quod Filiis Israël in celebratione Agni Paschalis, &c. Reliqua videantur apud *Molanum*: si cui hæc tanti sunt. III. Efficacia

per

per modum *impetrationis*, eadem tribuitur Agno, quæ Orationi: dicitur enim æquivalens orationi, apud Molanum cap. 8. *Instituit enim ideo Ecclesia benedictionem aquæ, Agnorum & consimilium rerum, ut Christiani in nostris necessitatibus, non ad vanitates & superstitiones, sed ad orationes Ecclesiæ, aut ad æquivalentia signa* (N. B.) *confugiamus. Sicut enim Christus aliquando solo nutu & verbo ægros sanavit: aliquando autem externum signum adhibuit: sic Ecclesia sui sponsi imitatrix fidei nonnunquam solam orationem, nonnunquam æquivalens signum adhibuit.* IV. Operationes variæ creduntur, immo & omnes tum ordinariæ tum miraculosæ in spiritualibus & corporalibus; quas ex precibus consecratoriis Pontificis, & *versibus Vrbani V.*, nec non exemplis abundè colligi putant. *Molanus* efficaciam Agnorum precibus, quæ habentur *lib.* 1. ceremonialis, explicari asserit *cap.* 8. quas horrendas & blasphemas preces velim per occasionem in ipso *Ceremoniali*, aut *Molano* legi. *Versus Vrbani V.* pervulgati sunt apud Pontificios infra citandos, sunt autem isti ex lib. 1. ceremonial. sect. 7.

Balsamus & munda cera, cum chrismatis undâ,
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum:
Fonte velut natum, per mystica sanctificatum.
Fulgura desursum depellit, & omne malignum:
Peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit.
Prægnans servatur, simul & partus liberatur.
Dona confert dignis, virtutem destruit ignis:
Portatus munde, de fluctibus eripit undæ.

Addit Stephanus Quaranta in constit. Pontif., nescio cujus codicis fide:

Morte repentinâ servat, Satanæque ruinâ,
Si quis honoret eum, retinet super hostæ trophæum r
Parsque minor tantum tota valet integra quantum.

Hæc ita citat ex Ceremoniali eadem elegantiori carmine elegiaco complexus est Gul. Estius apud *Molanum cap.* 13. sed qui versum illum maximè blasphemum *peccatum frangit* &c. hoc pentametro mutavit: *Et pietas animo surgit, abitque tepor.* An hoc sit paraphrastem agere, judicent qui judicare possunt. Credibile est viri illius conscientiam non leviter intus pullatam & lancinatâ fuisse. In fine de suo addit & concludit hoc disticho;

Vnde rogas uni tam magna potentia signo?
Ex Agni meritis, haud aliunde fluit.

Citat *ibidem Molanus* prolixa carmina *Andreæ Frusii in Institutionibus Societatis B. Mariæ*: & partem eorum refert *Delrio lib.* 6. *Disquisitionum Magicarum.* Sed Autor ille mihi ad manum non est: Itaque hâc vice eum conferre nequeo. Exempla operationum & miraculorum in amoliendis fascinis, præstigiis & maleficiis Magorum, energematis & infestationibus

dæmonum habet *Thyræus de Obsessis part.* 3. *cap.* 45. *Delrio in Disquisit. Magicis lib.* 2. *quæst.* 21. & *lib.* 6. *cap.* 2. Incendiis, armis noxiis, periculis præcipitii, partus &c. inter quæ excellit, illud quod de milite Hispano anno 1568. tanquam ex ore hostium, ipsius scil. Principis Auriaci refert *Molanus cap.* 12. Sed hæc aliaque quamplurima collegit *Anton. Drauroultius cap.* 3. *Catechismi Historialis tit.* 72. qui consulendus ab iis, quibus vacat. Duo tamen ab illo omissa videntur. *Prius* est de Miraculis contra Pestem; quæ ex *Augustini VVichmans* Monachi Nortbertini, postea Abbatis Tongerloënsis *Apothecâ Spirituali* supplenda. *Alterum* est de extorquendâ veritate in equuleo, *Delrio lib.* 5. *Disquis. sect.* 9. & *Paulus Layman* Jesuita in *Processu Iuridico contra Sagas, &c.* Germanicè edito *tit.* 6. Ubi Agnum Dei tanquam spirituale alexipharmacum commendant contra diaboli potentiam, quâ confessionem omnem impedit, stuporem & ἀναισθησίαν contra omnes cruciatus inducendo, aut usum sermonis & auditus impediendo. Atque hæc quidem delineatio efficaciæ Agnorum absoluta. Comparatam suppeditat *Molanus, cap.* 8. ubi aliis amuletis & rebus benedictis præferendos putat: quod ex tot tantisque ingredientibus constent, & quod à Pontifice consecrati sint, atque adeo potius Petri Apostoli benedictiones sint, nunquamque illis merita Petri deesse credendum sit. Sic *cap. cit.* coll. cum *cap.* 6. Reperio in *Delrio lib.* 6. *cap.* 2. *sect.* 3. *qu.* 3. exstare tract. *Iacobi Bonardi de effectibus Agnorum.*

Efficacia comparata

5 Atque hęc quidem sufficiant de Agnis cereis à solo Pontifice consecrari solitis. Cum quibus conferri possunt tanquam maximè affinia I. Omnes alię sculpturæ & picturę sacræ (uti vocant) Agnorum, quæ referant Christum. De quibus *Molanus in libro de sacris Imaginibus.* Quibus vulgo distinctionis causa adpingitur vexillum & crux in humeris, & aureola Sanctorum ad caput: quò scil. clarius distinguantur ab Agno bruto: ut notat *Molanus lib.* 3, *cap.* 20. Et post illum *Fl. Cherubinus in compendio Bullarii tom.* 3. *ad constit.* 43. *Pauli Quinti*: quâ constitutione confirmatur Monachis B. Mariæ Fulienſis, Cistercienſis ordinis B. Benedicti in urbe munus signandi Agnos Dei in cerâ. Hic obiter notandum, imagines Agni cum aureola & cruciato vexillo, à nonnullis Pistoribus sive Pontificiis, sive ignorantibus aut neutralibus in Regionibus reformatis adhuc imprimi solitas Paschalibus libis, seu panibus rotundis, redolere vestigia crassæ superstitionis Agno-latricæ. Quod monemus, ut Reformati talia fusque deque non habeant, cum videant Pontificios non sine peculiari studio & conscientiâ ea sectari. II. Agni Paschales, seu armi agnini solenniter consecrati; quibus Pontificii vescuntur in Paschate. De quorum usu & consecratione videndum *Manuale Exorcisticum Maximil. ab Einatten*, & *Rituale seu Pastorale Romanum. tit. de Benedictionibus, subtit. Benedi-*

ctiones

ctiones esculentorum, &c. *Benedictio Agni Paschalis.* III. Precatio illa in Missâ: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis*, ter à sacerdote & populo repetita, cum ceremoniis & consequentibus à Sergio I. instituta. *Ioh. Baptista de Rubeis in novo rationali divinor. offic. lib. 2. cap. 82.* refert ad Leonem primum anno 443. Mysteria hęc vide in *Expositionibus Missæ, Durantis, Gabrielis, Clichtovei*; & apud Recentiores, *Rubeis loc. cit. Gavantum tom. 1. Thesauri sacrorum Rituum, part. 2. tit. 10. pag. 161.* & *Azorium Instit. Moral. lib. 10. cap. ult. quæst. 12.* ubi alii citantur. IV. Pythagorica & desipiens devotio Francisci Assisii; qui sæpe Agnos ad macellum aut mactationem ductos prece aut precio à morte redimebat, quod scil. recordaretur Christum ut Agnum mactatum fuisse. Et hoc quidem à buccinatoribus laudum Francisci tanquam in parte eximiæ & singularis pietatis ponitur; Sed talem pietatem Christus & Apostoli ignorârunt, cum Agnum Paschalem comederent. *Matth. 26.* V. Absurda & blasphema oratio Legatorum Siciliæ audita & recepta à Papâ Martino IV. anno 1282. quâ Supplices ipsum rogabant: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.* Teste *Paulo Æmilio in Histor. Francorum, in Philippo III.* In quo similem se præstitit Herodi, de quo *Actor. 12. vers. 22.* & apud *Flavium Iosephum libr. 19. antiquit. cap. 7.* Necesse quod *Couffetellus* excipiat contra censuram hujus blasphemiæ apud *Plesseum in Mysterio*, hæc verba à Papâ Martino IV. non fuisse prolata. Eadem enim panacæa Herodi *Actor. 12.* applicari posset; quippe qui non protulerat hæc verba: *Vox Dei, non hominis.*

His ita explicatis controversia principalis breviter perstringenda: tales enim superstitiones detegere est refutare. Quæstio est, An consecratio, veneratio, & usus istorum Agnorum sit licitus & religiosè utilis. Nos *Neg.* Pontificii contra *Affirm.* Testes sint mihi ex Recentioribus *Baronius, Molanus, Azorius, Emm. Rodericus, Zvvarez, Cherubinus, Estius, Frusius, Delrio, Paulus Layman, Dionysius Mutsart, Augustinus VVichmans, Thyræus, Cornelius à Lapide, Drauroeltius, Iosephus Vicecomes, Onuphrius*; imprimis *ceremoniale Romanum*, & *Vrbanus V.* cum *Leone XI. Gregorio XIII. Clemente VIII. Paulo V.*: quorum *Bullæ in Bullario* legendæ. Accedit Provinciale *Concilium Mediolanense* sub Carolo Borromeo celebratum, & typis editum. Quos omnes jam citavimus. Adde *Durantem in Rationali lib. 4. fol. 97.* De *Rubeis in novo Rationali libr. 2. cap. 82. Quarantam in constitut. Pontificum, Barbosam in collectan. Bullarii, Thom. Zanchez in prac. Decalogi tom. 1. lib. 2. cap. 34. Filiuccium in Quæstion. moral. tract. 14. cap. 6. quæst. 8. Bonacinam de Excommun. in particulari extra Bullam Cœnæ disp. 2. quæst. 2. Couffetellum contra Mysterium Iniquit. Plesseï.* Gallicè, ubi

ubi de Urbano VIII. Et *Gretserum lib. 3. de Benedictionibus, eundemque contra Mysterium Plessei cap. 60.* ubi Agnos illos, & versus Urbani V. agnoscit ac defendit: negat tamen eos demum emersisse sub Urbano V. quippe antiquiores, teste socienno *Frusio in pio & elegante Poëmate, & Baronio ad annum 58. §. 76.* ad quos Lectorem amandat. Ut verbo dicamus tota Societas Jesuitica panegyricum sibi pangens in *Imagine primi saculi Societatis lib. 6. pag. 792.* gloriatur sanctorum cultum à se excitatum; *imprimis verò sacris Divorum lipsanis conciliatam esse venerationem, itemque Agnis cereis Romani Pontificis benedictione sacratis.* Citat *Delrio lib. 6. cap. 2. sect. 3. quæst. 3. Petrum Matheum ad 7- Decretalium,* ubi multa de Agnis Dei; & librum *Iacobi Bonardi de eorum Effectibus.* Sed neutrum hactenus vidi. Rationes non est quod operosè contra fidem & praxin Ecclesiæ Papalis instruamus; cum non nisi ex suâ affirmatione eam defendant. Interim generales rationes ex divinis *Benedictionibus* huc accersitæ & applicatæ sufficere poterunt; quas nolo repetere. Quod si quis conferat *Disp. de Energumenis, Spectris, Magiâ,* (ubi falsa amuleta rejicimus,) insuper *Diatriben de Antidoto Pestis, Indulgentiis, Exorcismo, Superstitione, Processionibus, Rosariis, Iubilæo, Templis, Festis* ex abundanti, majorem lucem huic controversiæ inferet. Alioquin non malè classes argumentorum hâc ratione disponas, ut 1. sit, eorum, quæ negant, efficaciam ullam significationis, devotionis, impetrationis, operationis his Agnis inesse; quod desit verbum Dei, tum mandati. tum promissionis, 11. Probet apertè repugnare impetrationi & efficaci applicationi salutis per Christum; mediisque applicationis externis, verbo scil. & sacramentis, totique cultui instituto. Specialiter etiam repugnare fidei in Christum, & orationi; cui unico adversus diaboli vexationes amuleto (*Matth. 17. Ephes. 6.*) substituunt suos Agnos Dei. 111. Imprimis ostendat absurdissimas & blasphemas consequentias facere versus illos Papæ Urbani V. & precationem consecratoriam, in *Ceremoniali Romano,* quæ fundamentum est hujus putatitii sacri, & amuleti. Hæc omnia nullo negotio à tyronibus deduci possunt. IV. Indicet sapere hęc amuleta κακοζηλίαν Ethnicam & Judaicam: quorum Bullas, aliaque pseudo-amuleta alibi indicavimus & rejecimus in *Dispp. de Superstitione, Magiâ, Idololatriâ.* Conferatur *Delrio Disquis. Magic. lib. 6. cap. 2. sect. 1.*

7 Diluendæ nunc exceptiones aliquot, quas turpitudini suæ obtendunt. 1. *Except.* Est authoritas & antiquitas Ecclesiastica. *Resp.* 1. Ex supra dictis Thesi primâ constat esse meram & veram novitatem. 2. Quid & quantum tribuendum sit antiquitati, excussimus in *Desper. Causâ Papatus, lib. 3. sect. 1. & 2.* & in *Disp. de Patribus.* 11. *Except.* Est Delrio qui lib. 6. cap. 3.

cap. 3. pag. 1030. edit. in quarto, ita nodum rumpit, non solvit: *Vbi hic* (in formâ consecrationis) *audis comparationem sanguinis Christi & Agni hujus? Vbi hic tribuitur Agno peccati fractio; Apage Calumniator cum tuo versificatore; si quis Catholicorum auctor versiculorum talium, cur non reliquæ adscripsisti? sano ille sensu, suspicor, aliquid addebat, quod fuliginem calumniæ tuæ detegebat. Sed quisquis autor illius versiculi: id nostra parum refert; qui non quid singuli privati, sed quid Ecclesia Romana sentiat, solicitis sumus. Resp.* 1. Quod si hi versus non essent in rerum naturâ, ipsa tamen oratio à Pontifice in consecratione adhiberi solita, easdem vomit blasphemias; ut mox ad sequentem exceptionem dicemus. 2. Hos versus esse Urbani V.; non vero ab hæreticis (quos ita vocat) aut fictos aut interpolatos, constat ex *Ceremoniali Romano*, ubi habentur; & ex *Quaranta in Constitt. Pontificum, p.* 9. Flavio Cherubino in Compendio Bullarii, in notis ad Bullam Gregorii XIII. anno 1572. ubi sic quærit, *Agnus Dei, quæ est materia, & quæ est virtus?* (N. B.), & respondet, *Accipe ex octastico illo Vrbani V. cum tribus Agnis Dei ad Græcorum Imperatorem misso, & ex ceremonialis libro desumto.* Balsamus & munda cera, &c.: Ex *Dionys. Mutsart. in Histor. Ecclesiast.*; *Ioh. Molano in Oratione de Agnis Dei*; *Gretsero in Mystâ Salmuriensi contra Plessæi Mysterium cap.* 60. qui eos ut genuinos agnoscunt. III. *Except.* Molanus cap. 14. contra Illyricum, particulam *ut*, denotare similitudinem, non æqualitatem: uti Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater*, &c. *Hunc ergo sensum esse versificatoris: Sicut Christi benedictus sanguis peccatum frangit, sic etiam per meritum & sanguinem Agni Dei, hunc typicum & consecratum Agnum virtutem aliquam frangendi peccatum habere: etsi virtus ea multis parasangis à virtute & efficaciâ mortis Christi distet? Resp.* 1. Pontificem Urbanum Quintum versibus suis nihil aliud voluisse, quam quod dicit glossa Molani, nullâ sententiâ sedis Romanæ hactenus determinatum est. Cur ergo illi credam? Immo verba illa innuere, aut saltem admittere, sensum Illyrici, & Godelmanni J. C. apud *Delrio*, patet ex effugio ejusdem *Delrio*: quo indicat nullo modo posse ea in benigniorem hanc partem accipi: ideoque versum illum rejicit. Quin & oratio consecratoria ab ipso Molano cap. 8. ex Ceremoniali repetita Illyrici expositioni favere videtur. Hæc enim ejus verba: *Ipsorum veneratione & honore nobis famulis tuis crimina diluantur, abstergantur maculæ peccatorum, impetrentur veniæ, gratiæ conferantur, &c.* Et rursus: *Quemadmodum ille Agnus innocens tuâ voluntate immolatus in arâ crucis, Iesus Christus, filius protoplastum nostrum de diabolicâ potestate eripuit: sic isti Agni immaculati virtutem illam* (N. B.) *accipiant*, &c. *ut tuâ largâ benedictione sanctificati eandem* (N. B.) *virtutem accipiant*, &c. Pronomina *illam & eandem*, exsertè designant eandem

dem ſpecie virtutem, contra diabolum & peccatum, quam habet Chriſtus in cruce immolatus. Nec obſtat, quod virtus Chriſti ſit communicans, virtus Agni cerei communicata. Sicuti non deſinit ſpecie eâdem eſſe eſſentia humana filii, cum eſſentiâ Patris: quamvis illa ſit communicata, iſta communicans. Quomodo etiam numero ſeu individuo eadem eſſet ubiquitas, omniſcientia, omnipotentia Dei in naturâ humanâ Chriſti; ſiquidem proprietates illæ eidem eſſent communicatæ, uti velint Ubiquitiſtæ. 2. Quidquid ſit de æqualitate, ſaltem agnoſcit Molanus, Agno benedicto verè & realiter ineſſe ac tribui virtutem & efficaciam, contra peccatum, diabolum, & omne malum. Nec obſtat, quod dicitur per conſecrationem Papæ, & divinam benedictionem hoc illi ineſſe: modo dicatur ineſſe: origo enim ſeu modus originis rei, non mutat aut tollit ejus eſſentiam & exiſtentiam. 3. Abſurda hæreſis de virtute Agni, non abſtergitur aut minuitur; ſed novâ & abſurdâ hæreſi inſuper augetur: cum dicitur, ex Chriſti Agni meritis fluere hanc potentiam Agni cerei, & à ſanguine Chriſti accipere, ac per meritum & ſanguinem Agni Dei habere hanc virtutem; ut loquuntur *Molanus cap. cit.* & *Gul. Eſtius in Carmine ſupra cit.* Monſtrum hoc novum in Theologiâ, quod Chriſtus in cruce mortuus ſit & morte ſuâ meruerit pro cereis Agnis. Scriptura docet, & Chriſtianiſmus credit mortuum eſſe Chriſtum, pro ovibus ſuis, iiſque meritum eſſe *tum* remiſſionem peccatorum, liberationem à poteſtate diaboli; *tum* efficaciam ac virtutem ſpiritus vivificantis & gratiæ regenerantis, per quam applicetur illis quod morte Chriſti impetratum eſt. Confer *controverſias de Satisfactione Chriſti* contra Socinianos, *deque mortis Chriſti Extenſione* contra Remonſtrantes; & *Diſp. noſtram de Regeneratione.* IV. Gretſeri contra Pleſſeum cap. 60. pag. 487. *Frangit ergo imago Agni peccatum*, ut Chriſtus ſanguis: *ubi vocula*, ut; *non omnimodam ſimilitudinem, ſed analogicam, quemadmodum ſæpe alias & alibi, denotat; quia Chriſti ſanguis peccatum frangit ut cauſſa ſecundaria conjuncta, & ut pretium redemptionis noſtræ; Agni verò effigies, ut cauſſa inſtrumentaria Chriſti, ſed disjuncta. Hâc enim, ut experientiâ compertum eſt, utitur Chriſtus, cum ad alios mirificos effectus; tum ad præcavenda & diſſipanda peccata, & ad disjiciendas Diaboli inſidias, quas tendit, ut mortales ſcelerum laqueis illaqueet. Cui rei tot paſſim extant exempla, ut periculum non ſit, fore, ut Novatores vociferationibus ſuis eam de manu Orthodoxorum excutiant, licet millenis conviciis adverſus eam detonent. Reſp.* Applica huc refutationem præcedentis exceptionis. Et poſtuletur *probari*, Agni effigiem eſſe cauſam inſtrumentariam Chriſti, ſed disjunctam; quâ utatur ad diſſipanda peccata & ad disjiciendas diaboli inſidias, alioſque mirificos effectus. V. *Except.* Gul. Eſtius

in car-

in carmine suo versum illum, *Peccatum frangit*, &c. sic παρέφρασε: *Et pietas animo surgit, abitque tepor.* *Resp.* 1. Tacitè ergo fatetur, verba illa esse periculosa, scandalosa, piarum aurium offensiva: uti in Papatu loqui amant. 2. Quod si glossa seu paraphrasis non corrumpat textum: (de quo judicet aliquando sedes Romana) ne hoc tamen concedendum est, efficaciam & vim sanctificationis, resipiscentiæ, & novæ obedientiæ fluere ab Agno cereo tanquam causâ, sive meritoriâ, sive physicè & directè operante. Illud enim facit passio Christi pro nobis; istud Spiritus Sanctus: uti explicuimus in *Disp. de Regeneratione.* VI. *Except. Couffetellus contra Mysterium Plessei loc. cit.* Oratione Pontificis ad Christum hoc peti, ut omnibus portantibus Agnos cereos concedat bona spiritualia & temporalia, quorum ibi meminit. *Resp.* Sed iidem Pontifices aliâ oratione consecratoriâ (quam solam ex Ceremoniali exhibet *Molanus*, ut ex eâ doceat efficaciam Agnorum) petunt, ut eandem virtutem & efficaciam, quam habet Christus in cruce immolatus, recipiant Agni cerei. Vidit proculdubio, saltem videre potuit & debuit *Couffetellus* illam orationem. Quâ conscientiâ ergò dissimulat? VII. *Except.* Est *Molani cap.* 15. adversus autorem Apiarii Romani, qui Agnis applicuerat verba Exod. 32. *Isti sunt Dii tui Israël*, &c. cui reponit, disparem esse rationem vituli istius & Agnorum: quod Papatus utatur iis tanquam amuletis, non verò abutatur tanquam Diis. Quâ occasione in perstringenda mendacia & calumnias autoris Apiarii excurrit. *Resp.* Israëlitas vitulum ut Deum, non aliâ ratione coluisse, quam Pontificii sua idola, inter quæ Agni cerei: docent *Antagonista Papatus in controvers. de Idololatriâ*: in quem finem citant ipsos Pontificios, qui negant Israëlitas directè & formaliter vitulum habuisse pro Deo. Videatur *Rivetus in Comment. ad Exod.* 32.

Problemata, de quibus inter Pontificios, nobis otiosè spectantibus 8
disquiritur, sunt ista. I. Quod ingrediens, seu quæ & qualis materia necessario adesse debeat. *Barbosa in collect. Bullar. pag.* 28. & *Autores ibi cit.* II. An Agni confracti, seu partes Agnorum maneant benedicti, & parem vim atque efficaciam habeant cum Agnis integris. *Molanus cap.* 17. III. An eos pingere liceat. Idem *cap.* 18. & *Rodericus tom.* 3. *qu. Regular. qu.* 55. *art.* 3. IV. An & quando vendere aut emere? & an sit simonia? *Idem loc. cit.* imprimis *Azorius lib.* 9. *cap.* 9. *qu.* 4. V. An fas sit laicis eos tangere; & si scienter eos tangant, non sine debito honore, an graviter peccent. *Azorius ibid. quæst.* 3. VI. An liceat Clericis quatuor tantum minores ordines habentibus, eos tangere? *Ibid.* VII. An sexta Synodus Agnorum figuram prohibuerit. *Molanus cap.* 16. ubi post allatas extremas & pugnantes sententias suorum de illis Canonibus subji-

cit: *Cæterum Græcos hic nec accusandos, nec defendendos suscipio.* Conferantur & *alii* suprà *Thesi* 3. *cit.*

9 Ex hactenus allatis, porismata ista elicimus. I. Babylonem Romanam esse insanabilem & Clericos ejus irreformabiles; cum nullas non superstitiones, etiam maximè absurdas, aut blasphemas mordicus defendant. II. Esse consequenter irreconciliabilem. III. Itaque vim facere veritati & conscientiæ suæ, qui superstitiones ejus negare, aut purpurissâ & fuco aliquo pingere allaborant, ut ita viam muniant ad syncretismum Reformati Christianismi cum Papismo. Considerent modo hæc excerpta ex Ceremoniali Romano lib. 1. fol. 81. b. edit. Colonien. anno 1558. apud Arn. Birckmannum in 8. *Et quemadmodum ille Agnus innocens tuâ voluntate immolatus in arâ crucis Iesus Christus filius, protoplastum nostrum, de diabolicâ potestate eripuit: sic isti Agni immaculati virtutem illam accipiant, quos consecrandos offerimus in conspectu divinæ Majestatis tuæ. Tu eos bene ✠ dicere, sanctifi ✠ care & conse ✠ crare digneris, ut tuâ largâ benedictione sanctificati eandem virtutem accipiant contra omnes diabolicas versutias, & fraudes maligni spiritus, ut illos devotè superse ferentibus nulla tempestas eisdem prævaleat, nulla adversitas dominetur.*

DE PSEUDO-MORTIFICATIONIBUS PAPATUS.

Resp. ISAACO LUEKEN, Dantiscano.

Ad diem 28. *Septemb. Anno* 1650.

Sanctitas Ecclesiæ Romanæ, quam jactare solent, consistit in istis tribus. 1. Devotione. 2. Mortificatione. 3. Reliquâ praxi virtutum Theologicarum & Moralium, *ex præscripto Casuisticæ Romanæ.* 1. *Devotio spectatur,* 1. *In Precationibus: de quâ in* Disp. de Rosariis, Litaniis, & horis Canonicis; *& in* Disp. de Processionibus; *&* Disp. de Organis. 2. *In Mysticis atque Ecstaticis meditationibus & contemplationibus: hanc devotionem tangimus in* Disp. de Meditatione; *&* Disp. de Probationibus Spirituum. 3. *In Ceremoniis, variisque usibus & observationibus circa Sacramenta & Sacramentalia. Hæc devotio perstringitur in* Dispp. de Sacramentalibus; de Agnis Dei; de Festis; de Jubilæo; de Quadragesimâ; de Templis, eorumque utensilibus, Cœmeteriis, &c.; de Peregrinationibus; de Cultu & Abusu Crucis; de Imaginibus, &c. II. Mortificatio, *in præsentiarum nobis consideranda est.* III. Reliqua praxis virtutum, *quæ qualisque datâ occasione, ad singula Decalogi Præcepta, & ad*

exercitia

exercitia pietatis, ad nonnulla etiam capita Politiæ Ecclesiasticæ in ordinariis Prælectionibus locorum communium, *excutere solemus. Interim* φιλομαθεῖς, *qui indicium aliquod hic quærunt, & compendio student, consulant Tractat.* Petri Molinæi de Traditionibus Ecclesiæ Romanæ, *Gallicè. Addat, cui vacat,* Tract. Anonymi, *cui tit.* Theologia moralis Jesuitarum, *&* alterum Anonymi, *cui tit.* Mysteria Patrum Jesuitarum; *&* tract. Jacobi Capelli, *cui tit.* Sedis Romanæ potestas, sanctitas, fides.

DE mortificatione acturi, *Primò* eam in genere describemus, & varias ejusdem species designabimus; annotatis fontibus & Autoribus, ad quos Studiosi nostri occasione aut necessitate ita ferente recurrere poterunt. *Secundò,* ἐπίκρισιν earum subjiciemus. Generalis descriptio mortificationis continet explicationem nominis, & rei. Quod ad nomen, *Mortificatio* componitur ex *mors & facio*: Quid mors significet apud *sacros profanosque Scriptores* & quotuplex sit, explicatur à *Philologis & Philosophis*; & inter Theologos doctè atque accuratè à *Gomaro in Disput. de morte Christi.* Si quis velit, conferat *Clavem Illyrici*, aut *Bibliothecam sacram Ravanelli.* Præterimus nunc significationem *mortis, mortuæ manus, mortificationis*, eique oppositæ *amortizationis* apud *Iureconsultos & Canonistas.* Etiam acceptionem *mortis & mortificationis* apud *Physicos & Medicos:* ubi notat exstinctionem corporis viventis, aut partis alicujus in corpore vivo. Denique acceptionem Gallico-Curialem seu Romano-Curialem, quæ occurrit apud Cardinalem *Perronum in Epistolis, Epist. ad Regem (pag.* 28. 31. 35. 36. edit. in fol.) ubi decantat *grandes mortificationes*, Hispanicis Romæ tunc inflictas, per creationem novi Pontificis (Leonis scil. XI.) Gallicæ coronæ & causæ addictissimi. Acceptio Theologica, quæ hic consideranda, est vel vera & scripturaria, vel Papalis. *Illa* notat vel spontaneam, vel coactam. *Spontanea* est oppugnatio & expugnatio veteris hominis seu corruptionis in mente, voluntate, affectibus à regenitis per gratiam Dei sponte suscepta. *Rom.* 8. 13. cujus Synonyma sunt *crucifixio, Gal.* 5. 24. & 6. 14. *circumcisio, Rom.* 2. 29. *depositio, Ephes.* 4. 22. *abolitio, Roman.* 6. 6. *contusio* & δουλαγωγία, 1. *Cor.* 9. 27. ubi ad executrices potentias & partes corporeas respicitur. Huc referendæ phrases abnegationis sui ipsius, *Matth.* 16. & *abscissionis, Marci* 9. 43. *Coacta mortificatio* est vexatio seu afflictio interna aut externa, quam spontè sibi non accersunt aut inferunt fideles, sed à Deo, aut diabolo & mundo illatam patiuntur, *Roman.* 8. 36. cum 1.

Corinth. 15. 31. Hujus Synonyma sunt, νέκρωσις, &c. 2. *Corinth.* 4. 10. διώγμος, ἀνάγκη, ὕβρις, πάθημα, πειρασμὶς, &c. 2. *Corinth.* 12. 10. 2. *Timoth.* 3. 11. *Iacob.* 1. 2. cum *Actor.* 20. 19. *Papalis acceptio* in scriptis Practicis & Asceticis ipsorum, præsertim instructionibus Regularium occurrit. Qualis mortificatio etiam *martyrii* nomine insignitur: vide *Busæi Panarium, tit. de Immortificationibus,* & *Baldesanum in Stimulis virtutum Adolescentiæ, lib.* 2. *cap.* 1. Nos talibus spontaneis afflictionibus nomen & honorem Martyrii negandum esse alibi monemus, infra scil. in *Disp. de Confessione & Martyrio.* Alii Pontificii vocant *pœnitentiam exteriorem.* Describi potest, quod sit *afflictio* spontanea, *religiosa, externa, ad pœnitentiam, satisfactionem, & meritum.* In hâc descriptione nota. I. *Quod* dicitur *afflictio*: quia est opus pœnale, seu castigatorium inferens molestam, sive passionem, sive privationem; ut ita distinguatur à bonis operibus Pontificiorum non pœnalibus. II. Dicitur *spontanea* (ad imitationem phraseos *Gretseri,* quam habet titulus *libri* ipsius, *de flagellationibus spontaneis*), aut *voluntaria*, ut distinguatur à mortificatione, quam quis invitus patitur, aut quæ violenter ab alio aliquo infertur: circa quam Pontificii se habent purè passivè, & ubi hoc unum agere se posse credunt; ut clypeum patientiæ opponant. III. Dicitur *religiosa*, ut distinguatur à ludicrâ, aut ambitiosâ, aut profanâ quâlibet. IV. Dicitur *externa*; ut distinguatur, ab internâ, quæ & spiritualis vocatur, quam in pravorum affectuum exstirpatione consistere agnoscunt. Addo, ut etiam distinguatur ab omnibus internis illis animi vexationibus, quibus Papistæ ex formulâ suæ doctrinæ, animum suum perpetuò aut affligunt & cruciant; aut quarum vexationi & tentationi volentes se exponunt: quas tamen ipsi inter Religiosas & Spontaneas non numerant. Et tales sunt vel communes vel speciales. *Istæ* sunt dubitationes & scrupuli Sacerdotum, circa celebrationem Sacramentorum, præsertim Missæ: & Regularium circa observationem regulæ Monachalis in genere, & suę cujusque propriæ, ex. gr. Dominici, Francisci, &c. & Beneficiatorum ac Clericorum quorumvis circa lectionem Breviarii, & recitationem horarum Canonicarum. De dubiis & scrupulis illis, quorum perpetuâ & labyrintheâ vexatione Clerici eorum tum Sęculares tum Regulares se sponte induunt (ita ut voluntariâ in causâ ad minimum dicenda sint) operosè agunt *Casuistæ*; & qui *peculiares tractatus de Conscientiâ, de debitis Sacerdotum aut de Sacerdotibus, de Monachis, de Sacramentis, de Casibus reservatis, &c.* scripserunt, alibi indicati. Mira & misera est scrupulorum mortificatio circa celebrationem Missæ: de quibus hamaxæ librorum indicari possent. *Iohannes à Lapide* Carthusianus 165. enumerat, *in suo Resolutorio dubiorum, &c.* Quamplurima circa

ceremo-

ceremonias occurrentia comparent apud *Gavantum in Thesauro rituum*, & *Barbosam in Collectaneis ad Bullarium*, &c. *Communes* scrupulositates & animorum carnificinæ quorumvis γνώμων Papistarum sunt circa statum gratiæ & salutis (ubi perpetuæ ἐποχῇ immoriti tenentur), circa recitationem horarum Canonicarum & Rosariorum, circa distinctionem peccatorum venialium à mortalibus, & circa totam confessionem auricularem, circa receptionem miraculorum & revelationum, circa cultum Sanctorum non Canonizatorum, Imaginum, Reliquiarum, circa adorationem hostiæ, observationem Festorum, &c. De quibus vide passim præter *Tractatus peculiares de illis materiis*, *Scriptores de Conscientiâ*, inter quos *Martinus Bresserus lib. 6. quatuor capp. postremis*: ubi alii Autores passim indicantur. De internis ejusmodi mortificationibus in præsentiarum non agimus. Notandum hic solum modo Pontificios quosdam de mortificatione tractantes solam internam ac spiritualem mortem & mortificationem videri explicare: quam sic describit Ederus in Oeconomiâ Bibliorum, seu partitionibus Theologicis, pag. 701. *Est & alia mors propria Christianis & piis omnibus, quæ spiritualis dicitur, seu transformatoria, quâ homo moritur peccato, & vivit Deo: & ob id dicitur spiritualis. Car. Scribanius in Medico Christiano lib. 3. cap. 6.* eam constituit in mentis & affectuum mortificatione. Alphonsus Rodriguez Jesuita in Exercitio de perfectione & virtutibus Christianis part. 2. tract. 1. qui ex professo agit de mortificatione cap. 2. pag. 17. ita determinat: *atque ex his abunde satis liquet, totam mortificationis rationem in moderandis reordinandisque male ordinatis animi affectionibus, amorisque proprii evulsione consistere.* Et talem ibidem facit eandem, cum *abnegatione sui ipsius*, & cum *luctâ seu perenni spiritus cum carne conflictu*; adductis locis ex *Hieronymo* & *Basilio*, & 2. *Corinth.* 4. *Gal.* 5. 17. Hanc luctam dicit ibid. *Christiani hominis propugnaculum* à Patribus (*Gregor. M. lib. 7. mor. cap.* 8. *Ambros. lib. 1. de Offic. cap.* 6.) appellari; *quod non in robore virium* (*N. B.*), *vel lacertis, vel brachio carnis, sed in magnitudine animi positum sit, in subjugatione carnis, in contradictione abnegatioque appetituum, in despicientiâ contemtuque vitæ hujus voluptatum, in sufferendis alacriter laboribus, ærumnis, omnibus in viâ Dei occurrentibus adversis.* Confer *ibid. cap.* 5. Talem mortificationem in genere ita descriptam & in se aut materialiter atque objectivè consideratam, cum nihil Papisticum explicatè proponat, nostri non improbant, quin immo quam maximè urgent, veram ejus rationem accuratè & operosè tradunt in *Locis communibus*, aut *Catecheticis*, aut *Tractatibus peculiaribus*, *tit. de Resipiscentiâ*, *de Anatomiâ aut Praxi conscientiæ*, *de Abnegatione sui ipsius*, *de Medecinâ spirituali*, *de Hypocrisi*, *de Regeneratione*, *de Novâ Creaturâ*, *de Homine veteri & novo*-

novo, &c. Nos in præsentiarum de hâc mortificatione non agimus, sed de superstitiosis seu Papisticis formaliter sic dictis; quarum naturam ex ipsorum sensu descriptio nostra explicuit. Et sic Baldesanus Canonicus Taurinensis in tract. cui tit. Stimuli virtutum Adolescentię lib. 2. cap. 26. 27 mortificationem in duo genera distribuit extrinsecam scil. & intrinsecam cogitationum & affectuum. *Illam* affirmat consistere *in iis, quæ corpus affligunt, vexant, & spiritui subjiciunt, qualiacunque tandem sint.* Et addit, *ejus non magnum esse fructum sine interiori: inter se tamen mutuas operas locare: nam & sine illâ nonnunquam ab hâc initium ducitur, quoad ad exteriorem perferendam gratia impetretur; & aliquando contra per actiones externas & afflictationes aptus efficitur animus, ut seipsum ingrediatur, internas cupiditates sentiat & frangat,* &c. *Istam* describit cap. 27. *quæ vel non accipit, vel celeriter rejicit ex animo cogitationes turpes; quæ vitiosas cupiditates, ut primum se moverint, comprimit; quæ in ipso quasi semine voluptates carnis opprimit & interficit, &c. Rodriguez tract. cit. part. 2. tract. 1. part. 7.* Pœnitentias exteriores (disciplinam scil., cilicia, durum lectum, neglectum cibum, asperum corporis habitum, & similia) ab interioribus exsertè & specificè distinguit, & istas supra illas longissimè effert; atque ita Ignatium ejusque regulam, quæ nullas exteriores determinat, defendit. Concedit tamen ibid. pag. 42. utendum esse exterioribus *tanquam medio atque instrumento ad interiorem perveniendi. Bonaventura de Profectu Religiosorum* etiam distinguit mortificationes & quidem subjectivè seu per subjecta: cum tria facit genera Religiosorum, quorum primi *boni*, qui diligentiam adhibent *in exterioribus observantiis & traditionibus humanis & honestatibus Forinsecis*: secundi, *meliores*, qui duram vitam in corporali exercitatione servant, *affligentes corpora sua jejuniis, vigiliis, &c.*: tertii, *optimi*, qui student interiorem hominem suum in quo Christus inhabitat, per *fidem componere & ad veras virtutes se exercere, & vitia carnis & spiritus exstirpare, &c.* v. Dicuntur suscipi ad satisfactionem, pœnitentiam, meritum: unde etiam ab Autoribus quibusdam & à vulgo Papistarum dicuntur κατ' ἐξοχὴν *pœnitentia.* Hic ergo finis immo & formale externarum mortificationum. De meritis, satisfactionibus, & toto Papisticæ pœnitentiæ sacramento alibi ex professo agitur; ita ut sufficerit hic tantùm indicasse. Meriti autem & satisfactionis efficacia aut gradus hic variat, prout & τὸ spontaneum. *Primus* gradus voluntarii est, cum quis motu proprio (uti Papæ quasdam Bullas suas edunt) mortificationes suscipit. *Secundus* gradus est, cum de consilio Confessarii aut Patris spiritualis, easdem subit. *Tertius* gradus est, cum potestate Jurisdictionis & Imperii Sacerdotalis (quod explicatum vide in *Tractat. Claudii Solerii de Iuridicâ potestate confessa-*

confessariorum) confitentibus sacramentaliter, mortificationes imponuntur, tanquam pars Sacramenti pœnitentiæ, & debitę satisfactionis.

Mortificationum genera in Papatu possent esse innumera, totidem scil. quot hominum vanæ imaginationes. Nos tamen eas ad Classes & sub signa aliquot revocare conabimur. Sit ergo 1. Divisio, ex subjectis: ut aliæ sint Regularium, aliæ Sæcularium. *Istæ* sunt, vulgares communes, & minorum gentium. *Illæ* κατ' ἐξοχὴν tales dicendæ, quippe & extensivè & intensivè supererogantes atque excellentes. Monachi enim secundum ipsos verè mundo mortui, crucifixi, lugentes, (*Galat. 6. Hebr.* 11. 1. *Corinth. 9. Matth.* 3. & 5. ubi videnda *Commentaria Cornelii à Lapide*) per tot mortes & mortificationes & animi & corporis sui, propiori contemplationis & Angelicæ perfectionis vinculo Deo uniuntur. Vide *Casuistas* aliosque *Autores eorum de Statu religionis & religiosorum*; & *Iohannem Niderlib. 2. & 3. de Reformatione religiosorum*; inter alios *Thomam Zanchez* & *Rodericum*, qui prolixis voluminibus Monachatus mysteria describunt. Quidquid autem verè aut falsò de Monachalibus abstinentiis & mortificationibus prædicent in uno sæpe omnes omnium immane quantum ab illis superantur: quod scil. ipsam rectam rationem per cœcam obedientiam ex regulæ suæ præscripto mortificant, atque adeo quantum in se est in ξόανα ἄλογα seipsos transformant. Hæc sanè maxima, prima, generalis & superabundans mortificatio est. Nec mirum; cum in superioribus suis Deum loquentem imaginentur: uti hoc ipsis inculcat *Scribanius lib. 2. Medici religiosi, cap. 5.* Speciales hic non enumero: sed ad *Dispp. de Monachatu Politicæ Ecclesiasticæ* inserendas, Discipulos nostros ablego. Hic solummodo notandum, in frequentiâ, varietate, & rigore earum ordines multum differre. Minimos, si regulam spectes, esse Jesuitas, uti constat ex Alphonso Rodriguez in Exercitio de Perfectione & Virtutibus, &c. part. 2. tract. 1. cap. 7. ubi ait; *Ignatium noluisse eas certâ aliquâ regulâ determinare, peculiarem obligationem inducendo; sed maluisse rationem vivendi in exterioribus, justas ob causas, esse communem.* Quamvis exorbitantibus quibusdam exemplis Sanctorum suorum præconizandis mundo persuasum velint, Societatem ut in omnibus laudandis atque admirandis, sic etjam in hoc genere omnibus aliis Regularibus palmam tam facile prærripere posse, quam vulpes pyrum comest. Vide infrà. Maximos esse, quod ad paupertatem mendicantes; quod ad silentium & solitudinem, Carthusianos, &c. Immo & in uno ordine, ordines quod ad rigorem ab ordinibus superari, ex. gr. Minoritas à minimis, & Capuchinis. 11. Secunda divisio est, ex efficiente, seu modo efficiendi, in *purè privativas*, & in *positivas*. *Illæ* sunt, quibus homines seipsos exercent per puram bonorum omissi-

omissionem, aut neglectum, aut substractionem, non agendo scil., aut quærendo, aut recipiendo, aut habendo, bona illa, nec iis utendo, fruendo, cum possis aut debeas, positis scil. ponendis. Tales sunt, solitudo, silentium, vigiliæ, jejunia, nudipedalia, cilicium, vestitus vilis & à communi usu recedens, durus decubitus (ad quem refer spondas angustas, chameunias seu humicubia, mattas & psiathia): quas Monachorum abstinentias ex antiquâ disciplinâ ascetarum accersere & vindicare conatur Theologus Sorbonicus *Nicol. le Maistre in Instauratione antiqui Episcoporum principatus, lib. 4. cap. 7.* De cilicio & sacco peculiariter *Boenartius in Commentar. ad Esther 4. vers. 1. 2.* Adde dictis mortificationibus neglectum famæ; quem nono Decalogi præcepto & variis Scripturæ textibus & exemplo Pauli 2. *Cor.* 11. repugnare, alibi probatum est. *Ista* sunt, quibus homines se vexant & excruciant per positivam malorum contrariorum inflictionem. Quales sunt, flagellationes, sentes & vepres eremitę cujusdam, nives Franciſci, loricæ ferreæ Dominici, & Gulielmi Aquitaniæ Ducis, pectoris contusiones, lachrimarum violentæ excussiones usque ad mensuram aliquam, pediculorum in pascua propriæ carnis introductio aut potius reductio, unde exciderant, &c. quâ heroicâ in virtute excellebat Franciscus Assisius. 111. Divisio ex materiâ seu objecto desumta est. Sic aliæ sunt 1. *circa bona animi*, ingenium scil., scientiam, prudentiam, &c. ut sunt *Primo*, affectata tum Laicorum in Sacris, tum plerorumque Regularium in omnibus ignorantia, barbaries, morum rusticitas, &c. de quibus vide *Erasmi Anti-barbarum, Encomium Moriæ, & Colloquia* passim; quibus adde *Epistolas obscurorum Virorum, Passavantium, Matagonem de Matagonibus, &c.* Etiam *Espenceum* passim *Commentar. in Epistol ad Timotheum & Titum, Ludovicum Vivem in Dialogis & de causis corruptar. artium.* Nonnulla supra de ignorantiâ Clericali & Monachali notavimus, *Disp. de Ignorantiâ. Secundo*, externus habitus Monachorum, simulata aut affectata in actibus & signis externis, pueritia, aut stultitia: cuculli Monachales; de quibus vide A Lapide in 1. Corinth. 1 vers. 25. *Unde Simeon Salus, Franciscus, & maximi Sancti quæsierunt stulti haberi à mundo, ut Deo magis placerent; adeoque Religiones nonnullæ hunc quasi apicem perfectionis & sapientiæ Christianæ suis præscribunt, ut tantum ament, cupiant, amplectantur sui contemptum, irrisiones, opprobria, injurias, quin & stulti haberi exoptent; quantum mundani sectantur sapientiæ famam, honorem, nominis celebritatem.* Idem in 1. Petr. 2. vers. 1. pag. 229. *Rursum in hâc vitâ omnes fideles in gratiâ & sanctitate sunt infantes, in futurâ verò resurrectione erunt Viri. Hinc cucullis (quæ est vestis Infantum tegens eorum capita) ab olim utuntur Monachi, ut habitu profiteantur Infantulem simplicitatem & innocentiam.*

„tiam. *Tertio*, quod Religiones hunc apicem perfectionis & sapientiæ „ suis præscribunt, ut tantum ament, cupiant, amplectantur sui contem- „ ptum, irrisiones, opprobria, injurias, quin & stulti haberi exoptent, &c. Exempla Simeonis, Francisci, Bonaventurę, Jacoponi ibi allata, aliaque istius commatis nunc non referam. Ordinem Monachorum, dictorum *Fratrum ignorantiæ*, quorum aliqui ex Nostris meminerunt, & ego ex illis in *Disp. de Ignorantiâ* propius describerem, siquidem testes Papales noti & ad manum essent. *Quarto*, silentium & solitudinem imprimis Carthusianorum, Eremitarum, Inclusorum: de quibus vide *Disp. de Monachatu*. Et de variis inclusis seu reclusis Germaniæ & Belgii Miræum in fastis Belgicis, p. 552. 553. 554. *Columbanus apud Gandavenses; Aibertus apud Crispinienses, Drogo apud Seburgenses, Iuetta apud Huienses, Simeon apud Treverenses, Hiltrudis apud Lætienses, Marianus Scottus, Fintanus, & alii. Tales item apud Græcos & Orientales fuere, Acepsimas, Alexandra, Chorybita, Addas, Nathanael, Marcianus Cyrensis, & alii, quos Matthæus Raderus in Viridario Sanctorum, parte 3. cap. 5. celebrat. S. Hieronymus cum de Paulo Anachoreta scribit, inter alia de Clausis addit: Iesum testor & sanctos Angelos ejus, in eâ eremi parte, quæ juxta Syriam Saracenis jungitur, vidisse me Monachos, de quibus unus per triginta annos clausus, hordeaceo pane & lutulentâ aquâ vixit: alter in cisternâ veteri quinque caricis per singulos dies sustentabatur. Ex quo liquet, jam inde à primis Ecclesiæ temporibus fuisse, qui clausi vitam in tenebris & antris traducerent. Neque desunt hodie apud Belgas Viri aut Fœminæ, qui solemni ceremoniâ Deo initiati, & religiosâ veste à Præsulibus donati, cellis se includunt, ex quibus se nunquam egressuros promiserunt. Habemus exempla domestica præ oculis Bruxellæ, Antverpiæ, Lovanii, Gandavi, & alibi. Quinto*, θηριῶδες hoc Monachale, & Anachoreticum, superant tentamina & exercitamenta cœcæ obedientiæ, quibus sanę & sobriæ mentis judicium ac rationem mortificare docentur novitii Jesuitæ. De quibus vide *Hasenmulleri Historiam Iesuiticam cap. 3. §. 5. & cap. 6. §. 3.* ubi de cœcâ obedientiâ. *Sexto*, absurdas & stolidas istas inanias transcendit mortificatio Francisci, quâ omnem naturalem pudorem, verecundiam, honestatem ita abnegabat, ut femoralibus & omnibus vestibus exutis nudum inter Christi crucifixi brachia se offerret. (*Conformit. fol.* 39.) Et solis femoralibus indutus, cætera nudus Assisii in Templo Concionem audiret, & eodem schemate ibidem concionari fratri Ruffino in virtute sanctę obedientiæ mandaret. (*fol.* 52.) Et nudus carbonibus incubaret, coram Fœmina, quæ ad impudicitiam ipsum sollicitabat. (*fol.* 113.) Similem mortificationem *Cornelius Adriani* minoritarum Brugensium Lector, vulgò dictus Flagellator, puellis & mulierculis incul-

cabat, quæ nudas se coram ipso sistebant salutarem virgarum disciplinam recepturæ. De quo vide *Historiolam concionibus ipsius* prę̃missam, & *Historicos Belgarum*. Videmus ergo hic insignem mortificationem, ingenii, scientiæ, prudentiæ, verecundiæ, pudoris, gravitatis & elegantiæ morum, conversationis cum hominibus contra 1. *Cor.* 3. *Ephes.* 5. *Phil.* 4. *Matth.* 10. 2. *circa bona corporis*, sanitatem, integritatem, pulcritudinem, robur. Huc refer loricas ferreas Dominici, Wilhelmi Aquitanici, & multorum in processione Trajectensi ad Mosam, quibus sanguis ex ejus compressione & læsione, in pedes & plateas stillabat, decantante hanc mortificationem *Henr. Sedulio*, & ex eo *Augustino VVichmans in Brabantiâ Mariana*. Nives, in quibus se volutabat Franciscus. Nudos pedes, hyemali frigori expositos. Dormitiones in lapide aut saxo. Domus sordidas, tenebricosas, insalubres, immo & antra, cryptas, speluncas, altissima montium juga. Sulphureum fumum, quo ἀφανίζῃ faciei humanæ decor: de quo vide *Bezæ notas ad Matth.* 6. *vers.* 16. Sentes & vepres, per quos Franciscus aspera hyeme nudus discurrebat. Asperos funes, cilicia &c. quibus nudum corpus pungitur, teritur. Vide *A Lapide in Matth.* 3. Spondas angustas, quibus corpora cubantium premuntur, coarctantur. Flagellationes; de quibus *peculiari Disp.* egimus. Pectoris, aliarumque corporis partium percussiones. Pediculos postliminiò in corpus repositos: de quo Francisci facto, vide judicium Melchioris Cani Episcopi Canariensis, locor. lib. 11. cap. 6. pag. 651. *Ecquis enim credat, Divum Franciscum pediculos semel excussos, in seipsum solitum esse immittere? Quod ad sanctitatem viri Scriptor pertinere putavit, equidem non puto, qui paupertatem sciam viro sanctissimo placuisse semper, sordes nunquam. Illud item quàm ridiculum? Diabolum Dominico patri nostro semel obstrepentem, à Divo esse coactum, ut lucernam haberet in manibus, quoad illa absumpta non molestiam solùm, sed incredibilem dolorem etiam afferret. Non possunt hujusmodi exempla numero comprehendi, sed in his paucis pleraque alia intelligentur, quæ Divorum clarissimorum Historias obscurarunt.* Reptationes circum Templa tum intra tum extra, quę̃ nudis genibus peraguntur: quales frequentes antehâc spectari solent Boxtellæ in agro Sylvæ-Ducensi, cum sacer sanguis in solenni processione Dominicæ Trinitatis ostenderetur. Vide de illo sanguine *Miræum in Fastis Belgicis ad* 16. *Iunii*; *VVichmans Brabantiam Marianam lib.* 3. *cap.* 21. *Martinum Bresserum* Boxtellanum, *lib.* 6. *de Conscientia, cap.* 22. Reptationes humi sub mensa, dum cibus capitur. Vigilias, jejunia, perpetuam abstinentiam à carnibus, cœlibatus vota, &c. Deosculationes terræ; immo & fœdorum putriumque vulnerum & ulcerum, quibus in nosocomio non tantum oculos & nares pascere, sed & ea lambere, ac stil-

lantem

lantem ex iis laniem ore excipere atque exfugere solet Ignatius: uti heroicos hos animos in illo deprædicat *Imago primi sæculi Iesuitar. lib. 3. pag.* 388. Quem non segniter imitati ipsius sodales, *raras virtutes* (uti scribitur *ibid. pag.* 365.) ediderunt: inter quas eminent, quod in medio foro ad mendicabuli pedes se abjicerent, eosque spectante populo deoscularentur; quod sodalis quis mendicabulo mensæ suæ adhibito mandaret, ut in scyphum exscrearet, quem unâ cum sputo exhauriebat, *levis culpæ non gloriosus minus quam severus vindex.* Quod idem in mensâ suâ potionem nunquam tunc sumeret, nisi bibendi facultatem à mendico hospite suo in genua provolutus impetraret. Sed lassus sum recensendo innumera ejusmodi mortificationum genera, quæ in *Vitarum Scriptoribus*, *Libris exemplorum*, & *Catechismis Historialibus*, *Legendis*, *Commentariis à Lapide*, *Institutionibus Regularium*, *aliisque libellis Asceticis*, *Homiliariis*, & *Concionatoribus*, aliud agens legi, aut studio observare possem. 3. *Circa bona fortunæ*, possessiones temporales, libertates, honores. Quales sunt, paupertas, mendicitas, &c. De quibus vide *Disp. de Monachatu*, IV. Divisio est, in vanas, aut otiosas, aut futiles, stolidas, ridiculas; aut merè superstitiosas, ac proinde tollendas: & in corrigendas, seu reformandas. *Illæ* sunt deosculationes terræ, ulcerum, &c. Reptationes sub mensâ, flagellationes, castrationes, &c. Istæ sunt lachrymæ, jejunia, vigiliæ, solitudo, & similes abstinentiæ.

Sequitur nunc ἐπίκρισις. Hic status controversiæ primum constituendus; deinde argumenta indicanda. Prius istis conclusionibus absolvimus. I. *Concl.* Mortificationem seu pœnitentiam in se, ex præscripto Verbi divini consideratam, non improbamus: hæc enim est mortificatio veteris hominis, quam cum *Catechesi nostra* tradimus. Videantur *nostrorum Loci communes*: *Explicationes Catecheticæ*, *Conciones*, *Tractatus*, *Theses de Resipiscentia*: quamvis Papisticum Sacramentum pœnitentiæ multis erroribus contaminatum non admittamus. II. *Concl.* Interiorem carnalium affectuum mortificationem, in dubium non trahimus: quippe quæ pars sit resipiscentiæ, & cum *abnegatione sui ipsius* coincidat. Videantur *Autores* modo *citati*, & *complures Libelli & conciones*. III. *Concl.* Exteriorem disciplinam, humiliationem, & carnis subjugationem, per passionum & malorum divinitus immissorum tolerantiam ac patientiam, nostris assiduò inculcamus. Videantur *Loci communes*, *conciones*, & *Libelli practici de Afflictionibus Piorum*, *de Consolatione*, *de Patientia*, *de militia Christiana*, *de Tentationibus*, *de Spiritualibus desertionibus*. IV. *Concl.* Exteriorem nostri humiliationem, & subjugationem spontè & discretè susceptam, ad gloriam Dei, Ecclesiæ bonum, & Spiritualem nostrum profectum,

ctum, minimè improbamus, si fiat per abstinentias rationales & scripturarias, modo & fine debito. Sunt autem tales abstinentiæ, *cœlibatus*, *Matth.* 19. 12. cum 1. *Corinth.* 7. (de quo alibi) jejunium *Actor.* 13. 1. *Corinth.* 7. 2. *Corinth.* 11. *Vigiliæ*, 2. *Corinth.* 11. (de quo alibi) solitudo & silentium, *Matth.* 6. 6. *Luc.* 21. (de quo aliàs) ad obeundas preces, meditationes, conscientiæ examen, fidei ac resipiscentiæ renovationem. Adde & lachrymas; de quibus aliisque resipiscentiæ & humiliationis adminiculis & adjunctis agimus in *nostris Asceticis.* v. *Concl.* Nec improbamus, ut accuratè quis attendat ad externum corporis habitum, motum, cultum, ad cibum, potum, convivia, somnum, colloquia, salutationes, familiaritates, ludos, sensuum externorum recreationes, omnesque animi & corporis relaxationes; ita ut etiam à licitis sæpe abstineat & libenter sibi temperet, quò à peccato ejusque tentationibus tutior sit, aut ad regnum Christi promovendum aptior, aut etiam ad scandalum infirmorum evitandum: quin & votum aliquod ad tempus circa usum adiaphororum aut abstinentiam ab iis suscipiat. Hoc enim convenit cum *Roman.* 13. *vers. ult.* 1. *Corinth.* 6. 12. & *cap.* 10. 23. 28. 29. 31. 1. *Timoth.* 5. 23. Videantur *nostri de Scandalis, de Votis, de Temperantiâ, Humilitate, & Modestiâ*, & *Comment. ad* 7. *Præceptum*, & *Disp. nostræ de Sortis Abusu, de Ebrietate, de excelsis Mundi*, ubi alii Autores indicantur. VI. *Concl.* Omnes Papistarum mortificationes tum exteriores, tum interiores rejicimus, quod ad principium, modum, finem, & imaginarium effectum earum: quatenus scil. suscipiuntur ex conscientiâ errante & superstitiosâ (*Tit.* 1. 15.), ad satisfaciendum & merendum. Sic enim subjectivè & formaliter considerata, sunt splendida peccata (uti *Augustinus de Virtutibus Gentilium*): quamvis nonnullæ objectivè, materialiter, abstractè & in se consideratæ non sint malæ, aut absolutè illicitæ. VII. *Concl.* Aliquas earum (depositâ hæresi de satisfactione & merito) quamvis in genere & absolutè non illicitas, improbamus, quod ad modum & formam earum, ex. gr. cœlibatum, quem sub voto solenni servant, aut per dissolutionem conjugii; quod longè pejus. Jejunia, abstinentias, quas sub eodem voto Monachali servant; superstitiosè statis horis, diebus, &c. ea alligantes: & *irrationaliter*, dum universaliter omnibus & singulis per totum orbem unum hoc spirituale antidotum & diætam præscribunt: & *hypocriticè*, dum à potu vini, cerevisiæ, &c. non abstinent, juxta regulam, *liquidum non solvit jejunium*; dumque à carnibus abstinentes, aut etiam lacticiniis, stomachum aliis Apicianis ferculis ac delitiis implent. Confer infrà *Disp. de Bacchanalibus*; & *Disp. de Publicis jejuniis*, quam Politicæ nostræ Ecclesiasticæ inseruimus. VIII. *Concl.*

Concl. Pleraſque non tantum quod ad principium & finem, nec tantum quod ad modum & deformantem formam Papiſticam, ſed etiam quod ad ipſam rem & materiam obſervationis, in totum rejicimus; tanquam abſurdas, aut vanas & otioſas, aut ſtolidas ac ridiculas, conſequenter ſuperſtitioſas, cum pietatis & religionis exercitiis ſubſtituuntur, aut ad ea referuntur.

Rationes generales breviter ob chartæ anguſtiam nunc indicamus iſtas. I. *Quia* Deus non exigit tales mortificationes. Confer *Diſpp. de Superſtitione, & de Homicidio ſui ipſius ac ſpontaneis flagellationibus.* II. *Quia*, Chriſtus talibus ſpontaneis mortificationibus exterioribus nec merita ſua implevit, nec exemplum nobis præbuit. Neque etiam Apoſtoli, Euangeliſtæ, viri aut diſcipuli Apoſtolici. Ita ut Pontificii, præſertim Jeſuitæ ſupra ipſam regulam Religionis ſuæ ſupererogatoriæ hic ſupererogantes (vide in *primo ſæculo pag.* 365. 384. & in *Bibliotheca Alegambe, Ludovicum de Ponte, &c.*) Chriſtum & Apoſtolos longè poſt ſuam perfectionem relinquere velle videantur. III. *Quia* repugnat ſexto Decalogi præcepto, rectæ rationi ac naturali propenſioni ad conſervationem ſui ipſius, quam Deus creavit & approbat. *Epheſ.* 5. *verſ.* 29. Confer *Diſp. de Flagellationibus, & Comment. ad* 6. *Præceptum.* Quod autem hominis vitam abbrevient, concedit *Chavaſſius lib.* 3. *de verâ perfectâque prudentiâ, cap.* 1.; & laudat ibidem. Quod morbos, cruciatuſque graviſſimos inducant; uti fatetur & laudat Alegambe in Biblioth. in Lud. de Ponte, pag. 316. *Corpus ſuum*, inquit, *omni genere ſeveritatis ita confecit, ut totos* 36. *annos cum morbis cruciatibuſque graviſſimis ſit conflictatus.* Ut nihil dicam de melancolicis & maniacis deliriis, & inde ortis ἀνυποφωνίαις. Recolant ſinguli ordines Monachorum, præſertim Carthuſianorum ſuos annales, & inde catalogum ſuorum quique ἀνυποφώνων conficiant, non minus ac catalogos ſui ordinis Doctorum, Sanctorum, Martyrum contexere ſolent. Notabile eſt dictum Gregorii Magni lib. 30. Moral. cap. 28. *Dum plus juſto caro reſtringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur; ut ad orationem vel prædicationem non ſufficiat, dum incentiva vitiorum funditus ſuffocare feſtinat.* Et Gerſoni part. 3. *Fuere multi, qui pro gratiâ contemplationis promerendâ conati ſunt imitari Eliam, vel Danielem, vel Iohannem Baptiſtam, qui hâc abſtinentiâ non Prophetici, ſed Phantaſtici facti ſunt.* IV. *Quia* repugnat expreſſe *Col.* 2. *verſ.* 21. 22. 23. Confer *Diſpp. modo cit.* V. *Quia* opus operatum, abſque interiori reſipiſcentiâ & mortificatione cordis, ſtabiliunt; (uti conſtat ex *Baldeſano in Stimulis virtutum Adoleſcentiæ*, & *Rodriguez loc. cit.*); & conſequenter obſunt veræ mortificationi interiori, abnegationi ſcil. ſui ipſius, crucifixionibus carnis cum cupiditatibus & affe-

& affectibus, & ab iis abducunt, immo ea planè evacuant: uti hoc Phariſæis, & eorum hâc in parte Sectatoribus evenit, *Matth.* 23. cum *Coloſſ.* 2. coll. cum 1. *Timoth.* 4. *verſ.* 7. 8. Ubi vide *Commentatores noſtros; Pareum, Davenantium, Daneum.* VI. *Quia*, ſtabiliunt hæreticas doctrinas de traditionibus, operibus ſupererogatoriis, deque ſatisfactionibus & meritis humanis. Vide de ſatisfactionis efficaciâ ex Recentioribus *Filiucium tom.* 1. *Theol. moralis tractat.* 8. *cap.* 1. *Reginaldum in Praxi fori pœnitentialis, lib.* 7. *Eligium Baſſeum in voce Satisfactio*, *Zvvarez ad* 3. *diſp.* 35. *alioſque ab illis cit.* Et confer de iiſdem *Antagoniſtas Papatus*, *Chemnitium, Chamierum, Rivetum, &c.* & *tract. Bezæ ac Davenantii de Iuſtificatione, Mortoni de Merito.* VII. *Quia* iis inflantur homines, & in vanam ſpiritualem (verè diabolicam) ſuperbiam præcipitantur: quod prænonitum vide *Col.* 2. *verſ.* 23. & clamat hoc paſſim propria ipſorum tum doctrina, tum hiſtoria, ſeu mythologia. Inter alia duo privilegia mortificati illi utres per melancolicum delirium aut afflatum diabolicum ſibi vindicare ſtuduerunt, aut ab aliis tribui paſſi ſunt gloriam miraculorum ſcil., & luminis Prophetici, revelationum, viſionum, &c. De Miraculis vide verba A Lapide in 1. Corinth. 9. verſ. ult. pag. 271. *Adeoque à Viris prudentibus in vitis Sanctorum ſolerter obſervatum eſt, nullos penè Sanctos miraculis, & geſtorum rerumque admirandarum gloria claruiſſe, niſi illos qui jejuniis & vitæ auſteritate excelluerunt, quique corpus afflixerunt, aut à Deo morbis, vel ab hoſtibus & tyrannis tormentis & ærumnis afflicti fuerunt; cæteros Sanctos, qui communem vitam egerunt, multum quidem ſibi & Eccleſiæ profuiſſe, ſed miracula aut nulla aut rara patraſſe.* De illuminationibus, revelationibus phantaſticorum Monachorum, Anachoretarum, Incluſorum multa referri poſſent (ſi charta pateretur): unicum ſolummodo de Ludov. de Ponte Jeſuita ex Phil. Alegambe hic notabo: *Oranti aliquando poſtulanti que vires ac lumen, &c. lux divina tam copioſè ſuperinfuſa eſt, ut impotens ſui ſurgeret ab oratione, & tanquam luminis vim declinaturus inambularet ingemineretque inter gemitus & ſuſpiria. Non plus domine, non plus; non tantum luminis, ſufficit, ſufficit: videbaturque illi cubiculum vivis ignibus inflammari, ſeque atque animam ſuam exardeſcere; futurumque fuiſſe, ut uſura vitæ exueretur niſi Deus impetum temperaſſet.* Similia de Xaviero, ſi bene memini, narrare ſolent. Vah diabolicam ſuperbiam, cum impudentiſſimis mendaciis conjunctam! Cur hic non cogitant tantam lucis affluentiam ab eodem Autore potuiſſe proficiſci, quo Ignatio Lojolæ grammaticaturienti infuſam memorant, id eſt, à diabolo? Vide *Ribadiniram in Vitâ Ignatii.* VIII. *Quia*, ſuſpecta admodum redditur tota mortificationum hiſtrionia, per Pontificum, Cardinalium, Epiſcoporum, aliorumque Clericorum

corum gubernantium (quitamen proximè ſupra omnes Regulares, Sodales, Incluſos, &c. per perfectionem caritatis Deo conjungi dicuntur) ſplendorem ac pompam à ſordibus, ciliciis, mendicitatibus, aliiſque mortificationibus externis quam maximè aliena m. Quare, ſi quidem tanti ſunt mortificationes, Anteceſſores illi vexillum hic non efferunt? Vide elegantem *Epiſtolam Molinæi ad Balzacum*, *ejuſque Apologiam contra Sylveſtrum de Petraſancta* in *Riveti Ieſuita vapulante cap.* 8. 14. 16. 17. 27. 28. IX. *Quia*, rurſus ſuſpectam reddunt hanc hiſtrioniam, quod Gentiles antiqui & hodierni, Judæi, Muhammediſtæ iſtius generis mortificationes, & quidem ſubindè longè graviores ſtrenuè exercuerint. De quibus paralleliſmi, Papatus & Ethniciſmi, Turciſmi, &c. à Noſtris editi. X. *Quia*, (ut hoc poſtremo argumento, ad abſurdum eos adigamus) nec ἀνθρωπία directa aut indirecta, nec caſtratio Origenis, nec Hæreticorum, Elceſaitarum, & Circumcellionum, Montaniſtarum mortificationes, nec caſtrationes Sacerdotum Cybeles, nec inciſiones carnis *Levitic.* 19. & 21. aliique Gentilium antiquorum, & hodiernorum, Sacerdotum Baaliticorum (1. *Reg.* 18.), furores ſolidè refutari poterunt; ſiquidem mortificationes à nobis in *hac Diatriba*, & in *Catechiſmo Hiſtoriali* (*cap.* 7. *tit.* 78.) & in *Legendariis*, *Hagiologiis generalibus & particularibus*, *Vitarum Scriptoribus* memoratæ, mordicus defendantur. Suffecerit hæc nunc breviter indicaſſe, aliàs cum Deo pluribus explicanda.

Ex dictis hoc Conſectarium elicimus: Religionem Papalem quà pſeudo-mortificantem non poſſe referri ad aliquam ſpeciem boni. Non ad *bonum jucundum*, quia excarnificatio illa ſpontanea nullam ſpiritualem voluptatem & conſolationem, lætitiam, adfert aut excitat: ſicuti afflictiones ab aliis propter nomen Chriſti illatæ, aut alioquin divinitus immiſſæ, *Roman.* 5. *verſ.* 3. 2. *Corinth.* 6. *verſ.* 9. 10. & 12. *verſ.* 10. *Hebr.* 10. *verſ.* 34. *Iohann.* 16. *verſ.* 21. Nec ad bonum utile, *Coloſſ.* 2. *verſ.* 23. 1. *Timoth.* 4. *verſ.* 7. 8. Nec ad bonum honeſtum, quia eſt merâ indiſcretio, ſuperſtitio, vana obſervantia, & manifeſtam & craſſam involvit hæreſin ac blaſphemiam.

DIA-

DIATRIBE THEOLOGICA DE PROCESSIONIBUS AD PROCESSIONEM HOC ANNO M.D.C.XLII. AB ARCHIEPISCOPO COLONIENSI INSTITUTAM.

Resp. PETRO KESSLERO, Juliacensi.

Ad diem 12. *Februar. Anno* 1642.

DIPLOMA Archiepiscopi Coloniensis, excusum Coloniæ Agrippinæ apud Viduam Petri Cholini Archiepiscop: Typographi 1642.

ORDO Processionis Generalis solenniter habendæ per Civitatem Colonienſem ad avertendam extremam ruinam Patriæ ab hostibus vastatæ.

FERDINANDVS *Dei & Apostolicæ sedis gratiâ, Sanctæ Colonienſis Ecclesiæ Electus & Confirmatus Archiepiscopus, S. Romani Imperii Princeps Elector, & per Italiam Archicancellarius, S. Sedis Apostolicæ Legatus Natus: Episcopus ac Princeps Paderbornensis, Leodiensis, & Monasterienſis, Administrator Hildesheimensis, Berchtesgadenſis, & Stabulensis: Comes Palatinus Rheni: Vtriusque Bavariæ, Vestphaliæ, Angariæ, & Bullionis Dux: Marchio Franchimontensis: Comes Pirmontensis, Loßensis, Longiensis, & Hornensis, Venerabili Clero, & universis ac singulis Christi-fidelibus Civitatis & Archidiœcesis Nostræ Colonienſis Salutem in Domino sempiternam.*

PRæsens ruina, vastatioque nostrę Archidiœcesis, quam hactenus ut pupillam oculi Pater misericordiarum in tanto Germaniæ excidio clementer conservârat, jam verò peccatis nostris provocatus, hostium immaniſſimorum furori objicit puniendam, nos commonet, ut tot incendiis, cædibus & lanienis, quibus Diœcesani nostri quotidiè crudeliſſimè perimuntur, excitati, tandem oculos mentis aperiamus; & latentes conſcientiæ nostrę iniquitates defleamus, quibus non tantum justam Dei in nosipsos; sed & instar sacrilegi illius Achan in proximos & totum corpus

pus Archidiœcesis nostræ (cujus singuli membra sumus) completa semel mensura peccatorum vindictam & meritam ultionem induximus. Nunc tantis pressi malis, humiliemus animas Deo: & non habentes in nobis fiduciam ad Deiparam Virginem matrem & Dominam clementissimam, Divosque nostros tutelares, quorum toties in similibus periculis, præsens experti sumus præsidium, totis præcordiis cum lachrymis & suspiriis convertamur: ut nunc etiam horum placatus suffragiis, parcat filiis seriò pœnitentibus, seriò humiliatis, seriò precantibus. Pater ille Misericordiarum, & Deus totius consolationis suæ, avertat iram à nobis seriam vitæ prioris emendationem spondentibus.

Volumus igitur & seriò mandamus de venerabilis Capituli nostri Metropolitani Consilio pariter & assensu, ut in festo Purificationis Deiparæ, quod incidit in quartam Dominicam post Epiphaniam, factâ benedictione candelarum & cantato solenniter sacro, publica & solennis instituatur Processio cum deportatione Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti ad præsentem vastitatem & ruinam Archidiœcesis avertendam, in quâ uterque Clerus comparebit, Secularis solitis suis locis manebit, Regularis verò in consuetis sacellis sacrificium Missæ pro suâ & populi devotione celebrabit, ac singuli de Clero in processione cereum accensum hâc vice pro more hujus festivitatis deferent ante augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod per Prælatos (prout in Theophoriâ Colonienſi) per vices & stationes circumferetur.

Quo major exhibeatur honor Sanctissimo Sacramento, hortamur in Domino omnes & singulos, qui in piam aliquam Christi fidelium fraternitatem, præsertim Sacratissimi Corporis Christi nomina sua dederunt, ut cæteris peculiari devotionis exemplo in hâc solenni Processione prælucentes, cum facibus & tædis accensis religiosè comitentur.

Insuper seriò mandamus ut omnes Ecclesiastici durante hâc Processione psallant simul, sive per vices, aut devotè orent Litanias omnium Sanctorum, aliaque necessitatibus hisce accommodata Responsoria, Hymnos & Psalmos; & ut in Ecclesiis, ante, vel per quas transibit Processio, campanæ omnes compulsentur.

Requirimus etiam in Domino, & seriò hortamur omnes & singulos Prælatos, Abbates, Priores, Guardianos, aliosque cujusvis ordinis Superiores; item omnes Abbatissas, Priorissas, Matres & Supprioriſſas singulorum Monasteriorum Monialium, tam intra, quam extra Coloniam, ut in eundem finem durante hâc necessitate singulis diebus certa opera spiritualia & comprecationes cum invocatione Sanctorum Patronorum omnium cùm Civitatis, tùm Archidiœcesis nostræ Colonienſis in

ſuis Monaſteriis inſtituant. Item præcipimus Parochis & Concionatoribus omnibus, ut auditores ſuos ad ſacram Confeſſionem & Communionem pro dicto feſto Purificationis, ac deinceps durante hâc calamitate ad preces & alia pietatis atque miſericordię opera ſedulò exhortentur. Confidimus enim in immenſâ Dei miſericordiâ, ut ſi totius noſtri Archiepiſcopatus Subditorum votis & unitis precibus per Sanctorum noſtrorum Patronorum ſuffragia conſtanter invocetur, placatus Deus Opt. Max. iram ſuam à nobis clementer avertet.

In Proceſſione autem ſervabuntur ſtationes ſubſequentes.

Prima *ad Collegiatam Eccleſiam B. Mariæ Virginis in Capitolio.*
Secunda *ad Parochialem Eccleſiam S. Iohannis Baptiſtæ.*
Tertia *ad Collegiatam Eccleſiam S. Severini.*
Quarta *ad Eccleſiam S. Pantaleonis.*
Quinta *ad Parochialem Eccleſiam S. Mauritii.*
Sexta *ad Collegiatam Eccleſiam SS. Apoſtolorum.*
Septima *ad Collegiatam S. Gereonis.*
Octava *ad Eccleſiam PP. Prædicatorum.*
Nona *ad Eccleſiam S. Urſulæ.*
Decima *ad Eccleſiam SS. Machabæorum.*
Undecima *ad Collegiatam Eccleſiam S. Cuniberti.*
Duodecima *ad Collegiatam Eccleſiam B. Mariæ Virginis ad gradus.*

Curent igitur Superiores dictorum locorum, ut Altaria decenter, Reliquiis & luminibus inſtructa, & in habitu Chorali aliqui conſtituti ipſum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum incenſando reverenter excipiant.

In quorum fidem preſentes litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, ſigilli noſtri appreſſione juſſimus communiri. In Oppido noſtro Bonnæ, Die 23. Januarii. Anno 1642.

FERDINANDVS.

Subjicimus hic plenam deſcriptionem Proceſſionis Colonienſis anno CIↃ. IↃ.C. XXXIX. 29. *Iulii, prout illa Germanicè edita fuit in Octavo, apud Giſbertum Clementem Coloniæ.*

SAN-

SANCTISSIMA ET AMPLISSIMA

PROCESSIO JUBILÆI,

QVOD SANCTISSIMVS PATER

Urbanus VIII. Pontifex Max.

Germanicæ Nationi peculiariter conceſſit,

HABITA

COLONIÆ, Anno 1639. 29. Iunii.

Ad Feſtum Templorum D. Petri & Pauli Urbis & Diœceſeos Patronorum.

In quâ ordine deſcribuntur omnes & ſingulæ S. S. Reliquiæ, prout in hâc ſpectabili Proceſſione ſunt circumgeſtatæ: adjunctis Hiſtoriis, quomodo illorum plerique ſanguinem ſuum pro Chriſtiano nomine profundi, paſſi fuerunt.

Benevolo Lectori S.

INdulgentiæ fuerunt & Jubilæa, quibus Satanas, uſus ad id Martino Luthero, ejuſque Sociis, hanc miſeræ Germaniæ calamitatem incepit; iiſdem igitur, per Dei gratiam, tollenda eſt, & opprimenda: Quò, ut Catholica canit Eccleſia, inſidiator ille Satanas, qui per gulæ lignum humanum vicit genus, crucis ligno vincatur. Sed piam hanc materiam nunc mitto, breviterque ac ordine percurram, quomodo in hunc finem, multa, jam à centum, imo plus mille annis in Domino mortuorum Sanctorum, oſſa, Coloniæ voluerunt imo debuerunt ſe ipſos erigere, ſi fortè cum tot millium hominum cordibus, oculis, oribus, offenſum Numen poſſent placare. Nec fefellit eventus: Nam contrita ſunt corda aſpicientium, & exclamare coacti ſunt, væ illis, contra quos hæc procedit potentia! quippe Gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus: gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationem in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. *Pſal.* 149. Igitur

Agmen duxerunt ſexaginta innocentes, & utroque Parente orbi Pueruli, ut horum conſpectu Domini Dei noſtri miſericordia emolliretur, quoniam vivam miſerè calamitoſorum imaginem referebant.

Hos sequebantur.

1. *Post Prælatum crucis insigne, coram Deo hominibusque humiles clerici, & primo quidem PP. Capuccini, circiter, 25.*
2. *PP. Discalceati, quibus vexillum præferebatur, circiter, 45.*
3. *Post aliud vexillum sequebantur Crucigeri, numero, 22.*
4. *PP. Carmelitæ, quorum post vexillum sequebantur, ferè, 23.*
5. *PP. Augustiniani Ordinis, cum vexillo, 24.*
6. *Franciscani Conventuales etiam Minoritæ dicti, quorum post vexillum sequebantur, 42.*
7. *PP. Prædicatorum, Zelo ferventium, post vexillum, 42.*
8. *Domini Ordinis S. Benedicti, quibus Crux præferebatur, aderant ex Vico Duts, 18.; ex Cœnobio S. Martini, 14.; ex S. Panthaleonte, 21. Hi omnes crucibus per medium gestatis distinguebantur.*
9. *Ferebantur undecim pulcherrimæ cruces, quibus sexaginta circiter ex capitularibus scholis, & choralium musicorum numero pueri, eorumque præceptores adjungebantur.*
10. *Ibant Collegiatarum Ecclesiarum, Pietate, Genere, & eruditione præclari Canonici & Vicarii, pro dignitate & more solito, nempe S. Cæciliæ, S. Vrsulæ, S. Mariæ in Capitolio, S. Georgii, ad S. Mariæ gradus, SS. Apostolorum, S. Andreæ, S. Cuniberti, S. Severini, S. Gereonis, & S. Cathedralis Ecclesiæ Domini, omnes genere, virtutibus, honore & gravitate conspicui viri, inter quos conspiciebantur Cathedralis Ecclesiæ Canonici, qui ex antiquissimis* Salmensium, Nassoviorum, Furstenbergiorum, *aliorumque familiis erant oriundi.*
11. *Hos sequebatur magna Sanctæ Crucis Portio, magnæ Monstrantiæ inserta.*
12. *Brachium S. Simonis Apostoli, capsæ ex argento & christallo fabricatæ, inclusum.*
13. *Reliquiæ S. Martini inclusæ Novæ, & ab Illustr.* Elect. Maximiliano Duce Bavariæ *Cœnobio Knegstediano Legatæ thecæ, quæ in superiore parte S. Martini Episcopi effigiem præferebat.*
14. *Sanctum Sancti Hermanni, cognomento Iosephi, Corpus, qui civis Coloniensis, & magnus S. Mariæ Virginis amicus fuit; vixit Steynfeldæ, devixit 3. April. anno 1236. à quo tempore in Archiepiscopatu Coloniensi, imo & in Hispaniâ, festum illius celebrari cœptum est, die 4. April., quo etiam est sepultus.*
15. *In eâdem Capsâ variæ reliquiæ circumgerebantur: nempe illa aurea D. Iohannis Chrysostomi, maxilla, ut & S. Erasmi Martyris, S. Dorotheæ Virginis, & S. Bartholomæi.*

16. *Qua-*

16. *Quatuor Capucini gerebant, alii gladium quo SS. Comas & Damianus martyrio sunt affecti, alii alias pretiosas Reliquias.*

17. *Gerebatur S. Theca, ex puro auro & gemmis confecta, quæ comprehendebat, S. Corpus Marsi Pœnitentiarii, & mediam partem corporis S. Virginis Lugtrudis, unà cum effigie quâdam pectorali, quæ omnia ab* Imperat. Otthone II. *donata, possidet illustriss.* Princeps Essenorum.

18. *Ferebatur S. Caput S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntini, & Transhenanæ Germaniæ Apostoli, cum ipsius libro, cingulo, & gladio quo Martyrio est affectus, An. 755. postquam 60. annos prædicaverat hanc ipsam Romano-Catholicam fidem, quam nunc odio prosequuntur hæretici.*

19. 4. *Augustiniani in Pheretro portabant crucem, in quarecondita est dimidium Hostiæ, quæ anno 1374. Medioburgi Zelandorum in ore Colonienſis Iuvenis in Carneum & sanguineum colorem est mutata: altera pars Lovanii asservatur.*

20. *Circumlatus est S. Constantius, egregius ex Thebanorum martyrum sodalitio, Heros.*

21. *Gerebatur in vitreâ Capsulâ corpus innocentis infantuli, qui ab Herodianis militibus propter Christum est obtruncatus, gerebatur autem à Minoritis, quorum ordo Hierosolymis in hunc usque diem conspicitur.*

22. *Gerebatur theca S. Antoninæ Martyris & Virginis, ex sodalitate S. Vrsulæ; quæ in templo Iohannis Baptistæ, ante annos 500. est sepolita, & cum illâ, à 5. aliis sacerdotibus aliæ Reliquiæ ferebantur.*

23. *Sequebatur egregia illa S. S. Machabæorum capsa, qui circiter 150. annos ante Christi Nativitatem persecutionem passi sunt, & Coloniam advecti ad ann. præter propter 1192. & cum illâ etiam aliæ Reliquiæ gerebantur, caput nempe S. Ioachimi, &c. quæ ex Machabæorum templo erant desumptæ.*

24. *Ferebatur aurea S. Heriberti Archiepiscopi Colonienſis & primi Electoris, theca: fundavit hic Cœnobium illud in Duts, & Collegium SS. Apostolorum, &c. Mortuus est anno Christi 1021. 16. Martii.*

25. *Ferebatur caput S. Pinnosæ Virginis & Martyris, quæ erat ex societate S. Vrsulæ & pertinet ad S. Martini templum Cœnobiale.*

26. *Ferebatur aurea Capsa S. Eliphii, qui Martyrium passus est in Lotharingiâ, circa annum 363. S. Bruno illum Coloniam advexit.*

27. *Ferebatur caput S. Laurentii Martyris quod ex Gladbach petitum, qui, ob suum in ferrea Crati Martyrium, per universum orbem est decantatus, & quoniam Hispanus fuit, à nobilibus pueris illi ardentes faces præferri jussit Regis Hispaniarum Legatus.*

28 *Caput S. Christinæ, quod ipsum etiam ex Gladbach petitum.*

29 *Caput S. Viti, eodem pertinens: hic celebris Martyr fuit, & vitæ suæ cursum*

sum perrexit 15. Ian. Imperante Diocletiano.

30. Brachium S. Benedicti, celeberrimi Ordinis fundatoris qui anno Christi 589. ad 26. Martii in sempiternum gaudium est translatus, & hoc etiam thesauro gaudet Gladbacha.

31. Ferebatur aurea theca S. Albini, qui VVerlingcestriæ in Angliâ passus est circa an. 280. & est hodieque ejus constitutionis quasi ante paucos dies Martyrio affectus esset. Ex Angliâ Romam, & inde Coloniam est translatus per Augustiss. Imperatricem Theophaniam, quæ in S. Panthaleonte est sepulta.

32. Aurea capsa S. Mauritii Abbatis, Martyris in Panthaleonte ante 900. annos.

33. Corpus Evergisli Episcopi Colonienſis, qui S. Severino successit.

34. Caput & aurea theca S. Paulini Martyris, ex templo S. Cæciliæ.

35. Aliud, etiam Episcopi, Caput, cujus titulum non legi.

36. Capita & aurea Capsa S. S. Ætherii & Valerii, qui cum S. Vrsulâ Martyrio sunt affecti.

37. Caput & aurea theca S. Virginis & Martyris Vrsulæ, quæ multa hominum millia secum ad cœleste gaudium evexit, 21. Octobr. anno 237. cum S. Aquilius Coloniæ Episcopali dignitate fungeretur.

38. Caput S. Hippolyti Martyris, una cum aliis Reliquiis.

39. Caput S. Cyriaci qui Pontificalis Vicarius fuit, cum Papa Fabianus in exilium pulsus erat; inde etiam à multis pro Papâ habitus: Cum Vrsula autem Româ redux, Martyrio affectus est.

40. Gerebatur aurea theca S. Hippolyti, qui à S. Laurentio, ad Christianismum est conversus, & in eâdem persecutione à ferocibus equis dilaniatus.

41. Circumferebantur pectorales effigies, inter quas etiam erat una quæ S. Apostoli Iudæ caput tegebat.

42. Ex prænobili & piâ S. Mariæ in Capitolio Ecclesiâ proferebatur caput & aurea theca S. Vitalis, una cum aliis Reliquiis.

43. Gerebatur aurea theca S. Honorati, quæ Sybergæ pertinet.

44. Ea, quæ ex puro auro & argento confecta est SS. Mauritii & Demetrii Capsa. & hæc Sybergæ pertinet.

45. Ferebatur aurea theca S. Benigni, quæ etiam Sybergâ petita est; prout etiam istius loci Prælatus fervidum ostendit zelum: quam vis ipse, ut quidem piè vovebat, præsens interesse non potuit.

46. Ferebatur aurea Capsa, S. Innocentii, quam etiam Prælatus Sybergenſis miserat.

47. Ferebatur aurea theca S. Annonis à Canonicis S. Georgii, quorum ille fuit fundator; aliàs Sybergæ pertinet: & hæc omnia summâ cum curâ Præfatus D. Prælatus ita ordinaverat.

48. Suc-

48. *Succedebant 3. Præpositi, pretiosissimas & sumptuosè ornatas reliquias gerentes: quos etiam suprà nominatus D. Prælatus constituerat: Omnia nunc referre longum esset.*

49. *Ferebatur aurea theca S. Agilolphi Colonienſis Episcopi & Martyris, quæ gerebatur à Canonicis ad S. Mariæ gradus, magnis zelotis.*

50. *Ferebatur caput S. Cyriaci (est alius ab illo quem supra nominavimus: Nam hic Romæ cum SS. Largo & Smaragdo Martyrium passus est) ex templo SS. Apostolorum.*

51. *Caput S. Felicis, qui sub Diocletiano Martyrium suum implevit, circa annum 290.*

52. *Ferebatur caput S. Adaucti, quod quidem non est proprium ipsius nomen, sed impositum illi est, quoniam jam dicto Felici adjunctus est, cum ad Martyrium duceretur.*

53. *Ferebatur aurea theca, in quâ SS. Felicis, & Adaucti, aliorumque Reliquiæ.*

54. *Ferebatur aurea Capsa SS. Evvaldorum, qui cum S. VVillebrordo, & S. Suiberto, ex Angliâ reduces, postquam in Hollandiâ & Diœcesi Trajectinâ magnos fecissent fructus, veteribus Saxonibus Euangelium prædicarunt: interfecti autem sunt, cum Missam celebrarent, propè Dortmundam, & cum in Imscaram essent projecti, mirabiliter adverso fluvio natantes, Coloniam appulerunt, post annum 700.*

55. *Ferebatur corpus S. Cuniberti. Hic ad Mosellam natus est & circa annum Christi 614. ex Archidiacono Trevirensi promotus est ad Episcopatum Colonienſem: erat autem potens in verbis & factis, & cum ad S. Vrsulam Missam celebraret, Divinâ revelatione intellexit, ubinam istius corpus quiesceret, quam etiam Laudavit, & Legendam ipsius conscripsit: Piè obiit anno Christi 653. Corpus ipsius anno 1080. 17. Febr. cuidam incendio admotum, mox illud restinxit. Vtraque cista ex S. Cuniberti templo Petita est.*

56. *Ferebatur in effigie pectorali caput S. Emerentianæ, Virginis & Martyris, quæ anno Christi 300. cum ad S. Agnetis sepulcrum & Reliquias oraret, ab Ethnicis est interfecta: hoc sacrum ex celeberrimo S. Severini templo est petitum.*

57. *Ferebatur aurea theca S. Cuniberti, qui, cum Euphrata Colonienſium antistes, Christianam Religionem & Episcopatum deseruisset, Episcopalem dignitatem accepit 4. Maj. anno 343. obiit anno 396. mox post S. Martini obitum 23. Octobris. Hic anno Christi 882. adversus Gothos urbem Coloniam potenti manu defendit, & exitio eripuit.*

58. *Ferebatur caput S. Gregorii, Principis Moraviorum, qui tempore Impp. Diocletiani & Maximini, in suburbio Coloniæ, cum 630. militibus propter Christianismum est interfectus.*

59. *Fe-*

59. *Ferebatur jam dicti Gregorii S. Corpus in aureâ Capsâ.*

60. *Ferebatur caput S. Principis Gereonis: Hic Patriâ Ægyptius erat, & cum Hierosolymam præsidio teneret, cum militibus suis ad Christianismum est conversus, postea Romam adiit cum iisdem militibus, & illinc prono Rheno Coloniam est advectus, ibidemque, quod Ethnicorum Deastris sacra nolebat facere, in suburbio Martyrio est affectus S. Helena supra prædictorum S. Martyrum S. sanguinem & ossa Augustissimum templum ædificavit. Post hoc S. Corpus sequebatur magnâ cum populi attentione & ædificatione Illustr. Elector.* Maximilianus Henricus, Bavariæ Dux, & ad S. Gereonem Præpositus, *unà cum* Decano suo D. Bertholdo Comite in Konings-Eck, *ardentibus facibus, quæ ab eorum Nobilibus gerebantur, instructi.*

61. *Ferebatur caput S. Felicis, alius ex Mediolano Martyris, petitum id erat ex S. Cathedrali templo.*

62. *Ferebatur caput S. Naboris, qui cum Felice isto, tempore Diocletiani, Mediolani in Italiâ, 12. Iulii martyrium Passus est, & cum S. S. trium Regum corporibus, cum urbs illa funditus everteretur, Coloniam per Rhenum Magnificè est delatum.*

63. *Ferebatur caput S. Gregorii Spoletensis, qui in Patriâ urbe sacerdotium administrabat & tempore Diocletiani, Christianorum Archi-Persecutoris, multa ob Christianum nomen Passus est. Notandum hic, quod horum jam dictorum 3. Sanctorum S. Corpora, in superiore parte Pulcherrimæ illius 3. Regum thecæ, quiescunt, quæ ob pondus & molem à loco moveri vix potest.*

64. *Ferebatur caput S. Sylvestri, quod Româ attulit S. Irmgardis, Zutphaniensium Comitissa, cujus in templo Cathedrali sepulcrum cernitur.*

65. *Ferebatur brachium S. Sebastiani Martyris in magnâ Monstrantiâ: hic martyrium suum implevit sub Diocletiano, & apud Deum Potens est nocentissimum Pestis Contagium, aliosque quam plurimos Morbos hominibus adimere, eosque fugare.*

66. *Circumlata est nova illa, partim ex auro, partim ex argento confecta, S. Engelberti, Colonienſium Archiepiscopi, theca. Hic ex antiquissimâ Comitum Montensium & Altenatensium prosapiâ est ortus, & anno 1216. 22. Febr. in Archiepiscopum Colonienſem electus. Est autem in Comitatu Marcano, in monte, cui nomen Gevelsberch, multis acceptis vulneribus, interfectus & Martyrio affectus; quoniam Imperatoriæ & liberæ Essenorum Diœceseos Iura adversus vim Frederici Comitis in Isenburch ad Rhuram, ex Pontificis & Imperatoris mandato acerrimè defendisset.*

Itaque Consultum visum fuit, in hâc tam gravi calamitate; & Periculosissimo belli tempore, cum Libertatem Ecclesiæ opprimere & conculcare conentur ejus Hostes, hos in hâc S. urbe Coloniâ quiescentes Sanctos, quoniam Patroni ipsi-

us

us sunt, invocare & veris ad Deum & modo nominatos ipsius Sanctos, gemitibus suspiriisque instantes & meritissimas pœnas deprecari: quod etiam supra memorato tempore solenniter factum est.

Tandem etiam circumferebantur Sancta Catena & dimidium Litui, summi Sanctorum Petri, Principis Apostolorum, & in terris Christi Vicarii: Hunc autem Lituum S. Petrus cum Romæ esset, S. S. Euchario & Valerio donavit, & illius virtute, Deo, ad id singulari suâ gratiâ concurrente, emortuum jam in Eisatiâ S. Maternum resuscitârunt: qui mox, quanquam jam 40. dies obiisset, resurrexit & primus Colonienſium Episcopus & Apostolus est Electus. Idem hic Lituus, postea in Archiepiscopatu Trevirensi est asservatus, donec S. Bruno illum Coloniam attulit, & alterum dimidium, inferiorem nempe partem S. Egberto Trevirensium Archiepiscopo reliquit anno Christi 980. cum S. VVerinus Colonienſem Episcopatum administraret.

Hæc est summa SS. thecarum, quas ego quidem tam brevi tempore potui colligere, quamvis me quasdam silentio præteriisse, non ignorem.

Præter has, ingens & prope innumerabilis fuit numerus eorum, qui tum in splendidissimo & seculari habitu, tum in sacris vestibus totum tempus has Hierotheças, tam ardentibus facibus, quam alio sacro ornatu, deduxerunt, & distinxerunt. Incredibile etiam, quot hominibus excussæ lachrimæ, & intimè contrita corda.

Rectè igitur, & summo jure, tibi O pretiosa, & Deo chara urbs Colonia, in vitis & ædificiis tuis, accinitur & jubilatur.

Gaude felix Agrippina
Sanctaque Colonia
Sanctitatis tuę bina
Gerens testimonia:
Postquam fidem suscepisti
Civitas prænobilis
Recidiva non fuisti,
Sed in fide stabilis.
Gereonis cum bis nonis
Trecentena concio
Et Maurorum trecentorum
Sexaginta, passio,
Te tinxerunt & sanxerunt;
Virginumque millia
Undenarum, te decorum
Exornat Martyrium. &c.

Et si unquam tibi hoc Iubilæum potuit accommodari, certè jam evidentissimè potuit, cum, tam incredibili hominum silentio, hæc processio ad finem est perducta: Nam omnes velut suspensi erant ingenti admiratione: nihil audiebatur, nisi aureorum & argenteorum tintinnabulorum sonus, & templorum campanæ, choralesque cantus, & tubæ.

Denique huic Processioni intererant, antehac nunquam visus illustrium Prælatorum numerus, non tantum quotidianis sed etiam Magnificentissimis sacrorum vestibus insignes.

Nam non tantum inter Reliquias preciosis togis choralibus induti ibant Amplissimi

plissimi Prælati, quales Decani, Præpositi, & sacrorum vetustissimorumque Ordinum Abbates in solennibus, & Episcoporum similibus vestibus, quibus, à Clericis eorum, solita ornamenta & litui præferebantur: verùm etiam aderant Dynastæ, Comites, Ducesque.

Vt nempe, qui ad utrumque latus Illustriss. Electoris, aut D. Abbatis, S. Sacramentum ferentium chorales togas levabant.

Johannes Jacobus, Comes in Konings Eck.
Otto Ludovicus Rheingravius.

In Dalmaticis.

Philippus Salentinus, Comes in Manderscheyt.
Franciscus Ego, in Furstenberch,

S. Petri lituum gerens.

Ferdinandus Franciscus à Ritberg.
Erichius Adolphus à Salm. &c.

Voluit etiam Illustriss. Franciscus Wilhelmus, Episcopus Osenbrugensis, Mindensis & Verdensis, &c. *unà cum aliis sacra veste indutis Abbatibus, S. Sacramentum deducere, & diversis vicibus & locis in magno solis æstu, & facium copia, magnâ cum reverentiâ, & populi ædificatione, etiam ingerere.*

Tandem etiam septem Stationes, ad totidem templa, aut erecta altaria sunt habitæ, & his omnibus peractis in templo Cathedrali, horâ secundâ pomeridianâ, conclusa est hæc S. Processio.

1. DIsputationem de Processionibus in ordinariâ nostrâ & publicâ *locorum communium* repetitione referre solemus, tum ad *Theologiam moralem*, *tract. de secundo Decalogi præcepto, tit. de Pseudo sacro,* & ἐθελοθρησκείᾳ; tum ad *Theologiam Asceticam, tit. de Precatione.* Varia enim illa Papisticarum superstitionum vitia in precibus, ad hæc quinque generalia capita revocari possunt: *Rosaria, Horas Canonicas, Litanias, Peregrinationes, Processiones.* De postremo nunc nobis agendum: quod ut ritè fiat, vocis ambiguitas tollenda. Notat enim (juxta Pontificios apud *Serrarium lib. 1. cap. 1.*) processio religiosa, in genere, varias itiones & progressiones, quas è suis ædibus aliò Religionis ac pietatis causa faciunt Christiani, vel soli; vel cum pluribus aliis. Et huc pertinet 1. Ipsa ad Templum itio. 2. Sacrorum locorum, & rerum veneratio, & sic ad reliquias & martyria proceditur. 3. Itio ad vigilias sanctasque in precibus pernoctationes. 4. Aditio eorum, qui in carceribus. 5. Mortuorum sepultura, funerumque comitatus. 6. Omne iter ad ministranda aut suscipienda pia opera, qualia ex. gr. peccatorum

Con-

Confessio, Baptismus, Eucharistia, Catechismus, Concio. 7. Cum alicui advenienti Episcopo, aut Principi, aut Viro Sanctitatis famâ præstanti vivo aut mortuo itur obviam. 8. Processio Græcis usitata cum materiâ Eucharisticâ, hoc est, cum pane ad Sancta Sanctorum, ubi Altare in quo corpus Christi conficitur. Hanc vocis acceptionem seu Processionis sacræ speciem notat *Gretserus lib.* 1. *cap.* 1. ex *Curopalata*, reliquas omnes *Serrarius loc. cit.* & probare conatur ex Scriptoribus Ecclesiasticis. 9. Est processio illa, de quâ propriè hic agimus, quam definit ibid. Serrarius: *Religiosam precabundi agminis, certo cum ritu ac ceremonia, obambulationem.* Gretserus loc. cit. *Populi profectionem ad locum quempiam sacrum certo ritu & dispositu precum concipiendarum gratiâ tendentis.* Vel *Supplicantis cœtus certo cum ritu & ceremonia circuitionem seu obambulationem.* Talem processionem inter & supra omnes alios operosè describunt, & mordicus partim defendunt, partim excusant Jesuitæ *Serrarius*, & *Gretser. peculiar. tractatibus*; & post illos *Ioh. Frider. Mateneſius in Peripatetico Christiano*, seu *Theophoria civitatis Colonienſis*. Post omnes processionum antiquitatem probare conatus est, earumque complures species in Papatu observari solitas minutim descripsit *Iacobus Eueillon* Canonicus Andegavensis *in tract. de Processionibus Ecclesiasticis* Paris. 1641. edito. Idem saxum volvit *Iohannes Stephanus Durantus de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ lib.* 2. *cap.* 10. Cum quibus confer *Barthol. Gavantum in Thesauro sacror. Rituum*, *tom.* 1. *pag.* 65. 249. 280. 286. & *Ceremoniale Episcoporum lib.* 2. *cap.* 32. & 33.; *Rituale seu Pastorale Romanum*, *pag.* 265. edit. Antwerp. ex officinâ Plantinianâ, anno 1625.; *Processionale rurale* in 4. editum Antwerpiæ; *Iohannem Iacobs in Compendio cæremoniarum*, *&c. cap.* 28. *Rationale Durantis lib* 4. *cap.* 15. *fol.* 48. ubi de Processione summi Pontificis, & de Processionibus in genere. *Belethi cap.* 122. *Bullarium cum notis Cherubini*, & *collectanea Bullarii atque decisionum usque ad ann.* 1633. *per Augustinum Barbosam. Ejusdem Barbosæ collectanea Doctorum ad Concil. Trident. sess.* 25. *cap.* 13. Addat, cui vacat, alios *recentiores Canonistas* & *Casuistas*; inter eos *Tholosanum in partit. Iuris Canon. lib.* 1. *tit.* 20. *cap.* 3.; *Busæum de Statibus Hominum*, *pag.* 355. *Drauroeltii Catechismum Historialem cap.* 4. *tit.* 28.

Processio jam definita breviter ex sensu Romano explicanda, deinde ex sacris literis examinanda. In explicatione occurrunt 1. Nomen. 2. Genus. 3 Materiale & Formale. 4. Termini à quo & ad quem. 5. Causæ efficientes. 6. Fines & Usus. 7. Adjuncta. 8. Comparata. 9. Opposita. 10. Divisiones. Nomen est *Processus*, & usu magis Ecclesiastico *processio*, translatione factâ à processu Imperatorum & Principum ad certum

tum locum cum pompâ. 2. Græcè πρόοδος voce itidem mutuatâ à solennibus Imperatorum & Consulum in publicum progressionibus & deductionibus, cum ornamentis & insignibus, quarum meminit *Novell.* 105. 3. *Rursus* Gr. παράκλησις & παράκλευσις. 4. Item πάπας. 5. Adhæc πρέσβεις, 6. Synechdochicè synech. speciei pro genere *rogatio* (de quâ infrà); & generis pro specie, *supplicatio*: & partis pro toto seu metonymiâ adjuncti pro subjecto *Statio* (uti observat *Durantes lib. 7. rationalis cap. 1.*): de quâ mox infrà §. *sequ.* Eodem tropo dicitur & *litania*, Gr. ἱκεσία, λίτη: unde apud Græcos liturgicos λιτανεύειν, id est, *processionem obire.* Denominatio hæc fit à precibus, quarum causâ instituta est processio. De Litaniis infrà ex professo agitur *Disp. de Pseudo-precationibus*, &c. 7. Belgicè, Omgangh/ Proceſſie; Germanicè etiam Bidtgangh; ut notat *Serrarius*: quem cum *Gretsero* vide de nominibus his φιλολογῶντα.

3 11. *Genus*, si materiale magis attendas, est profectio seu itio ad certum locum seu stationem aut stationes: sin formale respicias est litania seu supplicatio. 111. *Materiale* est, hominum collectio seu aggregatio, totaque illa composita & ordinata variarum rerum, personarum, actionum externarum dispositio & compages. *Formale* constituit, 1. *Religiosa* illa unio & mutua habitudo ad sic procedendum; seu, habitudo illius compositæ multitudinis ad Deum seu ad Religionem: ita ut ipsa illa itio tali cum modo & circumstantiis, sit actus Religionis, saltem præsuppositus & tanquam requisitum quid ad solennem, publicam & efficacem supplicationem: eodem fere modo ut jejunium Christianum, aut actus Religiosi ceremoniales in Vet. Test. 2. *Precatio*, & quidem litaneutica (quam infra ex professo explicabimus); seu precationum, præsertim litaniarum accumulatio. Porro in litaniis istis invocationem Sanctorum facere utramque paginam, colliges ex *Diplomate Archiepisc. Colonienſis*, 1v. *Termini* Processionis sunt. 1. *A quo*; iique gemini, *partim* privati, domus, scil. & claustra ac gurgustia, unde homines progrediuntur ad hunc actum: *partim* publici, iique sacri, unde primum inchoatur Processio; Templa scilicet, ut plurimum Cathedralia. Illos possis vocare extrinsecos, hos verò intrinsecos, quia partem faciunt hujus histrioniæ, actus scil. primi scenam primam. 2. *Ad quem*, & sunt loca sacra, Templa scil. intra & extra Urbem, aut altaria & anguli in eodem templo, aut loca ubi sacra quædam monumenta & reliquiæ: ad quæ instituitur processio: qui termini propterea dicuntur *stationes*. Et hinc processio quia ad stationem pertinebat, stationis nomen sortita est, uti supra §. præced. notatum est. *Processiones enim ut plurimum* (ait Jac. Eueillon cap. 1.) *celebrantur ad ea Templa, in quibus Statio publica est, vel ratione festi solennis, vel* specia-

specialis sanctitatis loci, vel venerandarum Reliquiarum, vel alias invocandi patrocinii ejus sancti, cujus nomini illa sacrata sunt: Etymon *stationis* accersit *Onuphrius Panuinus in libello de Stationibus urbis Romæ* (citante *Iac. Eucillon ibid.*) à veteri Ecclesiæ Romanæ ritu: quo cum statio apud Ecclesiam aliquam haberetur, populus cum clero in aliam vicinam ædem conveniebat, exspectans Pontificem; quo adveniente solenni ordine inde ad locum stationis procedebant. De voce & origine *Stationis* pluribus conatur ἐχκλησιολογεῖν *cit. Autor cap.* 19.

Efficientes causę sunt *tum* primæ originis seu institutionis, *tum* indictionis, *tum* executionis. 1. *Primæ Originis*, revera est factio & superstitio Papalis: secundum ipsos tamen essent, (si vera dicerent), *majorum* quidem, quas vocant *Litanias*, Gregorius Magnus, cui concinit exemplum Constantini apud *Nicephor. lib.* 8. *cap.* 26. *Euseb. lib.* 3. *vitæ ejus, cap.* 47. Theodosii apud *Russinum lib.* 2. *cap.* 33; & Chrysostomi apud *Socratem lib.* 6. *cap.* 8. *Sozomen. lib.* 8. *cap.* 8. & populi Africani, apud *Augustin. de Civit. Dei lib.* 22. *cap.* 8. & populi passim in imperio Romano apud *Iustinian. in Novell.* 123. *cap.* 32. *Minorum* verò, quas vocant *Rogationes*, Mamercus Episcopus in Galliâ, teste *Sidonio Apollinari lib.* 5. *epist.* 14. Atque hæc prima atque antiquissima scil. origo, ut quidem in calculo hoc ineundo desudant *Tholosanus in partit. Iuris Canon. lib.* 1. *tit.* 20. *cap.* 5. *Ioh. Steph. Durantus lib.* 2. *cap.* 10. *Bayllius in Catechesi part.* 2. *quæst.* 39. 40. *Gretserus lib.* 1. *cap.* 2. *Serrarius lib.* 1. *cap.* 3. *Mathenesius, Discursu primo.* Sed quantopere fallat calculus eorum infra verbulo indicabitur. Mussitant subinde quidam ex illis de origine earum tempore Apostolico, & Vet. Testamenti; sed tam malè ipsi credunt, quod idiotis suis persuasum velint, ut *Bayllius* dicat ea *figuram* processionum Ecclesiasticarum, *Tholosanus typum. Gavantus* verò *tom.* 1. *pag.* 65. processionalem Theologiam suam proponat, ut vulgo Autores more Aristotelico sua problemata: *Cujus origo, an à purificatione B. Virginis cum Ioseph, Simeone & Annâ; vel certius ex Historiâ Euangelica à turbis in die palmarum?* Tertullianus lib. 2. ad Uxorem *meminit processionum & Ambros. serm.* 8. Contra hæc dubia & problematica Mathenesius peremptoriè determinat discurs. 1. 8. *Et quidem primis trecentis an is tales Processiones fieri non potuisse in confesso est, quod in speluncis, cryptis, desertis latitarent*, &c. Quam sufficienter hæc causa ab illo allegetur, nunc non examinabimus. Sed unum hoc velim contra allegatas à *Bayllio, Ioh. Stephano Duranto, &c.* antiquitates ante tempora Ambrosii, Augustini, &c. memoriâ teneat Lector: non potuisse saltem celebriores ac statas illas supplicationes seu rogationes inter Pascha & Pentecostem in antiquâ Ecclesiâ cum jejuniis, 4

aliisque humiliationis signis obtinere, quod totis 50. diebus ab omni jejunio & genuflexione abstinerent, teste *Tertulliano de Corona militis, cap.* 3. *Ambrosio serm.* 61. *Hilario Prolegom. in explan. Psalm.* 11. *Causæ efficientes*, indictionis Processionum, quas imperatas vocant, sunt, *principales*, quidem, Papæ, Archiepiscopi, quique pro ratione districtus sui; Ad Episcopum autem, aut illo absente ad Vicarium ejus generalem, de consilio capituli (non de consensu) pertinere edictionem, directionem, deductionem Processionum, determinavit sacra congr. Rituum, apud *Barbosam in collectaneis Doctorum ad Concil. Trident. sess.* 25. *cap.* 13. Sed processiones facere per Parochiam ad curatos spectat. *Ib. Impulsivæ*, sunt *aut* calamitates belli, pestis, famis, persecutionum, hæreseωn sive præveniendę, sive averruncandæ: aut magna & necessaria beneficia impetranda: *aut* pro beneficiis grates agendæ: quò refer honores & congratulationes, quibus obviam proceditur principibus Ecclesiasticis aut sæcularibus: *aut* sacræ reliquiæ inveniendę, recipiendæ, deducendæ, transferendæ, &c.: *aut* templa, aliaque sacra dedicanda: *aut* sancti de novo canonizati introducendi, seu solennis ὠθρονισμὸς & investitura eorum, ita loqui liceat: *aut* Jubilæum celebrandum: *aut* victoria; *aut* hæreticorum conversio his ludis & applausibus celebranda. Has aliasque Processionum quæsitas ἀφορμὰς discesex quotidianâ praxi, & *Autoribus* suprà *cit.*; nominatim ex *Serrario lib.* 1. *cap.* 4. & 5.: de quo mox thesi sequenti. 111. *Causæ executionis.* 1. *Principales*, sunt homines cujusque ætatis, sexus, ordinis, qualitatis, Clerici scil. cujuscunque generis & co-
71 loris (solâ Lojolę propagine exceptâ, quæ non sine mysticâ, ut opinor, significatione hanc theriacam aut panacæam non ingreditur), laici, cives, rustici, milites, armati & inermes, fatui denique & moriones. 2. *Instrumentales*, jumenta, asinus ligneus, equus ligneus dictus bayardus, vexilla seu insignia, arma, cruces, imagines, hostia consecrata, aliaque ad choragium hoc pertinentia, de quo *thesi* 6.

5 *Fines, usus & effectus* processionum deprędicantur, quod juvent orationem; sic *Tholosanus loc. cit.* Breviter Deus iis honoratur, iratus propitiatur, salus hominis temporalis & æterna promovetur. Valent ad eximium Dei cultum, solennem & publicam veritatis professionem, nominatim de Christi Deitate & de Transsubstantiatione (*Concil. Trident. sess.* 13. *cap.* 5.) in anniversariâ theophoriâ: denique ad mysticas significationes. Vide *Serrarium lib.* 1. *cap.* 5. & 7. *Matheness. dis.* 2. & 6. 7. Minutim efficaciam earum exemplis quam plurimis per varia calamitatum genera, *ibidem* depingit *Serrarius* & *in suo litaneutico lib.* 1. *cap.* 7. Historicam & humanam hanc fidem maximam partem fundat, partim in Autoribus suspectis

spectis & nullius apud nos fidei (quippe aut Recentioribus, aut juratis Papistis); partim in ejusmodi Scriptoribus, quorum autoritate ipsi teneri nolunt, quotiescunque ita usu venit. Nota sunt nomina *Turonensis*, *Laurentii Surii*, *Baronii*, *Delrio*, *Cirvelii*, *Aimoini*, *Græcorum Trindii*, *Alani Copi*, *Caroli Sigonii*, *Zonaræ*, *Glycæ*, *Eisengrenii*, *Epistolarum de rebus Iaponicis*, &c. Sed infelicem hanc Theologiam historicam alibi deteximus. Indicanda nunc singula, quæ ad pietatem excitare possunt secundum *Serrarium lib.* 1. *cap.* 7. ut ea tanquam totidem argumenta urgeantur ab opponentibus nostris: sunt autem ista. 1. Ut in præliis cornua & litui milium animos concitant, evibrant, permulcent; sic in processionibus ipsa finis cogitatio pios semper, religiosos, & attentos efficit. 2. Illa quę connexa processionibus, crucis prę portatio, aquæ lustratio, reliquiarum & imaginum bajulatio, si mystica ipsorum significatio intelligatur, commovere possunt. 3. Adhæc si quis secum mente agitet varia Christi itinera & itiones, præsertim in extremo vitæ. 4. Exempla eorum, qui piè utiliterque admodum processerunt; ubi nominatim recenset S. Arnulphi, Caroli V., Pii V., Cardinalis Borromæi, Bertholdi Archiepiscop. Moguntini, Ignatii Lojolæ. 5. Movendi vim habent ipsa loca circa quæ, vel ad quæ proceditur. 6. Insuper vicissitudo cantus, tacitæque precis, itemque carminum ipsorum & orationum. 7. Rursum cogitatio Sanctorum, quorum reliquiæ, aut imagines præsentes. 8. Contemplatio cœlestis processionis, *Apocal.* 14. 8. Juvare possunt & illę aliæque similes considerationes: Quot hic homines? & post 100. aut 80. annos ubi erunt omnes? ecce quam jucundum, Deum omnes laudare? quomodo parvuli & innocentes hi Deum laudant? quomodo innocentes puellæ, simplex populus, innocentes rustici Deum supplicant; & tu quid? 10. Processio hæc ostendit quid tuo fortassis in funere brevi futurum sit &c. 11. Vita tua omnis processio quædam est. 12. Tibi etiam in virtute procedendum. 13. Orandum mihi jam, ut istas in spiritu & Christianâ perfectione faciam processiones. 14. Curandum, ut cum mundus ad judicium extremum procedet, procedam & ego integer, securus, lætus. 15. Ut per processiones de Ecclesiâ in Ecclesiam, quodammodo ejus spatia reddantur majora; sic laborandum mihi, ut Ecclesiæ fines proferantur longissimè. 16. Denique annitendum mihi, ut in Ecclesiâ & mundo bene procedant omnia. Atque hæc Theologia mystica & practica de Processionibus.

Adjuncta sunt propria requisita & ingredientia cum omnibus circumstantiis. Dividimus autem ea in primaria & secundaria. 1. *Primaria* requisita sunt, ut litaniis seu supplicationibus illis adsint. 1. Frequentia seu 6

cœtus

cœtus populi; & quidem omnis sexus, ætatis, ordinis. 2. Ut adsint Sacerdotes, seu Clerici. 3. Ut fiant in locis consecratis. 4. Ut adsint cruces. Hæc *Tholosanus lib. 1. tom. 20. cap. 6.* Sed addendum puto 5. Ut adsit eucharistia, quæ adoranda circumferatur; unde etiam processio anniversaria Coloniensis in Dominicâ *palmarum*, & post Dominicam *quasi modo* apologistæ ipsius *Mathenesio* κατ' ἐξοχὴν dicitur *Theophoria. Gretserus* tamen *lib. 2. cap. 3.* dicit aliquando adhiberi, ita ut in omnibus processionibus non sit requisitum necessarium. 6. Ut adsit invocatio Sanctorum, atque adeo modus ac ratio precandi fiat per litanias. 7. Eleemosynæ. Hæc requisita à *Serrario lib. 1. cap. 6. Mathenesio disc. 2. per totum, Gretsero lib. 2. cap. 3.* explicantur, & modo ac more solito probantur. 11. Secundaria requisita & ingredientia sunt. 1. Aquæ benedictæ circumlatio & aspersio. 2. Sanctorum reliquiæ. 3. Sanctorum imagines & statuæ. 4. Euangeliorum quatuor initia, quæ in diversis in partibus quatuor legi quandoque solent. 5. Cantus & harmonia Musica vocalis & instrumentalis. 6, Faces & cerei. 7. Campanarum sonitus. 8. Vestitus pro cujusque ordine ac statu decorus: sic clerici linteati sunt, laici festivis vestibus induti. 9. *Ordo*; ut ex omni hominum ordine ac genere, locis assignatis, procedant, & quidem ferè bini aut terni non sine mysticâ significatione. Sic *Serrarius lib. 1. cap. 6. §. 7.* Unde liquet, quo jure in *Polydorum Virgilium* & *Hospinianum* incurrat *Gretserus lib. 1.* 10. *Nudipedalia* & *sacci*, ad pœnitentiam conformati. 11. *Flagella*, & diverberationes. 12. *Jejunia.* 13. *Ostiorum*, fenestrarum, platearum, ornatus per florum, ramorum suspensiones & sparsiones. 14. *Equi*, seu equestres processiones, quas *cap. 7.* defendit *Serrarius* contra loca Patrum citata ab ipso *lib. 2.* 15. *Processio* civium armatorum, cum buccinis, tympanis, displosionibus scloporum; ignibus passim exstructis: quæ defendit *Mathenesius loc. cit.* & *disc. 7.* & *Gretserus lib. 2. cap. 3.* & 4. 16. *Asini* lignei deductio, quæ fit in processione Dominicæ palmarum: pro quâ *Mathenes. disc. 3.* 17. *Comediæ* seu dramata. *Gretser. lib. 2. cap. 4.* 18. *Solent* antehac adhiberi fatui, moriones, ligneus equus bayardus, cui quatuor pueri referentes filios Aimoni insidebant, draco ligneus, infernus, larvæ dæmonum, Christophorus ligneus. 18. *Quæ* porro fuerint ludicra, ridicula, profana, partim ab *Hospiniano de Templis, cap.* . detecta, partim indefinitè sub nomine abusuum taxata *Serrario cap. 7. §. 7.* sed non nominata; docebit quotidiana observatio, præsertim in Hispaniâ, Italiâ, & relationes senum, qui Romam apud nos in Belgio in flore viderunt.

Comparata processionum sunt 1. *Papistica.* 1. Litaniæ. 2. Horę Ca-
7 nonicæ. 3. Peregrinationes. 4. Jubilea. 5. Comœdiæ pœnitentiales,

quæ

quæ antehâc in Papatu agi solitæ, nominatim Halberstadii, & hic Ultrajecti: quarum descriptio ex *Volaterrani Geograph. Alciati pareng. lib. 9. cap. 22. Beato Rhenano, Lindano apud Chemnitium in Exam. Concil. Trident. part. 4. in fine*, lectu dignissima est. 6. Adde & ludum seu festum fatuorum, ludum puerorum innocentium: quorum meminimus *part. 2. select. Disp. tit. de Simplicitate & Hypocrisi.* 11. *Antiquæ* κακοζηλίαι & vanę observationes, quæ post tertium sæculum paulatim exortæ: quæ quamvis formâ & specie non conveniant cum Papistarum processionibus (ut frustrà hoc volunt *Serrarius, Gretserus, Durantus supra cit.*), minimè tamen per omnia laudandę sunt. III. *Græcorum* recentiorum processiones, quas describit *Crusius in Turco-Græcia, libr. 2.* & *Meursius in Gloss. Græco Barbaro, in voce* σκίλωσις, Et *Gretserus lib. 1. cap. 1.* IV. *Ethnicæ*; quorum processiones & supplicationes, fontanalibus, floralibus, robigalibus, aquiliciis sacris celebratas, vide quomodo cum Papisticis comparet, & has ex illis derivatas doceat *Polydorus Virgilius lib. 6. de Inventor. rerum cap.* 11. & post eum *Hospinianus de Templis, cap.* 28. Et originem hanc fatentur *Serrarius libr. 1. cap. 3. §. 10. Gretserus lib. 2. cap. 4. Matheneşius pag.* 196. v. *Iudaica*: sunt 1. processiones, quas septem diebus festi tabernaculorum nunc intra Synagogas suas celebrant Judæi cum fasciculis palmariis & malis citreis circumeuntes *almemor* sive suggestum, ad imitationem circuitionis Hierichuntinæ. Has vocant *Hosanna*, quia circumeundo & λιτανεύοντες cantando (sunt verba *Serrarii lib. 1. cap. 3. §. 9.*) illa vox repetitur; eadem die septimo vocant *Hosanna rabba*, quasi dicas litania magna: Vide plenam istorum descriptionem apud *Buxdorf. Synagog. Iudaic. cap.* 16. Addit *Serrarius loc. cit.* processiones, quando die nono tabernaculorum, festum agunt *Schimchar torah*, & circum Synagogas suas gestant *thorah*: VI. *Turcica*: ludi & festa, quæ saltatione, corporis circumvolutione, & precibus ad assequendam pluviam, victoriam, &c. peragunt, ad imitationem scil. Davidis saltando deducentis arcam. Vide *Cuspinianum*, & post eum *Hospinianum de Origine Festorum Mahometan. cap. 1.* VII. Processiones in Candesio Ceilanæ insulæ regno; ubi Monachi, & post eos multi cives bini & bini per civitatem progrediuntur; Abbas elephanto insidet baculum inauratum tenens; præcedunt Monachi quidam partim cereos manibus gestantes, partim cornibus, cymbalis, nolis, tintinnabulis, tibiis, pelvibus concentum perstrepentes. VIII. Denique processiones Arrianorum apud *Nicephorum lib. 13, cap. 8.*

Divisiones processionum nunc discendæ. Variè dividi possunt. 1. Ratione loci, & terminorum motus localis. Sic 1. *Alia* fiunt extra urbem ad alias urbes aut alia loca; eæque longiores aut breviores, (exempla vi- 8

de apud *Serrarium*) *aliæ* intra urbem. 2. *Aliæ* tantum intra unum Templum ad certa altaria; *aliæ* ad varia unius urbis Templa. 11. Ratione causæ efficientis, & occasionis. 1. *Aliæ* sunt imperatæ *seu indictæ*, eæque totuplices, quot occasiones, impulsivas, & fines, bonorum &c. quorumcunque impetrationes, & contrariorum malorum depulsiones & pro omnibus illis præstitis ac concessis gratiarum actiones, (quę vide magnam partem enumerata *Thesi* 4. & 5.) sibi proponere solent: Inter has illa, quâ peccatorum remissio postulabatur, proprio nomine vocata fuit ἐξομολόγησις (*Serrarius lib.* 1. *cap.* 2. §. 1.) reliquæ omnes communi nomine *Litaniæ*: *Aliæ statæ*, & ordinariæ certis temporibus perpetuò recurrentes. Rursum utræque & imperatæ, & statæ sunt vel *totius Ecclesiæ*; vel alicujus *particularis Ecclesiæ*, nationis, civitatis. *Statæ*, universalis Ecclesiæ sunt aut hebdomadales seu *dominicales*; aut *menstruæ*; aut *anniversariæ*; quę postremæ rursum, 1. *Luminares*, (hoc est in die *purificationis Mariæ*, seu *præsentationis Christi* cum benedictione & gestatione cereorum); *Palmares*, (hoc est in Dominicâ palmarum, cum palmarum gestatione, Christi statuæ asino insidentis circumgestatione aut tractione) 3. *Paschales*; 4. *Rogationes* propriè sic dictæ: sunt autem tres dies, qui ante Domini ascensionem sunt post ascendentem Dominicam, id est, die hebdomadis 2. 3. & 4. De modo celebrandi rogationes autenticè agit *Ceremoniale Episcoporum lib.* 2. *cap.* 32. Aliàs Rogationes (laxè acceptâ voce) distingui solent in *majores* & *minores* (quas aliter appellant litaniam majorem & minorem.) *Majores* fuisse quæ festo S. Marci seu VII. Kal. Maji affixæ sunt: dicuntur etiam *septiformes*, & nigræ. Vide *Gavantum tom.* 1. *pag.* 275. & *Zvvarez tom.* 1. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 9. *pag.* 164. *Minores*, sunt rogationum illud triduum modo dictum. 5. *Theophoricæ* (ita mihi appellare liceat), hoc est, quæ habentur in festo corporis Christi: quibus postremis Græcos carere fatetur, & docet *Gretserus lib.* 2. *cap. ult. pag.* 258. Porro de quinque istis anniversariis, earumque origine, antiquitatibus, formalitatibus, mysteriis, & rationibus plenè supra omnes alios pertractat *Serrarius toto libro*. 2. Apologiam verò contra objectiones & exceptiones nostrorum, præsertim palmarum, rogationum, in festo corporis Christi molitur *Gretserus lib.* 1. *cap.* 8. 18. 19. ut & indictarum in exceptione & translatione reliquiarum, in deductione mortuorum, in positis fundamentis Templi, in exceptione & salutatione Pontificum, Episcoporum, Principum, Legatorum, *cap.* 12. 13. 15. III. *Processiones* particularis Ecclesiæ dividuntur, vel ratione instituentium, vel ratione temporis, & causæ impulsivæ. *Illo* respectu dicuntur aliæ *Episcopales*, ac pastorales; aliæ *Regiæ* aut Principales, dum scilicet Principes ac Reges volunt à Pastoribus eas imperari,

perari. Sic *Serrarius lib.* 1. *cap.* 2. §. 2. Rursum *particularis* Ecclesiæ processiones ratione causę impulsivę, & temporis dividuntur in *occasionatas* seu *indictas*, propter causas & fines jam memoratos: & in *statas*; easque magis universales, quales sunt *anniversariæ Encæniales*, nusquam non celebrari solitę, ubi templa, aut sacella (*Encænia* infrà in *Disp. de Festis* attingimus, eademque ex professo examinamus in *Politiâ Ecclesiasticâ part.* 1.): *vel* magis particulares, quales ex. gr. 1. olim *Harlemenses* Kal. Januariis (de quibus *Hadrianus Iunius in Batavia*) 2. *Hallenses* primâ Dominicâ Septembris (de quibus *Lipsius in Divâ Hallensi*) 3. *Leodienses* in translatione S. Lamberti. 4. *Bruxellenses*, Dominicâ ante 3. Julii in honorem hostiæ pugionibus transfixæ ann. 1369. de quibus *Molanus in Indiculo Sanctorum Belgicorum.* 5. *Lovanienses*, Kal. Septembr. de quibus *Lipsius in Lovanio lib.* 1. *cap.* 5. 6. *Colonienses*, feriâ sextâ post *Quasimodo*: quas prolixè describit & pro viribus tuetur *Matheneſius tract. peculiari supra cit.* 7. *Lusitanicæ* Dominicâ tertiâ Junii, & 8. *Hispanicæ* Kal. Maji in honorem SS. Angelorum. Adde *Spirenses*, *Herbipolenses*, *&c.* & Græcas pæne quotidianas, apud *Serrarium lib.* 2. *cap.* 10. Nec prætereundæ processiones *particularissimæ*, quæ Canonicorum, aut Regularium Ecclesiis tantum observatæ, aut uni alicui sive parochiali, sive sacello, sive viciniæ, sive fraternitati in Civitate. Inter eas notandæ, quas Moguntiæ vocant *jejuniorum bannitorum*; de quibus *Serrarius in Moguntiâ suâ lib.* 1. *cap.* 33. IV. Ratione *temporis* 1. alię diurnę, aliæ nocturnæ; posterioris generis sunt in nocte resurrectionis Dominicæ. 2. Aliæ fixę ac statutæ, alię adventitię & indictæ (quam divisionem jam attigimus, sed alio respectu.) 3. Fixæ rursum *vel* anniversariæ, *vel* menstruæ, (quales in quibusdam Sodalitatibus B. Virginis apud Dominicanos, teste *Serrario lib.* 1. *cap.* 2. §. 4.) *vel* hebdomadicæ, de quibus *Durantes in Rationali lib.* 4. *cap.* 6. 8. *Bochellus in Decret. Eccles. Gallic. lib.* 4. *tit.* 13. *cap.* 2. *&* 4. *& cap.* 8. *de Menstruis.* V. Ratione modi & formæ externæ. 1. Alię *rectæ*, quæ rectà tendunt aliquò; alię *obliquæ*; aliæ orbiculares. 2. Orbiculares & obliquæ rursum sunt, vel *ambarvales*, quæ circum agros & arva; vel *amburbales*, quæ circum urbes; vel *ambædiles*, quæ circum ædes sacras. *Serrar. ibid.* Posset & distinctio fieri secundum modum antiquum, qui in fine intermediæ ætatis, & post ἀνάκλησιν Papismi observari cœptus; & secundum ecentem: quorum ille comparari possit ovo, hic pullo. Ille delineatur in *Aviti & Cæsarii sermonibus de Rogationibus tom.* 7. *Biblioth. Patrum*; & in *Tuitensi, Amalario, aliisque* istius commatis *Ritualistis.* VI. Ratione solemnitatis, pompæ, & adjunctorum, aliæ sunt majores; uti ex. gr. Colonienſis theophoria, quam *Matheneſius* describit; & ubique ferè encæniales

les Ecclesiæ Cathedralis, aut Ecclesię Parochialis præcipuæ in Festo Divi tutelaris. In specie autem distinctiones secundum adjuncta istæ notentur. 1. Aliæ cum jejunio, aliæ absque eo. 2. Cum aut absque gestatione reliquiarum, imaginum, venerabilis Sacramenti, facium aut lampadum. 3. Cum aut absque nudipedalibus, saccis, flagris. 4. Cum aut absque adjuncto Missæ sacrificio. 5. Item Concionibus ad populum. 6. Cum aut absque peregrinationibus. 7. Aliæ in Jubilęo, aliæ extra illud. 8. Aliæ in festo aliquo anniversario & universali totius Ecclesiæ (ut, palmarum, corporis Christi, Pascha); alię extra illud. 9. Aliæ tacitæ ac silentes, quando nimirum taciti orant singuli; alię vocales, dum hymni & orationes cantantur, aut certè contentâ clarâque voce recitantur. 10. Aliæ tristes ac lugubres; aliæ lętæ, festæque. VII. Ratione oppositi seu contrariæ corruptionis: aliæ vivunt etiamnum aut in viridi sunt observantiâ, aliæ calido & humido radicali absumto sponte mortuæ sunt, aut sublatæ, aut rationaliter abrogatæ. *Primarum* exempla sunt *Romanæ* olim celebratæ die annuntiationis Domini, nativitatis, dormitionis. S. genetricis, &c. & Hispanicæ, Gallicę nonnullæ, &c. de quibus *Serrarius lib. 2. cap. ult. Secundarum*, Harlemenses, immo & Hollandicę, Anglicę, Scoticæ, &c. *Tertiarum*, processiones Kal. Januarii, de quarum antiquâ celebratione & novâ abrogatione *Serrarius lib. 2. cap. 1.* VIII. Denique dividuntur in species non tantum specialissimas, seu potius imperfectas & locales juxtâ topographiam nationum, provinciarum, & theatrum Urbium; sed & individuas seu singulares; quales Augustana celebrata tempore Caroli V. anno 1530. quam describunt *Matheneśius discursu 6.* & splendidissima illa anni 1606. ibidem celebrata, cujus descriptio apud *Gretserum lib. 1. cap. 16.* Et Colonienśis theophoriæ ac palmarum, quam describit & defendit *Matheneśius discursu 3.* ubi advocat Hierosolymitanas Franciscanorum; ut reformatos aversarios processionum Papalium ipsis Turcis Turciores faciat. Confer & *Gretserum* processiones Græcorum, quos aliàs Schismaticos appellant, in subsidium advocantem *lib. 1. 17.* & *Serrarium lib. 2. cap. ult.* IX. Ratione Sanctorum, in quorum honorem & cultum propriè instituuntur. Ita ex. gr. dicuntur supplicationes Marianæ, quas describit *Augustinus VVichmans in Brabantiâ Marianâ pag.* 110. 111. 112. X. Appendicis loco sit divisio in processionem ipsius Festi, & processionem octavæ ejusdem Festi (Quid & quotuplex sit octava infra dicemus *Disp. de Festis*) qualis e. gr. in octavâ Festi corporis Christi, *quæ non tam solennis, & longa via, ut prima, sed vel per Ecclesiam, vel parum circa extra eam fieri debet:* uti sancit Cærimoniale Episcoporum lib. 2. cap. 33. Hæc ita in primâ hujus Disput. editione. Postea

nactus

nactus sum *tract. de Processionibus Iac. Eueillon* Canonici Andegavensis anno 1641. editum; in quo video non tantum apparatum processionum in genere, sed & in specie solenniores & prȩcipuas totius anni describi, ut & vespertinam in Festo assumtionis B. Mariæ, pro rege & regno; adhæc menstruas, triduanas, Novendiales, ambarvales. Lector istarum rerum curiosus Autorem hunc adeat.

Atque hactenus descriptio processionum: sequitur pars elenctica. Principalis controversia est, an in cultu Dei seu Religione, sint licitæ, utiles ad gloriam Dei, & salutem hominum. *Affl.* Pontificii, & post *Rationarium Durantem loc. cit.*, eas probare ac mordicus tueri conantur *Iohannes Steph. Durantus, Gretserus, Serrarius.* Nos *Neg.* ducti his argumentis. 1. *Quia* est superstitio & εἰδωλοθρησκεία. 1. *Quod* sanctitas, religio, mystica aliqua & salutaris significatio, operatio, & efficacia statuatur in tali ambulatione: quam Deus in verbo suo non significavit; nec spem atque exspectationem ejusmodi efficaciæ imperavit. Hic recurrendum ad axiomata illa *Matth.* 15. 9. *Coloss.* 2. 23. *Ezechiel.* 20. 19. & ad *locum de Superstitione.* 2. *Quod*, conscientia habeatur alicujus loci tanquam sacri, qui sit hujus ambulationis statio, & terminus ad quem. Confer *Disp. de Templis.* 11. *Quia*, litaneutica precatio, quæ forma & anima processionis (uti colligimus ex *Serrario* & *Gretsero*, præeunte ipsis Cærimoniali Episcoporum lib. 2. cap. 32. *per viam cantentur litaniæ, & alia, quæ in libro rituali continentur, & nihil ultra*) est horrenda idololatria: quod infrà in *Disp. de Rosariis, Litaniis, &c.* ex professo probatur. Interim videantur *Nostri de honore Mariæ, de Invocatione Sanctorum, &c.* 111. *Quia* partim hæresin & blasphemiam, partim superstitionem & vanam observationem sapiunt fines & usus, qui processionibus præstituuntur. 1. *Expiatio* scil. peccatorum & placatio iræ divinę: quod competit soli sanguini & plenissimæ satisfactioni Christi. Videantur *Autores nostri de Satisfactionibus humanis, & de Remissione Peccatorum.* 2. Solennis confirmatio veritatis adversus adversarios, de transubstantiatione, & de deitate Christi. 3. Denique sacramentalia & mystica illa supra Thesi 5. ex *Serrario* recensita: quæ nec partes sunt, nec media sacra cultus religiosi. Confer *Disp. nostras de Superstitione & de Benedictionibus.* 1v. *Quia* superstitionem aut idololatriam, hæresin, blasphemiam sapiunt adjuncta & requisita primaria processionum; qualia sunt 1. circumgestatio & adoratio Crucis, & eucharistię. 2. Templa, Altaria, aliaque consecrata. 3. Festa palmarum, corporis Christi, encæniorum, &c. 4. Monachatus & Clericatus hierarchicus in Papatu cum fraternitatibus, aliisque appendicibus. v. *Quia* superstitiosa sunt omnia requisita secundaria, gestatio & cultus scilicet reliquiarum

9

arum & imaginum; item aqua benedicta, faces & lampades, aliaque consecrata; insuper nudipedalia, & flagellationes; denique infantum pupillorum, fatuorum & calamitosorum ab unâ parte ostentatio; ab alterâ parte, vexilla, insignia, comœdię, spectacula, serta, rami, flores, vestium aurique & argenti splendor, ignium exstructiones, scloporum displosiones, circumductio seu tractio asini lignei, equi bayardi, inferni, &c., Musicæ & tympanorum tubarumque strepitus, equestres cursationes, armatarum cohortum processiones: quæ quam piè, tutò, & prudenter actibus religionis seu cultui publico intermisceantur, & quam feliciter devotionem promoveant, non est multis dicendum. Res ipsa, & abusus, seu potius usus eorum in Papatu clamat. Quidquid sit de moderato & magis decoro istorum usu, quęret Deus: *Quis requisivit illa de manibus vestris?* VI. *Quia* jejuniorum, & orationum ratio tota est superstitiosa: quæ alibi ex professo probantur. Ut de multiplici idololatriâ litaniarum, rosariorum, &c. hic non repetam, quod suprà innui: omnes illas preces, sive clarâ voce, sive secretâ murmuratione Deo annumerentur, arguò hypocriticæ ostentationis (ex *Matthæi 6.*) & operis operati seu labialis pseudo-devotionis. Quod si excipiant, esse preces communes & publicas Ecclesiæ ex. gr. Colonienses, Bruxellenses, &c. *Resp.* 1. Non posse dici tales, quia communiter omnes uno spiritu ibi non orant: dum his orantibus, alii desistunt ab orando; his cantantibus, aut Musicam exercentibus, sclopos displodentibus, tubâ aut tympano perstrepentibus, alii orant; his supplicantibus, alii gratias agunt; his hanc formulam precandi, aut hanc partem ejusdem formulæ recitantibus, alii alibi versantur. 2. Non possunt se mutuò & omnes auditores ac spectatores communiter, precatione tali, aut gratiarum actione ædificare, nec possunt eodem spiritu & intelligentiâ ad eam dicere, *Amen*: quod tamen requiritur in publicâ & communi Ecclesiæ precatione, 1. *Corinth.* 14. *vers.* 16. 23. 24. 25. 26. Ratio hæc est, quia eam non audiunt nec intelligunt: aut enim demurmurantur, aut si clarâ voce pronuntientur, loci distantia & longa nimis ac plerumque obliqua series in processione procedentium, & multiplices boatus ac strepitus auditum impediunt: denique lingua ignota impedit intelligentiam, & consequenter attentionem & devotionem. VII. Ratio ipsa, & omnium piorum experientia, nec non Theologorum practicorum regulæ, evidenter persuadent, non posse processionalem hanc supplicationem seu precationem esse validam & intentam: atqui extraordinaria intentio in precando prætenditur esse forma & essentia litaniarum & processionum. Antecedens probatur; quia *tum* composita illa itio, & tota pragmatica processionalis, *tum* multiplices voces

ac

ac soni, sive harmonici, sive simplices, inter se commixti & confusi, *tum* varia spectacula & oculorum exercitamenta, irritamenta, non possunt non distractiones parere, & attentionem ac devotionem excutere aut turbare. Notum est illud Philosophi: *sapimus per quietem.* VIII. Quia est κακοζηλία Ethnica & Judaica, & cum superstitiosis ipsorum ritibus nimis manifesta collusio. Nota hic verba Serrarii lib. 1. cap. 3. §. 18. 19. 20. *Nunc satis est processionum in Vet. & Novo Testamento antiquitatem perspectam esse maximam, quæ & ipsa duobus adhuc argumentis exoticis & profanis confirmari potest. Unum à Judæis est, &c.* Et post: *Alterum à Gentilibus est, &c.* Frustrà autem *Gretserus* & *Matheneſius* Papatum à syncretismo cum Gentilibus hic purgare contendunt, asserendo veritates & cultus aliquos eosdem potuisse esse apud Ethnicos & Christianos, qui tamen ideo nobis non deserendi, quia tum precari, sacrificare &c. esset malum. Reponimus. *Non* esse quæstionem de actu precandi in genere aut abstractè aut materialiter sic considerato, sed de actu precandi sic, hoc est formaliter, in specie, & tali modo. Jam verò tota ratio precandi apud Gentiles fuit mala, & quod ad formam internam, & quod ad modum ac formam externam, nominatim processionalem. 2. *Deinde*, quamvis crassa idololatria à processionibus Papisticis tolleretur, maneret tamen species mali, & idolothyton (Contra 1. *Thessal.* 5. 1. *Corinth.* 8. & 10.) atque adeo superstitio & idololatria quædam indirecta seu interpretativa. Recolant illi *Theologiam Casuistarum* suorum *de Magiâ interpretativâ*, & huc analogicè applicent. IX. Antiqui Christianismi consensum contra novitates hasce Papales, require apud *Chemnitium, Plesseum, Molinæum, Chamierum, Rivetum, Hospinianum*, &c. ubi staurolatriam, artolatriam, Mariolatriam, iconolatriam, aliasque idololatriæ Papisticæ species, ut & opiniones de traditionibus, de ritibus & ceremoniis religiosis, de Festis & Templis ex professo examinant. His enim antiquitatis consensu convictis, damnatæ sunt processiones, quæ ex talibus simplicibus componuntur, Tyronibus indicium & manuductionem instar omnium præstabit hic *Perkinsus in Problemate Catholico.* Confer suprà *Disp. de Idololatriâ, Imaginibus, de Cruce, de Superstitione*, & infrà *de Peregrinationibus, de Rosariis, de Benedictionibus, de Festis, &c.* Et *Politiam Ecclesiastic., de Templis, de Monachis, de Liturgiis, de Ceremoniis.* Quod contra objicitur ex antiquitate, infrà verbulo diluemus. Ex ipsis Pontificiis veritati luculentum testimonium perhibet Polydor. Virgilius de Inventor. lib. 6. cap. 11. *Pagani*, inquit, *in pompâ sacrificali Divorum imagines vel reliquias gestant. Hunc nos ritum pariter observamus, sed haud scio, an tam rectè, quam bellè illud fiat: vereor, inquam, vereor, ne in iis rebus Diis potius Gentium, quam Christo*

non

non gratum faciamus. Et pòst: *Ecquid igitur fiet nobis, si contra præceptum imus: immo fiat quid vis, nos tamen venimus contra, cujus rei ut magis pudeat, &c.* x. Addatur argumentum ad hominem: Hæc pompatica & turbulenta precandi ratio repugnat solitudini, silentio, eremo, angello, monasterio, latibulo, abjectioni, humilitati, quam monachi, incluſi, anachoretæ, omnesque mystici & contemplativi devotionum discipuli pariter & Doctores in Papatu servare & commendare solent. Confer *Disspp. nostras de Devotione, & de Meditatione.* xi. Denique abusus infiniti, & carnales contentiones, quas post se trahit processio, ut & profana illa applicatio ad salutationes & receptiones Magnatum & Principum, aliaque damna emergentia utilitati, quæ prætenditur, in tantum præponderant ut præstaret abrogari quam retineri. Vide varios abusus apud *Bochellum lib. & tit. modo cit.* collige & alios circa præcedentias, & puncta honoris, aliasque atomos Canonicas jurisdictionis aut Imperii circa indictionem & directionem Processionum, apud *Barbosam in collectan. Bullar. aliarumque constit. & decis., in voce Processio.* Quo pertinet *tract. Caramuelis Lobkovvitz*, quo suis Cistercienſibus præcedentiam vindicat contra Canonicos Regulares Augustini, etiam Lateranenses.

10 Restat objectionum & exceptionum nervos ἐν παρόδῳ incidamus. 1. *Object.* Ex Scripturis Vet. Testamenti, ut *Numer.* 10. *Iosuæ* 6. 2. *Samuel.* 6. 1. *Paralip.* 13. & 2. *Paralip.* 20. *Ioel.* 2. *Matth.* 21. & 28. cum Marc. 16. *præcedet vos in Galilæam.* Sic *Ioh. Steph. Durantus.* Non omnia tamen hæc allegant *Serrarius* & *Gretserus. Serrarius* insistit arcæ deductioni, ejusdemque ex sanctuario in castra deportationi, & inde in sanctuarium reductioni. 2. *Sam.* 6. cum 1. *Paralip.* 13. & 15. 2. *Sam.* 11. *vers.* 11. & *cap.* 15. *vers.* 24. 2. *Paralip.* 35. *vers.* 3. Et dedicationi murorum, *Nehem.* 12. 27. & ternis illis itationibus Hierosolymam in magnis festis *Exod.* 23. *Deuter.* 16. *Resp.* 1. Nullibi hic processio, de quâ quæritur, nec definitio processionis ullo colore his applicari potest: est ergo ignoratio elenchi, aut lusus homonymiæ. Abest enim & formale, & requisita primaria ac necessaria (de quibus supra), immo & in multis ipsum materiale, hoc est ambulatio seu itio religiosa, sacra, aut saltem Ecclesiastica monstrari non potest: quę sigillatim actionibus illis vel ipsi tyrones facilè applicabunt. 2. Si quid alicubi fuit sacrum & religiosum, illud fuit aut typicum & ceremoniale pertinens ad umbras Vet. Testamenti, aut saltem ambulatorium illi populo & Ecclesiæ peculiare, quod Ecclesiam Novi Testamenti non obstringit. 11. *Object.* Ex Scripturis Novi Testamenti præcessio Christi in Galilæam, *Matth.* 28. omniaque Christi itinera & peregrinationes in terris cum matre & Josepho non tantum, sed & cum discipu-

cipulis. Sic Serrarius lib. 1. cap. 3. quem tamen conscientia aut humanus pudor coëgit ad hanc epanorthosin: *Quia tamen non ut cerimonia essent illæ profectiones, sed alio aliquo fine bono Iudæam & Galilæam peregrasse, hucque & illuc se contulisse videri queat Dominus noster, per me quidem licet, ut non tam processiones dicantur, quam processionum nostrarum exemplar, cum ad illarum certè similitudinem atque memoriam referantur hæ nostræ. Resp.* 1. Nulla definitio processionis, nulla attributa ejus essentialia hisce Christi actionibus adaptari queunt. 2. Typos in Novo Testamento, nec ex Veteri Testamento cum *Tholosano loco citato*, *pagina* 79. nec ex Novo Testamento cum *Serrario* desumimus sive propriè & strictè ita dictos (hoc enim esset apertè judaizare contra *Colossenses* 2. *vers.* 16.), sive impropriè & laxè, ut sint exemplaria, & nostra eorum sint μιμήσεις & memorię. Quidni enim Christi stationes, accubitus, navigationes, equitationes, cubationes in præsepi, in sinu matris, in lecto, in sepulcro, &c. eodem mimetico & dramatico more à nobis celebrentur? 111. *Object.* Ex consensu, & praxi antiquitatis; quam prætendunt *Gretserus*, *Serrarius*, *Durantus*, *Mathenesius*. *Resp.* 1. Nullam fuisse earum volam, aut vestigium in primâ antiquitate, per tria priora sæcula, fatetur *Mathenesius Discursu* 1. 9. 8. 2. Succedentibus sæculis, usque ad Gregorium Magnum, nullam fuisse processionem Papisticam, constabit ex definitione & essentialibus ejus, quæ sunt Imaginum & Eucharistiæ gestatio atque adoratio, & quidem Litaneutica: quæ ibi non inveniuntur. Est itaque nominis tantum aut externæ speciei quædam communio, non verò ipsiusrei: itaque merus lusus ambigui. Audi Serrarium lib. 1. cap. 3. pag. 11. Quando hisce tamen *Processionis, supplicationis, lites, litaniæque vocibus utuntur Autores, intuendum in circumstantias omnes acriter, an ex iis colligatur hodierna Christianorum cœtuum precabunda itio, reditio, circuitio.* Rectè sane, hoc est, quod facimus, & testimonia antiquitatis malè huc trahi deprehendimus. Jesuita Bayllius videtur idem subodoratus cum processionem defendendam sibi suscipit sub hâc definitione: *Est species precationis publicæ, qua universus populus Christianus pulchro ordine dispositus, auxilium Dei implorat, vel ei pro insigni quodam beneficio à liberali manu accepto gratias agit.* Cateches. part. 2. quæst. 39. cautè sane & meticulosè, quasi nudum calcibus anguem premeret. Ne quidem materiale ejus, itionem & circuitionem apertè ponit, nedum ut formale & essentialia requisita exprimeret. 3. Intermediis sæculis usque ad ἀκμὴν imperii Antichristiani quousque stipulas fundamento inædificare perrexerint, non est nobis hic dicendum, nec de eo multum laboramus. Sufficit destitui eas antiquitatis consensu; & si quæ fuerunt inde à Gregorio Magno

non posse dici formaliter Papisticas, quamvis superstitione non caruerint. IV. *Object.* Ex *Novella* 123. *cap.* 32. quam habet *Matthesius*, & *Cornel. à Ryntelen in Iurista Romano Catholico, cap.* 105. *Resp.* 1. Litanias ibi videmus, hoc est, supplicationes; sed non Papisticas processiones. 2. Cruces videmus, quarum gestationem litaniis adjungebant (non sine περιεργίᾳ & vacuâ observatione), sed non videmus staurolatriam Papisticam.

II Sequuntur Problemata, de quibus inter Pontificios quæritur. 1. An nuda crux, an verò cum velo pendente, seu pallio sit præferenda. *Resp. Aff.* respectu Regularium, ad indicandam subjectionem & inferioritatem respectu Cleri sæcularis. Ita determinavit sacra rituum congregatio anno 1617. apud *Gavantum tom.* 1. *pag.* 65. II. An imago Crucis terga debeat vertere Clero sequenti, quasi Christus præire videatur. *Resp. Aff.* Nisi sit Papa aut Archiepiscopus, quem respicit crux, quasi ex illius aspectu in summâ animarum curâ ii recreentur. Ita *Cerimon. Episc. lib.* 1. *cap.* 15. & 2. *cap.* 16. Vide *Gavantum loc. cit.* III. An ex templo Cathedrali sit inchoanda processio. Vide *Declarationes Cardinalium ad Concil. Trident. pag.* 126. edit. postremę. IV. An ad processionem, quæ vocatur theophoria, debeant accedere exemti. *Ibid. pag.* 548. V. An Monachi & fraternitates censuris ab Episcopo compelli possint, ut intersint. *Ibid. pag.* 550. VI. Quomodo controversię de præcedentiâ sint componendę? *Ibid.* VII. An Episcopus controversias de Processionibus ortas debeat componere. *Ibid. pag.* 548. & *Ceremoniale Episcop. lib.* 2. *cap.* 33. VIII. Quę sint mysteria processionis ante Missam. *Gavant. pag.* 106. *b.* IX. An celebrans cum aliis in processione Sacramenti cantare debeat, an verò secreto dicere. *Ibid. pag.* 249. Plures istius farinæ casus videat, cui vacat, apud *Barbosam in collectaneis Bullarii*, & *in collectaneis Doctorum ad Concil. Trident.* Tędet enim omnes illas nugas huc transcribere. Agmen claudat Problema, quod Theologis Dominicanis & Lovanienſibus solvendum relinquimus.

Cur Iesuitæ nunquam intersint Processionibus? Disq.

CONSILIUM POENITENTIALE.

Quod in hâc Bellicâ calamitate suggerimus Archiepiscopo, civitati & Diœcesi Colonienſi.

I. Ut peccata sua ex animo deplorent, & ab iis se convertant, *Ies.* 1. *vers.* 18. 19.

In iis autem numerent imprimis hæc peccata clamantia.

1. Ido-

1. Idololatriam multiplicem, & Antichristianismi defensionem, omnemque salutaris reformationis (nominatim quę affulsit huic diœcesi sub Archiepiscopis Hermanno à Weda, & Truchsesio) aversionem.
2. Afflictionem afflictis additam, & persecutionem Reformatorum, contrà confirmationem manus impiorum tum apertam in illà urbe & diœcesi, & in Germaniâ jam ab anno 1620. tum occultam in Belgio ab Hispanicâ tyrannide hactenus oppugnato. Cogitent nunc verba *Iesa.* 33. 1. & 10. 12.
3. Prohibitam verbi divini lectionem; quam Archiepiscopus publico diplomate ante paucos annos in diœcesi Leodiensi procuravit.
4. Usurpationem illam, quâ Archiepiscopus contra verbum Dei & Canones Ecclesiasticos antiquos & novos Papales, sibi attribuit potestatem Ecclesiasticam, & ejus prætextu atque abusu grassatur in Ecclesiis: cum tamen ordines Ecclesiasticos non susceperit; & hinc electum ac confirmatum Episcopum se nominet: quasi dicas hominem, qui non sit animal, aut virum gravem, qui non sit homo.

II. Ut seriam, non verò ludicram, theatricam, ceremonialem pœnitentiam agant.

III. Ut confugiant ad unicum illum & fidelem Mediatorem Jesum Christum, quem in hoc diplomate videntur obliti, contenti Mariâ Virgine & Divis suis tutelaribus.

DE PEREGRINATIONIBUS COMPOSTELLANIS:

Resp. BERNARDO OLDENBURGIO, Amisfurtensi.

Ad diem 18. *Iunii*, *Anno* 1636.

De Pontificiis jure dici potest, quod Servator noster Ioh. 4. *de Samaritanis:* Vos adoratis, quod nescitis, &c. *Certâ fide adorant hostiam, & certâ fide divinâ (cui non potest subesse falsum) non credunt hanc illamve hostiam per transubstantiationem ex pane esse nunc ipsum Dominum Iesum: Venerantur reliquias, & nesciunt, an sint genuinæ: Invocant Sanctos, & nesciunt, an omnes verè sint Sancti, an Pontifex in canonizatione eorum non erraverit; & an tales unquam fuerint in rerum naturâ: Subjiciunt se Ecclesiæ & ultima analysis fidei est in Papam (qui Ecclesia ipsis dicitur virtualiter) & nondum*

tamen Romano - Papisticâ fide certum aut definitum est, Papam non posse errare; *Votivas suas peregrinationes ad loca & monumenta quædam instituunt, saltem Laicos suos imprimis ditiores instituere docent, & ipsi tamen Doctores dubitant ac sine fine, sine modo disceptant, an tale quid sit aut fuerit in rerum naturâ, nec Ecclesia quidquam hactenus definit aut controversiam componit inter devotionem laicorum & impugnationem Doctorum, inter credulitatem multorum & incredulitatem aliorum. Sufficit scil. ipsis, si vel cæca & incerta sit devotio, modò certa sit largitio, & irreformabiles Clerici caput unctius inde referant. Hâc saccariâ, hâc turpissimâ animarum nundinatione suos jam à multis annis etiam hâc luce Euangelii ludificant, Deo justè puniente hominum ingratitudinem, qui cùm lux venerit in mundum* dilexerunt tenebras magis, quàm lucem, *Ioh.* 3. *Inter omnes stationes nullato-to orbe Europæo & nostro Belgico celebrior fuerit Compostellanâ, ubi corpus Jacobi celeberrimo totius orbis Christiani officio coli testes sunt* Baron. in suo Martyrol. & Annal. Surius in Vitis Sanctorum, & Nonius in suâ Hispaniâ, cap. 52. *Denique* Clemens VIII. in Breviario reform. pag. 723. *Nulla tamen de cujus fide an fabula acrius variantibus sententiis in Papatu nuper disputatum fuit: Itaque non abs re facturos nos arbitramur, si* 1. *fabulâ illâ explosâ,* 11. *Adhæc Peregrinationibus omnibus in genere profligatis, Papistarum* πίστιν ἄπιστον, *& miseram* δεισιδαιμονίαν *hâc in parte detegamus, atque unà improbitatem ac cauterizatam Doctorum conscientiam, ut, qui decipi nolunt, crimine ab uno noscant omnes.*

1 HISPANI Jacobum filium Zebedæi Deum tutelarem (vulgò *Dios de nuestra tierra*), & religiosum ejus cultum, speciatim peregrinationes ad sepulcrum, religionem Hispanicam, communem Hispanorum causam & gloriam indigetant. Fundamentum autem hujus Religionis suæ statuunt, Jacobi prædicationem in Hispaniâ, & corporis ejus deportationem in Hispaniam, primò Iriam Flaviam, deinde Compostellam in Galliciâ. Habet hanc fabulam plenissimè *Legenda aurea cap.* 93. *Beleth in Rationali divin. offic. cap.* 140. Et *Rerum Hispanicarum Scriptores, Ioh. Vasæus, Ambrosius Morales, Mariana, &c.* Ex parte aut compendiosè eam referunt. *Martyrolog. Usuardi & ibidem Molanus in notis, Martyrol. Romanum & ibid. Baronius in Notis,* qui tamen non obscurè eam explodit. *Laurentius Surius in vitis Sanctorum, & ejus Epitomator Franciscus Haræus Ultrajectinus. Nonius in Hispaniâ cap.* 52. & unde autoritas præsto est, *Durantus in Rationali lib.* 7. *fol.* 226. & *Breviarium Reformat. à Clemente VIII.* 25. *Iulii, pag.* 723. *Missale*

Refor-

Reformatum, pag. . edit. Plantin. in fol. Pro hâc fabulâ pugnant omnes Ordines, omnes Conventus, omnes Doctores in Hiſpaniâ. Exſtat *Antonii Caraccioli tract. de Iacobi in Hiſpaniam acceſſu in* 4. Colon. 1619. *Ferdinandi Velaſquii Conneſtabuli Caſtiliæ de adventu Iacobi in Hiſpaniam*, quem Erycius Puteanus ex Linguâ vernaculâ in Latinam convertit, & in 8. edidit.: *Iohan. Marianæ Opuſculum de D. Iacobo*; & prolixius *Scriptum Bartholomæi Laurentii*; & luculentus *Liber Franciſci de Ieſu* Carmelitæ; & Jeſuitæ *Gaſparis Sanctii Centumputeolani Diſputatio de Prædicatione S. Iacobi in Hiſpaniâ*, quæ cum *Commentar. ipſius in Acta Apoſtolorum* edita eſt, Anno 1616. *Zvvarez de Religione lib. 2. cap. 9. 10. Azorius.*

Hiſtoriæ ſeu fabulæ iſtius partes autenticę & neceſſariæ ſunt illis duæ 2
potiſſimum, pro quarum probatione laborant. *Prior eſt*, Partitione ab Apoſtolis factâ ſtatim poſt aſcenſionem Domini, Jacobo obtigiſſe Hiſpaniam, eumque eò profectum, ibi primum prædicaſſe Euangelium per annos aliquot, regnante ſcil. Reginâ Lupâ in parte aliquâ Hiſpaniæ. Inde eum reverſum Hieroſolymam & ab Herode ſupplicio affectum. *Poſterior eſt*, à Magis aliquot Hieroſolymitanis nunc converſis, aliiſque tribus Jacobi diſcipulis navi impoſitum, qui cum ſine rectore mari ſe commiſiſſent, ut eis divina providentia locum ſepulturæ tribueret, ad regnum Lupæ tandem appulerunt, cui & corpus illud nomine Jeſu Chriſti obtulerunt, ut quem recuſaſſet vivum, ſaltem mortuum reciperet. Quod illa poſt conjectos in carcerem diſcipulos, & inde per Angelum eductos, corpus etiam per indomitos boves ad grande ſaxum, quod ſe corpori aptabat &c. & tandem ad medium palatii Reginę delatum, ſepulcro mandavit, palatio ſuo in Eccleſiam dedicato. *Priorem partem* probant, I. ex conſtanti famâ & traditione, hoc eſt, hiſtoriâ non ſcriptâ, ſed conſtanti ſermone ad poſteros deductâ, ut loquitur *Sanct. Diſput. cit. tract. 2. cap. 1.* Quam tamen *Clemens VIII. in Breviar. Reformat.* tenuiter ſatis Eccleſiarum iſtius Provinciæ traditionem appellat. Et ſic Bulla officii Compoſtellani, quam ex Sixto Senenſi adducit Sanctius pag. 5. *Quem Hiſpania ſua ad Chriſtum ab idolorum impio cultu converſionis magiſtrum prædicat.* II. Ex teſtimoniis Sanctorum & illuſtrium Virorum, 1. *Hippolyti Martyris*, cujus *Librum de duodecim Apoſtolis*, quamvis hodie non exſtet, citant *Cedrenus in Compendio Hiſtor. in Nerva*, & Jeſuita *Turrianus in Annot. in conſtitut. Apoſtolor. lib. 2. cap. 27.* & *Baronius in notis ad Martyrolog. ad 1. Maji.* & *22. Martii.* 2. *Hieronymi in Ieſai. 34.* ubi tamen Jacobi nomen nuſquam comparet. 3. *Iſodori in lib. de Vita Sanctorum, cap. 73.* 4. *Iuliani Toletani, lib. in Nahum* edito à Jeſuitâ *Caniſio tom. 2. Auctarii Bibliothecæ Patrum.* 5. *Dextri in Hiſtoriâ* nuper inventâ in Bibliothecâ Fuldenſi.

6. *Bedæ in Collectaneis ex Isidoro de Vitâ & morte Sanctorum.* 7. *Adonis in Martyrolog.* 8. *Turpini* Archiepiscopi Rhemensis *in Lib. de Gestis Caroli Magni.* 9. *Anastasii Antiocheni, Lib.* ex Arabico in Latinum conversо, quem Romæ vidisse se dicunt *Iosephus Stephanus* postea Episcopus Oriolanus, & *Bartholomæus Laurentius* Canonicus Cæsarauguſtanus III. Ex *publicis Pontificum & Divinorum officiorum Testimoniis*, ubi 1. est *Papa Calistus II. lib. de miraculis & translatione Iacobi.* 2. *Innocentius II.* qui librum illum Calixti approbat. 3. *Pius V.* & *Clemens VIII.* qui *Breviario reformato* inseruerunt. 4. *Sixtus V.* qui officium Compostellanum (in quo hujus rei mentio) comprobavit. 5. *Officium Gothicum seu Mozarabicum*, quod nemo non Isidoro adscribit, quodque in Hispaniâ, etiam Toleti certis in locis adhuc recitari permittitur. 6. *Propria Breviaria*, ut *Dominicanum, Carmelitanum, Compostellanum.* IV. Ex templo illo tot miraculis & scriptis celebrato, quod Jacobus Mariæ Virgini Cæsarauguſtæ ædificavit, de quo *Sanctius tr. 2. cap. 8.* & *Nonius in Hispaniâ cap. 82.* V. Ex laminis plumbeis Granatensibus, nuper inventis, in quibus antiquis & valde obscuris literis scriptum erat, latere in sacri montis cavernis corpora quorundam Sanctorum igni combusta, quos Jacobi discipulos fuisse affirmant. *Posteriorem partem* probant, ex Historiâ non scriptâ, hoc est, ex constanti sermone in Hispaniâ, & consuetâ devotione visitandi sepulcrum Jacobi, ex revelatione seu somnio & hinc testimonio Regis Ramiri, anno 846.

3 Adversus testes & testimonia illa partim frigidè admodum à *Molano*, partim calidè & seriò à *Sanctio* producta non est, quod multis excipiam, talia enim detegere est refutare, nec capit omnia thesium angustia. Itaque vivæ disceptationi reservamus. Interim notet Lector aliâ in causâ, cum ita usu venit, testibus, testimoniis, & probationibus istius farinæ nullo modo teneri velle Proteos Pontificios; ne quidem hâc eâdem in causâ, ut constat ex operosis *Sanctii digladiationibus.* Larvatus Isidorus multorum mendaciorum accusatur à *Baronio in notis ad Martyrolog. ad 25. Iulii. Callisti lib. de miraculis Iacobi* aliqua addita & admissa esse notat *ibid.* &c.

4 Sed rationibus nunc fabulam hanc contundamus. *Prima sit*, quod nusquam tantæ rei *Acta Apostolorum* meminerint, cùm tamen Historiam ultra mortem Jacobi produxerint. Illic certè occasio erat tam diuturna, tamque celebris in Hispaniâ prædicationis mortem ejus antegressæ, ad hæc tam miraculosæ sepulturæ mentionem aliquam injiciendi. *Secundò*, quia non convenit cum sacris literis, quę referunt Paulo ministerium inter gentes fuisse commissum, non verò Jacobo, *Galat. 2.* atque adeò omnia à Paulo impleta esse Euangelio Christi usque ad Illyricum, ubi scil.

Chri-

Christus non erat nominatus *Rom.* 15. (Vide *Commentaria Patrum & Recentiorum ad locum cit.*) Et Jacobum Hierosolymis capite truncatum *Actor.* 12. Quomodo ergò Jacobus primus Hispanos ad Christum convertit? Nube testium tam ex Patribus, quam ex suis, de prædicatione in Hispaniâ, obrutus *Sanctius*, frustrà effugium quærit in conjecturâ suâ, utrumque ibi prædicâsse, sed diversis in locis *tract.* 3. *cap.* 4. *Tertiò*, quia nusquam in *Ecclesiasticis Antiquitatibus* de prædicatione & sepulturâ Jacobi quidquam exstat: nihil in *Actis Conciliorum*, nihil in *Commentariis Patrum ad Actor.* 12. *aut alibi.* nihil in *Græcis Latinisque Doctoribus*, nihil in *Antiquitatibus Ecclesiæ Hispanicæ*, nihil in antiquâ istius Ecclesiæ praxi & religione, nihil in *Scriptoribus & Historicis Ecclesiasticis*, à quibus fidei propagationem & Ecclesiarum omnium Apostolicarum plantationem ac successionem accuratè consignatam crepant adversarii (vide *Desper. caus. Papat. lib.* 3. *sect.* 1. *cap.* 2. *&* 7. *&* 8.) Quod fateri coactus *Sanctius* & conquestus de deperditis monumentis ac scriptis Ecclesiasticis *tr.* 2. *cap.* 5. confugit ad latentem religionem Hispanicam, analysi fidei Hispanicæ tandem factâ *in auream* hanc, quam refert, *legendam*: Latuisse corpus Jacobi usque ad annum 798., & cœlesti indicio demum detectum Theodorico Iriensi Episcopo regnante Alphonso Casto; tum primum pro Patrono cœpisse haberi Jacobum; devotionem illam postmodum auctam anno 848. cum Ramirus Rex interceſſione Jacobi victoriâ contra Barbaros potitus esset: ex illo tempore Jacobum in prœliis invocatum. *tract.* 2. *cap.* 6. *Quartò*, Ex consensu *Patrum* & *Scriptorum Ecclesiasticorum*, si qui Jacobi meminerunt, nihil aliud constat, quam Jacobum martyrio coronatum ante factam Apostolorum divisionem; quam rationem etiam habet *Baronius in notis ad Martyrolog. In Annalibus* addit, ex antiquitatis promptuariis constare à Petro & Paulo Hispanos accepisse Euangelium. *Quintò*, Quia repugnat omni experientiæ & historiæ, pars illa fabulę istius non minima de Reginâ Lupâ. Si Hispania erat Romanorum Provincia, quæ, qualis quanta illa Regina Lupa? *Sextò*, Quia fabulæ hujus testes non sunt testabiles multis de causis; Nos duas nunc tantum adferemus, quæ in *controversiâ Historicâ de Papissâ Iohanna* prora & puppis sunt Pontificiis. *Prior* est, quod omnes tot sæculis remoti sint ab Apostolico. *Posterior*, quod inter se minimè conveniunt, aut in tempore divisionis Apostolorum & discessionis è Iudæâ in Provincias suas *Sanctius tract.* 1. *cap.* 6. *A Lapide in Actor.* 12. *pag.* 210. 211. aut in ædificatione templi Cæsarauguſtani, *tract.* 3. *cap.* 8. *&* 12.; aut in septem Episcopis à Jacobo ordinatis *tract.* 3. *cap.* 6. aut in fructu prædicationis Jacobi, *tract.* 3. *cap.* 5. aut in sepulturâ, *tract.* 3. *cap.* 14. Certè *Ioh. Beleth* Doctor Parisi-

Parisiensis ante annos 480. (ad quem etiam provocat *Sanctius tract. 2. cap. 11.*) *in Rationali* edito & tantopere laudato Antwerp. 1559. à Cornelio Laurimanno Ultrajectino, testatur unum tantum in Hispaniâ conversum, atque adeò re infectâ Jacobum inde discessisse. Quomodo ergò est Apostolus & fundator Ecclesiæ Hispanicæ? Præterea *Pseudo-Isidorus* ait, Jacobum sepultum in *Marmarica*. Ubi ergo religio Compostellana? Videat, cui vacat, Jesuitam *Sanctium* ex Scholastico-Theologo repente mirabilem criticum factum, sudantem atque æstuantem, ut Isidorum suum cum religione Hispanicâ conciliet, quam tamen funditus suâ illâ *Marmaricâ* subvertit.

5 Addamus nunc argumenta quædam *ad hominem*, ut vocant; ut videat æquus Lector Cadmæos fratres inter se commissos, & religionem Hispanico Romano-Papisticam, ab ipsis Romano-Papistis egregiè explosam, quam per ferrum per ignes nostris obtrusam volunt. Ex recentioribus multos esse, qui religionem & causam Hispanicam, pro monstro habeant, (ut loquitur *Baronius in notis ad Martyrolog.*) atque adeò inter fabulas deputent, ex solo *Sanctio* constare poterit. Inter alios celebres sunt Cardinalis *Baronius in notis ad martyrolog. Romanum* 25. *Iulii*, & apertius *in annalibus Ecclesiasticis ad ann.* 816. *n.* 49. 50. qui pluribus argumentis partim Ecclesiasticis, partim Romano-Papisticis, Compostellanum Palladium contundit: fictum *Callistum*, fabulosum *Turpinum*, aliosque testes submovet. Alter est, *Simon Boschus*, qui fabulam illam inter alia convincit *antiquissimâ quâdam Anonymi Historiâ* inventâ nuper in Monasterio Floriacensi ordinis Benedictini, & ab ipso editâ *cum Præfatione*; cum quo vide & ride luctantem *Sanctium tract.* 3. 19. Accedat tertius, *Erasmus Roterodamus*, quamvis nunc quasi Ostraciſmo Jesuitico à novis illis tribulibus an tribunis plebis è Republicâ Romanâ ejectus, olim tamen dilectus filius salutatus à Leone X. Clemente VII. Adriano VI. qui *in Colloquio, peregrinatio Religionis ergo*, hunc divum Compostellanum cum conchis imbricatis, seu imbricato putamine satis scoptice exagitat. Adferunt etiam Antagonistæ Hispanici, & inter eos primipilus *Baronius an.* 816. *n.* 51. *testimonia Pontificum Gregorii VII. an.* 1074. (quem *Epitomator Baronii Spondanus ad ann.* 44. §. 3. *indubitatè* hoc *asserere* ait) *Innocentii III. in Dist.* 12. *cap. quis nesciat* qui Monarchiam suam Papalem in Hispanicas Ecclesias hoc Achille sibi vindicant, quod B. Petrus septem Episcopos ordinarit per quos Hispaniam converterit. Idem testari *Kalendar. Romanum ad* 15. *Maji* & plura *Martyrologia*, fatetur *Sanctius tract.* 3. *cap.* 1. & 2. 6. qui in quascunque formas se vertat, nullam vel speciem responsi moliri potest. *Baronius* certè maluit cum religionis Hispanicæ jacturâ Romanæ

causæ

causæ hanc lucem fœnerari, quam Pontificem suum isto tibicine destituere. Nec minimi momenti est, quod Hispanis Hispanos objiciunt. Laudat *Baronius* & quidem meritò testimonium *Roderici Archiepisc. Toletani* celeberrimi *antiquitatum Hispanicarum Scriptoris*. Quidquid fingit *Sanctius*, colorem nullum dicit *tract. 2. cap. 3.* Objicit idem *Baronius ex libro M. S. Ecclesiæ Toletanæ*, Rodericum Ximenium Archiepiscopum Toletanum præsente & obmutescente, atque adeò in causâ illâ succumbente Episcopo Compostellano (qui hoc nomine de primatu cum Toletano contendit), in Concilio Lateranensi præsidente Innocentio III., prædicationem Jacobi in Hispaniâ refutâsse. Addimus nos ab *Abdia Babylonico lib. 4. certam. Apostol.* & à *Ioachimo Perionio*, qui illum sequitur in *libr. de gestis vitisque Apostolorum*, nullam hujus fabulæ mentionem fieri. Magnâ tamen cum pompâ & fiduciâ larvatum hunc Abdiam edidit Wolfgangus Lazius Medicus & Historiographus Cæsareus, & post illum Ioh. Faber Theologus Sorbonicus, quem etiam pro Papismo suo advocant *Hartungus art 1. resp. adprovocat. Iuelli, Gregor. de Valentia de Missæ Sacrificio lib. 1. cap. 4. Lindanus panopli lib. 4. cap. 48. Bellarmin. lib. 2. de Monach. cap. 27.* Immo quem *Faber annot. margin. in l. 1. & 2.* & *Lazius in præfat.* Lucę Euangelistæ actis Apostolicis in nonnullis præferunt: & *Perionius lib. cit.* legendam suam de Jacobo ex illo repetens, Lucam accusat, quod rei ordinem non secutus fuit. Et hæc quidem contra Jacobum Compostellanum. Ab alterâ parte confidenter pro eo contendit *Fr. Bivarius Mantuæ-Carpetanus* ex observantiâ S. Bernardi Cistercienſis *in Commentar. Apodictico ad Chronicon L. Flavii Dextri*; quem Autorem post primam hujus Disp. editionem demum nactus sum. Edidit autem hunc Commentar. anno 1627. in fol. ubi *ad annum* 36. inserit digressionem de adventu Jacobi in Hispaniam *pag.* 51. & *seqq.*, & quamplurimis laciniis hanc historiam seu fabulam onerat. Indicat etiam Scriptores apologeticos pro eâ, mihi hactenus non visos, *Ioh. de Salazar*, *Maurum de Castella*, *Bertrandum de Guevara*, *Franciscum de Iesu*: addit Assertores adventus Jacobi numerari à *Ioh. de Salazar* 110. à *Francisco de Iesu* 148.; quorum aliquos ibidem citat. Quam testabiles sint ejusmodi testes, non dico nobis, sed ipsis Pontificiis, facile inde constat, quod eos rejiciunt, quando à nobis producuntur, ex. gr. *Martinus Polonus*, *Philippus Bergomas*, *Hermannus Schedel*, &c. in quæstione historicâ *de Papissa Iohanna*. *Iacobus de Voragine* autor *legendæ aureæ*, homo ferrei oris & plumbei cordis pronuntiatur: de quo, aliisque Historicis pluribus agimus in *Desper. causa Papatus*. *De Lyra*, *Vincentio Bellovacensi*, *Comptipratano*, *&c.* vide judicium *Possevini in Apparatu*. Recentissimi *Genebrardus*, *Pamelius*, *Bozius*,

zius, Canisius, Galesinus, Maurolycus, Mart. Delrio, &c. nullo apud nos sunt numero; hâc saltem in parte; nec etiam apud ipsos Pontificios, cum ita usu venit. Si enim Baronius rejicitur ab Hispanis, quidni vicissim à Baronii admiratoribus, rejiciantur *Genebrardus, Delrio, Petrus Canisius, &c.* De *Lucii Dextri Chronico*, non esse illud suppositium aut ab alio interpolatum, *Bivarius in Prolegomenis* operosè contendit. Ut compendio utantur Studiosi nostri, infinitos pæne fautores & testes Compostellanos, ut & monumenta antiquitatis, quæ à *Bivario & Scriptoribus ibidem citatis* cumulantur, difflent modo unâ ex tribus exceptionibus *Bivarii*, quas tribus præcipuis (ut loquitur) objectionibus opponit. *Primò* potest excipi per distinctionem conjecturalem, sine Historiâ, sine membrorum probatione. Quomodo ille excipit contra objectum martyrium Jacobi, quod præcessit divisionem Apostolorum: distinguit inter sortitionem Provinciarum inter Apostolos, & inter divisionem eorundem ab invicem. *Secundò*, ad testimonium cujusvis sive antiqui, sive Papistici Historici aut Theologi excipi potest; quod Historiam ignoraverit. Sic Bivarius excipit adversus Papam Innocentium: *Innocentio*, inquit; *nihil derogaret, etiamsi diceremus, sic ex ignoratione Historiæ locutum. Tertiò*, contra varios libros χθὲς καὶ πρώην ex nescio quibus quisquiliis & tenebris erutos (uti fertur) si non in tenebris fabricatos, excipere licet, quod *Bivarius ibid. pag.* 53. contra disceptationem inter Archiepiscopos Toletanum & Compostellanum, quorum ille dicebat, prædicationem Jacobi in Hispaniâ esse *vetularum piam fabellam* (uti refert Bivarius pag. 52.): *Manifestum est codices illos è Bibliothecâ S. Ecclesiæ Toletanæ nuper cum Conciliis Gothis in lucem editos à Loeysa, suppositos esse: quandoquidem mendaciis multis referti sunt.* Ἐν παρόδῳ notamus confidentiam *Bivarii*, quâ *pag.* 52. argumento à fundatione Ecclesiæ de columnâ (seu pilari) Cæsaraugustanâ desumto irrefragabiliter intentum convinci ait, quanquam reliqua omnia argumenta deficerent. Scil. in ligna, lapides, laminas, rudera, nummos, ultimò resolvetur fides. Quę & quanta eorum incertitudo, alibi ostendimus. Vide interim *Antonii Augustini Dial. XI.* & *Pignorium in Epistolis, Epist.* 24. *Zuvarez tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *cap.* 9. §. 15. fatetur nullam hic haberi Historiam, sed fundamentum hujus fidei & religionis Hispanicæ quærendum in solâ traditione & publicâ famâ Hispaniæ: *quam traditionem Deus* (uti loquitur) *non permisit excidere, nec oblivione tradi, nec in angulo concludi, sed ab universis Ecclesiis Hispaniæ retineri. Quis ergo audebit huic traditioni contradicere, aut quomodo aliæ Ecclesiasticæ traditiones inconcussæ conservari poterunt, si huic fides non adhibeatur.* Observa hic Cadmæam horum Doctorum concordiam. Et distinctionem traditionis, quæ

sit

sit fidei & religionis principium, in universalem Ecclesiæ Romanæ, & in particularem Hispaniæ. Reliqui promachi Compostellani à *Bivario* indicati Historicorum & testium nubem obtendunt. *Spondanus* Epitomator Baronii *in Additione ad annum* 44. *§.* 4. moderationem aliquam præ se ferre videtur; territus, ni fallor, infortunio Baronii, *adversus quem* (ut ibid. loquitur) *consurrexit universa Hispania pro suarum Ecclesiarum traditione, multis eâ de re à quocunque hominum genere editis scriptis: quæ si vidisset Baronius, etiamsi non id necessariò evincant* (N. B.) *quod volunt, sunt tamen ejusmodi, ut eum potuerint sententiâ continere. Ibidem* post mirabile consilium Casuisticum, tacitè obscurat translationem corporis Jacobi ad Ecclesiam Compostellanam, referendo Tholosam de corporis Jacobi aut saltem ejusdem partis possessione gloriari.

Concludimus ergo totam illam religionem seu insaniam Hispanicam, 6
quam mundus aliquot sæculis insaniit, peregrinationes scil. Compostellanas, invocationem Jacobi tanquam Hispaniæ Apostoli & Patroni, ordinem militarem in Jacobi honorem institutum sub Alphonso IX. anno 1158. & quod Jacobo debeat Hispania, quod huc usque in orthodoxâ fide perstiterit, (buccinante hæc omnia *Corn. à Lapide in Actor.* 12.), evectionem denique sedis Compostellanæ, de quâ *Baronius anno* 116. *n.* 48. nec esse de fide divinâ, nec de fide historicâ humanâ, immo ne quidem de fide Romano-Papisticâ. Fidem divinam & Romano-Papisticam, ne ipsi quidem Hispani contra *gloriæ Hispanicæ æmulos* (ut loquitur *Sanctius*) sibi asserunt tantum humanâ fide contenti, sic enim *Sanctius tract.* 2. *cap.* 1. *humanâ fide.* Principium autem humanæ istius fidei faciunt, *famam constantem, Bozius de signis Ecclesiæ lib.* 4. *cap.* 1. *soluta quotannis vota, Sanctius tract.* 2. *cap.* 9., hoc est, consuetudinem & praxin populi Hispanici. Nunc judicet Lector, an non in solemnem hanc & publicam religionem Papatus competat illud Rom. 14. *Quidquid ex fide non est peccatum est:* & an causa fuerit conquerendi de ἑθελοθρησκείαις & zizaniis religioni Christianæ admixtis, atque adeò reformationem postulandi. Nihilominus altius pro hâc fide & religione Hispanicâ contendit *Bivarius ibid. pag.* 59. cum pro parte non minimâ hujus dramatis seu mythologiæ, (ædificatione scil. Ecclesiæ de columnâ per Jacobum factâ) & pro summâ totius fabulæ de prædicatione Jacobi in Hispaniâ adducit. Et probat *Isellam in lib.* „ *Regulæ militiæ S. Iacobi cap.* 3. ita loquentem: Particularmente en el „ Reyno de Arragon lo tenemos por poco menos cierto, que articulo de „ Fe, que vinno Santiago personalmente a predicar en esta Provincia, y „ Regno: y que edifico la Iglesia de nuestra Sennora del Pilar. Habeo formulam testimonii peregrinantibus Compostellanis impartiri solitam

sub sigillo Archiepiscopi, in quâ hęc verba comparent: *In quâ (Ecclesiâ Compostellanâ) indubitanter requiescit venerandum sanctissimum que corpus S. Apostoli Iacobi Zebedæi, totum integrum sub Altari majori. Consectar.* Techna est Romano-Papistica, ex fictione juris & malè consutâ probatione, homines ad facta inducere, sibique possessionem utilis seu culinariæ superstitionis parare: quâ satis obtentâ & præscriptâ infelicem probationem & stolidam juris prætensionem abjiciunt, & in solâ consuetudine ac possessione jus suum fundant. Exemplum nuper ostendimus in *Donatione Constantini:* de quâ in *Selectar. Disp. part.* 2. Alterum hic nobis suggerit *Baronius*, qui post confutatam fabulam de Jacobi prædicatione in Hispaniâ concludit n. 53. *Vt planè minimum sit probare scriptis, quæ tot gratiarum acceptarum (miraculorum scil. ad sepulcrum Iacobi) jugiter voces insonant.*

7 Sed dato non concesso, Jacobum prædicâsse in Hispaniâ, ibique sepultum, ut *Christophorus à Castro in Historia Deiparæ, A Lapide in Actor.* 12. *Sanctius, Mariana, aliique* contendunt; nulla tamen ratio est votivas & religiosas peregrinationes instituendi, quia & veritati Scripturarum repugnant, & antiquitate destituuntur. Scripturis eas repugnare probamus. *Primò*, quia Deus auxilium suum, gratiam suam, dona sua, atque adeò fidem, preces, & vota nostra nulli loco alligavit: (quod eleganter amplificat *Nyssenus*) & repugnat hoc imprimis universali gratiæ & statui Ecclesiæ sub N. Test. item veræ fidei ac spei, de quo illustre est testimonium *Iohann.* 4. *vers.* 21, 23. 24. cum 1. *Timoth.* 2. *vers.* 1. 2. *Secundò*, quia vota Sanctis nuncupanda, religiosus cultus Reliquiarum & Sanctorum, visitatio mortuorum seu sepulcrorum, Papistica miraculorum postulatio, prætensa patratio, & jactatio, humanæ denique satisfactiones & merita quibus innituntur peregrinationes, omnia sunt à malo. *Tertiò*, quia nullum earum præceptum, nullum exemplum in sacris Literis: quam rationem primo loco urget *Gregorius Nyssenus in sua Epistola. Quartò*, quia vera pietas & devotio vagando & peregrinando excutitur potius quam excitatur. *Quintò*, quia indecora, minus tuta, periculi plena, peccatis & corruptelis multis exposita est vita erronea, imprimis si adolescentes, si virgines, si fœminæ quæcunque eam suscipiant. Habet & hanc rationem *Nyssenus. Sextò*, sequeretur hoc absurdum, primos Christianos Apostolorum discipulos à Papistis devotione superari; illi enim quamvis partim vicini Judeæ, partim habitantes in ipsâ Judæâ Christi sepulcrum, aut Sanctorum reliquias nunquam leguntur visitasse. Addimus argumenta ista ad hominem. *Primò*, quia remedia adversus omnia animi corporisque mala domi suppetunt Papistis in praxi pœnitentiali, Missis, rebus benedictis & consecratis, imaginibus, crucibus, aliisque sacramentalibus, ad

hæc

hæc in Monachorum & monialium meritis ac satisfactionibus supererogatoriis: ergo non est quod longinquas illas peregrinationes suscipiant, & Compostellam aut Romam tantis sumptibus nummos suos deferant. Quærant ex domesticis suis istarum mercium institoribus, & discent in officinis ipsorum ea non desiderari, quæ foris captant. *Secundò*, quia Antecessores Religionis Papalis, Doctores scil. & Clerici, & ex Laicis prudentiores rarissimè eas suscipiunt; unde facilè quis colligat, quid illi de necessitate & efficaciâ earum statuant: ne dicam sæpè credulitatem & simplicitatem Idiotarum hâc in parte ab illis rideri. *Tertiò*, quia inter ipsos Pontificios non desunt, qui vi veritatis adacti non tantum exemplo, sed & doctrinâ peregrinationes illas haut obscurè improbant. Citavimus suprà §. 5. *Erasmum in Colloquiis*. Adde *Franciscum Petrarcham lib.* 13. *Epistolar. Epist.* 5. *Cassandrum in Consultat. Consectar.* 1. Peregrinationes Hierosolymitanas cum fraternitatibus inde institutis, item Lauretanas, Romanas & ad fanum Dionysii propè Parisios; & celebres illas in Belgio *antiqui quidem Iuris* ad Mariam Heuclemensem, Elshoutanam, Trajectensem ad Mosam &c. ad sanguinem Christi Woudrichensem, ad montem sacrum propè Amisfurtum; *novi verò Iuris*, ad Mariam Hallensem, Aspricollensem, Arlensem in arenâ, ad sanguinem Christi Boxtelensem in agro Sylva-Ducensi, ad crucem in Hoboken propè Antwerpiam, esse hominum impostoras, turpis lucri aucupia, animarum nundinationes, & abominandas superstitiones. *Consect.* 11. *Lipsii Miracula Virginis Hallensis & Aspricollensis*, illa ab eruditissimo *Anonymo in Dissertatione de Idolo Hallensi*, ista à *Georgio Thomsono* in *Scripto contra Lipsium* meritò esse excepta; & viri istius, quamvis in prioris bestiæ antiquitatibus versatissimi, ac de literis illis optimè meriti hypocrisin & insaniam hâc in parte insigniter detectam. *Consectar.* 111. Miracula à Jacobo in Hispaniâ patrata *peculiari libro* à *Papâ Callisto II.* descripta (quem *Vincentius Bellovacensis lib.* 26. *speculi Histor. cap.* 30--42. inseruit) præterquam quod iisdem cum reliquâ Papisticorum farragine exceptionibus patent; hâc ratione peculiariter exploduntur, Quod Jacobus illic vivus nunquam prædicaverit, nec mortuus conquiescat; & consequenter cum non entis nulla sit affectio, nullus effectus; nec fide divinâ, nec Romanâ, certitudo aliqua istorum miraculorum haberi possit, nec ulla definitio Papæ circa totam hanc Historiam intervenire: cum sit quæsto Hi istorica seu facti; in quâ Papa, ex sententiâ Theologiæ Romanę, errare potest, & de facto errasse, utraq; pars dissentientiũ contendit. Fuerunt enim ex Papis, qui affirmârunt, fuerunt qui negârunt, uti *Bivarius loc. cit.* ostendit, Papas Papis opponendo. Unde necessariò una pars Papę affirmantis, altera Papæ negantis errorem sus credu-

credulitati oppositum agnoscere debet. Accedat & hoc argumentum ad hominem, quod Papa Callistus II. ἐπὶ circa annum 1120. floruerit. Jam verò Historia de Johannâ Papissâ à *Florimundo*, *Remundo*, *Bellarmino*, *Baronio*, eorumque sequacibus rejicitur, quod primi Historici, qui ejus meminerunt, ut *Marianus Scotus* 200. *Martinus Polonus* 300. annis post tempus dictæ Papissæ, demum scripserint. Applicetur hoc *Callisto II.*, qui tot sæculis post dictum adventum Jacobi, & translationem corporis ejus, & patrata miracula, *librum* illum *de Miraculis* conscripsit, & alterum de *Translatione corporis ejus*; quem M. S. exstare in Bibliothecâ Collegii S. Benedicti, num. 41. testatur *Ludovicus à S. Carolo* Carmelita *in Bibliothecâ Pontificiâ lib. 1. pag. 36.* edit. Lugdunensis, in 40. anno 1643. Contra hujus Historiam militat hæc ratio, quod quæstio sit Historica seu facti, in quâ fatentur Papam posse errare.

8 Antiquitate destitui has peregrinationes, nec ipsa neget impudentia, si modo integrum hujus superstitionis Systema ὡς ἐν πίνακι exhibeamus. Peregrinationes Papisticæ sunt, quas homines aut ex mandato Confessorum suscipiunt ad stationes Romanas, imprimis promulgato Jubilæo, aut Compostellanas, &c. ut ossa vel ligna ibi colant & remissionem peccatorum, seu indulgentiarum myriadas, Dei auxilium, aliasque animi aut corporis benedictiones, quæ domi manentes non ita obtinerent, consequantur, ut etiam iis inde sint merita, aut satisfactiones, utque Ecclesia seu Clerici inde pecunias corrogent; qui non raro gratiam istius laboris faciunt commutata pœnâ corporis in mulctam pecuniariam. Cumulus impietatis accedit, quod Romanas antiquitati planè ignotas omnibus aliis etiam Hierosolymitanis præferant. Sic enim epistol. Bonifacii cit. in libro Indulgentiarum: *Si scirent homines Indulgentias Ecclesiæ Lateranensis quod tot essent, non eis opus esset ut irent ad sepulcrum Domini*: Et quod eaidem impedire majus sit crimen, quam ipsam Dei legem transgredi; ponitur enim inter *Extravagantes in Bullâ de Casibus reservatis*: *Si quis Romipetis impedimentum objecerit.* Ostendant nunc tales, hoc est suas peregrinationes (omnes enim alias absolutè non rejicimus) ex Conciliis, Patribus, Martyrum confessionibus, &c. ex consensu antiquioris Ecclesiæ. Nos illis commonstramus Augustinum serm. 3. de Martyribus, qui est inter Sermones de Sanctis, *Dominus non dixit vade in Orientem & quære justitiam*: *naviga usque ad Occidentem ut accipias indulgentiam. Dimitte inimico, & dimittetur tibi. Nihil à te extra te quære.* Et Chrysostomus Homil. 1. in Epist. ad Philemon. *Ad impetrandam nostris sceleribus veniam non pecunias impendere, nec aliquid hujusmodi facere necesse est, sola sufficit bonæ voluntatis integritas. Non opus est in longinqua peregrinando transire, nec ad*

rem o-

remotissimas ire nationes, non pericula, non labores tolerare, sed velle tantummodo. Hieronymus Epist. ad Paulinum: *Singuli quoque credentium non locorum diversitatibus, sed fidei merito ponderantur.* Et paulò post: *De Ierosolymis & de Britanniâ æqualiter patet aula cœlestis. Regnum Dei intra vos est. Antonius & cuncta Ægypti & Mesopotamiæ, Ponti, Cappadociæ & Armeniæ examina Monachorum non videre Ierosolymam, & patet illis absque hâc urbe Paradisi janua.* &c. Gregorius Nyssenus, qui Epistolam scripsit de Euntibus Hierosolymam, in quâ pluribus rationibus peregrinationes refutavit, concludit: *Quapropter timentes Dominum, eum in quibus agetis locis laudate: loci enim mutatione ad Deum non acceditur, sed ubi ubi locorum fueris, ad te veniet Dominus, &c. Suade igitur, dilecte, fratribus peregrinari à corpore ad Dominum, non verò à Cappadociâ in Palæstinam, &c. Si Spiritus quo vult spirat, omnino qui hic crediderunt, fiunt participes divini muneris secundum analogiam fidei, non secundum profectionem Hierosolyma.* Sed vide elegantem *Epistolam* olim Latinè editam à *Centuriatoribus Magdeburgensibus* (quam *Orationem* appellat *Bellarminus de cultu Sanctorum cap. 8.*) & anno 1603. ab *Hospiniano, libr. de Templis*, & anno 1607. Latinè & Græcè à *Petro Molinæo*; qui Jesuitæ Richeomi contra eam exceptiones abunde diluit: Adde Historiam & Disputationem de Peregrinationibus apud *Hospinianum de Templis cap. 29. & seqq.* & *Rivetum in Iesuitâ vapulante contra Sylvestrum de Petra Sancta cap. 22. Chemnitium in Examine Concilii Tridentini. Chamierum in Panstratiâ. Franciscum Iunium & Amesium contra Bellarminum. Perkinsum in Problemate Catholico.* Ex Pontificiis hanc materiam tractârunt, *Bellarminus libr. 3. de cultu Sanctorum. Gretserus libris quatuor de sacris & religiosis Peregrinationibus, Ioh. Busæus in libro de Statibus hominum, tit. Status Peregrinorum ad loca sacra.*

APPENDICVLA I. De Peregrinationibus Hierosolymitanis.

IEsuita Buseus loc. cit. Peregrinationes definit *profectiones ad loca sacra vel templa sacris reliquiis Christi, vel Sanctorum imaginibus, vel Miraculis illustria, idque pietatis causa, initas. Ibidem* distinguit eas in primarias & secundarias. Illas enumerat quatuor, in quibus *primum* locum obtinent Hierosolymitanæ. *Secundum*, ad limina Apostolorum Petri & Pauli Romæ. *Tertium*, ad Jacobum Compostellanum, quæ cœperunt anno 116. post repertum corpus ejus; quo & Rex. *Quartum, ad ædem Lauretanam*, hoc ævo, inquit, celeberrimam & notissimam; de quâ integer liber scriptus est ab *Horatio Tursellino*. Alias plures celeberrimas indicari dicit à *Gretsero*

Sero in libris 4. de Peregrinationibus, &c. Ibidem multis docere conatur hęc quatuor, de imitatione earum: de earundem dignitate: de proprietatibus vel ritibus earum: de earundem fructu. Inter loca sacra facile principatum obtinere ait *terram sanctam*, & his peregrinationibus annexam esse aliam ad montem Sinai, & ad quercum Mamre, & in Arabiam ad fimum S. Job. Sed his peculiariter opponimus sequentia. I. Quod ante tempora Reformationis maximè frequentata nunc frigeat, si non pæne exoleverit, idque volentibus & curantibus Papis cum suis curialibus, qui dum ad Romanas stationes emolumenta illa pro viribus trahunt, peregrinantium zelum & devotionem à terrâ sanctâ (quam ita vocant) abducunt. Ut nihil nunc dicam de Institoribus Compostellanis, Lauretanis, aliisque in orbe Papali celeberrimis. Et quomodo illæ adhuc principatum tenent? II. Quod Patribus & Sanctis in antiquâ Ecclesiâ irreligiositatem & indevotionem tacitè exprobrant: imprimis qui in terrâ illâ habitarunt, aut illi propiores fuerunt, & quidem cum illa post Constantinum Magnum pacificè imperatoribus Christianis subesset, & tutò adiri posset. Atqui loca illa tunc certatim maximo fidelium concursu frequentata fuisse adhortantibus & probantibus Conciliis & Ecclesiæ Doctoribus, dicunt quidem, sed non probant: alioquin hæresios condemnatus fuisset, & nunc à Papatu condemnandus *Gregorius Nyssenus*, qui in *Epistolâ* modo laudatâ eas improbat, & dissuadet. Nec sufficit unius *Hieronymi* testimonium in *Iesa.* 19. à *Buseo* adductum, quod Historicam facti relationem, non Ecclesiasticam determinationem & suasionem à necessario aut utili continere potest: uti Hieronymus seipsum satis explicat in Epistolâ ad Paulinum modo cit. *De Hierosolymis*, inquit, *& de Britanniâ æqualiter patet aula cœlestis, &c. cuncta Ægypti & Mesopotamiæ, Ponti, Cappadociæ, & Armeniæ examina Monachorum non videre Hierosolymam, &c.* Illi tamen erant propiores Romanis, aliisque Occidentalibus, & eorum zelus in pietate & devotione tantus erat, ut Papistarum etiam Monachorum & Clericorum, zelus præ illo tepor fuerit: uti judicat *Thomas à Kempis in lib. de Imitatione Christi.* Nec Hieronymi & unius atque alterius inter Sanctos & Doctores antiquæ Ecclesiæ exemplum terram illam ex tolerabili fortè curiositate lustrantium *maximum concursum ex toto orbe* conficere poterit, non magis, quam una hirundo facit ver. Denique probandum esset, paucos illos Doctores, eo modo & fine peregrinatos esse, quo Pontificii ex formulâ & definitione superstitiosæ suæ peregrinationis. III. Totum hoc choragium nititur geminâ falsissimâ hypothesi: quarum *una* est. Eadem numero loca, monumenta, eorumque adjuncta nunc supersesse & se ostendere eo in statu, quo erant tempore Christi, cum illic conciperetur, nasceretur, prædicaret, patere.

pateretur, resurgeret, ascenderet, & cum Apostoli illic agerent ac paterentur. *Altera* est, Data loca illa, monumenta, utensilia, &c. etiamnum in rerum naturâ, & saltem materialiter in eodem statu existentia, eadem sanctitate & benedictione inseparabili à Deo dotâta esse. *Priorem* hypothesin elidit vastatio & magna mutatio Judeæ, quæ per Romanos, Persas, Saracenos illata, imprimis eversio & deletio Hierosolymæ per Titum, postea per Adrianum, qui pauculas illas reliquias & vestigia prioris urbis & ipsum nomen sustulit: ita ut locus, situs, partesque ejus inveniri & commonstrari nequeant, non magis quam antiquæ Babylonis aut Carthaginis. Atque hoc ipsum prædictum Luc. 21. vers. 6. *Non manebit lapis*, &c. Adde novæ illius civitatis dictæ Æliæ ab Adriano ædificatæ occupationem per Saracenos anno 636. & per Godofredum Buillionæum anno 1099. & per Saladinum Ægypti Sultanum anno 1187. & per Selimum Turcarum Imperatorem an. 1517. Quis credat eandem esse urbem, quæ erât tempore Christi, easdem plagas, eosdem vicos, eosdem limites, easdem plateas, eadem ædificia, eosdem muros cum omnibus corporibus continentibus & contentis tum naturalibus, tum artificialibus? Quasi vastationes urbium, & licentia ac ferocia militaris ferro & flammâ supera inferis non misceret. Lege *Iesa.* 13. *de Babylone*, & *Curtium de captâ Tyro* per Alexandrum Magnum, & *VVilhelmum Tyrium lib.* 8. *de captâ Hierosolymâ* per Buillioneum. Quomodocunque Judæi, Saraceni, Christiani eodem in loco, aut potius in vicino loco ædificaverint, aut ædificare tentârint, nunquam tamen eandem numero urbem, eundem situm, eandem figuram, easdem partes continentes aut contentas ita restituerunt, ut definitè absq; errore commonstrari possit hic aut illic Christus, aut Apostoli tale quid egerunt aut passi sunt, quo monumentum aliquod sui ac sanctitatem illic affixam & Christianis perpetuò frequentandam relinquerent. Manet enim illud oraculum Christi, Matth. 23. vers. 38. *domus vestra vobis deserta relinquitur.* Vanum ergo est, quidquid antehâc topographi & itineraria (quorum catalogum exhibet *Adrichomius in Theatro terræ Sanctæ*) de civitate Æliâ, quam Hierosolymam vocant, aliisque particularibus locis naturâ aut arte definitis, applicatè ad hæc aut illa gesta Christi aut Apostolorum consignârunt, & ex iis passim *Corn. à Lapide in Commentar. ad Euangelistas* & *Acta* depromit, quia Æliam cum antiquâ urbe temporis Christi, ut eam cum suburbanis descriptam & depictam exhibet *Adrichomius*, perpetuò videntur confundere. *Posteriorem hypothesin* refutat *primo* sana Theologia de sanctitate locorum, rerum, rituum, utensilium: de quâ infra in *Disp. de Benedictionibus*. *Secundo*, ex eo quod non amplius sit nec dici debeant terra sancta, urbs sancta, loca sacra,

nec amplius symbolum ejus sit *Iehova ibi*, & consequenter peculiaris benedictio divina illis affixa non sit. Quia antiqua illa sanctitas œconomica pro statu veteris Testamenti desiit, jure in morte Christi, executione in rejectione Judæorum, & introductione Gentium. Quæ ergo terra & urbs erat sancta, quia peculiariter ratione Ecclesiæ & Politię erat urbs & terra Dei, ea, siquidem exstaret, nunc non est, postquam evomuit habitatores suos, nec illi amplius Ecclesiasticè & Politicè sunt Dei peculium dicendum: nisi sepultam Synagogam & œconomicum cultum refodere velimus. Nec dici potest priori isti œconomicæ sanctitati & benedictioni successisse aliam in novo Testamento, contractam ex conversatione Christi & Apostolorum. Quia ex adverso potius maledicta & profana terra ac urbs non minus quam Bozra, *Ierem.* 49. 13. denominari debet, à cujus incolis dominus gloriæ cum discipulis suis tam indignè habitus fuit. Vide & confer illud *væ Matth.* 11. *v.* 23. 24. & 10. *v.* 14. 15. & tristem querelam ac prædictionem *Matth.* 23. *vers.* 38. & 24. *vers.* 15. cum *Luc.* 19. & 1. *Thess. al.* 2. *vers.* 16. Idem docet argumentum Apostoli, *Hebr.* 13. *vers.* 13. 14. quo fidelibus suadet exitum & fugam ex maledictâ urbe; quos etiam divinis monitis paruisse testatur *Eusebius* Tantum abest, ut benedictionis & sanctitatis quærendæ causâ fideles eò amandasset. Nec prætereundum, quod Deus argumento irresistibili in infelicissimo tot cruciatarum & belli sacri (uti vocant) eventu, καταζηλίαν Christianorum benedictionem illic frustrà quærentium tam manifestè confuderit, Saracenos & Turcas iis locis imponendo: haut aliter ac Templi & Hierosolymæ excidio Deus tanquam reali & irresistibili argumento evicit sacrificiorum & cultus œconomici cessationem.

APPENDICVLA II. *De Reliquiis.*

DUæ Affines & subordinatæ huic controversiæ de Peregrinationibus subserviunt: quarum una est de Locis sacris; altera de Reliquiis. Prior à nobis excussa est in *Disp. de Templis.* Posterior, quia iisdem ferè argumentis contra peregrinationes modo allatis conficitur, non est quod seorsim & operosè tractetur. Vide *Chamierum & Antagonistas Bellarmini, Chemnitium, Perkinsum modo cit.* Et *VVittakerum in Prælectionibus de Sanctorum invocatione, Reliquiis, Imaginibus, à Conrado Deckero* editis. Hic solum modo observari velimus disputandi methodum, ut strictè insistamus statui controversiæ principalis, De religioso cultu Reliquiarum. Pontificiis incumbit probatio ex Scripturâ, accedente etiam consensu Ecclesiæ antiquæ ex Conciliis, Patribus, Martyrologiis demonstrando.

Quod

Quod ad historiam reliquiarum ea vel universalis est omnium in toto orbe Papali: vel particularis singularum. *Historia universalis* an à quoquam eorum ex professo & plenè conscripta sit, nescio. Citatur *Francisci Maurolyci topographia Sanctarum Reliquiarum.* Quantum ille præstiterit, dicere nequeo: quia liber hactenus mihi visus non est. Belgicarum reliquiarum Catalogum dedit *Arn. Raisse*, tit. *Hierogazophylacium Belgicum.* Quod si universale inventarium extaret, uno obtutu deprehendi possent multiplicatæ reliquiæ, aut unæ eædemque numero reliquiæ quæ diversis in locis ad cultum prostitutæ ostentantur. Et hic tractanda est inextricabilis controversia, de dignoscendis reliquiis adulterinis à genuinis. Ubi tandem necessariò concludent per τὸ *non liquet*: uti de probationibus spirituum. De quo vide 2. *part. selectar. Disp.* Universale inventarium si Pontificii non moliantur, aut antehac moliti non sint, ex *descriptionibus & notitiis, Regionum, Vrbium, Ecclesiarum, Episcopatuum, Monasteriorum, Divorum tutelarium, Martyrum*, colligendum est. *Historiæ particulares*, de hujus aut illius λειψάνου origine, translatione (per donationem aut emtionem, aut jus gladii, aut spontaneam & miraculosam ipsarum migrationem de loco in locum) omissione, occultatione, inventione, efficaciâ, miraculis, celebritate, evectione & authentizatione seu canonizatione. Quod si reliquiarum exercitium in cohortes distribuere quis velit. I. Aliæ sunt Christi, aliæ B. Virginis, aliæ Apostolorum, aliorumque Sanctorum & Martyrum. De quibus quæstio ipsis enucleanda, An Christi omnes tum primariæ, tum secundariæ latriâ, Mariæ hyperduliâ, Sanctorum duliâ sint colendæ. II. Aliæ sunt ipsa corpora aut partes corporum, aliæ adjuncta atque utensilia: sive proxima, ut vestes; sive propinqua, ut acus, corbes, patinæ, libri, pulpita; sive remota, ut cubiculum, domus, hortus, collis, mons, puteus. Inter corporum partes, sive propriè, sive impropriè dictas, eminent sanguis Christi, & lac B. Virginis. Inter adjuncta Christi sindones, clavi, particulæ crucis, B. Virginis indusium, & capilli, femoralia Josephi. Percurrantur *Catalogi Reliquiarum Aquisgranensium & Colonienſium*: quę posteriores quotannis magnâ cum solennitate à peregrinantibus quibusdam ex Ungariâ visitari solent. Adde imprimis *Raissii Hierogazophylacium Belgicum*, & *Mirai Fastos Belgicos.*

APPENDICVLA III. *De Peregrinationibus ad sanguinem Boxtelensem.*

DIximus inter reliquias Christi excellere sanguinem. Eas faciunt duplices, vel sanguinis, qui ex Christi hic in terrâ versantis corpore effluxit,

fluxit, & tunc exceptus, aut postea repertus fuit: vel sanguinis, qui ex vino per transubstantiationem factus alicubi effusus est, aut rei alicui adhæsit, aut ex hostiâ consecratâ, aut ex frusto ligni crucis effluxit. Frustum illud crucis in Abbatiâ Floreffiensi servari testatur *Arn. Raisse in Hierogazophyl. Belgico pag.* 217. sed guttas, quas lignum stillaverat, istic aut alibi asservatas non meminit. Quod an à magnâ indiligentiâ & indevotione excusari possit, Papæ aut proximo Concilio inquirendum relinquo. *Prioris* sanguinis (quamvis ejusdem numero cum sanguine posterioris generis secundum Theologiam transubstantiationis) reliquiæ ostentantur Romæ, Venetiis, Mantuæ, Treviris, Bruxellis; & Taurini ac Vesontione; ubi sacram sindonem cum impressis sanguineis vulnerum stigmatis possidere se dicunt. De quibus aliisque Christi reliquiis nonnulla, atque unà Autores notamus in *Auctario ad Disp. de Perfosso latere Christi, part.* 2. *selectar. Disp.* Sed mirum est Poëtas tantum finxisse reliquias sanguinis in cruce effusi, & non unâ operâ effusi in horto in agoniâ *Luc.* 22. *vers.* 44. & in flagellatione ac impressione coronæ spineæ, etiam in circumcisione: quandoquidem & sudorem faciei in sudario Veronicæ, & umbilici præcisionem, & præputium jactant: De quo vide *Auctarium disp. modò cit. Posterioris* sanguinis reliquias venditant Antwerpiæ, Bruxellis, Sylvæ-Ducis in Hannoniâ, &c. & (teste *Bzovio in annal.* 1399.) Posnaniæ, & a. 1382. & ib. 1346. de hostiâ in carnem mutatâ Et antehâc, cum res Papatus starent, Woudrichemi, & Middelburgi. Ejusdem generis est sanguis in *Boxtel* Baroniâ non incelebri Ducatus Brabantiæ, in agro Sylvæ-Ducensi. De cujus cultu & statu aliquid hic referendum duxi, quod in confiniibus urbis & agri Sylvæ-Ducensis natus, educatus, & 23. annis Ministerio functus, ex incolis nostratibus & vicinis præsertim peregrinationum istarum spectatoribus multa jam inde à puero audire & discere potuerim, quæ ad Boxtelensis hujus religionis notitiam pertinent. Prodiit aut inclaruit hoc figmentum circa, saltem imperitorum hominum concursu non fuit frequentatum ante bellum Belgicum. Antea enim Worcomii sanguis Christi visitari solet: sed oppido illo in partes libertatis ac confœderationis transeunte, & pulso indè Papatu, excessere unà adytis dictæ reliquiæ sanguinis: an illæ tunc istic à nostris abolitæ sint; an à Pontificiis occultatæ, & ad instar ignis sacrificiorum (de quâ fabulâ *Raynoldus lect.* 135. *ad Apocrypha*) in puteum demersæ; an ab iisdem alio translatæ, an verò in viâ perierint, dicere nequeo: saltem memoria & nomen earum ex illo tempore paulatim exolevit. Hâc occasione emergere, & in pretio esse ceperunt reliquiæ & peregrinationes Boxtelenses: uti in hoc reliquiarum universo, corruptio unius est generatio alterius. Quamvis sanguis Woudrichemensis nunquam tam celebris ac tanto concursu frequentatus

quentatus fuerit ac Boxtellensis : & jam ante casum atque exequias suas istic & in vicinià multũ pretio ipsius apud Papistas decessisset, postquã sermone omniũ ferretur custodes sacrarii istius in novâ lintei per sanguinẽ ovillũ tincturâ ac coloratione deprehensos. Origo hujus sanguinis Boxtelensis refertur ad ann. 1380. sub Urbano VI. Occasio erat negligentia Sacerdotis missificãtis, per quã calix sub versus in corporale se effundebat, illudq; rubore suo tingebat, cum vinũ album ad sacrificandũ infusum esset. Hinc ad supplicationẽ Boxtellensium Pileus Cardinalis tit. S. Praxedis auctoritate Apostolicâ (uti ipse loquitur) suffultus, diplomate Francofurti dato licentiam dedit semel quotannis inter alias reliquias corporale illud populo monstrandi, eidemq; po-



pulo narrandi & exponendi, *quæ in præmissis per prædictos testes visa & intellecta fuerunt.* Servatum ergo fuit dictum corporale in Boxtellensi Canonicorum Basilicâ, & quotannis nostrâ ac Parentum ætate ostentatum in Dominicâ Trinitatis, usque ad occupatam à fœderatis Sylvam-Ducis & Papatum inde atque ex agro dimissum, quod incidit in annum 1629. Quod ad frequentem populi concursum, quem jactant, fatemur imprimis mulierc̃larum & puellarum, deinde & juvenum ex plebe rusticâ agri Sylvæ Ducensis & vicinorum Brabantiæ, Hollandiæ, Geldriæ fœderato Belgio subjectorum, sed Hispano tributariorum. Nec derat concursus erronum, mendicorum, agyrtarum, crumenisecarum. Ex oppidis vicinis, quia viris per calamitates bellicas accessus non dabatur (excepto tempore induciarum ab anno 1609. usque 1621.), pauculę aliquot

quot mulierculæ ſolennem hanc pompam augebant. Plerique agebant illa, quæ in celebribus nundinis & encæniis, nec non in caſtris à ſpectatoribus agi ſolent. Communiter templum, proceſſionem, tentoria ſeu ſcenas, merces venales, ludos, ludiones, agyrtas, &c. ſpectatum ibant, adhæc corporale de pegmate oſtentatum, ſiquidem preſſura turbę à ſpectaculo eos non arceret, & vitæ, valetudini, veſtibus non cogeret conſulere potius, quam ſpectaculo attendere: quod non raro plurimis obtingebat. Inſuper narrationem & encomium hujus miraculoſi ſanguinis à Stentoreo quo Pręcone buccinatum audiebant, qui audire poterant. Pauciores, quibus illud Virgilii aptari poterat, *Iam tum relligio pavi-*



dos terrebat agreſtes, alii circum templum buculam aut equum ſuum ducebant mali alicujus averruncandi cauſâ; alii genibus reptando templum interius obibant; alii crus aut brachiolum, aut capitellum, &c. ex cerâ confectum, ſanctuario offerebant; quo affectis corporis partibus ſuccurrerent: alii infantulum tabeſcentem & emaciatum (quem S. Machuti infantem vulgò appellant) bilancibus cum ſiligine, ponderabant, & quantitatem illam frumenti ſacrario offerebant. Mulierculæ innuptæ ſeu puellæ Boxtellenſes non ſine conſortio & comitatu juvenum nocte ſolennem diem oſtentationis præcedente vigilabant, per templum & cœmeterium ambulando aut diſcurrendo; & hunc devotionis actum ἰδίᾳ διαλέκτῳ appellabant **het H. Bloet waecken**/ q. d. *pervigilium ſacri Sanguinis*. Ne autem mixtus ille juvenum & puellarum concurſus & diſcurſitatio incommodi quid adferret, & *pervigilium Veneris* olim apud Gentiles celebratum, hinc naſceretur

ſceretur, ex neceſſitate aliquando adhibitam memini cuſtodiam aliquot militum ex præſidio Regis Hiſpaniarum arci Boxtellenſi impoſito, qui per templum & cœmeterium obambulantes excubabant & attendebant, ne quid abſurdi aut indecori illic committeretur. Ad choragium hoc pertinebat puteus, quem *ſacrum* den heyligen Put illic indigetant, in quem ſacrum corporale poſt oſtentationem intingebant, ut hâc ratione miraculoſam ſanguinis incorruptibilitatem demonſtrarent, quippe qui nullâ aquâ elui poſſet. Ex ſacro illo puteo ſuperſtitioſæ mulierculæ certatim amphoram aut aliud quod vas portatile aquâ implebant, quam domum quæque ſuam aſportabant, futuram omnium malorum panacæam & ſacrum ἀποτροπαῖον: non obſtante, quod puteus ille autumnali aut hyemali tempore cum reliquis aquis foſſarum ex pluviâ & aquis è terrâ erumpentibus creſcentium commiſceretur. Sed miſeri illi idiotæ Philoſophis inter individuum permanens ac perfectum, quod à ſacris reliquiis attingitur, & inter ſucceſſivum ſeu imperfectum (quale e. gr. ratione aquæ ſuæ eſt fons, puteus, fluvius, &c.) diſtinguentibus, ſimpliciter & indiſtinctè credere videntur, aquas omnes iſtum puteum mediatè, immediatè, cominus eminus attingentes, eſſe ſacras ex eo, quod puteales muri & lapides attigiſſent aquas tunc exiſtentes, quæ individuæ aquæ tunc attingebant corporale & ſanguinem Chriſti, cum ſolenni die in illas immitteretur. Sic ſacræ reliquiæ Romæ exiſtentes mediatè quævis loca extra Romam per aërem & aquas tangere dicendę eſſent: quia vacuum intermedium non datur. Ad quid ergo peregrinationes? Ultimum τὸ plaudite hujus dramatis erant ſcedulæ ſeu chartæ figurâ vexillari ἐπιγράφοι utrinque depictę, quæ fabulam ſanguinis in corporale effuſi, & oſtentationem ejus cum ſacro puteo exhibebant, quas illic emptas peregrinantes ſangui-petæ quique domum ſuam auferebant, etiam amicis ac neceſſariis ad perpetuam rei memoriam earum exemplaria impartiebantur. Atque hæc de ſtatu religionis Boxtelenſis generalis & brevis narratio, uti tum ex communi hominum ſermone in illo tractu, tum ex relatione ἀνδρῶν Pontificiorum & noſtrorum, qui prę ſertim tempore induciarum ex curioſitate & ſpectandi cauſâ eò ſe contulerant, accipere potui. Nunc autem poſt quam Sylva-Ducis cum agro ſubjecto in poteſtatem confœderati Belgii anno 1629. redacta eſt, omnis religioſa oſtentatio & peregrinatio illic ceſſat; an quis ſacrarium illud in exilium portans victoſque penates, alibi novam emunctionis officinam aperuerit, fateor me hactenus ignorare. Subjiciamus nunc ἐπίκρισιν. I. Hiſtoria ſeu fabula de effuſione ſanguinis in corporale, admodum obſcurè & jejunè propoſita, ſolâ fide aut potius fictione municipali ſubnixa videtur, Dominus enim loci Wilhelmus Mærhemius

rhemius cum suis incolis non tam confirmationem Papæ aut ejus nuntii, quam licentiam & permissionem, inter alias reliquias corporale illud quotannis solenniter populo ostentandi: uti colligimus ex diplomate Cardinalis Pilei, quod *Miræus Fastis* suis inseruit *pag.* 320. Ille ergo facile absque examine non sine mediantibus illis (uti opinor) secundum stylum Curiæ Romanæ, Boxtelensibus concessit quod intuitu emolumenti inde ad communitatem suam perventuri postulabant, ut scil. *corporale prædictum, sanguine Christi, ut præmittitur, rubricatum, inter reliquias alias, semel in anno Christi fideli populo monstrari valeat, narrando & populo exponendo ea, quæ in præmissis per prædictos testes visa & intellecta fuerunt.* Ubi hic testium examen? Quinam illi sunt qui testati sunt, immo testari potuerunt vinum fuisse album, & ex calice eversо rubrum liquorem fusum esse? Et dato rubro quâcunque fictione aut arte, sive hominum, sive dæmonum, corporale tinctum fuisse, unde testes illi (si qui fuerint præter avarum sacerdotem & ædituum) certò cognoverunt, fuisse verum sanguinem humanum, immo sanguinem Christi? An hâc consequentiâ, Est rubrum, ergo est sanguis? Est sanguis: ergo est sanguis humanus? Est sanguis humanus: ergo est sanguis Christi? Quod ad Boxtelenses, domestica qualiacunque testimonia tunc Cardinali Francofurti agenti exhibentes, cum lucrosarum suarum nundinarum initia molirentur, illi in toto hoc negotio suspecti sunt, & ut tempora tunc erant, suspectissimi. II. Cum hoc miraculum anno 1380. accidisse dicatur, & ab eo tempore sanguinem illum frequenti cultu & miraculis celebratum, mirari subiit, cur Scriptores Historici & Theologi, qui ab anno 1383. usque ad 1622. fuerunt quam plurimi, tam celebris religionis Boxtelensis non meminerint. Quantum ego ex *Historiis Ecclesiasticis*, quę mihi ad manum sunt, colligere possum, primus *Miræus in Fastis* anno 1622. editis, ejus meminisse videtur. Quem proximè secutus fuit *Augustin. Wichmans in* suâ *Brabantiâ Marianâ lib. 3. cap. 21.* Erat is Monachus Tongerlöensis in agro Antwerpiano, qui ad tempus aliquod rexerat Parochiam in *Tilburch* agri Sylvæ-Ducensis à Boxtelâ non ita remotam; postea factus Abbas Tongerlöensis. Eum excepit *Arnoldus Raisse* Duacenus *in Hierogazophylacio Belgico* anno 1628. pag. 120. Postremus, quod sciam; est Jesuita *Martinus Bresserus* Patriâ Boxtelensis, *libr. 6. de Conscientiâ. cap.* 22. §. 305. Et hi quidem breviter & leviter indicio tanti sacrarii defunguntur. Cur autem *Dionysius Mutzert* Monachus Tongerlöensis Augustini Wichmans sodalis *in Historiâ Ecclesiasticâ* vernaculo sermone anno 1622. editâ, hujus sanguinis ad annum 1380. nec in *Historiâ generali*, nec in *speciali Belgii* meminerit, meritò disquiri posset: præsertim, cum sanguinem Mantuanum

tuanum non præterierit ad annum 804. §. 2., nec Alcmarienſem, Bergenſem, Brugenſem, Buſco-Iſacenſem, in *Hiſtor. Eccleſ. Belgii*, *pag.* 148. 185. 187. III. Miracula iſtic edita, quæ jactant, ego cum incolis agri vicini jam inde à pueritiâ uſque ad annum 1629. (ex quo Sylvâ-Ducis captâ peregrinationes Boxtelenſes ceſſârunt) nulla ex utriuſque Religionis hominibus unquam percipere potui, quamvis ſtudioſè attenderim & inquiſiverim: Niſi miracula dicere velis, quorundam ſpectatorum pugnas & vulnera, aut crurifragia ex confertæ turbæ preſſurâ, aut alia quævis incommoda iſtic loci aut in itinere occurrentia. Hiſtorias miraculorum hactenus editas non vidi, nec fando de illis audivi. IV. Nec exiguum religioni Boxtelenſi præjudicium creatur ex eo, quod nulli aut ferè nulli urbis & agri Sylvæ-Ducenſis Parochi, Sacerdotes, Canonici, & qui inter Laicos literati, aut magis prudentes ac honorati, quamvis religioni Romanæ addictiſſimi, anniverſariam hanc devotionem frequentârint. Quin ſæpenumero tempore & occaſione iſtius ſolennitatis à vicinis incolis referri audivi jactatum apophegma cujuſdam Parochi in vicinià Boxtelenſi: Hoc tempore in Pago ſuo creandum eſſe Magiſtratum, ſiquidem prudentem deſiderent; quod omnes ſtulti tunc abeſſent; ad ſanguinem ſcil. Boxtelenſem profecti. V. Denique in theſi conſiderandum, ne quidem in materialem ſanguinem Chriſti, qui ex ipſius corpore profluxit fide & fiduciâ divina eſſe recumbendum, nec eundem eſſe adorandum: multò minus feſtis, templis, votis, proceſſionibus, peregrinationibus, precibus colendum eſſe ſanguinem, qui ex vino tranſubſtantiatus putatur. Antecedens probatur: 1. *Quia* nullâ fide divinâ certum eſſe poteſt, effuſum Chriſti ſanguinem ab aliquo collectum, & uſque in hunc diem ſervatum; ſic ut ab alio quovis rubro liquore, aut à ſanguine cujuſque animalis aut hominis certò (certitudine ſcil. fidei) diſtinguatur & internoſcatur. Hoc enim ſi factum fuiſſet, utique Scriptores Novi Teſtamenti, & Eccleſiæ ac Doctores Apoſtolis proximè ſuccedentes ejus Hiſtoriæ meminiſſent, & perpetuâ praxi Religionem illam ſanguinis Chriſti oſtendiſſent. Sed hoc in æternum non probabitur: ſic ut vel fide humanâ nobis credendum ſit. 2. *Quia* ipſorum *Thomas* cum *antiquis ejus Sectatoribus ad* 3. *qu.* 54. *art.* 2. hoc minimè credit: ſtatuit enim omnem Chriſti ſanguinem in paſſione effuſum in reſurrectione reſumtum eſſe. Quid quod prædicatores contra Minoritas anno 1464. contenderent hæreticum eſſe, ſi quis dicat ſanguinem Chriſti ab ejus divinitate in triduo mortis fuiſſe diviſum: ita ut neceſſe fuerit *peculiari Bulla Pii II.* (quæ inter *ipſius Bullas* eſt 11.) omnem dictæ controverſiæ prædicationem, diſputationem, ſuaſionem ſub pœnâ excommunicationis latę ſententię prohiberi.

Videat cui vacat, Recentiores, qui contra Thomam & antiquos Thomistas per distinctiones paucularum guttarum à notabili quantitate sanguinis, & sanguinis nutrimentalis ab integrali ac vitali, determinant apud *Zuarezium*, aut *Vasquez ad loc. cit.* aut apud *Bresserum lib. 6. de Conscientiâ cap. 22. & 23.* ubi alios Doctores indicat, & admodum laborat pro sanguine in terris relicto. Ipsi ergo prius communi fide credant, aut saltem communi Theologiâ determinent, quid sit de illo sanguine (hoc tanquam Belgio imprimis utile optat *Bresserus cap. 22. §. 310*); & tum demum ad quæstionem de cultu deveniant. Sed hic mos Ecclesiæ Romanæ miseros idiotas in cultu eorum σπερματων fovere, quæ Pastores & Doctores aut non credunt, aut ignorant. Vide modo *Bresserum cap. 23. ubi de Scrupulis. 3. Quia* Apostolus 2. *Corinth. 5. vers. 16.* dicit se neminem nosse secundum carnem, ne quidem Christum. Ergo non novit materialem sanguinem Christi, qui in terris tunc conservatus esse fingitur, quemque tot locis *Bresscro* & *Miræo* indicatis hodie ostentant. Idem applico sudori & sudario Veronicæ, carni præputii, Romæ & Antwerpiæ (*Bresser. pag. 713. Mutzert in Eccles. Histor. ad annum 1114. §. 7. 8.*), pluribus guttis lacrymarum Christi, (apud *Arnold. Raisse, pag. 272. 273.*) 4. *Quia* partes corporis Christi permanentes & organicæ non sunt objectum divinæ adorationis, ex. gr. digitus aut labium, &c. Multo minus est sanguis, & quidem extra vasa sua effusus. Qualis pars corporis sit aut non sit sanguis, à Medicis & Philosophis quærendum. Quidquid statuatur, saltem non est persona; ne quidem natura humana in hypostasin divinam assumta: Ergo non est objectum adorationis materiale. Nec est natura divina: ergo non est objectum formale, aut ratio formalis. Vide hoc ex professo explicatum in 1. & 2. *part. selectar. Disp. ubi de Christo Mediatore, ejusque Adoratione.* Sed dicat quis, sanguis Christi est satisfactio pro peccatis nostris. *Resp.* 1. Dato esse; an inde sequeretur invocandum esse quod Deus & persona divina non sit, ne quidem completa substantia creata. *Resp.* 2. Sanguis materialiter & in se spectatus non est lutrum, sed quà violenter & hominibus per inflicta vulnera, & pœnaliter in perfectâ obedientiâ, ratione justitiæ divinæ, effusus; quà scil. sanguis filii Dei θεανθρώπε Sponsoris nostri effusus pro nobis. Sub illo formali, & illo respectu satisfactio & salus sanguini per metonymiam synecdochicam tribuitur. Neque enim sola passio effusionis sanguinis, sed etiam quælibet aliæ in animâ & corpore, toto vitæ cursu, præsertim in fine, conficiunt simul lutrum illud satisfactorium infiniti valoris. Sunt distinguenda quidem singulæ partes & momenta, perpessionum Christi materialiter considerata; minimè verò divellenda formaliter ut lutrum, seu in ordine ad satisfactionem & meritum

ritum considerata. Est ergo nova & præter Scripturam φιλοθρήσκεια Theologia practica Pontificiorum, quæ religiosam invocationem dirigit ad vulnus dextri aut sinistri pedis, aut lateris, &c. insuper ad sanguinem, aut sudorem, aut lacrymam Christi per dolores ex corpore ejus expressam; adhæc ad partes quasque corporis internas, externas; immo & ad adjuncta corporis interna, externa, proxima, propinqua, remota, ex. gr. sandalia, sindonem, clavos, lanceam, spinas, crucem, verba oris ipsius, &c. Incidit in manus meas libellus Belgicus ante 171. annos excusus, hoc titulo;

De seven penitentie Psalmen getogen uyt Marien Souter tot love Marie/ gedruckt tot Antwerpen by Clays Leeu/ Anno 1487. in 8.

Sub finem libelli habetur precatio ad omnes Sanctos quotidie recitanda: cujus initium est:

Coemt my de hulpe bid ick u alle Heyligen/ &c. Finis,

Overmits Jesum Christum onsen Heer/ die mitten Vader leeft ende regneert in eenicheyt des heyligen Geestes van ewen tot ewen. Amen.

Vides hic Christum constitui Mediatorem inter hominem orantem, & inter Sanctos adorandos. Nec Philologum *I. Lipsium* primum aut solum esse, qui *in suâ Virgine Hallensi* Christum fecerit Mediatorem inter se & B. Virginem. Hanc orationem ad Sanctos sequitur in dicto libello precatio ad Jesum Christum; in quâ directè hæc sequentia invocantur.

Ick aenbede

- Dyn gebenedyde eersamige Hooft/ &c.
- Dat oberste van dynen heyligen Hoofde/ dat met de prickelingen der scherper doornen wreedelicken doorsteecken was/ &c.
- Dyn heylige Voorhooft/ ende alle den omganck dyns gebenedyden Hoofdes/ &c.
- Die doornen kroone/ &c.
- Dyne glorieuse Oogebrauwen/ &c.
- Dyne goedertieren Oogen/ &c.
- Dyne minnelyckste ontfermhertige Oogen/ &c.
- Dyne minnentlycke eersamige Wangen/ &c.
- Dynen soeten honichvloeyenden Mont/ &c.
- Die alderheylichste Woorden dyns monts/ &c.
- Dyne roode roosevarwige Lippen/ &c.
- Dyne heylige Tanden wit gelyck den elpenbeen/ &c.
- Dyne soete honichvloeyende Tonge/ &c.
- Dyne aldersoetste kinne/ &c.
- Dyne eersamige minnentlycke Aensichte/ &c.
- Dyne aldersoetste Biele/ &c.
- Dyne luyde roepende Stemme/ &c.
- Dynre alderheylichste Borste/ &c.
- Dyne koninclyckе Armen/ &c.

Ick aenbede
- Dyne onnooſele ende onbeblecte Handen/ &c.
- Dyne alre heylichſte Wercken/ &c.
- Die Palmen dynre heylige handen/ &c.
- Dynre alre heylichſte Vingeren ende Nagelen/ &c.
- Die heymelycke verbozgenthept dyns godlycken herten/ &c.
- Die hoecheyt des goddelycken Raets / booꝛſiende de verloſſinge des menſchelycken geſlachtes.
- Die alre hoechſte begeerte ende minne dyns Herten/ &c.
- Die anxtboudige bangichept dyns bevenden Herten/ &c.
- Dyne onbebleckte Voeten/ &c.
- Dyne alderheylichſte Beenen/ &c.
- Dyne heylige gebenedyde Lingen/ &c.
- Dyn heylige Dyen/ &c.
- Dynen heyligen Buycke / ende die waerdige ingedoemten der onfermhertichept.
- Dyne alderheylichſte Syden/ &c.
- Dat uytbloeyende Bloet ende Water/ &c.
- Dat bloedige Sweet dat loopende ende dzupende van dynen heyligen lichaem ter aerden liep.
- Die alre heylichſte Speere/ &c.
- Dyn alre heylichſte Lichaem / doot hangende aen den Cruyce/ &c.
- Dyne heylige ende alderdierbaerſte Siele/ &c.
- Die Galge des heyligen Cruces/ &c.
- Die diepheyt ende die menichboudige beelheyt dynre heylige Wonden / ende alle die inſtrumenten dynre bittere Paſſie/ &c.
- Dyn uytgeſtoꝛte dierbaer Bloet/ &c.
- Die ontfermhertichept/ die dy verbaerde/ &c.
- Die goedertierenthept die dy tooch/ &c.
- Die minne die dy dwanck/ &c.

Ultima hujus libelli Precatio hoc titulo inſignitur.

Dit naebolgende Gebedt was gegeben booꝛ den Engel Godts den heyligen ende ſeer deboten Leeraer ſinte Bernart eene ſonderlinge liefhebber der Moeder Godts Maria/ welck Engel tot hem ſpzack aldus/ Soo als dat gout dat koſtelyckſte ende alrewaerdichſte is boven allen metalen/ alſoo is dit gebedt Maria alre bequaemſte ende ontfanckelickſte boven allen anderen gebeden.

Sequitur ipſa Precatio.

Weeſt gegruet alre ootmoedichſte dienſtmaget der H. dzieboudichept Maria. Atque ita ter & decies τὸ *Ave* repetitur cum totidem diverſis elogiis Mariæ, ex quibus tria ſequentia ſolummodo enoto:

Alre glorioeſte Koninginne der Patriarchen.
Alre ſterckſte Verſterckſter der Martelaren.
Alre bereetſte Troꝛſterſe der lebender ende der dooden.

Tre-

Tredecim illæ salutationes concluduntur his verbis:

O Hemelsche Koninginne Maria / ick bidde u door u grote barmhertichept ende u Moederlijcke goedertierenheyt / dat ghy my by wilt staen in alle myn tribulatie / weder spoet ende verdriet / ende sonderlinge in de uere mynes doots / soo ontfanckt myne siele / ende offert die dyn alre suetste Sone Jesum Christum / die mitti lebet ende regneert in euwicheyt Amen. Ave Maria.

DE PSEUDO-PRECATIONIBUS, ROSARIIS, LITANIIS, HORIS CANONICIS, ET OFFICIIS ECCLESIÆ ROMANÆ.

Resp. LAMBERTO vanden WATERLAET,

Ad diem 5. *Octob. Anno* 1642.

De Rosariis & Coronis Mariæ, deque Litaniis, Horis Canonicis, aliisque officiis divinis in Papatu, nominatim Mariæ, agendum ad primum Decalogi Præceptum, sub titulo de Idololatriâ; & rursum ad secundum Præceptum, sub titulo Pseudo-sacri, aut Pseudo cultus instituti; nec non in Asceticâ, inter opposita orationis seu praxeos precandi.

DE ROSARIIS.

NOtum est variis multisque modis in Papatu coli Mariam: ex quibus in gratiam studiosorum notoßistos, qui mihi in mentem nunc veniunt. I. Jejunia tum indicta tum sponte suscepta, aliæque mortificationes, obsequia, eleemosynæ, donaria, &c. II. Festa: de quibus agendum in *Disp. de Festis.* Hic imprimis notandus *Augustini VVichmans* blasphemus *liber tit. Sabbathismi Mariani*; & *Biverius* Jesuita *de Festis & Privilegiis Mariæ*; *Stanihursti hebdomada Mariana.* Huc refer processiones & supplicationes Marianas: quarum Veneta, sumtuosa planè pompatica, & superba in honorem lactis Mariæ & togæ, pallii, cinguli, particularum sepulcri, &c. nec non sanguinis Christi, an. 1617. illic detectorum describitur ab *Ant. Balingem in Kalendario Mariæ, append. ad* 28. *Maji, pag.* 695. III. Templa & Altaria: de quibus in *Disputatione de Templis.* Huc refer Monasteria, aliaque loca ipsi dedicata, ex. gr. omnia Monasteria Cistercienßium. IV. Picturæ & Imagines. De quibus à Lucâ depictis magna concertatio. V. Reliquiæ Marianæ: de quibus in *Cap. de Reliquiis.* Vide librum *Arnoldi*

Raissii, tit. *Hierogazophylacium Belgicum*. Sint autem præcipuæ reliquiæ, lac, capilli, conclave, indusium, annulus pronubus, quo Josephus Mariam sibi despondit: de quo tantum certamen, ut *Ioh. Baptista Laurus librum de eo* ediderit anno 1622. Vide *Riveti Apologiam*, & *Hottingeri Histor. Ecclesiast. sæculum* 15. *sect.* 1. *pag.* 129. Alius est annulus pronubus, quo ex capillis suis contexto Maria cuidam Alano se desponsasse dicitur. Videant, qui compendium quærunt, hæc aliaque ad fœdissimam hanc fabulam pertinentia apud *Rivet. lib.* 2. *Apol. cap.* 12. & *nos* infrà *cap.* 2. VI. Collegia sacra Mariana, sub invocatione Mariæ instituta & erecta, atq; hâc ratione illius cultui peculiariter consecrata, illiusque patrocinio commissa. Quæ sunt triplicia. 1. Monachorum seu Regularium, ex. gr. Augustinianorum & Carmelitarum. Quo refero & Canonicos. 2. Sodalitatum seu Confraternitatum: quæ in varias species speciosissimas in *Disp. de Monachis* enumerandas dispesci possunt. Huc referr debent *Ascetici libelli Institutionum pro Sodalitatibus Mariæ*, *Verroni*, *Coleri*, *&c.* in domibus Jesuitarum, & apud Carmelitas, Servitas, Dominicanos. 3. Equitum, seu militum Ecclesiæ: ex. gr. Teutonicorum; de quibus eâdem *Disp. de Monachis*. VII. Publica & Liturgica. 1. Missæ de B. Virgine. Vide *Missale*, & *Gavantum in Thesauro Rituum*. 2. Officia publica & laudes in honorem B. Virginis. Quo refer *Motettas seu Cantiones*, quas vocant, *sacras*, à præstantissimis Musicis aptatas, cum Cantoribus, Organis, Campanis. De postremis testatur *Possevinus in Apparatu in voce Maria*, quod ter in die, sæpe in anno eam celebrant. 3. Conciones publicæ: quarum integra volumina edita *Pelbarti Themesvar*, *Bernard. de Bustis*, *Barthol. de Scabar*, *Iohan. Petri Camusii*, *&c. Barthol. Escovar Conciones de Festis Christi & B. Virginis*, *Ejusdem de conceptione Mariæ*; *Hier. Florentiæ Mariale*, *seu Concionum de Mariâ tom.* 2. Hispanicè, *Ioannis Gans quinquatria Mariana*, *seu Discursus de B. Virgine*. 4. Panegyricæ orationes de eâdem in cœtibus Literatorum pronuntiatæ. Huc pertinent *Panegyrici Abrah. Bzovii*, & *Mart. Delrio*, *tit. Florida Mariana*. Ejusdem ferè commatis sunt laudes & encomia ipsius carminibus decantata, ut *Parnassus Marianus*, *seu flos Hymnorum & Rhytmorum de S.S. Virgine Mariâ ex Missalibus & Breviariis in* 12. Antwerpiæ apud Belleros. VIII. Historiæ rerum ab illâ gestarum, ad imitationem Iliados Homericæ, Æneidos Virgilianæ, & Metamorphoseos Ovidianæ. Sunt autem duum generum. 1. Quæ vitam & gesta ipsius in terris describunt; qualis *Castro* & *Iohannis Bonifacii Historiæ Virginales*. Promittit eandem sub tit. *Speculi Mariani*, *Martin. Delrio in Præfat. ad Florida Mariana*. Huc referri debet *Proteuangelium de natalibus Mariæ*, quod antehâc in Bibliothecâ Amici vidi & inspexi: sed non memini

memini nunc, an nomen Authoris adscriptum fuerit, nec ne. *Liber historicus de septem doloribus Mariæ*, Belgicè Antwerpiæ apud Gul. Lesteens 1631. in 8. Alter eodem sermone tit. *Mater dolorosa, continens considerationes seu meditationes, precationes, hymnos Rhytmicos aptatos cum suæ cujusque dolore ad septem dies hebdomadæ in* 18. Antwerpiæ apud Godtgaf Verhulst anno 1645. *Tractatus de septem gaudiis Mariæ*, Belgicè, Antwerp. in 4. 1624. 2. Quæ gesta post excessum enarrant & beneficia in cultores suos collata: huc pertinet *Kalendarium Mariæ Antonii à Balingem*; & *Fasti Mariani*, Antwerpię 1637.; *Gononi Chronicon Mariæ*; *Vitæ Sanctorum, & Legendæ*, alibi nominanda, una cum *Catechismo Historiali*; *Baronii & Bzovii Annales*, & ex iis desumta *historia Ecclesiastica Dionys. Mutsart*, Belgicè. Imprimis etiam *historia Imaginum Mariæ*, qualis ex. gr. *Historia imaginis Deiparæ, quæ in monte Goardo prope Bononiam in B. Lucæ opificis sui templo asservatur*, Coloniæ apud Kinckium in 4. Adhæc complures historiæ Miraculorum jam evulgatæ, partim vernaculo tantum sermone, partim etiam latino; quales quasdam indicamus *part. 2. selectar. Disp. tit. de Miraculis, pag.* 979. & 1017. non pigebit autem hic easdem repetere, additis aliis, quæ nunc succurrunt, *Mariæ Provenzanæ, Historiam B. Virginis à Gaudio, Cignacensis in Russiâ, Augustanæ*; *Suessonensis, Guadalupensis in Hispaniâ apud Bzovium ad ann.* 1313 §. 30. *Hallensis, Aspricollensis, Lauretanæ, Oetingensis in Helvetiâ, Arlensis, Trajectinæ ad Mosam, Sylvæ-Ducensis, Lakensis, Ommelensis, & c. Tungrensis, Cambronensis, Servensis, montis Serrati in Hispaniâ; Fontanæ in Sequanis, descripta ab Erycio Puteano*; & *ad Dominam gaudiorum in Picardiâ. In catalogo Scriptorum Iohannis Trithemii* invenio; *De miraculis Mariæ de Dittelbach lib. 2. De miraculis Mariæ in Vrticeto apud Helprumam lib. 6. Miracula Mariæ Hoeckelemensis* (oppidum est Hollandiæ), & *Elshoutanæ* (Vicus est in agro Heusdano, in extremis Hollandiæ finibus) aliarumque similium, tanquam stellarum nebulosarum, aut sporadum nunc prætereo: nec illa chartis commissa sunt. His adde tabellas, monumenta, trophęa, signa miraculis ipsius in Templis ac Monasteriis passim erecta & suspensa. 3. Nec prætereundæ *historiæ & relationes revelationum & apparitionum per Mariam factarum*. Huc refer *revelationes Brigittæ, Catharinæ Senensis*. Minorum Gentium revelationes, apparitiones, miracula, &c. abundè suppeditat *Kalendarium Iesuitæ Ant. Balingem*. 4. Denique *Tractatus & Libri peculiares de S. Maria Virgine*; qualis *Ludovici Venegæ*. 5. Quæ Historicè exponunt cultum in his aut illis locis speciatim illi exhibitum. Hic emicat *Brabantia Mariana Augustini VVichmans*. IX. Apologiæ pro Pseudo-excellentiâ, & Pseudo cultu Mariæ contra Orthodoxos; Huc pertinet *Petri Canisii liber Marianus seu de Deiparâ*;

para; *Viridarium Fr. de Mendoza*; *tomi tres* 3. *operis Mariani*, *Mart. Delrio*, *Zvvarez* 2. *tom. in* 3. *Thomæ Disp.* 23. *Est & Apologeticus Marianus Ioh. Paludani* Theologi Lovanienſis; & *Petri Reſtii* Jeſuitæ *Apologia pro Lauretanæ Deiparæ Virginis camerâ contra Idolum Lauretanum Matthei Bernecceri.* Cum his Apologeticis comparare poteris *Apologiam Mariæ autore Riveto*; *Anonymi doctiſſ. diſſertationem de Idolo Hallenſi*; & *Thomſoni refutationem Idoli Aſpricollenſis* (uterque liber ſcriptus contra Lipſium); denique *Epitomen corruptelarum Pontificiarum in colendâ Virgine Deiparâ*, *autore Henrico Hofnero*, Lipſiæ apud Schurer anno 1630 in 4. De ſcriptis Eriſticis ſuper Roſario infra monebimus. Sunt & Apologiæ inteſtinæ Pontificiorum in ſe mutuo; qualis *legatio Philippi III. & IV. ad Pontifices ſuper immaculatâ conceptione Mariæ.* Jeſuitæ *Salazar* prolixus *liber de eâdem.* Nec omittenda ea quæ in concertatione ſuper ſpaſmo Mariæ ultra citraque dicta, ſcripta, geſta ſunt ante annos aliquot in Hiſpaniâ: de quo *Aug. VVichmans in Sabbathiſmo Mariano*; & *Cajetanus in quæſt. quodlibet. qu. ult. X.* Meditationes de Vitâ & geſtis, deque excellentiis & perfectionibus Mariæ: ut *Mart. de Groeneſchilt Paradiſus meditat. de Deiparâ*; *Iohan. Davidis pancarpium Marianum*; *Cornelii Lanceloti pancarpium Auguſtinianum*, in quo *de laudibus Mariæ*; *Franciſci Ariæ tract. de imitatione Mariæ*; *Gul. Abſelii tract. ad ſemper candidam Mariam*; *Iohan. Beuckelii inſtructio colendi B. Virginem*; *Barthol. Trajectenſis tract. de excellentiâ B. Virginis*; *Ierem. Drexelii roſæ virtutum B. Virginis*; *Maximil. Sandei Maria patrona*; *Ejuſdem Maria luna myſtica*; *Ejuſdem aviarium Marianum*; *Spinelli Maria thronus Dei*, *h. e. de laudibus Mariæ*; *Ioh. Coppenſteinii Alanus redivivus*: *Pauli Comitoli* 130. *privilegia Mariæ*, Italicè. *Ioh. Argento Liber de ſeptem excellentiis B. Mariæ*, editus Vilnæ, 1614. ex quo horrida quædam citat *Volckelius* Photinianus *lib.* 1. *Inſtitut.* (qui eſt Joh. Crellii) cap. 17. quod filius *aſſiduè matri miniſtrat*, & quod *illa in filium Dominium ſuſcipiens ſupra ipſum Dei thronum ſolium ſuum collocavit. Andr. Dudithius* jam factus Photinianus *in epiſt. ad Laſicium* objicit Pontificiis inſolentes quaſdam picturas Mariæ, & citat *Miſſale* anno 1538. in fol. editum (quo utebantur in Poloniâ) *pag.* 323. Confer infra §. 8. & *part.* 2. §. 12. ubi indicantur Scriptores de Roſario. *Hebdomada Mariana Stanihurſti in memoriam ſeptem feſtorum Mariæ per ſingulos hebdomadæ dies diſtributa.* Huc etiam pertinet *Kalendarium Mariæ Anton. de Balingem* modo indicatum. XI. Devotiones & modi colendi Mariam per preces, hymnos &c. qui ſecundum varias ſolennitates ſunt ſub titulis 1. *Pſalterii Mariæ.* Celebre eſt *Pſalterium Bonaventuræ*, quod toties jam à 50. annis creſcente ubique Mario-latria recuſum eſt. Quin anno 1642. quidam *Fabritius van Eyndhoven* peculiari libello Belgico ejus defenſionem molitus eſt, tit. *Catholicæ declarationes ſeu elucidationes pſalterii*

Bona-

Bonaventuræ. 2. *Hortuli Mariani, seu praxeon variarum colendi Mariam autore Francisco de la Croix* Jesuita. 3. *Officii Mariæ.* 4. *Litaniæ Mariæ.* 5. *Rosarii Mariæ.* 6. Addit Jesuita *Bourgheſius libr.* 2. *de bono ſodalitatis Partheniæ, & officiis ſodalis erga Deiparam patronam cap.* 8. *coronam & corollam Deiparæ,* quam à roſario diſtinguit: de quo infra §. 7. *Idem cap.* 10. 11. 12. 13. ad officium venerationis Mariæ refert quotidianum Miſſæ ſacrificium, veſpertinum conſcientiæ examen, devotionem ſeu oblationem ſui Deiparæ præſtandam, annuam devotionis hujus ſeu oblationis innovationem. 8. Agmen hic claudant Alberti Magni Biblia Mariæ à Vincentio Juſtiniano Coloniæ per Antonium Boetzerum edita anno 1625. hoc titulo: *Biblia Mariæ, Opus à B. Alberto Magno, ex Ord. Prædicatorum, olim Epiſcopo Ratisponenſi conſcriptum: in quo omnia ferè, quæ in ſacris Bibliis continentur, Beatiſſimæ Deiparenti Mariæ pulchrè, & breviter adaptantur, aureum ſanè, & divini Verbi Concionatoribus perutile ac Marianis Cultoribus pergratum.* Sed nolo Lectorem omnibus libris & libellis Marianis recenſendis fatigare: ſi cui viſum fuerit mare hoc inſpicere, is ſcripta ſolius ſocietatis Jeſuiticæ recenſita videat in *Indice ad Bibliothecam Philippi Alegambe pag.* 500. *uſque* 512. Accedat cultus Joſephi ſponſi Mariæ, qui reductivè ſeu reflexivè ad Mariam pertinet. Huc refer libellos, ſodalitates, & ſi quæ poſterioribus his annis ad cultum Joſephi edita aut inſtituta ſunt. XIII. Scapularia Mariana conſecrata diverſi coloris, quæ à fraternitatibus geſtantur in memoriam & honorem B. Virginis; & dantur ipſis, à Carmelitis, Dominicanis &c. non ſine fructu & efficaciâ. Hâc enim ratione participes fieri dicuntur omnium bonorum operum, quæ fiunt in iſto ordine. Hinc & celebris fraternitas ſacri ſcapularis. Vide *VVichmans pag.* 91. XIV. Medallia Mariana conſecrata; lignea, argentea, &c. referentia inſigne & ſymbolum hujus aut iſtius Mariæ, ex. gr. Hallenſis, Aſpricollenſis, Ommelenſis, Trajectinæ ad Moſam, Sylvæ-Ducenſis (nunc Bruxellenſis) &c. quæ eundem uſum, quem ſcapularia, fratribus Marianis præſtant. Conſecrantur autem eodem modo quo roſaria ſeu globuli, attactu & affrictione ad dictas ſtatuas Marianas. Huc refer imagunculas, *VVichmans Brabantia Mariana pag.* 112. XV. Cerei & lampades. *Idem pag.* 126. XVI. Peregrinationes. *Idem lib.* 1. *cap.* 11. 12. XVII. Proceſſiones & ſupplicationes. *Ibidem cap.* 8. XVIII. Dedicantur & conſecrantur eidem res quęcunque, dies feſti, ſabbathum, templa, monaſteria, domus, naves, exercitus, confraternitates, aliaque collegia, civitates, integra regna. Sic Ludovicus XIII. Galliarum Rex ſe & integrum regnum ſuum ante annos aliquot B. Virgini obtulit, edito ſolenni diplomate, in quo inter alia petit, ut filium ſuum oret, reliquis cœlitibus mandet. Ex illis dedicationibus natæ ſunt diverſæ

tutelæ & diversi tituli Mariæ, denominatione factâ, vel à loco cui præest: vel à loco, ubi thaumaturgicæ ipsius imagines habentur: vel ab opificiis, operibus & actionibus quibusdam: vel ab exemplaribus, unde pictæ ipsius imagines pulcritudo desumpta. *Primi generis* exempla (indicante *Henrico Stephano in tract. præparator. ad apolog. Herodoti cap.* 38.) *Nostre Dame* domina nostra *de Lorette*, *de Boloingne*, *du Puis* in Alverniâ, *de Nanteul*, *D' Aix*, *Franceul*. *Secundi generis*, domina nostra *Du Val*, *du Mont*, de montserra, *de mont-gautier*, *de mont-roland*, *de cabimont en Languedoc*, *des Bois*, *des Champs*, *de beau-chaisne*, *de beau Noyer*, *du puis*, *de la fontaine*, *des crotes* (quod sit in cryptâ subterraneâ), *d' en haut* & *d' en bas* (quod Carnuti una ejus imago sit in templo, altera sub templo); *des Carmes* (quod sit in templo Carmelitarum); *des neiges*, id est, ad nives; quod locus quis commorationis B. Virginis, hoc est, imaginis ejus, mediâ æstate nivibus miraculosè repletus esse aut fuisse dicatur. *Tertii generis* sunt, *Nostre Dame de recouvrance*, *de confort*, *de liesse*, *de toutes joyes*, *de pitiè*, *de vertu*, *de bonnes nouvelles*, *de bon desir*, *des aides*. *Quarti generis*, est *Nostre Dame de toutes beautes* Turonensis, quæ sic dicta fuit (referente ibid. *H. Stephano* ex *Ioh. Menardo*), quod partes pulcritudinis ejus desumtæ essent ex inspectione omnium formarum Virginum & Fœminarum Turonensium. Addimus nos Gallicis ex *H. Stephano* enumeratis Marias seu imagines miraculis insignitas, Moguntinam, apud *Bzovium in annal. Eccles. anno* 1302. aliam apud *Eundem anno* 1326. Prunetanam apud Florentinos, *ibid.* 1355. Claræ montanam in Poloniâ à Lucâ depictam, *ibid. anno* 1383. Bourburganam in Flandriâ, *ibid.* 1383. Leovicensem in Galliâ, *Ibid.* 1486. Mediolanensem, *ibid.* 1485. Bononiensem in Italiâ, *ibid.* 1433. (ubi fusè imaginis illius historiam texit); Hallensem clausæ Eberhardi, in diœcesi Trevirensi, *ibid.* 1454. Biro Klingensem in diœcesi. Herpibolensi, *ibid.* 1455. Viterbiensem, *ibid.* 1467. XIX. Indulgentiæ Marianis cultoribus, & fraternitatibus concessæ, quæ ex *libro Indulgentiarum*, & ex *Bullario*, & *libellis de Rosario*, ut & de *singulis Fraternitatibus* cognoscendæ. Emicant inter eas Indulgentiæ Mariæ ad Angelos, sive de portiunculâ, per ipsum Christum (si credere fas sit concessæ; quæ quotannis impetrantur in templis Minoritarum 2. Augusti. XX. Denique anathemata, & donaria tunicæ (scil. pretiosæ, torques, annuli, coronæ, aliaque ornamenta, quibus statuæ Marianæ donantur & ornantur. Specimina excerptorum ex Scriptoribus ante lucem reformationis, *Themesvar*, *de Bustis*, *Antonino*, *&c.* nostri passim abundè exhibuerunt. Recentiores non tantum non minuerunt hanc idolomaniam, sed & immensum auxerunt. Vide *Vegam in Apocal. sect.* 12. & 20. *Osorium in Concionibus de Mariâ*, & *in libro de devotione*,

tione, Turſellini præfat. ad hiſtor. Lauretanam, Delrio in Cantic. 1. ſect. 2. Qui compendio ſtudet, adeat *Riveti apologiam Mariæ.*

Roſarii ſeu *coronæ roſaceæ* (teſte *Navarro de Oratione miſcell. 24. num. 17.*) 2 ſicut roſarium continet multitudinem roſarum, & eas tractantes ſuaviter lætificat, ita iſta oratio continet orationem Dominicalem, & ſalutationem Angelicam; quæ repetitæ miram, ſuavemque lętitiam pariunt illis, qui ſic orando virginem matrem, quaſi præſentem attentâ & devotâ mente alloquuntur, ſalutant, & orant. Aſſignatur & alia ratio; quod virgini virginum matri Dei offeratur. Serta enim virginum capitibus ornandis propriè adhibentur. Jam verò Mariam eſſe roſam myſticam, canunt litaniæ Eccleſiæ & explicant ac probant *Commentatores Pontificii ad Canticor. 2. verſ. 1.* Accipiunt autem roſarium vel ſtrictè & propriè, pro certâ illâ ratione & modo orandi ſeu colendi Mariam: vel metonymicè pro globulis, quorum ope & auxilio orationis illius ſtadium tanto felicius decurrunt (ita Belgæ **Roose-krans/ Roosen-hoepken/** *Pater noſter*): vel, pro utroque, ita ut methodus & modus iſte peculiaris orandi Mariam una includat uſum iſtorum globulorum. Nos plerumque in poſtremâ ſignificatione accipiemus. Ita deſcribitur: *ſertum quoddam ſpirituale, myſticis vocibus ex Euangelio depromptis tanquam roſis contextum, quod virgini virginum Dei matri offerimus.* Ita Godefridus à Driel Noviomagus in Hyperaſpiſte Roſarii, pro Apodixi Theologicâ de Roſario in Academiâ Moguntinâ divulgatâ anno 1588. Sed hæc deſcriptio ſatis laxa. Wichmans in Brabantiâ Marianâ lib. 1. cap. 7. pag. 89. per modum deſcriptionis vocat, *novam precandi formam*, (à Dominico ſcil. introductam) *pium per calculos vel orbiculos orandi modum, omnibus etiam ignaris ac rudibus pervium.* Sed & hæc nimis generalis. Miræus Origin. Monaſticarum lib. 3. cap. 3. *Eſt autem roſarium ſive pſalterium, ſacra quædam formula precandi Deum, in honorem Mariæ: quâ centies & quinquagies recitatâ angelicâ ſalutatione, inſtar Davidici pſalterii, & cuilibet decadi interjectâ oratione Dominicâ, per quindecim decades quindecim præcipua humanæ inſtaurationis myſteria pijs meditationibus percenſentur.* Sed hæc deſcriptio nimis anguſta eſt; ſunt enim & alii modi ac formæ roſarii Mariani, quę non continent quindecim decades: uti infra videbimus. Niſi velimus dicere roſarium eſſe genus analogũ ad illas ſpecies; & roſarium per 15. decades eſſe ejus primum analogatum. *Deinde* non conſtat terminis perſpicuis, diſtinctis, & eſſentialibus. Dicit enim eſſe invocationem Dei: cum, juxta communem ſententiam ſit invocatio Mariæ vel in totum, vel ſaltem magnâ ex parte. Dei invocatio eſt latria; Mariæ eſt formaliter hyperdulia ſecundum ipſos. Dicant nunc an precatio Roſarii ſit latria, an hyperdulia, an cultus ex utrâque conflatus. Rurſum di-

cant apertè & ſecundum communem fidem Romanam: An Mariam invocent in honorem Dei; an verò Deum in honorem Mariæ: & ſic latria ſeu cultus Dei proprius ſit hyperduliæ, hoc eſt, cultui creaturæ (Mariæ ſcil.) ſubordinatus tanquam medium ſuo fini, & inferius ſuo ſuperiori. Pius V. in Bullâ 10. Septemb. Anno 1569. innuit hanc deſcriptionem: Quod ſit, *modus admodum facilis & omnibus pervius, & admodum pius orandi & precandi Deum, quo beatiſſimam Virginem ſalutatione angelicâ centies & quinquagies ad numerum Davidici pſalterii repetita, & oratione Dominica ad quamlibet decimam, cum certis meditationibus, totam Domini noſtri Ieſu Chriſti vitam demonſtrantibus interpoſita venerantur.* Vincentius Hensberch Dominicanus in ſuo Roſeto Belgicè deſcribit, Eſſe exercitium ſpirituale & cultum in quo B. Virgo colitur (vel veneratur) 150. ſalutationibus angelicis, & 150. orationibus Dominicis. Ex iis quę à modo citt. dicta ſunt, & colligere mihi videor ex *Zvvarez tom. 1. de Religione lib. 3. cap. 9.* includit Roſarium in ſe non tantum certum modum ſeu formam orandi piam, ſanctam, & ad omnes effectus orationis aptiſſimam; ſed & modum ſeu formam meditandi myſteria Euangelii, idque tum cogitatione ſeu recordatione ad numerum precationum, tum explicitâ lectione in *libellis Aſceticis. Hyperaſpiſtes Roſarii modo cit.* quinque dicit eſſe in Roſario, quæ ſunt quaſi eſſentialia (*pag.* 70. cum *pag.* 5.), Nomen, Orationes, repetitionem, numerum earundem, & calculos precarios. Sunt & alia, ſed accidentalia ſeu acceſſoria (ut *ibidem* loquitur), Pontificis ſummi benedictio cum certis indulgentiis, & nummi, cruceſve appenſæ. Ex eſſentialibus tria inter nos & Pontificios controverſa juxta *Hyperaſpiſten Roſarii* modo *cit. pag.* 7. 1. Orationem dominicam, & ſalutationem angelicam identidem repetita. 2. Repetitionum iſtarum, certum definitumque numerum & ordinem. 3. Sphærulas, ſeu globulos, aut calculos precatorios, ad quos recitantur preces illæ ordinis, numeriquè retinendi cauſâ. Sed adde. 4. Interpoſitas meditationes numero definito 15, totam vitam Jeſu Chriſti demonſtrantes. 5. Religioſum cultum Mariæ per iſtas certo numero & ordine repetitas precationum demurmurationes atque interpoſitas meditationes. In hoc poſtremo ferè eſt tota ſumma ſummarum. Quamvis hic fluctuent Papales, dum alii totam hanc rationem & novam precandi formam tendere ajunt in Mariam, alii in ipſum Deum ad honorem Mariæ. Peculiaria autem ingredientia & requiſita Roſariorum, quomodo pro diverſitate ſpecierum varient, infra indicabitur, ubi ad diviſiones ventum fuerit. Nugatur autem hyperaſpiſtes Roſarii, cum *pag.* 13. contendit partes roſarii eſſe quinque calculorum decades. Homonymiam hanc ſupra ſuſtulimus. Porro roſarium ita definitum rectius dici roſarium,

rium, quam psalterium (quamvis utrumque nomen ei tribuatur) observat *Zvvarez loco* mox *citando*. Autores qui de hoc rosario in Papatu scripserunt, sunt I. Peculiaribus tractatibus illud defenderunt, *Hyperaspistes Rosarii modo cit.* (qui est *Busæus*, teste *Delrio libr. 6. Disquisitionum Magicarum*) & *Iosephus Stephanus Valentinus in defensione Rosarii ab hæreticorum calumniis*; quibus addendus *Petrus Canisius in Mariano*, & *Zvvarez tom. 1. de Religione, libr. 3. cap. 9.* II. Theticè & Casuisticè idem explicuit *Navarrus in Miscellaneis de Oratione.* III. Ascetice & in actu exercito (ita loqui liceat) tractant rosarium *vulgares libelli tit. rosarii*, aut *psalterii Mariani*, aut *Manualis & Institutionis Sodalitatum*, latinâ & vulgaribus linguis editi. IV. Historicè *Baronius, aliique* mox *citandi*; imprimis & *Catechismus Historialis Antonii Drauroeltii cap. 2. tit. 44. & 45.* Huc refer *librum* cui tit. *Speculum Rosariorum*; & *alterum* cui tit. *Miracula Rosarii*; *Thomæ Vvardrengtoni* Jesuitæ *librum de mysteriis Rosarii*, *Antonii de Balingem Kalendarium Marianum*; *Admiranda & eximia beneficia & miracula à Deo omnipotente per merita sancti Rosarii gloriosissimæ matri & semper virgini collata, & ex Scriptoribus fide dignis, collecta à Vincentio Hensbereh* ordinis Prædicatorum Belgicè in 4. ex offic. Plantinianâ, Antwerpiæ ann. 1610. *Miracula & beneficia SS. Rosario Virginis matris devotis à Deo opt. max. collata*, Antwerpiæ apud Theod. Galleum, anno 1619. ubi quintum miraculum per meretricis conversę perputidam & scandalosam narrationem, verè fabulam, celebratur. Et *Alberti Castellani*, *Alani Rupensis*, *Gulielmi Pipini*, *Andr. Coppensteyn*, *Ludovic. Granatensis*, *Francisci Arias*, *Bzovii*, *Iohan. Lopes* tractatus *de Rosario.* Vulgatum est *Rosarium Germanicum Conradi Sittardi*, Coloniæ editum anno 1603. apud Cholinum, ubi de origine, utilitatibus & indulgentiis Rosarii. Exstant etiam *Homiliæ Iohan. Carthagenæ de Rosario.* Qui inter alia pluribus aut paucioribus de Rosariis quid tractant, sunt *Bellarmin. in utrâque Catechesi, & in controversiis.* Ex nostris, qui materiam hanc de Rosariis attigerunt, & mihi nunc occurrunt, indico, *Rivetum in Catholico Orthodoxo tom. 1. pag. 713.* edit. in 4. imprimis in *Apologiâ Mariæ. Chemnitium in Examine Concil. Trident. part. 3. pag. 236.* edit. in 8. *Marnixium Sanct-Aldegondium in Tab. differ. seu in Alveario Ecclesiæ Romanæ tom. 1. pag. 219.* edit. Gallicè in 8. *I. L. de Beaulieu in suo Euangelio Romano*, Gallicè; *Franciscum Vvhite in Replicâ contra Iesuitam Fischerum*, Anglicè *pag. 384. -- 390.*

Causæ efficientes dupliciter considerari debent ortus, vel actus, seu 3
primæ institutionis, vel usus & executionis. 1. *Primæ institutionis & originis.* Originem hujus Rosarii operosè investigant Pontificii: & omnibus rationibus subductis inter novitates eam referre coguntur. Anti-

quissima antiquitas est, Dominicum esse inventorem atque autorem rosarii: ita Recentiores *Baronius, Dionysius Mutzart, VVichmans, Mireus, Alphonsus Fernandes in Concertatione Prædicat., Autor Alani redivivi, Cherubinus in Scholiis ad Bullarium, libelli Ascetici* tit. *Rosariorum, Manualium, &c. Scriptores vitæ Dominici; Catechismus Historialis, Diploma erectionis seu renovationis fraternitatis Rosarii in universitate Colonienſi per Doctores Theologiæ Prædicatorum Ordinis*, anno 1475.; & omni exceptione majora *diplomata Leonis X. Pii V. Gregorii XIII. Sixti V.* quæ vide in *Bullario*. Ita ut inventum sit novum plane: uti reipsa fateri coguntur *Scriptores Pontificii* modo *cit.*; & exsertis verbis *Thesi præced. cit. Augustinus VVichmans*. Nec dubitat quisquam quin annus 1216., (aut ut alii 1197.) ad nova tempora referendus sit. Occasiones & impulsivæ referuntur: *Externæ* quidem hæreses Albigensium, quas pro libitu exstirpare non poterat Dominicus Calaguritanus: *Internæ*, ejusdem Dominici zelus, & erga Mariam ab ineunte ætate devotio. Ad proëgumenas seu antecedentes etiam referre licet, *Officium B. Mariæ, seu preces & laudes Horariæ* jam inde ab anno 1095. frequentari cœptæ à Petro Damiano primum introductæ: de quibus infra aliquid dicendum. Fuit ergo Dominicus primus inventor Rosarii; & Alanus de Rupe ejusdem restitutor: ut ex *Autoribus* modo *citatis*, ita distinguit, & adversas, quæ videntur, opiniones de hâc origine conciliat, *Augustinus VVichmans lib. 1. Brabantiæ Marianæ 1. 7.* Confer quæ ex nostris habet *Rivetus lib. 2. Apolog. Marianæ cap. 12.* Altius originem hanc accersi, & quidem variantibus sententiis indicat *Zvvarez loc. cit.* Ipse tamen non credit. *Causas superiores*, si quis quærat, commonstrat Dominicus Mariam, quæ suasit, primum, &c. Vide *ejus vitam & historicos* modo *cit. Pius V. in Bullâ* tribuit inventum hoc Spiritui Sancto. II. Causæ usus seu executionis hujus Mariolatriæ, sunt 1. *Principales*, Idololatræ in Papatu; & κατ' ἐξοχὴν Ordines Monachorum & Sodalitates peculiariter Patrocinio, & cultui Mariano affixę, intercedente peculiari confœderatione & quasi voto, tanquam fundamento hujus peculiaris cultus Mariano-rosariani, quod solemni nominis scriptione in albo Fraternitatis, & nonnunquam præstito juramento ad ingressum Sodalitatis, nec non assumto titulo & denominatione mysticâ à B. Virgine signatur & obsignatur. Adeò ut Collegia illa religiosa & mystica sive Regularium, sive Sæcularium sint causæ. 2. *Adjuvantes* promoventes, atque impellentes ad dictum cultum; per *modum impetrationis* gratiarum spiritualium & indulgentiarum: & per *modum signi* significantis seu mysticæ figurationis: per *modum signi* memorialis: consequenter per modum *medii excitantis*, dum vires unitæ sunt fortiores, & mutuò se excitant, movent, promovent

ad

ad communem ac socialem cultum. Sed de Mysteriis & virtute Fraternitatum alibi. 3. *Instrumentales* sunt duum generum: vel arbitrariæ & speciales ad bene esse & ad abundantem cautelam; vel necessariæ & communes. *Illæ* sunt Medalia, & scapularia Mariana, quorum supra meminimus. Quantus autem sit scapularium usus (ut de vestibus sacris & mysticis in genere hic nihil dicam), vel inde constat, quod in Brabantiâ frequens sit confraternitas Mariana sacri scapularis, de cujus origine & celebritate *VVichmans in Brabantiâ Marianâ lib.* 1 *cap.* 7. *pag.* 90. 91. *Istæ* sunt, globuli precatorii, quæ metonymicè ideo dicuntur *rosaria*, Belgicè Roosen-Hoepken/ Pater noster/ Cralen vÿftich: de quibus cursim hæc paucula annotamus.

DE GLOBULIS PRECATORIIS.

ESt series globulorum, seu sphærularum, seu baccarum concatenata: 4
ubi ad numerum minorum recitantur totidem salutationes angelicæ (150, aut 50. aut 63.) & ad numerum majorum, totidem orationes Dominicæ (15. aut 7. aut 5.) 1. *Materiale* hujus instrumenti mystici, globuli seu corpora illa sphærica ex ligno, ossibus argento, lapidibus pretiosis aliave materiâ; & quidem certo illo numero atque ordine distincta ac disposita: ut inter denas quasque minores interjiciatur major. Atque hæc sunt de essentiâ Rosarii ex primâ institutione & inventione Dominici. Tres minores supernumerarios vulgò nunc adjiciunt, cum uno majori, & cum cruce seu imagine crucifixi. Ad quinque ista recitant pro arbitrio quinque orationes Dominicas; aut quinque salutationes Angelicas in honorem quinque vulnerum Christi; aut ad tres minores, tres salutationes Angelicas; & ad majorem ac crucem Symbolum Apostolorum, & Decalogum: aut loco ejus pręcepta Ecclesiæ, siquidem orent Rosarium pro statu Ecclesiæ. Appendicem & ornatum subinde faciunt medalia, quæ sancti alicujus imaginem, imprimis statuarum miraculosarum Mariæ, aut annunciationem ejus continent. 11. *Formale* est ipsa ratio instrumenti mystici, quæ consistit in excitatione, directione, atque adjumento mentis & memoriæ ad cultum illum ritè absolvendum. 111. *Fundamentum* hujus formæ ac rationis mysticæ est geminum, remotum & propinquum. *Remotum* est institutio & ordinatio Ecclesiæ Romanæ seu Papæ: cujus judicio & approbatione (*Bullis* & *Indulgentiis* quamplurimis declarata, nominatim *Sixti IV. Leonis X. Pii V. Gregorii XIII. Sixti Quinti, Clementis VIII.*) globuli ad usum hunc mysticum consecrati, & Marianis devotariis tanquam cœlesti oraculo traditi sunt. *Propinquum* est, tum benedictio, seu consecratio Sacerdotis præsidis fraternitatis Rosarianę

sarianæ sub Dominicanis, cum facultatem illam impartit Generalis Ordinis Dominicani juxta privilegium à Pio V. concessum; uti refert *Conradus Sittardus in Rosario pag. 66.* Modus benedicendi est per lectionem collectæ de Rosario (quæ exstat in *Appendice Missalis Dominicanorum*), & aspersionem aquæ benedictæ. Exhibet eam Sittardus lib. cit. pag. 71. 72. 73. Ubi præmissis antiphonis, sic orat inter alia: *Ut hæc signa Rosarii in honorem & laudem ejusdem genetricis filii tui ab Ecclesiâ tuâ fideli dicata bene ✠ dicas & sancti ✠ fices, eisque tantum infundas virtutem Spiritus Sancti, ut quicunque horum quodlibet secum portaverit, atque in domo suâ reverenter habuerit, ab omni hosti visibili & invisibili semper & ubique in hoc sæculo liberetur, & in exitu suo à beatissimâ Virgine Mariâ Dei genetrice, tibi plenus bonis operibus præsentari mereatur, &c.* An & quomodo Ordines alii, nec non Sacerdotes quilibet sæculares rosaria benedicant, peculiari & privilegiatâ, an verò communi benedictione adhibitis formulis communibus juxta *rituale Romanum*; & an non Episcopis quibusvis potestas ea benedicendi concessa sit: ex *bullis Pontificum, & decisionibus Cardinalium*, nondum discere licuit. *Sittardus* videtur solis Dominicanis hoc privilegii vindicare *pag. 66.* IV. Hinc *effectum formale*, est virtus mystica *per modum impetrationis* gratiam scilicet Dei, ita ut non tantum hujus instrumenti actualis usus in precando, sed etiam sola ejus gestatio seu circumlatio, indulgentiarum participes reddat: per indulgentias in frà indicandas. 2. *Per modum applicationis.* quatenus inservit excitando, promovendo, dirigendo exercitio devotionis Mariano-rosarianę. V. Adjuncta, consequentia & particularia effecta atque usus sunt 1. Quod tam communis & frequens hujus usus & circumgestatio sit in Papatu, ut vel inde tanquam ex insigni quodam, & Symbolo manifesto Papistam seu idololatram Marianum cognoscas. *Nemo enim nec nostrum nec vestrum dubitat Papistam vel Romanæ fidei pronuntiare eum, ex cujus vel cingulo, vel collo, vel manu Rosarium perpenderit*: ait Hyperaspistes Rosarii. 2. Quod ordinariò bonorum affluentiam & benedictionem, & à malis custodiam homini præstet. Exemplum habes apud *Flaminium in vitâ Dominici*, & *Bzovium in Annal. anno* 1213. ubi admirabiles illæ victoriæ contra Albigenses virtuti Rosarii adscribuntur. Hinc Exercitus Romano-Catholicus pro vexillis & signis effigiem Rosarii ducebat. 3. Quod extraordinariò multis miraculis à Deo condecoretur. Vide ea in *Catechismo Historiali cap. 2. tit. 45.* 4. Quod ipsa figura, numerus, & dispositio *globulorum* mysticâ suâ significatione non videatur carere. De numero saltem, referunt, 150. designare numerum psalmorum Davidis; quorum numerus per tres quinquagenos divisus trinitatem, aliaque mysteria repræsentat.

Vide

Vide *Bongum de Mysteriis numerorum, pag.* 589. 90. Et Numerus 15., quindecim mysteria Euangelica vitæ Christi & Mariæ; quinque scilicet gaudiosa, quinque dolorosa, & quinque glorioſa: quæ vide infrà. *Hyperaspistes Rosarii pag.* 56. sic explicat mysteria: quod oratio Dominica quinquies repetita quinque vulnerum Christi memoriam refricet: & salutatio Angelica cuique oratio Dominica decies subjiciatur, ut in mentem nobis veniat decem Præceptorum; & eadem quinquagies toto rosario iterata plenam peccatorum remissionem, quæ quinquagenario numero Jubilæi, in Scripturis divinis significatur, intercessione beatissimæ Virginis per merita Dominicæ passionis consequi nos faciat. *Autor præfationis in Rosarium T. VV. A.* & ante ipsum Navarrus aliique mystici speculatores, tria parva rosaria, sive tres partes magni rosarii assimilari dicunt *tribus rosarum generibus, albis, rubris, & Damascenis. Sicut enim tres isti colores, tres animorum affectiones, gaudium, dolorem, & gloriam repræsentare solent, ita hæc tria rosaria, tria mysteriorum genera, gaudiosa, dolorosa, gloriosa continent, & devotis mentibus meditanda proponunt.* VI. Efficientem causam & originem horum globulorum supra indicavi. Inventorem scilicet esse Dominicum, & restitutorem Alanum de Rupe. Quamvis *VVichmans loc. cit.* & *Hyperaspistes Rosarii pag.* 66. 67. altius initia & rudia lineamenta hujus artis accersere satagant, à Paulo Lybico apud *Cassiodorum histor. Tripart. lib.* 8. *cap.* 1. & *Nicephorum lib.* 11. *cap.* 36. & à Petro Eremitâ anno 1090. apud *Baronium*, & *Polydorum Virgilium lib.* 5. *cap.* 9. & diu ante istum Petrum Eremitam à S. Gertrude, quæ *congerie lapillorum suas orationculas Domino annumerabat:* Ita habet ejus vita, teste *Henrico Sedulio comment. in vitam S. Claræ cap.* 2. Quin & Nivellæ in Sacrario Virginum, S. Gertrudis (quæ obiit anno 664.) rosarium seu corona ex globulis contexta asservatur: teste *Vichmans loco cit.*

Fines & Effectus Rosariani cultus sunt isti. 1. Quod honor & cultus D. Virginis potissimum in eo exerceatur. *Fr. Arias de Rosario, documento* 5. *pag.* 142. 11. Quod augeat & accendat mirificè omnem pietatem & devotionem, & dilectionem nominatim Marianam. *Idem pag.* 154. & ita passim amplificant, *Scriptores de Rosario.* 111. Quod Mariæ valdè gratus sit: *Fr. Arias* 154. Et hoc inde probatur, quod frequens salutationis Angelicæ iteratio admodum illi grata sit; uti docent illustribus exemplis *Cæsarius, Cantipratanus*, & helluo omnium fabularum Jesuita *Drauroeltius in Catechismo Historiali cap.* 2. *tit.* 34. 35. IV. Quod dæmonibus maximè exosus, formidabilis & noxius sit; uti ipsi dæmones & opere, & exsertis verbis fidem faciunt (quorum testimoniis an falsum subesse possit, Pontificiis disquirendum relinquo). Vide exempla in *Catech. histor. tit.* 45. 5

num. 7. 8. & *Delrio lib.* 6. *Disq. Magic. cap.* 2. *sect.* 3. *qu.* 1002. v. Quod miraculosos effectus edat in liberatione, protectione ab omni malo. Vide exempla in *Catechismo historiali cap.* 2. *tit.* 44. 45. Imprimis etiam ab infestationibus dæmonum, *Catechism. histor. ibid.* Et *Delrio disq. Magic. libr.* 6. & *Fr. Arias pag.* 167. Confer *Riveti Apolog. Mar. libr.* 2. 15. VI. Quod liberet à pœnis purgatorii; *Fr. Arias pag.* 17. & hoc ipsa Maria Johanni XXII. apparens adfirmavit; idem confirmant in *Bullis suis de fraternitate Marianâ sacri scapularis Iohannes XXII.* & *Clemens VII.* Et ratio manifesta est: quia est præcipuum medium satisfaciendi Deo pro peccatis: quippe quod reducitur ad opera pœnalia satisfactoria; & plerumque pœnitentibus imponitur. VII. Breviter, quod gratiam in præsenti, & gloriam in futuro, varioque bonitatis divinę effectus ordinarios & extraordinarios seu miraculosos producat; (*Catech. histor. tit.* 34. 49.) idque per modum satisfactionis, & meriti. Est enim opus pœnale, & opus meritorium κατ' ἐξοχὴν; immo in ejus usu tanta merces ut supererogatoriè & aliis prodesse, imputari & applicari queat. Quæ omnia in *Marialibus, Panegyricis, aliisque scriptis Marianis* plus satis inculcantur: ubi de utilitate cultus Mariæ.

6 *Adjuncta Rosarii.* Sunt 1. Officium Rosarii. II. Missa Rosarii quam instituit Alexander VI. anno 1494. & Paulus III. anno 1573. 13. Augusti; sed quæ tantum permittitur Ordini Prædicatorum, non aliis. Sic determinavit S. congregatio Rituum, apud *Barbosam in Collectaneis, & Gavantum part.* 1. *Thesauri sacrorum Rituum*: quem vide de hâc Missâ *pagina* 291. - 295. Aliis Sacerdotibus quando onus in Legato pio imponitur celebrandi Missam peculiarem de Rosario, tunc loco ejus alia votiva B. Virginis de tempore celebranda est: *Barbosa ibid.* III. Templa & Altaria Mariano-rosariana: de quibus *bullæ Papales* mox citandæ. IV. Festum rosarii quod institutum est à Gregorio XIII. celebrandum primâ dominicâ Octobris, & quidem duplici majori officio; in omnibus Ecclesiis, in quibus adest Altare seu Capella rosarii. Debet autem præponi festo Michaëlis, Angelorum custodum, & S. Hieronymi. Vide *Gavanti Thesaurum sacrorum Rituum, part.* 2. *pag.* 166. Tempus, occasionem, & modum instituti hujus festi, habet *bulla Gregorii:* quam vide *in Bullario.* V. Supplicatio seu processio Rosariana huic festo conjuncta: quam descriptam vide in *Augustino VVichmans Brabantiâ Marianâ lib.* 1. *pag.* 114. 115. Quę vel annua in festis Mariæ, vel menstrua; ut ex *bullis Gregorii XIII.* lectori, cujus interesit hæc penitius rimari, constare poterit. VI. Fraternitas rosarii: quæ à Dominico prædicata licet ad tempus neglecta, demum renovata est Coloniæ ann. 1475. & confirmata à Papâ Sixto IV. anno 1478.

& ab

& ab eodem ac pluribus sequentibus Papis ditata multorum annorum indulgentiis. Sed de Fraternitatibus alibi ex professo agendum. Sunt & alia adjuncta partim concomitantia, partim requisita Rosarii. I. Quod præcipuum & essentiale ejus fundamentum sit fides actualis, seu actuum fidei exercitatio circa Christi mysteria. *Fr. Arias pag.* 29. II. Reverentia interior & exterior, omnisque præparatio, dispositio, & modus, quo Maria coli debet, de quo vide *Fr. Ariam pag.* 199. 207. III. Quod variis modis legi & exerceri possit Rosarium. De quibus vide *Ariam pag.* 53. IV. Quod in vocali ejus recitatione observanda, tempus, locus, reverentia exterior, divini auxilii imploratio, humilitas, attentio, interior devotio. Vide *eund. pag.* 57. V. Quod alter modus sit exercendi rosarium tantum mentaliter per meditationem & contemplationem. *Ibid. pag.* 69. VI. Comparatum adjunctum est, quod modus rosarii tantummodo vocaliter recitandi sanctus sit & fructuosus; attamen modus mentaliter tantum legendi & revolvendi priori longè utilior. *Ibid. pag.* 70. ad bonam vitam plurimum faciat *pag.* 74. omnique hominum generi conveniat *pag.* 82. Hæc ille de suo rosario, quæ vulgari rosario analogicè applicanda. *Navarrus Miscell. de myster. Psalter.* 21. negat necessariam esse 15. mysteriorum meditationem in recitatione Psalterii; & satisfacere aliquem recitando, quamvis nihil cogitet de rebus divinis, vel de Deo, modo in genere & *virtualiter intendat* satisfacere orationi susceptæ aut impositæ, *ut si quis petat librum aut breviarium animo satisfaciendi orationi*, vel ob id eundo in Ecclesiam. *Bulla Sixti IV.* fraternitatibus Rosarii indulgentias 100. dierum concedit, quotiescunque in præcipuis festis Mariæ *per se, vel per alium*, rosarium *legerint, seu legi fecerint, &c.* Negat tamen hoc de fratribus *Navarrus Miscell.* 27. *num.* 33. & cum eo *Cherubinus in compendio Bullarii, Append. pag.* 6. quod ad indulgentias scil. Leonis X. VII. Adde hoc adjunctum ex omnibus prioribus resultans, Gloriam, excellentiam, dignitatem & pretium hujus rosarii: *A piis*, inquit Franc. Arias de Rosario, docum. 1. pag. 28., *Sanctis, & à Deo instructis hominibus jam inde ab exordio Ecclesiæ frequentatum fuit; hinc namque omne illud auxilium & veram consolationem, quibus animæ illorum affluebant, hauserunt.* Idem *docum. cit. paragr.* 1. demonstrat eas laudes, quæ fidei tribuuntur, fideli considerationi mysteriorum Domini & Servatoris nostri Jesu Christi, quæ in Rosario exercetur, convenire. Sed de effectis, & excellentiis Rosarii videndi *Albertus de Castello de virtute Rosarii, Præfationes Rosariorum, & Libellorum Asceticorum pro Sodalitatibus Marianis, Carthagena in Homiliis, &c.* Studiosi nostri, qui nunc compendio uti debent, adeant *Riveti Apologiam Mariæ, libr.* 2. *cap.* 15. VIII. Adjunctum privativum, est vitium ferè commune omnium, qui Rosarium legunt, quod solas orationes Dominicas

minicas, & salutationes Angelicas recitare solent, sine ullâ meditatione & memoriâ mysteriorum; satis enim ipsis est adorationum verba & sensum attendere. Quod quamvis etiam bonum & utile sit, attamen præcipuum fructum, quæ hauritur ex meditatione & gustu Dominicorum mysteriorum, amittunt. Sic *Arias pag.* 90. 91. Subdit ibid. *Sed hujus Rosarii ex* 50. *mysteriis constantis usu, totum hoc vitium, in quod multò maximâ pars hominum corruit, reparatur.* 1x. Denique indulgentiæ hujus Rosarii multiplices, quarum catalogum vulgares libri Sodalitatum exhibere solent. Possunt autem distribui in eas quę conceduntur, 1. *Pro* inscriptione in Fraternitatem *Innocentii VIII.* anno 1484. die 13. Octob. 2. *Pro* gestatione globulorum, *Innocentii VIII. bullâ*, anno 1488. quæ incipit: *Splendor gloriæ Paternæ.* Et *Alexandri VI.* anno 1494. *Illius qui perfecta caritas.* 3. *Pro* lectione aut integri rosarii, aut *Ave Maria*, &c. vide multiplices has sordes apud *Vincentium Hensberch pag.* 56. 57. 4. *Pro* quocunque opere bono à Fratribus rosarianis præstito, *Gregorii XIII. bullis tribus*, anno 1579. 3. *Ianuarii*, 25. *Maji*, 1. *Iunii.* 5. *Pro* præsentiâ in processionibus Rosarii in festis B. Virginis: *bullis Pii IV. anno secundo Pontificatus* 31. *Februar.* & *Pii V. anno* 1569. & *Gregorii XIII. bullis quatuor*, ubi processionibus menstruis plenariæ indulgentiæ conceduntur. 6. *Pro* visitatione Templorum & Altarium rosarii: *bullis Pii V. anno* 2. *Pontificatus* 31. *Martii*: & 30. *Aprilis*: & *Gregorii XIII. anno* 1579. & *Leonis X.* 7. *Pro* gestatione rosarii, in quo unum sit granum, crux, crucifixum, aut medallium benedictum, quotiescunque opus misericordiæ fecerit, aut missam audiverit, aut sermonem, aut reverentiam exhibuerit sacramento, &c. *bullâ* seu indulgentiâ *Clementis VIII. anno* 1599. Hanc indulgentiam Romę impetraverat & inde in Galliam asportârat, atque ibi promulgârat *Iac. Davy* Episc. Ebroicensis, postea factus Cardinalis. Conceditur ibidem quotiescunque recitaverit quis orando pro defunctis, liberatio unius animæ ex purgatorio. Et custodienti ac cum devotione aut dolore super peccatis osculanti unum dictorum medalliorum, aut crucium, aut imaginum, decem annorum indulgentiæ, &c. Concluditur Papale hoc Euangelium valere has indulgentias pro omnibus & in omnibus locis; exceptis granis seu globulis benedictis, quæ tantum valebunt pro regno Galliæ. Post primam hujus Disp. editionem nactus sum tractatum Gallicum *I. L. de Beaulieu*, editum & dedicatum Illustri Heroi Philippo Mornæo Plessiaco anno 1600. tit. *Euangile de Rome &c.* ubi *lib.* 1. materia indulgentiarum Papalium, in genere, & *lib.* 2. factum & jus indulgentiæ Clementis VIII. fusè examinatur, præmisso etiam exemplo indulgentiarum ab eodem Clemente VIII. anno 1592. concessarum rosario & benedictis,

dictis globulis, crucibus, &c. ad instantiam Cardinalis Ratzivilii, Episcopi Cracovienſis, &c.

Diviſiones roſarii ſunt, vel in partes, vel in ſpecies. 1. In partes non uno modo dividitur. 1. *Zvvarez loc. cit.* dicit vulgo dividi in tres quinquagenas *Ave*, & ter quinas orationes Dominicas (addit *Author Præfationis ad Roſarium T. VV. A.*, tria *credo*): & ſingulas partes aliquando vocari roſarium (tria parva roſaria *Autori d. Præf.*) tertiam verò partem *roſarium* abſolutè dici, & ſic interpretanda eſſe vota dicendi roſaria, item onera ex pœnitentiâ impoſita, ut & privilegia, indulgentias, &c. Cum quo facit *Navarrus Miſcellan.* 19. Verum *Author Præfat.* modo *cit.* Roſarium ſtrictè acceptum eſſe illud quod 50. *Ave*, 5. *Pater*, & unum *credo* complectitur: illudque intelligendum eſſe cum roſarium alicui pro indulgentiâ, pœnitentiâ, &c. recitandum præſcribitur. 3. Ex ſubjectâ ſeu contentâ materiâ poſſet etiam dividi, 1. in precationes propriè & ſtrictè ſic dictas, & in meditationes ſeu recordationes myſteriorum Euangelii: quæ iſto definito numero precationum myſticè deſignantur. 4. Rurſum ipſa materia meditationum in tres partes dividitur, gaudioſam, doloroſam, glorioſam. *Illa* continet quinque myſteria gaudioſa, Annuntiationem Gabrielis; Viſitationem Elizabethæ: Nativitatem Chriſti, cum circumciſione, & adventum Magorum: Purificationem cum præſentatione: Inventionem Chriſti in Templo. *Iſta*, quinque myſteria doloroſa, Agoniam Chriſti in horto: Ejuſdem flagellationem cum aliis contumeliis: Coronationem cum ſpinis, & condemnationem ad mortem: Bajulationem crucis: Crucifixionem & mortem. *Hæc* quinque myſteria glorioſa, Reſurrectionem Chriſti: Aſcenſionem: Adventum Spiritus Sancti in ſignis viſibilibus: Dormitionem ſacræ Virginis, & tam animæ quam corporis ejus in Cœlos aſſumptionem: Glorioſiſſimam ejuſdem Virginis in Cœlis coronationem. *Bellarminus in Compendio Catechetico*, quod in gratiam Orientalium in Arabicum ſermonem traductum eſt, quartum & quintum generaliter & ſimpliciter ſic effert: *aſſumtio Virginis matris Dei in Cœlum; & coronatio atque exaltatio ipſius ſuper omnes choros Angelorum. Idem in Catechiſmo majori*, Italicè ſcripto, & anno 1611. Anglicè, Duaci, & 1624. Latinè, Pariſiis edito, *cap.* 5. myſterium pulſus triplicis ad Ave Maria matutini, meridiani, veſpertini ſic explicat, ut recordaremur tria principalia myſteria redemtionis noſtræ, & ſalutaremus noſtram Dominam mane in memoriam reſurrectionis, meridie in memoriam paſſionis, veſperi in memoriam incarnationis. Quia, uti certi ſumus Dominum in meridie cruci affixum, & reſurrexiſſe mane; ſic probabiliter cogitamus incarnationem nocte factam eſſe. 11. 7

In ſpecies. 1. *Vnivocas*, Et ſic dividitur in roſarium ſimplex, idque vel *magnum* vel *parvum* (quibus terminis utitur *Autor Præfat.* modo *cit.*): & in roſarium cum gradu & modo excellentię. Quale pro exuperantiâ devotionis Marianæ multiplex excogitari poteſt. Memorabile putatur illud *Navarri in Miſcell.* 24. quod propterea exhibetur à *Catechiſmo hiſtor. tit.* 45. tanquam *utiliſſima & facillima Roſarii orandi ratio.* Eſt autem tale. *Primò*, ut myſterium &c. reliqua (ut chartæ parcam) illic legantur. *Autor Roſarii Belgici I. D. G.* editi Sylvæ-Ducis, anno 1526. apud Scheffe-rum: & *Roſarium Belgicum per modum Hortuli Animæ I. D. G.* Antwerpiæ apud Verduſſen, anno 1620. pag. 133. varios modos Roſarii enumerant, inter quos accommodatus ad nomen Jeſu, item ad ſeptem Eccleſias Romæ, & in honorem venerabilis Sacramenti, &c. *Vincentius Hensberch in ſuo Roſeto* aſſignat modos decem. Sed hâc vice propter anguſtiam chartæ & temporis non deſcribemus: ſuffecerit indicaſſe. 2. *Analogicas.* Ita roſarii primum analogatum, ſeu principales ſpecies eſt illud, quod conſtat 150. *Ave Maria*, & 15. orationibus Dominicis: quod ideo etiam pſalterium Mariæ dicitur. Et hoc propriè dici roſarium, affirmat *Zvvarez*, ut & pſalterium Mariæ. Secundum analogatum, & ſecundaria ſpecies, non tamen tam publicæ autoritatis, & myſticæ virtutis eſt, quam privatę devotionis. Eſtque duplex, *Vna* proprio nomine dicitur *corona Mariæ*: de quâ Zwarez loc. cit. quod conſtet 73. *Ave*, & 7. *Pater*, quę *à piis hominibus inventa creditur in memoriam & honorem totidem annorum, quos Mariam vixiſſe probabile eſt; & ideo vocatur corona hæc oratio, quia perfectum circulum vitæ* ejus *repræſentat.* Addit ibidem, *eam non intelligi in rigore nomine roſarii, ac ſubinde ad eam non pertinere gratias & favores in commendationem roſarii à Pontificibus conceſſos; ideoque licet pia ſit devotio, non eſſe tamen tam autenticam.* Sic ille. Alii tamen (ut *Catechiſmus hiſtorialis*) promiſcuè accipiunt *Coronam*, & *Roſarium*. Nec prætereundum, quod *in indulgentiis Clementis VIII.* anno 1592. ad inſtantiam Cardinalis Ratzivilii, Roſarium Italicè dicatur *Corona*. Et videtur nomen coronæ etiam ſatis antiquum eſſe (antiquitatem Papiſticam intelligo). Ita ut monaſteria inde denominata ſint; inter quæ monaſterium Ciſtercienſium in civitate Heuſdanâ, Patriâ meâ, tit. **Marien-kroon** fundatum circa ann. 1382. *Autor Præfat. cit.* vult coronam Mariæ ab ipſo Dominico, aut aliquo ejus diſcipulo primitus inſtitutam, & diſtinguit à Roſario, eique affine quid ſtatuit. Addit continere 63. *Ave*, quot annos Maria vixiſſe putatur. Dividitque *ibid.* in ſeptem partes; quarum ſex ſunt Decades (ſingulę enim orationem Dominicam, & decem ſalutationes Angelicas complectuntur), ſeptima tantum ternario numero ſalutationum angelic. completur,

cum

cum oratione Dominicâ præmissâ, & Symbolum in fine adjuncto. *Franciscus Arias* Jesuita *tract. de Rosario, pag.* 92. longè aliter censet ac Zwarez: *Rosarium hoc* (nempe Bloisii & Lanspergii) *quotidie legendo exercemus simul rosarium vulgare quod constat quindecim mysteriis: quia hæc* 15. *mysteria in* 50. *illis mysteriis, quibus hoc rosarium, quod hoc loco tradimus, conficitur, includuntur: exercemus etiam illud majori cum fructu, quia memoriam & considerationem* 15. *mysteriorum non omittentes, simul devotionem cæterorum mysteriorum considerationi & piis orationibus, quæ in hoc rosario continentur, augemus.* Joh. Bourgesius Jesuita lib. 2. de bono Sodalitatis Partheniæ, &c. cap. 8. sic distinguit & conciliat: *Quare ut Rosarium ac Psalterium Dei Matris à S. Dominico ejusque Ordinis Patribus inductum, avidè arreptum, & ab universis maximè frequentatum fuit: ita Religiosi Patres S. Francisci coronam LXIII. salutationum Angelicarum, quot annos ab iis vixisse credebatur Deipara, interjecta ad decades singulas oratione Dominicâ, facillimè propagârunt, atque in usum apud omnes propè fideles induxerunt. Canisius noster, & qui B. Virginem ad septuagesimum usque secundum aut tertium ætatis annum attigisse credunt (quâ in sententiâ est Illustrissimus Baronius) septimam adjiciunt decadem. Nec difficile est supra commemoratas precandi formulas in Rosario usurpatas ad hanc quoque coronam accommodare, quia possunt quoque septem gaudia Deiparæ aut mœrores præcipui mente retractari, aut tota illius, Christique Domini ejus filii vita ac passio brevi compendio recensèri. Quare brevem ejus elenchum quemque sibi conficere oportet, aut ex editis libellis mutuari, in quibus & aliæ formulæ recitandi Rosarii aut coronæ comperientur, ut illa quæ pientissimi Abbatis Blosii operibus inseritur. Aliæ item plures in operibus Iusti Lanspergii Carthusiani cum pietate leguntur. Corolla B. Virginis duodecim constat salutationibus Angelicis, ad memorandas duodecim singulares ejus prærogativas, seu illustriores privilegiorum stellas, è quibus cœleste diadema compactum est, quo vidit eam ornatam B. Iohannes in Apocalypsi, cùm mulierem amictam sole vidit, & in capite ejus coronam stellarum duodecim. Quæ privilegia duodecim quoque panibus propositionis adumbrantur, duodecim fontibus in Helim, duodecim lapidibus in veste Pontificis Aaron intextis, duodecim lapidibus insertis in Altari; & ne omnes figuras colligam, duodecim fructibus ligni vitæ. Hæc enim beneficia à filio Salvatore, qui lignum est vitæ, ei communicata fuere. Interseritur trina oratio Dominica ad tres Augustissimæ Trinitatis personas, à quibus ea privilegia per filium & filii merito manârunt, quodque in iis & omnipotentia Patris, & sapientia Filii, & bonitas & suavitas charitasque Spiritus Sancti perspicuè eluceseat, nobisque adoranda proponatur. Vulgaris horum beneficiorum enumeratio hæc est: Primum, copiosissima gratia in immaculatâ conceptione; Secundum, Angelica salutatio; Tertium, Spiritus Sancti superventio; Quartum,*

Filii

Filii Dei conceptio; Quintum, virgo sine maculâ, & virginitatis primiceria; Sextum, sine corruptione fœcundâ; Septimum, sine gravamine & onere gravidâ; Octavum, sine dolore puerpera; Nonum, magnanimitas fide in credendo; Decimum, profunda humilitas in obediendo; Undecimum, maxima discretio sermonis in loquendo; Duodecimum, summa operis perfectio, & perseverantia in rectè agendo. Videtur tamen futura commodior partitio, si tres isti quaternarii salutationum, Deiparæ vitam historiamque omnem complectantur. Ut Primò, contineatur immaculata ejus conceptio; Secundò, immunitas ab omni peccato; Tertiò, acceleratio usus rationis, latissimaque nativitas; Quartò, præsentatio & educatio in Templo. Secundus quaternarius exhibeat, Primò, Angelicam salutationem, & æterni Verbi conceptionem; Secundò, gravidum impregnatum uterum sine corruptione, sine gravamine; Tertiò, virgineum partum salvâ integritate; Quartò, educationem filii Dei, intimamque cum eo tot annorum consuetudinem. Extremo quaternario recenseantur, Primò, martyrium ejus cordis ad crucis filii pedem; Secundò, gaudium in resurrectione, ascensione, conversationeque ejus in Ecclesiâ primitivâ; Tertiò, gloriosa assumptio & coronatio in empyreo cœlo; Quartò, denique patrocinium totius Ecclesiæ, & suorum maximè Sodalium & clientium. Concludi solet hæc corolla per Antiphonam Salve Regina, *cum adjunctâ precatione,* Sancta Maria succurre miseris. *Sed quando hæc corona & corolla à PP. Sancti Francisci profecta videtur, optima ejus conclusio futura est ea precatio, quam S. Franciscus Virgini addictissimus usurpare consueverat, uti refert Canisius: Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo in mulieribus, filia & ancilla altissimi Regis, Patris cœlestis, mater Sanctissima Domini nostri Iesu Christi, sponsa Spiritus Sancti, ora pro nobis cum Sancto Michaële Archangelo, & omnibus virtutibus Cœlorum, & omnibus Sanctis tuum filium dilectissimum Dominum & Magistrum. Amen. Iterum: Sancta Dei Genitrix dulcis & decora Regem morti traditum filium tuum dulcissimum, Dominum nostrum Iesum Christum pro nobis exora, ut ipse per suam pietissimam misericordiam & clementiam, & virtutem Sanctissimæ incarnationis, & mortis ipsius acerbissimæ nobis indulgeat peccata nostra, Amen. Aut si quis Ecclesiæ precibus magis oblectatur, ad corollam adjiciat hymnum:* Quem terra, pontus, æthera. O gloriosa Domina. Ave maris stella. Memento salutis auctor. Marię mater gratiæ. *Quemadmodum autem coronæ Deiparæ adjungitur hæc minor corolla, ita Psalterio S. Dominici potest adjungi, aut ejus vice ab hominibus occupatis legi Psalterium minus, trium orationum Dominicarum, & quindecim Angelicarum salutationum, quindecim Deiparæ mysteriis interim mente ac cogitatione recensitis. Altera* species Rosarii (si ita vocare liceat) minus principalis, est illa quam sacerdos Anglus T. W. in turre Londinensi anno 1584. inveniſſe dicitur, cum libris & precatoriis globulis

bulis destitutus esset: cujus usus (*in Præfat. cit.*) commendatur Pontificiis inter hæreticos degentibus, ubi globulorum non est copia. Possent & aliæ divisiones institui, secundum varios modos recitandi & exercendi per additionem, subtractionem, multiplicationem, divisionem, confusionem, reductionem, per integra, per fractiones & minutias, &c. Ubi primo occurrunt *Enchiridia*, *Manualia*, *Institutiones*, & similes communes *libelli Sodalitatum Mariæ*, *Manuale Verroni*; *Manuale collectum à Sodalitate Leodiensi*; *Manuale Cosseri*; *Leges Angelicæ parthenicæ Sodalitatis cum Ecclesiæ precibus & litaniis*, Coloniæ apud Gualtherum anno 1611. &c. quorum variæ methodi & editiones. *Deinde* particulares Formularii, ut *Rosarium per choros distinctum Vincentii Hensbergii*; *Viridarium Marianum septemplici rosario & exercitiis variis instructum*; *Ejusdem rosarium 12. Stellarum*, & *Exercitium Marianum per quatuor hebdomadas*, quod subjunxit *VVichmans suo Sabbathismo Mariano*; *Petri Dorlandi duæ coronæ rosaceæ B. Virginis*; *Henrici Lanceloti vincula Mariana 20. pampinis mysticis adornata*; *Gerardi Hamontani Exercitia pia de Psalterio Virginis*; *Rosaria aliquot valde pia in vitam & passionem Christi ex operibus Iohan. Iusti Lanspergii desumta*; *Sertum B. Virginis quinque partium*, *Vitâ & gestis Iesu Christi pulchrè exornatum*, *Autore Ludovico Bloisio*; quod recusum & editum à *Franc. Ariâ in Rosario*. Constat autem illud 50. mysteriis; quorum denis præmittuntur singulæ orationes Dominicæ, & denæ salutationes Angelicæ: & hoc ipsum vulgari rosario longè prætertur ab Autore *pag.* 90. Ita illi novas suas merces, quas quotidie advehunt, antiquis Romanis præponere solent. 111. Dividi etiam potest divisione accidentali, per subjecta, causas, &c. Et sic rosarii recitatio est 1. Vel sponte & voluntariâ devotione suscepta; vel ex aliquâ obligatione voti, aut impositæ pœnitentiæ; vel ad lucrandam indulgentiam. *Zvvarez loc. cit.* 2. Vel in communione & obligatione ordinis aut fraternitatis; vel extra eam.

Prærogativæ & fructus Fraternitatis & Rosarii ex *Coppensteinii lib. 3. de Fraternitatis SS. Rosarii, &c. ortu, progressu, statu, atque præcellentiâ, cap.* 14. & 15. enumerantur, antea fusè ab illo pertractatæ. I. Prærogativæ, quibus ea præ cæteris pollet, sunt vel propriæ, vel communes, quæ tamen excellentiori ratione hic inveniuntur. Illas facit 25. istas 18: quas, ne nimis prolixi simus, non exscribemus. II. Effecta & Fructus recensent 30.: quorum 1. *Est, esse sine quâcunque avaritiâ, Sacrilegio & Symonia.* 2. *Amor proximorum cœlestis ex eâ proveniens.* 3. *Pax villarum, & Communitatum concordia.* 4. *Communicatio orationis ad Christum, & ejus Genetricem.* 5. *Offensas pro proximis quaslibet puro corde indulgere.* 6. *Corporalis eleemosyna.* 7. *Bonum Consilium proximorum, & egregium documentum.* 8. *Correctio*

ctio Fraterna. 9. *Conscientiarum puritas per Confessionem.* 10. *Satisfactio pro peccatis, ratione communicationis in bonis.* 11. *Existentium in Purgatorio animarum liberatio.* 12. *Ducere Apostolicam vitam, simul Angelicam & Divinam, per sanctam bonorum communicationem.* 13. *Sublevatio spei per abundantiam bonorum in ipsa factorum, singularissimè in miserrimis peccatoribus.* 14. *Augmentatio meritorum, singulariter in imperfectis.* 15. *Charitativa consolatio tristium & dolentium.* 16. *Sancta religiositas, cunctos faciens quasi religiosos per bonorum sanctam communionem.* 17. *Dispositio ad omnia bona, ratione Confessionis.* 18. *Introductio ad omnia bona mundi causa charitatis fraternæ.* 19. *Fortitudo contra tentationes diaboli, carnis ac mundi.* 20. *Gaudium spirituale de gratiosâ Societate bonorum, & communicatione magnâ Sanctorum.* 21. *Securitas conscientiarum: cùm hæc Confratria ad nullum obliget peccatum mortale aut veniale; sed tantum ad pœnam pratactam,* (de privatione scilicet communicationis orationum Fraternitatis, tempore omissionis factarum in eâ.) 22. *Infantium & puerorum dispositio ad universam bonitatis viam, per inceptionem debitam divini servitii tempore juventutis.* 23. *A communibus tribulationibus hujus mundi, ut sunt guerra, fames, pestilentia, & hujusmodi liberatio, per communicationem peccantium cum bonis.* 24. *A mala morte præservatio, causa bonæ vitæ præcedentis.* 25. *Quod hæc Confraternitas quasi improportionaliter excedit omnes alias Confratrias, sicut tota hominis vita excedit unam solam ejus operationem.* 26. *Pauperum salvatio, carentium pecuniis pro ingressu aliarum Confratriarum.* 27. *Quod in hâc Confraternitate est major amor, quam inter Parentes, & amicos carnales, ratione communicationis meritorum.* 28. *Timere Deum.* 29. *Perfectio vitæ activæ, in ordine ad proximum.* 30. *Devotio vitæ contemplativæ; respectu Dei, Sanctorum & virtutum. Quorum XXX. bonorum, secundum Augustinum, minimum plus valet toto mundo corporeo; & tamen mirabile est, quod pro hujusmodi nihil temporale exigitur; nisi quantum devotio suggerit cuique dare in pios usus, aut causas.*) Hæc Alanus noster ex ore B. V. MARIÆ observata retulit in secreta adversaria & Commentaria sua, planeque prædicavit. Hæc omnia explicata, amplificata, & mysticè probata (scilicet) si cui videre libeat, is adeat dictum *Coppensteinium*, qui post & supra omnes à nobis citatos operosissimè idololatriam hanc in luce posuit 3. *libris de Fraternitate, & 2. libris de Clave prædicandi Rosarium, & institutum Fraternitatis.*

9 Affinia huic rosario sunt, 1. *In genere* omnia illa media, quibus *initio hujus Disp.* Mariam coli diximus; nec repetimus. *Franc. Arias documento* 5. 9. 10. 11. statuit tria media, in quibus potissimum consistit cultus & devotio B. Virginis, aliorumque Sanctorum; Reverentiam, Invocationem, Imitationem. Ad *reverentiam* pertinet, illos intrinsecè in corde magni

gni æstimare, diligere, de bonis eorum gaudere, &c. extrinsecus verò revereri ac venerari illorum nomina, imagines, memoriam, instructiones, verba, reliquias, & omnia, quæ ad ipsos spectant. Ad *invocationem* pertinet, offerre illis pia desideria, devotas orationes, & alia specialia obsequia & opera pia, ut jejunia, eleemosynas, pœnitentias, sacrificia Missæ. Ad *imitationem* spectat legere & audire vitas & virtutes Sanctorum, de his crebro meditari, illas in opus conferre &c. De imitatione Mariæ exstat *peculiaris tract. Fr. Ariæ.* Cum quo conferendæ *Costeri* 50. *meditationes in vitam Mariæ.* 11. *In specie* propius conveniunt 1. *Psalterium Marianum Bonaventuræ* toties recusum, & anno 1629. Belgicè translatum à Levino Ægidio. 2. *Hebdomada Mariana Richardi Stanihurstii in memoriam septem festorum Mariæ per singulos hebdomadæ dies distributa.* 3. *Ephemeris seu Kalendarium Marianum Ant. à Balinghem*; volumen in 8. satis spissum, & fabulis pæne infinitis suffultum: & *Kalendarium Mariæ Colvenerii.* 4. *Petri Dorlandi de septem gladiis Mariæ.* 5. *Ioachimi à Puteo de septem doloribus Mariæ*, Belgicè. 6. *Canticum, Salve Regina, in quod septem meditationes Costeri*; quem ex professo defendit *Zvvarez loco citato.* 7. *Rosarium, seu modus colendi Iosephum.* De quo mox. 8. *Litaniæ Mariæ.* 9. *Officium Mariæ.* De duobus postremis infrà agendum. 10. *Piæ laudes* in sacro ordine Servitarum, seu fratrum servorum B. Mariæ Virginis, anno 1241. (referente *Archangelo Gianio in Centuriâ primâ Annalium istius Ordinis lib. 2. cap. 2.*) institutæ, & quotidie recitandæ: quæ sex illas partes continebant: Salutationem Angelicam, usque ad *ventris tui*, in initio cujuslibet horæ, & in principio Missæ: Salve Regina in fine Missæ & horarum: Septem gaudia B. Virginis, quolibet Sabbatho in sero: Corona quinque Psalmorum incipientium à singulis literis Sanctissimi nominis B. Mariæ: Nocturnum cum tribus lectionibus de B. Virgine, quolibet sero ante completorium ob approbatam ab Alexandro IV. religionem: *Officium parvum B. Mariæ Virginis*; addita fuit anno 1276. Vespertina processio voto perpetuo Patribus edicta, quæ quotidie fit ad sacellum B. Virginis, dum cantatur *Salve Regina*; uti habet *Gianius lib. 4. cap. 5. 11. Rosarium* quinquaginta gaudiorum Mariæ; cujus meminit *Ioh. Lanspergius in Pharetrâ divini amoris pag. 50.* edit. in 18. 12. *Cultus* B. Mariæ exhiberi solitus à Sereniss. Reginâ Margarethâ Philippi III. Hispaniæ Regis uxore, quæ teste Autore *Bellipotentis Mariæ lib. 2. cap. 10.* & ex eo Ant. de Balingem in Kalendario ad 3. Octobris p. 530. quæ *adhuc puella, quotidie præter officium S. Spiritus, S. Crucis. præter 7. Psalmos, Litanias, aliasque preces solita erat recitare officium Deiparæ. Addito super hæc rosario. Matrimonio juncta instante puerperio curabat celebrari novem sacra (quibus & intererat) in*

honorem præcipuorum mysteriorum vitæ Deiparæ. A puerperio statim se sistebat & fœtum suum Deo & Virgini in aliquo ejus templo, quem & illi offerebat gratias agens de collato beneficio. Vt primum cognoscebat alibi B. V. se miraculis illustrem reddere, mox eò commeabat, preces & dona sua illi oblatura. Quod patuit in toto itinere ex Stiriâ Madretium usque. Die annuntiationis novem egenis fœminis, manibus suis cibum ministrabat in honorem 9. festorum ejusdem Virginis: quod quidem in omni vitâ sud observavit. 13. *Rosarium* auctum cultu Annæ matris Mariæ: quod pandit libellus in 8. editus tempore Papæ Innocentii VIII. hoc titulo: *Rosetum flagrantissimum regalis divæ Christiferæ Virginis, illibatæ Virginis Mariæ.*

Iesus Maria Anna.

Ubi post exhibitam renovatam institutionem Fraternitatis ann. 1475. ejusdemque confirmationem & indulgentias, subjungitur: *Valde gratum foret Virgini Mariæ, si fratres & sorores post cujuslibet Rosarii completionem in honorem matris Mariæ Sanctissimæ Annæ unum Pater noster annecterent. Quia ipsa est mœstorum præcipua Consolatrix. Concludentesque Rosarium dicendo. Benedictum sit dulce nomen Domini nostri Iesu Christi, & gloriosissimæ Virginis Mariæ matris ejus: & tota cœlestis Curia sit benedicta in æternum & ultra: Et benedicta sit Sanctissima Anna, ex quâ ô Maria sine maculâ tuâ processit caro Virginea. Amen. Quicunque hæc legerit habet à Clemente quarto tres annos, & à Sixto quarto quadraginta dies indulgentiarum.* Paginis aliquot post sequitur sermo de S. Annâ, hoc titulo: *Vinetum electissimum de duodecim privilegiis Sanctæ Annæ.* Duodecim illa privilegia tanquam *ramos seu flores à Deo collata, quibus ipsa fuit coronata,* sic Autor enumerat:

1. *Dicitur: Amabilis præelectionis.*
2. *Dicitur: Notabilis præfigurationis.*
3. *Dicitur: Nominalis gloriationis.*
4. *Dicitur: Excellentis nobilitationis.*
5. *Dicitur: Reverentialis celebrationis.*
6. *Dicitur: Opulentis fructificationis.*
7. *Dicitur: Spiritualis solatii vel consolationis.*
8. *Dicitur: Angelicalis visitationis.*
9. *Dicitur: Irreprehensibilis conversationis.*
10. *Dicitur: Divinalis cognationis.*
11. *Dicitur: Imperialis impetrationis.*
12. *Dicitur: Curialis cœlestis venerationis.*

Singula hæc pro more gentis & sæculi illic explicantur & amplificantur. Excipit vinetum, sermo alius hoc titulo: *Alius sermo notabilis valde de Annâ matre Mariæ sanctissimâ:* ubi sanctitas ejus in tribus illis consistere dicitur

dicitur, *in gratiâ* (scil. *divinali, excellentiâ speciali, sanctâ vitâ exemplari*: quæ tanquam totidem partes sermonis fuisse tractantur. Sermonem hunc proximè sequitur Distichon:

Anna parens Iesu Christi genetricis aveto
A nobis petimus omne repelle nephas.

III. *In specie* etiam aliquo modo symbolizant. 1. *Psalterium nominis Iesu, Autore Lævino Ægidio*, Belgicè. In quo notamus mysticam arithmologiam, & battologiam. 2. Peculiaris modus Rosarii in honorem nominis Jesu, editus cum Compendio institutionis Fraternitatis SS. nominis Dei. 3. Cujusdam *Cosens Coseningh devotions*, uti eas *Antagonistæ* ejus insigniunt, Anglicè. Qui Anglica attigerunt, de his aliisque infelicibus corruptelis consulant *Ladensium ἀντιθέσεις*.

COROLLARIA.

1. AN Fraternitates Marianæ, aliæque innumeræ in Papatu sint collegia civilia; an verò sacra seu Romano-religiosa fundamento, objecto, fine, formâ & dependentiâ suâ? *A. post.*

2. An Reformati piè, prudenter, decorè, & cum ædificatione illa Collegia de novo erigere, & instaurare; aut immatriculatione suâ eadem confirmare (ubi tolerantur); & sic quantum in se est ab abolitione & interitu vindicare possint? *N.*

3. An cum Rebuspublicis & Ecclesiis reformatam Religionem amplexis consistere possint ordines equitum sacrorum, aut sacrarum Fraternitatum, quæ tantùm à Papâ seu sede Romanâ dependeant, cætera planè independentes ab omni Magistratu Politico? *N.*

4. An hic sufficiat exceptio illa, de Papę Romani neutralitate. *R. Neg.*

DE PSEUDO-PRECATIONIBUS, ROSARIIS, LITANIIS, HORIS CANONICIS, ET OFFICIIS ECCLESIÆ ROMANÆ,

PARS SECUNDA.

Resp. LAMBERTO vanden WATERLAET;

Ad diem 15. *Octob. Anno* 1642.

APPENDIX DE ROSARIO ET CULTU S. PATRIARCHÆ JOSEPHI, SPONSI B. VIRGINIS; ET ANNÆ MATRIS MARIÆ.

10 ROsarium Josephi, hoc est, certus modus & forma venerandi atque orandi Josephum, edita est Belgicè, Antwerpiæ, anno 1627. apud Verdussen: tit. *Fraternitas sub nomine & in honorem Sanctissimæ Virginis Mariæ, & ejus Sponsi Josephi, ad consequendam beatam mortem, & gratiam ad eam necessariam, apud Patres Carmelitas Discalceatos, &c.* Constat autem Rosarium Josephi litaniis Mariæ Lauretanis, aut Rosario Marię, cum preculis ad Josephum, & septem exercitationibus super septem doloribus & gaudiis Josephi. *Fundamentum* hujus cultus est. I. *Remotum* excellentia & dignitas Josephi, supra omnes Patriarchas, immo & Apostolos ac Johannem Baptistam: de quibus vide *Barradium* & *A Lapide in Matth.* 1. ubi & alii complures citantur. Adde, quæ instar omnium, *Vitam Josephi* apud Plantinum, anno 1627. II. *Propinquum*, ejus beatitudo & canonizatio, Templa, Altaria, Monasteria dicata, festaque illi assignata. III. *Proximum*, est hujusmodi rosarii seu formæ colendi Josephum, ut & Fraternitatum Josephi in Ecclesiâ Romanâ institutio, & confirmatio, additis indulgentiis & privilegiis modo & more solenni. De quibus vide *libellum Fraternitatis modo cit.* & *Bullas Clementis VIII. Pauli V. Vrbani VIII. de his Fraternitatibus.* Atque hæc omnia ita novissimis hisce temporibus impleta, ante sæcula aliquot prædixerat *Isidorus Isolanus* Dominicanus *in libro de S. Josepho*: uti refert *Libellus Fraternitatis. Adjuncta & effecta* admiranda hujus cultus Josephini abundè prædicat *S. Teresia, ex cujus vitâ* excerpta exhibet *Libellus Sodalitatis modo cit.* Quod ad cultum, rosarium, & Fraternitatem Annæ matris B. Mariæ, institutâ fuit illa Coloniæ, anno 1494. & postea ab Innocentio VIII. confirmata, quam cum aliis filialem vocant fraternitatis Rosarii, tanquam communis omnium fraternitatum Papalium matris. *Ioh. Trithemius* (qualis hic vir fuerit & quam suspectus Magiæ, inter se disceptant Pontificii: de quo supra *Disp. de Magiâ*) integrum *de eâ Tractatum* edidit, ex quo purpureos quosdam pannos exhibet *Coppenstenius lib. 2. cap. 12.* Sed ita, ut exorbitantia Annę prędonia ad B. Virginem transferat, & hujus nomen illius substituat.

11 Atque hæc quidem thetica delineatio Rosarii Mariani: sequitur nunc pars elenctica, ubi primo generalis & capitalis controversia est inter nos

& Pon-

& Pontificios, An talis forma seu modus cultus religiosi sit tam utilis ac necessarius, ut illi prædicant; an saltem sit licitus. Illi *Aff.* utrumque: idque tum communi & perpetuâ praxi, tum exsertis disputationibus & exaggerationibus, apud *Canisium*, *Martinum Delrio*, *Zvvarezium*, *Busæum*, *Paludanum*, *Coppensteinium*, suprà *cit.* Nos *Neg.*; immo contradicimus totam illam religiosi cultus rationem ac formam esse φιλοθρησκειαν, idololatriam, superstitionem, hæresin, hypocrisin & irreligiositatem, errorem & indiscretionem, profanam novitatem, breviter chaos multorum peccatorum, quod Deo displicet. *Arg.* 1. Quia nusquam in tabulis juris divini, Scripturâ scilicet, ea comparet; Immo & multipliciter illi repugnat; quod indicabunt sequentia argumenta: Ergo est φιλοθρησκεια. Mirum sanè esset, si tam necessariam & tam compendiariam viam ad gratiam & gloriam, tamque utile augendæ devotionis ac pietatis organum, ubique non inculcâssent (imprimis ubi de oratione agunt) nec ipsi usurpâssent Apostoli, & Ecclesiæ Apostolicæ. Est enim cultus & devotio erga Mariam una ex notis insignioribus prædestinationis: uti peculiari *libro tit. Tessera salutis*, ex Scripturâ, Patribus & Ecclesiæ Doctoribus demonstrat *Steph. Binetus* Jesuita. Hoc solum argumentum sufficeret. Vide & expende textus *Matth.* 15.9. *Coloss.* 2. 23. *Ezech.* 20.19. II. *Arg.* Quia est crassa & multiplex idololatria. 1. Cum toto Rosariano cultu directè tenditur in Mariam; seu ad religiosum honorem Mariæ totus ille cultus peragitur. 2. Cum in honorem (religiosum) Sanctorum rosaria recitantur, & illâ recitatione Sancti seu Patroni quilibet coluntur. 3. Cum ipsa Maria immediatè invocatur. 4. Cum decies invocatur, & Deus semel. 5. Cum festa, missæ, officia, supplicationes seu processiones Rosarii, item peregrinationes, fraternitates Rosariorum, adhibentur & suscipiuntur. Quæ omnia hic modo indicamus; Suis quæque locis demonstrata, *de Idololatriâ*, *de invocatione Sanctorum*, *de Processionibus*, *Festis*, *&c.* III. *Arg.* Quia in modo, & formâ cultus est multiplex superstitio. 1. In essentialibus, ut in definito numero precationum ac meditationum, idque ad globulos; eorumque benedictione seu consecratione, affrictione ad statuas seu imagines Mariæ. In his ergo dum quæritur & statuitur mystica significatio, efficacia, & operatio salutaris ad mali spiritualis ac temporalis aversionem, omnisque boni consecutionem, committitur superstitio. 2. In accessoriis, ut in globulorum benedictione Papali; & in medalio seu imagunculâ, aut cruce globulis appensâ. IV. *Arg.* Quia implicat quamplurimas hæreses: quales præter eas, quę fundant idololatriam, superstitionem, hypocrisin, &c. 1. De satisfactionibus humanis; in quibus sponte susceptis, aut à pœnitentiario impositis, aut per modum suffragii pro anima-

animabus in purgatorio, aut in publicis Ecclesiæ Jubilæis & processionibus aut in peregrinationibus religiosis, utramq; paginam facit Rosarium. 2. De indulgentiis Papalibus; quę fide Romanâ hic specialiter agnoscuntur, recipiuntur & applicantur, tanquam præmium ac fructus recitationis Rosarii, & tanquam motiva seu causa ejus impellens. De indulgentiis agimus in 2. *part. select. Disp.* 3. De meritis & supererogationibus humanis: quæ etiam fide Romanâ specialiter collocantur in recitatione Rosarii. v. *Arg.* Quia implicat ἀσέβειαν, irreligiositatem, & consequenter crassam hypocrisin. 1. In Battologiâ, dum eadem precatiuncula tot Deo annumeratis vicibus repetitur. 2. In labiali cultu ac virtuali devotione, seu opere operato hujus recitationis, absque spirituali cordis attentione, meditatione ac devotione. 3. In Substitutione, dum per alium quis recitando obtinere creditur ejus fructum. 4. In participatione fructus seu efficaciæ ex hoc Rosario, per solam globulorum gestationem. VI. *Arg.* Quia implicat hic cultus multiplicem ignorantiam, indiscretionem & absurditatem. 1. *In* recitatione *Ave* tanquam formulæ precationis: cum sit salutatio Angelica, ut ipsi eam vocant; neque nunc magis, siquidem daretur Mariam invocandam esse, conveniret hoc alloquio precari Mariam, quam Sanctos in cœlo salutare illâ formulâ: *Gratia vobis & pax;* aut *salvete Sancti.* 2. *In* autenticâ ipsis denominatione salutationis Angelicæ; cum contineat etiam verba Elizabethæ, Luc. 1. 42. *Benedictus fructus ventris tui:* & alia à Pontificiis addita; quæ infrà citamus. 3. *In* mutatione textus seu verborum Gabrielis *gratia plena*; cum in Græco sit κεχαριτωμένη. Vide *Notas & Comment. nostrorum ad Luc. 1. vers.* 28. 4. *In* recitatione & *Pater noster*, ad Mariam. 5. *In* usurpatione & *Credo*, aliquando etiam *Decalogi*, pro formulâ precationis: quod à plebe ibidem fieri constat; quamvis Doctores quidam fortè distinguant, & aliter hæc usurpent. In priori enim non alloquimur propriè Deum, sed homines; quibus sciscitantibus respondemus, quæ sit fides nostra, aut apud quos sponte & datâ occasione exponimus fidem nostram, juxta I. *Petr.* 3. 16. In posteriori Deus alloquitur nos. Posset quis multo majori ratione initium Geneseos, aut Euangelii Johannis, aut Apocalypseos usurpare loco formulæ orationis. Quod absurdum. VII. *Arg.* Quia est novitas, quæ ipsis fatentibus ultra Dominici inventoris sui tempora non ascendit: quęque ab *Alano à Rupe* denuò suscitata, & post exortam societatem Lojoliticam superiori sæculo ita exundare & abundare cœpit in regno Papali, ut peccata hæc excellenter peccantia facta instar Sodomæ nunc videantur fastigium consummationis suæ attigisse, inde gladio oris domini detrudenda. An ergo tot sanctis, zelotis, martyribus, Patribus ac Doctoribus in pri-

in primitivâ Ecclesiâ sanctior fuit Dominicus? an Deus illi tanta revelâsset, sequioribus illis sæculis, verè corrupti mundi sentinis, quæ aureis illis & melioribus sęculis occulta esse voluisset? Memores sint Pontificii suarum amplificationum, quas aliâ occasione nobis occinere solent. VIII. *Arg.* Accedant testes veritatis in medio Papatu, qui fraternitati Rosarii reclamârunt: quod ex solâ defensione *Alani* (referente *Coppenstenio libr. 2. cap. 18.*) & *Oratione quodlibeticâ de Rosario, Michaelis ab Insulis*, Coloniæ anno 1475. habitâ, satis constare potest. Inter alia objiciebatur, quod per illud Psalterium (seu Rosarium) dimitterentur aliæ preces: quod phantasiæ essent & somnia multa, ideoque non placerent ista psalteria: quod non possent omnes ea orare, aliis gravati: quod multæ revelationes de isto Psalterio, quæ non sunt approbatę. Nec desunt hodie, qui Rosaria haut obscurè improbant. Audi Petrum Streithagen Canonicum Heinsbergensem in Ducatu Juliacensi in lib. de vitâ Canonicorum sæcularium instituendâ cap. 19. pag. 125. *Multi ex consuetudine Rosarium circumferunt, sed quâ attentione ipsum evolvant, in præsentiâ non dixero. Id genus precandi sollicita quoque pietas invexit, Eremitis Authoribus, Dominicanis Propagatoribus. Mirum, quas virtutes globulis istis attribuant, quæ mysteria applicent, quæ miracula adscribant. Laudo religionem, damno superstitionem.* Colo Dei matrem, præpono Deum matri. *Nec indignatur illa ob prærogativam, quæ Filio longè se inferiorem reputat. Homo fuit utcunque ab æterno prædestinata, jam in cœlis major in gratiâ. Satis immunis ab originali peccato, quæ Deum peperit: nihil indigens voti, quæ virgo concepit.*

Consectar. *Novitas religionis Papalis qua talis in hoc puncto (ut & alibi in alio factum) demonstratur*: atque *unâ satis fit absurdæ ipsorum quæstioni*: Quando & per quos aliquid in Religione mutatum?

Sed videamus nunc antithesin Pontificiorum cum suis probationibus: quæ sponte concidunt, aut simplici negatione majoris, aut minoris, aut utriusque difflantur. Antiquos rosarii promachos, *Alanum, Michaelem ab Insulis, Cornelium de Sneki, libr. de Rosario, Iohannem Lambsheim de eodem, Marium VVeida in speculo Rosarii, Bernard. Lutzenburgium serm. 21. de Rosario, Clementem Lossau, Gulielmum Pepin* & similes, non est quod hic conquiramus, quandoquidem à recentioribus omnia compilata & asciata sunt. *De hâc formâ orandi, quod pia & sancta sit, & ad omnes effectus orationis aptissima, ac denique sine maculâ, nullus Catholicus dubitare potest*; inquit Zwarez. Arg. 1. *Nam imprimis partes, ex quibus constat, Deo gratissimæ sunt; ut latè prosequitur* Navarrus dicto Enchiridio cap. 19. n. 100. Ibid. Arg. 11. *Est compositio prudens & apta ad excitandam devotionem: nulliusque superstitionis ac deformitatis argui potest*; *quia non præscribitur ille numerus,* 11

merus, tanquam per se habens aliquam virtutem, nec putatur ita necessarius, ut per se malum sit aliquid addere vel detrahere, sed proponitur ut quædam ac commodata mensura ad orandum & cum quâdam varietate, quæ levet fastidium. Præter imitationem Psalterii & alias mysticas rationes, quæ ibi considerari possunt. Ibid. III. *Accedit quod hæc devotio antiquitate & universali acceptione roborata est. Nam quoad antiquitatem, tanta est ut ejus initium ignoretur: licet enim multi credant, &c. tamen alii dicunt tempore Leonis Quarti jam fuisse in usu. Alii ex* Bedâ *referunt, &c. Alii denique etiam usque ad tempora Apostolorum referunt: quod magis incertum est.* Ibid. IV. *Illud profectò certius, orationem hanc multis prodigiis, miraculis, & revelationibus fuisse comprobatam; ut in Historiis de Dominico; & in variis libris de Rosario, Petrus Alanus de Rupe, Albertus & alii referunt.* Ibid. (hic adde Autores suprà cit., & Vinc. Hensbergh Apothecam spir. Pharm.) V. *Ac denique autoritate multorum Pontificum approbata est confirmando fraternitates Rosarii, & varias indulgentias concedendo, ut latè refert* Navarrus per varia Miscellan. Ibid. VI. *Nunc sufficit nobis commemorare, quod Pius Quintus in Bullâ quâdam dixit, inventum hoc ab Spiritu Sancto fuisse.* Ibid. Atque hæ rationes & exceptiones omnes, quas post *Canisium*, *Bellarminum*, *Navarrum* congerere potuit vir alioquin subtilissimus, & si quisquam, aptissimus qui nigrum verteret in album. Videant lectores quâ certâ scientiâ & conscientiâ illi causam Papatus defendant. Alios omnes si confero, nihil aliud invenio quàm pseudo-graphemata, petitiones principii, ignorationes elenchi, & ineptas exceptiones. *Hyperaspistes Rosarii* sub nomine Respondentis sui Godefridi à Driel, Jesuita *Busæus* (uti indicat *Delrio Disquis. Magic. lib. 6.*) defendit 1. nomen & titulos, quod rosarium seu sertum spirituale dicatur: Quia spirituales sunt calculorum significatio, benedictio, usus *ad protestandam fidem Catholicam Romanam, ad impetrandum Virginis patrocinium, ad Deum conciliandum: quo sensu sacramenta &c. vocamus spiritualia*, quia *spiritualem habent & significationem & efficaciam*, pag. 17. II. Orationes, quæ eam ingrediuntur; nominatim salutationem: (nam de oratione Dominicâ non putat dubitandum) quia constat ex verbis Angeli, Elizabeth, & istis ab Ecclesiâ additis, ut formam quoque precandi haberet: *Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in horâ mortis nostræ. Amen.* III. Repetitionem precationum istarum & quidem ad definitum illum numerum non esse battologiam, probat *pag.* 31. 35. 37. 40. exemplis Davidis, qui in Psalmis sæpè repetit nunc verbum unum, nunc plura, nunc integrum versum. Et trium puerorum in fornace, qui hemistichium quoddam singulis versibus repetunt. Addit mandatum Christi, *Luc.* 11. & 18. & respondet ad objectum locum, *Matth.* 6. De-

nique

nique concludit testimonio *Lactantii lib. 4. divin. Institut. cap.* 28. IV. Numerum defendit *pag.* 46. exemplis Angelorum apud *Isaiam*, & animalium in *Apocalypsi* & *Davidis*, qui septies in die Deo laudem dixit, & *Pauli* qui ter dominum rogavit, & Bartholomæi, Macarii, Pauli Ægyptii, Virginis cujusdam. Addit piam mysticamque numeri significationem & efficaciam *pag.* 56. verba ipsius supra citavimus. Alias numeri rosariani cabalisticas explicationes ac defensiones vide apud *Vincent. Hensbergh*, & in *Rosario I. D. G. in Prolegom.* V. Calculos precarios defendit, *pag.* 64. 68. quod Patrum memoriâ nullam aliam ob causam primum inducti sint, quam ut ne in numero orationum persolvendo sensili tactu aspectuque calculorum facilè aberraremus: uti ab Oratoribus olim usurpati loci & imagines ad retinendam rerum verborumque memoriam; & à mercatoribus nummi ærei ad annumerandas ingentes pecuniarum summas; & ab Ecclesiâ Catholicâ cruces, imagineque Christi & Sanctorum ad conservandam vitæ Christi, Sanctorumque recordationem, *pag.* 66. advocantur exempla anachoretæ Pauli de Lybiâ (apud *Palladium*, *Sozomenum*, *Cassiodorum*), & Claræ sanctissimæ fœminæ, qui &c. Est & alius usus calculorum (*pag.* 64. 65.) quod iis fideles laudabiliter nunc utantur tanquam symbolo manifesto Romanæ Religionis, &c. VI. Accessoria *pag.* 69. quod in certum numerum calculi redacti sunt ad commonefaciendum; Quod Pontificis summi benedictio cum amplissimis indulgentiis accessit; quod nummis crucibusque argenteis, æreis ornantur, id religionem auxit, non superstitionem: idque *pag.* 80. probat ex benedictionibus rerum in Vet. Test. & ex 1. *Timoth.* 4. *vers.* 5. *Et imagines appensæ nullum mysticum significatum, nec usum habent alium, quam imagines in templis Pontificiis, pag.* 68. VII. Ipsius rosarii utilitas & necessitas est, supra lectionem & auditionem Scripturæ: Sunt enim mysteria Rosario significata loco cujusdam compendii N. Test. Estque hoc compendium eo *utilius in vulgus, quo latius ejus usus patet quam librorum: legi enim potest ab literarum imperitis, à cæcis, in equis & curribus, in tenebris densissimis.* Sic *pag.* 76. Et ad exceptionem nostrorum: Quod Symbolum & Decalogum possimus quovis tempore & loco, sine oculis, sine manibus, solâ mente legere atque relegere, sic Resp. p. 79. *Non sequitur hinc, abjiciendum esse usum Rosarii; non enim tam inventum est ad renovandam Decalogi, & Symboli, aliorumque capitum doctrinæ memoriam, quam ad Deum, deiparamque crebris ardentibusque orationibus nobis conciliandam. Quæ orationes hoc Deo Deiparæque gratiores sunt, quo majore studio interno & externo, mente & corpore, manibus & pedibus, digitis & calculis ad protestandam fidem Catholicam Romanam, &c. peraguntur.* VIII. Antiquitatem ingredientium Rosarii, & totius

tius cultus Mariani (quem nos improbamus) ex Patribus carptim *Hyperaspistes* indicare voluit: sed ex professo hoc egit Author *Margaritæ Marianæ tomis duobus*: ex quo ideam & ad quem repertorium seu indicem dedit *Stanihurstius in hebdomadâ Marianâ*: indicem dico quadruplicem digestum per singulos dies hebdomadæ. 1. In meditationes de Mariâ. 2. In attributa selectiora gratiæ & gloriæ glorioſiſi. Virginis Mariæ. 3. In salutationes ad beatiſi. Virginis membra. 4. In orationem ad B. Virginẽ. 1x. Ad excellentiam Rosarii facit, quod formulares *Ave Maria*, post orationem Dominicam sit excellentissima: quippe quam Deus ipse composuit, & nos docuit per os archangeli Gabrielis, S. Elizabethæ, & Ecclesiæ, &c. verba enim quæ Elizabethica sequuntur, sancta Ecclesia addidit, quæ regitur & docetur per eundem Spiritum Sanctum. Sic *Bellarminus in Cathechesi majori cap.* 5. x. Supra omnia excellentiam Rosarii probat, quod primùm Dominico datum sit & revelatum ab ipsâ B. Virgine, cum mandato illud prędicandi. Et quod postea anno scil. 1460. mandatum sit à B. Virgine Alano de Rupe, quem tunc in præsentiâ Christi & Sanctorum unà in Sponsum suum eligebat, dato illi annullo pronubo ex propriis capillis contexto, addito etiam rosario ex 150. preciosis lapillis cum interjectis decem magnis ac preciosis adamantibus artificiosè fabricato. Quod mandatum per Christum in ecstasi ab eodem Alano missificante conspectum postea renovatum est. Anno mortis prædicti Alani (qui erat 1475.) idem à B. Virgine severè injunctum fuit Jacobo Sprenger, priori prædicatorum Coloniæ. Horridas & blasphemas has fabulas habes in *Autoribus* suprà *citt.* ubi instar omnium sit *Coppenstenius*, apud quem & alii indicantur. Eadem sed compendiosè recitat libellus Belgicus Lovanii, anno 1637. hoc titulo editus: *Epitome de initio, progressu, gratiis, indulgentiis, regulis: illustris & percelebris Archi-confraternitatis S. Rosarii, &c.*

12 Sequuntur nunc controversiæ speciales & hypotheticæ partim inter nos & Pontificios; partim intestinæ inter ipsos Pontificios. Prioris generis sunt 1. De *Salve Reginâ*: pro quo *Canisius lib.* 5. *de Deiparâ cap.* 13. *Bellarminus lib.* 1. *de bonis Operibus in partic. cap.* 15. *Zuvarez lib. cit. cap.* 9. *pag.* 163. Nos istis rationibus improbamus, quod nulla ejus pars sit sana. 1. Pars continet salutationem: atqui salutare cœlites importunum esse dicimus. Est enim salutatio partim votum seu petitio apud Deum pro alicujus salute, partim declaratio affectus & signum benevolentiæ ac fraternæ aut civilis conversationis nostræ. Sed neutrum convenit statui beatorum. Confer *Riveti Cathol. Orthodox. ad part.* 2. *quæst.* 57. 2. Pars continet, encomia & titulos Mariæ: ex. gr. *Regina Cœli, Mater misericordia*,

dia, vita nostra, dulcedo nostra, spes nostra. Quæ vehementer præjudicant Deo redemptori nostro, & unico mediatori Jesu Christo. 3. Pars continet orationem: *ad te clamamus exules Filii Evæ, ad te suspiramus &c. eja ergo Advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte.* Hæc est crassa idololatria; quia Maria nec Deus est solus invocandus, nec Mediatrix per quam accedimus ad Deum. 4. Denique improbamus modum orandi per antiphonas: de quo alibi. II. De psalterio Bonaventuræ: quod libello Belgico nuper quis conatus defendere. Ante eum Hyperaspistes p. 25. sic excusat: *Quod ex psalterii Davidici versibus carmen contexuerit, quod in Dei matrem conveniret*; haut aliter *at Proba Falconia ex* Virgilio, & *Eudocia Imperatrix ex* Homero centones suos, seu *carmina Christiana* contexuerunt. III. De *Ave Maria*: pro cujus Papistico sensu, & usu in cultu invocationis, *Barradius, in Luc.* I.; *Hyperaspistæ*, & *Apologetici Mariani*, & *Rosariani*; & qui ex professo hoc agit, *Rutilius Benzonius tract. peculiari.* Et *Coppensteinius lib. Clavis prædicandi rosarii, &c. capp.* 10.--15. ubi contra hæreticos (quos ita vocat) defendit: *cap.* 9. duas & septuaginta excellentias ejus enumerat, quas ipse Christus Alano revelaverat: *cap.* 24. habet synopsin nonnullarum excellentiarum.

Posterioris generis sunt apud *Navarrum, Zvvarezium, &c.* quorum 12
conflictuum, nos tantum spectatores erimus: quia omnes quæstiones ineptæ, absurdæ, &c. I. An salutatio angelica, quæ ter in die sonatur cum campanâ, sit adoratio; an verò oratio? *Resp. pr. Aff.* & *post. Neg. Gavantus in Thesauro Rituum tom.* 2. *pag.* 126. Ubi tamen addit communiore hodie sensu & usu obtinere, quod sit oratio; ideoque se stare, nec genua flectere cum aliis. II. An salutatio Angelica quotidie signanda sit trino an bino sono campanæ? *Resp.* Manè tantum & vesperi hoc signum dandum, ex *decreto Gregorii IX.* anno 1239. Etiam meridie, ex *decreto Iohannis XXII.* teste *Polydoro lib.* 6. *cap.* 12. idque abrogatum restituit Callistus III. anno 1456. Vide *Bzovium ad annos cit.* & *Gavantum loc. cit.* III. An jure communi statutum sit salutationem angelicam recitandam in officio divino. *Resp. Neg.* cum *Navarro Gavantus tom.* 2. *pag.* 63. Ita ut ante annum 1550. non diceretur; donec illud statutum esset à Pio Quinto. IV. Unde & à quibus composita sit salutatio angelica, quæ hodie pronuntiatur. *Resp.* Autores sunt Gabriel & Elizabetha. Sic *Gavantus tom.* 2. *pag.* 63. A Concilio Ephesino additum: *Sancta Maria ora pro nobis peccatoribus. Amen. Baronius anno* 431. Approbata est à Pio Quinto *in Breviario*, & additum est: *nunc & in horâ mortis nostræ.* Nomen *Iesus* ex usu additum. Sic *Gavantus loc. cit.* V. An salutatio angelica sit excellentior oratione Dominicâ? *Resp. Aff. pr.* nonnulli in Papatu; contrari-

um tamen communiter tenetur. Vide *Vincent. Hensbergh lib. cit. pag.* 48. VI. An rosarium primo inventum sit à Dominico; an verò ante fuerit in usu. *Resp. pr. Aff.* Dominicani, & *vulgares libelli Rosariorum in præfat.*, cum *Autoribus* suprà *cit.* Contra nonnulli mussitant aut conjectant jam ante à Petro Eremitâ 1095. tale quid usurpatum fuisse ex *Baronio ad annum cit.* Sed excipit *Andr. Coppensteyn lib.* 1. *de institut. Rosarii, cap.* 23. & *Vincentius Hensbergh in Roseto Belg. pag.* 37. tantum fuisse 150. *Ave*, absque ullo *Pater*: quibus addendo 15. *Pater*, Dominicus hoc opus perfecit. Vide ipsos & *Autores ibidem cit.* imprimis & fluctuationem Zwarezii, qui chartam aliorum tum conjecturis tum fabulis implet; ipse tamen nulli eorum credit. VII. An in ipso Papatu rosario ejusque fraternitati plurimi ex clero tum sæculares tum regulares, validè obstiterint? *Resp. Aff.* Idque patet ex *Apologeticis Michaëlis Ab Insulis, Iohannis Trithemii.* Imprimis duos celebres Concionatores Colonienses validè contradixisse, testis est Jesuita *Ioh. Lud. la Cerda in lib. de Excellentiâ cœlest. Spirituum, cap.* 45. §. 20. qui propterea gravissimè à Deo puniti sint. *Ibidem* ex *Cantipratensi, Cæsario, Heisterbachio, aliisque* infrunitis fabulatoribus multa exempla astruendę rosarii & ℣ *Ave Maria* excellentiæ congerit. §. 3. ex *Cæsario* efficaciam salutationis angelicæ probat exemplo militis impuro amore depereuntis heri sui uxorem; quem Maria apparens pulcherrimâ formâ coëgit osculum sibi dare dicendo, *ego ero uxor tua, &c. modo initiata sunt nuptiæ.* §. 7. refert S. Margaritam Hungaricam in singulis festis B. Virginis mille salutationes angelicas ipsi obtulisse. §. 15. ex *Cantipratensi narrat*, ex Monachi cujusdam Cistercienſis demortui ore processisse arborem, cujus foliis, aureis literis insculptum erat: *Ave Maria. Coppensteinius lib.* 3. *cap.* 17. patheticè describit decem attentationes, oppugnationes, & *cap.* 18. derisiones fraternitatis. VIII. An totum rosarium offeratur primo & immediatè B. Virgini; an verò Deo? *Resp.* Hic non uno modo eos loqui, suprà indicavimus. Contendit Hyperalpistes pag. 27. Rosarium offerri B. Virgini. *Quia etsi in aliis orationibus præcipuè nos convertamus ad Deum: in hâc tamen formulâ orandi præcipuè eas dirigimus ad B. Virginem. Nam quinquies tantùm orationem Dominicam, quinquagies verò salutationem angelicam in Rosario recitamus: unde & B. Virginis non Dei rosarium appellatur.* Vide & *Bayllii Catech. part.* 3. *qu.* 57. IX. An oratio Dominica rectè offeratur B. Virgini? *Resp.* Hic fluctuant. Praxis, nomen, & definitio rosarii Mariani satis affirmat. Quamvis Doctores præ pudore videantur velle negare. Ex desperatione tamen animos rursum sumunt: *Quanquam & alio quodam sensu pio & orthodoxo dici possit totum rosarium, etjam orationes Dominicas offerri B. Virgini, non quod eas ad illam dirigamus, sed*

quod

quod eam rogamus, ut suis precibus conjunctas offerat Deo Patri. Ibid. pag. 27. x. An quis teneatur ad certum seu specialem externum modum recitandi rosarium, ex. gr. in Ecclesiâ, aut flexis genibus? *Resp. Neg.* Nisi in ipso præcepto, vel rescripto exprimatur; vel à vovente specialiter intendatur. Ita *Zvvarez*, & pluribus *Navarrus Miscell.* 23. 24. *ibidem cit.* xi. An possit cum socio alternatim recitari dicendo *Ave*, & in fine denarii simul oratio Dominica? & an hic modus sufficiat ad implendam obligationem, quæ per votum, pœnitentiam, &c. de dicendo rosario simpliciter imposita est. *Resp. Aff. Zvvarez*, cum *Navarro* & *Azorio ibid. cit.* Nugaces & ineptas rationes tædet huc transcribere. xii. An qui tenetur dicere rosarium semel in die, teneatur continuè dicere: an verò satisfaciat dicendo per partes distinctis horis diei? *Resp. post. Aff. ibidem.* Ubi vide ineptas rationes & exceptiones. xiii. An expediat recitare rosarium meditando mysteria vitæ, mortis, & resurrectionis Domini. *Resp. Zvvarez*, Modum illum attentionis & devotionis non esse de substantiâ Rosarii, quatenus est oratio vocalis legitimè & sanctè facta; itaque non esse necessarium. Immo modum illum, quamvis sit pius & utilis, non esse omnium optimum, neque omnibus recitantibus rosarium accommodatum, aut imponendum. xiv. An qui tenetur pluribus titulis, voti, præcepti superioris & confessoris, vel ad indulgentiam lucrandam, satisfaciat omnibus obligationibus semel dicendo, sicut satisfacit unâ missâ multis obligationibus simul occurrentibus, & uno jejunio similiter. *Resp. Neg. Navarrus Affirm. Zvvarez*, cum certis distinctionibus, & ex certis hypothesibus: quarum ineptias & absurditates lector ibi cognoscat. xv. An sit præceptum Ecclesiasticum recitandi Dominicam orationem, *Ave Maria*, aut *Salve Regina*, aut quoquo modo oraliter precari? *Resp. Neg. Zvvarez, cap. 7. §. 9. 10. 11. Navarrus* inclinat in *Aff.* xvi. An in festis diebus teneamur vocaliter orare? *Resp.* Sunt qui *Aff.* Sed *Zvvarez ibid.* negat esse præceptum Ecclesiasticum, quod simpliciter obliget, aut ad oralem precationem, aut etiam ad assistendum cuiquam officio Ecclesiastico, exceptâ Missâ? xvii. An sit obligatio salutandi Virginem, quando datur signum publicum; saltem cum signum datur in principio noctis? *Resp. Neg. ibid.* Quia potest quis satisfacere orando mente; & si vocaliter oret non tenetur ad certam formulam, ex. gr. *Ave*, aut *Salve Regina.* Immo non credit Zwarez *absolutè & per se esse obligationem orandi ad Virginem*: quia illa *orandi consuetudo generaliter recepta est sub ratione devotionis non obligationis. Dico autem per se, quia ex accidenti & ex concomitantia vix potest omitti sine aliquâ culpâ, nisi ex rationabili causâ.* xviii. An per statuta confraternitatum, aut aliorum collegiorum, immo per speciales leges

ges & ordinationes Pontificum, Prælatorum, Regum, Civitatum teneantur Laici orare privatâ oratione, dum assistunt officiis Divinis & Ecclesiasticis, aut etiam extra illa officia? *Resp. Affirm. Navarrus.* Contra *Zvvarez ibid. n.* 13. ait hæc omnia esse consilia, non præcepta. *Quod si*, inquit, *in Confraternitate aliquâ ex speciali statuto obligantur ad aliquas orationes vocales, regulariter non solet esse obligatio in conscientiâ, sed per modum cujusdam directionis ad melius esse, vel ad summum sub aliquâ pœnâ. Quod si aliquando fuerit obligatio in conscientiâ, erit in vi alicujus pacti, vel promissionis, vel quasi voti.* XIX. Addo hos duos casus, quos apud Casuistas non invenio, qui tamen non sine ratione in Papatu determinari deberent. An si quis ex voto, aut ex mandato confessoris teneatur rosarium semel, aut bis, aut toties quoties hoc die recitare, ritè satisfaciat, si per alium illud recitari curet, eumque vel pretio conductum, vel lusu chartarum, aleæ, &c. ex pacto certaminis & suscepti lusus obligatum, ut victus victoris vices hic subeat? Et an tum talis recitatio sit opus meritorium, aut pœnale, aut utrumque? Et an fructus meriti aut satisfactionis istius redeat ad victorem, aut victum, aut utrumque; idque in totum, aut ex parte, sive æqualiter, sive inæqualiter? XX. An si in confraternitate aut congregatione aliquâ, ad recitationem rosarii obligentur sub pœnâ, ut exhauriant magnos multosque culillos supra ordinariam bibendi potentiam: qui propter negligentiam pœnæ obnoxii facti eam invito subeunt; aut qui volentes scientes negligunt, ut occasionem habeant culillos hauriendi, & sic dictam pœnam libenter subeunt, peccent mortaliter, aut venialiter? Et utri magis?

COROLLARIA.

1. AN rectè probetur ab *Autore vel Autoribus libelli* in Angliâ aut Scotiâ anno 1640. editi tit. *Ladensium* Αὐτοκατάκρισις *cap.* 6. nonnullos illic molitos fuisse introductionem, aut saltem aliquam mixturam Papismi, ex eo inter alia, quod rosarium & globulos precatorios commendârint? *Affirm.*

2. An nostræ religionis hominibus ad odium aut periculum evitandum, liceat juxta cum aliis Pontificiis, inter quos versantur, globulos precatorios circumferre? *Negat.*

3. An, si in cæteris reformationem admitterent Ecclesiæ Pontificiæ, retento solum rosario, syncretismus seu unio Ecclesiastica à nostris cum iis iniri possit? *Negat.*

DE

DE LITANIIS.

LItania à λιτανεύειν significat. 1. *Latè* precationem quamlibet & quidem seriam: de quo consulendi etymologici & lexicographi. 2. *Strictè*, idque usu & consuetudine Romano-Ecclesiasticâ, certum quoddam genus precandi, in quo precandi ardor & contentio insit. 3. Rursum *strictè*, & metonymicè notat processionem (de quâ *peculiari Disp.* antehâc egimus), quia processio habet τὸ λιτανεύοντων seu procedentium multitudinem. Nos secundam significationem hic amplectimur. Synonymum litaniæ in hâc significatione acceptæ, est ἐξομολόγησις, confessio: hâc distinctione, quod litanię institutæ ad peccatorum veniam impetrandam dicerentur specialiter ἐξομολογήσεις; reliquæ omnes simpliciter litanię, uti ex *Moguntini Concilii canone* 32. & 33. referre dicitur *Rabanus*, & ante eum *Isidorus lib. 6. Originum in fine.* Ut litanias Papisticas accuratè inspicio, definiendæ mihi videntur, quod sint preces universales, omnigenę, & omniformes; hoc est, *Preces singulariter intentæ & efficaces omnium scilicet in Ecclesiâ militante ac triumphante, ad omnes adorabiles seu adorandos, & pro omnibus, tam personis, quam necessitatibus.* Dico esse 1. precationes singulariter intentas & fervidas. 11. Omnium, scil. angelorum & hominum miserorum & beatorum. Sic *Serrarius litaneutici lib. 1. cap. 6.* 111. Omnium adorandorum; primò Dei tanquam summi gratiarum auctoris & largitoris; idque absolutè & in personis distinctè, vel singulas personas sigillatim compellando; vel simul omnes, ipsam tamen personarum distinctionem & essentiæ unitatem significando: Deinde & Sanctorum, tanquam oratorum, qui nobiscum Deo optimo maximo, nostro suoque Domino pro nobis supplicent. *Ibid.* 1v. Petitiones omnium bonorum, divinorum & humanorum, spiritualium, & corporum; publicorum & privatorum. *Ibid.* v. Et quidem pro omnibus, seu quibusvis; vivis & mortuis: Ecclesiasticis & Sæcularibus; Principibus & subditis; sanis & ægris; præsentibus & absentibus; amicis & inimicis. *Ibid.* v1. Ita ut ex omnibus Ecclesiæ precibus optima quæque delibata, & uno velut fasce devincta, hic habeantur, & ut omnes à D. Paulo traditæ orationes, vel orationis conditiones, & quidem secundum quamlibet quorumlibet bonorum interpretum expositionem in Litaniis cernantur. *Ibid.* Est & alia definitio seu descripti o Litaniæ apud Amalarium de divinis Officiis lib. 1. cap. 28.: quod sint *deprecationes, quibus significetur consortium Sanctorum cum baptizatis.* Hæc repetit *Gavantus Thesauri tom. 1. p.* 296. Zwarez lib. 3. c. 9. definit *certam formam interpellandi Sanctos.*

14 1. *Causas efficientes* & originem Litaniarum variè referunt. Vide disceptationes apud *Chemnitium part. 3. Examinis Concil. Tridentin.* qui Gregorium Magnum primum earum Autorem fecit; idem ex *Platinâ* astruit ex Pontificiis *Cornelius à Ryntelen in Iuristâ Romano Catholico, cap.* 105. Contrà altiùs antiquissimam earum originem accersit *Zvvarez & Serrarius Litaneut. lib.* 1. *cap.* 4. & 5. Nos verbo hic monemus, antiquas quidem esse litanias, hoc est, publicas Ecclesiarum precationes; sed non litanias, seu formulas Papisticas, ex. gr. Mariæ, Sanctorum, aliasque, quæ hodie recitantur. 11. *Fines* Litaniarum proprii ac speciales sunt, ut Sanctorum imploretur auxilium; seu ut Dei auxilium imploretur mediantibus Sanctis: sic enim verecundè Serrarius cap. 6. *Oratur Deus mediatè, & immediatè. Oratur ita, ut quemadmodum* D. Thomas *olim notavit* (22. q. 93. art. 4.) *apertè significetur summum à nobis cultum Deo adhiberi, latriæ scilicet, Sanctis verò nequaquam, sed longè inferiorem, qui dulia dicitur.* 111. Adjuncta, & antecedentia, concomitantia, & consequentia, sunt 1. Imprimis processiones. 2. Officium Divinum, seu Ecclesiasticum. 3. Cantus Musicus, tum vocalis, tum instrumentalis. *Effecta & utilitates* esse summas, probat *Serrarius tum* exemplis *cap.* 7. quæ ibi videnda, & in *Catechismo Historiali cap.* 4. *tit.* 27. *tum* ex quatuor capitibus, quæ amplificat *Serrarius cap.* 6. quæ ibi videat, qui volet. 1v. Cognata sunt Rosarium, Officium Divinum seu Horæ Canonicæ; officium Mariæ; precatio quadraginta horarum ante paucos annos in Papatu instituta & frequentari cœpta; Litaneutica Græcorum, aliorumque Orientalium: de quibus *Liturgiæ & Scriptores Liturgici*, alibi à nobis indicati. 6. In Liturgia Anglicana, idololatriâ expurgatâ, visa fuerunt nonnullis aliqua antiquæ litaniæ umbra aut vestigia remansisse. De quo quid statuendum, alibi ubi de liturgiis ex professo agitur, indicamus. Interim videat qui volet *Altare Damascenum Didoclavii*, hoc est, *Davidis Calderwood pag.* 628. 639. & 710. 711. *Repugnant* litaniis ejus correctores, seu potius exterminatores. In Lutheranos correctores incurrit ex professo *Serrarius libro* 1. & ante eum *Remigius Dithmarus peculiari Tractatu* in 4. excuso Herbipoli anno 1589. quem totum suppresso Autoris nomine, descripsit *Serrarius*, & sub suo nomine edidit Coloniæ anno 1609. *tractatum*, cui tit. *Litaneuticus*: ubi tractatus dicti Remigii, priorem ipsi librum facit.

15 Divisiones litaniarum sunt 1. *Ex objecto*; Sic litania alia est communis, quæ in objecta adorabilia omnia directè & communiter tendit, seu quando imploratio auxilii terminatur ad plures: alia specialis, quæ magis appropriatè ad hoc vel illud objectum tendit, quales sunt 1. De Trinitate

nitate. II. De Spiritu Sancto. III. De nomine Jesu. IV. De venerabili Sacramento. V. De vitâ & passione Christi. VI. De Cruce: quas rubrica dicit, ex Patribus desumptas. VII. De resurrectione Domini. VIII. De B. Virgine: quæ sunt duplices, ex Scripturâ desumtæ (uti prætendunt) & Lauretanæ; quas posteriores etiam dicunt in honorem S. Josephi. Lauretanas exhibent *T. VV. A. in suo rosario seu psalterio Mariæ*; *pag.* 155. 163. Et libellus tit. *Sacræ litaniæ variæ*, Antwerpiæ ex officin. Plantin. apud Moretum anno 1631. Et liber tit. *Leges angelicæ, parthenicæ sodalitatis*, &c. Jesuita *Svvetnamus* edidit libellum tit. *Paradisus voluptatis super Litanias Lauretanas.* IX. De Rosario: quarum recitationi qui interfunt lucrantur 100. dierum indulgentias à Gregorio XIII. anno 1580. Aprilis 15. concessas, teste *Hensbergh in Roseti sui Prolegomenis.* X. De Angelis Sanctis. XI. Litaniæ omnium Sanctorum, accommodatæ ad singulos menses, eorumque dies, editæ Antwerpiæ apud Plantinum anno 1621. In quo libro & aliæ breviores continentur. XII. De SS. Apostolis. XIII. De Patronis Archiepiscopatus Ultrajectini; quæ habentur in Libello Belgico, edito Lovanii anno 1636. tit. Verscheyden Litanien geordineert door de seven dagen der Weecke. XIV. De S. Josepho. XV. De Antonio de Padua. XVI. Mariæ Magdalenæ. XVII. S. Annæ. XVIII. S. Claræ. XIX. S. Francisci. XX. Undecies mille Virginum, &c. Omnes illas formas, & genera Litaniarum, vide in *Libro* modo *cit.* apud Plantinum edito anno 1621. 1631. tit. *Litaniæ omnium Sanctorum*; & altero libello tit. *Sacræ Litaniæ variæ* ex offic. Plantin. anno 1631. & apud Keerbergium anno 1630. & in *Thomæ Sayllii Thesauro sacrarum Litaniarum.* Cum quibus conferendi *Libelli Ascetici Sodalitatum*, ex gr. *Rosarii, Nominis Dei*, &c. item *Breviaria, Diurnalia, Officia Mariæ*, & *omnes alii libelli Ascetici & Precatorii*, vulgaribus linguis editi. II. *Ex objecto* cui, & cujus, ita loqui liceat. Sic Litaniæ 1. pro defunctis; in quibus hoc occurrit: *A pœnis inferni libera eos Domine.* Quod quâ fide precentur velim ab iis explicari. 2. Pro Rege, aut Republicâ; item pro Ecclesiâ. 3. Contra hanc aut illam necessitatem; ut pestem, famem, bellum, hæresin, maleficia diabolica; de quibus vide *Delrio Disquis. Magicar. libr. 6. pag.* 1005. III. Ex modo dicendi, aliisque adjunctis. Sic 1. Litaniæ sunt vel liturgicæ; vel non-liturgicæ, quæ extra sacrum Missę officium recitantur. 2. Rursum accipiuntur, vel pro solo Kyrieleyson; vel pro aliis etiam precibus adjunctis. 3. Aliæ processionales, in processione scilicet recitatę; aliæ extra processionem. 4. Consequenter etiam jubileares; aliæ extra jubileum. 5. Aliæ dicuntur ambulando; aliæ pro exigentiâ rei flexis genibus; aliæ stando in medio chori

pro exigentiâ temporis, à festo scilicet Paschatis usque ad Pentecosten. 5. Aliæ dicuntur altâ voce, aliæ submissâ. 6. Aliæ dicuntur alternatim à Choro & Cantoribus seu Choraulis, qui modus est usitatior & communior, excepto Sabbatho sancto & vigiliâ Pentecostes; Aliæ sunt majores, aliæ minores; In illis, ut à minoribus distinguantur, alicubi Chorus repetit, quæ Cantores integrè dicunt. Operosas has nugas minutatim ita persequitur *Gavantus tom. 2. Thesauri sacrorum rituum pag. 197. 198.* IV. Ex compositoribus, compositionis modo, & iis, qui hanc aut illam formam usurpant. Sic 1. Litaniæ Virginis Lauretanæ. 2. Et Litaniæ Marianæ in Tongerlo ante 300. annos conscriptæ, aut ibidem usitatæ, nunc publicatæ. De quibus vide *VVichmans in Brabantiâ Marianâ pag. 200.* Litaniæ longè què continent Lauretanas & duas alias, recitandæ loco matutinarum diebus Saturni, & in festis Mariæ. Exhibet eas *I. D' Esperfin* in libello Gallico tit. *Les deuvoirs du Confrere, &c. à nostre Dame des sept douleurs.* Atque hæc quidem thetica sciographia litaniarum. De quibus consulendi *libri Litaneutici, Formularii, & Ascetici, aliique* hactenus *citati.* Imprimis *Remigius Dithmarus*, & qui librum Dithmari sibi suppositi *Nicol. Serrarius tract. peculiari*, cui tit. *Litaneuticus*, (quem honorificè citat *Delrio Disquis. Magicarum lib. 6. pag. 1005.* nec Remigii istius semel meminit) *Zvvarez tom. 1. de Religione lib. 3. cap. 9. Durantes in Rationali lib. 2. cap. 10. Ioh. Eueillion in tract. de Processionibus, cap. 20. 21. 30. Gretserus tom. 3. de Cruce pag. 40. -- 48.*; Et jam citati *Drauroeltii Catechismus Historialis*, *Gavanti Thesaurus rituum.* Ex nostris *Mornæus Plessiacus in lib. de Missâ, pag. 94. & 811.* edit. Gallic. in fol. *Hospinianus de Templis, pag. 346. 359.*

16 Sequitur hujus tractationis pars elenctica; ubi primo occurrit controversia generalis & capitalis: An usus litaniarum (hoc est an forma illa interpellandi Sanctos, uti *Zvvarez* exsertè statum controversiæ proponit) sit Sanctus & Religiosus. *Nos N.g.* ducti argumentis ferè iisdem, quibus Rosaria & Processiones oppugnamus. Non gravabimur tamen specialiter & applicatè Classes eorum hic digerere. 1. *Arg.* Idem quod contra Rosarium. 11. *Arg.* Etiam idem: nisi quod specialiter hic dicendum. 1. Quod Angeli & Sancti invocantur. 2. Quod titulo idoli, hoc est non entis (formaliter scilicet) instituuntur litaniæ, ut litaniæ de venerabili Sacramento, SS. Crucis, nominis B. Virginis, Angelorum, &c. Hæc enim non sunt, quod esse putantur aut dicuntur, objecta scilicet religiosè adoranda. 3. Quod sancti invocantur, quorum aliqui nunquam fuerunt in rerum naturâ, aut saltem non constat certâ fide eos fuisse tales, quales habentur & coluntur: e. gr. Catharina, Ursula cum Sodalibus.

libus. Huc refer angelum Raphaëlem, & angelos qui cum signo crucis præcessuri sunt Christum in judicio. 4. Quod invocantur tanquam Sancti, quos aut insigniter malos, aut fatuos, & profanos fuisse constat: quales ex gr. Dominicus & Franciscus. 5. Quod exsertè à Mariâ, Antonio, aliisque Sanctis petant non tantum, ut pro ipsis orent & intercedant; Sed ut ipsis sint propitii, eos defendant, liberent, &c. Breviter, non tantum Sanctos, sed & crucem, in quâ Christus pependit, quæ non est in rerum naturâ, & imaginem illius crucis adorant tanquam numen adorabile, sed & Mediatorem impetrationis faciunt apud unicum Mediatorem Christum. *In litaniis omnium Sanctorum*, anno 1621. Principum Belgarum mandato Antwerpiæ in offic. Plantin. excusis pag. 394.--399. crux invocatur *vita beatorum, salus animarum, mundi medicina, virtus Dei, crux digna Regem vitæ portare, crux &c. auge piis justitiam, reisque dona veniam; &, per te nos susciptat, qui per te nos redemit.* III. *Arg.* Idem ferè quod 3. 5. 6. contra Rosarium. Nisi quod battologiæ addendum, ratio illa precandi per antiphonas, quæ hic locum habet, ut videre est in *Sacris litaniis variis* apud Plantin. anno 1631. in 24. ubi *pag.* 120. seorsim antiphonæ de B. Virgine. Repugnat illa attentioni, devotioni, & rectæ methodo precandi; ubi probatur in *loc. communi de Oratione.* IV. *Argum.* Adde quod preces fiunt ab idiotis, linguâ latinâ, hoc est ignotâ (quod alibi refutatur): Hinc in *litaniis omnium Sanctorum* editis jussu Principum Belgarum anno 1621. apud Plantinum, in gratiam Idiotarum rubricæ Hispanicę subinde præfiguntur. V. *Argum.* Idem ferè quod ibi 4. & 6. Ubi hic specialiter notandum. 1. Orari in litaniis pro defunctis; immo & peculiares litanias sub titulo pro defunctis recitari. 2. Orari ut Deus *Dominum Apostolicum* (hoc est Hierophantam Romanum) *& omnes Ecclesiasticos ordines protegere dignetur.* VI. *Argum.* Quia est novitas. Idem quod ibi 7.

Antithesin suam probant Pontificii apud *Zvvarez loc. cit.* 1. Quam- 17
vis enim non videantur æquè antiquæ, ac rosarium seu preces illud ingredientes, tamen similem rationem habent honestatis: & nihil ab hæreticis potest objici, quam quod contra invocationem Sanctorum, quam alibi defendit. II. Est tamen forma interpellandi Sanctos, quam litaniam vocamus, antiquissima: Quod probat ex *Concil.* 1. *Arausic. cap.* 29. *contra Rogationes de conse. d. & Concil. Gerand. cap.* 3. *Concil. Bracharens.* 2. *c.* 9. *Concil. Toletan.* 5. *c.* 1. & 6. *c.* 2. quæ omnia ante mille annos præcesserunt. Rogationum etiam ante ascensionem fit mentio. *Augustin. serm.* 173. *de Tempore. Basil. epist.* 63. *Cod. Theodos. tit. de Hæreticis cap.* 30. &c. concludit tandem: *Non sunt ergo hæc nova, sed infallibili traditione approba-*

bata. III. *Quod si attentè considerentur omnia, quæ in Litaniis continentur, evidentissimum etiam est summâ veritate & pietate esse composita.* Nam in eis 1. *Ante* omnia exoratur Deus & trinitas, &c. 2. *Deinde* intercessio Virginis tanquam præcipua singulari modo postulatur: 3. *Postea* à Sanctis omnibus, vel nominatim, vel in generali, ut pro nobis orent petimus: 4. *Deinceps* variæ petitiones ad Deum, &c. quibus vel liberationem à malis, vel necessaria bona pro omnibus supplicamus. 5. *Tandem* piis quibusdam orationibus, tota hæc forma orandi concluditur. IV. Addit speciale *arg.* pro litaniâ B. Virginis Lauretanâ: *Licet*, inquit, *tam antiqua non sit, tamen & usu Ecclesiæ, & autoritate Pontificum jam est sufficienter confirmata. Et ex re ipsâ constat pium & religiosum cultum continere, &c. solumque habet hoc peculiare, quod variis nominibus vel propriis, vel metaphoricis Virginem compellat.* V. Innuit etiam *argum.* à proprio & utilitate: *Quo hæc forma orationis universalior est in Ecclesiâ, eo usus ejus etiam in privatis orationibus gravior est & securior.* Sed argumentum ab utili, & effectis pluribus extendit *Serrarius lib.* 1. *cap.* 6. & 7. *Catechism. Historialis cap.* 4. *tit.* 27. *Thyræus de Locis infestis part.* 3. *cap.* 66. *Delrio Disquis. Magic. lib.* 6. *cap.* 2. *sect.* 3. *quæst.* 3. Videat, cui vacat fabellas legere. Unum tantum hic enoto ex *Catechismo Historiali* ad efficaciam hujus moly demonstrandam, quod ipse liber litaniarum corporibus ægrorum impositus, morbos etiam desperatos sanat: Probatum est libro litaneutico Fr. Xaverii.

18 Sequuntur quæstiones aliquot partim hypotheticæ seu particulares, partim minus principales. Intercedunt illæ Pontificiis, vel nobiscum, vel cum suis. Priores sunt I. An Lutherus & Lutherani à Litaniis tollere voluerint invocationem Trinitatis, cum in suis Litaniis non retinuerunt verba illa: *Sancta Trinitas unus Deus miserere nobis. Resp.* Hoc quidem ipsis impingit *Serrarius lib.* 1. *cap.* 11. & ante eum alii, quos ibi citat: sed planè calumniosè. Nam 1. Exstat etiam in illorum Litaniis invocatio Trinitatis. 2. Non tenebantur ad omnia verba, ad omnes eosdemque particulares conceptus antiquæ formulæ Litaneuticæ: poterant enim mutare, contrahere, dilatare, aut planè aliam formare, modo conveniret cum sacris literis. 3. Est fallacia, non causæ ut causæ, seu calumniosa & inepta conjectura. Poterant enim variæ esse causæ; ad evitandam tautologiam, aut battologiam, aut fortè phrasim insolitam & rudiorem. II. An verba illa: *ut ad veram pœnitentiam perducere, &c.* odio pœnitentiæ omiserint. *Resp. Neg.* contra eandem *cap.* 15. III. Cur collectas, quas illi vocant, sustulerint? *Resp.* Quia liberum ipsis erat concludere Litaniam iis verbis, quæ ad devotionem & ædificationem suam putabant commodissima esse. Quo ipso tamen alias clausulas & formulas, quæ cum

Scriptu-

Scripturâ conveniunt, non condemnant. IV. An phrases alias rectè mutârint; adhæc Sanctorum invocationem, Pontificem cum hierarchiâ suâ, orationem pro defunctis inde eraserint, nonnulla addiderint; nominatim ut Deus nos liberet à Turcâ & Papâ: uti in Germanicis & Anglicis Litaniis. *Resp. Aff.* contra eundem *cap.* 13. 14. 17. 18. V. An & quomodo defendi aut excusari queat Lutherus, qui Papisticas Liturgias, in quibus invocant Sanctos, dixit esse orationem Gentilium, Turcarum, Judæorum; Idem quæro, de dictis Calvini, Chemnitii, &c. quę insectatur *Serrarius, cap.* 9. *Resp. Aff.* Et alibi dicta illa Autorum libris inspectis explicantur.

Posterioris generis quęstiones sunt. I. *An* mos Litaniarum à Grego- 19
rio Magno sit introductus. *Aff.* quidam, quos suppresso nomine notat *Zuvarez. Neg.* ipse *ibid.* & *Serrarius lib.* 1. *cap.* 4. 5. qui tamen non debebat solum Chemnitium hoc affirmantem hic oppugnare. II. *An* in Litaniis possint addi nomina aliorum Sanctorum, & Patronorum loci. *Resp.* Ex prohibitione *Bullarum Pii V. Neg. SS. congreg. anno* 1631. 22. *Martii.* Vide *Gavantum tom.* 2. *pag.* 197. III. *An* in Litaniis invocandi sint Sancti nondum canonizati? *Resp. Neg. Thomas Sanchez lib.* 2. *Summæ cap.* 43. 5. Contrarium tamen currente praxi tenetur. Vide & confer *Litanias omnium Sanctorum* apud Plantinum anno 1621. jussu Principum Belgarum editas; ubi, *Rochus* non canonizatus, *pag.* 498. invocatur. Sed de fide non-fide Papatus in cultu ejusmodi Sanctorum, vide suprà *Disp. de Sanctis Chimæricis.* IV. An vacante sede, petitio de Domino Apostolico, cum versu: *Oremus pro Pontifice N.* & cum oratione pro eodem, in recitatione Litaniæ omitti debeat? *Resp. Aff. Gavantus ibid.* V. Quare Litaniæ in Breviariis M. S. & edito anno 1550. plures Sanctos recensent, & plures petitiones diversarum rerum, eæ scil. quibus additur: *Te rogamus audi nos. Resp.* Quia Pius V. in Breviario reformato *nobiliores Sanctos selegit, & ad sufficientem numerum petitiones redegit: quibus non debet fieri ulla additio, inconsultâ sede Apostolicâ.* Sic Bulla Pii V. apud *Gavantum loc. cit.* VI. *An* uti liceat quibusvis Litaniis? *Resp. Neg.* prohibitione *Bullæ Clementis VIII. anno* 1601. ubi nullas permittit, quam quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus, & Ritualibus continentur, & Litanias B. Virginis in æde Lauretanâ decantari solitas. Contrarium tamen videtur tenere communis praxis: siquidem spectemus *Litaniarum libros* suprà recensitos. Nisi quis dicat, eas approbatas à SS. congreg. Rituum; quibus dicta *Bulla Clementis* eam potestatem concedit; & hoc de Litaniarum libello, quem edi curavit Monachii continentem 27. Litanias Gulielmus Bavariæ Dux, ipse testatur: apud *Serrarium lib.* 2. *cap.* 1. Addo ego,

do ego, & offero Pontificiis has quæstiones expediendas. I. Quæ præstantior, tutior & utilior sit ratio ac forma precandi; litania gemina Mariæ, Lauretana scil. & ex Scripturâ: an rosarium Mariæ; an verò rosarium nominis Jesu, in quo 150 nomen Jesu invocatur, ad imitationem 150. *Ave* rosarii Mariani, & 15. gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c. dicitur, ad imitationem 15. *Pater* in rosario Mariano: quod novi rosarii exercitium primò inventum fuit à Johanne Micon Valentino. De quo vide *Compendium Institut. Fraternit. nominis Dei, pag.* 28. 29. II. An de Sanctis omnibus, qui in Litaniis comparent, certâ & communi fide Romanâ constet, eos esse Sanctos canonizatos? Aut si tales externè more & modo Romano sint canonizati, an certâ fide constet in canonizatione non fuisse aberratum. Vide quomodo hic laboret *Serrarius lib.* 2. *cap.* III. Quandoquidem Pius V. indulgentias suas appropriat breviariis & officiis Mariæ suo mandato reformatis (ut videre est in *præfat.*) an ergo nullas lucraretur simplex idiota, qui ex purâ ignorantiâ novi juris, legeret litanias ex antiquis exemplaribus secundum jura antiqua?

DE PSEUDO-PRECATIONIBUS, ROSARIIS, LITANIIS, HORIS CANONICIS, ET OFFICIIS ECCLESIÆ ROMANÆ,

PARS TERTIA.

Resp. LAMBERTO vanden WATERLAET;
Ad diem 22. *Octob. Anno* 1642.

DE HORIS CANONICIS.

1. 1. HOræ *Canonicæ* dicuntur *Horæ*, quia definitis horis ex instituto Ecclesiæ recitantur. *Azorius Instit. Moral. tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 1. Ubi refert aliis dici ab orando. Dicuntur *Canonicæ*: *vel quia* Ecclesiasticæ, quia Canonicum & Ecclesiasticum sunt idem. (Sic *Stephanus Durantus lib.* 1. *de ritibus Eccles. cap.* 1.): *Vel quia* sunt juxta regulam Ecclesiasticam, q. d. Regulares: *Vel quia* sunt preces Canonicorum Choro addictorum. Sic *Azorius loc. cit.* 11. *Officium divinum* dicitur, *cap. Dolentes, de celebratione Missarum:* quia est præcipuum officium Christianorum, maximè Ecclesiasticorum, orare Deum, *Zvvarez cap.* 1. *§.* 12. Vel quia in eo continetur,

tinetur, quod facere debemus erga Deum. *Bellarminus lib. 1. de bonis Operibus in particulari cap. 10.* 111. *Officium Ecclesiasticum* dicitur in *Clementi I. de celebratione Missarum*: quia per Ecclesiam approbatum est & traditum, ut in personâ Ecclesiæ recitari possit. 1v. *Cursus* dicebatur à S. Germano Episcopo Parisiensi, uti refert *Surius in ejus Vitâ*. Et à veteri Autore vitæ S. Eligii lib. 1. cap. 10.: *diu noctuque in ejus Camerâ, &c. Canonicum adimplere studebant cursum.* Et apud Bandominam scriptorem vitę Radegundis Reginę lib. 2. cap. 18. *Stabat quandoque nocte ante Cellulam suam, corde & ore cursum decantans.* Sic ex veteri Codice legit *Franc. Iuretus in observat. ad Epist. 19. Ivonis.* v. *Pensum Canonicum*, apud Ivonem Carnutensem Epistol. 19. *Raro etiam Canonicum pensum determinatis horis solvere prævalemus.* Ex nostris *Brentius in Confessione VVitebergensi*, *Bullingerus de Origine Errorum lib. 2. cap. 8.* *Hospinianus de Origine Monachorum cap. 9. in fine*, putant horas Canonicas dictas olim ab expositione Scripturę Canonicę, cui horæ erant dicatæ in Collegiis Theologorum, quæ postea in Monasteria degenerârunt. Opinionem hanc explodit *Bellarminus lib. 1. de bonis Operibus cap. 10.* Nos illis omissis, ad definitionem properamus.

Est ergo Officium Divinum (definiente ibid. Bellarmino) *certa ratio publicè laudandi, precandique Deum, mente simul & voce, autoritate Præsulum Ecclesiæ instituta.* Quam definitionem *ibidem* explicat. Sed definitio hæc nimis laxa est, nec essentiam rei definitæ perspicuè exponit, nec ab aliis omnibus distinguit: Eadem enim applicari posset Litaniis. Non insolens est Pontificiis cum superstitiosum & controversum cultum definiunt, versari in generalibus; aut nullâ definitione prę-missâ, disputare de non ente, atque adeò perpetuò committere fallaciam ignorationis Elenchi, aut si mavis involutionis & turbationis status controversiæ: ne appareat quid de veritate illâ liquidum sit. Quęso quis ex hâc definitione etiam explicata à *Bellarmino* intelliget, quid sit officium divinum? Idem dico de definitione Toleti lib. 2. cap. 19. *Laus Dei voce expressa, per Ecclesiæ institutionem determinata.* Nos ergo ex *ipso*, imprimis & Zvvarezio, Gavanto, *aliisque* infrà *cit.* materiam definitionis istam suggerimus: Ut 1. loco generis proximi sit *Oratio vocalis publicè aut quasi publicè recitata. Addo quasi publicè*, uti Lipsius in definitione Epistolę: *ad absentes aut quasi absentes*; quia aliquando recitatur in domo privatâ ab uno aliquo, nec in loco publico, nec coram Ecclesiâ publicâ, nec ullis aliis publicè privatimve quocunque modo assistentibus, aut una orantibus. Et tamen non omittuntur tunc voces illæ, quibus offertur per totam Ecclesiam: *Oremus, benedicamus Domino, Dominus vobiscum*; nec responsiones illæ, quibus respondet

ſpondet tota Eccleſia: *Et cum ſpiritu tuo, Deo gratias, &c.* Rationem aſſignat Bellarminus, *quia officium perſolvitur publico nomine totius Eccleſiæ, pro bono communi & publico, per publicos & ſolennes Miniſtros.* 11. Differentia ſumatur à peculiari & definitâ formâ orationis, quæ per ſeptem horas myſticè diſtributa, quamque earum ſeptem aut octo particulis ſeu formulis abſolvit. Hic ergo occurrunt explicandę partes officii divini majores & minores. 1. *Partes majores*, ſeu Numerus ſeptenarius myſticus, ſeu ſeptem horæ, aut partes officii divini ſunt *Matutinum* ſeu *laudes* (quas diſtinguunt, qui octo horas conſtituunt) *prima, tertia, ſexta, nona, veſperæ, completorium.* Cujus numeri tum numerantis, tum numerati myſtica ſignificatio & efficacia oſtenditur. *Primo* reſpectu creationis, ut agamus Deo gratias pro rebus creatis in ſeptem diebus. *Secundo* reſpectu redemtionis, cujus myſteria his horis operata fuêre. Nam mediâ nocte natus eſt Chriſtus & reſurrexit. Horâ primâ ductus ad Pilatum. Tertiâ linguis Judæorum in crucem actus, & flagellis cæſus, ſpinis coronatus. Sextâ verè cruci affixus. Nonâ exſpiravit & ad inferos deſcendit. Veſpertinâ de cruce depoſitus eſt; eâdem horâ cœnavit, pedes lavit, euchariſtiam confecit. Horâ completorii oravit in horto. Hęc complectuntur verſiculi memoriales:

„ Matutina *ligat Chriſtum, qui crimina purgat:*
„ Prima *replet ſputis: dat cauſam* tertia *mortis.*
„ Sexta *cruci nectit: latus ejus* nona *bipertit:*
„ Veſpera *deponit: tumulo* completa *reponit.*

Tertio reſpectu noſtri: *Septies in die cadit juſtus*, Proverb. 24. & nos ſepties orando reſurgimus. *Quarto* Numerus univerſitatis eſt ſeptenarius, ex *S. Gregorio*, & in multis à ſanctis Patribus commendatur. *Quinto*, ſeptem aſſumit dæmon nequiores ſpiritus contra nos. Quæ ratio eſt *Mich. Timothei in Speculo ordinandorum 3. part. tract. 6. cap. 4. Sexto*, ad ſeptiformem Spiritus Sancti gratiam obtinendam. *Septimo*, ſeptem partes ſunt orationis Dominicæ. Hinc ergo accerſitur numerus horarum myſticus. Vide *Bellarminum lib. 1. cap. 14. Gavantum tom. 2. pag. 3.* Imprimis & *Bongum de Myſteriis numerorum, pag. 282.* Diſquiri hic poſſet, cur non myſterio huic inveniendo unà adduxerint ex *Apocalypſi* urbem ſepticollem, beſtiam ſepticipitem, ſiquidem & ibi myſterium eſt *Apocal. 7. 5. 2 Theſſal. 2. 7.* 11. *Partes minores*, ſeu ſeptem aut octo particulæ cujuſque horæ Canonicæ ſunt: *Deus in adjutorium, Hymnus, Pſalmus, antiphona, capitulum, reſponſorium breve, oratio completiva, cantica Euangelica*: quod octavum additur ſolum in laudibus, veſperis, & completorio. Sic *Gavantus loc. cit.* Sed *Zvvarez lib. cit. cap. 2.* dicit totum officium rectè ordinatum

dinatum ex sequentibus componi, quæ etiam in *Breviario Romano* speciatim enumerantur; & sunt, *Psalmi, cantica, hymni, lectiones, responsoria, versiculi, benedictiones, absolutiones, capitula, invitationes, antiphonæ, collecta seu orationes Ecclesiasticæ, oratio Dominica, & Angelica, antiphonæ peculiares pro Virgine, quæ sunt quasi salutationes ejus, cum aliquâ oratione ad Deum adjunctâ, ac denique symbolum fidei.* Hic numero partes seu distinctas formulas septendecim. Bellarminus lib. 1. cap. 14. habet decem, *Psalmos scil. cantica, hymnos, lectiones, responsoria, antiphonas, litanias, capitula, collectas, symbolum & confessionem.* Partium istarum explicationem & probationem sigillatim (non verò collectivè quod ad numerum; nam in eo inter se non conveniunt) instituunt *Azorius, Zvvarez, Bellarminus loc. cit.* ut alios nunc omittam; quicnim unum noverit, omnes noverit. De *Hymnis, psalmis, canticis*, non est quod multum laborent apud nos: admittimus ea in genere: sed distinctionem in ordinariis & quotidianis Ecclesiæ precibus perpetuò adhibendam inter hymnos, cantica, psalmos, velimus nobis ostendi. Ad hæc hymni 96. (quorum rationem, & indicem alphabeticum vide apud *Gavantum tom. 2. sect. 5. cap. 6.* Et *verba hymnorum*, uti ea cum *commentariis Clichtovei* seorsim in fol. & 8., & cum *scholiis Cassandri* una cum *operibus* ejus, & cum Psalterio Coloniæ anno 1614. apud Quentel, & in *Breviario reformato Pii V.*, leguntur, ædificationi Ecclesiæ non conveniunt. Quod non tantum *Cassander* de quibusdam *in suis* ad ea *scholiis* agnoscere coactus fuit: sed & ipse Urbanus VIII qui anno 1629. eos emendari curavit, sublatis quibusdam integris hymnis (nam ad 96. redegit, cum ultra centum ante ipsum in usu fuissent), & mutatis 30. hymnorum principiis, correctisque falsis syllabis ultra nongentas: uti testatur *Gavantus lib. cit. sect. 5. cap. 6.* Notet prudens Lector, quod urbana illa vulpes mutaverit inter alia, principia hymnorum, *Ave Catharina, &c.* & *O crux ave spes unica:* sicuti etiam festa & imagines quasdam annis aliquot post mutaverat. Vide nunc, quam rationalis, quam accuratus, quam in nullo reformandus fuerit cultus publicus in Papatu: ubi quædam festa, & quædam imagines, ubi omnia missalia, breviaria (& quidem ter) officia Mariæ, hymnaria & psalteria, Episcopalia, Pontificalia, Pastoralia seu ritualia, Jura Canonica, ipsa denique vulgata Biblia aliter reformari & emendari debuerunt. Quod ad hymnos, quidquid in iis emendârit Urbanus VIII. manent tamen complures ex iis commaculati idololatriâ, superstitione, atheologiâ, ἀνιερωσία. *Lectiones* Scripturæ in Ecclesiâ non improbamus: sed *homiliarum Patrum*, & *legendarum de Sanctis.* Legendas in plerisque condemnamus: de quibus alibi. Homilias Patrum cum judicio legendas, ne ipsi quidem Pontificii diffitentur, cum eas non sine addi-

tis cautelis seu censuris edunt. De quo in 1. *part. selectar. Disp.* tit. *de Patribus.* Præterquam quod lectio, non sit forma orandi Deum, nec pars orationis ad Deum: ad hæc malè linguâ ignotâ peragatur. De *capitulis* ex Sacrâ Scripturâ depromptis, idem esto judicium. *Benedictiones* quæ, qualesve probandæ aut improbandæ, ostendimus *Disp. de Benedictionibus.* De *responsoriis* & *antiphonis* (quæ explicat *Gavantus pag.* 89. & 73.) quod orationi non conveniant; alibi docetur. Antiphonam *Salve Regina*, quam toto *cap.* 15. defendit *Bellarminus*, supra cum ageremus *de Rosario*, breviter perstrinximus. De *Litaniis*, jam egimus. De *Collectis*, quas *Bellarminus* explicat *lib.* 2. *de Missâ cap.* 16. & *cap. cit.* defendit; dicimus ignotam plurimis si non plerisque recitantibus esse πολυλογίαν. Nam quod ad primam earum originem, erant precationes, quas Episcopus super populum jam collectum publicè pronuntiabat: uti probat *Cassander in Liturgicis cap.* 21. & in *tract. de precibus Ecclesiasticis*, quas collectas appellant, in principio. Atqui quâ cum ædificatione & manuductione populi illæ nunc domi aut in itinere, in stabulo, in diversorio ab omnibus beneficiatis, aut à Canonicis in choro, & quidem latinè recitantur? Hoc tamen inde contra Pontificios probari potest, Gregorium & Ambrosium, aliasque Ecclesias Europeas, ex quorum officiis *Cassander* collectas collegit, preces illas ad Deum direxisse, & non ad Mariam, Josephum, Apostolos, Ursulam, Franciscum, Rochum, &c. Denique de *Symbolo* & *Confessione*, quod non sit formula orationis, nec certa ratio orandi Deum per Symbolum scilicet dictum Apostolorum, aut Athanasii, aut quodcunque aliud. Nec prætereundum in plures minutias & fractiones dividi singulas horas à *Gavanto sect.* 5. ubi juxta computa Breviarii enumerat 22.

3 *Objectum* ad *quem*, est Deus; ita *Bellarminus:* & inde dicitur officium Divinum: *Propter quod*, sunt tum necessitates omnes Ecclesiæ, tum ejus bona & beneficia accepta; *Pro quo*, seu *cui* est universa Ecclesia. *Subjectum* (idem etiam principium posset dici) *quod* est universa Ecclesia, cujus nomine hoc officium persolvitur: *Subjectum quo*, sunt Clerici; beneficiati scil., ordinibus initiati, Regulares: de quibus infrà. Qui considerantur vel divisim & seorsim, vel collectim in choro. *Subjectum continens*, est Breviarium Romanum, cujus compendium est diurnale. De cujus formâ, materiâ, partitione alibi agendum, *tit.* scil. *de Liturgiis.* Interim videant, qui hæc scire avent, *Gavanti tom.* 2. *Thesauri sacrorum rituum sect.* 2. *Efficiens causa vel* primo instituens, vel de post facto confirmans, aut mutans, reformans, &c. est Ecclesia Romana, hoc est, Papa Romanus. Ad hunc enim hęc potestas refertur à *Bellarmino*, & *Zvvarezio loc. cit.* Item *Gavanto, Casuistis*; & docent hoc omni exceptione majores ipsæ Bullæ Pontificum,

cum, quas vide nonnullas præmissas *Breviario*, reliquas in *Bullario*, & *collectaneis Barbosæ*. De primâ origine & antiquitate, quidquid nugantur, inter ipsos tamen non convenit. De quo vide infra *in Problematis*. *Fines* & effectus sunt omnes illi (juxta ipsos) qui veris precationibus fidelium & Ecclesiarum tribui solent secundum Scripturas. Sunt enim propriè orationes communes Ecclesiæ, quæ recitandis horis Canonicis per ministros Ecclesiæ funduntur. Sic *Thomas quodlib.* 7. *art.* 18. & ex eo *Zvvarez lib.* 4. *c.* 1. §. 12.

Adjuncta sunt, vel positiva, vel privativa. *Positiva absoluta magis*, sunt 4
vel requisita & antecedentia; vel concomitantia & consequentia. *Requisita*, sunt. 1. Ut fiant linguâ non vulgari, sed latina. *Bellarminus cap.* 16. & disputat pro hâc sententiâ *lib.* 2. *de verbo Dei cap.* 15. Moravis tamen novellis Christianis à Papâ usus idiomatis Slavonici concessus est. Referente *Baronio ad ann:* 880. §. 3. Quod tamen Bohemis petentibus per ducem Uratislaum negatum, *Baron. ad ann.* 1080. §. 1. 11. Ut fiant, non simplici pronuntiatione tantum, sed & cantu; & quidem symphoniaco ac figurato, tum vocali, tum instrumentali, seu organico. *Bellarminus cap.* 16. & 17. Sed hanc legem mores seu praxis ad publicum in Ecclesiâ officium, seu ad chorum restrinxerunt; ita, ut jam non extendatur ad horarum per beneficiatos recitationem domi factam, verè privatam, quamvis per fictionem seu suppositionem ℣ *Quid* pro *quo*, habeatur & dicatur officium publicum seu Ecclesiasticum. 111. Ut fiant debitis conditionibus & circumstantiis, quas septem enumerat *Bellarminus cap.* 18. quas necessarias dicit & pro virili probat esse necessarias ad hoc munus implendum. 1. Est *Integritas*; quæ servanda est respectu partium majorum, hoc est, septem horarum diurnarum, & unius vel trium nocturnorum officiorum: deinde respectu partium minorum, etiam ratione singulorum verborum; de quo *Antoninus* 3. *part. Summæ tit.* 13. *cap.* 4. & *Navarrus cap.* 25. *Enchiridii num.* 98. 2. *Ordo*; ut singula suo loco ponantur, & officia priorum horarum prius, posteriorum posterius absolvantur. De necessitate tamen hujus quomodo dispensent, vide *ibid. apud Bellarminum* & *Antoninum*. 3. *Qualitas* officii: ut Clerici suarum Ecclesiarum, & Monachi suorum Ordinum formam sequantur. Alia enim est forma Breviarii Romani, alia Leodiensis, &c. & rursum alia Benedictinorum, alia Prædicatorum, &c. Sed hic graves oriuntur controversiæ; de quibus fortè alibi. 4. *Locus*, ut fiat in Ecclesiâ. Sed & hic multiplex exceptio ac dispensatio: de quo infrà. 5. *Tempus*, est totum illud spatium, quod intercedit inter vesperam unius diei, & mediam noctem alterius. Sed quid accipiendum sit nomine vesperæ, & quomodo spatium illud determinan-

dum, variantibus sententiis disceptatur. Vide infrà. 6. *Attentio*; quæ cum triplex sit ad verba; ad sententiam; ad ipsum Deum, qui oratur vel laudatur. *Qualibet*, inquit Bellarminus, *harum trium sufficit; neq; necesse est ut semper sit actualis, modo ita sit virtualis, ut voluntariè nunquam interrumpatur.* Sic *Bellarminus*, & ab illo *ibidem cit. Navarrus*, *A Soto*, *omnesque Casuistæ*. 7. *Devotio* requisita, partim est interna, partim externa. *Illa* est promtitudo quędam animi ad Deum laudandum ac precandum. *Ista* est, promtitudo ad genua flectenda, adstandum, adcanendum, & alia id genus præstanda. *Adjuncta concomitantia & consequentia* sunt. 1. *Donationes & oblationes* reditvum, quibus hoc officium prosecuti sunt & certatim cumulârunt Magnates pariter & Plebeji in Papatu. In genere intenderunt quidem benefactores illi curas animarum, incrementum cultus divini, & propagationem fidei, ædificationem Ecclesiæ, tanquam finem communem: in specie tamen sequioribus & corruptissimis sæculis plerique exsertè largiti sunt *prosalute* animæ suæ, idque per officia divina missarum, horarum Canonicarum, & per simplices quorumcunque preces pro defunctis; per quæ & vivos & mortuos maximè juvari, & ad gratiam ac gloriam maximè promoveri putabant. Idem dicimus de piis donationibus & legatis, ibus donatores, pauperum preces pro animabus benefactorum stipulabantur. Unde tamen minimè inferendum est, reditus gerontodochii, nosocomii, orphanotrophei, domus leprosorum, eleemosynarii (quod mensam Spiritus Sancti appellare solent) otiosis abliguritoribus & quidem divitibus, saltem non genuinis pauperibus, ad saginam exponendos esse. Sed omnes reditus ab initio nascentis in partibus Occidentalibus Christianismi, & melioribus sæculis ante ἀκμὴν novitatis Papatus fundatos, diabolo, Antichristo, horrendæ idololatriæ Papali unicè donatos esse, nemo sanus & sobrius inter Reformatos dixerit: nisi quis *Iuelli Apologiam*, *Perkinsi Problema Catholicum*, *Plessei libros de Missâ de Ecclesiâ*, *de Mysterio iniquitatis*, adhęc *Molinæi novitatem Papatus*, *Forbesii institutiones*, *Usserii successionem ecclesiarum in Occidente*, aliaque ejusdem eruditissima scripta, diffiare & causam reformationis Pontificiis prodere velit. Vide quæ ex Jure Civili annotavit *Cornel. à Rhyntelen in Iurisiâ Romano Catholico cap.* 106. & 105. Canonistas non est quod huc advocem; nemo enim dubitat, quin in hanc partem senserint. Experientiam & factorum notoreitatem suppeditat inter omnes alios *Aubert. Miræus in Diplomatis*, *& Donationibus Belgicis*, *& in tract. de Originibus Ecclesiarum Belgicarum*, *& in Fastis Belgicis*, *& tract. de Canonicis*: cum quo conjunge *Molanum & Barbosam de Canonicis*, *& Heddæ ac Bekæ Historiam Ultrajectinam*. Sed de origine & usu reditvum Ecclesiasticorum alibi ex professo disserimus *in determinatione* scil. *Theologicâ*

de

de Canonicatibus Vltrajectinis, post primam hujus Disp. editionem scriptâ & editâ. II. *Obligationis ratio*, quæ est in officio divino; quod scilicet ad ejus recitationem tenentur jure Canonico, aut divino, ut quidam volunt. Vide infrà. III. *Quod tenentur*, 1. *Primò* Beneficiati, qui titulum habent Ecclesiastici beneficii, incipiendo à die possessionis adeptę; sive sit beneficium tenue; sive sit prestimonium; sive sit commendatum; sive sit manuale vel amovibile; sive injustè collatum; sive nondum percipiantur fructus; sive fructus sint reservati alteri; sive nunquam sint percipiendi de consensu, vel ob culpam beneficiarii; sive titulum tantum habeant cum suffragio in capitulo. De quo fusè *Navarrus in Miscellaneis de Oratione*, *Azorius* & *Zvvarez loc. cit.* aut ex recentissimis Casuistis *Diana*, & *Bonacina*, aut recentiorum Casuistarum epitomator *Eligius Basseus*, cum *collectaneis ad bullarium Augustæ Barbosæ*. 2. *Secundò*, Sacris ordinibus initiati, & quidem ad eam horam, quę in choro tunc temporis dicenda esset. 3. *Tertiò*, Regulares professi tam mares, quam fœminæ, choro addicti: quorum obligatio incipit ab horâ, quâ solennem votorum professionem emiserunt. IV. *Festa*, in quibus appropriato quodam modo officium recitatur: ad quam operosam pragmaticam requiritur computus, & Calendarium Ecclesiasticum. Tabulas perpetuas de circulo horario per totum annum, habet *Gavantus tom. 2. pag.* 223. & 326. tit. *Ordo perpetuus divini officii recitandi.* Distribuuntur autem in tres partes. 1. *De proprio de tempore.* 2. *De proprio Sanctorum.* 3. *De communi Sanctorum.* Adde 4. quod non est pars horarum, sed appendix tantum & non nisi remotè ad eas pertinet. Hæc omnia fusè explicata vide à *Gavanto sect.* 6. 7. 8. 9. V. *Ceremoniæ* adhibendæ seu ritus proprii, in officio recitando; quæ variant. 1. *Prout* ab uno aut pluribus; extra chorum aut in choro; solenniter, aut minus solenniter recitantur. Peculiares illas ceremonias, quæ singulis accidunt, vide explicatas apud *Gavantum pag.* 20. 2. *Variant* item juxta singulas horas: de iis vide *Gavantum sect.* 4. 3. *Variant* juxta horarum singularum particulas, quas 22. numero recenset, & ritus proprios, qui variam habent eruditionem (ut loquitur *Gavantus pag.* 61.) explicat *ibidem*: ubi vide operosas nugas. VI. *Addita quædam seu appendices* (non partes) horarum Canonicarum, suntque 1. *Officium parvum B. Virginis.* 2. *Officium defunctorum.* 3. *Psalmi graduales.* 4. *Psalmi pœnitentiales.* 5. *Ordo commendationis animæ.* 6. *Benedictio mensæ.* 7. *Itinerarium Clericorum.* Vide hæc in *Appendice Breviarii*, & apud *Gavantum sect.* 9. *Positiva magis relata & comparata*, sunt 1. Officii duplicatio, *seu Officium duplex.* II. *Semiduplex.* III. *Simplex.* IV. *Officium Dominica.* V. *Feria major & minor*, & *Officium feriale.* VI. *Vigilia*, & *officium vigilia.* VII. *Octava*, & *officium octava*,

octavæ, illudque duplex, aut semiduplex, aut trium lectionum. VIII. *Concurrentia officii.* IX. *Occurrentia officii, seu translatio officii, aut festorum.* X. *Commemoratio*, seu memoria; quæ vel de tempore, vel de sanctis. XI. *Apparatus vestium*; de quo Bzovius annalista ad ann. 1435. §. 8. *Easdem dicturi* (Canonici scil.) *cum tunicâ talari ac superpelliceis mundis ultra medias tibias longis juxta temporum & regionum diversitatem Ecclesias ingrediantur, birreta vel almucias tenentes in capite. Adjuncta partim negativa, partim privativa* (unde totidem ferè positiva requisita, quæ ex *Bellarmino* retulimus) sunt, *Primo*, Quod ad ejus recitationem non tenetur coadjutor, quâ coadjutor; neque pensionarius. Sic *Navarrus cap.* 20. §. 17. & *cap.* 7. §. 25. II. *Pœnæ* circa divinum officium: 1. *Beneficiarii* habentes onus recitandi officium, titulo beneficii tenentur ad restitutionem fructuum pro ratâ omissionis officii. Sic *Bonacina* apud *Gavantum pag.* 11. Ratam autem restitutionis & omissionis determinat *bulla Pii V.* 2. *Qui paucos* versiculos omittit non tenetur quidpiam restituere; & eò magis si tenue sit beneficium. *Ibid.* 3. *Qui recitat* absque attentione, tenetur ad restitutionem. *Ibid.* 4. *Omittenti* divinum officium, ita ut intra quindecim dies illud saltem bis non recitet, imponitur pœna privationis beneficii. *Ibid.* ubi vide varias dissensiones, exceptiones, limitationes, circa hoc axioma. III. *Defectus* in officio divino contingentes: quos ad novem classes seu capita revocat *Gavantus*, & singulis suas causas ac decisiones numero haut paucas subjicit, cum *indicio bullarum, decisionum SS. congreg. Cassistarum.* Conferendi sunt imprimis *Zvvarez* & *Azorius libr. cit.* Sunt autem capita: 1. *De divini officii Omissione.* 2. *Mutatione.* 3. *Intentione.* 4. *Attentione.* 5. *Prolatione.* 6. *Tempore.* 7. *Loco.* 8. *Ordine.* 9. *Interruptione.*

5 Comparantur & conveniunt cum horis Canonicis. 1. *Proximè* quidem 1. Litaniæ, 2. Rosarium. 3. Officium Missæ; quod cum horis Canonicis multa habet communia, ex. gr. lectionem, collectas, litanias, Gloria Patri, Symbolum & confessionem. II. *Propinquè* preces & officia Orientalium, quæ liturgiis ipsorum seorsim editis continentur, ex. gr. Græcorum, Maronitarum, &c. De his in *Politicâ Ecclesiasticâ part.* 1. *de Liturgiis.* III. *Remotè*, nupera *Ratio precandi* Doctoris *Cozens* in Angliâ: quam peculiari tractatu examinavit *Gulielmus Prynne, tit. Doct. Cozens cosening devotions:* qui videndus. Et officium horarum in liturgiâ Anglicanâ; in quo quid carpant ejus Antagonistæ, vide *in Didoclavii*, (hoc est *Davidis Caldervvood*) *Altari Damasceno cap.* 10. *pag.* 612. & deinceps. Confer *Histor. rerum nuper in Scotiâ gestarum anno* 1641. *pag.* 204. 205. Nos hâc vice illa non examinabimus: quia instituimus nunc Pontificiorum mysteria liturgica detegere.

Dividi-

Dividitur officium 1. *Ratione partium* tum majorum tum minorum: de quibus suprà. Adde officium novem & trium lectionum. De quibus *Gavantus pag.* 22. 23. 6 II. *Ratione objecti* & finis specialis ac proximi: sic aliud est commune; aliud de Sanctis; idque rursum de proprio Sanctorum, per singulos menses totius anni; & de communi Sanctorum. 1. Apostolorum. 2. Martyrum. 3. Confessorum. 4. Virginum & non Virginum. 5. Dedicationis Ecclesię. Originem ejus, & modum celebrandi, vide apud *Gavantum sect.* 7. & 8. III. *Ratione mutationis*, & reformationis. 1. Aliud est Ambrosianum seu Mediolanense; aliud Gregorianum seu Romanum. Illud etiamnum observari, ubi consuetudine receptum est, non obstante *bullâ Pii V.* pro usu Breviarii Romani docet *Cherubinus in Compendio bullarii tom.* 1. *pag.* 60. De Mozarabico seu Toletano, seu Gothico ejusque fortunâ, quam subiit, vide *Baronium ad annum* 1074. §. 6. & 8. & 1080. §. 11. Servatur tamen etiam hodie in Ecclesiâ Toletanâ. 2. *Rursum*, Romanum aliud est antiquum; aliud novum, seu reformatum, à Pio V. 3. *Reformatum* aliud est commune; alia peculiaria, quorum usus religiosis quibusdam à sede Romanâ concessus. De quo vide *Barbosæ collectanea pag.* 501. & *Gavantum tom.* 2. *sect.* 2. Ubi notandum Breviaria & Officia, quæ 200. annorum præscriptione gaudent, loco non moveri. IV. Ratione objecti, seu tituli & denominationis specialis. 1. *Aliud* est de nomine Jesu editum Vesontione apud Johannem Exterium ann. 1590. 2. *Aliud B. Virginis*: de quo mox peculiari appendice. 3. *Aliud* Patriarchæ (uti nunc ab illis vocatur) Josephi. 4. *Aliud* Francisci, quod Belgicè in 24. editum vidi tit. **De getyden van S. Franciscus.** 5. *Aliud* Officium de Baptizatis. De quo *Josephus Vicecomes de ritibus Baptismi lib.* 5. *cap.* 33. ubi refert olim obtinuisse & etiamnum hodie obtinere, ut octo diebus Paschæ & Pentecostes officia pro baptizatis dicantur: quæ octo officia distinguuntur à sequentibus in *ordine Romano*, tit. *de octo offic. Neophytorum*; & hoc nunc in Ecclesiâ Ambrosianâ inviolatè custodiri. En cultum rationalem. 6. *Aliud* sacramenti Altaris, quod Belgicè editum Antwerpiæ anno 1640. hoc tit. **Getyden van het Heylich ende hoochweerdigh Sacrament des Altaers.** 7. *Aliud* sanctorum seu de Sanctis in communi; quod distinguitur ab officio proprio alicujus Sancti, qui est patronus loci, aut ordinis monastici, aut collegii seu communitatis cujuscunque, aut selectus peculiariter à particulari quoque devotario. Hic notandi sunt omnes libelli latini & vernaculi officium Sancto alicui, cujus nomen in fronte scribitur, appropriantes. 8. *Aliud* Sanctorum quorum nomen ignoratur: *Si adsit alicujus ex his Virginibus* (Ursulanis) *caput, aut insignis reliquia, & nomen ignoretur, fiat de eâ officium duplici*

ritu, sumtâ oratione de communi in singulari, tacito illius nomine (quod fit in S. Callisto & aliis), & fiat commemoratio S. Hilarionis, & S. Vrsulæ & Sociarum: nisi aliud à majoribus concedatur, aut legitimè præscribatur. Sic Gavantus sect. 7. cap. 12. pag. 169. 9. *Aliud* S. Crucis: quod editum est cum *libello Sodalitatis S. Crucis* in Hoboken/ Antwerp. diœcesis, anno 1618. apud Plantinianos. 10. Ut absolvam omnia omnium officia in usum idiotarum exhibet libellus Antwerpiæ anno 1523. & ibidem anno 1573. apud Henricum Wouters, & anno 1598. apud Aernout Sconincks excusus, tit. *Ortulus animæ.* In postremâ editione, à prioribus nonnihil variante præmittit officium S. Crucis ad matutinas, latinè, excipiunt preculæ quædam Belgicæ, & septem Psalmi cum litaniâ prius latinè, postea belgicè. Sequuntur linguâ vernaculâ horæ Trinitatis recitandæ die Dominico: horæ pro animabus defunctorum, die Lunæ: horæ Spiritus Sancti, die Martis: horæ omnium Sanctorum, die Mercurii: horæ Sancti Sacramenti, die Jovis: horæ de Sanctâ Cruce, die Veneris: horæ nostræ Dominę, die Saturni. Subjicitur corona Mariæ, precatio recitanda coram imagine nostræ Dominæ in sole, aliæque ad singulos Apostolos & Euangelistas. Proximè sequuntur precationes hoc ordine. 1. Ad Erasmum martyrem. 2. Michaëlem Archangelum. 3. Angelum custodem. 4. De S. Laurentio. 5. De S. Adriano. 6. Ad S. Franciscum. 7 Ad S. Georgium. 8. Ad S. Antonium. 9. Ad S. Cornelium. 10. Ad S. Rochum. 11. De S. Annâ. 12. Ad S. Mariam Magdalenam. 13. Ad S. Catharinam. 14. Ad S. Barbaram. 15. Ad S. Apolloniam. 16. Ad S. Margaritam. 17. Formula precationis Imperatori Maximiliano usurpata. 18. Ad S. Brigittam. 19. Precationes aliquot ad Christum. 20. Confessio fidei & peccatorum quotidie recitanda. 21. Ad S. Sebastianum. 22. Exercitium in passionem Christi consistens in alloquiis & precibus ad Christum, & quibusdam ad B. Mariam. 23. Devotum exercitium de Missâ in sex partes & sex precationes distributum. 24. Exercitium in Christi quindecim effusiones sanguinis. Similia ferè ad officium Mariæ, Crucis, S. Spiritus spectantia, cum septem Psalmis, aliisque precibus partim ad Deum, partim ad Sanctos quosdam, continet libellus tit. Gallico insignitus, *Heures de nostre Dame, selon l'usage de l'eglise de Reims, anno* 1621. à Reims; qui tamen totus latino sermone conscriptus est: nisi quod ad finem pagellæ aliquot idiomate Gallico exhibent *l' Exercice quotidian du Chrestien.* Et, *Vn petit memorial & instruction pour se confesser.* v. Est & denominatio à tempore: Ut *officium hebdomadæ Sanctæ*, Monachii, anno 1571. apud Adamum Bergh: Indicante *Posevino in Apparatu.* Plures tit. habet *Barbosa loc. cit.* VI. Ratione connexi seu adjuncti. 1. *Aliud* celebratur

unà

unà cum Missâ; aliud seorsim seu extra Missam: 2. *Aliud* cum Musicâ chromaticâ, aliud sine eâ. 3. *Aliud* cum Musicâ organicâ, aliud absque eâ. VII. Ratione numeri; aliud duplex, aliud semi-duplex: de quo supra. VIII. Denique dividi posset officium Romanum in curiale, & commune. Illud est quod Curiales Romani recitant: ita ut *aliud officium olim fuerit Ecclesiæ Romanæ, aliud Capellæ Papæ*; ut testatur *Marcus Antonius de Dominis, Spalatensis lib. 7. de Republicâ Ecclesiasticâ cap. 12. num. 94.* Curia enim, quod curiales aliis negotiis occupati sint, horas Canonicas sibi breviores paravit; & Romanæ Ecclesiæ *longiarium* mutavit in *breviarium*: ut loquitur *ibid. num. 96.* Atque hæc thetica delineatio tyronibus nostris sufficerit ad manuductionem. Ipsos fontes si quis adire velit, indicamus inter omnes. 1. Ex iis qui peculiari tractatu hanc materiam illustrârunt, *Francolinum de Horis Canonicis*; *Oliverium Bonartium de iisdem*; & *Anacletum Siccum de Ecclesiasticâ hymnodiâ, cantantibus in choro, valde utili.* II. *Ex* Scholasticis, *Zvvarez tom. 2. de Religione libr. 4.* III. *Ex* controversiarum Scriptoribus, *Bellarminum de bonis Operibus libr. 1.* IV. *Ex* Casuistis, *Azorium tom. 1. lib. 10.* aut *Bonacinam*, aut *Dianam*; adde *Toletum* & *Eligium Basseum*: apud quos plures alii citantur. V. *Ex* Liturgicis, Ritualibus, & Antiquariis, præter ipsum *Breviarium Romanum*, ejusque epitomen dictam *Diurnale*, *Gavanti Thesaurum sacr. rituum tom. 2. per totum*, & *Iohannem Stephanum Durantum de ritibus Ecclesiæ lib. 3. à cap. 13. usque 20.* VI. *Ex* Canonistis, *Augustinum Barbosam in Collectaneis bullarii*; *Eundem in collectaneis Doctorum ad Concilium Tridentinum*; cui adde *Flavii Cherubini Epitomen bullarii cum Scholiis*; Duo illi indicant statuta Pontificum, decisiones SS. Congregationum, & varios Doctores. His adde *Bochelli decreta Ecclesiæ Gallicanæ lib. 1. tit. 7.* cui proximè subjicitur *tit. 8. de Litaniis, & tit. 9. de Brèviario.* VII. Confer *Scriptores de Canonicis*, alibi *cit.*, qui per occasionem agunt de horis Canonicis. VIII. Insuper *Scriptores de Ceremoniis* alibi *cit.* IX. *Scriptores de Rosariis, Litaniis, de officio Mariæ.* X. *Ex* Commentatoribus & Concionatoribus, *Cornelium à Lapide in Actor. 3.* XI. *Indices librorum prohibitorum & expurgatorios. Appendix ad Indicem librorum prohibitorum Concilii Tridentini* prohibet editiones horarum Canonicarum. XII. *Annales & Historias Ecclesiasticas.* Ex nostris hæc attingunt *Brentius in Confessione VVitteberg.*; *Magdeburgenses* passim *in Centuriis*; *Bucerus in Apologiâ pro reformatione Colonensi cap. 118. Heshusius in libro de 600. erroribus Papistarum tit. 24. num. 7. Hospinianus de Templis, pag. 337. VVilletus in commentar. ad Levitic. 16. & in Daniel. 6. Iohannes Gerardus tom. 4. confess. Cathol. pag. 940. Rivetus Cathol. Orthodox. tom. 1. pag. 2. quæst. 35.* quibus adde imprimis *Altare Damascenum loc. cit.*

APPENDIX DE OFFICIO, SEU HORIS CANONICIS B. MARIÆ.

7 OFficium B. Mariæ dupliciter accipitur. I. *Pro* officio ejus in Sabbatho (Sabbathum enim seu dies dictus Saturni Mariæ dedicatus est); quod totum officium cum lectionibus Sanctorum Patrum singulo mense pro varietate legendis, jussu Pii V. fuit compositum, & editum, ac postea à Clemente VIII. recognitum. Quomodo autem singulis Sabbathis non impeditis officio quoad ritum digniori &c. cum aliis casibus vide explicatum à *Gavanto pag.* 183. Confer & *Augustini Wichmans Sabbathismum Marianum.* II. *Pro* horis Canonicis Mariæ, quas definire possumus, *certam rationem colendi B. Virginem, & in Virgine Deum*: vocatur & distinctionis causâ, *Officium parvum B. Virginis.* De quo vide *Gavanti tom.* 2. *Thesauri Rituum pag.* 183. -- 186. III. Hujus *causa efficiens*, quod ad primam originem statuitur Petrus Damianus, anno 1056. ubi refert *Baronius* §. 2. Quod ad *confirmationem* & canonizationem peracta est, & sic non tantum ad Clericos sed etiam ad Laicos propagata ab Urbano II. in Concilio Claremontano (*Baronius* 1095. §. 6.). Tandem fuit reformatum per *Pium V.* uti constat ex *ipsius Bullâ anno* 1575. Circa primam ejus originem, *Gavantus libr. cit. sect.* 9. *pag.* 185. dissentit à Baronio, qui à Damiano non institutum, sed restitutum putat, & quidem Gregorio VII. jubente, ut habent *Flaminius & Fortunatus in vitâ Damiani*, & *Rubeas in Historiâ Ravennate.* Et ne quid desit archaiologiæ, adducitur *M. S. expositio regulæ Benedicti*, autore *Paulo Diacono*, quę testatur Gregor. III. & Zachariam Pontifices jam ante annum 752. præcepisse Cassinensi congregationi, ut omni tempore unà cum officio divino recitarent etiam officium B. Virginis. En tibi adamantina testimonia. IV. *Finis*, effectus, & utilitas prętер communes cultus Mariani & officii divini, specialis est, quod lucrantur indulgentias 100. dierum, qui dictum officium recitant juxta rubricas Breviarii: de quo vide *Bullam Pii V.* officio Marię præmissam; sunt & peculiares indulgentiæ concessæ pro officio defunctorum, pro Psalmis gradualibus & pœnitentialibus, &c. Vide *Bullas præfixas.* V. *Adjuncta* & requisita sunt inter alia *Primò* Modus illud recitandi; *Secundò* Obligatio ad illud recitandum; *Tertiò* Meditatio ad septem horas earundem causarum erga B. Virginem, quas erga Deum in officio divino meditandas esse suprà diximus. *Quartò* quod usu tantum & consuetudine vim legis habet, non jure scripto: sic *Casuistæ* apud *Azorium tom.* I. *lib.* 10. *cap.* 16. De quibus vide *Gavantum pag.* 185. 186. 187. 4.

VI. *Partes*

VI. *Partes* eædem, quæ officii divini; septem scil. horæ, matutinum, prima, tertia, &c. & singularum horarum tot particulæ, quot in horis Canonicis. VII. *Dividitur* secundum tempus in quadruplex; scil. in adventu Domini; post nativitatem; tempore Paschali; à festo Trinitatis usque ad adventum. Quomodo autem legendum singulis temporibus, docet *Gavantus ibid.* VIII. *Dividitur* in novum seu reformatum jam inde à Pio V.: ex quo tempore variæ editiones prodierunt, & in antiquum, quod etiam titulo *Hortuli Animæ* prostare solet. Indico quasdam editiones antiquas & novas, quæ nunc ad manum sunt. *Hortulus animæ*, seu *Officium beatiss. Virginis Mariæ, omnia ex decreto S. Concil. Tridentin. restituta*, apud Plantin. 1570. in 16. *Officium B. Mariæ Pii V. jussu editum*, 1607. in 24. Antwerp. apud Keerberg. *Officium B. Mariæ Virginis Pii V. jussu editum*, ex offic. Plantin. in 32. *Heures de nostre Dame in usum Ecclesiæ Rhemensis*, *Horæ immaculatæ conceptionis Mariæ* Belgicè, *quæ ipsi gratissimæ, uti hoc revelavit Alph. Rodriguez*, *Belgicè* Antwerp. apud Knobbaert, 1623. in 24. Adde libellos tit. Seven Getyden van onse lieve Vrouw / in 8. & 32. Et alium tit. Vrouwgetydekens in 24. Tres editiones Hortuli Animæ eodem idiomate modo §. 6. indicavi. His adjungi debet *Rich. Stanihursti Hyberni Principum Belgarum sacellani hebdomada Mariana ex Orthodoxis Catholicæ Romanæ Ecclesiæ Patribus collecta, in memoriam septem festorum beatiss. Virginis Mariæ, per singulos hebdomadæ dies distributa*, ex offic. Plantiniana 1609. Continet hic libellus meditationes de B. Virgine ex Orthodox. Patrum scriptis depromtas: attributa selectiora gratiæ & gloriæ; quibus Orthodoxi Patres B. Mariæ dignitatem illustrant: Salutationes ad B. Mariæ membra: Orationem ad B. Virginem Mariam, in quâ orthodoxi Patres recensent quamplurima magna miraque beneficia, &c. Blasphema & idololatrica, quæ cum aliis libellis Marianis habet communia, nunc non enotabo, sed tantum aliquas salutationes ad beatissimæ Virginis membra, in hebdomadæ dies digestas pag. 167. Feriâ secundâ: *Salvete casta B. Virginis membra, &c. Salve caput, &c. salvete oculi, &c. aures, &c. nares, &c. labia, &c.* Feria tertia: *Salve lingua, &c. salvete fauces, &c. salve venerabile pectus, &c. salve fons sacri pectoris. &c. salve sinus, &c. salvete ulnæ, &c.* Feria quarta: *Salvete manus, &c. salve mamma, &c. salvete mammillæ, &c. salvete ubera pura, &c. salve cor purum, &c. venter, &c.* Feria quinta: *Salve venter Virginis, &c. salve sacri ventris hospitium, &c, salve utere virginalis, &c.* & sic adhuc ter uterum salutat. Feria sexta: *Salve beatissimæ Virginis Mariæ umbilice, &c. Salvete Virginea viscera inviolatæ matris*, & sic adhuc ter viscera salutantur, subjecto singulis vò *Ave Maria*. Et concluditur, *Salve claustrum Virginei pudoris, quod nascendo*

scendo servavit Christus. Sabbatho, *Salvete manus & genua, &c. pedes, &c. sanguines, &c. virgineum hospitium, &c. corpus, &c.* Dominica: *Salve corpus sanctum*, &c. *anima*, &c. & sic adhuc ter anima salutatur. Has orationes & salutationes per singulos dies hebdomadæ ad membra B. Virginis directas, ex doctrinâ & praxi primitivæ Ecclesiæ, seu consensu Patrum nunquam probandas dicimus: quidquid titulus libelli & subjectus index ad Patres, promittant. Vidi alicubi nominari, *Horas in laudem B. Virginis, Græcè.* Sed quæ & cujus sive Autoris, sive Interpretis, hactenus ignoro. IX. Denique circa officia hæc Mariæ distinguenda sunt jura nova à veteribus. Ista enim, indicante consuetudine, permittebant officium haberi & recitari à Laicis linguâ vernaculâ: illa ex *Bullâ Pii V. anno* 1575. prohibent omnia officia vulgari sermone editâ.

8 Sequitur nunc pars elenctica. Ubi primò occurrit controversia capitalis, an Ecclesiæ utilis, aut saltem licitus sit usus horarum Canonicarum. *Resp.* Nos *Neg.* I. *Arg.* Quia tabulis juris divini, seu Scripturâ non continetur. II. *Arg.* Quia implicat idololatriam. 1. *Quod* dicatur officium de Sanctis; atque illis nec templa, nec festa dicari, nec sacrificia offerri, nec officia divina persolvi possunt sine Idololatriâ: de quo alibi ex professo disputatur. 2. *Quod* Sancti sine discretione nuncupantur, qui non fuerunt Sancti, nec exstiterunt fortè in rerum naturâ; ex. gr. officium de Ursulâ, aut alicujus ex Sociabus ejus. 3. *Quod* antiphonis Mariolatricis officium clauditur; & quod nominatim τὸ *Salve Regina* in dicto officio resonet. 4. *Quod* læpe cum officio idololatrico Missæ celebretur; cum quo etiam non pauca habet communia. 5. *Quod* festa ipsorum idololatrica huic officio implicentur. III. *Arg.* In formâ & modo precationis multiplex est superstitio. 1. *Quod* Chori & Templi Sanctitati adstringunt recitationem officii, etiam privatam. 2. *Quod* temporibus certis per septenarium distributis. 3. *Quod* in numero partium majorum & minorum officio mysticam efficaciam statuunt. Vide *Gavantum supra cit. Zuarez pag.* 167. 4. *Quod* exabundet multiformibus & versicoloribus ceremoniis acritibus, in infinitum variandis; quibus conscientiæ adstringuntur. Vide absurdas & otiosas illas ceremonias apud *Gavantum.* IV. *Arg.* Implicat hæreses & errores non paucos. 1. *Quod* in hâc ratione meritum, & satisfactionem quærunt. Vide *Zvvarez pag.* 166. *b.* & *Bellarmin. cap.* 12. 2. *Quod* indulgentias Papales. 3. *Quod* recitant pro defunctis æque ac viventibus: etiam officium quoddam peculiari hoc titulo gaudeat *de Defunctis*, seu *pro Defunctis.* 4. *Quod* precationem communem ac publicam ad solos Clericos restringat. Debent illi quidem suis

exem-

exemplo, & voce præire in precibus publicis, sed non debet hoc officium ipsis solis imponi: Justus enim suâ fide vivit, *Rom.* 1. Et debent fideles esse imitatores & comites suorum Pastorum. 1 *Corinth.* 4. 1. *Hebr.* 13. nominatim etiam in officio precandi. 1. *Corinth.* 14. v. *Argum.* Implicat ἀσέβειαν, indevotionem, & consequenter crassam in precando hypocrisin. 1. *Quod* linguâ ignotâ recitetur: ignotâ, inquam, plerisque Laicis, & fœminis monialibus, & fratribus Laicis claustralibus. 2. *Quod* attentio tantum requiritur virtualis non actualis; eaque aut ad verba, aut ad sententiam, aut ad Deum. 3. *Quod* consequenter sit merum opus operatum; non λατρεία λογικὴ. *Rom.* 12. 4. *Quod* Laici satisfaciant, si modo intersint & assistant illi orationi, quamvis ipsi non precentur. VI. *Arg.* Implicat multiplicem ignorantiam, indiscretionem, & absurditatem. 1. *Quod* responsoriis & antiphonis tollat aut impediat rectum precandi zelum ac devotionem. 2. *Quod* Deus invocatur salutatione Angelicâ, & Salve Regina, & antiphonis B. Mariæ. 3. *Quod* invocari putatur Deus per capitula, symbola, & fidei confessiones, ex. gr. dictum Apostolorum, Athanasii, cantica Euangelica, lectiones, &c. quæ non sunt formulæ orationum. Imprimis hic notandæ sunt lectiones homiliarum Patrum, & vitarum Sanctorum; quæ nullius officii divini Ecclesiastici, nedum ut precationis, partem faciunt. 4. *Quod* cantum fractum, harmonicum, figuralem, mollem ac theatricum, tam vocalem, quam instrumentalem, adhibeant ad publicam & ecclesiasticam precandi devotionem. De cantu ecclesiastico, & de organis in *Polit. Ecclesiast.* ex professo agendum. 5. *Quod* unus in privatâ domo recitans horas ludicrè & ineptè dicit: *Dominus vobiscum, oremus, benedicamus Domino, &c.* nomine scilicet Ecclesiæ; & quod ejusdem Ecclesiæ nomine respondet: *Et cum spiritu tuo, &c.* 6. *Quod* publica precatio dicitur & talis histrionicè fingitur in ipsâ recitatione; cum revera sit privata, quando ab uno domi, aut ab eodem, aut à paucis aliquot Clericis in Choro recitatur: ita ut nullum effugium hic pateat, nisi in solitâ distinctione: quod sit publica virtualiter; haut aliter ac *Viguerius in Instit. Theol. cap.* 5. dicit Monachos habere beneficium Eccles. interpretativè. 7. *Quod* Pastores & ministri Ecclesiastici adstringuntur certis verborum formulis & syllabationibus, iisque ex libro legendis: quæ sanè puerilis & misera ratio precandi. VII. Implicat quodammodo labyrintheam & inextricabilem vexationem spiritus, à quâ se expedire nequeunt sexcentis dubiis, distinctionibus, exstinctionibus, quamvis etiam accitis in auxilium Astronomis & Computistis. Astringunt conscientias suas horis mysticis, ex. gr. primæ, tertiæ, &c. sed quâ Romanâ & communi fide certi, ubique in toto orbe à se horas illas obser-

obſervari, idque ſecundum praxin (uti prætendunt) Apoſtolicam, & antiquæ Eccleſię. Nam 1. hic *quæritur*, an horæ ſint planetariæ & inæquales; quę ſingulis diebus ſunt 12. longiores aut breviores pro longitudine aut brevitate dierum. Quod ſi affirmant, jam quæro, an ubique per totum mundum omnes recitationem Breviarii illis horis ita accommodent. 2. *Quæritur*, ſiquidem horæ myſterio charaſterizatæ ſunt à nativitate, paſſione, &c. Chriſti: an certa & communi fide Romanâ præciſè teneant numerum, & initium ac finem iſtarum horarum Chriſti, cum longitudine & brevitate, uttunc erat in Judæâ. 3. *Quod* ſi tenere ſe dicant, rurſum quæro, an per totum orbem, etiam apud Antipodas, illæ horæ numero eædem ſervari debeant, an verò ſuffecerit obſervari à ſingulis analogicè pro ratione & ſecundum computum ſui climatis. 4. *Quæro*, an eccleſia Apoſtolica, & antiqua hoc ita communi conſenſu & praxi ſuâ determinaverit. 5. *An* communi Romanâ fide certum ſit, in quas horas noctis inciderint veterum quatuor Vigiliæ, quæ noctem ipſis dividebant: & an matutinum, veſperæ, completorium initiis iſtarum vigiliarum per totum annum accuratè reſpondeant? 6. *An* per totum orbem reſpondere debeant iiſdem numero temporis diviſionibus aſtronomicè ſemper reductis ad illam quæ tunc erat in Judæâ; an verò ſuffecerit ad myſterium analogica temporis in quoque climate diviſio; ut ex. gr. Romani, & qui eandem cum ipſis habent poli altitudinem, tempus Canonicum laudum, & matutinarum inchoent ab initio crepuſculi matutini, uſque ad ortum ſolis; & Flandri à ſuo crepuſculo, Antipodes à ſuo? De his aliiſq; vide *Zuarez, cap.* 3. & 4. *Bellarminum cap.* 11. *Azorium loc. cit.* imprimis *Gavantum*, qui poſt Francolinum lucem his tenebris inferre ſtuduit. 7. *Quæro*, cum vulgares Monachi & Clerici eorum, ſequuntur tabulas Canonicas, quas ipſis conſtruunt iſtarum rerum artifices; (quomodo Aſtronomi ſuas tabulis Aſtronomicas) an & quomodo certi ſint in myſticâ temporum partitione & analogicâ ad ſingulas poli altitudines, ac Kalendarium & computum Eccleſiaſticum accommodatione non eſſe aberratum: cum à Papâ Romano ſingulæ tabulæ non ſint approbatæ; nec etiam ab illo approbari poſſint, quippe qui rarenter ſit Aſtronomus & Computiſta. Hæc aliaque infinita dubia, quorum aliqua mox indicabimus, incertis & contradicentibus Doctorum conjecturis ita eximi nequeunt, ut quis certâ fide dicere poſſit: *Nos adoramus, quod ſcimus*, Johan. 4. VIII. Eſt nova illa ratio orandi: quod domeſticis ipſorum teſtibus probamus. Sic enim Joh. Stephanus Durantus lib. 3 de Ritibus cap. 11. *In divinis officiis maxima interceſſit varietas pro diverſitate gentium, ac temporum*: quod *ibid* ex Walafrido, Sozomeno, &c. probat. Notatu digna ſunt verba Walafr. Strabonis

bonis cap. 25. de rebus Ecclesiasticis: *Multa post revelationem Euangelii tempora transiverunt, antequam ita ordinarentur, quarundam per diem ac noctem horarum solennia, sicuti nunc habentur.* Sed sufficit nobis confessio *Gavanti*, *Azorii*, & plerorumque *Casuistarum*, qui dicunt ad officium hoc teneri Clericos jure Canonico (quod novum esse alibi ostendimus), non divino. 11. Accedat consensus Ecclesiæ reformatæ, quem Canonico ipsorum juri, & Papisticis syncretismis atque innovationibus meritò opponimus. Sunt autem, Albigenses, Wiclefus, Bohemi, Lutherus, & cum ipso Ecclesię reformatæ, quæ horas illas sustulerunt: ut verè refert *Bellarminus cap.* 12. & *Prateolus in Elencho Hæreticorum lib.* 14. §. 13. Ubi tamen nota adjectum mendacium libr. 10. Elenchi Hæretic. in voce *Lutherani* pag. 212. edit. in 4. *Non modo omnes sustulit horas, quas prisco de more dicimus & observamus Canonicas, &c. sed omnem prorsus abolere voluit stato tempore comprecandi consuetudinem.* Quę Lutheri & reformatorum sententia sit de publicis & statis Ecclesiæ precibus, vide explicatum à *Riveto loc. cit.* In *Ascetico nostro* agimus de privatis precibus seorsim à quolibet, & conjunctim à quoque Patrefamilias inter suos instituendis, deque temporibus ad eas seligendis aut mutandis, prout prudentia Christiana maximè sibi & suis opportunum ac conveniens judicaverit; sic ut aliorum libertati, aut etiam suæ propriæ in istis aut illis temporibus pro re natâ mutandis, designandis, observandis non præjudicet, nec temporis certis speciebus, aut aliis precationum circumstantiis tanquam sacramentalibus, aut mysticis ritibus ac signis conscientiam suam aut aliorũ astringat: sed tantum communem & necessariò requisitum in omnibus necessariis aut utilibus actionibus humanis seorsim aut conjunctim peragendis ordinem hic spectet. Est enim distinctio inter ordinarias & statas ordine recurrentes preces, sive publicas, sive privatas; & inter incidentales seu occasionatas. Atque hanc orandi rationem toto cœlo ab horis Canonicis distare, si quis non videat, næ ille τυφλὸς est καὶ μυωπάζων. 12. Nec desunt in ipso Papatu, quorum conscientia in hodiernis horis Canonicis & recitatione ex Breviario non acquiescit. Vide *Anonymi consultationem de reformandis horis Canonicis*, quæ anno 1644. prodiit in 8.

Argumenta Pontificiorum tam frigidè & trepidè ex Scripturis & antiquitate proponuntur apud *Bellarminum*, *Zvvarezium lib. cit.* & *Bayllium in Catechesi*: ut ipsi haut obscurè fateantur fidei suæ refugium & conscientiæ quietem nullam esse, nisi in consuetudine per Romanam sedem, probatâ & confirmatâ. Vide *Zvvarez* ad sacram hanc amchoram more suo confugientem. Temporis & chartæ angustia nunc non sinit, summam rationum istarum transcribere. Principium, in quod ultima factorum 9

& consuetudinis introductę analysis est præsumta aliqua apparitio aut revelatio; hoc est, si quidem aliquando verè quid acciderit, diabolica illusio. Supra rosarii originem & institutum ad revelationes Dominico, Alano, Sprengero factas retulimus. Totus cultus Mariæ quà immaculatè conceptæ per rosaria, litanias, horas Canonicas, à revelationibus Jesuitæ Alphonso Rodriguez factis lucem mutuitur. Ille enim cum rosariâ Mariæ, litanias Mariæ, horas seu officium immaculatæ conceptionis, insuper in honorem ejusdem conceptionis 12. *Salve Regina*, & 12. *Ave Maria*, dispertita per 24. horas νυχθημέρου, multis annis B. Virgini obtulisset, fuit in ecstasi ab eâdem monitus, ut preces & devotiones, quas quotidie sibi offerebat, ad honorem suum & filii sui & usum posterorum scripto comprehenderet, quippe sibi gratissimas. Ita habet *Philippus Alegambe in bibliothecâ Iesuiticâ*; & libellus Belgicus Antwerpiæ ann. 1625. apud Joh. Cnobbaert excusus hoc tit. *Horæ immaculatæ conceptionis puræ Virginis Mariæ, ipsi admodum gratæ, uti hoc revelavit devoto suo famulo Alph. Rodriguez Societatis Iesu. Petrus Crespetius Celestinus in summâ Catholicâ in vocibus Horæ, officium, cantus, hymnus, psallere*, plurima ex Conciliis & antiquis Scriptoribus pro hodierno officio comportat. Ad quę respondemus, pleraque non ex antiquitate, sed ex mediâ ætate & sequioribus sæculis adduci; adhæc pro officio precum & hymnorum Ecclesiæ in genere, ea facere quidem, non verò pro officii materiâ & formâ hodiernâ, quam nos improbamus, multo minus pro officio Mariæ. Subjicimus nonnulla problemata, quæ inter Pontificios agitantur: quæ partim magis dogmatica, partim magis practica. I. *An* sit ab Apostolis; an verò subsequentibus sæculis introductum. *Prius Aff. Hosius*, & cum illo *Prateolus lib.* 14. §. 40. & *Zvvarez cap.* 1. *& pag.* 167. ubi dicit esse à Spiritu Sancto. Sed *Neg. Bellarminus*, in definitione, ubi dicit authoritate præsulum Ecclesiæ esse institutum. II. *An* sit juris divini an Canonici? quæ quæstio ferè cum præcedente coincidit. Vide *Azorium*. III. *An* partes majores sint septem, an verò octo; seu quis numerus horarum: *Zvvarez c.* 6. & *Azorius*, *Bellarminus*, *Gavantus*. IV. Quot & quæ sint partes minores. Vide variam earum enumerationem, suprà *thesi* 2. V. Quodnam officium divinum recitandum sit, in Choris, an juxta formam Breviarii hujus vel illius Episcopatus aut ordinis Religiosi; an verò juxta Breviarium Romanum. *Bellarminus c.* 18. *pag.* 2688. edit. in 8. *Zvvarez cap.* 11. VI. Quinam ad ejus recitationem obligentur, & quando incipiat obligatio: ubi plurimæ quæstiones, & casus particulares occurrunt. Vide *Zvvarez c.* 10. *& 16. usque* 23. *Bellarminum c.* 19. *Gavantum p.* 3. 4. *Azorium loc. cit.* VII. Quæ personæ sint aptæ ad canendum in Choro; *Zvvarez c.* 9.

VIII. An

VIII. An sit ordo inter officium horarum, & missas. *Bellarminus ibid. p.* 2687. IX. Orationum pro defunctis conclusiones in Breviario, cur varient ab iis, quæ in Rituali. *Gavantus pag.* 189. X. An satisfaciant Clerici alternis versibus officium recitando, seu canendo; *Zvvarez cap.* 12. XI. An non servare modum in recitandis horis præscriptum à Pio V. sit peccatum mortale, an veniale? *Onuphrius* prolixè apud *Gavantum pag.* 329. ubi omnes alii citantur. XII. An in recitatione officii possit quis dispensari à Pontifice. *Aff. Bellarminus cap.* 19. *Neg. Panormitanus* ab illo *ibid.* refutatus. Distinguit *Toletus lib.* 2. *instruct. Sacerd. cap.* 14. XIII. Quæ sint causę excusantes à recitatione. *Gavant. cap.* 6. *Toletus ibid.* Inter alias causas nota carentiam seu amissionem Breviarii (& quid si aleâ ludendo aut potando perdiderit); & tenuitatem beneficii, aut non perceptionem fructuum. XIV. An qui ordine non recitaverit, debeat repetere. *Bellarminus cap.* 18. XV. An qui recitat officium, & simul audit missam, satisfaciat. *Aff. Gavantus pag.* 8. ubi addit, eum tamen peccare venialiter. XVI. An voce externâ recitari debeat, & quanta vox hic sufficiat, ut ab aliis, aut tantum ut à se, an ut nec à se, nec ab aliis audiatur. *Resp.* Vide dissidentes opiniones apud *Toletum lib.* 2. *cap.* 10. *in Additionibus.* Plura problemata de omissione, attentione, intentione, item mutatione, prolatione, tempore, loco, ordine, interruptione, vide *ibid. cap.* 5. *per totum*, & apud Casuistas, *Azorium*, *Dianam*, *Bonacinam*, *Toletum*, *&c.* Tædet enim nugas omnes hic indicare. Adde nunc problema unum atque alterum de officio B. Mariæ. I. Quæ sit origo, utilitas & efficacia hujus officii. *Gavantus pag.* 185. Et *Baronius anno* 1056. & 1095. II. An nunc quis teneatur extra Chorum hoc officium recitare. *Neg. Gavantus pag.* 185. ex *bullâ Pii V. Aff. Navarrus de Oratione cap.* 10. *n.* 3. qui tamen mutavit sententiam *Miscell.* 77. III. An quis possit suo arbitrio novum officium B. Marię à Pio V. reformatum, & per Bullam ejusdem omnibus impositum recitare, dimisso antiquo, cui erat astrictus. *Neg. Cherubinus in Compend. Bullar. tom.* 2. *pag.* 70. cum expressus ad hoc requiratur consensus Episcopi & Capituli. IV. An & quomodo Pensionarii extra Chorum teneantur aut non teneantur ad quotidianam hujus officii recitationem. *Gavantus pag.* 186. Vide *ibid.* plura Problemata de ordine, tempore, aliisque in recitatione observandis.

AUCTARIA.

I. AN & quomodo officium Mozarabicum (cujus Historiam vide apud *Baronium anno* 633.) hodie etiamnum in Ecclesiâ Toletanâ recitari queat, absque violatione Concilii Tridentini, & Bullæ Pii V.; & abs-

absque præjudicio actorum Gregorii VII. pro abrogatione ejus, & introductione officii Romani in Hispaniam apud *Baronium anno* 1074. & 1080. & apud *Delrio Disq. Magic. lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 4. *sect.* 3.

2. Quare tempore interdicti magis permittatur officium divinum, quam officium missæ? uti vult *Navarrus in Enchiridio cap.* 27. §. 171. &c. quamvis contrarium teneat *Angelus de Clavasio, in verbo Interdictum.*

DE BENEDICTIONIBUS, CONSECRATIONIBUS ET SACRAMENTALIBUS.

Resp. THEODORO AUWERCKIO, Vesalo-Clivensi.

Ad diem 11. *&* 18. *Novemb. Anno* 1637.

Ut superstitiones Papatus aliorumque cognoscamus & evitemus, agendum est de ratione Benedictionum: præsertim cum in Liturgiâ nostrâ cap. de administratione Cœnæ hæc verba occurrant: qui jumentis aut hominibus aliisque rebus benedicunt, & qui benedictionibus ejusmodi fidem habent.

1 PRæsupponimus hic quæ de cultu Dei instituto in genere ad 2. *Decalogi Præceptum à Theologis* explicantur (imprimis à *Zanchio ad Decal. cap.* 16. 17. ab *Amesio part.* 2. *Medullæ*, & quæ nos suprà *de Superstitione*, & alibi per totam *part.* 1. *Polit. Ecclesiast.* de agendis sacris, eorumque mediis & instrumentis in specie fusiùs tractamus. Accedimus ergo ad expositiones vocum benedicendi, sanctificandi, consecrandi, dedicandi, &c. 1. *Benedicere* Gr. εὐλογεῖν accipitur vel Rhetoricè, vel Ethicè, vel Theologicè. Apud Rhetoras εὐλογεῖν τοὺς λόγους significat, *bene dicere, bene agere causas*, apud *Isocrat. in Orat.* πρὸς Νικ. Apud Ethicos notat bona verba loqui cum hominibus, & opponitur convitiis, maledictis, λοιδορίαις; & in genere prædicare, laudare, bona de aliquo dicere. Nonnunquam in malam partem, *assentari*, *Rom.* 16. 18. quamvis & acceptio Rhetorica illi loco etiam aptari possit. Vide *notas Bezæ.* Apud Theologos notat bene alicui precari, *Matth.* 5. & salutare, *Gen.* 46. 7. 10. 2. *Sam.* 14. 21. est enim salutatio nihil aliud, quam omnis boni apprecatio. Item *gratias agere*, ut idem sit quod εὐχαριστεῖν, de quo pluribus egimus in *Desper. Causâ Papat. lib.* 1. *sect.* 4. Adhęc metonymicè *benefacere*, hinc 2. *Corinth.* 9. εὐλογίαν dicuntur

tur dona beneficentiæ, quod convenit cum Hebr. ברכה *Genes.* 33. 11. 1. *Samuel.* 25. 27. Præterea per antiphrasin *maledicere.* 1. *Reg.* 21. 10. 14. Denique metonymicè *consecrare* ad peculiarem & sacrum usum, sic aqua dicitur benedicta in Baptismo, panis benedictus in Cœnâ. Quomodo τὸ εὐλογεῖν 1. *Corinth.* 10. 16. nonnulli exponunt. II. *Sanctificare* apud Theologos notare potest. 1. Mutationem hominis internam per acquisitionem aut collationem Sanctitatis inhærentis juxta 2. *Corinth.* 7. 1. 2. Mutationem status seu relativam: idque dupliciter, vel objectivè vel subjectivè (ita loqui liceat). *Objectivè*, cum ipsa res aut persona in se sanctificatur, hoc est, separatur & deputatur ad usum sacrum, & traducitur atque eximitur ex statu & usu communi seu profano. *Subjectivè*, cum huic aut illi homini rei alicujus usus in individuo (statu tamen ejus & usu in se, in ideâ & in specie manente communi, quippe cum faciat ad vitam hanc animalem, & ad bonum naturale seu commune) sanctificatur seu fit sanctus, hoc est, cum illerem illam communem destinat & applicat ad usus suos per fidem & invocationem Dei, seu cum eâ utitur sanctè, bonâ conscientiâ, & in Domino. Et sic intelligendus est locus, 1. *Timoth.* 4. 3. 4. de quo egimus in *Desper. causâ Papat. loc. cit.* Sanctificatio autem & sanctitas tribuitur usui istarum rerum per denominationem purè extrinsecam. Hinc ergo emergit distinctio sanctificationis in communem & propriam. Hæc dicitur consecratio: de quâ mox agemus. III. *Consecrare*, sacrare, κατασκευάζειν propriè significat rem aliquam destinare & applicare ad peculiarem usum sacrum, quâ planè mutatur status rei & imponitur illi sanctitas relativa, ut nonnisi in cultu Dei & ad cultum Dei spiritualem eâ utamur, aut uti liceat. Terminus & effectum formale hujus consecrationis propriè dicitur *res sacra.* IV. *Dedicare*, ex origine vocis notat *Deo dicare*; sed usu nunc communior est ejus significatio. Ita ut aliquando idem significet quod consecratio, aliquando idem quod communis qualiscunque rei donatio & ad usum suum applicatio. In *Jure Canonico & libris ritualibus Pontificiorum dedicare* idem est quod *consecrare*, quamvis *Cicero in Orat.* pro domo suâ inter ea distinguat. Dedicatio loci, aut agri, aut utensilis alicujus, in usum Ecclesiæ, idque per tabulas donationis aut aliis modis, quibus rerum dominia transferuntur, est plane communis, nec plus habet in se sanctitatis aut consecrationis, quam dedicatio porticus, aut fori, aut areæ, &c. in usum civitatis. Neque enim illa abdicatione & resignatione res tantum appropriata est ad usus sacros & spirituales, aut Ecclesia ad talem usum adstricta; sed potestatem accipit eâ utendi, si & quando velit, & etiam non utendi, aut ad alios usus applicandi. V. *Deputare*, *designare* est libere rem aliquam ad talem usum appli-

applicare, eaque uti aut non uti. VI. *Initiari & initiare*, Hebr. קדש Gr. πλαιόω, 1. *Reg.* 22. 47. & חנך (inde verbale חנכה *initiatio, dedicatio, Nehem.* 12. 27. *Daniel.* 3. 2. *Pſal.* 30. 1.) *primum imbui, initiari, inſtrui, dedicari.* Gr. 60. vertunt ἐγκαινίζειν, 1. *Reg.* 8. 64. *Deuter.* 20. 5. *Proverb.* 22. 6. unde ἐγκαίνια, *Daniel.* 3. 2. *Nehem.* 12. 27. ἐγκαινισμὸς *Num.* 7. 10. 11. & *Iohan.* 10. *verſ.* 22. ἐγκαίνια. VII. *Implere*, Hebr. מלא Gr. πλαιόω, *Levit.* 21. 10. & *implere manus, Numer.* 3. 3. metonymia ſigni, conſecrationem notat ad munus Sacerdotale. VIII. *Auſpicari, Inaugurari*, denominatione deſumpta à nefandis Gentilium ſuperſtitionibus & divinationibus (ex avium garritu, tripudio, volatu) quid ſignificent vulgò, tam notum eſt, quam perperam vocabula illa uſurpantur, cum alia ſuppetant. IX. *Sacrum* (unde ſacrare & conſecrare) à *ſancto* & *religioſo* diſtinguitur apud *Feſtum lib.* 16. *Illud* dicit eſſe quod Deo conſecratum eſt. *Iſtud*, ut murum, qui circa oppidum. *Hoc*, ut ſepulcrum, ubi corpus humatum eſt. Et ſic in *Iure Civili* ſacra à ſanctis & religioſis ſeparantur. *L.* 1. *ff. de rer. diviſ. & L.* 17. *ff. de V. S. &* §. *ſacræ.* §. *religioſum.* §. *ſanctæ. Inſtit. de rer. diviſ.* Ubi notat *Mynſingerus* dupliciter fieri res ſacras, quaſdam enim dedicari ad uſum & cultum divinum ſimpliciter & directè, ut calices, libros, &c. aliàs vero non ſimpliciter deſtinari ad cultum divinum, ſed pro ſuſtentatione miniſteriorum Eccleſiæ. Unde colligimus ſacrum & religioſum politicè acceptum nihil aliud intelligendum eſſe, quàm inviolabile, quomodo leges, ſpeculæ cuſtodum, &c. Si quid præterea additur, de ſolenni modo & ritu conſecrationis ac dedicationis, id Gentilium ſuperſtitioni relinquendum eſt. De quâ infrà. Apud Græcos ὁσιὸν & ἱερὸν *Ammonius libello de Differ. vocum* ex *Demoſthene* ita diſtinguit, Ὅσια μὲν οὖν ἐστι τὰ ἰδιωτικὰ ὧν ἐφίεται τις ἐξεστι παραιτήσασθαι, ἱερὰ δὲ, τὰ τῶν θεῶν, ὧν οὐκ ἐξεστι παραιτήσασθαι. Apud Hebr. קדש *kodeſch* ſanctitas, ſanctum, ſacrum à קדש *kadaſch* parari, præparari, deſtinari ad aliquid, & in ſpecie ſacrari, conſecrari, ſanctum eſſe vel fieri. Gr. 70. vertunt plerunque ἅγιον, & *Pſal.* 30. 4. οἱ ὅσιοι αὐτοῦ & *Ezech.* 28. 18. מקדש ἱερὰ: Porrò in multiplici uſu & abuſu harum vocum apud cujuſcunque generis Authores, monemus ad propoſitum noſtrum certos terminos eligendos & adhibendos, ut nos mutuo intelligamus, nec diſputationes deſinant tandem in meram λογομαχίαν. Præſtructim ergo notemus omnem ſanctificationem, dedicationem & benedictionem hominum eſſe vel communem & latè ſumptam ἐνδικὴν ſcil. & ἐνχαριστικὴν, deſignativam; vel ſpecialem, denuntiativam ſcil. & promiſſoriam ſive ea ſit conſtitutiva ſive non.

2 Ut autem naturam benedictionum felicius cognoſcamus, & licitas

ab

ab illicitis distinguamus, partitiones earum præmittemus, deinde opposita subjiciemus. Dividuntur ergo benedictiones bonæ. 1. Ratione principii seu causæ benedicentis. 11. Objecti. 111. Finis & effectus seu efficaciæ. *Ratione principii*, benedictio tribuitur vel Deo, vel Christo Mediatori, vel Angelis, vel hominibus. *Deus* dicitur benedicere, quia bona non tantum promittit aut denuntiat, sed & efficit, hinc speciatim dicitur benedictio *practica & effectrix*. Est autem illa vel generalis quibusvis hominibus communis, vel specialis electorum. *Ephes.* 1. 3. Rursum est vel immediata, vel mediata. Illa erat in primâ creatione, *Genes.* 1. 22. & in beneficiis miraculosis. Hæc est cum media Deo coopetantur, sive physicè, *Deuter.* 28. 2. - 13. & 33. 13. cum *Hoseæ* 2. 21. 32. sive moraliter, ut preces. *Christo benedictiones* attribuuntur considerato vel Theologicè, vel Oeconomicè. Illo modo ἀυτοκρατορικῶς potestate summâ & essentiali benedicit tanquam ὁμοούσιος cum Patre Deus. Et de tali benedictione jam diximus. Oeconomicè consideratus ut Mediator θεανθρωπος benedicit potestate subordinatâ & delegatâ, *Matth.* 28. 18. conferendo bona tam spiritualia, quam corporalia, secundum divinam quidem naturam ἐνεργείᾳ Physica, secundum humanam verò ἐνεργείᾳ morali tanquam instrumentum morale, secundum utramque tanquam causa meritoria, & per modum impetrationis. Et hâc ratione in solo Christo Mediatore omnes benedicuntur. *Ephes.* 1. 3. *Galat.* 3. 13. 14. *Angelorum* benedictio est tum votiva, *Luc.* 1. 28. tum annuntiativa, *Ibid. vers.* 28. 30. 31. tum *effectrix*, quia instrumenta dici possunt etiam Physicè operantia. *Psal.* 34. 7. & 91. 11. 12. *Actor.* 12. 8. 11. Non tamen iis benedictio operativa seu ejus apotelesma ita adscribitur, nedum ut honor religiosus iis tribuatur, quia in Deo moventur & sunt, ac potestate delegata & potentia adventitia tantum cooperantur. *Hominum benedictio*, de quâ propriè hic agendum, versatur vel circa Deum, vel circa homines, vel circa res alias in ordine ad homines, de quâ *Thesi* 3. Cum *circa Deum* versatur, nihil aliud est quam gratiarum actio, confessio, celebratio, honor per cultum invocationis. *Circa homines* vel *communis* est & ordinaria, merè scil. ἐυκτικὴ & invocativa; vel specialis & extraordinaria. Illa rursum est vel circa nos ipsos, *Iesa.* 65. 16. vel circa alios, sive amicos, sive inimicos. *Psal.* 122. *vers.* 6. *Matth.* 5. *vers.* 44. Hæc rursum dividi potest in authoritativam & caritativam. Illa peragitur ab iis, qui peculiari vocatione & authoritate à Deo ornati sunt; quales *primo* Ministri *Num.* 6. 25. 26. 27. *Levitic.* 9. 22. 2. *Paralip.* 30. 27. Huc refer antiquæ Ecclesiæ benedictiones Episcopales & Pastorales. *Deinde* Parentes, Magistratus, & quicunque Superiores. De Ministrorum benedictionibus notandum 1. Quod solâ

oratione

oratione peragantur, de quâ *Hesychius ad Levitic. 9. 23.* etiam exponit manus elevationem. Nam quod de signo crucis Papisticisque ceremoniis à Sacerdote in V. Test. adhibitis fabulantur *Galatinus, de Arcanis Cathol. verit. lib. 2. cap. 10.* & *Cornelius à Lapide Commentar. in Numer. 6.* & *Levitic. 9.* & *Ecclesiast. 36.* eâdem facilitate rejicitur, quâ adfertur. 2. *Quod* efficacia & effectus earum benedictionum non sit absolutus, sed conditionatus. Nulla enim bona simpliciter salutaria alteri precamur absolute, sed semper expressa aut intellecta conditione fidei ipsius, sine quâ preces nostræ ei non prosunt, juxta *Roman. 1. 17.* Reliqua bona non precamur, nisi cum conditione, si ipsi sit salutare & Deus velit. *Iacob. 4. 15. Roman. 1. 10.* 3. *Quod* solennes ejusmodi benedictiones, sunt publica documenta & professiones gratiæ Dei contra Pelagianos. Eas Pelagianorum libero arbitrio opponit *Augustinus in Fragmento contra Pelagianos*, & cum *Concil. Carthagin. epist. 90. Extraordinaria* & specialis benedictio est, quæ sit ab illis, qui ex singulari revelatione speciale Dei mandatum & promissionem ad hoc acceperunt. Tales sunt Noachi *Genes. 9.* Isaaci *Genes. 27.* Jacobi *Genes. 49.* Mosis *Deuteron. 33.* De his notandum 1. Quod ratione benedicentium non tantum sunt vota & orationes, sed etjam denuntiationes, absolutæ promissiones, & futurorum prædictiones; immo & collationes ac productiones, si cum ipso actu, seu ad actum benedictionis de facto adsit effectus aliquis miraculosus. 2. Quod donum seu potestas extraordinaria ejusmodi benedictionum (quatenus dicit denuntiationes & prædictiones) habeat se ad modum prophetiæ, immo ad eam reducatur tanquam species ad genus suum, aut pars ad totum: quatenus verò dicit productionem effectus miraculosi, (cujus respectu benedicens est instrumentum morale, haut aliter ac Elias maledicens. 2. *Reg. 1.* Et Petrus *Actor. 5.* Paulus *Actor. 13.*) reducenda sit ad donum miraculorum. 3. Quod tales benedictiones absolutæ sunt, & semper effectum suum sortiuntur. 4. Quod à nemine sunt imitandæ, nisi sentiat spiritum & motum extraordinarium; non magis quam vaticinia, patratio miraculorum, maledictiones Eliæ aut Elizæi, juxta *Luc. 9. 55.*

3 *Ratione objecti* variè dividi possunt benedictiones Dei, Christi, Angelorum & hominum. Nos hominum & Christi nunc aliquas tantum explicabimus: reliquas enim quivis per se facile deprehendet, nec de iis est controversia. Homines ergo benedicunt vel hominibus, vel rebus. Illis directè optant aut etiam nuntiant à Deo benedictionem, aut denique pro iis & super iis, sive absentibus, sive quocunque impedimento non intelligentibus Deo supplicant & gratias agunt. *Rebus* ratione carentibus benedicunt, non directe iis optando aut nuntiando (quia non intelligunt) fausta

fausta & felicia: sed super iis ac circa earum virtutes, actus & usus benedicunt, hoc est, Deo supplicant & gratias agunt, optatione ac denuntiatione directâ ad homines, quibus per creaturas illas bona conferri solent. Tales sunt benedictiones ciborum, pharmacorum, jumentorum, &c. Utræque autem benedictiones & rerum & personarum sunt vel ordinariæ, vel extraordinariæ. Illę sunt vel typicæ vel non typicæ. *Typicæ*, quę & consecrationes, sunt *personarum*, ut Sacerdotum & Nazirærorum, *Levitic.* 9. *Numer.* 6. 9.; *rerum*, ut tabernaculi, utensilium, &c. *Hebr.* 9. 21. 22. *Numer.* 7. 1. aquæ sanctæ. *Numer.* 5. 17. Ad has consecrationes reducuntur reconciliationes Tabernaculi & Altaris. *Levitic.* 16. *vers.* 18. 19. 20. *Non typicæ*, sunt benedictio & consecratio *personarum*: ad sacrum Ministerium, Regum ad Regnum: *rerum*, aquæ scilicet ad Baptismum, panis & vini ad Cœnam Domini. *Extraordinariæ* sunt vel *personarum*, 1. *Sam.* 10. *vers.* 1. 2. *Reg.* 9. 3. vel *rerum*, aquæ salsæ, panis. 2. *Reg.* 2. 21. 22. & 4. 43. Ad extraordinarias etiam refer Apostolorum. *Actor.* 8. *vers.* . & 10. *vers.* . & 19. *vers.* . Benedictiones Christi sunt vel *personarum*, ut infantum, *Marci* 10. *vers.* 16. & Apostolorum ad apostolatum, *Iohan.* 20. 22. *Luc.* 24. 51. vel *rerum*, ut essent tanquam signum arbitrarium ad miraculosum aliquem effectum, *Marc.* 6. 13. 56. & 7. 33. *Iohan.* 9. 6. *Actor.* 19. 12. aut etiam tanquam medium quodammodo, ut pauci panes ad cibanda aliquot millia, *Luc.* 9. 16. Certum quendam modum & gradum benedictionis constituunt *expiationes* & *lustrationes*, quibus personæ aut res ab immunditiâ & maledictione peccati liberabantur. De quibus alibi agendum, ubi *de Sacrificiis*.

Ratione finis & effectus distinguuntur benedictiones in consecratorias 4
strictè dictas & non consecratorias. *Istæ* sive authoritativæ, sive caritativæ, sunt, cum res ipsæ per se non mutant statum suum, sed per accidens & ratione utentis fiunt ac dicuntur sanctæ & mundæ. 1. *Timoth.* 4. 4. 5. *Tit.* 1. 15. *Illæ* sunt, cum per benedictionem res ipsæ mutantur ac transferuntur ex statu & usu communi in statum & usum sacrum: ita ut reali mutatione (non inhærente, sed adhærente ac relativâ) & sint & dicantur tantum sacræ, nec, jam usibus communibus, aut aliis, quam sacris, quibus dedicatæ sunt, amplius applicari & inservire possint. Sunt autem illæ, vel V. Test. vel N. Test. *Priores*, rem à communibus & profanis separabant, eamque faciebant sacram, & effectum tribuebant sanctificandi, purgandi, reconciliandi, typicè scil. & symbolicè. Confer *Hospinianum lib.* 4. *de Templis*, *cap.* 1. *Posteriores*, idem præstant, hoc tamen discrimine, quod non tribuant rebus effectum moraliter instrumentalem typicè quid præfigurandi, sed evidenter signandi & obsignandi, idque tantùm in

usu legitimo; non verò extra illum. Et tales res consecratæ ac benedictæ sunt sola aqua in usu Baptismi, panis & vinum in legitimo usu Cœnæ.

Problemata. I. An aliqua concepta verborum formula, & certi gestus ac ritus à Deo non præscripti, sint de essentiâ benedictionis, sive communis, sive specialis in Sacramentis? Et an aliam rationem ac efficaciam illa habeant, quàm signi arbitrarii; siquidem Scripturæ non repugnent. *Neg.* II. An separatio, constitutio, consecratio personarum ad sacra Ministeria (*Actor.* 13. *vers.* 2. ἀφορίσατε δὴ μοι, &c.) eas ita constituant in ordine rerum sacrarum, ut charactere & sanctitate relativâ indelebili signati non possint aliis usibus adhiberi: siquidem rationes adsint sufficientes? *Resp. Neg.* Quænam autem sint rationes sufficientes, sive ex personâ & qualitatibus ordinati aut ordinandi, sive ex publico rerum statu in Ecclesiâ aut Politiâ desumtæ, alibi dicendum est. Neque enim avaritiæ, aut superbiæ, aut contentionis, aut cujuscunque privatæ φιλοκοσμίας stimulis & tentationibus tantum concedendum est, ut à sancto illo proposito serviendi Christo in Ecclesiæ ædificatione resiliamus, nedum ut munus nobis concreditum turpiter deseramus. Videmus rarò in pietatis profectum & animi consolationem ac tranquillitatem hoc cedere. Ne dicam, aliquorũ desertorum animos à zelo orthodoxæ religionis & ἀνυποκρίτου pietatis, & specialiter ab ordine sacri Ministerii haut parum abalienari: ita ut applicari huc possit vulgatum Papatus dicterium: *Omnis apostata est ofor sui ordinis.* III. An benedictiones Bileami *Numer.* 23. 20. ad extraordinarias & propheticas sint reducendæ? *Aff.* ex *Numer.* 23. *vers.* 5. 7. 12. 20. IV. Quid de reliquiis panis (quas εὐλογίας vocabant) olim distributis in Catechumenos, aliosq; e Christianos domi desidentes statuendum? *Resp.* Non fuisse quidem, Papatum, sed occasionẽ dedisse primo gradui ad ὑπερλατρείαν. De ritu istarum eulogiarum vide *Baronium ad ann.* 314. §. 13. 14. *Casauboni Exercit. XVI. num.* 35. Et *Concil. Laodicens. can.* 14. coll. cum 32. 37. 38. 49. V. An à viris in fide ac pietate radicatis, aut ab Ecclesiæ Pastoribus & Parentibus, benedictionem petere liceat: ut quidem in Angliâ hoc ab omni ævo frequentatum laudat *Gretserus de Benedictionibus, pag.* 281. & *Cornelius à Lapide comment. in Numer.* 6. 27. *Resp.* Per se & intrinsecè morem hunc non esse malum; sed adiaphorum: modò ne in formalitates mundanas, aut in opus operatum & ceremoniam aliquam sacramentalem degeneret: imprimis hoc caveatur in ritu genuflexionis petentium, & χειροθεσίας benedicentium. VI. An templa, mensę, mappæ, calices, candelabra, campanæ, pulpita seu scamna, conclavia, candelæ, portę, vectes, seræ, areæ, cœmiteria, sint res sacræ symbolicè ita dictæ? tanquam pars cultus divini, aut tanquam medium & instrumentum ejus proprium ad id tan-

id tantùm consecratum? *Neg.* VII. An parietes, pavimentum, trabes, tegulæ, &c. hoc est, systema Templi propriè sit dicendum sanctum, etiam præsente Ecclesiâ? *Neg.* De hoc ex professo agimus in 2. *part. Politic. Eccles. tit. de Templo & utensilibus Templorum.*

Opponuntur benedictionibus, tum maledictiones, tum benedictiones perperam sic dictæ. Maledictiones benedictionibus à nobis explicatis oppositę dicuntur & diræ, execrationes, imprecationes, Gr. κατάραι, ἀραι, Hebr. מארה à verbo ארר; cujus synonyma קבב *Numer.* 23. 8. & נקב perforavit, transfixit, & metaphoricè *execratus est, maledixit, Levitic.* 24. 16. קלל in pihel, *maledixit, blasphemavit, Levitic.* 24. 14. & 20. 9. Sunt etiam voces נאץ & צרף. Dividitur maledictio ex causis: Et sic est vel 1. *Dei. Genes.* 3. 14. 17. & 4. 11. *Deuter.* 27. 13. 2. *Christi* Mediatoris, *Matth.* 21. 19. & 25. 41. & maledictiones in ipsius personâ typicè propositæ, *Psal.* 69. 3. *Angelorum* (quò fortè referri posset illud *Iudic.* 5. 23.) 4. *Hominum*; Quę tendunt vel in Deum, & dicuntur propriè blasphemiæ: vel in homines aliasve creaturas propter homines: & nihil aliud sunt quàm *imprecationes, optationes aut etiam denuntiationes malorum, interposito nomine Dei, ejusque potentiâ & vindictâ sive implicitè sive explicitè ad hoc advocatâ.* Dicuntur etiam *diræ* & *exsecrationes.* Tales autem maledictiones sunt vel licitæ vel illicitæ. Illę sunt vel ordinarię & communes, vel extraordinariæ & speciales. Ordinariæ sunt quando damnum & exitium aut adversa alicui à Deo vovemus & imprecamur. Cujus hæ sunt conditiones 1. Ut fiat ad gloriam Dei & salutem Ecclesiæ. 2. Absque privatæ vindictę studio. 3. Ut tendat in hostes aut osores non privatos *Matth.* 5. 44. sed publicos, juratos, professos, ac pertinaces Dei, Euangelii, Ecclesiæ, & Patrię hostes ac persecutores. 4. Ut non imprecemur ulterius quid, quàm temporale exitium aut incommodum, ne possint saltem piis nocere, & conceptam animo vindictam explere: Nisi Deus extraordinariò quid revelet, aut constet nobis eos peccare in Spiritum Sanctum. 5. Ut execratio nostra non tam tendat in personas, quàm in eorum peccata, malesana consilia & diabolicas machinationes. Tales devotiones, & imprecationes esse licitas, constat ex *Numer.* 10. cum *Psal.* 68. *vers.* 1. 2. 3. & *Psal.* 35. & 83. Creaturis irrationalibus maledicitur in ordine ad homines, quando Deus contra eas invocatur; ut viribus exutæ bonis non noceant, aut ut malis noceant: aut quando quis eas seu usum earum detestatur *Gen.* 49. 6. 7. Ad ordinarias has maledictiones reduci possunt, devotiones & anathemata, Hebr. חרם hominum aut aliarum rerum propter homines, *Levitic.* 27. quæ Græci ἀναθέματα & καθάρματα, Latini (si personę essent) devota capita appellant. Erat autem ejus-

modi *cherem* duplex: vel ita Deo devotum, ut nulli omnino usui amplius inserviret, hoc est, ut destrueretur: vel ita devotum, ut nulli usui nisi sacro & religioso inserviret. Ne actum hic agam, vide de *cherem* eruditè, solidè, plenè supra omnes alios, quos ego hactenus videre potui, differentem *Carolum de Maets in* eximiâ illâ *Diatribâ de Voto Iephtæ*, propediem cum Deo recudendâ. Eodem refer Pauli anathema maranatha, 1. *Cor.* 16. 22. & 1. *Tim.* 1. 20. & Ecclesiasticam excommunicationem, quæ non maledicit vovendo seu optando, sed nomine Dei denuntiando, 1. *Cor.* 5. 3. 5. De quo ex professo in *Politic. Eccles. part.* 3. *Extraordinariæ maledict ones* sunt, quæ peculiari Dei instinctu & motu concipiuntur, quales Eliæ, 2. *Reg.* 1. Elizæi, 2. *Reg.* 2. Josuæ adversus instauratorem Jericho, *Iosuæ* 6. 26. Petri, *Actor.* 5. Pauli, *Actor.* 13. 10. 11. & Noachi, *Genes.* 9. 25. Maledictiones illicitæ sunt, quas homo pravo judicio & affectu emittit in Deum, in seipsum, in alios homines, in alias creaturas. 1. *In Deum* vel *directè*, *Levitic.* 24. *Iesa.* 36. 6. 7. Huc refer blasphemias hæreseos speculativæ adversus Essentiam aut personas, aut opera, aut verbum Dei, 1. *Timoth.* 1. 20. *Iudæ vers.* 4. 10. 11. vel *indirectè* & per participationem cum aut doctrinâ aut moribus occasionem dant blasphemiæ, *Rom.* 2. 24. 2. *Petr.* 2. 1. 2. Confer suprà *Disp. de Hæresi part. penult.* 11. *In seipsum*, *Matth.* 26. 74. *Actor.* 23. 14. 111. In alios homines superiores, inferiores, pares. Peccatum hoc exaggeratur, cum homines sunt innocentes, aut pii, aut benefactores. *Iohann.* 7. 49. *Exod.* 21. 17. Huc pertinent anathemata Antichristi, & conciliabuli Tridentini in Orthodoxos: quibus illi nos non innodant Proverb. 26. vers. 2. *Execratio, quæ sine causâ, non veniet*: sed seipsos induunt, Psal. 109. vers. 18. *induat maledictionem*, &c. 1v. In alias creaturas, earumque facultates, modos, & circumstantias, *Iob.* 3. 1. 2. 3. Gentilium diræ omnes erant illicitæ, quippe injuriæ in Deum, seipsos, proximum, alias creaturas. Vide *Antiquarios & Philologos de diris earumque formulis, ritibus, &c. de catharmate & devoto capite. de evocatione Deorum tutelarium, eorumque in hostes incitatione.* Quæ usum suum habent in explicatione Bileami, *Numer.* 22. 24. Ethnicis diris accensendæ & *Magicæ*, *Numer.* 22. 6. & 23. 8. (de quibus supra in *Disp. de Magiâ.*) Et hodiernæ *Iudaicæ*, quarum aliquas notavimus in *Disp. de Iudaismo.* Quantum autem peccatum sit blasphemia in Deum, aut imprecatio in proximum, aliasve creaturas ut multis hic demonstremus, non fert ratio Thesium. Adeundi sunt *Practici & Commentatores ad 3. Præceptum Decalogi*, ubi & exempla puniti hujus peccati annotantur. *Gretserus tract. de Benedictionibus lib.* 3. qui est de maledictionibus, pleraque exempla ex fabulosis suorum legendis & vitis congessit.

Alterum

Alterum oppositum benedictionum sunt pseudo-benedictiones, quæ 6
tendunt autin objectum indebitum, aut in debitum objectum indebito
modo, aut ad indebitum finem. *I. Illæ* sunt cum maledictis aut male-
dicendis benedicitur, ex. gr. cum peccator & hypocrita in peccato suo si-
bi benedicit; cum aliis pulvillos consuit, & vivificat morti devotos. *E-
zech.* 13. *II. Istæ* sunt cum ritibus à se excogitatis aut aliis non necessa-
riis, adhæc conceptis verborum formulis utitur, iisque ut & tempori ac
loco se adstringit; absque instituto divino. Farraginem istarum suprà indi-
camus, in *Disp. de Superstitione. III. Hæ sunt*, cum benedicitur, ut in
creaturas sanctitatem aliquam & efficaciam ad effectus supernaturales in-
troducant, quam tamen Deus non promisit. Dividi possunt Pseudo-be-
nedictiones in Ethnicas, Judaicas, Muhammedicas, Papisticas, Magicas.
De Ethnicis benedictionibus & consecrationibus publicis per Consulem
aut Præfectum sacrorum factis, *Mynsingerus ad Institut. lib. 1. tit. de rer.
divis. Casaubonus Exercit. pag.* 540. & *Authores qui Deos, sacrificia, convi-
via, funera eorum descripsere.* Privatas ipsorum superstitiones infinitum es-
set recensere. Vide suprà *Autores* aliquot *indicatos* in *Disp. de Superstitio-
ne. De Judaicis Stuckius antiquit. convival. lib. 2. cap.* 36. Imprimis *Bux-
dorfius in Synagog. Judaicâ*, & *Magistri Judæorum ad tract. Thalmud. Bera-
chot: Muhammedicas*, partem aliquam notavit autor *Turco-Papismi.* Eas
si quis accuratius investigare velit, adeat *Scriptores in Disp. de Muhamme-
dismo* à nobis designatos. De *Papisticis* ex professo agendum: cum quibus
& Orientalium non paucæ symbolizant, ut videre est in *Liturgiis eorum,
& libris ritualibus* alibi (*in Politic. Eccles. tit. de Liturgiis*) indicatis: nomi-
natim hodiernorum Moscovitarum, quorum Metropolita bis in anno be-
nedicit fluvio Moscuæ, & aliis fluviis & puteo cuidam Drohobitii, ut in
fluvios viri fœminæque se ter immergant, & ex iis aquam haustam ser-
vent ad peccata abluenda, & morbos sanandos, ut refert *Possevinus*, & *Si-
gismundus ab Herberstein de rebus Moscoviticis.* Antiquorum periergiam in
benedictionibus aliisque ceremoniis, tum Orientalibus, tum Occiden-
talibus occasionem dedisse, nemo inficiari potest, qui modo Canones eo-
rum inspexerit. Quamvis nolimus dicere, eas formaliter fuisse Papisti-
cas. Sed de his alibi. *Magicæ* benedictiones quæ qualesve sint, & quo-
modo cum iis Ethnicę, Judaicę, Papisticæ symbolizent suprà ex *Disp. de
Magiâ*, & ex collatione earum cum Ethnicis, Judaicis, Papisticis, cogno-
sci potest.

Benedictiones Papisticę, quot & quales sint, Ecclesiasticę ac commu- 7
nes, scil. (nam vulgarium & specialium numerus iniri non potest) disces
ex *Missali, Pontificali, Ceremoniali, Rituali seu Pastorali, Durantis Rationali,*
& *libris*

& *libris Exorcisticis*: ubi multiplices earum formę exhibentur. Quæ sit ipsarum natura & proprietates methodicè & dogmaticè non ita explicant. Nos ista collegimus ex *Thomâ part. 3. quæst. 83. art. 3. Cajetano in 22. qu. 88. art. 11. Bellarmino de Ecclesiâ triumphante lib. 3. cap. 7. Gretseri tract. pecul. de Benedictionibus. Gavanti Thesauro sacr. rit. tom. 1. part. 4. pag. 302. Sylvestro in Summâ, in voce Benedictio. Navarro in Manuali cap. 23. n. 99.* imprimis *Zvvarezio de Religione lib. 4. cap. 14. & in 3. qu. 65. Disput. 15.* I. Omnem benedictionem esse actionem religiosam seu actum religionis, eamque habere suum terminum formalem, rem benedictam. II. Benedictionem esse vel communem & non consecratoriam, qualis est benedictio liberorum, mensæ, &c. quæ omnibus fidelibus, etiam laicis competit: vel *specialem* seu sacerdotalem & consecratoriam; cujus terminus sit *res consecrata, seu res sacra, seu sacramentale.* Hæc à communi differt, quod verbis seu formulis certis & ritibus, & quidem cum & ex potestate ac authoritate Ecclesiæ, ejusque nomine peragatur, unde & speciali nomine ceremonia sacra & Ecclesiastica aut actio sacramentalis dicitur. Quæ vox aliquando latè notat omnem ceremoniam sacram; aliquando strictè ceremoniam quæ pertineat ad administrationem Sacramentorum. III. Terminum consecrationis, sacramentale scil. differre à Sacramento, quòd disponat ad Sacramenta & ad gratiam, non verò ex opere operato eam conferat. IV. Dispositionis istius effectus sunt isti. Quòd rebus illis consecratis per consecrationem conferatur spiritualis quædam virtus & sanctitas relativa; atque adeò per eas remittantur peccata venialia, insidiæ & insultus diaboli avertantur, homines confirmentur in virtute, morbi sanentur; denique quod sint mystica rerum spiritualium signa, ut quidem *Durantes in Rationali* minutatim mysticas has significationes explicat. V. Ut duplex est benedictio sacerdotalis *invocativa* scil. & *constitutiva*, sic duplex melioris doctrinæ causâ distinguimus sacramentale, *transiens & permanens.* Utrumque est sanctum & habet effectum supernaturalem, *Zvvarezius loc. cit.* sacramentale transiens vocat ipsam actionem sacramentalem seu consecratoriam & benedictoriam; quam propriè ad genus ceremoniarum seu rituum reducimus: & sacramentale permanens vocat terminum istius actionis, seu rem consecratam. Nos res consecratas distinguimus in duo genera. Prioris generis sunt Benedictiones *nuptiarum, domus, navis, armorum, vestium, vini,* quod benedicitur in festo S. Johannis, *panis, lactis, mellis, ciborum, carnium, Agni Paschalis, medicamentorum, ramorum, palmarum, benedictio Monachi & vestium in professione, & quæ datur in completorio; præterea Catechismus in Baptismo,* &c. Alterius generis sunt, *Templa, Altaria, Imagines, baculus Episcopalis,*

ſcopalis, cineres, thus & ſuffitus, triplex oleum ſeu chriſma, Catechumenorum ſcil. infirmorum, ordinandorum, cerei in Eccleſiâ, cereus Paſchalis, campanæ, calices, veſtes ſacræ, globuli ſeu grana, reliquiæ ſacræ, ſepulchra in Templis aut Cœmiteriis, imprimis Agni Dei, & aqua benedicta, de cujus virtutibus & miraculis tam multa *Gretſerus lib. 2. cap. 4. 5. 6.* & ante eum *M. Antonius Marſilius tract. peculiari*, cui *tit. Hydragiologia*. Ex noſtris *Hoſpinianus de Templis, cap. 25.* Denique, prora & puppis omnium ſacramentalium *Signum crucis* tam tranſeuntis, & in aëre formatę quàm permanentis, ſive in ſuperficie pictę, ſive in ligno, lapide, metallo, &c. effigiatæ; cujus efficacia & uſus eſt univerſalis, in omnibus benedictionibus, immo per quod ſolum multæ peraguntur, teſte *Gretſero lib. 1. cap. 1.* & *in præfat.* Aliæ diviſiones ex *Zvvarezio* inſtitui poſſent. Sed ſuffecerit nunc Conſtitutivam conſecrationem diſtinxiſſe in eam quæ eſt Sacramenti, & quæ eſt Sacramentalis. Priorem rurſum in *converſivam*, ut conſecratio panis in Cœnâ, & non converſivam, ut aquæ in Baptiſmo. VI. Diſtinctionem iſtorum Sacramentalium à communibus tam Sacerdotum, quàm Laicorum benedictionibus hanc conſtituunt: Quòd illa ſunt actus ſeu functiones ordinis, quæ nomine totius Eccleſię peraguntur; & quorum termini ſeu res ſacratæ conſequenter ſpecialem effectum habent, ſaltem per modum impetrationis. Diſtinctio Sacramentalium inter ſe eſt. I. Quod tranſeuntia non habeant in ſe introductam virtutem divinam & Spiritum Sanctum ſeu ſanctitatem relativam (uti limitatè ſic loquuntur *Bellarminus de Imaginibus cap. 19. Zvvarezius in 3. tom. 3. Diſp. 81. ſect. 8.*) tantum adſtrictè ad uſus ſacros: permanentia autem habeant. II. Quòd permanentium eſſe ſupernaturale & ſpirituale, quod habent quatenus ſunt res ſacræ ex inſtituto &c. ex habitudine ad poteſtatem & finem ſupernaturalem tantum, ab ipſis tolli non poteſt, quamdiu manet materiale ipſorum, hoc eſt, eſſe ipſorum naturale aut artificiale, ex. gr. oleum, forma calicis, &c. Eſt enim indelebilis eorum conſecratio, ita ut ſemel redacta in ordinem rerum ſacrarum, in eo manere debeant, & res non ſint habiles ad alium uſum, nec ad ſtatum communem rurſum redigi, aut ad communem uſum applicari poſſint: Hoc enim eſſet execrari, ut loquitur *Cajetanus loc. cit.* Hinc otioſæ illorum Diſputationes de Simoniâ, de Venditione, &c. apud *Thomam in 3. qu. 67. art. 6.* & *qu. 82. art. 8.* & *qu. 83. a. 3.* & *Zvvarez de Relig. lib. 4. cap. 14. 3.* III. Quòd conſecratio eorum ordinariò non reiteretur, niſi aliquo in caſu, ut templi cum exuſtum eſt, aut ſanguine pollutum. *Thom. p. 3. qu. 83. art. 3.* IV. Quòd conſecrare omnia permanentia, ſoli Epiſcopo conveniat; exceptâ euchariſtiâ *p. 3. qu. 82. art. 1. & 3.* tranſeuntia etiam benedicat Sacerdos; Videtur adden-

addendum, pallia Archiepiscopalia, rosam in Dominicâ lætare, Agnos Dei, aliaque à solis Papis consecrari: uti discès ex *Ceremoniali Romano*. De Agnis Dei suprà *peculiari Disp.* actum.

Consectar. 1. Blasphema est assertio Cornel. à Lapide Comment. in Syracidæ cap. 50. *Benedictiones Papæ Romani multo efficaciores esse Sacerdotum, Patriarcharum, Prophetarum in V. Test. Quamvis illæ magnam habe-rent virtutem, quippe factæ ex promissione Dei.* Rationem hanc addit: *Quia fiunt nomine & meritis Christi, à quo omnis gratia in homines dimanat.* II. *Ridiculum antiquarium agit* Gretserus lib. 1. cap. 14. *cum morem propinandi apud Germanos, contendit nihil aliud esse quam petitionem benedictionis; eumque ut & hauslum S. Iohannis abituris oblatum ad benedictiones refert.*

Problem. 1. *Pulvis ad tumulos Sanctorum, per quem tam multas benedictiones dari testatur* Gretserus in præfat. *sitne sacramentale per benedictionem invocativam, an per constitutivam?* II. *Pallas detritas, cathedras, candelabra, vela, alias que res sacras (ne cedant scil. in usum profanum) esse comburendas, & cineres in Baptisterium inferendos, &c. ne introeuntium pedibus inquinentur, cum Iure Canonico determinat* Thomas p. 3. qu. 83. a. 3. *Quæro an cineres illi sint res sacræ seu sacramentalia, qui communi usui inservire non debeant?* III. *Cum juxta* Hebr. 7. *minor benedicatur à majori, quæro an sacerdos benedicens Eucharistiæ, major sit Christo, & Episcopus consecrans imagines Christi aut cruces seu crucifixos ligneos iisdem major sit, quæ tamen cultu religioso latriæ coluntur in Papatu, quo Sacerdotes & Episcopi non coluntur.* IV. *In Missâ solemnem benedictionem impartiunt populo missificantes, &* κατ' ἐξοχὴν *Papa in die ascensionis: Quæro, an efficaciores & præstantiores sint istæ benedictiones, jucundis & lepidis illis* (ut loquitur Gretserus lib. 1. cap. 11.) *Prioris cujusdam Cistercien sis, qui elevatâ manu benedicebat ciconiis; & Francisci, qui aviculas aliaque animalia cum benedictione sæpe à se dimittere consueverat.*

8 Exhibuimus ὡς ἐν πίνακι farraginem Papisticarum benedictionum & consecrationum; restat rationibus quibusdam eas impugnemus. *Prima est*, & generalis, quia omnis benedictio est aut *operativa* Dei scil. & Christi; aut *denuntiativa*, eaque ordinaria typica in V. Test. & sacramentum in N. Test., vel extraordinaria Angelorum scil. & Sanctorum, qui peculiari potestate & dono ad hoc erant instructi; aut *votiva* seu invocativa, quæ est omnium Pastorum & fidelium. Ad primum genus suas non referunt, nec ad tertium referri volunt. Ad secundum referri nequeunt: neque enim vigent nunc consecrationes typicę & inde resultans sanctitas ceremonialis; nec sunt sacramenta: nec illi probant Episcopos suos peculiari potestate ad hoc instructos, non magis quam dono prophetiæ & miraculorum. *Secunda*, Quia peraguntur absque mandato & promissione Dei,

Dei, & per consequens ex ordinatione Dei nullam habent efficaciam & vim spiritualem ad animas expiandas & sanctificandas, diabolum & mala corporalia avertendi. Nusquam Deus jussit tale quid exspectare ab illis creaturis. *Tertia*, Si talis efficacia & effectus supernaturalis rei consecratæ esset annexus aliâ & speciali quâdam ratione, quàm precibus fidelium; utique illam exsereret: atqui hoc non facit, quidquid illi exempla miraculorum ex mythologicis suis Scriptoribus accumulent. Ruborem suum non obscurè prodit Gretserus lib. 2. cap. 51. cum sollicitè disquirit, *cur hodie per rerum benedictarum usum miracula patrari non videantur.* *Quarta*, Est *abusus nominis* divini, verbi Dei scil. & precationis, quæ adhibentur; est *superstitio* & ἐθελοθρησκεία, *Matth.* 15. 9. *Col.* 2. 22. 23. *Galat.* 1. 8. est *symbolizatio* cum Magicis & Theurgicis operationibus, cum infandis Gentilium lustrationibus & consecrationibus, cum vanis Judæorum & Mahumeditarum observationibus, & cum vulgaribus vetularum in Germaniâ benedictionibus; quas taxat *Gretserus lib. 2. cap.* 50. quod ex collatione & usus & consecrationis earum rerum cuivis patebit. Nihil excipi potest, quo ista ab illis distinguantur, nisi verbum mandati & promissionis divinæ exhibeant. At ubi illud verbum est? In traditione dicent, non in Scripturâ. Et ubi illa traditio? In facto, consuetudine, corde & ore Ecclesiæ, Romanæ scil. & Papæ. Huc enim, quidquid animosè in procinctu stantes crepent & minentur, in ipso conflictu tandem rediguntur *Gretserus*, *Delrio*, & subtilitate suâ plerumque propriam thesin subvertens *Zuvarezius*. Ante illos *Viguerius Instit. cap.* 15. *pag.* 140. jam distinxerat, esse ex institutione, & propterea posse Ecclesiam ad libitum super iis dare & auferre potestatem, non verò super Sacramentis. Atqui meminisse debebant se nobiscum disputare, qui Ecclesiam Romanam aut Papam non agnoscimus. Et siquidem talis probatio non sit petitio principii, tum sanè chartis & verbis in hâc aliisque controversiis parcant, & solum illud ἀνθ' ἑφα nobis opponant. *Quinta*, ex absurdis consequentibus. 1. *Quod* cum Deus consecrationem Sacramentorum, eorumque efficaciam nobis in Scripturâ revelârit, nullibi tamen Sacramentalium istorum meminerit: quorum tamen usus, imprimis crucis, aquę benedictæ, agni Dei, rosarii, &c. in N. Test. tantopere vigere debeat: ut quidem in Papatu supra, si non omnia, saltem pleraque sacramenta fiduciam & devotionem hominum post se trahunt: ad quod infinitis miraculis, & immensis præconiis, aliisque commentis per Doctores excogitatis dementantur. 2. *Quod* Sacerdos possit consecrare Eucharistiam, non verò Sacramentalia stricte sic dicta: quasi ea altioris ordinis essent, quàm Sacramenta. 3. *Quod* bona mobilia Ecclesiæ, e.gr. pulpita, pallas, vela, &c. magis

ad religiosum statum & usum transferri, eique affigi dicant, quam bona Ecclesiastica, prædia scil., domos, census, &c. item scamna, lapides murorum Templi, &c. quæ tamen Ecclesiæ dicata dicunt. 4. *Quia* infundi in creaturam olei Spiritum Sanctum (ut habet formula consecrationis in *Pastorali seu Rituali*) non minus absurdum & καινόφωνον est, quam derivari qualitates in Sacramenta per modum transeuntis. Quod in Capreolo ex professo refutat *Vasquez in* 1. *Disp.* 216. *n.* 17. & *Disp.* 176. *n.* 3. 5. *Quod* confundunt cultum œconomicum & ceremonias V. Test. cum cultu N. Test., dum eas reducunt, aut illis tanquam umbris abolitis novas substituunt. 6. *Quia* tota disputatio adversariorum est merus coccysmus, ἀδολεσχία, vertigo, elenchi ignoratio, principii petitio, probatio juris ex facto, consecrationis constitutivæ ex invocativâ seu communi fidelium. Sic enim Antagonista noster *Cornelius Iansenius* palliat exorcismos, consecrationes, &c. Quod sint invocatio Dei super creaturas. Sed effugium hoc refutavimus in *Desper. causâ Papatus lib.* 1. *sect.* 4. *Denique* opponimus omnibus ceremoniis & sacramentalibus illud Thomæ p. 3. qu. 60. artic. 5. *Etsi potest idem per diversa signa significari: determinare tamen quo signo sit utendum ad significandum (aliter ad sanctificandum) pertinet ad significantem. Deus autem est, qui significat nobis spiritualia per res sensibiles in Sacramentis, & per verba similitudinaria in Scripturis. Et ideò sicut judicio Spiritus Sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis Scripturæ locis res spirituales significentur, ita etiam debet esse divinâ institutione determinatum, quæ res ad significandum assumantur in hoc vel in illo Sacramento.* Ergo etiam in omnibus Sacramentalibus, quæ Papatus Ecclesiæ obtrudit. Nisi rationem dare queant, cur Deus Sacramentorum materiam designârit, & signa in specie constituerit: sacramentalium verò Ecclesiæ (seu mavis Papæ) designanda & constituenda reliquerit.

APPENDIX ALIQUOT PROBLEMATUM.

I. Probl. An discrimen inter Sacrum, Sanctum, Sacrosanctum, Religiosum, Philologis Latinis & Jureconsultis observatum, phrasi Scripturariæ accommodari debeat? *Resp.* Non videtur. Vox Hebræa קדוש promiscuè usurpatur de Deo, de Angelis, de Fidelibus, de Viris Dei, Prophetis scil., Apostolis; ut & de cultu Dei, de virtutibus & actibus Religionis, tum elicitis, tum imperatis: de rebus, temporibus, locis specialiter ad Deum aut ad cultum Dei pertinentibus. In libris N. Test. occurrunt voces ἱερὸν, ὅσιον, ἅγιον; quarum illa de rebus, ista & hæc & de personis & de rebus usurpatur. Discrimen tamen est in reipsâ; quod non

ex vi

ex vi vocis, sed ex subjectâ materiâ & circumstantiis textus Sanctitatis hanc aut illam speciem designantis petendum est. Est enim sanctitas alia infinita, prima, per essentiam & essentialis; solius scil. Dei: alia finita, secunda, accidentalis, participata. Quæ rursum est vel humanę naturæ Christi, vel Angelorum, vel fidelium, vel Ministrorum Ecclesiæ: vel est rerum peculiari quodam respectu ad Deum pertinentium, ut Cœlum est sanctum Dei habitaculum & Templum, *Psal.* 11. *vers.* 4. *Jonæ* 2. *vers.* 8. 2. *Paralip.* 30. *vers.* 27. Ecclesia est Dei sanctuarium & thronus sanctitatis Dei, & domus Dei, 1. *Timoth.* 3. *vers.* 15. quomodo Abassinis Ecclesia dicitur *betha Chrestejan*, id est, domus Christianorum, & *betha Chrestejano* aut *Chrestejanou*, id est, domus Christiana; & Ecclesię plurali numero *abjata Chrestejanat*, id est, domus Christianæ. Sic peculiari quodam respectu Templum sub V. T. erat *domus* & *sanctuarium Dei*, & Hierosolyma *Vrbs Sancta*, & terra Israëlitica *Terra Sancta*. Quæ sub N. T. tali appellatione notari nequeunt; nisi admodum ὁμωνύμως, homonymiâ scil. ψευδωνύμῳ, quia olim fuerant talia. Nunc verò sunt *domus deserta*, juxta prędictionem Christi, *Matth.* 23. *vers.* 38. Ut vel hinc videas, quo judicio peregrinationes ad terram sanctam (quam ita appellabant), & tot tantæque expeditiones pro ejus recuperatione antehac susceptæ sint. Confer suprà *Disp. de Peregrinationibus*. Porro sanctitas finita ex reipsâ rectè distinguitur in inhærentem & relativam. *Inhærens* est rectitudo & conformitas humanorũ actuum, & facultatum (nam de Angelis hic nunc non agimus) cum lege Dei: Estque hæc tantum in personis, actionibus ac facultatibus personarum, quatenus rectæ rationi & Legi divinæ subjiciuntur. Ita ut nullis rebus ratione destitutis, ut ut aliàs sacræ dicantur, inhærens sanctitas tribui possit. *Relativa* est, quæ personis aut rebus convenit ob peculiare Dei dominium, aut peculiarem Dei præsentiam atque operationem circa eam personam aut rem, aut ad præsentiam alicujus personæ aut rei, aut per eam personam aut rem tanquam instrumentum, aut in eâ personâ & re. Relativa ex dominio peculiari tribuitur personis aut rebus. *Prior* omnibus fidelibus distributim, & collectivè omni Ecclesię, quæ est populus Dei sanctus, Dei peculium: specialiter Israëliticę, secundum statum V. Testamenti. *Posterior*, rebus quibusdam tribuitur ut terræ Canaan, decimis, primitiis, & reditibus Deo ad cultum tunc consecratis. Peculiaris planè est sanctitas relativa, quæ Christo Mediatori, sancto sanctorum secundum assumtam humanam naturam tribuitur: ubi Mysterium peculiarissimi dominii, operationis, inhabitationis & unionis personalis verâ & indubitatâ fide agnoscendum est. Relativa ex præsentiâ & operatione Dei peculiari in personâ & circa personam, tribuitur fidelibus per

Christum justificatis, in quibus habitat per fidem, & quibus imputat perfectam Christi sanctitatem, quâ illi reverà coram tribunali Dei censentur & habentur sancti & hæredes vitæ æternæ. Relativa etiam tribuitur verbo Dei & Ministris Verbi, ut & Sacramentis, per quod, quos, quæ, tanquam instrumenta moralia, Deus suos ad sanctitatem & salutem ducit. Eadem tribuitur omnibus aliis appropriatis ac peculiaribus rebus mediis atque instrumentis cultus divini, ut in V. T. Tabernaculo, Templo, & utriusque utensilibus, vestibus Sacerdotalibus, breviter locis & temporibus ad quæ aut in quibus Deus ordinariò aut extraordinariò præsentiam suam & operationem peculiarem promittebat ac præstabat. Atque hæc sanctitas ex relatione secundum esse. Quæ verò sanctitas ex relatione secundum dici, aut secundum extrinsecas denominationes, impropriè rebus tribuitur; aliquando impropriissimè per metaphoram catachresticam, sicuti medium noctis meridies noctis, & Typhis nauclerus dicitur auriga navis. Ita Poëta dixit auri sacram famem, & Scriptura βδελυρὸς insignit nomine קדש *kadesch* & fæm. קדשה *kedescha* tanquam impuritatis consecraneos, qui seipsos ei dedicant & prostituunt. Cibus, potus, & similes res communes, quæ in se nullam habent sanctitatem relativam, sed per aliud seu per accidens fidei & gratiarum actionis sanctificari dicuntur fidelibus. 1. *Timoth.* 4. *vers.* 5. cum *Tit.* 1. *vers.* 15. Haut aliter ac à sanitate hominis, urina sana, pulsus sanus, medicamentum sanum, &c. ὁμωνύμως denominari solent. Innuitur etiam sanctificatio conjugis infidelis per fidelem. 1. *Corinth.* 7. *vers.* 14. Ex observatione hujus distinctionis, pendet solutio sequentium Problematum. *IL. Probl.* An in cibo, potu, (extra usum Cœnæ Dominicæ) aut in vestitu & similibus rebus communibus earumque circumstantiis, loco scil. & tempore, aliqua sub N. T. sit sanctitas? *Resp.* Inhærere ipsis sanctitatem nemo sanus dicet. Adhærere ipsis sanctitatem relativam, ex consecratione aliquâ dicunt Judaizantes Pontificii. Ita ipsis sacrum Templum & Cœmiterium, sacer cucullus Monachalis, sacræ vestes Sacerdotis missificantis, sacrum oleum, consecrati panes, annuli, globuli precatorii, &c. Nos nullam hic agnoscimus sanctitatem, sed bene in fidelibus temperanter honestè, tempestivè, decorè ad Dei gloriam & salutem suam cibo, potu, vestitu utentibus. In tali enim usu consistit pars sanctitatis & sanctificationis nostræ: debemus enim sancti esse in omni conversatione nostrâ, 1. *Petr.* 1. *v.* 15. in omni verbo, opere, gestu, usque ad cibum, potum, vestitum, 1. *Cor.* 10. *v.* 31. 1. *Petr.* 3. *v.* 5. 1. *Tim.* 2. *v.* 9. 10. & non conformari huic mundo. *Rom.* 12. *vers.* 2. Produnt ergo insignem, aut inscitiam, aut sophisticam, qui abusui in vestibus, cibo, potu, aliisque rebus externis patrocinaturi præ-

tendunt,

tendunt, regnum Dei non consistere in cibo & potu (*Rom.* 14. *vers.* 17.), & escam non commendare nos Deo (1. *Cor.* 8. *v.* 8.), & sanctitatē non consistere in vestibus, nec in iis collocandam aut quærendam. Malè consutis pulvillis manus ἀπάκτων fulciuntur. Nam *primò* attendere usui vestitus, cibi, omniumque ad animalem & civilem vitam pertinentium, non est quidem actus Religionis elicitus, & consequenter si τὸ sanctum strictissimè accipias pro formaliter religioso seu actibus & officiis hominis immediatè ac directè in Deum tendentibus, contradistinctè ad actus temperantiæ & justitiæ (ut *Tit.* 2. *vers.* 11.) sanctitas in eo non consistit: est tamen actus Religionis imperatus, & sic in eo tanquam effectu & signo religionis, & tanquam parte integrante totius obedientiæ seu observantiæ & conformitatis nostri cum Lege Dei, sanctitas consistit. Ita *Iacobus cap.* 1. *vers.* 27. dicit τὸ invisere viduas &c. & se impollutum conservare à mundo (in omnibus scil., ergo etiam in abusu vestium, cibi, potus, exercitiorum, &c.), esse religionem puram, &c. Quidni ergò sanctitatem. *Deinde*, attendere vestibus, cibo, operis, exercitiis, aliisque rebus & actibus ad animalem ac civilem vitam pertinentibus, non est quidem per se sine interiori sanctitate cordis, nec per prius & principaliter sanctitas in iis collocanda, sed in sanctificatione cordis: est tamen sanctitas & pertinet ad sanctitatem, si interiorem & genuinam sanctitatem derivemus in verba & opera nostra externa, circa quæcunq; objecta; ita ut & in spiritu & in corpore nostro Deum glorificemus, 1. *Corinth.* 6. *vers.* 20. & ab omni immunditie carnis & spiritus nos purgemus, ac sanctificationem nostram consummemus. 2. *Corinth.* 7. *vers.* 1. Videndum est, nedum nobis aut hominibus de hoc mundo circa usum vestium, frenum conscientiæ laxate, aut aliis ex pravâ æmulatione & contentione obloqui studemus, ad Libertinorum castra paulatim dilabamur, & studium sanctitatis circa hominis exterioris directionem in mera adiaphora, μέσα, libera, & dictas libertates transformemus. Ab hâc parte majus periculum imminet nostris hominibus, quam ab hypocrisi Pharisaicâ (*Matth.* 23. *vers.*) aut superstitione Monachali: contra quam otiosè & importunè nonnulli invigilare, & non sine tacitâ calumniâ præmonere velle videntur. Sed de luxu in vestibus alibi ex professo egimus. *III. Probl.* An utensilibus sacris (uti vocant) præcipuè Templis seu locis, ut & temporibus (excepto Sabbatho Christiano, quatenus ex jure divino moralitas ei tribuitur, de quo infrà suo loco), sanctitas tribuenda sit? *Resp. Affi.* Pontificii. Et ex parte cum iis faciunt, ceremoniarum quarundam & hierarchici Episcopatus zelotæ in Angliâ: quorum disceptationes de Templorum consecratione, de genuflexione ad mensam sacram, de Altaribus, &c. non parum inno-

innovationis & turbationis in Ecclesiâ illâ moliebantur. Nos *Neg.* ob rationes, quas suprà tit. *de Superstitione*, & in *Diatribâ de Templis*, exhibemus. Non caret itaque ambiguo, quod subinde Templa seu Oratoria nostra dicantur domus Dei, & templum Dei, & locus Sacer; & dies illi, quibus nativitas, aut resurrectio, &c. Christi pro Concione explicari solet, dies sacri (vulgò Heylige dagen/ Hoochtyden); Quocunque die (non-dominico) verbum Dei legitur & explicatur, preces concipiuntur, Baptismus administratur, & in quocunque loco sancta Dei Ecclesia convenit, ac sacra sua peragit, per denominationem extrinsecam & per allusionem ad cultum V. Test. tempora & loca sacra impropriè subinde à quibusdam dicuntur: propriè verò dici non possunt; uti neomeniæ, festa, templum cum utensilibus, in Vet. Testamento. Illis enim verè aderat sanctitas relativa ex Dei institutione: nostris verò Templis non adest, quæ aliis usibus sæcularibus absque peccato simul inservire, aut ad eos planè transferri possunt, aliis locis ad Ecclesiasticos conventus paratis. Ecclesia contenta & exercitia publica in aliquo ædificio peragi solita sunt revera sancta, sed ideò templum continens non est sanctum. Imperitè à nonnullis subinde excipitur cum Judaico-Papisticâ opinione non symbolizari; si distinctè sanctitas tantum relativa, non inhærens diebus & locis tribuatur. Hæc enim est ipsissima sententia Pontificiorum; qui eandem distinctionem adhibent. Vide *Bellarminum lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 6.* Et ex Theologis Anglis hâc in parte novaturientibus *Iosephum Medum in Trigâ Dissertat. Ecclesiastic. de Sanctitate relativâ, Veneratione sacrâ, Sortitione & aleâ in 4. anno 1653. IV. Probl.* An reditus Ecclesiastici, & agri, fundi, domus, armenta, unde reditus suppetunt, sint formaliter sacra, sanctitate relativâ scil.; & consequenter an nefas sit ea vendere aut permutare, ut dominio translato, aliis usibus communibus ac sæcularibus sive publicis sive privatis inserviant. *Resp. 1. Concl.* Non sunt formaliter sacra; qualia tabernaculum, templum, reliquaque utensilia in V. Testamento: sed tantum extrinsecâ denominatione ab objecto & fine proprio talia dicuntur; quòd ex voluntate & destinatione hominum per legitimam sive donationem sive contributionem ad Ecclesias constituendas, propagandas, sustentandas, appropriata sint. *2. Concl.* Possunt ergo absque sacrilegio & profanatione ab iis, penes quos jus & potestas, vendi ad usum Ecclesiæ ordinarium, aut ad usum quem extraordinarium, necessitate ita postulante: non minus quam alia bona publica civitatum, collegiorum, scholarum, pauperum. *3. Concl.* Pari ratione absque profanatione & sacrilegio legitimè sive à collegio aliquo sæculari, sive ab aliâ quâvis Ecclesiâ, sive à domo piâ seu pauperum, sive à privato quolibet emi,

emi, haberi, possideri, & honestis quibuscunque usibus ex arbitrio possessorum applicari possunt. Quod si enim de templis & utensilibus Templorum, ex. gr. scamnis, pulpitis, campanis, mensis, &c. hoc rectè asseritur (uti ostensum in *Diatribâ de Templis*), multò magis de agris, domibus, armentis, decimis ad Ecclesiam pertinentibus. 4. *Concl.* Addimus posse Reipublicæ aut Ecclesiæ, quæ est in Republicâ, necessitate ita postulante reditus Ecclesiasticos in stipendia militum, in commeatum Bellicum, in muniendam Civitatem, in Classem instruendam, in alios usus publicos ad tempus impendi; immo & ipsos fundos, domos, decimas Ecclesiarum, Scholarum, etiam pauperum vendi & planè abalienari: modò caveatur, ut posteà necessitate hâc cessante, aut æquivalens, si fieri possit, restituatur, aut saltem Ecclesiis, Scholis, pauperibus necessaria suppeditentur. 5. *Concl.* Hinc tamen minimè sequitur, posse nummos, agros, domos, decimas Ecclesiarum, aut Scholarum, aut pauperum clam palamve rapi, atque in usus privatos non-publicos (hoc est, non-Ecclesiasticos, non-Scholasticos, non-pauperum) injustè converti: quod fit dum bona illa vel planè abalienantur & mortificantur; vel soli fructus relictis fundis sub titulo Ecclesiarum aut pauperum, ab ipsis bonorum istorum Patronis ac Tutoribus in propriam culinam inferuntur; vel nepotulis, amiculis, clientibus, notis, aliisque hominibus privatis otiosè abliguriendi conceduntur aut permittuntur; idque gratis absque ullo speciali & necessario officio, aut ministerio publico, sive Ecclesiastico, sive Politico, per ipsos, aut per Parentes eorum præstito aut præstando. Ita ut nec meritum, nec præmium hic locum ullum habeat. 6. *Concl.* Multò minus sequitur, posse homines reformatos in foro poli piè & inculpatè inserere se collegiis Papalibus & pseudo-Ecclesiasticis; & ubi numero superiores facti fuerint, retinere, aut induere antiquos prædecessorum Papisticorum ementitos titulos pseudo-Ecclesiasticos clericatus atque ordinis alicujus Papalis (ex. gr. Archidiaconi, Canonici, Vicarii, Sacerdotis animarum, Scholastici, &c.); retinere item titulum, formam & ordinem exteriorem Capitulorum, inque ea & statuta eorum solenniter jurare: ut sub his ementitis titulis, & sub hâc formâ Capitulorum otiosè & gratis fruantur beneficio absque officio, hoc est, portione Canonicâ seu præbendâ & distributionibus quotidianis. Nulla quippe officii & operis umbra fingi potest, quæ directè, aut analogicè, aut æquivalenter, aut per substitutionem τῶ *quid pro quo*, titulis, & beneficiis illis respondeat. Nam quod quis reformatus, qui in officio illo Papali nunquam constitutus fuit, ab exercitiis religionis & officiis Ecclesiastico-Papalibus in totum abstinet, & abstinere debet (quia per leges Reipublicæ, ut nunc est, prohibetur);

hibetur); id totum est negativum, nec magis positivum jus ad beneficium illud sive majus sive minus fundare potest dictis abusivis Canonicis, Scholasticis, Archidiaconis, quam aliis quibuslibet civibus reformatis, qui à Papalibus exercitiis & officiis, absque juramento Canonicali in statuta Capituli, absque ementito titulo, pariter, immo & multo exactius abstinent. 7. *Concl.* Quod Protestantes & Reformati, tum Theologi, tum Politici & Jureconsulti subinde inter alia argumentum illud à sacro, consecrato, dicato Deo & Religioni desumtum, contra abusum bonorum Ecclesiasticorum intorquent: eo ipso minimè indicare voluerunt, se agros, domos, decimas, nummos Ecclesiarum aut pauperum eo loco habere, quo Papistæ sua sacramentalia, & res benedictas ac sacras, aut in V. Test. haberi debebant Templum, Altare, vestes Aaronis, vasa Templi, etiam primitiæ, decimæ, civitates & agri Levitarum: nedum ut hoc unico aut saltem principali argumento bona illa à rapinis & abusibus vindicatum iverint. Absit, absit. Nulla sophistica, nulla sycophantica ullis fidiculis talem consequentiam extorquebit. Exaggeratum eunt hanc injustitiam ab objecto & fine istorum bonorum, Ecclesiâ scil., Dei cultu, & ministeriis sacris: quomodo aggravatur deprædatio ærarii publici, ex publicis negotiis & rebus, quibus inservit; & expilatio ærarii pauperum, ex necessitate pauperum, cui inde prospici debet. Et cum argumentum à decimis, à vasis sacris V. T., ab anathemate (*Josuæ* 7.), ab agris Levitarum desumtum adhibent, quod ad genus, & analogicè reditibus sub N. T. applicatum volunt: speciali formâ & modo temporibus V. T. relicto. Satis illi in scriptis suis hoc explicuerunt: quorum vestigiis nos insistentes *in consilio Theologico* antehac edito (sed nostrate idiomate) argumenta ea adduximus, quæ totius Christianismi Theologorum & Jureconsultorum, quarumcunque in Religione partium judicio, libenter submittimus. Quod possidentes nostrates pseudo-Canonici, eorumque Patroni nec audebunt (sat scio) nec poterunt. *V. Probl.* Quæ sit efficacia sacramentalium secundum Pontificios? *Resp.* De hoc inter se digladiantur, *ad Thomæ 3. qu.* 87. *art.* 3. ubi & ad præcedentes articulos, supposito quod macula peccati venialis sufficienter tollatur per contritionem, quærunt. An macula tolli possit per solam attritionem, aut per solam gratiam habitualem, aut per attritionem & gratiam habitualem, aut per quodvis opus meritorium, Quomodo per Sacramenta, Quomodo per Sacramentalia, e. gr. aquam benedictam. Ad postremum quæsitum (quod hujus loci est) enodandum, præsupponunt per sacramentalia intelligi certa quædam remedia contra peccatum veniale, verbi gratiâ 1. Orationem Dominicam. 2. Generalem confessionem. 3. Tusionem pectoris. 4. Aspersionem

sionem aquæ benedictæ. 5. Panem benedictum. 6. Quamlibet unctionem sacramentalem. 7. Orationem factam in Ecclesiâ consecratâ. Quę hoc versiculo memoriali incluserunt:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Ubi per *edens* tunsionem pectoris notârunt, quàm concinnè, hic non examino. Deinde enumerant varias opiniones, easque pro more suo examinant. *Prima* est, non habere vim aliam, nisi quòd excitent in nobis motum contritionis aut dilectionis, per quem immediatè venialia tolluntur. Sic *Thomas qu. cit. art.* 3. *ad* 1. *&* 3. *Soto lect.* 18. *de Pœnitentiâ. Henriques lib.* 1. *de Sacramentis, cap.* 20. aliique *ibid. citati. Secunda* est, per modum impetrationis propter fidem & orationes Ecclesię remittere venialia. Nam Ecclesia in benedictione aquę, salis, &c. adhibet orationes (Vide eas in *Missali de communi Sanctor. p.* 98. edit. Plant. in fol.) quibus petit, ut res illæ benedictæ conferant ad salutem mentis & corporis. Et hæc videtur esse multorum sententia. Quamvis Recentiores (inter quos *Roventus* titularis Episcop. Ultraject. *lib.* 3. *Institut. cap.* 18.) tantùm gratię, in quâ homo esse debet, immediatè & directè id tribuant: non sacramentalibus, nec actui orationis & jejunii, nec benedictioni Episcopali. *Tertia* est, remittere ex opere operato; & hanc vim habere ex institutione Ecclesiæ. Ratio est, quia hæc sacramentalia semper remittunt peccatum veniale; & tamen non semper excitant in nobis motum pœnitentiæ, ut docet experientia. Sic *Soto in* 4. *dist.* 15. *qu.* 2. *Valentia qu.* 4. *de Pœnit. part.* 1. *Henriquez lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 15. *n.* 8. *Tirinus Controv.* 18. *n.* 14. addito *vel quodammodo*, tanquam termino modali diminuente. *Quarta* est, eâ virtute & efficaciâ conferri posse cum Sacramentis Veteris Testamenti. Sic *Ægidius de Coninck qu.* 60. *de Sacramentis & Censuris, art.* 4. *dub.* 1. Andabatarum pugnas, cui vacat, apud *Autores cit.* & ex parte apud *Becanum in Theol. Scholast. cap.* 32. *de Sacramentis, qu.* 6. spectatum eat. Quidquid hîc distinguant, exstinguant aut diminuant, manent saltem isti effectus spirituales, ex. gr. aquæ lustralis, ipsis communi fide Romanâ credendi & defendendi: 1. *Profligantur Dæmones ex locis & creaturis.* 2. *Remittuntur venialia peccata.* 3. *Phantasmata diabolica, pravæ cogitationes & mentis distractiones, in oratione, aliisque temporibus excluduntur.* 4. *Mens à terrenis rebus colligitur.* 5. *Disponitur animus ad orationem & devotionem.* 6. *Gratia, favor, & præsentia Sancti Spiritus impetratur.* 7. *Præparatur mens hominis, ut rectius divina mysteria peragat, Sacramentaque suscipiat. Valet enim hæc aquæ aspersio adversus omne, quod Sacramentorum effectum impedire potest.* Hæc omnia ex B. Alexandri Martyris & Pontificis post Petrum sexti, & ex ritu benedictionis constare asserit *Pia & Christ. institutio Sodalitatis Marianæ*

Scholarium Ieſuitic. Coloniæ part. 3. *pag.* 310. edit. Colonienſis anno 1576. *Epiſtola Alexandri* huc adducta eſt prima (tres enim ejuſdem circumferuntur): ſed eam ut & omnes alias Pontificum epiſtolas à *Clemente primo uſque ad Siricium* ſub nomine *Iſidori Hiſpalenſis* tanquam collectoris *editas*, & à *Ieſuitâ Turriano* defenſas, ab improbo aliquo impoſtore fictas & ſuppoſitas ita evicit *David Blondellus* in ſuo *Pſeudo-Iſidoro & Turriano vapulantibus*, ut non arbitrer poſthac nothos illos fœtus ampliùs oſtentandos. *VI. Probl.* An lectio aut ſcriptio principii Euangelii Johannis inter ſacramentalia Papiſtica numerari debeat? *Reſp. Aff.* Quia in paroxyſmo morbi caduci, & in energemate ac maleficio magico-diabolico lectionem ejus adhibere ſolent; idemque ſcriptum ex collo infirmorum ſuſpendere: uti docet quotidiana praxis, & remedium hoc inter alia ſacramentalia ſuggeritur à Sprengero & Inſtitore in famoſo malleo maleficarum, part. 2. quæſt. 2. cap. 7. pag. 299. *Exorciſta*, inquit, *procedere poteſt per orationes, & ſilegere novit (N. B.) Scripturas, legat Euangelia quatuor prima Euangeliſtarum: item Euangelium: Miſſus eſt Angelus: & paſſionem Domini, quæ omnia magnam habent virtutem ad expulſionem operum Diaboli. Item Euangelium S. Iohannis, In principio erat verbum, ſcribatur, & ad collum infirmi ſuſpendatur, & ſic gratia ſanitatis à Deo exſpectetur.* Idem inter duodecim remedia numeratur à *Mart. Delrio lib. 6. diſquiſ. Magic. cap. 2. ſect. 3. qu. 3. pag.* 1021. edit. in 4. Unde colligere eſt quid voluerit ſibi conſuetudo in confraternitate dulcis Dominæ, hoc eſt, Mariæ Sylvæ-Ducenſis, quod ad ingreſſum ejus fratres legerent initium Euangelii Johannis; qui aliàs cum aliis quibuſcunque Laicis à Scripturarum lectione more & modo Papali arcebantur. *VII. Probl.* An ſicuti ex Dei præcepto generali aut ſpeciali homines hominibus ſubinde maledicunt, etiam aliquo in caſu ſibi ipſi quis maledicere poſſit? *Reſp.* De diris, devotionibus, imprecationibus, execrationibus, maledictionibus licitis & illicitis ſuprà quædam notavimus: ubi conferendi *Commentatores* ad loca Scripturæ *cit.* & *Aretius part.* 1. *Problemat. loco* 23. Sed dubium eſt, an quis ſibi ipſi mala temporalia aut ſpiritualia imprecari poſſit. De categoricâ & abſolutâ imprecatione negatur: quia hoc repugnaret caritati, quâ quis propriam ſalutem & propriam vitam, mediaque ad eam requiſita diligere tenetur. Sed de hypotheticâ conceditur, quippe quæ à Sanctis ad zelum ſuum erga Dei gloriam oſtendendum, & ad majorem veritatis confirmationem ritè adhibita fuit; & quæ in omni juramento implicitè adhiberi ex contrario ſenſu colligitur aut ſubintelligitur. Expende *Pſal.* 137. *verſ.* 5. & 7. *verſ.* 4. & 132. *verſ.* 3. 4. Mala fuit imprecatio Judæorum, *Matth.* 27. *verſ.* 25. Nec planè excuſanda *Iobi cap.* 3. *verſ.* 1. & *Ierem.* 20. *verſ.* 14.

quid

quidquid in contrarium contendant *Pineda ad Iobi loc. cit. sect.* 5. & 8. & *Corn. à Lapide ad Ieremiæ cap.* 20. *vers.* 14. ubi nostros Commentatores immeritò perstringunt. Formulas aliquot Gentilium diraru n & imprecationum collegit *Brissonius lib.* 1. *de Formulis*, & post eum *Delrio in Senecæ Medeam*, & *Torrentius* aliique *Comment. in Horatii Canidiam.* Apud *Euripidem in Troadibus, ad imitationem Homeri*, & apud *Virgilium Æneid.* 4. in principio ad hujus imitationem, occurrit formula, quâ terrâ se absorberi vovent. Quod ad vota Mosis *Exod.* 32. & Pauli *Rom.* 9. ea nihil aliud continent, quàm hypotheticam declarationem, quòd si possibile esset (uti non est *Matth.* 24. *vers.* 24.) electum perire, præstare ut Moses & Paulus pereant, quam ut gloriæ divinæ quidquam decedat. Est enim gloria Dei supra salutem Mosis & Pauli; & hæcilli cedere deberet. *VIII. Probl.* An & quomodo lustratio, expiatio, cherem, devotio, catharma, purgatio à consecratione distinguatur? *Resp.* Consecratio & benedictio simpliciter dicit aliquid offerri Deo, & ad usum illum peculiarem à communi transferri, deputari, designari, separari: sed expiatio, lustratio, purgatio, &c. connotat & includit peculiarem respectum ad maledictionem quam, seu ad malum aliquod turpe aut triste, cujus tollendi aut avertendi ac præveniendi gratiâ, res aliquæ offeruntur Deo, aut certæ ac peculiares actiones seu ritus adhibentur. De immunditiâ ceremoniali expurgandâ vide *capp. Levitici* 11. 12. 15. & *Numer.* 19. De Gentilium lustrationibus, quas & februa appellabant Romani, deque lustricis, lustris, amulâ seu vase lustrali, aquâ lustrali, sacris amburbiis, hostiis amburbalibus, lustralibus salivis, passim apud Philologos & Antiquarios plurima observata invenies: ut apud *Rosinum* & *Demsterum lib.* 5. *antiquit. cap.* 4. *Pignorium in Epistolis pag.* 117. ubi *de Consecrationibus*; *Talantonium libr.* 1. *Thesauri rerum abditarum cap.* 1. & 9. ubi *de Expiatione*. Nos hic abrumpimus, indicatis aliquot Autoribus, qui materiam hanc de Sacramentalibus &c. attingunt, si cui fortè aliquem ex iis consulere liberet. Sunt ergò ex Pontificiis præter hactenus citatos, *VValdensis tom.* 3. *Sacramental. tit.* 5. *Gavantus tom.* 1. *Thesauri Rituum pag.* 303. & 285. *Cornel. à Lapide in Commentar. ad* 1. *Timoth.* 4. & passim in *Comment. ad Levitici capp.* modò *cit.* & *Numer.* 5. *Eueillon in tract. de Processionibus cap.* 31. *Azorius part.* 1. *Theol. moralis lib.* 10. *cap.* 15. *Hieron. Magius lib.* 4. *Miscellan. cap.* 10. *Gretserus lib.* 1. *de Cruce cap.* 14. qui tres specialiter de *aquâ lustrali*. Ex Nostris, *Martyr. in loc. commun.* pag. 596. ubi *de Lustrationibus*, & pag. 839. *Aretius part.* 3. *Problemat.* pag. 389. edit. in 8. ubi *de Benedictionibus*. *Hospinianus lib.* 2. *de Templis cap.* 25. ubi *de Aquâ lustrali*. *Zepperus lib.* 4. *de legibus Mosaicis cap.* 21. ubi *de benedict. Iudaicis*. *VVilletus* passim *in Commentar. ad loca Exodi* & *Levitici*, unde Pontificii suas res sacras, consecra-

tiones, luſtrationes probare conantur. *Salmaſius* ſub nomine *Simplicii Verini de Tranſubſtantiatione contra Grotium p.*436. ubi *de conſecratione Gentilium*, & *pag* 437. ubi notat *conſecrare* idem eſſe quod *Deum facere*. *Raynoldus in prælect. de libris Apocryphis, lect.*178. -- 191. & 240. 241. ubi Bellarmino pro aquis luſtralibus diſputanti antiquitatis larvam planiſſimè detrahit. Studioſi noſtri, qui plerique in curſu Academico compendio in talibus ſtudere ſolent, conſulant *Perkinſi Problema Catholicum*, tit. *Benedictiones*. Imprimis ad accuratos conceptus formandos, plurimum præſtiterunt Scriptores de ceremoniis quibuſdam Anglicanis; quales *Autor Altaris Damaſceni*, & *Ameſius in ſcriptis Anglicis contra Mortonum* & *Burges*; qui etiam ſemina & fundamenta ejuſmodi determinationum ac refutationum paſſim inſparſit *ſuæ Medullæ*, & *Caſibus conſcientiæ*.

Atque hactenus ſelectæ quædam Diſpp. ad ſecundum Decalogi Præceptum. Sunt & aliæ antehac editæ, quæ huc referri poſſent, quales, *de Eccleſiâ inſtitutâ, de Eccleſiis Cathedralibus, de Templis*, eorumque *Conſecrationibus* & *Utenſilibus, de Monachatu, de Epiſcopatu, de Pſeudo-Mortificationibus Papatus*. Sed ne volumen hoc in molem nimis magnam excreſceret, & quia illa commodè inſeri poſſunt Politicæ Eccleſiaſticæ, in illam occaſionem eorum iteratam & interpolatam editionem reſervo.

DE JURAMENTO RELIGIONIS.

Reſp. JOHANNE de MAILLY, Mediob.-Zeel.

Ad diem 20. *Novemb. Anno* 1652.

Præſupponimus hic doctrinam de Iuramento in genere. De quâ conſulendi locorum communium Scriptores; *&* Scholaſtici ad Lombardum lib. 3. diſt. 39. *&* ad Thomam 22. qu. 89.; Decalogi Interpretes, *inter quos* Zanchius lib. 1. de Operibus redemtionis cap. 18.; Moraliſtæ ſeu Caſuiſtæ; *& qui peculiaribus tractatibus hanc doctrinam illuſtrârunt, inter quos recentiſſimus Scriptor* Robertus Sanderſonus *Theol. Profeſſor Oxonienſis, cujus* leptem prælectiones de Juramenti promiſſorii obligatione *anno* 1646. *Oxoniæ habitæ, anno* 1647. *Londini editæ ſunt. Inter Antiquarios de ſententiâ antiquæ Eccleſiæ ſuper negotio Iuramenti, conſuli poterit* Gerh. Joh. Voſſius lib. 5. Hiſtor. Pelag. part. 1. pag. 500. -- 512. *Sed quia complures, aut plerique, ſi non omnes, quos mihi videre contigit, in materiâ, circa quam verſatur Iuramentum, aut planè præteriiſſe videntur, aut ex profeſſo non tractâſſe; negotium Religionis, de quo tamen varia quæri poſſunt, & non rarò quæruntur; operæ pretium nos facturos arbitramur, ſi conceptus* aliquos

Diſci-

Discipulis nostris præformemus. Partimur eos, I. In Præcognita. II. In quæstiones, & controversias.

IUramentum *Religionis* à materiâ suâ peculiari ac propriâ, circa quam versatur, & cujus causâ adhibetur, per extrinsecam denominationem sic dicitur. Quamvis enim omne juramentum formaliter & in se sit religiosum seu actus Religionis: materialiter tamen seu objectivè non dicitur juramentum Religionis, nisi quod propter Religionem, sive falsam, sive veram; sive licitè, sive illicitè; sive pro eâ, sive contra eam præstatur. Et sic ab omnibus aliis juramentis, quorum materia alia est à Religione, τὰ βεβήλα scil., hoc est, negotia sive Politica, sive Oeconomica, sive publica, sive privata. Sit ergò *juramentum Religionis, omne illud, quod Religionis causâ præstari aut exigi solet.* Idem etiam dici potest juramentum *sacrum, juramentum fidei*, aut *religiosum.* Melioris doctrinæ causâ distribuimus hoc juramentum in *confessionis, contestationis, conservationis:* seu in *professionis, protestationis, defensionis.* 1. Juramentum *confessionis* seu *professionis*, est partim assertorium, seu declaratorium, partim promissorium; quo quis declarat, se talem religionem, aut talia dogmata, aut tale dogma, aut talem formulam & scriptum secundum scientiam & conscientiam suam tenere atque approbare tanquam verbo Dei conforme; seque in futurum fideliter in eodem sensu & in professione ejusdem perstiturum. Et hoc rursum variè subdividi potest. 1. Ex *causâ impulsivâ*, aliud est ipontè susceptum; aliud autoritate ac mandato superioris impositum. Prioris exemplum ex facto Davidis, *Psal.* 119. *vers.* 106. *juravi*, &c. & 2. *Paralip.* 15. *vers.* 14. 15. peti potest. Posterioris exempla exstant in Papalibus quibusdam Politiis & Academiis, ubi promovendi in quâcunque facultate & constituendi officiales, Judices, Senatores in Urbibus, Oppidis, Vicis, jurant in Concilium Tridentinum. Memini me aliquando ex aliquo experto intellexisse, in celebri aliquâ Academiâ juramentum Religionis ad immatriculationem à singulis studiosis præstari. Sic *Ioh. Sturmius* Scholæ Argentinensis Rector de mandato Senatus & Scholarcharum jurabat in confessionem Argentinensem seu quatuor Civitatum, ut ipse testatur in *Præfat. suæ admonitionis*, Germanicè editę Neustadii anno 1581. Huc pertinent extortæ ejurationes; de quibus mox dicemus. 2. Ex *causâ principali*, seu subjecto, aliud est Ministrorum, aliud fidelium. Illud ab isto differt, quòd publicam privatamque istius Religionis dogmatizationem pro ratione muneris sui promittat. Huc referri posset juramentum ab Episcopis in Pa- 1

patu præstari solitum: siquidem aliquam Religionis mentionem faceret. Sed de eo infrà agemus. 3. *Ex objecto*, aliud est pro simplice doctrinæ veritate; aliud pro rejectione & detestatione certi alicujus erroris; aliud pro utroque. Huc pertinent palinodiæ, seu revocationes & *abjurationes* seu *ejurationes*, factę à Pastoribus, & Doctoribus, aut fidelibus; iisque aut privatis, aut in publicâ potestate constitutis. Vide exemplum abjurationis in professione fidei à Græcis faciendâ jussu Gregorii XIII. apud *Possevinum lib. 6. Biblioth. pag.* 284. Et alterum in abjuratione ab Archiepiscopo Burdegalensi propositâ, anno 1585. ubi in conclusione, in formâ *abjurare, detestari, anathematizare jubentur religionem prætendentem reformationem* inter Protestantes, Germanos, & inter Sacramentarios Prætendentes, & inter Registas ac Puritanos Anglos. Vide abjurationis istius articulos solidè refutatos ab *Ant. Zadaele*, *in Operibus* ipsius in fol. & in 4. editis. In Belgio Lovanienses anno 1568. articulos quindecim conceperant, in quos ut & in totum Concilium Tridentinum omnes subditi jurarent. Exhibent eos *Historiæ motuum Belgicorum*, & *Ioachimus Vrsinus ad finem tract. Reginaldi Gonsalvi de Inquisitione Hispanica* Latinè translati, anno 1611. Ambergę *pag.* 329. 4. *Ex concomitante*; aliud est simplex juramentum; aliud conjunctum cum explicitâ formali execratione & anathemate. Exemplum hujus occurrit *Nehem.* 10. *vers.* 29. Et in juramento in Scotiâ anno 1581. à Rege Jacobo, & aulâ ejus præstito. Huc refer formalem & explicitam blasphemiam in Christum, quam tanquam symbolum aut gradum eminentem ejurationi Religionis nonnunquam addebant: cujus modò meminimus. Vide de hoc *notas ad Actor. 26. v.* 11. *coĕgi blasphemare.* 11. *Contestationis* seu *protestationis* juramentum est vel simplex, vel qualificatum. *Illud* est, quod datâ occasione sponte ab aliquo suscipitur, offertur, præstatur; sive publicè, sive privatim. Huc refer juramentum Pauli super prædicatione Euangelii, & executione Ministerii sui. 2. *Corinth.* 1. *vers.* 23. Et cum viri Dei in colloquiis privatis aut publicis de Religione, item in Concionibus, & publicis scriptis, Dei testimonium petunt ad sui de Religione testimonii confirmationem, & cum Lutherus anno 1536. concordiam Wittebergensem juramento confirmavit: uti refert *Admonitio Neostadiana, cap. 6. p.* 232. & *Pareus in Eivenico cap.* 21. *p.* 115. *Hospinian. de libro concordiæ cap.* 8. *fol.* 45. *a* refert à *Peucero* juramentum prĕstitum, sed mox revocatum. Eodem reduci velint declamatores Papales juramenta, diras, exsecrationes, animarum suarum oppignorationes, quibus ubertim & temerè loco probationum, tum pro concione, tum privatim malâ causam fulcire satagunt. Huc pertinet conditio oblata ab *Hugone Broughtono in collatione cum quodam Rabbino Iudæorum*, ut male-

maledictionem sibi imprecarentur, siquidem contra conscientiam agerent. Hactenus de juramento sponte susceptо. Sequitur *Iuramentum*, quod autoritate superioris defertur vel imponitur. Estque vel simplex, vel qualificatum, seu cum gradu eminentiæ, quando scil. fit cum gravi & solenni obtestatione: & sic respectu imponentis dicitur *Adjuratio*. Huc refer exorcismum Cajaphæ, *Matth. 26. vers. 63*. Porro de adjuratione in genere infrà aliquid notamus in *Disput. de Exorcismo*: Ubi vide. Imponitur autem juramentum à superioribus in regimine aut in jurisdictione. In *regimine* imponi potest dupliciter, aut in *cursu regiminis* tranquilli & ordinarii, & rebus integris: aut in *casu regiminis* difficilis & extraordinarii, & rebus turbatis, quale dicerent fuisse juramentum Papisticum exactum à Belgis anno 1568. juxta articulos Lovanienses *suprà cit.* In *jurisdictione*, seu causarum ac processuum super negotio Religionis tractatione imponitur juramentum judicibus, reis, testibus: 1. *Iudicibus* impositi juramenti exemplum habes in *Actis Synodi Nationalis Dordracenæ, anno* 1618. 1619. *sess.* 4. *artic.* 10. & *sess.* 23. *sub finem*: ubi omnes Synodales jurabant se ex solo Dei verbo causam judicaturos, & solius veritatis, &c. rationem habituros. Frustrà illud admordent Remonstrantes in libro vernaculo, tit. *Nullitates Synodi part.* 1. *cap.* 14. Tale juramentum inquisitores, & quicunque alii ad investigandas atque exstirpandas hæreses potestatem aliquam delegatam accipiunt, sibi imponi & à se præstari velint. Exemplum ejus habes in *Articulis inquisitionis Anglicanæ, anno* 1554. à *Bunnero* Episcopo Londinensi *conscriptis*: quos vide in *Martyrologio Foxi*, & *Historiis Anglic.*, aliisque istorum temporum, & *ad finem secretiorum Hispanicæ inquisitionis à Ioachimo Vrsino, edit. pag.* 281. 2. *Reis* impositi juramenti exemplum dedit Ephesina Synodus, quę cum dictis Nestorii fidem non haberet, juramentum illi imposuit. De quo vide Acta Synodi in tomis Concil. ubi sic loquitur Epistola Concilii ad Nestorium; *Non autem sufficit vel tuæ Religioni tantum modo fidei Symbolum confiteri, quod expositum est per idem tempus Spiritu Sancto largiente, & venerando & magno Concilio apud Niceam congregato. Hoc enim non intellexisti, nec rectè interpretatus es, quinimmo perversè, licet sono vocis eadem verba protuleris. Sed consequens est, etiam jurejurando fateri te, quòd anathematizes quidem tua polluta & profana dogmata, sentias autem & doceas, quæ nos universi per Orientem seu per Occidentem, &c.* Huc referri debent juramenta *expurgationis*, seu *purgationis Canonicæ* in casu hæresios, quæ à Judice defertur; ad quam etiam subinde sponte se offert, qui se occultæ hæresios, aut simulationis in Religione suspectum dolet. Quid autem sit purgatio seu proba Canonica, & quomodo à vulgari distinguatur, infrà

frà ſtrictim indicamus in *Diſp. de Sortis aliiſque divini nominis Abuſibus.* Quando autem hoc ſecundum Theologiam & praxin Romanam imponi aut admitti poſſit, & quis hodie ipſius uſus, docent *Canoniſtæ recentiores*: inter quos compendii cauſâ videatur *Zypæus in Anal enarr. juris Canonici novi lib.* 5. Et *Iureconſulti*, inter quos vide *Althuſ. lib.* 3. *cap.* 40. Et *Tholoſanum lib.* 48. *cap.* 15. ubi alii Autores citantur. Adde & *Piaſecii praxin Epiſcopalem part.* 2. *cap.* 3. & 4. *pag.* 246. 339. Affine eſt juramento huic in negotio Religionis, juramentum calumniæ: de quo in genere *Iureconſulti.* Ad purgationem referri velint Inquiſitores juramentum ſuum *inquiſitorium*, & alii *juramentum ex officio*: de quibus infrà diſquiremus. 3. *Teſtibus* impoſiti juramenti exempla dat modus procedendi inquiſitionis Papalis, ubi quis contra Parentes, Liberos, Cognatos, Amicos, neceſſarios, immo & contra ſe ipſum ſub juramento teſtari & quævis occulta prodere tenetur. De quo infrà; ubi de Juramento ex officio. Hujus ferè generis eſt *juramentum pœnitentiæ*, ſeu ejurationis hæreſeωn; quale cum *bullâ veniæ* à *Gregorio XI II.* Belgis conceſſæ, & ab eodem anno 1574. promulgatum: eodem anno, quo Philippus II. Belgis veniam politicam promulgavit. III. Juramentum *conſervationis*, ſeu *defenſionis*, eſt propriè promiſſorium, quo juratur, tacitè tamen præſuppoſito juramento aſſertorio, aut explicitè præmiſſo ſeu repetito, in conſervationem Religionis. Eſtque vel Eccleſiaſticum, vel Politicum, vel Mixtum. *Illud* propriè occaſione ita poſtulante præſtari poteſt à Preſbyteris & Doctoribus, quibus publica & directiva poteſtas ſpiritualis commiſſa eſt, ſeu uſus clavium. Et hi ſpiritualibus ſolùm armis veritatem & Eccleſiæ unitatem contra hæreſes, ſciſmata, ſcandala tuentur. Tale fuit, quod à Miniſtris & Senioribus Synodi Nationalis Gallicanę anno 1619. celebratæ, Alezii præſtitum eſt pro conſervatione Orthodoxæ concordiæ, in doctrinâ quin quarticulanâ Remonſtranticis novitatibus & diſſidiis in Belgio agitatâ. Ad Eccleſiaſticum referri poteſt Academicum ſeu facultatis Theologicæ, cujus exemplum dedit Academia Salmanticenſis in Hiſpaniâ, quæ ſtatutum juramento ſolenni firmatum condidit de tuendâ doctrinâ Auguſtini & Thomæ, de gratiâ ſcil. & libero arbitrio. Quod per Baſilium Pontium Legionenſem publicè defenſum, & aliquoties editum eſt; etiam Duaci anno 1634. Simile exemplum jam à multis annis dat Sorbonna Pariſienſis, quæ Doctores ſuos jurare facit in celebrem illam ſanctionem pragmaticam ſub nomine Caroli VII. promulgatam; quæ continet ſtatuta Concilii Baſileenſis. *Politicum*, quod appropriatè *defenſionis* & *protectionis* dicitur, eſt quo promittitur defenſio Politica Religionis aut Eccleſiæ per poteſtatem coactivam, contra adverſariam quorumcunque turbatorum, &

per-

perſecutorum violentiam. Et tale erat juramentum à Rege Jacobo & aulicis, aliiſque proceribus in Scotiâ, anno 1580. præſtitum. Poteſt autem vel à ſolis ſupremis Principibus, aut Statibus, aut Magiſtratibus, vel etiam à civibus in fœdus Religionis jurari. Poſterioris exemplum vide 2. *Paralip.* 15. Fœderati & jurati Principes, Proceres, Magiſtratus, populi, ab hoc juramento, aut promiſſione, aut fœdere, dicuntur phraſi Scripturæ *nutritii*, & phraſi Eccleſiaſticâ & Politicâ, *defenſores, protectores, patroni.* Talia fœdera & juramenta fuerunt Zizka & Bohemorum pro defenſione Huſſitarum; in Germaniâ fœdus Smalcaldicum pro Eccleſiis Proteſtanticis; in Galliâ Regis Navarreni, Principis Condei, Architalaſſi Colignii pro Eccleſiis Reformatis: ibidem ante ſæcula aliquot Comitis Tholoſani, aliorumque pro Albigenſibus; in Belgio pro Religione reformatâ; in Sueciâ pro Religione Proteſtantium contra Regem Sigiſmundum. *Mixtum* eſt, quo conſervatio & Eccleſiaſtica ſeu interna, & Politica ſeu externa (quæ propriè *defenſio* & *protectio* dicitur) promittitur, idque per modum confœderationis. Et tale fuit 2. *Paralip.* 15.

His præcognitis, accedimus ad quæſtiones. Movebimus ad ſingulas 2
ſpecies juramenti Religionis: *Primò*, unam magis univerſalem & quaſi principalem: *Deinde*, alias quaſdam aut magis particulares, aut minus principales; ealque aut de licitâ præſtatione, aut de præſtiti obligatione. Sit ergo de juramento confeſſionis ſeu profeſſionis hæc quæſtio, An ſit licitum. *Reſp.* Nos *Aff.* poſitis ſcil. ponendis: hoc eſt, ut fiat in veritate, judicio, & juſtitiâ: quæ conditiones communes (*Ierem.* 3.) ubique & ſemper ſervandæ. Seu ut *noſtra Catecheſis* conditiones eas exprimit *qu.* 101. Rationes ſunt iſtæ. *Rat.* 1. Ex *Pſal.* 119. *verſ.* 106. 2. *Paralip.* 15. *verſ.* 14. 15. *Ezræ* 10. 5. coll. cum *Nehem.* 10. 29. *Rat.* 2. *Quia*, declaratio ſenſus noſtri de Religione & ſincera confeſſio licita, immo & multis in caſibus neceſſaria. *Rom.* 10. 1. *Petr.* 3. *verſ.* 15. 16. De quo in *Diſp. de Confeſſione & Martyrio.* Ergo confirmatio ejus non minus quam alterius veritatis & teſtimonii, per juramentum aſſertorium, eſt licita. *Rat.* 3. *Quia* promiſſio ſimplex conſtantiæ & fidelitatis in verâ religione & cultu Dei facta coram hominibus eſt licita; inſuper promiſſio qualificata, mutua ſc. ſub formâ ſolennis & publicæ confœderationis eſt licita: ergò fœdus religionis & talem promiſſionem, aut tale fœdus occaſione ita ferente, juramento confirmare licet, non minus quam alia fœdera, aut alias promiſſiones fidelitatis & conſtantiæ, in rebus temporalibus. Antecedens probatur *Deut.* 29. *Ioſ.* 24. 2. *Reg.* 23 *Rat.* 4. *Quia* utile eſt taje juramentũ ad ſimulationes in religionis profeſſione, & periculum corruptionis Eccleſiæ per ingreſſum falſorum fratrum, aut per admiſſionẽ Miniſtrorum ἀσηρίκτων, Scepticorum, Fanaticorum, Heterodoxorum; ad hæc ad levitatem & inconſtantiam,

ſtantiam, apoſtaſiam, ſyncretiſmum cum heterodoxis, ſciſmata & ſeceſſiones præveniendas & detegendas. Sicuti enim in aliis negotiis humanis reverentiam nominis Dei, & juramenti per illud, ad veritatem & fidem tanto melius ſtabiliendam intervenire utile & licitum eſſe putamus; ſic etiam in præſenti caſu ſtatuendum. *Rat.* 5. Accedat communis & hodiernus conſenſus Reformatorum, & Pontificiorum. De *Reformatis* fidem facit partim communis doctrina *quæſtione Catech.* 101. & *à locorum communium Scriptoribus* expreſſa, quæ materiam hanc maximi momenti includit: partim praxis, ut in Synodo Nationali Alezianâ in Galliâ ann. 1619. (vide formam juramenti Gallicè & poſtea Belgicè editam) & in Hungariâ, ubi Canones Eccleſiarum Helveticæ confeſſionis in Synodo Comjathinâ ſtatuti & Varadini anno 1632. Lat. & Hungaricè recuſi, Superintendenti ſeu Epiſcopo, Senioribus, Miniſtris & Miniſterii Candidatis, & ſpecialiter Clericis ab heterodoxiâ ad veritatem converſis juramentum præſcribunt. Vide *Claſſ.* 1. *can.* 7. 8. 27. & *Claſſ.* 2. *can.* 2. 5. 7. 8. Adde juramentum religionis in Scotiâ anno 1581. ejuſdemque repetitionem & conjunctam confœderationem anno 1639. poſtea ſolemniter à Synodo Nationali Scotiæ, & à Rege cum Parlamento approbatam & confirmatam. Quod ad confœderationem, in quam paſſim per tria Regna juratum fuit à reformatis Miniſtris & fidelibus ad juramentum confeſſionis ſeu profeſſionis, de quo hic quæritur, propriè non pertinet: partim quia defenſionem politicam Religionis: partim, quia etiam alias quaſdam cauſas Politicas continebat. Quod idem de fœdere Scotico, quamvis per Regis & Parlamenti approbationem ac confirmationem extra omnem controverſiam poſito, ſtatuendum eſt. Hactenus tamen præſenti inſtituto noſtro inſervit, quod in genere doceat, reformatos in Religionis confeſſionem, jurare velle. Cauſam illam, & modum agendi Theologi reformati (illic nunc dicti *Preſbyteriales*) hactenus conſtanter defenderunt, quin & exemplaria formulæ fœderalis Angl. Gall. Lat. edita ad noſtras aliaſque Eccleſias reformatas à cœtu Theologorum Londini tunc congregato, transmiſſa ſunt, cum additâ epiſtolâ, quâ cauſam illam commendabant. De *Lutheranis*, certum eſt, quod ad Miniſtros, ex *Conſiliis Theolog. Dedekenni vol.* 2. *pag.* 341. & ex *Melchioris Sylveſtri Eckhardi Paſtore conſcientioſo quæſt.* 15. unde conſtat Miniſtros, ſi non ubique (de quo nihil certi affirmare poſſum) ſaltem alicubi juſſu Magiſtratus in Religionem libro concordiæ comprehenſam jurare. De Nobilibus, Baronibus, Comitibus, Principibus, Lutheranis in eandem Religionem jurantibus, teſtatur *Becanus lib.* 5. *Manualis cap.* 22. ſiquidem illi fides adhibenda. De *Pontificiis*, teſtatur ibidem *Becanus*. Quod nullum ferè publicum

blicum *beneficium* suscipitur, ubi promissorium juramentum non intervenit; & exsertè nominat ibidem Pontifices, Cardinales, Episcopos, Abbates, Canonicos. Docet etiam hoc perpetua praxis post receptum Concilium Tridentinum: in quod jurant Clerici & Laici; præsertim in munere Politico aut gradu Academico constituti. Confer, quæ suprà notavimus de inquisitione Belgicâ juxta articulos Lovanienses anno 1568. de abjuratione Burdegalensi, de professione fidei à Græcis facienda. Consule & *Ius Canonicum cum glossis*, & *Commentar. tit. de Iure jurando, c. nullus, &c. Ego Neg.* ubi formula juramenti Episcopalis; quod idem prolixius exstat *in Pontificali Romano.*

Ex dictis elicimus hoc *Corollarium*. Frustra juramentum Synodi A- 3
lezianæ in Galliâ anno 1619., quo Canones Synodi Dordracenæ approbant vellicari à Remonstrantibus *in Apologiâ* & *in responso ad excerpta Profess. Leidens.*, *aliisque Libellis*, & à *Daniele Tileno in* diffamatorio *libello adversus doctrinam Canonibus Synodi Dordracenæ determinatam*: Quasi jurando insolens & absurdum quid commisissent. In libro vernaculo Anonymi (quem ex aliquo istius sectæ didici esse Johannem Wttenbogart) tit. *Iejunium Achabi pag.* 125.) vocant juramentum illud Synodi Alezianæ horrendum seu abominandum, eenen grouwelicken eedt. Atqui dicat quis, non esse jurandum in scripta humana. *Resp.* 1. Nihil absurdius dici potest. Si in contenta quovis instrumento aut scripto rectè juratur, modo fiat in veritate, judicio, &c., cur non in contenta Catechesi aliqua, aut confessione, aut Synodali determinatione, &c. jurari posset; & quidem juramento tum assertorio, tum promissorio? Quorum *illud* fidem faciat, ac hominibus declaret jurantem in conscientiâ sentire & certum esse, illud scriptum humanum, seu doctrinam eodem contentam convenire cum verbo Dei: *illud* verò promittat fidelitatem & constantiam in dictę veritatis professione, traditione & defensione. Quid in tali juramento reperiunt, quod ipsi pro cognitâ & agnitâ à se veritate, & in confessione, aut Catechesi ipsorum propositâ (ex. gr. Jesum esse Messiam, Bona opera esse facienda, esse vitam æternam, mundum à Deo creatum, &c.) similiter necessitate ita ferente, sive declarando, sive promittendo præstare nolint? 2. *Quia* ipsi Remonstrantes subscripserunt suis quinque articulis, & suæ confessioni. Nec tamen putarunt se scriptis humanis suam conscientiam alligasse, aut ea verbo divino æquiparasse. Applicentur ergò analogicè juramento, quæ de licitâ promissione & subscriptione determinantur. *Object.* 2. Atqui hæc obligatio per juramentum, conscientiæ libertati repugnare videtur. *Resp.* Minimè: Libere enim quis & assertorium & promissorium, præstare debet & potest: nec ordo

in Ecclesiâ statutus, nec mandatum superiorum, si quod esset, quicquam huic libertati præjudicare potest. Si quis enim in conscientiâ sic sentire nequit aut non vult, Ecclesia contra conscientiam jurare, aut quidquam promittere non compellet, sed tantum in nomine Dei ex verbo ipsius hortabitur & obtestabitur, ut errorem & errantem illam conscientiam deponat. *Instant.* Atqui detrectans sive juramentum, sive subscriptionem, non admittetur ad Ministerium, aut admissus non retinebitur: ad quod tamen conscientiæ impulsu se ferri dicit. *Resp.* Sic est: nam *primo* oportet ordinem esse in Ecclesiâ, & quemque ei se subjicere: major enim est autoritas Ecclesiæ, quam privati cujusque, major corporis quam membri, & major ratio habenda unitatis quam unius. *Deinde*, Ecclesia, omnesque Judices Ecclesiastici, penes quos legitima potestas directiva, etiam habent conscientiam suam secundum quam & seorsim & collectim, collatis sententiis, agant: ita ut unus conscientiam suam omnium aliorum conscientiis opponere non debeat, nec sibi soli tribuere, quod toti communitati negare videtur. Simile petatur à Forensi Judice, cujus sententiæ litigans se submittit; non quod in conscientiâ eam approbare teneatur (siquidem sentiat se non posse, aut debere,) sed tantum ordini locum dare. Pariter se res habet in foro Ecclesiastico exteriori. Hoc simili explicato & applicato memini Nobiliss. & Consultiss. Curiæ Hollandicæ Provincialis Præsidem sex Remonstrantes, qui Synodi Zuyd-Hollandicæ Delfensis anno 1618. partem faciebant, ita instruxisse, ut plenè acquiescerent. Qui tamen antea futuræ Synodo Nationali controversiam suam submittere gravabantur, metuentes ne conscientiæ tali submissione & promissione irretitæ, in alterutrum præcipitium propellerentur. *Object.* 3. Promissorium juramentum præstari non potest: quia etiamsi nunc teneas Canones Synodi, aut confessionem, aut Catechesin, aut doctrinam quam Scripturæ consentaneam esse; eandem tamen postea ubi deprehenderis falsam, interfacrum & saxum stabis; nec audens mutare, ne perjurus videaris; nec volens retinere, quia sentis esse falsam. *Resp.* Non debet fides nostra horaria esse, *aut temporum* (ut loquitur *Hilarius*,) sed Euangeliorum. Nec debet Theologus jurare tanquam Scepticus aut Pyrrhonius, sed ut firmus in fide divinâ, cui non potest subesse falsum. Juxta illud, *Quisque certus sit, &c.* Rom. 14. *& novi, cui credidi & certus sum.* 2. Timoth. 1. Qui de omnibus dubitat, & consequenter nihil certi habet, quod amplecti, profiteri, promittere possit in negotio Religionis, is sanè infelix est. Sed nos hic non quærimus, quid quilibet aut faciat, aut facere possit, sed quid debeat. Qui fidem suam ex verbo Dei discit, habet, videt, tenet certâ scientiâ & clamante conscientiâ (uti loqui-

loquitur *Augustinus*), is tuto & pie, occasione ita ferente, in eam jurare potest. Bonum enim nunquam cum malo, nec veritas cum mendacio mutari potest: juxta illud Proverb. 23. vers. 23. *Eme veritatem* &c. *Apocal.* 2. 25. & 3. 11. *Tene quod habes* &c. *Instant.* Quid si quis pro tempore certo persuasus de opinionis alicujus veritate, quam tamen postea deprehendit fallam &c. an non præstitisset eum abstinuisse à juramento, ne peccatum suum aggravaret? *Resp.* Debebat omnino abstinere ab errore, & à juramento. Sed quæ consequentia ab errore & errante, & *male* jurante, *ad* veritatem & bene jurantem? An omnes abstinebunt à vero & bono, quia quidam decepti falsum & malum sub specie & falsâ imagine veri ac boni amplexi sunt? Nihil ergo veri discendum, nihil boni amplectendum esset. *Object.* 4. Posito te veritatem nunc & corde & professione, tenere: non tamen in eam jurandum esset, ne peccatum tuum aggraves, si forte postea ab eâ aut in totum aut ex parte, aut ad tempus, aut in perpetuum resilias. *Resp.* 1. Tu age quod bonum est ad ædificationem proximi & ad gloriam Dei, atque una ora Deum, ipsi confide & ab ipsius gratiâ totus depende: cætera ipsius paternæ providentiæ committe *Ps.* 37. 5. *Philipp.* 1. vers. 6. 2. *Siquidem* hæc scrupulositas ab omni juramento religionis nos avertere debet, sequeretur multo magis ab omni juramento promissorio in quâcunque materiâ abstinendum esse: quin imo ab omni promissione emendationis, & studii sanctitatis coram Deo & ecclesia Dei facienda (quod est contra *Ps.* 80. *vers.* 19. 2. *Corinth.* 7.); denique ab omni professione fidei edendâ, ab omni subscriptione formularum concordiæ.

Controversiâ principali determinatâ, accedimus nunc ad quæstiones quasdam magis particulares, aut minus principales. 1. *Probl.* An expediat aut conveniat juramentum à ministris vocatis aut vocandis ordinario præstari? *Resp.* Tria hic præsupponimus 1. Doctrinam, aut formulas consensus, in quas juratur, cum verbo Dei convenire. 2. In regimen & ritus non jurari: nisi quod ad substantialia & universalia verbo Dei præscripta. 3. Quod ad circumstantialia, particularia, & adiaphora: non jurari omnino in ea, aut saltem aliter jurari, ac in doctrinam & in substantialia regiminis jure divino præscripta. *Sit ergo* 1. *concl.* Potest juramentum in formulas doctrinæ scripturis conformes, cum exigitur, bonâ conscientiâ præstari, eo sensu, modo, & fine uti *thesi præced.* explicuimus. 2. *concl.* Aliquando propter temporum iniquitatem non tantum utile sed fere necesse est, ad arcendos clancularios hæreticos aut scilmaticos, juramentum doctrinæ seu confessionis à ministris exigi. Sed rebus integris, & in tranquillo ecclesiæ statu ut ordinario & semper exigatur, non vide-

4

videtur admodum expedire, saltem necesse non esse. Ratio hæc est, quia admodum tarde, parce, & caute ad juramentum deveniendum est, præsertim ministris. Huc faciunt omnia, quæ à patribus tam religiose in illam partem monita sunt, ut nonnunquam videantur omnia juramenta simpliciter prohibere (Adi sis *Vossium hist. Pelagianæ lib.* 5. *part.* 2. *pag.* 502. ubi testimonia illa collegit); insuper ea quæ ab antiquis statuta & a *Canonistis* (*ad tit. de Iurejurando*) disputata de juramento clericis non imponendo, juxta cum laicis; tum ad arctiorem cautelam, tum etiam ob præsumtam eorum exemplarem sanctitatem & veracitatem. Nec prætereundum quod legibus Hispanis, Lusitanis, & Burgundis cautum sit ad vitanda perjuria, ne contractus medio juramento fiant, uti ex *Busio* refert *Zypæus in anal. enarr. Iuris canonici lib.* 2. *tit. de Iuramento.* Qualem cautelam optandum esset circa plurima munera sæcularia sanciri. Accedit quod ecclesiæ antiquæ (vide *Concil. Tolet.* XI. *can.* 10.) & reformatæ Belgicæ, aliæque, ni fallor, pleræque solam promissionem aut manus subscriptionem à ministris, candidatis, seu proponentibus (uti vocant), ludimoderatoribus, alicubi etiam à senioribus & diaconis exigant. 3. *concl.* Non est consultum, ut in particularem ordinem ecclesiasticum cujusque ecclesiæ, secundum particulares circumstantias determinatum, aut in adiaphoros ritus communiter receptos, ministri jurare cogantur. Hæc enim sunt merè accidentalia aut peristatica; consequenter sunt adiaphora & mutabilia. Talis itaque juramenti ordinario & perpetuo præstandi exactio in ecclesias noviter introducenda non est. Rationes præcedenti conclusione allatæ huc applicandæ. 4. *concl.* Siquidem alicubi obtinet, aut necessitas aliqua suadeat, ut pro illo tempore à ministris juramentum exigatur, distinguenda essent adiaphora & circumstantialia à substantialibus jure divino præscriptis: neque enim pariter in illa ac in ista jurandum est; ne laqueus ponatur conscientiis ministrorum, qui de particulari & humanâ circa modum regiminis sive lege sive consuetudine mutandâ, aut de ritu adiaphoro sive communiter & ἐνπάκτως καὶ ἐνκαίρως abrogando, sive privatim absque scandalo, forte & majori cum ecclesiæ ædificatione omittendo, secum & cum aliis deliberare, insuper meliora discere, docere, monere possent. 11. *probl.* An juramenta religionis quæ in Papatu à laicis, ab Academicis, à clericis tum regularibus tum sæcularibus, præsertim ab episcopis, & à capitulis seu canonicis, in religionem Romanam, aut in potestatem Papæ, aut in statuta & jura ecclesiæ, capituli &c. exigi & præstari solent, sint licita atque adeo obligent, *Resp.* 1. *concl.* non esse licita, de singulis probari potest, & alibi probatur quod ad doctrinam, quod ad regimen quod ad ritus: quæ verbo Dei multipliciter repugnant.

pugnant. Et peccatum non minimum in eo est, quod in omnium istorum abusuum defensionem jurent, & sic haut obscurè omnem salutarem mutationem, emendationem, ac reformationem ejurent & nefariè contra eam conjurent. Hinc est quod Ketlerus electus Episcopus Monasterensis, anno 1556. contenderet contra Cassandrum, nimis more suo hic moderantem & dicendo ac distinguendo nihil certi dicentem, juramentum Episcopale, ut tunc erat, bonâ conscientiâ præstari non posse. De quo vide *Epistol. Illustr. Belg. Centuriæ.* 1. *Epist.* 20. Ubi dicit juramentum illud *continere multa impia & Christianæ libertati adversantia: tamen non deesse (ut quisque Vir doctus pro acumine ingenii imperitis multa persuadere potest) qui illud phaleratis rationibus excusent, atque defendant.* Ne dicam juramenta Episcoporum & Canonicorum specialiter repugnare potestati & obedientiæ Magistratuum jure divino præscriptæ, *Rom.* 13. Sume e. gr. in juramentis Canonicorum, Quod nulli alteri, quam Decano & Capitulo, suas causas judicandas offerent. Adde quod præter juramentum Episcopale Papæ præstandum, alterum peculiare, quod suo quique Capitulo præstant, difficultatibus & ambiguitatibus suis laboret. De quibus vide *Historiam processus inter Lævinum Torrentium* Episcopum, & *Capitulum Antverpianum* apud *Zypæum lib.* 1. *Iuris Canonici*, tit. *de Officio ordinarii num.* 19. *usque ad finem.* 2. *Concl.* Hinc sponte sequitur, ea non obligare. Quod in genere ab omnibus *Canonistis ad tit. cit.* & omnibus *Theologis ad Thomæ* 22. *qu.* 89. *art.* 7. & *Casuistis* ipsorum ita determinatum & probatum est, ut necesse non sit, verbum à nobis addi. Confer *Becanum lib.* 5. *Manualis cap.* 22. Affinis est huic determinatio de votis Monasticis, quod non obligent, & quod Lutherus, Bucerus, Musculus, Marloratus, aliique propter deserta Monasteria & legitimè inita conjugia injustè à Pontificiis dicantur Monachi perjuri & fœdifragi. III. *Probl.* An juramenta Episcopalia & Canonicalia, propriè possint dici religionis, seu religiosa? *Resp. Neg.* Quia nihil ferè sonant, quam sæcularia emolumenta, privilegia, honores & subjectiones, &c. Juramentum Episcopale, quod exhibetur *à jure Canonico*, tit. *Decretal. de Iurejurando*, & à *Pontificali Romano* inclusè usque ad editionem Pontificalis Reformati post Concilium Tridentin. anno 1602. & in *Epistolis Illustr. & clarorum Belgarum Centur.* 1. *Epist.* 21. & 22. directè aut explicitè fidei Catholicæ aut Religionis (N. B.) nullam mentionem facit. Pontificale jussu Pontificis ex decreto Concilii Tridentini unà cum Missali, Breviario, Pastorali, &c. reformatum in formulâ dicti juramenti aliqua mutavit. Quod ad juramenta Canonicalia, ea ad nihil ferè nisi quę ventrem & apicem honoris spectant, ventres & utres illos antiquitus obligare solent. Nove quæ addita sunt, ventrium istorum

ſtorum cauſam non juvant: qualia ex.gr. Juramentum de fideliter punctando in choro poteſt Epiſcopus cogere Canonicos, ut præſtent. Sic determinavit *S. congreg. Conc.* 17. *Martii* 1619. (apud *Barboſam in collectan. Bullarii, in voce Iuramentum*). Jurare non tenetur Epiſcopus in ingreſſu ad ſuum Epiſcopatum ſtatuta quæ ſacris Canonibus, &c. ſunt contraria, niſi ab Apoſtolicâ ſede &c. confirmata exiſtant. Sic ead. *S. Congr.* 27. *Martii* 1632. Adde & illam panacæam: Jurans reſignare beneficiū, ad cujus titulum fuit promotus &c. pœnitentia impoſita abſolvendus eſt, ne reſignet. *Eadem S. congr. apud Barboſ. loc. cit. IV. Probl.* Quid cenſendum de illis, qui Reformatos Orthodoxiæ tenaces & zelotas obtendunt citationibus autorum, quaſi juraſſent in verba Calvini & recentiorum iſtius commatis. Vide *Grotii Pietatem, Remonſtrantiū Apologiam, alioſq; libellos eriſticos, & Montacutii Origines Eccleſiaſticas. Reſp.* Eodē jure hoc agere, quo Donatiſtæ: qui cum cauſam ſuam ex verbo Dei defendere non poſſent, moratoriis & perſonalibus quibuſdam abductionibus adverſus Cecilianum Epiſcopum Carthaginenſem, cauſam Catholicorum odioſam reddere ſtudebant. Sed prudenter *Auguſtinus* cum aliis collocutoribus reponebat, Cecilianum *Fratrem ſuum* eſſe, *non Patrem*. &c. Sic nos in Calvini & ſimilium Theologorum verba non juravimus, non magis quam in Socini, Arminii, Epiſcopii, Grotii, Montacutii, aliorumque omnium *ἰδιογνωμόνων*, Eceboliorum, Hybridarum, Dubitantiorum: quamvis illorum doctrinam iſtorum doctrinæ longè præferamus; quod eam verbo Dei conformem eſſe ſciamus, nec videamus cur caritatem in benigniori eorum contra iniquas calumnias interpretatione abnegare debeamus, quam nulli mortalium etiam hæreticiſſimo & inimiciſſimo calumnioſè tradu&to, negare poſſumus. Nomina Calviniſtarum, Purorum, Puritanorum, Præciſiſtarum, expurgatorum Puritanorum, & ſimilia ſycophanticè nobis à Remonſtrantibus, & Scriptoribus modo citatis impoſita nihil moramur. Præter ea, quæ in *Diſpp. de Ceremoniis Eccleſiaſticis, de Tempore nativitatis Chriſti, &c.* indicavimus, repono magni Theologi *Zadeelis ad abjurationis Burdegalenſis garritum de Regiſtis & Puritanis Anglis*, breviſſimum reſponſum: *Denique*, inquit, *in ſuâ concluſione condemnant Proteſtantes & Anglos: & quod puritas ipſis ſordeat, propterea vocant eos Puritanos. V. Probl.* Quid de dicterio illo de juratis in verba Ariſtotelis; quo non tantum Philoſophi, ſed imprimis & Theologi in Academiis Chriſtianis differuntur: ita ut ad hoc præſumtum ipſorum factum corrupta Theologia, & veræ ſcientiæ in Scholis defectus, ſeu potius nullitas, reducatur. *Reſp.* De Philoſophis & Theologis ante tempora reformationis, fateor, quod paſſim Ariſtoteli læpe male tranſlato aut male intellecto nimium inhæſerint. Et utiliter atque

oppor-

opportunè hoc monitum à *Ludovico Vive*: quem amplificavit *Ramus*; sed nimis acerbè & contentioſè: quippe interpretum quorumvis & ſectatorum dicta & facta Ariſtoteli imputando. Solent enim paſſim in Italiâ magis Ariſtotelem trahere ad Averroëm, quam hunc ad illum: teſtibus ſcriptis eorum, & *Iul. Cæſare Scaligero in Exercitat.* Sed de profeſſoribus Academicis (præſertim reformatis) jam inde à ſcholarum & eccleſiarum reformatione, uſque in hunc finem ſine impudenti & ſtupida calumnia hoc dici nequit. Oſtendant, qui & ubi ſint philoſophi & theologi reformati qui jurati in verba Ariſtotelis, & ſola autoritate ejus ſubnixi tanquam ſerva pecora ſine ratione immo & contra rationem philoſophari; & vel unicam aſſertionem merâ ejus autoritate mordicus tueri, aliiſque viam inveſtigandæ veritatis præcludere velint. An ideo hoc calumniæ telo ipſos indui putant, quod hactenus viſum non ſit exemplo quorundam, in verba *Rami*, aut *Taurelli*, aut *Carteſii*, aut alterius cujuſcunque philoſophi jurare? Aut quod malo quorundam exemplo, ad veteranomia non intellecta, forte nec lecta, quamvis veriſſima & ſolidiſſima, non faſtidiunt; & nova qualiacunque, quæ venditantur, (quamvis ſæpiſſime non ſine plagio & mendacio) etiam ne lecta quidem, nedum intellecta, ſine ullâ ſcientificâ demonſtratione ex nudâ dicentis affirmatione aut Hiſtoricâ narratione defenſa, inſtar picâ laborantium carbones pro deliciis avide non deglutiunt?

DE JURAMENTO RELIGIONIS, *PARS SECUNDA.*

Reſp. HENRICO FREDERICI, Zutphanienſi.

Ad 26. Novemb. 1652.

HActenus diſquiſivimus de Juramento confeſſionis: accedimus nunc ad ſecundam juramenti religioſi ſpeciem, *conteſtationis* ſcil. aut *proteſtationis*, de quo Quæritur? An miniſter ſive ſponte pro concione, ſive juſſus à Magiſtratu heterodoxo aut dubitante, ſive provocatus ab adverſariis, ſive aliquo alio in caſu vivâ voce aut ſcripto veritatem religionis, jurandò confirmare, aut pro eâ animam ſuam oppignorare poſſit? *Reſp.* Præmittimus aliquot diſtinctiones. 1. *Diſtingue* juramentum in aſſertorium & promiſſorium. *Aſſertio* ſumitur aut præſumitur vel tanquam probatio & argumentum ipſius rei controverſæ, ſeu tanquam principium fidei: *vel* tanquam declaratio 1

ratio animi & sensus nostri interioris, quod contra propriam scientiam & conscientiam veritatem illam controversam non teneamus, doceamus, defendamus, *Promissio* est quâ alicui, illam religionem amplectenti, indubitatam salutem promittimus. 2. *Distingue*, juramentum præstari *vel* ad causam seu controversiam determinandam, & assensum fidei elicien-dum; ut nunc acquiescat in meâ religione, qui antea ab eâ alienus erat: *vel* ut sit motivum solummodo, non quidem directè faciens ad assensum huic controversæ doctrinæ seu causæ præbendum, sed ad removendum impedimentum, præjudicium scil. illud, quo homines occupati, adversarios animam oppignorantes & jurantes audiunt, & nos tale quid non audentes (uti prætexunt) non audiunt: Ita ut, si non plena & justa probatio, saltem præsumtio de causæ fiduciâ, & animi sinceritate videatur esse pro adversariis, & contra nos. 3. *Distingue*, oppignorationem animæ, seu salutis animæ, in eam quæ fit pro personâ: & in eam quæ fit pro ipsâ causâ, seu pro religione controversa. 4. *Distingue*, religionis, aut formulæ, aut particularis doctrinæ, capitales theses, à probationibus, hypothesibus, phrasibus, modis loquendi. His præmissis sit *I. Concl.* Pro confirmatione fallę religionis, aut particularis doctrinæ falsæ omnis protestatio, sive publica, sive privata, omne juramentum, omnis subscriptio, est illicita: sive quis in conscientiâ de falsitate convictus sit aut saltem dubitet, sive non convictus sit aut non dubitet: debet enim errantem & dubitantem conscientiam deponere. Hinc Paulus quamvis ignorans feciset, fatetur se fuisse *blasphemum*, 1. *Timoth.* 1. *II. Concl.* Pro verę religionis confirmatione, de cujus veritate in conscientiâ quis convictus non est, nulla protestatio, nullum juramentum, nulla animæ oppignoratio offerenda. Probatur ex *Rom.* 14. *vers.* 5. 23. Confer *communem doctrinam, de mendacio, de juramento, de conscientiâ. III. Concl.* Netas est juramentum & protestationem in confirmatione veritatis dogmatum aut religionis tanquam principium, aut demonstrationem theologicam, aut argumentum probans adhibere; illudque debitę & legitimę ex Scripturâ demonstrationi, sive in totum sive ex parte substituere. Hoc enim repugnat virtuti fidei, quæ theologica est; nec autoritate, testimonio, teste humano, jurato, injurato, sed solo verbo divino tanquam unico principio nititur. Hic repetenda communis doctrina de fide, de scripturæ autoritate & perfectione, de conscientiâ &c. *IV. Concl.* Nec convenit juramentum tale offerre aut præstare, nisi antea veritatem doctrinæ probaveris; aut saltem, siquidem probationem audire noluerint, ad ejus probationem te obtuleris, eamque reipsa ἀκρίτως ἐυκρίτως præstare paratus sis, & coneris. *V. Concl.* Nullum juramentum protestationis pro veri-

veritate religionis, aut particularis doctrinæ absque gravi necessitate præstandum. Quia juramentum non est medium confirmandæ veritatis ordinarium, sed quasi extraordinarium, cum omnia alia media ordinaria cessant: hinc est quod *Hebr. 6. vers. 16.* dicatur πάσης ἀντιλογίας πέρας. Quæcunque ergo extra aut prêter necessitatem pro verâ fide præstantur, sunt juramenta temeraria, & nominis divini profanationes. *VI. Concl.* Juramentum protestationis aliquo in casu publicè aut privatim, vivâ voce, aut scripto, prêstari potest his conditionibus. 1. Si vera sit religio. 2. Si de veritate ejus, aut de veritate formularum consensus, (quod ad theses & assertiones ad minimum; si non de singulis phrasibus, aut scripturæ allegationibus, aut nonnullis probationibus) in conscientiâ convicti simus. 3. Si necessitas gloriæ divinæ, salutis proximi, provocationis adversariorum, aut mandati superiorum illud postulet. 4 Si non adhibeamus, nec velimus adhiberi tanquam principium aut argumentum fidei, aut tanquam demonstrationem theologicam; atq; adeo illud legitimę demonstrationi ex scripturis sive in totum sive ex parte non substituamus. 5. Sed tantum tanquam motivum ad fidem, & tanquam removens impedimentum; præjudicium scil. illud, quo nos gravare solent Pontificii, quasi sc. nulla apud nos causæ nostræ fiducia, & quasi nulla in animo certitudo, nulla fides sit; quasiq; in tali fide mori non audeamus & coram Deo comparere; ac consequenter omnia dicamus & agamus contra propriam scientiam & conscientiam, *VII. Concl.* Hinc sequitur animæ nostræ salutem, in tali necessitatis casu iisdem conditionibus oppignorari posse: *absolutè sc. & primò* pro doctrinæ veritate (secundum certitudinem, scientiam, & conscientiam nostram); consequenter & conditionatè pro istis hominibus, si religionem recipiant & sincerè observent, breviter pro omnibus & singulis hominibus, qui professionem & praxin nostræ religionis ex animo amplexuri, & fideliter usq; ad finem servaturi sunt. *VIII. Concl.* Absq; urgente mandato superiorum, aut absq; ecclesię sive populi alicujus postulato, aut absq; apparente ullâ ædificatione aut cujuscunq; alterius occasionis necessitate, ad libitum & curiosam petitionem cujusvis privati non est jurandum: ne in crimen juramenti temerarii incidamus. Possumus tamen communiter & ordinariò apud quosvis profiteri, paratos nos esse ad juramentum in formâ præstandum, positis ponendis & requisitis: & ad animæ salutem pro hoc aut illo oppignorandam: si prius petitores illi fidem fecerint, se paratos fore ad præjudicium illud ilico deponendum, quo hactenus causa Papalis & mystarum ejus potior visa fuit, quam reformata & concionatorum. Protestatione enim & animæ oppignoratione utrinque præstitâ, Tros Tyriusve ipsis nullo discrimine agendus

erit (saltem quod ad hanc præsumtam ὑποχλὴν); & de alterutrius juramenti veritate ac justitiâ absque affectu & præjudicio, candidè cognoscendum. Quod si hoc promittere nolintisti petitores, frustrà & otiosè ad solennitatem juramenti & oppignorationis animæ nos trahi pateremur. Sufficere ipsis debet, *primò* quod nos offerimus: cum illi contra se offerre nolint ad illud, quod nos ex æquo & bono vicissim petimus. *Deinde*, quod ipso facto animæ salutem reformati ministri & fideles quotidie satis oppignorant, dum in & cum illâ religione & vivunt, & hinc migrantes animas Deo suo tradunt.

2 Rationes hujus nostræ determinationis sunt istæ. *I. Rat.* Ab exemplo Dei, qui sub juramento protestatur de veritate promissionum *Heb. 6. 13. 17.* & comminationum suarum. *Psal. 95. 11.* cum *Hebr. 3. 11. II. Rat.* Ab exemplo Pauli, qui necessitate & occasione ita ferente sub juramento protestatus est. *Rom. 9. vers. 1. 2. Corinth. 1. 23. III. Rat.* Quia, positis ponendis licita est protestatio cum juramento, in aliis quibuscunque causis & negotiis βιωτικοῖς. Ergo non minus sed multò magis licita est in causâ religionis; cujus longè majus est momentum. *IV. Rat.* Ab analogiâ: quia juramentum purgatorium, item juramentum calumniæ licita sunt in causis privatis sive sæcularibus, sive ecclesiasticis. Ergo licitum est juramentum protestationis in causâ publicâ veræ religionis: cum scil. calumniis, suspicionibus, provocationibus adversariorum illi magnum præjudicium creatur. Majoris enim momenti est causa communis & realis totius religionis, quam causa particularis & personalis. Antecedens de juramento purgationis, probatum vide apud *Canonistas, Casuistas, Iureconsultos. V. Rat.* Ab analogiâ: quia altior & fortior asseveratio, contestatio, obtestatio, ascendens supra simplicem affirmationem aut negationem, in causâ religionis licita est: Ergo etiam juramentum; majori scil. necessitate ita ferente. Antecedens probatur, ex *Iohan. 3. vers. 3. 5.* & *5. 24.* &c. ubi Christus utitur formula *amen, amen.* Et ex *1. Timoth. 5. vers. 21.* ubi Paulus utitur gravi obtestatione. *VI. Rat.* Quia re ipsâ seu facto animæ salutem, ex conditione religionis suæ suspendunt ministri & fideles; & consequenter satis eam exponunt & oppignorant pro religionis suæ veritate, & pro salute eorum, qui huic religionis professioni & praxi constanter inhærent. Ergo explicitè, & solenniter talem oppignorationem, & quidem sub juramento coram hominibus præstare ac profiteri possunt. Antecedens probatur ex morte & emortualibus martyrum & confessorum, adhæc fidelium ac ministrorum in nostrâ religione morientium. Consulatur quotidiana experientia, *historiæ martyrum, vitæ Theologorum*, testamenta eorundem, ut & Regum, Principum, magna-

gnatum religionem nostram profitentium. Vide inter alia *testamentum Frederici III. Electoris Palatini* (quod etiam editum est cum *Harmoniâ confessionum*), *Orationem de obitu comitis Nassovii Iohannis senioris.* Qui enim usque ad extremum halitum coram Deo & hominibus protestantur, se serenâ conscientiâ in illâ religione vivere velle, & mori, seque cum eâ coram Deo fidenter comparituros: illi sanè, si quidem necesse sit, pro eâ jurare, & animam suam oppignorare possent, eo sensu & modo, ut supra explicuimus. *VII. Rat.* Quia à talibus juramentis protestatoriis nostri non abstinuerunt. Occurrunt in scriptis eorum istæ formulæ, *testor Deum, Deus mihi testis est, &c.* Formalis oppignoratio animæ magis infrequens videtur. Sed de formalitate & formulis non ita laborandum est: cum rem ipsam, aut aliquid ejus analogum habeamus. Et potuit fieri ut nostri horrendo abusu & profanatione ejusmodi execrationum & oppignorationum cautiores facti, ab ipso licito, quandiu fieri potuit, abstinuerint: quod in malum sonare videretur. Notum est quid antiquis patribus evenerit in usu juramenti, de quo *Vossius lib. 5. histor. Pelag.* supra *parte præced.* citatus. Non tamen planè nec semper abstinuerunt, uti videre est in *epistolâ monitoriâ Iosephi Halli*, quam discordantibus opinionibus Papistarum ex solo Bellarmino excerptis & anglicè editis tit. *Pax Romæ*, præfixit; ubi suadens apostatæ reditum ad reformatam religionem sic concludit: *Et sit sanguis tuus super me, si pereas.* Ministri Sylvamducis ad inchoatam Ecclesiæ plantationem ibidem promovendam evocati anno 1630. in programmate provocatorio, formalibus terminis animæ suę salutem pro religione suâ oppignorarunt. Vide illud *programma* præmissum notstræ *Desperatæ causæ Papatus.* In eâdem ecclesiâ eodem anno, aliisque in ecclesiis passim datâ occasione conciones confessionales, protestationibus formaliter aut analogicè salutis oppignorationem continentibus conclusæ sunt. Ita ut nihil novi & insoliti, quod alii reformati ministri, quamvis provocâti, antehâc ausi non fuissent, à dictis quatuor ministris designatum sit: ut quidem clerici Papales suis tunc persuasum volebant. Quidquid illi de facto opinentur, vident jam, se non posse amplius gloriari, à nullo ministro hoc unquam tentatum.

Contra jam dicta objici posset. *I. Obj.* Reformati nec publicè pro concione, nec privatim quâcunque occasione pro causâ suâ jurant, aut execrantur ac se devovent, aut animæ suæ salutem pro suis oppignorant; quod tamen fit à clericis in Papatu: videntur ergo hâc in parte ὑπερβάλλειν. *Resp.* Conceditur eos in hac pragmatica non affectare ὑπερβολὴν, ne quidem aliquâ ratione tantos divini nominis abusus imitari velle. Nemo, quamvis millies provocatus, debet temere jurare & loco ordinariæ ac perpe- 3

tuæ ex Scripturâ demonstrationis, juratam suam affirmationem atque autoritatem conscientiis obtrudere. *Deinde* omne juramentum tacitè includit aut subintelligit execrationem, seu malii imprecationem : & exsecrationes seu maledictiones aliquo in casu mandatæ sunt, & à viris Dei usurpatæ, *Deuter.* 27. *Iudic.* 5. *Ierem.* 17. Vide *disp. de Benedictionibus.* Hinc tamen non conficitur; juramentum religionis, si quod aliquando præstandum, perpetuo dirarum & exsecrationum choragio stipatum esse debere : ne dicatur nobis illud Luc. 9. *Nescitis cujus spiritus sitis.* Quod ergò illi temerè, importunè, illegitimè, & impiè faciunt; nostri cautè, opportunè, debitè & piè facere non detrectant. *II. Obj.* Videntur tamen Reformati & Lutherani omne juramentum protestationis nefas ducere. Vide *comment. Friderici Balduini in* 2. *Timoth.* 2. *pag.* 594. Et *Lutherum in sermonibus mensalibus, à Melchiore Sylvestro Eckhardo in pastore conscientioso class.* 2. *qu.* 12. citatum : ubi dicunt hunc modum Scripturæ incognitum, nullâque ratione necessarium esse, sed agyrtarum proprium. *Resp.* Agunt de exsecrationibus & pejerationibus Papisticis : ex quibus nulla virtus accedit, quęque periculosæ sunt, & aliquando fulmine vindicatæ. Exemplum ex *Lutheri mensalibus* germanicè editis pag. 262. refert *Eckhardus loc. cit.* de pastore in Kunewald tonitru percusso, quod seipsum pro concione devovisset : dicendo si euangelium (quod scil. Lutherus cum aliis reformatoribus prædicabat) verum esset, ut tonitru se percuteret. Et ex conclusione *Eckhardi loc. cit.* satis intelligimus quid voluerit; *Ejusmodi*, inquit, *agyrtis, millies licet animam oppignorantibus, non fidendum* : ut ut lemma propositæ quæstionis videatur simpliciter omnem obtestationem perstringere : *An sanctâ obtestatione atque execratione obtestari liceat, hanc doctrinam esse veram, illam econtra esse falsam.* Sed explicat se satis *modo cit.* & in lemmatis istis marginalibus : *Papistici stentores animam diabolo oppignorant.* Et, *N. B. hæreticorum mores. III. Obj.* Prodiit ante annos complures publica declaratio Senatus Tigurini contra Pontificiorum longè latèque disseminatum mendacium; quâ testabatur nullum ex suis ministris, dum non sine execrationibus protestaretur (uti ferebatur) prodoctrinæ suæ veritate, ex suggesto à cacodæmone ablatum esse. Addebat, talem morem ministris suis nec usitatum esse, nec se eum passuros. *Resp.* Non ulterius hoc trahendum est, quam ad consuetas & temerarias execrationes, quę scripturariis demonstrationibus & convictionibus substitui & quibus imperita plebecula in Papatu dementari solet. Et si bene memini (nam jam declaratio illa ad manum non est) addebantur hæc verba : *ministros suos ex verbo Dei veritatem religionis suæ* probare.

4 Addimus nunc aliquot problemata. *I. Probl.* An juramenta protestationis

tionis & animarum oppignorationes in Papatu non tantum clericis frequentata, sed & laicis subinde usurpata, licita sint; & an obligent ipsos jurantes; & an valere debeant apud alios. *Resp. I. Concl.* sunt illicita, & abominanda: *Primò*, quia sunt falsa & injusta: nam religio & causa quæ verbo Dei condemnatur, nullis hominum protestationibus, & execrationibus vera ac justa reddi potest. *Secundò*, quia quisquis ita jurat in causam damnatam, seipsum facit anathema *Galat.* 1. *vers.* 8. 1. *Corinth.* 16. *vers.* 22. Atqui nemo debet seipsum cum Petro καταναθεματίζειν. *Matth* 26. 70. aut cum Judæis devovere *Actor.* 23. 12. *Tertiò*, quia sunt temeraria & non necessaria, nec fiunt in judicio: neque enim ad hoc πέρας controversiæ confugiendum est, cum suppetant media probationis ex verbo Dei, quæ prius & perpetuò adhibenda sunt *Rom.* 10. *vers.* 8. *Iesa.* 8. 20. *Rom.* 1. 17. *Quartò*, quia substituuntur probationibus scripturariis: & imperiti homines, à principio fidei, & primâ veritate revelante ad hominum mendacium autoritatem, quæ nulla est, tacitè abducuntur, eique fidere & salutem suam committere jubentur: ita ut fides eorum, quamvis pleraque aut multa vera essent pro quibus juratur, sit & fiat humana, non divina; consequenter non sit virtus theologica. Conferantur & analogicè huc applicentur argumenta nostrorum contra fidem implicitam & contra fiduciam in aliorum virtutibus, meritis, satisfactionibus. *II. Concl.* Jurantes non obligantur ad retinendam falsam religionem, in quam toties falsò & temerè jurarunt, & pro quâ animæ salutem oppignorârunt. Non peccant ergo cum resiliunt, sed desinunt peccare: peccabant autem cum jurarent, & quamdiu cursum illum peccati sui per veram resipiscentiam non abrumperent. Major propositio hujus argumenti non indiget probatione: quia utrinque in confesso est. Probatione minoris nostri hactenus satis superque defuncti sunt. Stat ergo conclusio. *III. Concl.* Homines illi apud quos hæc juramenta valerent, sunt vel infideles, vel hæretici, vel Reformati, vel Pontificii. *Infideles* sunt Pagani, Judæi, Muhammedistæ, Enthusiastæ, Libertini, Athei seu Epicurei Apud tales juramenta sua quidquam valere, ipsi non dicent. De *hæreticis* ex. gr. Neo-Arrianis, Anabaptistis, Antinomis, idem fateri cogentur. Apud *reformatos*, ex verbo Dei certos de fidei suæ veritate, nihil valere debent. Quid enim humana persuasio, deceptio, assertio, quid injusta & temeraria juramenta contra veritatem & fidem divinam, cui non potest subesse falsum? Apud *Pontificios*, aut valebit ut principium fidei, aut ut motivum tantum. *Non ut principium*, quia omnes Stentores sic jurantes sunt fallibiles, qui falli & fallere possunt, ex propriâ ipsorum confessione: neque enim autoritas eorum divina est, uti Scripturæ; nec judicium infallibile, uti (secundum ipsos)

ipsos) ecclesiæ, aut Papæ, aut Concilii Oecumenici. *Non ut motivum*, ad removendum aliquod impediens præjudicium: quia plebs eorum non laborat præjudicio contra suos clericos, sed pro iis. Neque etiam ut motivum præparatorium ad introducendam fidem Papisticam, quia eam fidem jam habent. Nihil ergo restat dicendum, quam esse ex abundanti motivum confirmatorium. Et sic videretur affine esse miraculis, quorum incertitudinem & fallaciam alibi deteximus, in *disp. de Miraculis*. Sed videor mihi audire objectionem; quod ipsorum Stentores toties publicè etiam privatim ad postulatum nostrorum, nonnunquam spontè se & salutem suam devovere, & quidem magnâ cum provocatione ipsius Dei, ut si quidem Deus sit Deus, jurantes è vestigio puniat, diabolus ipsos auferat, in infernum stante pede descendant, & hoc si non fiat, se dicere Deum non esse Deum, sed deastrum aut deunculum: qualia viri fide digni se audivisse referunt ex ore Johannis de Gouda Ultrajectini, Jesuitæ Antwerpiæ, cum viveret, declamantis. Qui idem post interpositam morulam, & silentium coram auditoribus mox gloriabatur: Nihil mali sibi eveniisse, & consequenter juramento atque execrationi, & fidei juratæ credendum esse. *Resp.* ad istas gloriationes. *Primò*, non esse juramentum ideo in veritate, justitiâ, & judicio præstitum, quia Deus omnes sic male jurantes, è vestigio non puniat. Dei longanimitas (*Rom. 2. vers. 4.*) erga peccatores, non arguit bonitatem facti aut peccatores facit justos. Norant hoc ipsi Gentiles, quorum hęc dicta: *Si quoties peccant homines sua fulmina &c.* Et, *Sera tamen tacitis pœna &c.* Et illud Valerii Maximi: *Tarditatem supplicii gravitate compensat.* Confer *Plutarchi tract. de serâ numinis vindictâ.* Ne extra hujus peccati genus evagemur, Deus è vestigio fulmine non percutit Petri *Matt. 26.* & Judæorum execrationem *Actor. 23.* nec blasphemias Rabsake in Deum Israëlis *Iesa. 37.* nec blasphemias in spirit. sanctum, aut Christum, aut in justitiam providentię divinę &c. quas olim inter Judæos & Gentiles, & hodie in dicto Christianismo (præsertim in Italiâ & Galliâ) certatim vomere solent, Athei, Epicurei, Libertini. Confer *Henricum Stephanum, alios que autores*, præsertim *Pontificios*, in *disp. de Atheismo* indicatos. Et quoties hodierni Athei, aut Sadducei, aut Epicurei negant esse dæmonas, cum provocatione, ut adsint, ut sibi noceant si sint, & si quid possint: nec tamen semper adsunt vocati aut provocati, saltem non semper vocati aut provocati ilico apparent, nec agunt, ad quod provocantur *Resp. Secundò*, quam vis diras, anathemata, juramenta multiplicent, & quidem, uti videtur, impunè pro illo tempore: inde tamen nulla certitudo, nulla causæ fiducia. Nam ita jurant contra conscientiam, aut secundum conscientiam errantem. *Si illud*, jam mirari licet non insolitam Dei longanimitatem, qui hor-

horrenda ejusmodi peccata tolerat. *Sin istud*, exosculanda est gratia Dei parcens, & exspectandum, ut eos aliquando convertat. Considera exemplum Pauli 1 *Timoth.* 1. *vers.* 8. 15. 16. Qui blasphemus erat, & Christianos blasphemare coegerat, nec tamen è vestigio fulmine percussus, aut à Diabolo ablatus erat. Nihil ergo certitudinis hinc haberent auditores, quam quod soli aut primi non errent; sed ad exemplum & ductum alterius errantes sequantur. An hoc solamen miseros in societate erroris reficiet, Quod cœcorum cœci duces sunt, & utrique in foveam casuri? *II. Probl.* An omnes Pontificii ita jurantes & execrantes, dicendi sint perjuri, & consequenter, infames? *Resp.* Certum est, juramenta omnia esse materialiter falsa. Sed si qui ex zelo Dei, & secundum conscientiam errantem sincere juraverint (uti imprimis de simplicibus quibusdam laicis, & forte de clericis indoctioribus, larvâ ecclesiæ exterritis & seductis, hoc præsumi posset) eos nolim dici formaliter perjuros. *III. Probl.* An aliquâ specie juris, Pontificii à nostris juramenta, & execrationes postulare possint? *Resp. Neg.* Quia nostri semper offerunt, & paratas habent probationes, & quidem ex tali principio fidei, scil. verbo Dei scripto, quod ab utrâque parte recipitur: & cum quo, si ipsorum religio deprehendatur pugnare, suos convictos esse & causâ cadere fatetur. *Costerus in enchiridio.* Jam vero constat ex *Iureconsultis*, *Canonistis*, *Theologis Casuistis*, juramentum non esse alicui imponendum, cum adsunt sufficientes probationes. *IV. Probl.* An liceat parentibus liberos suos, ministris oves suas, Magistratibus aliisque superioribus subditos suos coram Deo obtestari, imo & adjurare, si ita opus, ut perstent in verâ religione, ipsis traditâ? *Resp. Affirm.* ex 1. *Timoth.* 5. 21. & 6. 13. & 2 *Timoth.* 2. 14. & 4. 1. ubi coram Deo obtestatur, & mandat 2. *Timoth.* 3. 14. 15. 1. *Corinth.* 15. 58. 2. *Thessal.* 2. *vers.* 1. 15. ubi rogat & hortatur. 1. *Thessal.* 5. *vers.* 27. ubi adjurat. 2. *Quia* omnibus incumbit, imprimis qui aliis præsunt, ut hortentur ad constantiam in fide & pietate, non tantum indefinitè, sed definitè & determinatè, ad istam sanorum sermonum hypotyposin, & pietatis formam; quæ cum verbo Dei convenit. Vide *Rom.* 15. 14. 1. *Thess.* 5. 14. *Ephes.* 6. *vers.* 4. 3. *Quia* ut quisque exemplo Pauli 2. *Corinth.* 1. 4. 5. tenetur aliis commendare & impartiri solidam consolationem, quam ipse in conscientiâ sentit; sic etiam solidam & genuinam fidem, de cujus certitudine ex verbo Dei convictus est. 4. *Quia*, sequeretur neminem, nisi extraordinariò illuminatum & προδιδακτον, posse alios docere, hortari, manuducere, ad eandem illam fidem, quam ex verbo Dei hausit, & de cujus veritate certo persuasus est. Consequenter non posse unquam alicui dicere, ut certet pro fide, quæ semel data est sanctis. *Judæ vers.* 3. ut veritatem (hanc scil. quæ ex verbo Dei proponitur) emat, & non vendat. *Proverb.* 23. 23. ut

omnia probet, & quod bonum est teneat. 1. *Thess.* 5. 21. 5. *Quia* sequeretur nulla posse esse publica judicia ecclesiastica; decisiva scil., antecessoria, directiva, autoritativa, nullas communes formulas doctrinæ; nulla stabilita & fundamentalia dogmata ecclesiastica: sed ecclesiæ ministros, & membra, in perpetuo quodam statu dubitationis, disquisitionis, & indecisæ ac in horas mutabilis religionis debere versari, atque adeo σκεπτικίζειν; & sic etjam quod ad praxin, aut otiari, aut in diem vivere, juxta Dubitantiorum Symbolum, *Cras credam, hodie nihil.* Conferri hic possunt, quæ in *Synodo Nationali Dordracenâ* reposita sunt Remonstrantibus, qui contra decisionem synodalem & quidem à legitimè delegatis ecclesiarum judicibus, insuper juratis factam aut faciendam, imperitè excipiebant. (Vide *sess.* - -); Et quæ fusè ac solidè contra eosdem disputat *Nicol. Vedelius in Arcanis Arminianismi.* Quod autem distinctione inter fundamentalia & non fundamentalia, & inter ea quæ ad amorem Dei & proximi cognitu ac creditu necessaria & non necessaria sunt, ab absurdis illis se liberari posse putant: id nemini fiet verisimile, qui nôrit ab hæreticis, infidelibus, Libertinis, Scepticis eadem contra dicta necessaria obtendi posse, quæ illi nobis pro dictis non necessariis objicere solent. Eadem ubique est consequentia, idem absurdorum labyrinthus. *Consectar.* 1. Hinc deducimus piè ac prudenter, à Theologis orthodoxis, & à viris Principibus, (quorum emortualia & testamenta descripta habentur) adhibitas fuisse gravissimas tum protestationes de constantiâ suâ in illâ fide; tum obtestationes, quibus auditores, ecclesias, familias, liberos suos hortati sunt; nonnulli etiam adjurarunt, ut constanter in eâdem illâ religione perseverarent. Videantur *vitæ Theologorum à Melchiore Adamo* editæ; *Narratio de morte Plessei*, cum *tom. 2. meditationum ipsius*, gallicè edita; *Varia Martyrologia* alibi indicata; *Testamentum Frederici* 3. supra cit.; *Epistola Andreæ Riveti ad ducem Tremolianum* cum ad Papismum deficeret, gall. & Belg. edita, ubi mentio fit testamenti paterni; *Ejusdem Riveti* beata mors gall. & belg. descripta. *Consectar.* 2. Temerè à Jac. Arminio tunc præceptore meo in publicâ lectione non sine zelo & commotione vellicabatur eruditissimi Theologi nostratis *Verneri Helmichii* nuperrimè tunc Amstelodami defuncti, emortuale, quo suos contra minantem tunc & formidatam orthodoxæ religionis mutationem hortatus fuerat: *ut constanter manerent* seu *starent in salutari doctrinâ, quam ipsos docuerat.* Putabat Arminius sapere hoc dictum affinitatē cum Papismo, quod authoritas humana sic stabiliri & fides ecclesiæ inde suspendi, atq; ita verbo Dei, unico fidei principio, nimis quàm præjudicari videretur. Sed mentem piissimi & fidelissimi istius Theologi non rectè perceperat, aut fortè verba exactè ipsi relata non erant; Absit enim ut dicam illum Scepti-

pticiſmum in theologiâ molitum fuiſſe. Laudatus modo theologus addiderat in iſtâ oratione hortatoriâ, aut ei præmiſerat, *quam ex verbo Dei docui*; aut, *quam certus ſum cum verbo Dei convenire*; aut, *quæ indubitatè eſt doctrina verbi divini*; aut ſimile quid. Dato, in iſtâ unâ continuâ oratione, talem declarationem exſertis verbis non fuiſſe additam, de eâ tamen ex ante dictis ipſius, plus ſatis conſtabat. Cum in letali morbo ſuo toties ingemuiſſet, & apud ſuos conqueſtus eſſet de novitatibus Arminianis aſtu & perfidia quorundam (imprimis N.N.) tunc gliſcentibus, indicaverat eas repugnare verbo Dei & reformatæ religioni ex verbo Dei hactenus traditæ. Quid ſi quis ex Remonſtrantibus hinc diſceſſurus ſuos præmuniturus contra intentatam ſeductionem Muhammediſmi, aut Libertino-Enthuſiaſmi, aut Judaiſmi, hortaretur ut manerent in Chriſtianâ religione, quam ipſos docuiſſet: an putarent, hâc ratione præjudicari autoritati Scripturæ?

DE JURAMENTO RELIGIONIS, *PARS TERTIA.*

Reſp. NICOLAO COLVIO, Dord. Batav.

Ad diem 4. Decemb. 1652.

AD juramentum proteſtationis, & obteſtationis referri ſolent tria, *purgatorium*, *Inquiſitorium*, *Ex officio*: quę propriè locum habent in juriſdictione. Purgatorium eſt quod coram judicio vel ſponte offertur, & pręſtatur: vel à judice imponitur. 1 *Quæritur* ergo, an ad tale juramentum in negotio religionis præſtandum ſe offerre liceat? *Reſp. Aff.* quando ſc. dignitas & autoritas miniſterii eccleſiaſtici conſervari non poteſt, propter calumnias adverſariorum aut graves ſuſpiciones fratrum, aut ſcandala infirmorum: nec alia purgationis via ſuppetit. *Prob.* 1. *Rat.* Quia terminus πάσης ἀνυλογίας licitè affectatur. Ergo & juramentum, per quod terminus haberi poſſit, licitè offertur & præſtatur. Sic Paulus *Rom.* 9. *v.* 1. 2 *Corinth.* 1. 23. partim ab iniquis ſuſpicionibus, partim à calumniis ſe, doctrinam, miniſterium ſuum purgat. 2. *Rat.* Quia miniſtris eccleſiæ imprimis convenit eſſe ἀνεγκλήτους, & habere bonum teſtimonium, etiam ab extraneis 1 *Timoth.* 3. *Tit.* 1.; atque adeo, ſi ita opus, à particularibus & perſonalibus calumniis vitam & famam ſuam liberare, per juramentum purgationis: Uti communiter ſtatuunt *Canoniſtæ*;

1

sta; nec abnuit praxis nostrorum. Ergo etiam, à suspicione hæresios, quâ gravatur, apud ecclesiam aut judicium ecclesiasticum, positis ponendis, se purgare potest: cum ingenua confessio, & oblata apologia aut provocatio latentium accusatorum non sufficit. Neminem enim in crimine hæresios oportet esse patientẽ. 3. *Rat.* à simili: quia juramentum purgationis in negotiis sæcularibus licitum est. *Exod* 22. *v.* 8. 11. *Num.* 5. 15. De quo vide *Iureconsultos*, ubi *de Probationibus*. 4. *Rat.* Accedit communis consensus; qui purgationem hanc vocat canonicam, hoc est, ecclesiasticè approbatam: ut eam distinguat à purgatione prohibitâ quam *vulgarem* dicunt; qualis est per aquam ferventem, per ignem, per ferrum candens, per provocationem ad vallem Josaphat seu ad judicium Dei, per monomachiam. De quibus in *disp. de Sortis, aliisque divini nominis abusibus*. *Quæritur*, an juramentum tale in negotio religionis, invitis imponi, aut à superiori mandari possit? *Resp.* Quousque quis in conscientiâ obligatur fidem suam confiteri juxta 1 *Pet.* 3. *v.* 15. 16. eousque nullum judicis mandatum aut adjuratio requiritur. Neque enim pudet verè fideles Christi & euangelii ipsius *Rom.* 1. 16. *Matth.* 10. Et hoc in casu non necessaria adjuratio judicis, aut juramenti exactio, tacitâ calumniâ gravat innocentes: ac si simulatores & versipelles essent; & tanti hæretici ac blasphemi, ut eos pudeat suas blasphemias profiteri. Exemplum dedit archi-hypocrita Cajaphas adjurans Christum *Matth.* 26. *v.* 63. ubi videndi *Commentatores*. 111. *Quæritur*, An juramentum interrogationis à judice hoc in casu imponi possit? *Resp.* Uti in aliis occultis criminibus juramentum accusatis, sive clericis sive laicis, imponi non debet: sic nec in casu hæresios. Antecedens defendit *Ioh. Bernardus Diaz* episcop. Caligurritanus *in practicâ criminali canonica cap.* 110. contra *Panormitanum in cap. Cum super de confess.* aliosque Canonistas, & contra practicam regni Hispaniæ, ubi laicus reus statim post capturam sub juramento interrogatur. Probationes desumit ex *Thomâ* 22. *qu.* 69. *artic.* 2. & *Cajetano ibid.* Summa earum est; Quod purgatio clerico non est indicenda, nisi prius præcesserit infamatio, & infamato copia facta sit de infamia; ut circa eam se defendat. Quod etiam judex non possit juramentum exigere statim post capturam, antequam illi copiam præstet inquisitionis contra eum formatæ. Addit idem Diaz: *Ex quo videtur, quod sicut ante torturam debet dari copia indiciorum, sic ante interrogationem, ut judex juste interroget, & reus teneatur fateri veritatem.* Præterea, Quod judex non bene interrogat captum, *cum cogat eum revelare seipsum in casu, ubi non tenetur, & peccaret seipsum diffamando, sicut alium quemcunque.* Concludit judicem, bona conscientia non posse hoc juramentum exigere, nisi habeat semi plenam probationem de delicto, aut expressa indicia, aut in-

infamiam. Atque unà perstringit tales judices tanquam *temerarios. & qui crocodili more humano sanguine delectantur & c.* Hæc omnia analogicè causæ religionis applicari possunt. Sed de hoc infra. IV. *Quæritur*, An si quis accusatus, nec adsit modus quo probari possit facti veritas, adsit tamen infamatio, scandalum, & præsumtio non levis, reus canonicè purgare se debeat. *Resp.* de clericis *Aff. Ius canonicum c. presbyter 2. qu. 4.* Et in hanc sententiam eunt *Felinus*, & *Piasecius in praxi episcopali part. 2. cap. 3. §. 9.* Addunt tamen ibidem, eum non cogendum ad purgationē, sed si eam neget judicio ordinario reservandum, & contra eum per modum accusationis ab advocato fisci episcopalis procedendū. v. *Quæritur*, an quis sponte se offerre possit ad purgationē, & in antecessum promittere, ubi talis aut talis revelationis secretorum, aut ipse solus, aut collegium aliquod, cujus partem facit, suspectum fuerit; se tunc paratum fore ad sinceram coram Deo & in conscientiâ declarationem, se illud quod revelatum est, non revelasse? *Resp. Aff.* Quia gloriâ Dei & salute atq; ædificatione proximi ita postulante, juramentum quis præstare potest ac debet (*Cateches. qu.* 101.): quidni sponte promittere & offerre se ad juramentum aut ad analogam declarationem, tali in casu. Præsertim cum promissio & spontanea ejusmodi oblatio, conducat ad præstationem silentii; quę alioquin difficulter obtineri posset. Hâc autē spontaneâ promissione nec nobis, nec proximis invitis nihil imponitur, quod juri divino, & naturali æquitati repugnet: uti fit in juramentis inquisitionis, & ex officio; quę quā maximè improbamus: uti infra videbitur.

Juramentum inquisitorium est, quod hæreticę pravitatis inquisitores 2
in Papatu à suspectis de hæresi, exigere solent: à talibus scil., qui probabiliter crimen illud negasse videntur. Uti limitat *Conradus Brunus lib. 4. de hæreticis cap.* 11. Forma autem hujus juramenti purgatorii in hunc ferè modum fieri dicitur à Bruno loc. cit. *Suspectus sibi septem collegas adjunget (quos alii* compurgatores *vocant) & jurabit in sacro coram posito euangelio, quod eum sancta trinitas, & Christus filius Dei, qui fecit & docuit, quod euangelium continet: & sancti quatuor Euangelistæ, qui illud scripserunt, sic adjuvent, quod ille prænominatam actionem ita non perpetrarit, sicut ei de illo oblatum est.* De eodem juramento purgatorio, seu abjuratione hæresios, quando & quibus imponenda, agunt *Eimericus in directorio Inquisitorum, & Bernardus Comensis in lucerna hæreticorum, & Royas in tract. de hæreticis.* Est & aliud juramentum inquisitorum (magis propriè sic dictum) quod inquisitores Hispanici imponere solent (teste *Reginaldo Gonsalvo in detectione arcanorum Inquisitionis cap.* 4) idque geminum. Quorum *primus* in tertia captivorum audientia exigitur, non tantum super interrogatis de sensu religionis, sed etiam de quibuscunque aliis dictis, gestis, visis, auditis per totum vitæ cursum.

ſum. Hoc autem à talibus exigitur, qui conſtanti animo reſpondent, nihil ſibi eſſe negotii, quod eo in loco declarent: hoc eſt, qui ſeipſos deferre, aut accuſare, aut prodere nolunt; aut qui nullius criminis ſibi conſcii ſunt. Modus hujus juramenti talis eſt. Offertur imago crucifixi atro velo cooperta, & Miſſale, nonnunquam ſimplex aliqua crucis imago: ac ſuper iis ſeu ad ea juramentum præſtatur. *Poſterius* in quarta audientia expetitur; adhibitis gravibus conteſtationibus, ut ultrò exponat quod noverit: ſin minus, fore ut ex jure ſecum agatur à fiſcali adverſus eum accuſationem intendente. In *martyrologio* occurrit exemplum juramenti inquiſitorii, in *Geffroy ſive Godefroy Veragle*: De his judicialibus juramentis 1. *Quæritur.* An licitum ſit exigere aut præſtare juramentum inquiſitorium purgationis. *Reſp.* 1. *Concl.* Non poteſt exigi: ut ſcil. quis verâ religione imbutus, eamque verbis aut operibus alicubi profeſſus, eandem nunc abneget & ejuret, ad exemplum Petri dicentis, *non novi hominem.* Omne mendacium eſt illicitum: multo magis in negotio religionis, ubi Deus peculiariter glorificandus eſt. 2. *Concl.* Præſtari non poteſt, tum ratione modi ſupra à *Conr. Bruno* relati, qui eſt idololatricus: tum ratione materiæ; ſiquidem contra veritatem negaretur factum; & contra conſcientiam promitteretur perpetua veræ religionis negatio, ac falſæ profeſſio. 11. *Quæritur*, An juramentum inquiſitorium ab interrogandis exigi; & ſi à ſacris Inquiſitoribus, aut à Magiſtratu religionis hoſte exigatur, præſtari poſſit. *Reſp.* 1. *Concl.* De crimine occulto, nedum de eo quod non eſt crimen niſi ex opinione judicum iſtorum, nemo ſub juramento in judicio interrogari debet; niſi præceſſerit unum ex tribus ſupra ex *Ioh. Bern. Diaz* notatis. Quia nemo tenetur prodere, aut accuſare, aut deferre ſeipſum: nemo enim propriam carnem odio habuit *Epheſ.* 5. Et hinc eſt, quod quidam talem ſui ipſius proditionem ad ἀυτοφονίαν referant. Et hæc eſt communior ſententia theologorum & Jureconſultorum, etiam præſtantiorum Canoniſtarum in ipſo Papatu, vide *Thomam cum commentator. loc.* ſupra *cit.* & *Diaz practicam criminalem canonicam*, ſupra *cit.* cum *commentar. Lopez de Salzedo*; & *Tholoſanum in ſyntagmate Iuris lib.* 32. *cap.* 6. §. 6. ubi ſtatuit teſtem de ſuo crimine interrogatum non teneri reſpondere. Noſtræ profeſſionis theologos & Jureconſultos non eſt quod hic indicem: quia eorum conſenſus ſatis notus eſt, & loquitur communis praxis judiciorum in terris reformatis, ut & commune illud effatum: *Actore non probante abſolvitur reus.* 2. *Concl.* Juramentum illud inquiſitorium, quidquid Inquiſitores aut alii judices exigant, præſtari non debet. *Primò*, propter modum & formam quę eſt idololatrica. *Secundò*, propter materiam: Quæ ſunt interrogationes tum de religione, tum de aliis quibuſcunque dictis, factis, viſis, auditis. Ad

prio-

priores interrogationes non semper tenemur respondere: sed possumus vel silentio uti, vel declinatoriâ exceptione contra interrogantes. De quo alibi in *disp. de confessione & martyrio:* quam *Politic. eccles.* inseremus. Expendatur factum martyris Antonii Verdickt; imprimis Annæ Burgii, cujus rationem & consilium per literas è carcere scriptas exposuit ecclesiæ clandestinæ Parisiensi: de quo præter *martyrologium gallicum*, *historia Thuani*. Ad posteriores interrogationes nemo promiscuè respondere debet, nec consequenter jurare, se ad omnes secundum veritatem responsurum. Repugnat enim gloriæ Dei, & caritati proximi, si quis propria quævis, & aliorum quamvis parentum, liberorum, consanguineorum, benefactorum, amicorum, uxoris &c. dicta & facta, sæpe innoxia & optima, sed apud tales Inquisitores, miseris illis futura noxia, & in pessimam partem immerito rapienda, intempestivè prodat. Hinc est quod martyres interrogati à judicibus, etiam in equuleo, noluerint ad quæstiones respondere. Vide inter alia exemplum Christophori Fabritii Antwerpiæ combusti, in *peculiari commentario historico*, & in *Martyrologio Belgico*. Conferat, cui vacat, Responsionem Polani lib. 6. c. 23 p. 629. a. edit. in fol. ad quæstionem. *Si Magistratus hostis veræ religionis deferat alicui orthodoxæ religioni addicto juramentum quo eum obstringat, ut veritatem dicat, de omnibus rebus, de quibus interrogatus fuerit &c.* III. *Quæritur*, An si Inquisitores, aut Magistratus religionis hostis, in casu collationis de religione coram ipsis instituendâ, orthodoxo sive reo sive captivo imponat juramentum calumniæ, illud præstari possit? *Resp. Aff.* præmissâ & salvâ exceptione quam habet contra judices Inquisitores, juramentum exigentes, item præmissâ protestatione contra præsumptionem contra se à judicibus conceptam; quæ sola causa est imponendi hujus juramenti: ut videre est apud *Menochium de præsumptionibus lib. 1. præs. 83.* Jurabit autem, se bonâ fide & conscientiâ in defensione hujus causæ, & præsenti collatione super eadem versari & versaturum, nihilque nisi veritatem in causâ religionis, dicturum & quæsiturum. Reliqua quæ juramentum calumniæ ingredi solent juxta *Novell. 49. c. 3.* & *124. c. 1.* (ubi *Cujacius, idemque lib. 7. Observ. cap. 5.*) ad hanc rem non faciunt. Nec negliget petere, ut idem juramentum accusatori suo, aut antagonistæ collocutori imponatur. Quod si obtinere nequeat, patienter ferendum erit, & cogitandum, dominum Jesum, qui est ipsa veritas, & in cujus ore non fuit dolus, per Cajapham adjuratum fuisse, ad hæc Apostolum Paulum suspicionibus & calumniis gravatum, debuisse se purgare à dolo 2 *Corinth.* 11. . . . .

Tertia & celebris juramenti judicialis in causâ religionis, species est 3 *juramentum ex officio*, antehâc in Angliâ usitatum & admodum controversum.

sum. Mille ministri in petitione ad Regem Jacobum VI. anno 1603. ejus usum si non in totum saltem in tantum deprecantur, ratione hâc additâ, quod homines per illud cogantur seipsos accusare. Tangit illud ἐν παρόδῳ *Didoclavius in altari Damasceno cap. 5. sub finem.* Idem refutatur *libello peculiari* anglico anno 1638. sub nomine *Nathanaëlis VVickins* famulo celeberrimi J. C. Anglicani Guilielmi Prynne tunc gravi mulctâ pecuniariâ multati, excommunicati, & in carcere detenti ob negatam juramenti istius præstationem. Citatur à dicto *Nathanaële p. 27. tractatus Andreæ Melvini* anno 1620. editus, contra celsam commissionem, quod est collegium judicii episcopalis, per quod juramentum tale imponi solet. Sed *tractatus* ille hactenus mihi non visus. Defenditur communiter hoc juramentum ab hierarchiæ patronis aut fautoribus, & nominatim à Doctore *Cozens peculiari apologiâ* anglicè, qui passim in *Nathanaëlis libello* citatur. Idem probant *Oxonienses in responso ad petitionem* 1000 *ministrorum*, illudque cum legibus regni, jure civili & canonico, & illustribus scripturæ exemplis convenire contendunt; remisso lectore ad *apologiam Decani Archensis.* Qui an idem sit cum Doctore Cozens, in præsentiarum ignoro, quia librum non vidi. *Lancelotus Andrews in opusculis posthumis* determinationem habet, sed in terminis generalibus propositam, Quod Magistratui liceat à reo jusjurandum exigere. Huc tamen collimare videtur. Eruditissimus Theologus *Daniel Featley in tract. contra Anabaptistas artic. 3. p. 145. & seqq.* non satis feliciter defensum, aut legitimè hactenus adhibitum fatetur: rationibus tamen prægnantibus se evicisse putat usum ejus posse esse necessarium & legitimum. Rationes ejus sunt istæ. 1. *Quia* præstatur in veritate, judicio, & justitiâ. Justum enim est ut si innocentes simus, juramento nos purgemus & liberemus: sin nocentes, ut viam aperiamus justitię punienti, & detegamus facinorosum; uti Josua hoc Achani per suadebat *Iosuæ* 7. 19. 2. *Quia* præit nobis exemplum Christi *Matth. 26. v. 63. 64.* 3. *Quia*, Quod lege forensi Mosaicâ probatum fuit, illud est licitum, nec repugnat legi naturæ. Sed responsio ad interrogata in criminalibus, quæ in præjudicium & damnum interrogati cedere poterat, approbata fuit lege forensi *Exod. 22. 11. Num. 5. 19. 1 Reg. 8. 31. Ezræ 10. v. 11.* 4. *Quia*, Quod in causis & judiciis, & curiis sæcularibus est licitum; id non est illicitum in causis, judiciis, & curiis ecclesiasticis. Sed verum prius. Ergo. Minorem probat inductione curiarum & judiciorum in Angliâ. Addit exemplum consistorii Genevensis, quod Comperellum quendam sub juramento interrogavit de tribus, quorum duo, inquit, concernebant mentis intentionem & propositum. 5. *Quia*, juramentum purgationis, quo quis se à crimine purgat, est licitum.

licitum. Ergo. Exceptiones Anabaptistarum ad hæc argumenta, & objectiones eorundem ibidem refutare conatur. Ab alterâ parte apud dictum *Nathanaëlem VVickins* varia proferuntur argumenta, & ab exceptionibus vindicantur. Nos delectum adhibendum putamus, & hæc opponenda 1. *Quia* non fit in justitiâ: contra *Ierem.*4.*vers* 2. Implicat enim iniquitatem, si prodimus nos ipsos, & proximum; præsertim unius religionis consortem, & bonæ causæ confessorem & σύμμαχον; aut parentes, liberos, cognatos, agnatos, heros, patronos, amicos, &c. Huc conferendæ *Casuistarum & interpretum decalogicor. ad 9. præceptum determinationes de delatione, proditione, secreti revelatione, accusatione &c.* Conferantur *commentator. ad Matth.*27.*v.*11--15. *Iohann.*18.*v.*19. &c. *Luc.*22.*v.*67. 68. ubi de contrario exemplo Christi: & ad *Ios.*2.*v.*3.4.5. coll. cum *Iacob.*2.... & *Ierem.*38.*v.*14.15. Pauli *Actor.*21.*v.*38. Obstetricum *Exod.* 1.*v.*16. ubi contrariarum virtutum exempla in scripturis probata. II. *Quia*, repugnat legi divinæ, legi naturæ, legi civili Judæorum, Romanorum, aliarumque Gentium, & hodierno ac communi modo procedendi in plerisque judiciis per totam Europam. *De lege Divinâ* probatur ex eo, quod cum de facti notoritate non constat, per testes veritatem inquirendam præscribit *Exod.*22.*v.*10.11. *Numer.*5.*v.*11--20. *De lege Naturæ* probatur; quia natura est sui conservatrix *Eph.*5.*v.*29. & consequenter non prodit occultum crimen suum sive verum sive putatitium, nec malum sibi accersit. Et posset huc applicari, quod diligens scriptor Anglus de ἀυθφωνίᾳ *Iohannes Sym in tract.* edito Anno 1637. indirectum sui ipsius homicidium impingit iis, qui coram tribunali (ex more gentis) interrogati, an criminis capitalis, cujus accusantur, damnates sint, affirmant. Probat autem talibus rationibus, quæ contra juramentum ex officio æquè validè militant. Quod autem interrogati & culpabilis negantem responsionem cum *Kelleto lib.*1.*Miscellan.p.*164. (sed Anglicè tantum, quod sciam, edito) à mendacio liberat, per explicatam legis & judicis interrogantis intentionem & communem ejus acceptionem, cui negatio respondeat; id mihi difficultate non carere videtur. Sed audienda esset declaratio judicii publici, an de culpâ seu damnatione in foro conscientiæ quæratur, an vero tantum in foro illo externo, coram quo *unusquisque* (uti loquitur) *præsupponitur esse bonus, donec probetur esse malus.* Illa declaratione habita, de casus determinatione despici posset. Quidquid explicetur & distinguatur, nullius generis mendacium, nulla fraus æquivocationis aut mentalis reservationis unquam admittenda est. *De lege civili* Romanorum, & hodierna judiciorum praxi in Europâ (excepta Hispana, & Inquisitoribus Papatus) notum est. *Canonistæ* saniores quid sentiant, supra ex verbis

Ioh. Diaz ostensum est. Cui adde, quæ densatis Juristarum, Canonistarum, & Casuistarum citationibus de generali & speciali inquisitione disputat *Ioh. Baptista Fragosus in regimine Reipubl, Christianæ part.* 1. *lib.* 5. *disp.* 12. §. 6. 7. III. *Quia*, quod ad rem non videtur distingui posse à juramento inquisitionis Hispanicæ; de quo supra. Atqui illud juramentum ob rationes supra indicatas, abominatur communis consensus reformatorum; præsertim Belgarum, quibus cum jugum inquisitionis à Philippo II. pararetur (vide inter alios Historicos *Nicol. Burg. p.* 97. *edit. in* 8. ubi mysteria hęc panduntur) exarsit bellum & secuta regiminis mutatio. IV. *Quia* origine suâ suspectum esse deberet. Est enim à Papisticis persecutoribus introductum ut Waldenses & Wiclefistæ facilius deprehendi & excarnificari possent. Vide *Foxi Martyrologium* anglicè *tom.* 1. *pag.* 681. 682. Idem dico de continuatione ejus, post introductam religionis reformationem. Nullos enim alios ferè autores & zelotas habuit quam intemperatiores aut episcopaturientes quosdam: qui vexationibus reformatorum presbyterialium, illic dictorum *Puritanorum*, attendebant. V. *Quia* pii confessores quod ad proditionem fidei suæ consortium, sub nomine Puritanorum & non-conformistarum in Angliâ multa passi, istius generis juramenta subire detrectârunt. VI. *Quiâ* nuper statuto Parlamentari approbante Rege Carolo I. tale juramentum abrogatum est. Rationes hæ deduci, atque una objectiones Doctoris Featly perspicuè solvi possent: sed ex iis, quæ jam posita sunt, facile erit cuivis responsiones oppositis rationibus & effugiis applicare. Consulant studiosi de eodem juramento, *Amesium in casibus lib.* 4. *cap.* 22.

4 Atque hæc quidem summa rationum præcipuarum, quæ pro utraque parte adduci possent. Aliam insuper quandam in principio innuere videtur *Nath. VVickins*; Quod episcopis non competat exactio seu delatio juramenti, quia jure divino nulla illorum sit potestas, & quia soli Magistratui id competat. Sed hæc forte non sufficiet ad tranquillandam rei aut captivi juramentum hoc detrectantis conscientiam. Quid si enim potestas delegata à supremâ Regis & regni potestate politicâ (uti in Angliâ factum, indicante id *Richardo Zouchæo in elementis Iurisprudentiæ Anglicanæ*) episcopis & judiciis eorum concedatur, utique hâc ratione ultra excipi non poterit. Noto etiam *Lancelotum Andrews*, nullam episcoporum exsertam facere mentionem, sed Magistratus: sub quo tamen episcopos, & celsam commissionem comprehendi arbitror: Idem etiam post dissertationem, cautâ adhibita limitatione sic concludit: *Exigere posse Magistratum, idque à reo (præsertim dum ne capitalis causa sit aut sanguinaria) jusjurandum suum; idque eo usque posse, sive ut lis basin suam obtineat, dum status quari-*

tur;

tur; sive ut probationum veritas eluceſcat, dum quæſtio habetur. Neque vero juramenti aut fines, aut ordinem, aut examen peccare in Theologiam: ac proin detrectari non poſſe. Ab alterâ parte video à *Nath. VVickins* ſtrictè oppugnari juramentum uti erat & adhibebatur in judiciis epiſcopal. præſertim erga dictos preſbyteriales ſeu non-conformiſtas Puritanos: & erga miniſtros petitores an. 1603. qui verecundè & prudenter petebant ſummodo moderationem & uſum minus frequentem, non vero abolitionem. Video deo dictum *VVickins pag.* 17. concedere, poſſe quem à Magiſtratu adactum ut ſub juramento teſtetur de ſuâ fide, illud juramentum præſtare, quamvis cum præſenti periculo, ſiquidem ſe ad patiendum paratum inveniat, idque exemplo Chriſti *Matth. 26. v. 63.* Adhæc *Ameſium lib. 4. caſ. cap. 22.* ex *Deut. 22. 7.* ſtatuere, quemlibet poſſe de autore delicti ſub juramento interrogari, ſi ſcil. delictum ſit notorium. Quid ergo de hoc juramento cenſendum? Nos relicto ſpeciali abuſu juramenti illius in Angliâ (qui ſine ſtatutorum & factorum particularium luce explicari nequit,) in genere & abſtractè ſtatuimus ad indefinitum juramentum inquiſitorium ſuper quibuſvis interrogatis reos compelli non poſſe, non tantum in cauſâ religionis, ſed etiam in quacunq; aliâ cauſâ criminali, idque ad ſtatum conſtituendum, & probationum veritatem habendam. Et tantum efficiunt rationes, autoritates, leges, ſtatuta, quamplurima exempla martyrum à *Nath. VVickins* adducta. Si tamen concedat judex, ut diſtinguat reus interrogata ſuper ſenſu & conſcientia proprię religionis, ab interrogatis de aliis quibuſcunque dictis & factis ſuis, aut proximi: utique quod ad priora abſolutè jurare poſſe in caſu, de quo ſupra; & quod ad poſteriora cum limitatione; quam habet *Polanus loc. cit.* ſi ſcil. & quouſque gloriæ Dei & caritati proximi non repugnat. *Dubium* hic moveri poſſet, an ſic juratus omnem veritatem, quam novit & de ſe & de proximo ſuo revelare teneatur; an vero ſolum quouſque interrogata à judice propoſita ſunt? *Reſp. Aff. poſterius.* Si enim ad gloriam Dei & ex caritate proximi ac ſui ipſius, partem veritatis prudenter reticet, quam interrogatum judicis non proponit, utique mendacii, ſimulationis, doli mali, perjurii accuſari non poteſt. Qui veritatem, quam dicere non tenetur, reticet, non mentitur. Sed ſi cui juramentum imponatur non tantum de reſpondendo ad interrogata; ſed etiam de abſolutè detegendis omnibus etiam minimis circumſtantiis quæ de hoc aut illo particulari negotio novit; jam quæſtio eſt, an tale juramentum abſque ullâ exceptione aut limitatione piè ac tutò præſtari poſſit. Quod ſi quis tale juramentum abſque læſione conſcientię & caritatis (ſuo judicio) præſtare paratus eſſet; jam omnia circa deſignatum negotium particula-

re sibi comperta, pro nosse & posse (uti loquuntur) explicare teneretur.

5 Tertium genus juramenti religiosi est, conservationis seu defensionis. Estq; pro duplici genere conservationis, vel ecclesiasticum vel politicum. *Illud* est, quod præstatur ab antecessoribus ecclesiæ pro conservatione doctrinæ aut disciplinæ, per media & arma ecclesiastica seu spiritualia: quæ qualia sint, docemus in *disp. de Clavibus regni cælorum* & passim per totam *Politicam ecclesiasticam*. Ad hoc genus pertinet juramentum synodi Gallicanæ a. 1619. quod non tantum fuit confessionis, sed & conservationis seu defensionis; & quidem purè ecclesiasticæ. *Istud* est quod præstatur à Regibus, Principibus, Magistratibus, civibus, militibus, pro politicâ defensione religionis. Hoc variè dividitur: Nam 1. *Est* vel unius politiæ, vel plurium inter se confœderatarum 2. *Est* politiæ aut politiarum vel jure supremo majestatis, vel tantum provinciali aut territoriali potestate gaudentium. 3. *Est* vel Principum aut magistratuum tantum; vel etiam cum illis officialium, civium, subditorum. Quale est 2. *Paral.* 15. 12. cum *Neh.* 10. 4. *Est vel* contra potestates, aut populos collaterales sive Antichristianos, sive hæreticos, sive schismaticos: *Vel* contra subditos seditiosè & illegitimè veram religionem atque ecclesiam persequentes: vel contra proprios dominos. Quæstiones hic occurrunt istæ 1. *Quæst.* An supremus Magistratus, penes quem est jus armorum, jurare possit se religionem & ecclesiam suæ ditionis armis defensurum, contra quosvis persecutores aut turbatores, sive domesticos sive extraneos. *Resp.* Quidni? Cum enim sit custos utriusque tabulæ & ecclesiæ nutritius, tenetur autoritate divinitus sibi concessa eam conservare ac tueri: & si autoritati ejus resistatur, potest violatores armis coërcere. Ita versabitur armata ejus defensio immediatè circa autoritatem suam seu potestatem publicam, mediatè circa ecclesiam & religionem. Quod autem licet facere, illud licet promittere, & si ita opus, promissionem juramento confirmare. 11. *Quæst.* An liceat Principibus & Magistratibus reformatis ac Protestantibus jurare in fœdus defensivum religionis, contra quoscunque persecutores, nominatim contra Papam? *Resp.* Si confœderatio licita, ergo & juramentum licitum. De confœderatione & expeditione adversus Papam non est dubium. Vide votum ac monitum celeberrimi theologi & militis *Plessei in epist. dedicator. ad Mysterium iniquitatis*: ubi magnæ Britanniæ regem ad expeditionem in Papam exstimulat. Et confer *nostras disp. de Potestate temporali Papæ, & de Sede Romana incompatibili cum politiis reformatis* Sed de armis suscipiendis, aut belli societate ineunda ad defensionem fidelium, qui alibi à proprio domino religionis causa persecutionem patiuntur, non unum omnes sentire videntur. Nos nolimus dicere.

cere in nullo casu id licitum esse. Nec meminimus quenquam reformatum theologum improbasse auxilium, quod Elizabetha Angliæ regina afflictis Belgis præstitit, etiam propter persecutionem, quam religionis ergo patiebantur à Philipp. II.: uti ipsa in suâ declaratione causam illam allegat. Vide *Camdeni annales*, & *Historicos Belgas ad annum* 1585. 111. *Quæst.* An Magistratus inferiores pro defensione veræ religionis, jam receptæ, immo & legibus stabilitæ, confœderationem inire, & jurare possint, etiam contra supremum dominum; *Resp.* 1. *Concl.* Non quæritur hic de populo, & ministris, officialibus, militibus. Si quidem illi dependent à Magistratu: qui si legitimè aliquo in casu præire possint, non dubium est quin & isti ad id vocati, legitimè sequantur. 2. *Concl.* Nec quæritur, si dominus ita jubeat, aut saltem permittat. Quo referri potest exemplum *Neh.* 10. ubi præfecti, primores, populus, sed tributarius, Monarchis Persarum juramento ad religionis defensionem se obstringunt: Quin immo se ipso facto defendunt *Nehem.* 4. 3. *Concl.* Sed quæstio est de defensione & juramento quod suscipitur adversus supremum dominum. Hic ergo non tantum ad religionem, seu materiam propinquæ defensionis & juramenti respiciendum, sed etiam ad libertatem ac potestatem Magistratuum; quæ si tanta sit, ut quovis alio in casu extremæ necessitatis, etiam contra injurias supremi domini se suaque jura & bona tueri possint; quidni etiam religionem, quam jure possident. Generaliter ergo determinari nil opus, sed tantum hæc duo religiose despici, *primò* an scil. penes Magistratus, aut proceres, aut Status &c. aliqua sit potestas secundum leges fundamentales principatus. *Deinde* circa hypothesin & factum, an nunc sit ille extremus necessitatis casus, quo potestas hæc expediri possit ac debeat. Ubi prius non constaret, ibi tales Magistratus committerent tyrannidem usurpantem. Ubi posterius abest, ibi committunt tyrannidem abutentem; non minus quam supremi domini subinde in tyrannos titulo, aut exercitio; seu in usurpantes aut abutentes, aut in utrosque degenerant. Jam alio nullo in casu aut pro defensione religionis, aut justæ libertatis politicæ fœdus juramentum licitum esse negarent autores fœderis Smalcaldici contra Imperatorem; & defensionis regis Navarreni & sociorum in Galliâ contra reges Galliæ; & Illustr. Ordd. fœderati Belgii contra Philippum II. & procerum Sueciæ ac Daniæ contra reges suos. Ligistarum in Galliâ, aliorumque Magistratuum Pontificiorum exempla hic non referam, quia mala fuit causa. Conferatur *scriptum Magdeburgensium de jure Magistratus in subditos*, & inter politicos *Althusium*: ubi & alii *auctores* citantur, qui in thesi de hoc disputant. In hypothesi à scriptoribus alibi indicatis abunde probatum est, jus Ordinibus ac Magistratibus Belgii, & justam causam ac casum extremæ necessitatis fuisse,

bellum pro religione & libertate gerendi. Sed hæc proprie hujus loci non sunt. IV. *Quæst.* An quis bonâ conscientiâ jurare possit in erectionem & statuta, equitum (uti vocant) S. Spiritus? *Resp. Neg.* si quidem commune & invariatum sit juramentum in statuta invariata: iis enim involvitur extirpatio religionis reformatæ, & defensio Papatus. Vide de hoc *disp. de equitibus sacrâ Polit. eccles.* insertam. V. *Quæst.* An quis reformatus jurare possit, unà cum Pontificiis in observationem, defensionem, & conservationem erectionis & statutorum confraternitatis Marianæ? *Resp. Neg.* Rationes supra in *disp. de idololatriâ indirectâ p.* 336. *& p.*361. attulimus: nec hic repetimus. Quæ autem & quales sint confraternitates Marianæ, & nominatim illa ὑπερεκπερισσῶς superstitiosa, quam illic oppugnamus, satis superque ostendimus in *disp. de confraternitatibus Politicæ ecclesiasticæ* inserendâ. VI. *Quæst.* An quis reformatus jurare possit in observationem capitulorum & statutorum capitularium. *Resp. Neg.* Sic enim contra omnem hujus defectus reformationem juratur. Hanc quæstionem alibi tractamus: in *Consilio* scil. *theologico de bonis ecclesiasticis & canonicatibus Vltrajectinis*, linguâ vernaculâ conscripto. Sed hæ similesque quæstiones in *politicâ ecclesiast.* commode tractabuntur.

Mantissa quæstionum.

I. AN clericus jurare possit non tantum pro rectâ fide, sed etiam pro causâ aliquâ temporali? *Resp. Aff.* & huc sub distinctione inclinat *Ius Canonicum c. Si quis 2. qu.* 5. Confer *collect. decretalium Ant. Augustini collect.* 1. *lib.* 1. *tit.* 34. *c.* 1. *& Viviani Rationale juris canonici lib.* 2. *tit.* 7. *pag.*32. Et *novum Ius canonicum apud Zypæum.*

II. An verbi ministris peculiariter ad ingressum ministerii juramentum fidelitatis politicæ de novo imponi possit? *Resp.* Esse casum, in quo id fieri possit. Sed ut occasione casus aut necessitatis particularis, perpetuâ ac universali lege hic & ubique hoc statuatur, non putamus esse necessarium aut admodum utile.

III. An in confirmatione conjugii coram facie ecclesiæ, juramentum præstari possit? *Resp.* Nolimus morem in ecclesiis Hungaricis & Transylvanis receptum, aut *canonem 67. ordinis ecclesiastici* Albę Juliæ anno 1549. editi, improbare. In nostris ecclesiis simplex promissio exigitur.

IV. An à crypto-Remonstrantibus, Libertinis, Neutralibus, Machiavellicis, Semi-Pontificiis, Crypto-Pontificiis juramentum pro Politicâ defensione religionis reformatæ, bonâ conscientiâ præstari possit. *Resp. N.* Et siquidem jurent, religionis illius professionem simulando, Jesuiticas & nefarias mentalium restrictionum & æquivocationum artes, intervenire necesse est. Vide de artibus illis *Bresserum lib.* 5. *de conscientiâ cap.* 18. & ex nostris *Rivetum in decalogum.*

V. An

v. An quis reformatus tale juramentum fidelitatis præstare possit, quod ipsum obligare videretur, aut quod extendi posset ad oppugnationem religionis reformatæ. *Resp. Neg.* Vide *tract. nomine theologorum Leidensium, Polyandri* scil. *Riveti, Thysii, VValæi* an. 1629. vernaculo idiomate editum, ubi ipsorum & deputatorum utriusque Synodi Hollandicæ determinatio contra tenebrionem Remonstranticum solide defenditur.

vi. Quid censendum de militibus reformatis, qui antehâe Trajecti ad Mosam, armati per plateas disponebantur, quotiescunque Papistica processio celebraretur? *Resp.* Potuisse hoc agere salvâ religionis suæ conscientiâ. Non enim aut ipsorum ministerialis aut Illustr. ac præpot. Ordinum αὐτοκρατορικὴ defensio versabatur immediatè & directè circa idololatriam, sed circa decretum politicum quo tolerantia illius idololatriȩ, secundum articulos conventionis in deditione urbis, sancita erat; & consequenter circa autoritatem publicam, per quam decretum tale conditum & executioni mandatum.

DE EXORCISMO,

Resp. JOHANNE ALMELOVEEN, Ultrajectino.

Ad diem 16. & 23. *Septemb.* 1637.

De Exorcismo acturi explicabimus. I. *Quis verus* II. *Quis superstitiosus:* III. *Controversias principales, cum problematibus subjiciemus.*

EXorcismus id est, *adjuratio, conjuratio*, à græco ἐξορκίζω 1
ὁρκίζω *Matth.* 26. *v.* 63. *Marc.* 5. 7. 1 *Thess.* 5. 27. *Actor.* 19. 13. Unde Ἐξορκίστης *Actor.* 19. 13. hebraicè אלה *Iudic.* 17. 1. & נשבע in hiphil. *Genes.* 24. 3. 37. & 50. 5. 6. 25. *Exod.* 13. 19. *Numer.* 5. 19. 20. 1 *Reg.* 2. 43. & 22. 16. 2 *Paralip.* 18. 15. & 36. 13. &c. ubi Gr. Interp. transferunt ὁρκίζω & ἐξορκίζω. Denique יאל, quod in hiphil occurrit 1 *Sam.* 24. 25. ubi gr. transferunt ἀρᾶται. *Targum* ubique (ni fallor) adhibet verbum ימא in Aphel, quod etiam usurpat *paraphrastes Syrus in locis ex N. T. cit.* Arabs *Matth.* 26. 63. ἐξορκίζω σε κατὰ τοῦ θεοῦ & *Marc.* 5. *vers.* 7. ὁρκίζω σε τὸ θεόν transfert אקסם עליך באללה i.e. *adjuro* (vel juro) *super te per Deum.* Significat autem τὸ adjurare (ὁρκέω, ὁρκόω, ὁρκίζω, ἐξορκίζω) 1. aliquem adducere adjurandum, vel ad religionem illam quȩ est in juramento; idque vel nudâ obtestatione, vel etiam imperio: & hæc significatio usitata est apud authores Græcos, de quâ *Budæus in commentar. linguæ Gr. p.* 64. Et *Æmil.*

Portus

Portus in lexico Ionico. Latini dicunt, exigere juramentum, ad illud adigere &c. II. alicui aliquid interposito jurejurando & Dei authoritate mandare vel interdicere: immo & iram Dei imprecari, si quidpiam fecerit aut dixerit, aut non fecerit ac dixerit. Fit autem hoc vel tacitè (ut omne juramentum execrationem, imprecationem, & maledictionem in se comprehendit) vel expressis verbis, ut *Num.* 5. 21. Posterior significatio ex priori fluxit, & propriè est hujus loci. In hâc adjuratione tres concurrunt, adjurans, adjuratus, ille per quem adjuratur. Qui tres & re & habitudine distincti sunt. Quomodo & in omni juramento promissorio. Ubi tamen Dei juramentum excipitur: ubi jurans & per quem juratur idem est *Heb.* 6. 13... ita sola distinctio habitudinis secundum nostrum concipiendi modum hic locum habeat. III. Per metonymiam adjuncti aut connexorum, *aliquem catechizare*; quæ acceptio vocis est ecclesiastica tantum, non vero scripturæ. Et sic explicat *Theod. Balsamo in can. 26. Laodicen.* ἐξορκίζειν ἤγουν κατηχεῖν ἀπίστους, *exorcizare, hoc est catechizare infideles.* Et Scholiastes Græcus *Harmenopuli in epitom. canonum sect. 1. t. 9.* ἐξορκιστὰς, *interpretatur* κατηχιστάς. Porro in sacris literis adjurationes occurrunt tum licitæ, tum illicitæ. Illæ sunt quibus secundum specialem vocationem ac potestatem homines diabolum, aut homines alii alios in rebus licitis, licito modo & fine adjurant. Illicitę sunt, vel quibus diabolus Christum *Marci* 5. 7. vel homines eundem Christum *Matth. 26. v. 63.* aut diabolum *Actor. 19. v. 13.* aut homines adjurasse leguntur. Quarum adjurationum variæ formæ, varii ritus fuerunt. Vide superstitiosissimum adjurandi modum in Ordalio h. e. probatione per aquam & ignem antiquis Saxonibus & Britannis usitato, apud *Seldenum lib. 2. analecti Anglo-Britannici cap.* 8. De quo infra in *disp. de Sortis &c. abusibus.* Nobis reliquis omissis agendum nunc, de adjuratione illâ quâ homines diabolum adjurant, unde ἐξορκισταὶ *Actor. 19.* & ἐπορκισταὶ *can. 10. Concil. Antiocheni, & can. 25. Concil. Laodic.* dicitur, Latinè *adjuratores sive increpantes. Invocant enim super catechumenos vel super eos, qui habent spiritum immundum, nomen domini Iesu, adjurantes per eum, ut egrediatur ab iis:* ut Exorcistam describit *Isidor. lib. 7. c. 12.*

2 Ut autem Exorcismum scripturæ & primitivæ ecclesiæ penitius cognoscamus; distinctè considerandæ sunt I. potestas exorcizandi; seu charisma & donum exorcisticum: alii vocant potestatem ejectivam dæmonum. II. Ipse exorcismus; quorum posterius tam necessario prius prærequirit ac præsupponit, quam prophetia spiritum & donum propheticum, aut miraculum donum miraculorum. Quod ad *primum* potestas ejectiva dæmonum refertur ad donum miraculorum tanquam pars ad totum integrale & potestativum, si in eodem subjecto sit donum miraculo-

rum

rum aut sanationum; & tanquam species ad genus, si nihil sit in illo subjecto præter illud donum exorcisticum. Hic disputatur à Scholasticis an ἐνεργήματα δυνάμεων, & χαρίσματα ἰαμάτων (1 *Corinth.* 12. 10.) atque adeo potestas ejectiva seu exorcistica, sint potentia naturalis aut supernaturalis, an verò habitus, an verò actus transiens. Nos negamus priè posse dici qualitatem, permanentem sive potentiam sive habitum, aut passionem, aut actionem seu ἐνέργειαν transeuntem; sed dicimus esse potestatem, privilegium, ac dignitatem in prædicamento relationis, eodem modo concipiendam, quo donum miraculorum aut donum propheticum. Quod autem *Raphaël de la Torre in Tractat. de Potestate Ecclesiæ coërcendi* &c. *Disputat.* 2. *Thomas* 22. *qu.* 78. *art.* 1. *& de Gratiâ Miraculorum quæst.* 6. volunt se habere hæc charismata quod ad permanentiam suam ut formas imperfectas, quæ vocantur intentiones, quæ non permanent nisi ad præsentiam agentis principalis sicut lumen in aëre, & motus in instrumento: illud ipsum jam tollit omne donum peculiare & privilegium à viris Dei illâ virtute instructis, nec aliquid relinquit in iis quo ab aliis hominibus distinguantur, cum scilicet actu non prophetant, exorcizant, miracula operantur. Sed fontem hujus erroris puto esse, quod non distinxerint potentiam exorcizandi, seu donum exorcisticum, ab ipso actuali exorcismo. De isto verissimum est quod dicunt; de illo minimè. Confer de hâc quæstione 2. *part. Selectar. Disp. tit. de Charismatu, & de Prophetiâ. Causa efficiens* hujus charismatis est Deus pater, Filius, Spiritus Sanctus. Peculiari ratione adscribitur Filio tanquam mediatori & semini benedicto conterenti caput serpentis ac destruenti opera Diaboli *Marc.* 16. 17. *Matth.* 10. 1. 8. & Spiritui Sancto tanquam Sanctificatori, 1 *Corinth.* 12. *v.* 9. 10. *Subjectum*, sunt homines, non omnes promiscuè, sed illi quibus Deus hoc dedit. Primarium quidem sunt verè pii & fideles; secundarium etiam impii, qui cum externè sint cives regni & membra visibilis Ecclesiæ, quasi per reflexionem quandam subindè coruscationibus ejusmodi collustrantur. *Matth.* 7. *v.* 22. 23. Unde colligimus non habere hoc charisma ut nec reliquas gratias (quas vocant) gratis datas infallibilem cum æternâ salute connexionem. Quod etiam de dono miraculorum, sanationum, linguarum, prophetiæ intelligendum est. *Objectum* sunt immundi spiritus, qui hominem corporaliter possident; seu homines obsessi, qui etiam ἐνεργούμενοι δαιμονιζόμενοι, dæmoniaci, possessi, arreptitii & peculiari quâdam ratione, lunatici dicuntur. De quibus vide *peculiarem Disputationem in* 1. *part. Sel. Disp.* Versatur autem potestas hæc circa Diabolum ut eum compescat & ejiciat; circa hominem, ut eum sanet ac liberet.

3 *Propria & adjuncta* hujus charismatis sunt 1. Quod sit δύναμις & virtus non intrinseca, sed extrinseca & adventitia; non essentialis, sed accidentalis; non naturæ, sed gratiæ; non αυτοκρατεικὴ ac principalis, sed instrumentalis saltem ac ministerialis: quod agat ad modum causæ non physicæ sed moralis tantùm, atque ideò Exorcista tantùm sit instrumentum morale ejectionis dæmonum, non verò physicum. Quibus distinctionibus docemur, quid interfit inter ejectionem dæmonum factam à Christo, & ab Apostolis, aliisque illo Charismate instructis. 11. Quod sit potestas non absoluta & omni occasione circa singulos aut quosvis obsessos exerenda, quomodo Medici artem suam exerunt circa quosvis ægrotos; sed hypothetica, & certis tantùm occasionibus, idque posità & præcedente motione Dei extraordinariâ atque immediatâ. Cùm enim Deus ciet & movet ad hanc sanationem, ad miraculum hoc patrandum, ad Dæmonem ab hoc energumeno fugandum, tum demùm certâ fide miraculorum persuadeat sibi hic facultatem sibi divinitùs concessam exerendam, hic donum suum suscitandum: haud aliter ac quæstor aut thesaurarius domini sui ærarium clave sibi concessâ tum demùm aperit & pecunias distribuit huic aut illi, cùm dominus coram aut vicariâ scedulâ assignatoriâ (ut vocant) id imperat. 111. Quòd potestas hæc divinitùs concessa, & legitimo modo in actum deducta nunquam fallat aut effectu suo careat: alioquin laboraret veritas divina, quæ hoc extraordinario signo confirmatur. Ita nobiscum sentiunt *Cajetanus in Commentar ad Marci 16.* & *Alph. à Castoro c. Hæreses. in voce Exorcismus.* Legitimus autem modus in actum deducendi est 1. Ut quis per fidem (saltem miraculorum) certus sit sibi potestatem seu donum illud miraculorum divinitùs concessum, 2. Ut quis exspectet impulsum, motionem, præmotionem, & internam Dei præmonitionem: & non nisi illâ præhabitâ (ita loquar) ac certò in se perceptâ, ad opus se accingat. 3. Ut fines mandati tum generaliter in collatione hujus doni, tum specialiter intus per divinam præmotionem insinuati non excedat, sive in objecto, sive in modo, sive in signis externis arbitrariis verborum aut rituum, sive in aliis circumstantiis. 4. Ut verè pius ad tam arduum opus debitè se præparet & componat; quod fit imprimis precibus ad Deum, & fidei renovatione; exemplo Christi *Iohann.* 11. 41. 42. Hinc videmus quid statuendum sit de defectu illo in conatu Apostolorum. *Matth.* 17. 20. 21. Ubi veræ causæ exprimuntur. Sicut enim Petrus simulac inciperet concidere fides, non poterat inambulare aquis. *Matth.* 14. 30. 31. Sic Apostoli vacillante fide non poterant ejicere Dæmonem, quamvis potestatem ejiciendi jam antè accepissent *Matth.* 10. 1. cum *Marci.* 3. 15.

IV Quòd

IV. Quod potestas seu charisma hoc tantùm detur in Ecclesiâ Dei. Dari autem dicimus in Ecclesiâ Dei; non tantùm purâ ex omni parte & doctrinâ & moribus, sed etiam ataxiis, factionibus, & erroribus nonnullorum fœdatâ & turbatâ. Quomodo miraculosum illud sanationis donum manebat in Ecclesiâ Judaicâ *Iohann.* 5. 1. 2. 3. quo tamen signo Deus erroribus & corruptelis testimonium non perhibebat, sed fidei & ecclesiæ, quæ non obstante factione errantium illorum adhuc supererat.

V. Quod non detur ordinario, sed extraordinario: parcius quidem ante adventum Christi, largius verò post adventum Christi. Quin ante Christum vigente prophetiâ & donis miraculorum (quæ paulatim imminuta sunt, & cessârunt) etiam subinde viris Dei collatum sit hoc donum, minimè dubitandum est. Id tamen de Ecclesiâ Judaicâ tempore Christi ex *Matt.* 12. 27. *Act.* 19. non evincitur, (ut infra dicemus) nec ex luce factorum fit verisimile: alioquin tot dæmoniaci undique ad Christum non fuissent delati. De doni hujus frequentiâ in Ecclesiâ Apostolicâ testatur Scriptura. Sed & post excessum Apostolorum & virorum Apostolicorum aliquamdiu durasse creditur, quamvis paulatim imminutum cum aliis extraordinariis charismatis, donec propagato Christianismo, & jam de convictis ac devictis Gentilibus publicè triumphante, planè cessaret: quod factum arbitramur intra tertium & quartum sæculum, seu sub quartum ferè sęculum. Primum autem videntur illæ δυνάμεις si non omnibus, saltem pluribus fidelibus à Deo communicatæ, ut colligere est ex *Tertull. de Coronâ militis c.* 11. *& ad Scapulam c.* 2. *& apologetic. c.* 5. *& de præscript. c.* 41. *Iustino Martyre in Apolog. sub finem. Cypriano ad Demetriadem. Orosio lib.* 7. *c.* 15. *Eusebio histor. Ecclesiast. lib.* 1. *c.* 12. 13. *Nicephoro lib.* 4. *c.* 12. *Gregor. Nysseno in quadrag. Lactantio. lib.* 4. *c.* 27. *Minutio in Octavio c.* 16. *Augustino de Civitate Dei lib.* 10. *c.* 22. Et ex Ethnicis, *Iulio Capitolino in Marco Philosopho, Claudiano de Consolatu* 6. *Honorii Corn. à Lapide in Marci* 16. ferè de omnibus hoc dicendum putat, citatis *Iustino, Tertulliano, Lactantio.* Omnibus & singulis fidelibus donatum volunt *Raphaël de la Torre disp.* 5. *Maldonatus in Marci* 9. *v.* 38. & ex nostris *Iustellus* I. *C. in notis ad Can. Eccles. Vniversæ ad can.* 11. *Concil. Antiocheni* (qui est 90. Eccles. universæ) & huc citant illud *Marci* 16. 17. Addit *Iustellus Tertullian. de coronâ militis cap.* 11. *& de Idololatr. c.* 11. *Grotius in notis ad Marci* 16. eidem sententiæ accedit, citatis testimoniis *Iustini Martyris in colloq. cum Tryphone, Irenæ lib.* 2. *Origenis lib.* 7. *c. Celsum, Minutii Felicis, Tertulliani in Apolog.* Ac de hoc quidem ulteriùs disquiri posset. Quod subjicit argumentum aliquod ex *Rom.* 11. *v.* 29. pro opinione suâ de dono exorcistico duraturo etiam in hunc diem, si quis

inter Gentes Christum annuntiet, ut ipse annuntiari voluit : illud nullam aut saltem tantam soliditatem non habet, ut de eo dici debeat cum *Grotio* ; *ibid. Non dubito.* Postea in paucis eximiis quibusdam Ecclesiæ Doctoribus, aut viris pietate præcellentibus videntur subinde coruscasse, ut in *vitis* eorum videre est ex. gr. *Hilarionis* descriptâ *ab Hieronymo. Gregorii Thaumaturgi à Gregor. Nysseno &c.* Ne quid dicam *de vitâ Martini* apud *Sulpitium Severum*, *deque historiis Gregorii Turonensis*, & sic deinceps. Quæ tamen omnes cum judicio legendæ ; cœperat enim, decrescente magis solidâ sapientiâ ac pietate, nimia simplicitas & perversus zelus lineamenta ducere aureæ (verè ferreæ) legendæ. De dubiâ & vacillante fide talium historicorum in genere, vide quæ ex ipsis Pontificiis diximus *Desper. Causæ Papatus. libr. 3. sect. 1. cap. 8.* VI. Quòd non sit hæc potestas universalis cogendi dæmones per adjurationem ad omnia quæcunque imperata facienda, sed tantùm ne noceant spiritualiter aut corporaliter. VII. Quòd potestas hæc non sit naturalis, sed planè supernaturalis ; nec dependeat ab aliquo peculiari corporis temperamento, ut somniant Medici quidam Itali *Fulginas*, *Forlivius*, *Garbus*, aliique, qui etiam in Christo talem causam assignare non erubuerunt. Quam opinionem, ni fallor, ex Avicennâ hauserunt. Refutatur ea. *Primò*, quia est donum spiritus & supernaturale 1 *Cor.* 12. 9. 10. *Deinde*, quia nulla res corporea vim habet aut superiorem, aut æqualem in rem aliquam spiritualem *Thomas in* 4. *dist.* 7. *artic. ult.* & in *Iobi* 41. *lect.* 3. VIII. Non conferri à Deo hoc donum, dependenter à dispositione aliquâ naturali, quæ scilicet in homine prærequiratur. Et ratio est, quia dependet ex solo Dei donantis arbitrio 1 *Corinth.* 12. 10. 11. Nec eget Deus in spiritualibus aliquâ præexistente dispositione ; ipse enim qui potestatem dat, disponit subjectum ut recipiat illam. Quomodo de dono prophetico differit *Thomas de Veritate quæst.* 12. *de Propheticâ artic.* 3. *ad* 4. *&* 6. IX Quòd hodiè nec fidelibus promiscuè, nec Ecclesiæ ministris, nec certo hominum generi ordinariò gratia illa conferatur, immo nec extraordinariò, quomodo in antiquâ Ecclesiâ etiam post tempora Apostolorum perduravisse eam modo diximus : quamvis non negemus Deum alicui gratiam illam tanquam donum actuale ad momentum, aut tanquam donum habituale & permanens posse conferre. Sed de voluntate Dei, deque ejus effectu non facilè hoc asserenti alicui credendum est. Quia non adest nunc illa ratio, quæ olim fuit : stabilitâ quippe, per tot sæcula & per tot gentes, religionis veritate.

4 *Fines* sunt vel *proprius*, vel *communis* etiam aliis charismatis. *Proprius* est, fugare ac compescere dæmones, & homines possessos ab eorum vexatione

xatione liberare : non verò aliquid à dæmonibus revelandum aut mirabile agendum obtinere. *Communis* est vel primarius, ac perpetuus, vel secundarius & accessorius, non tamen perpetuus. *Primarius* est, ut apud infideles locum inveniret doctrina Christi, & apud fideles magis confirmaretur. *Marc.* 16. *vers. ultim. Hebr.* 2. 4. Et hâc ratione gloria Dei & Christi manifestaretur. *Secundarius* est, ut manifestetur pietas ejus, qui dæmones ejicit. Quòd imprimis amplificant *Thyræus part.* 3. *c.* 36. *Raph. de la Torre disp.* 4. *Conveniunt* cum Virtute hâc ejectivâ, donum sanationum, donum reliquorum miraculorum, donum cognitionis seu prophetiæ, donum linguarum, donum prædicendi futura ; etiam potestas Dei in Satanam : ut & fides, spes, caritas. Quæ singula, quomodo ab hâc differant, facilè ex jam dictis colligitur. Confer. *part.* 2. *sel. Disp. tit. de Charismatis. Repugnantia* mox indicabimus. *Dividunt* nonnulli (ut *Thyreus de Dæmoniacis part.* 2. *cap.* 34.) potestatem hanc, in quadruplicem, ut *una* sit Christi quam Ecclesiæ suæ reliquit ; *altera* Dei, quæ viguit inter Judæos, *Tertia*, Salomonica, de quâ *Iosephus lib.* 8. *Antiquit. c.* 2. *Quarta*, diabolica quando dæmones per dæmones expelluntur. Idem quatuor illas species ita dividit juxta rationem pellendi dæmones, ut alia sit naturalis, alia divina. Illa est, quando dæmones vi dæmonum pelluntur. Ista est Dei, Christi, Salomonis. Sicille. Atqui divisiones illæ non sunt rei, sed potiùs distinctiones vocabuli πολυσήμου. Ad hæc multa falsa præsupponit ; de Judaicâ enim incertum est, an & qualis fuerit ; de Salomonicâ (quam vocant) certum est fuisse diabolicam, non divinam. Diabolicam illam, quam exercuit Apollonius Thyanæus aliique Magi, *virtutis ejectivæ* nomine non dignamur, sed potiùs lusus & illusionis diabolicæ. Itaque hæc ad opposita seu repugnantia meliùs referuntur.

Probl. 1. *An vis & potestas immittendi dæmones, aliquibus sit concessa in Ecclesiâ primitivâ. Resp.* Raphaël de la Torre tract. cit. Disp. 2. definit. *Apostolis esse concessam hanc potestatem, non tamen ad posteros esse derivatam. Priorem partem assertionis probat ex* 1 Corinth. 5. 5. 1 Timoth. 1. *Vbi vid.* commentar. Theodoreti, *dicti* Ambrosii, Thomæ, Corn. à Lapide. *Posteriorem partem probat, ex eo, quia Ecclesiæ nunc auctæ temporalibus viribus suppetunt media ad crimina puniendum, quæ cum tempore Apostolorum non suppeterent. Deus extraordinariâ potestate eam armavit, ut* Actor. 5. 5. 10. *Ita ut excommunicati tunc etiam à Diabolo corporaliter possessi aut vexati fuerint, ecclesiâ eum potestate suâ ad id cogente, Et esse hanc majorum traditionem, teste* ibid. *dicto* Ambrosio. *Exempla ejus etiam varia esse in* vitis Patrum, *nominatim in* vitâ Ambrosii descriptâ per Paulinum. *Ita præter* R. de la

de la Torre. *opinionem hanc seriò urgent* Delrio Disq. Magic. lib. 3 p. 1. qu. 7. Thyræus de Dæmoniacis part. 2. c. 30. Serrarius in Tobiam cap. 6. qu. 10. *Nos malumus cum* Augustino contr. Parmen. lib. 3. c. 1. Martyre in 1 Corinth. 5. *imprimis* Beza ibid. & Daneo in 1 Timoth. 1. 20. *loca citata interpretari. Nullo enim solido argumento inde probatur corporalem obsessionem fuisse perpetuum effectum aut concomitans excommunicationis (quidquid aliquando acciderit) multò minùs fuisse diabolum ad talem obsessionem potestate exorcisticâ & imperio Ecclesiæ adactum. Et fatetur exserte* R. de la Torre *hanc rem esse valdè dubiam, & citat contra hanc suorum interpretationem* Tertull. de Pudicit. c. 13. & 20. Hilarium in ps. 118. Hieron. in Ezechiel. c. 17. Ambros. lib. de pœnitent. c. 14. Augustin. de fide & operibus. c. 26. Probl. 11. *An dæmon fortior & alterius (ut loquuntur) ordinis, revera violenter expellat dæmonem, & sic Magi exerant prætensam suam potestatem ejectivam & exorcisticam circa obsessos; an verò id fiat tantùm per collusionem, & de compacto.* Resp. Pr. Neg. poster. Aff. *ex* Matt. 12. Luc. 11. 17. 18. *contra* Abulensem super Matth. 12. qu. 65. & R. de la Torre Disp. 3. ubi *fluctuat, quamvis solidas rationes pro nostrâ sententiâ attulisset.*

5 Charismatis hujus consequens actus & effectus est ipse Exorcismus, seu dæmonis per adjurationem ejectio. *Brulifer* (citante *Altenstaig in dictionario*) *ad* 4. *dist.* 6. *qu.* 12. triplicem facit exorcismum 1. *Salomonis*, quando per verba sacra & certos characteres fugantur dæmones. 2. *Benedictionis*, quando conjuratur aliqua creatura, ut ordinetur ad aliquem actum benedictum, & isto modo exorcizatur aqua benedicta. 3. *solennitatis*, quando conjuratur diabolus ne noceat baptizando à susceptione sacramenti &c. Sed nos nullam speciem Exorcismi hic admittimus, quia omnes sapiunt Magicas superstitiones aut vacuas observationes. *Exorcismus* ergò, quem agnoscimus, *est actus Exorcistæ, quo ex potestate divinitùs sibi concessa accedente supernaturali motione & interpositâ divini nominis authoritate imperat diabolo, ut exeat ab obsesso.* In exorcismo hoc consideranda 1. Causæ. 2. Antecedentia & concomitantia. 3. Ipse actus Exorcismi, ejusque forma & modus. 4. Consequens exorcismi. 1. Causæ efficientes exorcismi *prima* est Deus movens, seu motio & mandatum Dei cum promissione infallibilis præsentiæ & assistentiæ suę: idque vel *remotum & generale*, quod accepit exorcista in primâ collatione istius extraordinarię potestatis *Matth.* 10. 1. 8. *Luc.* 9. 1. 2. vel *proximum & speciale*, quod nihil aliud est quàm auxilium speciale supernaturale seu excitatio immediata, quâ Deus inspirat, movet, & excitat Exorcistam ad hic & nunc imperandum Dæmonibus. Quomodo præter motionem generalem, etiam particularem, ad actus propheticos requiri, docet scriptura

ptura, *Ierem.* 18. 1. 3. *Ezechiel.* 2. 1. 2. & 3. 16. 22. 24. Confer *Disp. de prophetiâ. Causa secunda*, est Exor ista qui à Deo potestate illâ instructus, & per specialem instinctum ac motionem actus agit. *Causa instrumentalis*, est fides miraculorum non in actu primo aut habitu tantùm, sed in actu secundo, per quam excitatâ & renovatâ certitudine persuasus est sibi donum & potestatem illam à Deo collatam, ad quam exerendam se nunc excitari sentit, atque adeò promissionem assistentiæ divinæ illi annexam non fallituram. *Matth.* 17. 20. 11. Antecedentia & concomitantia sunt, tum fides justificans, tum gratia sanctificans & pietas in Exorcistâ, tum etiam devotio & contentio in precibus, adjuncto subinde jejunio. Quæ requisita, sicuti & in aliis operationibus miraculosis *Ioh.* 11. 41. 42. *Iac.* 5. 14. hactenus statuimus necessaria, ut ad salutem exorcistæ, & ad majorem ædificationem proximi fiat exorcismus: non quòd absque illis nullus omninò possit esse exorcismus, aut effectus exorcismi, ut nonnullos statuisse testatur *Abulensis in Matth.* 7. *qu.* 33. Certum enim est ex Scriptura hæc charismata esse communia reprobis & electis *Matth.* 7. 22. ubi vide *commentar.* Idem probatur, ex exemplo Judæ Iscariothę, qui cum aliis accepit hanc potestatem, eamque exercuit *Matth.* 10. 1. 8. Accedunt testimonia *Cypriani de Vnitate Ecclesiæ* circa medium, *Gregor. Magni homil.* 29. *in Euangelia & Commentator. veterum ac recentiorum ad Matth.* 7.

Probl. 1. *An veri fideles absque precibus ex professo & in formâ (ita loquar) effusis, quæ ab ejaculatoriis precibus distinguuntur, unquam diabolum ejecerint, aut ejicere potuerint.* Resp. Aff. *neque enim illis ordinariis mediis Deus virtutem hanc præcisè alligavit.* Adde, *Apostolos ablatis subitò dæmoniacis nec tempus precandi habuisse, nec semper postulâsse, sed diabolos ex tempore increpasse. Vide de hoc pluribus agentem* Raph. de la Torre disp. 7. 8. 9. 14. 11. *An aliquod genus sit dæmoniorum quod difficiliùs ejicitur* Matth. 17. 21. *& quodnam illud sit? an lunaticum* surdum & mutum, *ut* (τοῦτο τὸ γένος) *videtur innuere? cur illud difficiliùs ejiciatur, an quia deterius est aliis?* Matth. 12. 45. *Et an ad illud ejiciendum simpliciter necessarium sit jejunium cum oratione in formâ, quod ad alia ejicienda non sit ita necessarium?* Resp. *Sunt qui de omni genere dæmonum accipiunt*, Athanas. Chrysostom. Euthymius. Thomas. *Contra* Lyranus, Abulensis *cum* recentioribus plerisque *de certo genere exponunt. Ex nostris* Camero in Myrothecio suo *nonnulla contulit ad loci hujus illustrationem. Nos sententias & rationes omnium fortè alibi solummodo ad quæsita tria priora* respondemus, Aff. Ad expendemus: nunc postremum *quæsitum, cum* Calvino distinguimus: non constituendum esse in jejunio antidotum in fugandis dæmonibus, sed precandi ardorem per

per illud acui. Fruſtra noſtros hic flagellat *Maldonatus*, reponens ſuum jejunii meritum. III. *Quomodo difficilior ſit ejectio, cum illa phyſicè non producatur ab exorciſtâ, ſed ab omnipotentiâ Dei, cui æque facile eſt hunc dæmonem, ac alium quemcumque ejicere.* Reſp. *Exorciſta ejuſque fides, & ex eâ exorciſmus eſt medium arbitrarium & inſtrumentum morale pro divino beneplacito aſſumptum: Atque ita ſecundum ordinem à Deo conſtitutum, pro ratione hujus inſtrumenti facilior aut difficilior eſt ejectio.*

6 III. Ipſe actus exorcizandi, ſeu exorciſmus formaliter nihil aliud eſt, quàm *increpatio, prohibitio, ſeu juſſio, ſeu obteſtatio*; accidente commina-tione aut increpatione, magis minuſve implicitâ aut explicitâ. Hæ enim phraſes in Scripturâ ſunt ſynonymæ, *Matth.* 17. 18. coll. cum *Marc.* 9. 25. ſignificat enim *increpare* metonymicè *compeſcere, perdere*, h. e. perdendo vincere, aut tollere, aut corrumpere. Quomodo ventos ac mare increpat Chriſtus *Matth.* 8. 26. 27. & febrim *Luc.* 4. 39. & hebræum גער *increpare. Nahum.* 1. *v.* 4. *increpans mare, & exſiccavit illud.* Quòd alibi per τὸ *perdere corrumpere* exponendum notat, *R. David Kimchi in lexico* & in *comm. ad pſ.* 9. *v.* 6. נערה הקשורה בלי בית" לשון השחתה τὸ *gagnara conſtructum ſine Beth ſignificat perditionem.* Idem obſervat ad *Pſ.* 68. *v.* 31. & ad *Pſ.* 119. *v.* 31. Porrò in hoc actu imperii, mandandi, ſeu prohibendi, (in quo ſolo eſſentialiter conſiſtit exorciſmus, ut ab omnibus aliis actibus & miniſteriis ordinariis diſtinguitur) Nota. 1. *Quod* ſit actus non Dei (quales erant increpationes & juſſiones Chriſti) ſed hominis tanquam cauſæ inferioris, particularis & propriæ; ſicuti de omni aliâ actione, ſive internâ mentis aut voluntatis, ſive externâ, oris & reliquorum membrorum judicandum eſt: quamvis non negemus hominem non niſi actum à Deo agere. Deus enim elevat mentem ejus & movet, ut ſit inſtrumentum hujus tàm præclari operis; idem ut cauſa univerſalis tàm naturalis quàm ſupernaturalis præmotionem, motionem & concurſum ſuum adhibet, ſine quo nulla actio ullius creaturæ *Actor.* 17. 28. 2. *Quod* actus hic imperii, ſeu hæc juſſio non fiat, niſi interpoſitâ, potentiâ & poteſtate Dei, tanquam objecto timoris dæmonum, quos adjurant: quaſi dicat: Ego nomine Dei, vel ex mandato Dei, quod ab illo accepi, tibi mando, & per ipſius potentiam, quæ hic præſto eſt & cui reſiſtere non potes, te obteſtor & conſtringo, ut hoc facias aut omittas. Eſt itaque imperium hoc delegatum, ſeu mandatum ex mandato ſuperioris, quod non incommode dicere poſſis inſinuationem ſive denuntiationem & promulgationem mandati divini. Hinc pateſcit differentia inter ejectionem Chriſti, & Exorciſtarum. *Marc.* 9. 25. Chriſtus ita loquitur: τὸ πνεῦμα τὸ ἄλαλον & κωφὸν, ἐγώ σοι ἐπιτάσσω, Ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ &c.

3. *An*

3. *An* actus hic exorcismi in mero conceptu mentis, & actu voluntatis interno (haut aliter ac precatio seu alloquium Dei) consistere possit; an vero de ratione & essentiâ ejus sit sermo externus, seu oratio quâ coram energumeno, & aliis hominibus, si adsint, diabolo mandatur ut exeat, quæritur. Nos putamus necessarium esse aut λόγον ἀποφορικὸν, aut saltem loco ejus signum aliquod exprimens mentem, nec sufficere ἐνδιάθετον *tum* quia diabolus mentis humanæ sensus & motus directè & certò scire non potest 1 *Cor.* 2. 11. *tum* etiam, quia Deus hoc externo imperio, & consequente ejus effectu, diaboli sc. ejectione, tanquam signo apud homines veritati suæ testimonium perhibet. 4. *An* aliqui gestus & actiones humanæ, externæ, sive ritus, sive ceremoniæ, circa diabolum & obsessum præterea sint necessariò adhibendæ? *Resp.* nullæ. Sufficiunt ex institutione & exemplo Christi sola verba mandati seu prohibitionis *Matth.* 17.18. cum *Marc.* 9.25.; aut signa analoga. Si quis zelo aut contentione, aut accedente seu concomitante devotione in precibus, vel δακτικῶς & designando eum cui imperat, manum extendat, aut energumenum tangat, aut agitatum & jactatum detineat, aut oculos & manus in cœlum attollat vel simile quid faciat, illud est aut per accidens plane, pertinens directè ad concomitantia, non ad exorcismum; aut est adiaphorum; aut non est actio humana deliberata, propriè ita dicta, (quales in casu insolentis & subiti alicujus objecti ab hominibus proficisci solent(: nedũ ut sit ritus, aut ceremonia mystica. Saltem nihil istorũ tanquam conditio, aut instrumentum, aut medium sive physicum, sive hyperphysicum, sive morale, nec etiam tanquam signum aliquod divinum aut divinitus ordinatum, habendum est. 5. *An* formula imperandi, seu oratio imperativa necessario ita pronuntianda fuerit & diabolo ingerenda, an vero aliquando implicari potuerit orationi ἐυτικῇ votivæ seu precatoriæ aut imprecatoriæ, ex gr. *Increpet te Deus, Satan*, aut *compescat & ejiciat te Iesus Christus* &c. *Resp.* Nihil differre in hoc ἐνεργήματι, sive quis directè & distinctè imperativâ oratione alloquatur diabolum, præmissâ aut concomitante directâ oratione ad Deum, sive indirectè & conjunctim eidem imperet implicando delegatum suum imperium orationi ad Deum directæ. Sic videmus in dono sanationum utrumque usitatum fuisse, vide *Actor.* 3.6. & 9. 34. & 16.18. 6. *An* mandatum, coërcitio, prohibitio, seu increpatio (hæc enim synonyma) hoc est adjuratio addita comminatione, maledictione, execratione, & imprecatione, in aliud objectum tendat ac dirigatur quam in ipsum diabolum. *Resp. Neg.* Nam quæ illi accedunt, aut conjunguntur & implicantur, aut præmittuntur precationes, in solum Deum tendunt ut objectum adorationis religiosæ: ad energumenum autem diriguntur tan-

quam ad objectum occupans seu materiam precationis, pro quo Deum quis orat. Ita *Act.* 9. 40. distinguimus precationem à suscitatione, & verba utriusque à se invicem. Hi actus ergo quamvis in existentiâ non ita separati (imprimis quando implicitè cum voto erga energumenum, diabolo mandatum denuntiatur) re tamen, essentiâ, formali ratione, & definitione diversi, accuratè sunt distinguendi. Nam Invocatio Dei aut votum non est exorcismus, nec vice versa, quamvis unum plerumque non sit sine alio. IV. Consequentia sunt ista *immediatum* quidem præsentia & assistentia potentiæ divinę, seu ἐνεργεία potentis ipsius roboris; 2. *Mediatum*, est ἐνέργημα seu ἀποτέλεσμα coërcitionis aut fugationis diaboli, & sanationis energumeni. 3. Exaltatio fidei apud extraneos & domesticos, & celebratio nominis divini. Ita ut tota operatio & efficacia Physica, & opus productum soli Deo miraculorum authori sit adscribendum tanquam causæ physicę directè hic agenti: non vero Exorcistæ, aut exorcismo, aut verbis ullis precantibus, voventibus, imperantibus, *increpantibus, nedum externis quibusdam gestibus, & arbitrariis signis.* Solum imperium, & verba imperii habent hic rationem instrumenti proximi & quidem moralis, ex pacto supernaturali. Reliqua quæ adhibita fuerunt, exorcismo sunt accidentalia, ut loquitur, *Raphaël de la Torre disp.* 14.

Probl. 1. *An necessario exsertis verbis semper adhibita fuerit interpositio nominis divini?* Resp. *Non arbitramur. Potuit sufficere subintellecta, aut implicitè inclusa, quomodo in sanatione illa* Act. 14 10. 11. Prob. 11. *An exorcismus, cum de ejus formali ratione disputatur, propriè dici possit invocatio Dei super creaturas.* Resp. *Ita quidem post.* A Castro lib. 6 c. hæreses in voce Exorcismus, *prævaricatur Antagonista noster* Corn. Jansenius in Spongiâ c. 1. p. 13. *cui respondimus in* Delper. Causa Papatus lib. 1. sect. 4. *Nullus exorcismus, nulla diaboli fugatio vere ita dicta est oratio ad Deum, nedum ut pseudo-exorcismi papistici, sine potestate à Deo concessâ magico more demurmurati sint tales. Sicuti aliud est auditio & lectio verbi divini, renovatio resipiscentiæ, elicitus actus fidei aut spei, receptio cœnæ dominicæ, vaticinium seu prædictio futurorum, sanatio miraculosa; & aliud invocatio Dei, quæ illis actionibus præmittitur aut adjungitur: sic etiam distinguitur operatio Exorcistica circa diabolum quæ fit imperando, aut increpando, ab operatione quæ fit circa Deum orando & supplicando: illa producit liberationem energumeni instrumentaliter, tanquam proprium instrumentum morale à Deo ex pacto supernaturali secundum beneplacitum suum ad id deputatum; hæc vero dispositivè*: quippe quod instrumentum est commune seu universale à Deo ordinatum, ad quorumvis malorum averruncationem, & quorumvis bonorum assecutionem. Breviter imperium in Diabolum, & per modum imperii diabolo quid imponere eumque constringere, est illud,

quod

quod exorcismus in propriâ & pressâ suâ significatione importât: Sic disputant *Raph. la Torre disp. 9. & 14. pag. 11. Zvvarez tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 1.* Alia, inquiunt, media, quæ huic adjunguntur, & efficaciam habent tollendi dæmonas, hic se habent per accidens. Ergo ratio formalis & quidditas ex orcismi, non est ratio invocationis seu orationis; consequenter sunt aliud & aliud; nec rectè dici potuit à *Corn. Iansenio*, Nihil aliud esse, quam invocationem Dei super creaturas. Idem enim eodem colore excipi posset, pro omnibus probis vulgaribus, pro ordalio antiquorum Saxonum, qui adjurabant super igni & aquâ probationis, immo & pro omnibus adjurationibus & ceremoniis magicis. *R. de la Torre* disp. 9. & 14.

Hactenus exorcismum divinitus institutum descripsimus. Nunc oppositum ejus superstitiosum scil. delineemus, ut contraria juxta se posita facilius eluceścant. 7
Est autem is triplex Ethnico-Magicus, Judaicus, Papisticus. Ille à Magis vi pacti diabolici per verba, signa, & ceremonias Magicas exerceri solet: cujus effectum aliquando est ejectio diaboli, per collusionem scil. & simulationem diaboli, qui nec à Mago (quid enim homo verbis & gesticulationibus suis posset adversus τὰς ἀρχὰς, τὰς ἐξουσίας, τὰς κοσμοκράτορας *Ephes. 6. 12.* nec à fortiori aut altioris ordinis dæmone invitus profligatur (quod videntur sensisse *Origines homil. 23. in numer.* & *Athanasius lib. de Corporali adventu Christi*) sed sponte egreditur, quamvis coactum se simulet. Cum enim in odio adversus homines conspirent, quomodo in gratiam hominum diabolus diabolum oppugnaret, expugnaret? Nulla ratione, nullo scripturæ testimonio hoc fiet verisimile. Vide argumentationem Christi *Matth. 12. 25. 26.* Exempla autem ejusmodi ejectionum referunt *historiæ de Magis & dæmonibus. Philostratus in vitâ Apollonii Thyanæi lib. 3. p. 136.* narrat ab Indo quodam sapiente epistola comminatoria ad dæmonem missa ex puero ejectum. Sed poëticam hujus historici fidem graphicè depinxit *Eusebius contra Hieroclem*, ut *Ludovic. Vivem lib. 5. de tradendis disciplinis aliosque recentiores* præteream. Istius generis exorcismos putatur notasse Ulpianus L. 1. ff. de Extraordin. cognit. *Non tamen*, inquit, *si incantavit, si imprecatus est sit vulgari verbo impostorum utar, exorcizavit. non sunt ista medicinæ genera, tametsi sint, qui hos sibi profuisse cum prædicatione affirment.* Quamvis *Alciatus in Parergis juris lib. 8. cap. 23.* arbitretur hominem Ethnicum Christianorum exorcismos perstrinxisse; ac propterea Justiniani consiliarios τῷ *Impostorum* substituisse *in posterum.* Quia autem omnis hæc exorcizandi ratio ad directam Magiam pertinet, non est quod pluribus eam insectemur. Videri poterit suprà *Disput. de Magiâ.* Judaicus exorcismus, ab hoc Magico non multum abludit;

ludit; saltem ad Magiam indirectam reducendus. Descriptionem ejus habes *Act.* 19. 13. 14. 15. 16. & apud *Fl. Ios. supra cit.* Quo refer artem illam exorcisticam, quam ab angelo traditam habet ἀπόκρυφα Τωβίτ *liber Tobiæ cap.* 6. & 8. In quâ triplex absurdum hactenus notârunt Theologi, *unum est*, quod dicat fumo ex corde piscis super carbone posito fugari omne genus dæmoniorum, contra *Ephes.* 6. 11. & rationes ex Philosophiâ petitas, quibus evincitur corporea non agere in Spiritus. *Alterum*, quod omne genus dæmoniorum ejici dicat, contra *Matth.* 17. 21. Ubi quoddam genus negatur ejici, nisi per orationem & jejunium. *Tertium est*, quod statuat Dæmones sic fugari, ut nunquam revertantur, contra *Matth.* 12 43. Pontificii Doctores sudant, ut fumum hunc tanquam causam aut signum fugationis ab objectis absurdis liberent: Sed solidè eos refutavit *Raynoldus in Censur. libr. Apocryphor. prælect.* 47. 48. 49. Serrarius in commentar. ad Tobiæ. 8. quæst. 3. dicit *quodammodo fuisse naturalem fumi efficientiam.* Et, *videri naturalem hanc efficientiam non tum primo simpliciter, sed in creationis principio ab ipso Deo naturæ authore cordi & jecori fuisse impressam.* Hoc scilicet est absurda absurdis accumulare. Eximius philologus Orientalis, *Ioh. Drusius castigationibus in Tob.* 6. *v.* 7. vim istius fumi, comparit cum radice Baaras decantatâ *Iosepho lib.* 7. *cap.* 23. eamque tueri latagit triplici exceptione. *Prima* est, non fugari dæmonem, sed morbos à dæmone illatos, quod naturale est, ut morbus Saulis per musicam fuit curatus. *Resp.* Atqui hæc distinctio repugnat textui *cap.* 8. *v.* 2. 3. ὅπου δὲ ὀσφράνθη τὸ δαιμόνιον τῆς ὀζμῆς ἔφυγε &c. *Deinde*, cui persuadebitur cor istius piscis ἀδήλως & ἀνωνύμου esse tam monstrosam panacæam, quæ omnibus morbis ac malis veneficis à quocunque dæmoniorum genere inflictis sanandis sufficiat? *Altera* est, *forte hanc facultatem indidit Deus his partibus ut ad odorem incensarum dæmon fugeret, non quod offenderetur hoc odore, sed quod sciret Deum ita velle, à cujus nutu omnia pendent. Resp.* Forte solvitur per nonforte. Certe si in his conjecturæ tales rem confectam dabunt, tum nulla magia refutari, nulli Magi convinci poterunt: in promptu erit semper hæc rima seu potius, apertum hoc ostium, per quod effugiant. *Tertia*, Aut *angelus eum fugavit incensi cordis symbolo, perinde ut Christus cæcum sanans adhibuit luti & fontis Siloam symbolum* Ioh. 9. 6. *Ita mihi videtur. Resp.* Eadem responsio quæ supra. Adde, symbola talia fore divina & supernaturalia. Sed unde divinum verbum tum mandati tum promissionis, quod fundet hanc relationem, demonstrabitur? Non meliores sunt conjecturæ *Valesii de sacrâ Philosoph. c.* 16. & 28. Quibus fumi hujus vim in dæmonas, facit superiorem, non naturalem sed ei à Deo tributam, non aliter ac igni vim torquendi diabolos, & benedictæ aquæ eosdem fugandi, & homi-

num

num mentes abluendi. Sed hoc est absurdum per multò magis absurdum probare. Sunt & aliæ conjecturæ Pontificiorum, super explicatione loci Tobiæ: *Quidam* volunt, non fumum, sed angelum curasse. Sed hoc refutat *La Torre cap.* 17. tanquam repugnans textui & verbis angeli. *Alii*, dæmonem fugatum excitato fumo, non tamen à fumo, sed ab angelo; ut connexum tantum indicetur. Sic *Abulensis in* 1. *Sam.* 16. *Alii* piscis fumo hoc factum, non ut instrumento, sed ut signo: habebat enim piscis ille figuram crucis; in quem finem adducuntur *Augustin. Optatus*, *Prosper.* referente *La Torre p.* 121. & *Raynoldo loc. cit.* *Alii*, fumum illum nihil tale potuisse, sed quatenus elevatus fuit ab angelo; quomodo per elevationem fabri serra facit cathedram: substantias enim separatas per assumtâ instrumenta mirabiles edere effectus juxta *Thomam lib.* 3. *contra gentes cap.* 103. Sic *Raph. la Torre.* *Alii*, dicendum putant, *Quod liber Tobiæ non sit de canone; & ideo licet recipiatur ab ecclesiâ ad legendum propter ædificationem, tamen non sit efficax ad probationem alicujus dubii, ut dicit Hieronymus* in Prologo galeato. *Veruntamen potest dici, quod fumus illius jecoris non expulit dæmonem, sed meritum orationis Tobiæ, quod per fumi odorem designabatur. Et hoc patet per illud, quod ibidem dicitur, quod angelus Raphael apprehendit dæmonem & relegavit eum in superioribus Ægypti.* Sic *Lyranus in postillâ ad* 1. *Sam.* 16. Affine his commentis apocryphis videtur illud Targumicum *Cantic.* 4. *vers.* 6. Ubi illa verba; *donec aspiret dies & fugiant umbræ &c.* Sic παραφράζων: Et omni tempore quo populus domus Israël tenebat manibus „suis artem patrum suorum justorum, fugiebant מזיקי 1. *Nocentes* (scil. „spiritus) & *tenebriones, & matutini & meridiani* (scil. dæmones) de me„ dio eorum, eo quod majestas gloriæ domini residebat in domo sanctua„ rii quæ ædificata est in monte Moriâ; & omnes מזיקיא 1. dæmones „ומחבליא 1. & nocentes (scil. spiritus) fugiebant ab odore incensi aro„ matum. Sed Platonicas cabalistico-Thalmudicas, & Magicas has opiniones de efficaciâ corporum in spiritus doctè & prolixè confutavit *Raynoldus* modo cit. Itaque non est quod huic exorcisticæ Judæorum diutius immoremur, præsertim cum infra in responsione ad argumenta pro Exorcismis Papisticis, ea perstringenda sit.

DE EXORCISMO,

PARS ALTERA.

Resp. RUTGERO HEISIO, Neomago Geldro.

Ad diem 7. Octob. 1637.

Alterâ hujus disputationis parte I. *Exhibebimus descriptionem Exorcismi Papistici* II. *Controversiam de Exorcismo in Genere, & alteram de Exorcismo baptismali explicabimus.* III. *Problemata nonnulla subjiciemus.*

IN Exorcismo Papali consideranda 1. Objectum 2. Principia & causæ. 3. Ejusdem actus. 4. Adjuncta & consequentia. 5. Similia. *Objectum* ejus est, *Primò*, diabolus, non tantum ἐνεργῶν & corporaliter possidens (circa quem versantur miraculosæ adjurationes in scripturâ memoratæ) sed & spiritualiter animam possidens, aut intus tentans, aut quâcunque aliâ ratione hominem sive internè, sive externè, sive per se, sive per Magos & maleficia infestans. Ut videre est in Exorcismo baptismali, item exorcismis maleficiatorum, adhæc internè tentatorum, denique spectrorum, de quo *Disp. de Spectris. Secundo*, spiritus omnes alicubi apparentes. De quibus secundum ipsorum dubitantiam Theologiam certi non sunt, an sint animæ damnatæ, an vero animæ fidelium adhuc laborantium in purgatorio, an dæmones, an angeli, ut ostendimus in *Desperata causâ Papatus lib. 2. sect. 2. c. 10.* & in *disp. de Probationibus spirituum.* Confusâ tamen & implicitâ suâ fide papisticâ exorcismorum arietes illis admovent. *Tertiò*, Creaturæ quæcunque irrationales, ut elementa, venti, pluviæ, tempestates, fulmina &c. animalia nocentia, ut videre est in vasto volumine, dicto, *Thesauro Exorcismorum*, in *Manuali Exorcismorum Maximil. ab Eynatten, aliisque libris Exorcisticis.* Eminent hic *campanæ*, de quarum exorcizatione in Pontificali Romano, & defendit eam *Gretserus libr. 2. de Benedictionibus c. 45.* Et *aqua*, præterea *sal*, de quibus *Rituale* seu *Pastorale Romanum*, & *Gretserus libr. cit. cap. 7.* & 48. & *Zvvarez tract. de Relig. tom. 2. lib. 4. c. 2.* Ubi ea purgari per exorcismos & dæmones ab iis expelli vel impediri statuunt, ne creaturam illam obsideant. Ut autem adjurationes illas rerum inanimatarum defendant, distinctionem hanc secundum communem Theologorum opinionem adhibent: Non adjurari illas secundum se (quia obsecrationis & imperii, per quæ fit adjuratio, non sint capaces) sed

in a-

in alio, ita ut directè terminetur adjuratio aut ad Deum, si sit per modum obsecrationis, aut ad diabolum, si sit per modum imperii. Est etiam objectum exorcismi *creatura olei, butyri, homo infirmus*, ut ostendimus *D esp. Caus. Papat. lib.* 1. *sect.* 4. Præterea *Ipsi morbi*, inter eos pestis: Exorcismos tempore pestis adhibendos descripsit *Marchinus in bello divino*, hoc est *in tract. de Peste, in problem. p.* 47. & *Gulielmus de Pretere*, à nobis citati in *tract. de Peste. Raph. la Torre Disp.* 17. *pag.* 124. edit. in 4°. mala Diabolica ad hæc quatuor redigit, quibus propulsandis potissimum occupantur exorcistæ. 1. Obsessionem 2. Persecutionem illatam à dæmone forinsecus existente, & homines affligente, 3. Infestationem domorum ac locorum per terrores & apparitiones terribiles. 4. Cladem aut damna illata bonis fortunæ, sive immediatè, sive mediatè per res sensiles, ut animalia, feras, grandines, ventos &c. Sed quidquid numeratur, omittuntur objecta primaria exorcismorum papalium *non entia* scil. hoc est dæmonia ficta, & subornati dæmoniaci. Quod vel inde quis facile deprehendat, quod magnus dæmoniacorum & consequenter exorcismorum ac ejectionum jactetur proventus inter Papistas, ubi Pseudo-Clerus eorum dominatur: sed quod in Angliâ, Belgio fœderato &c. ubi non pauci Papistæ & Clerici Exorcisticâ arte instructi, aut nulli ferè ostententur dæmoniaci, aut nulla eorum ejectio. Hic tamen Rhodus, hic saltus; hic hæretici, si quæ illis fiducia, si quæ potestas, quâ se jactant, erant confundendi. Sed metuunt ne ficta illa potestas per potestatem sæcularem deprehensa justas pœnas luat. Quomodo ante annos aliquot Amstelodami fœmina quædam stipis corrogandæ causâ satis diu obsessam se fingebat: sed fallaciâ postmodum deprehensâ, publicè virgis cæsa fuit, & dorso stigma inustum, imprimens τύπον trium crucium (quæ sunt insignia urbis Amstelodamensis) ita dæmon ille crucis signo (ut festivè epigramma Belgicum canebat) ejectus. Exorcistæ Pontificii procul dubio adhuc memores sunt quid in Galliâ ipsis evenerit coram Senatu Pontificio in tragico-comœdiâ illâ Martinæ Brosseriæ, obsessæ scilicet; de quâ vide sis *Thuanum hist. lib.* 133. & *Epistolas Card. D'Ossat. l.* 6. *p.* 211. 730. edit. in 8. Tragicum magis sortita est eventum histrionia illa mirabularia Elizabethæ Bertho næ, dictæ sanctæ virginis Cantiæ anno 1533. apud *Historicum* Anglum *Raphaëlem Halinsched*; & Dominicanorum Bernensium, anno 1509. apud historicos à Jesuitâ *Delrio* tam studiosè annotatos *lib.* 4. *disquis. Magic. c.* 2. *qu.* 3. *sect.* 4. *& lib.* 6. *c.* 2. *qu.* 3. *sect.* 3 cum quo conferendus exnostris *Hottingerus histor. eccles. part.* 5. *pag.* 331. 413. Mitius actum cum spiritu illo Aurelianensi apud *Sleidanum lib.* 9. an. 1534. & cum monialibus Hispanicis *Magdalena de la Cruz* (cujus etiam meminit *Delrio*), & *Maria de Visi-*

ta-

tatione apud *Cyprianum de Valera*. Hinc est, quod cautiores facti in terris illis ubi laicis hierarchico-inquisitoriâ tyrannide dominari nequeunt, rarò aut nunquam exorcizandi artem exerceant. Quod colliges ex *statutis ecclesiasticis Rovenii* titularis Episcopi Philippensis, & pseudo-episcopi Ultrajectini. *Hasenmullerus in Histor. Jesuiticâ cap.* 8. refert varia ementitarum ejectionum exempla; inter alia *pag.* 301. Lanspergensis aurigæ in furto deprehensi & obsessionem fingentis, quem Jesuitæ intercessione suâ à suspendii pœnâ liberabant, & de cujus liberatione ab obsessione dæmonis postea gloriabantur.

2. Has autem rerum inanimatarum *adjurationes* (*Zvvarez tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *c.* 2. addit etiam *Excommunicationes*,) frustra defendere satagunt causidici Papales, modo citati, cum *Delrio disquis. Magic. lib.* 6. *cap.* 3. Nam si comparentur formulæ exorcismorum, cum frivolâ illâ distinctione atque exceptione, facile patebit omnes non esse adjurationes directè in Deum aut in diabolum tendentes. Hinc est, quod priori difficili ad secundam hanc exceptionem confugiant *Zvvarez* & ex eo *Gretserus lib.* 2. *de Benedict. c.* 7. concedendo, adjurationem per imperium directè etiam versari circa creaturas irrationales & ad eas pervenire; non quod ad intelligentiam, sed quoad efficaciam & effectum; non quod morale illud imperium percipiant aut ad ejus intelligentiam sese moveant, aut à motu desistant: sed quia efficacia & effectus imperii ita illis à Deo imprimitur, quasi ipsum imperium intellexissent. Ita ut exorcismi istius finis & effectus sit *obedientia non moralis sed quasi physica. Quomodo* Matth. 8. *Christus imperavit mari & ventis; quod sancti viri imitari solent.* Sed miserè tortuosi hi logodædali se involvunt, & distinguendo tandem propria sua tollunt ac jugulant. Nam *primò*, Si Dei imperium & absoluta potentia in creaturas imitanda, tum etiam imitanda creatio mundi, tum omnia miracula, quæ Deus unquam fecit in cœlo & in terrâ sunt imitanda, ut sequatur scil. effectus obedientiæ quasi physicæ. *Secundò*, sequeretur omnibus Exorcistis creaturas illas exorcizantibus, potestatem ejectionis dæmonum non tantum à Deo & ab Ecclesiâ in collatione Ordinis donatam, sed & donum extraordinarium miraculorum; nec hoc tantum sed & potestatem in quascunque creaturas & totum rerum naturam inferiorem ac superiorem: quæ omnia per quam absurda sunt, propriæque ipsorum Theologiæ repugnantia. *Thomas* 22. *qu.* 90. *art.* 3. & cum eo *Zvvarez* imprudenter sibi contradicens cap. cit. num. 12. fatetur. *Non posse in se creaturas irrationales adjurari, sed in alio per modum miraculosæ efficaciæ.* Ergo Exorcistæ hæc non possunt quia quâ tales & ex vi ordinationis Ecclesiasticæ non habent donum miraculorum, ut fatetur *Delrio Disquis. Magicar. lib.* 6.

Hinc

Hinc vafrè Jesuita Gretserus. *Quod sancti nonnunquam imitari solent.* Qui sancti? an non dices, miraculis clari & dono miraculorum à Deo ornari. Sic arbitror. Atqui ô bone, meminisse debebas, nos saltem quidquid tu dolos & vincula nectas, probè meminimus, institutam fuisse defensionem Benedictionum & *Exorcismorum* quibus ex arte & secundum formulas Romanas utuntur οἱ τυχόντες Exorcistæ vestri. De iis & pro iis dic aliquem colorem, non de sanctis extraordinariâ excitatione seu motione, ut & dono miraculorum instructis. *Tertio,* Si valet hæc distinctio, tum sequeretur non soli Deo aut filio Dei Jesu Christo potestatem physicam faciendi miracula competere, sed & sanctis immo vulgaribus Exorcistis, siquidem physicâ obedientiâ creaturæ etiam irrationales illis subjiciantur. Atqui hoc absurdum: nam potentiæ huic passivæ obedientiali respondet sola activa potentia Dei absoluta, ut notum ex vulgaribus Metaphysicis; sed illam Deus nulli creaturæ communicat. De quâ quæstione ex professo agitur in *Disput. de Miraculu.* *Quartò*, Excommunicatio creaturæ irrationalis si est abusus rei sacræ & nominis divini, ergo & adjuratio. Sed verum prius. Probatur ad hominem, ex celebri Navarro Manual. cap. 27. n. 13. *Superstitionis,* inquit, *est credere, quod possunt excommunicari locusta, Bruchus, aut aliud genus vermium & animalium irrationalium &c.* Denique *Quinto*, nullâ ratione adjurationes tales (invocationes Dei super creaturas, vocat antagonista noster *Jansenius* tunc Professor Lovaniensis, post Episcopus Iprensis, in suâ *Spongiâ cap.* 1. p. 13.) excusari possunt: sive dicantur tendere in Deum, sive in creaturas per interpositionem deprecationis ad Deum. Si diriguntur ad creaturas, jam ridiculæ sunt cum non intelligant: sin imperatur huic monti aut vento, morti aut morbo interposito nomine Dei, jam temerariæ sunt. Quia adjuratio per modum deprecationis pertinet ad eos, qui divinâ invocatione miracula faciunt, juxta *Thomam* 22. *qu.* 95. *art.* 2.

Principia & causæ Exorcismi sunt ipsis 1. Exorcista 2. Donum exorcisticum seu potestas ejectiva, 3. Ars seu methodus & praxis exorcistica. *Exorcistam* statuunt ordinarium quidem, *personam Ecclesiasticam cui gradum, ordinem, & officium hoc contulit Ecclesia (penes quam Christus* Matth. 10. Marc. 16. v. 17. Potestatem ejectivam collocavit) *& quidem certis ac debitis cum ceremoniis,* (ut videre est in *Pontificali Romano p.* 8. 9. edit. Venetæ anno 1561.) *quo potestatem accipit manus imponendi energumenis sive baptizatis sive catechumenis, addita hâc promissione, per impositionem manus, gratia spiritus sancti, & verbis exorcismi pellendos dæmones.* Ordinem hunc inter ordines minores designant tertium, ejusque officium faciunt 1. Ejicere dæmones. 2. Dicere populo, ut, qui non communicat, det alteri locum. 3. Aquam in 3

ministerio fundere; ut *Ibid.* docet *Pontificale.* 4. Addit *Durantes Rational. lib 2. cap.* 27. ex Concilio Carthagin. victum quotidianum ministrare energumenis in domo Dei assistentibus. Ætatem autem susceptioni hujus ordinis aptam olim constituebant à septimo anno usque ad duodecimum. can. *In singulis dist.* 77. Sed nova jura nunc eos idoneos declarant, qui saltem latinam linguam intelligunt *Concil. Trid. sess.* 23. *cap.* 11. Ibidem decernunt per temporum interstitia conferendos minores ordines, ostiarii scil. lectoris, Exorcistæ, acolythi seu ceroferarii, ut in unoquoque munere juxta præscriptum Episcopi se exerceant. Addunt tamen hoc generale omnis reformationis amuletum: *nisi aliud Episcopo expedire magis videretur.* Declarat *Congregatio Concil. Cardinalium* 11. *April. anno* 1595. transire hanc facultatem remittendi interstitia Episcopo competentem in vicarium capituli, sede vacante. Quin etiam absente Episcopo ad vicarium Episcopi habentem mandatum generale in forma 5. *Mart.* 1597. Item *anno* 1591. 20. *Septemb.* censuit Homines religionis Illyricæ quamvis latini idiomatis rudes; si tamen linguam Illyricam intelligant, posse ad ordines illos promoveri. Cardinalis *Toletus lib.* 1. *c.* 1. *Instruct.* docet, ordinem tenere & characterem imprimi, etiamsi conferretur extra ætatem legitimam (septimum annum scil.) etiam ante usum rationis. Et hæc quidem aliaque compluria istius farinæ tanto molimine deciduntur, quasi distinctus esset ordo Exorcistarum in Ecclesiâ Romanâ. De non ente pro more suo disputant, & Deo hominibusque in tam arduis rebus illudunt. Docet enim experientia, & rotundè mysterium hoc detegit Jesuita Fornarius cap. 7. addit. ad lib. 6. Instructionis Toleti: *Exorcistæ officium est exorcizare &c. ut pellantur ab eis dæmones, quod tamen nunc præstare solent sacerdotes.* Dicant ergo de sacerdotibus exorcizantibus, non de distincto ordine Exorcistarum infantium aut puerorum. Porrò quæsit materia & forma & quid de substantiâ hujus commentitii ordinis docebunt nos Pontificii, ubi ipsi didicerint. *Durantes loc. cit. libri* (*Exorcismorum* scil. aut ejus loco *Pontificalis* seu *Missalis*, ut habet Pontificale) acceptionem & verba præmissa statuit esse de substantia ordinis, cætera vero solennitatis. Atque hunc quidem chimæricum seu histrionicum Exorcistam in forma ad hoc munus ordinatum, & definitis verbis ac orationibus ab Ecclesiâ institutis utentem nomine Ecclesiæ ejicere dæmones, atque ita ipso actu verificari potestatem hanc Ecclesiæ à Christo collatam *Matth.* 10. & *Marc.* 16.

4. *Donum exorcisticum*, seu potestatem ejectivam faciunt duplicem in Ecclesiâ Romanâ: Unam extraordinariam, alteram ordinariam. Illam ab istâ distinguunt: quod in eâ tres interveniant actiones seu motiones ex auxilio

Dei

Dei ſpeciali & ſupernaturali, quarum *prima* ſit excitatio ad imperandum dæmonibus; *ſecunda* imperium ipſum; *tertia*, ejectio dæmonum. Et habet ſe hoc donum ut donum prophetiæ. In ordinariâ verò poteſtate, *Prima* motio eſt merè naturalis (cùm in extraordinariâ ſit ſupernaturalis, quâ peculiariter excitantur & moventur à Deo ad miracula patranda) quam motionem in ſe agnoſcentes miracula operantur cum fiduciâ, *Secunda* verò & *tertia*, ibidem ut in extraordinariâ ſupernaturalis; ubi gratia gratis data conſiſtit in imperio, quod elevatur à Deo ut efficaciam habeat ad dæmones fugandos. Elevatio autem iſta nihil aliud eſt quàm Dei motio communicata illi imperio. Sic *Raph. de la Torre lib. cit. Diſp.* 2. Extraordinariam autem hanc poteſtatem ejectivam volunt durâſſe poſt Euangelium in mundo propagatum, etiam uſque in hunc diem; & in probationem adducunt exempla plurima ſuorum θαυματύργων ut Triphonis paſtoris anſerum; Brigittæ; Genovefæ, Catharinæ, Anatholiæ, apud *R. la Torre p.* 167. Nec mirum: eſt enim gloria miraculorum perpetua Eccleſiæ iſtius nota, ſi quidem vera dixerit *Bellarminus de Eccleſ. Milit. lib.* 4. *c.* 14. *Ordinarium* poteſtatem primario tribuunt Exorciſtis Eccleſiaſticis *theſi praced.* deſcriptis: ſecundariò tamen ἐξουσίαν illam extendunt ad homines non ordinatos, qui ſcilicet licitè poſſint ſubinde exorcizare duobus modis, *Uno* viſibiliter & externè, quando non ſolenniter aut publicè ſecundum ritus & formulas ab Eccleſiâ præſcriptas (hoc enim eſt ſolius Eccleſiaſtici Exorciſtæ) diabolum adjurant: *Altero*, quando occultè, inviſibiliter, & ſpiritualiter *fideles tentanti dæmoni reſiſtunt & illum exprobant, & interius adjurant in nomine Domini, ut diſcedat: licèt non ſint omninò certi, quod dæmon paruturus ſit, nihilominus probabiliter id ſperare poſſunt &c.* Sic per ἀπαγωγὴν & fallaciam ἐπροζητήσεως nugatur *Suarez. tomo* 2. *de Religione lib.* 4. *c.* 2. Ita ut poteſtas hęc ejectiva alio loco non ſit inter Papiſtas, quàm ars Medica, quam ut ut extraordinario in certis caſibus Αλεξίκακοι quivis, & ſperpetuò ac ordinario promoti Doctores exerceant, delere tamen non poſſunt illud Poëtæ oraculum,

Non eſt in medico ſemper relevetur ut æger,
Interdum doctâ plus valet arte malum.

De toto Choragio divinorum remediorum (quæ *infra* §. 5. indicantur) pronuntiat *Delrio lib.* 6. *c.* 2. *ſect.* 3. *qu.* 3. & ex eo repetit *Codronchius lib.* 4. *de morbis veneficis cap.* 3. *in fine. quod non ſemper eccleſiaſtica remedia ſint efficacia, neque ſemper homines per ea à maleficiis liberarentur.* Immò quid familiarius Jeſuitis, quàm jactare fruſtrà remediis ſacris (*ſacris eccleſiæ carminibus fruſtrà adhibitis* (ſic loquitur *Imago primi ſeculi &c. lib.* 5. *pagin.* 629.) per alios exorciſtas, admotis per ſolam Mariæ invocationem,

& per jussum Ignatii aut per artem & Sanctitatem fibulatorum Patrum dæmoniacos liberatos. Confer exempla apud *Hasenmullerum in histor. Iesuitic. cap. 8. pag. 297. 305.* Quod quam longè differat à charismate illo δυνάμεων & ἐνεργημάτων, adversus diabolicas possessiones quo Deus suos aliquando instruxit *Matth. 10. Marc. 16. 1 Cor. 12.* ut fidei veritas præjudicia hominum perrumperet; cuivis hinc, & ex iis, quæ *suprà part. pr. §. 4. c. 6.* explicata sunt, satis superque constare arbitror. Confer *2. part. select. Disp. tit. de Charismatis.*

5 *Ars Exorcistica* in Papatu si tota suis coloribus hic esset depingenda, non minus chartæ nobis conscribillandum, quam illis, qui Methodum medendi, aut artem chymicam, aut Magiam naturalem, aut Antidotarium; aut strategicam seu artem bellandi, aut similes libros componunt. Faciemus ergò, quòd thesis nostræ patiuntur, & digitum ad fontes intendemus. Præsupponit hæc methodus sua *Physiologica*, de Dæmonum distinctis generibus, deque distinctis eorum actibus, moribus &c. & *Pathologica* ac *Semiotica*, de energumenorum variis affectionibus naturalibus, moralibus, spiritualibus, meritis & demeritis &c. Ipsa *Therapeutice*, habet antidota primò *præparantia*, & adjuvantia ut sunt missa & pœnitentia Papistica, reliquiæ, crux, aqua benedicta, sal exorzatum, agnus Dei, aliæque res benedictæ, de quarum efficaciâ, aut inefficaciâ supra actum est. Deinde *expurgantia*, quę sunt terribiles Exorcismi, acerrimæ exprobationes, protestationes contra Satanam, quorum πολυκοινίας formulas exhibet Ritual. Romanum, *Hieronymi Mengi flagellum Dæmonum, Venetiis 1630. Ejusdem fustis dæmonum, ibid. Maxim. ab Eynatten Manuale Exorcist. Zachar. Vicecomitis supplementum artis Exorcisticæ*, imprimis vastum illud volumen Coloniæ editum, titulo *Thesaurus terribilium Exorcismorum &c.* Indicat mihi *Codronchius lib. 4. de morbis veneficis cap. 3.* Brixię apud Petr. Marchetum Anno 1640. editas esse quasdam potentissimas & efficaces conjurationes ad expellendas & fugandas aëreas tempestates sive à dæmonibus per se sive ad nutum maleficarum excitatas; quas collegerat *Petrus Lacatellus presb. Bergomensis tit. S. Cassiani.* Citat *Clar. Cloppenburgius, olim* in ministerio ecclesiastico conjunctiss. collega *in Syntagm. Selectar. Exercitat. Theolog. Disp. 6. Manuale seu Processionarium fratrum regulam primitivam Mariæ in monte Carmelo professentium, hoc est excalceatorum*, editum Madriti Anno 1591. Reperio ab aliis citari *Valerii Polydori Patavini practicam Exorcistarum & Prierii tract. in malignos spiritus*, sed neutrum hactenus videre contigit. Multis ritibus, verborum formulis, & Magicis gesticulationibus, & quidem recurrentibus horis & diebus sępè, & certo ordine contra dæmonem in aciem

ciem educuntur : haud aliter ac ancipiti Marte cum certant duo Imperatores (siquidem & Exorcista in *Pontificali Imperator* salutatur.) Nec prius desistunt, quam hostem vicerint, & certum signum discessus sui dederit. Hoc enim expresse secundum horribilem hanc artem Exorcistæ observandum : quasi jam dixerit verum esse axioma illud Servatoris *Iohan.* 8. *Diabolus mendax est &c.* Ut juniores videant abominationes Papatus indicamus breviter nonnulla ex apparatu exorcistico. Adhibent inter alia 1. res, 2. actiones & ceremonias, 3. figuras, 4. verba. 1. *Res* sunt vel inanimatæ, vel animatæ. Istæ sunt etiam diaboli, ex quibus constituitur Princeps qui alios ejiciat. Et hoc licitum esse defendit *Hieronym. Mengus* in hâc arte expertissimus scil. in *Fuste Dæmonum prolegom. p.* 21. ubi contra-sentientes graviter increpat & vocat *instrumenta diaboli* p. 18. Vide & *summam Sylvestrin. in voce adjuratio.* Inanimatæ sunt partim simplicia, partim secundum pharmacopoëiam seu pharmaceutriam composita, ut thus, panis & sal benedictum, rami palmarum, campanæ, agni cerei, lux, ignis, oleum, aqua incensa, suffumigationes, *Recipe Galbani, sulphuris, asæ fœtidæ, aristolochiæ, hyperici, rutæ An.* 3. *jjj. & omnia simul conjurata ac benedicta sequenti benedictione, projice in ignem & vexatum, velit nolit, diu facias super dictum ignem suffumigari.* Sic Mengus in flagello dæmonum, appendic. de remediis efficacissimis p. 62. 63. Ubi & exorcismum subjicit : *Exorcizo te creatura incensi, vel sulphuris vel myrrhæ, vel ligni aloë, vel camphoræ, vel asæ fœtidæ per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per sanctissi nam trinitatem &c. ut sis in defensionem nostram, & efficiaris perpetua fumigatio exorcizata, benedicta & consecrata in salutem nostram & omnium fidelium Christianorum, & perpetua pœna sis omnibus malignis spiritibus, & fortissimus ac infinitus ignis eorum, & magis quam sit infernalibus spiritibus sulphur & ignis infernalis & omnis pœna &c.* Confer *p.* 55. ubi benedictio rutæ & *p.* 25. & 26. ubi *R. Helleborii albi* &c. & R. *Florum genestæ* &c. Alias formulas orationum seu brevium admodum efficaces ac probatas sibique à quibusdam piis & peritis sacerdotibus exhibitas describit *Baptista Codronchius* medicus Imolensis *lib.* 4. *de morbis veneficis pag.* 123.

✠ *Iesus* ✠

Præcipio vobis Angeli Satanæ, in nomine, & virtute Sanctæ Trinitatis, ut de cætero non præsumatis hanc creaturam N. quoquomodo contingere, vel molestare, neque per facturas, neque per incantationes, neque per illusiones aliquas : & hoc ego vobis præcipio in nomine Domini Iesu Christi, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

✠ *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ tu nos ab hoste protege, & hora mo-*

mortis suscipe. Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Iesus Mariæ filius, mundi salus, & Dominus sit tibi clemens, & propitius, & meritis B. Vincentii liberet te à potestate diaboli, & insidiis ejus, & ab omni infirmitate ✠ Sanctus Deus ✠ Sanctus fortis ✠ Sanctus & immortalis miserere mei. N. fiat ✠ in nomine patris ✠ & filii, & Spiritus Sancti Amen ✠✠ Iesus ✠✠ Iesus Mariæ filius.

Scribatur hæc oratio super paginam à Sacerdote benedictam : cui addere potes sal exorcizatum, folium olivæ in die palmarum benedictum, rutam, thus, & mirram, benedictione roborata, Agnum Dei integrum, & Sanctorum reliquias ; quæ omnia, vel aliqua ex eis simul juncta reverenter, & devotè collo suspendantur, & gestentur.

Alteram postea orationem à simili sacerdote mihi traditam huic addere volui ea forma verborum, quibus mihi data est.

Remedium liberativum, & præservativum ab infestationibus dæmonum, vexantium homines, jumenta, & habitacula eorum, & ab insultibus maleficorum.

I. Qui verbum caro factum est, & habitavit in nobis, nascens ex Vir-
N ✠ R. gine Maria, per ineffabilem pietatem, & misericordiam suam
I. piissimam, & per intercessionem ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, & Angelorum, Sanctorumque omnium, & maximè Apostolorum, & Evangelistarum suorum Iohannis, & Matthæi, & Marci, & Lucæ, ipsum quæso, ut dignetur me liberare, & conservare ab omni infestatione Satanæ, & ministrorum ejus. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Porro ab his rebus naturalibus & corporeis affici, vexari, cruciari, & pelli dæmones defendit non tantum *Mengus Flagello proleg. c.* 13. sed & Jesuita *Serrarius comm. in Tobiæ.* 8. *qu.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. ubi citat prosè *Carthusianum in Tobiæ* 8. *Gul. Parisiensem de Universo, Franciscum Georgium tom.* 6. *probl.* 119. *Hieron. Mengum in flagello Dæmonum, Tholosanum syntagm. Iuris lib.* 34. *c.* 22. *Valesium philosoph. sacræ c.* 28. *Barthol. Fayum in Energumenico* Addimus *Delrio lib.* 6. *c.* 2. *sect.* 3. *qu.* 3. *& Barthol. Fayum in energumenico pag.* 98. edit. in 8: ubi *Agrippæ* vinculum *lib.* 3. *de occult. Phil. c.* 33. alligandis aut exterminandis spiritibus per herbas, flores, animantia & alias res naturales constitutum ex rerum naturalium antipathiâ & sympathiâ defendit, contra *Vierum. lib.* 2. *de præstigiis cap.* 5. *&* 33. *& lib.* 4. *cap.* 16. Et hic quidem J. C. sed religione rigidiss. nostræ religionis adversarius. Nec prętereundus *Malleus Maleficarum part.* 2. *q.* 2. Cum autem quidam efficientiam illis tribuant supernaturalem ut *Valesius*, seu moralem ut *Zvvarez, autores mallei statuunt* quadantenus naturalem : Et

sic

sic *Raphaël de la Torre* multis disputat, *Disp.* 15. & *Disp.* 17. ubi refutat Serrarium. Codronchius modo cit. refert. ibid se monitum à pio Sacerdote, *in hisce brevibus deferendis ne quis ita certam in eis fiduciam constitueret &c. cum nec virtute naturali, neque ecclesiastică ordinariè ad tales effectus producendos vim habeant: & ideo in Deo omnem fiduciam collocandam; ob cujus memoriam & reverentiam frequenter licet talia brevia deferre.* Nec præterendum est (ut videas horrenda mysteria magica in Papatu fota) quod ex Pontificiis nonnulli tradiderint, sanguine humano postibus illito dæmones fugari. Sic *Ludovic. Banairolus à Serrario cit.* ubi tamen ipse opinionem hanc rejicit. Sed cur Serrario plus autoritatis tribuet Papistarum credulitas aut reformatorum justum examen, quam *Banairolo*? II. Actiones & ceremoniæ inter alias notandæ sunt, Trina exsufflatio in aquam, dicendo *Exsufflo te omnis legio &c. Meng. p.* 34. *Flagellatio*, colaphorum inflictio, aurium & capillorum vellicatio *Meng. Flagell c.* 3. quorum efficaciam ex professo defendit in *Fuste*, *proleg. c.* 8. quod dæmones illa ferre nequeant, *tanquam in sui dedecus & contemptum exercita.* Hic succurrit mihi, quod *Bodinus* refert in *Theatro naturæ pag.* 612. etiam Phreneticos flagellari. Sunt & multæ consecrationes, ex quarum formulis apud Mengum hæc verba exhibeo: *Dirigatte* (ô oleum) *inæstimabilis bonitas, regat te potentia Dei Patris, vivificet te sapientia Dei filii, deducat te virtus Spiritus S. &c. crux Christi salvet te, duodecim apostoli custodiant te, sancti martyres te adjuvent, sancti confessores te benedicant, omnes sancti sacerdotes. V. & N. T. te exorcizent & sanctificent.* Postremo memoranda illa suffumigatio, de quâ Mengus flagell. p. 114. Si inquit, *nec audire nec obedire voluerit, accipe ignem & sulphur, & dæmoniacum velit nolit, diu super dictum sulphur & ignem facias fumigari, donec de omnibus quæ tibi placuerint, dixerit veritatem.* Quam Mengi practicam defendit *Serrarius ad caput* 8. *Tobiæ qu.* 5, *p.* 14. III. Figuræ quæ adhibentur, sunt imprimis cruces multiplicatę. De cujus usu & abusu, & hic & alibi, peculiari *Disp.* supra egimus. Artem per characteres diabolum pellendi Judęis olim usitatam commendat *Mengus*; quod ita incrustat Serrarius p. 88. *Quæ nihil aliud est quam certa quædam ratio ea contra dæmones faciendi & adhibendi quæ vel Deus, vel angeli, vel boni, periti, & sapientes viri docuissent.* IV. *Verba*, sunt vel sacra, vel profana. Illa sunt 1. *lectiones* seu tmemata scripturæ sacræ aut liturgiæ, inter quæ excellit initium Euangelii Johannis, & tria verba quæ in canone Missæ ipse diabolus ostendit fratribus, affirmans hanc esse catenam, quâ magister ejus Lucifer esset ligatus, sunt autem illa verba: *Peripsum, & cum ipso, & in ipso.* Ita felix ille historicus *Cæsarius Heisterbacchensis lib.* 5. *c.* 13. unde hoc per appositum exemplum

plum mutuavit *Serrarius p.* 89. Quin & totum missæ choragium, quod cum contra mortalitatem pecorum (ut habet *rubrica antiqui missalis Parisiensis* Anno 1508. in 8.) omniaque mala sit antidotum universale, quidni contra dæmonas? Antecedens alibi ex Pontificiis probavimus. Vide & confer *Rivetum in Hoseæ* 2. *& in cathol. orthod.* 2. *Nomina Dei*, Angelorum & sanctorum. 3. *Imprimis* etiam ignota, ut, *Hel*, *Heloym*, *Heloah*, *Sabaoth*, *Heloim*, *Eserheje*, *Adonay*, *Iehova*, *Ya*, *Tetragrammaton*, *Saday*, *Messias*, *Hagios*, *Ischyros*, *Ho Theus*, *Athanatos*, *Soter*, *Emanuel*, *Agla*, *Iesus*, *Christus*, *Alpha & Omega*, *Principium & finis*. Quæ nomina illo ordine interjectis crucibus ita collocata habes in conjuratione, apud *Meng. in flagello* p. 225. & alibi passim. Esse autem exoticarum vocum usum & efficaciam defendit *Mengus flagell. in prolegom. c.* 8. Quamvis *Paulus Girlandus* multa ejusmodi dicat esse vana & Magis usitata: fatente *ibidem Mengo*. 4. *Formulæ orationum*, conjurationum, benedictionum exprobrationum Satanæ ex verbis sacris, ut prætendunt, compositæ; & vel memoriâ cum contentione pronuntiatæ, vel ex libro exorcistico recitatæ: & quidem linguâ latinâ: quamvis *Mengus* fateatur diabolum rarissimè latinè loqui, *Flagelli proleg. c.* 2. Ejusdem farinæ sunt brevia & scedulæ continentes sancta verba Dei aut nomina Dei, quæ latenter super obsessum alligari, iisque applicari posse ad tollendam vexationem docet *Mengus Flag. proleg. c.* 2 & 11. Verba profana sunt partim examinantia, partim acerbè exprobrantia, partim sarcasticè ridentia dæmonem. De Examine mox dicemus. Exprobrationum formulæ complures occurrunt apud *Mengum* & *Maxim. ab Eynatten.* Contumelias, convitia, & mycterismos defendit *Serrarius pag* 87. posito pro fundamento, si non probativè saltem amplificativè, exemplo Apollonii Thyanæi. *Mengus*, non vulgarem iis tribuit efficaciam, & cum compelli nullâ ratione, nullo exorcismo possunt dæmones hanc sacram commendat anchoram lib. cit. p. 37. *Ut sacerdos imponat spiritibus* (qui præ metu dæmonis superioris non audent veritatem revelare) *nomina irrisiva, puta dicendo. Primus post principalem vocetur Fachinus; secundus pistor; tertius coquus Acherontis, & hujusmodi.* Et *in Fuste proleg. c.* 8 Ubi exemplo Francisci commendat verba sordida in dedecus & opprobrium diaboli prolata. Cùm enim *B. Franciscus vellet liberare fratrem Ruffinum à diabolicâ tentatione, inter alias illi dixit: Ut verè scias cognoscere, quod ille, qui tibi apparet in formâ crucifixi non est Christus, sed diabolus; cum tibi iterum apparuerit, dicendo, ego sum Christus, respondeas illi: Aperi os tuum, & implebo illud stercore* (al. criticè & philologicè: *ego in illud stercorizabo.*) *Quod cum feciset frater Ruffinus, indignatus Dæmon, cum maximo tumultu inde recessit*

disrum-

disrumpendo lapides, & rupes illius montis Subasii, ubi usque in hodiernum diem (ut fertur) videtur illa magna ruina à dæmone illo facta. Atque hæc rediimenta contra dæmonum energemata, aliasque eorum infestationes. *Delrio lib. 6. cap. 2. sect. 3. qu. 3.* de iis ad duodecim capita redactis fusè disserit: quem conferre poterit, cui vacat; & librum miraculorum sacramenti Bruxellensis in 8. editum. *Consect. 5. Serrarius commentar. in Tobiæ 8. quæst. 1.* exagitat Lutherum quod explosâ Papali Exorcisticâ, dæmonem rebus ridiculis, fœdis & obscœnis pellendum docuerit, inter alia crepitu ventris, jocis, dicteriis, dicendo, ut diabolus oleta odoretur & edat. Sed nos in Jesuita desideramus *primò* fidem, quibus tabulis & testibus hoc probat? Nam quæ ex *Sermonibus convivalibus Lutheri* citantur, nobis non sunt γνήσια Lutherana: ipse enim Lutherus librum illum nec scripsit, nec edidit, nec ab aliis scribi edique jussit, aut editum approbavit. *Deinde* prudentiam: an non videt manticæ quod in tergo est. In Franciscí φαντασίῳ πόδων consilium, ipsiusque adoratores, atque in *Mengum* modò *cit.* debuisset hanc censuram stringere.

Actum & Formam exorcismi, cùm ad se redeunt, collocant in imperio, per quod nomine Dei adhibito constringitur diabolus & cogitur. Praxis tamen & quæ illam excipit, apologia, alios modos adjungit, ut exprobrationes, irrisiones &c. de quibus modo diximus. Præter nomen Dei, etiam per Angelos, sanctos, & omnes sacerdotes, virgines, & intereas Catharinam, Margaritam, Ursulam, & crucem, lac Mariæ, merita & orationes, patriarcharum & prophetarum &c. diabolus adjuratur, *Meng. Flagell. p.* 54. 55. 72. 73. 115. & quidem altâ voce, cum magnâ audaciâ & viriliter p. 106. Illa autem ad quæ diabolum exorcismis suis constringunt, sunt varia 1. *Ut revelet* & doceat ea, quæ faciunt ad ædificationem proximi, & salutem obsessi. Vide quæ notavimus *Desp. caus. Papat. l. 1. sect. 4. p.* 29. 30. 2. *ut in specie indicet* nomen suum, & socios, & causam ingressus, quibus verbis magis crucietur, & quis eum debeat expellere & qui sint sui inimici in cœlo, & qui in abysso, *Mengus p.* 14. Licitum autem esse hæc interrogare, & petere officia ac servitia à diabolo quomodo Deus & angeli utuntur ministerio dæmonum, innuit *Cajetanus ad 22. qu. 90. art. 1.* Ubi addit, si quis utatur dæmonum societate imperfectè, non peccare illum mortaliter. Et sic *Navarrus Manual. cap. 11. n.* 28. 3. *Ut illa confessa ratificet p.* 40. 4. *Ut dæmonem* profitentem se velle abire non licentiet Exorcista, nisi facto præcepto, quod nullum ex sociis relinquat in obsesso, & quod de cætero non regrediatur, & super hoc exigat ab illo promissum *p.* 40. 5. *Ut cogat* eum signum dare discessus sui. *Rituale de Exorciz. p.* 317. cum 319. 6. *Ut cogat* illum non tantùm à vexa- 6

tionibus desistere, sed etiam ablata restituere; specialiter Eucharistiam (hoc est, juxta Papisticam Theologiam, ipsum Christum) *Maximil. ab Eynattem Manuali part. 2. p. 185.* 7. *Ut cogat* exorcista diabolum confiteri aliquam fidei veritatem, & in virtute illius veritatis Deo exhibere reverentiam, puta flectendo genua, & cum inclinatione capitis ter percutiendo terram, adorando sanctissimam trinitatem. *Ibid. p. 15.* 8. *Ut in virtute* Dei præcipiat Lucifero & omnibus potestatibus infernalibus, ut dæmones contumaces & nobis inobedientes crucient in inferno: & spiritui principali in corpore obsesso, ut secum educat totam societatem suam seu ut ejiciat dæmones inferiores. Et ratio hæc subjicitur; quia habent dæmones inter se inimicitias & pugnas; propter quod unus interdum ad imperium nostrum alium libenter castigat. *Ibid. p. 14. & Sylvester in voce Adjuratio.* 9. *Ut exorcizet* non tantum diabolum, sed & obsessum. *p. 65.* 10. *Ut sententiam* ferat in diabolum *p. 236.* ubi formam sententiæ describit, 11. *Ut solvat* dæmonem, siquidem dicat se non posse exire, eo quod per incantationes & vincula aliqua sit ligatus. *p. 238.* ubi & formula solutionis. 12. *Ut non tantum* compellat diabolum ad omnem veritatem revelandam, sed etiam exigat ab illo promissum. *p. 239.* Ubi & formula promissi in quâ præscribitur diabolo juramentum, *ex nunc invoco Deum iratum &c. voco similiter Luciferum cum omnibus aliis principibus furiis, & pœnis infernalibus &c.* Ut vel hinc Jureconsulti artem suam augeant & suppleant, ubi agunt de qualitatibus eorum, quibus juramentum deferendum aut imponendum sit. Iidem pariter cum Theologis inter paralipomena sua posthac notare debebunt hoc dictatum: Dæmoni injurato, imprimis jurato in casu hoc credendum esse; ipsiusque juramentum debere esse, πίστις πίστις ἀνοησίας. Vah! quam fœtida & diabolica hæc Theologia 13. *Cum energumenus* non liberatur per conjurationem, & tamen ea urgente necessitate dimittenda est, præcipiat spiritibus remanentibus in corpore, ut recedant à capite, corde, stomacho, & descendant ad ungues mortuos pedum. *p. 241.* 14. *Si dæmones* nolint exire, scribe nomina eorum in scedula; & illa combure; quia ista sunt illis gravissima, *Mengus in Fuste p. 144.* Etiam imaginem eorum cum nominibus depictam teneat super ignem *Flagell. p. 194.* & in eum præmissis adjurationibus super exorcizatum projiciat. *p. 199. 189.* aut impone ipsis nomina irrisiva, & faciat illis suffumigationes horribiles & fœtentes in *Fuste p. 279.*

7 *Adjuncta* & consequentia exorcizationis Papisticę sunt 1. Quod exorcismi debeant multiplicari & repetitis vicibus continuari; quamvis sæpè eluserit diabolus omnes machinas adhibitas. 11. Quod ejectio fiat per effi-

efficientiam *physicam*. Sic *R. la Torre disp.* 15. & *Serrarius* supra *cit.* Contra, quod fiat tantum per *moralem*. *Sic Zvvarez de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. III. Quod modus & radix hujus efficientiæ moralis sit triplex: *prima* quidem veluti connaturalis; quia diabolus cum per Christi crucem victus sit, sequitur ex naturâ rei illum audito nomine Christi, & viso signo crucis perhorrescere, torqueri; & quodammodo confundi. *Secunda*, vim imperandi esse fundatam non tantum in ministro, sed in sanctitate totius Ecclesiæ cujus nomine ille orat: & ratione hujus intercessionis fit hic effectus per modum impetrationis. *Tertia*, causam probabilem esse specialem potestatem datam ecclesiæ à Christo ad imperandum dæmonibus. *Zvvarez ibid.* IV. Quod per exorcismum ex opere operato diabolus è baptizandis pellitur *Angles in floribus. ad* 4. *part.* 1. *p.* 75. V. Quod rerum exorcizatarum, ut & aliarum benedictionum magna sit efficacia (de quâ alibi dicendum). Hic tantum de campanis audiatur Viguerius Instit. cap. 16. §. 8. ver. 1. *Per illorum sonitum procul pelluntur hostes exterius, & omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum &c. spiritus procellarum & aereæ potestates prosternuntur &c.* Sed de campanis vide in *Politicâ eccles. tit. de Templis & utensilibus templorum.* VI. Effectus ejectionis non absolutè sequitur nec absolutè est promissus huic exorcismo, nec semper ita sequitur quin impediri possit, vel propter privatam, vel propter publicam causam. Sic *Svvarez loc. cit. Dominicus à Soto de Iustit. & Iure qu.* 3. *art.* 2. *Victoria Relectione de Magia qu.* 6. *Raphael de la Torre Disput.* 16. Contrarium tamen tenent *Alphonsus à Castro contra hæres. in voce Exorcismus, & Cajetanus comment. in Marc.* 16. VII. Esse hanc doctrinam certam & de fide, & hæreticos esse omnes (hoc est temporalibus & æternis flammis puniendos) qui hanc insaniam Exorcisticam Papistarum non insaniunt. *Zvvarez de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 2. *Alphonsus à Castro, & Sebast. Medices contra hæres. in voce Exorcismus.* VIII. An dæmoniaci publicè vel privatim exorcizandi sint nondum est definitum. *Mengus flagell. p.* 50.

Similia & cognata Exorcismi Papistici *primaria* quidem sunt, superstitiones Gentilium, Judæorum, Magorum: quas *priori parte hujus Disp. thes. ult.* indicavimus. Si quis collationem instituat videbit lac lacti non magis esse simile, quam Magorum sacra nostris Papalibus. *Primo*, utrobiq; deest divinum mandatum, institutio & promissio; deest potestas Theurgicis & authoribus & instrumentis sive mediis, potestas, inquam, & potentia tum naturalis, tum supernaturalis: Neq; enim probabunt extraordinarium donum miraculorum sibi concessum. *Secundò*, utrobiq; temerè affectatur ligatio & coactio dæmonum, ad dicenda aut facienda, quę naturaliter fieri non possunt. *Tertiò*, Et quidem per modum imperii: quod de

Magis veriſſimum eſſe oſtendunt infames illi *libelli Abbatis Trithemii, Cornelii Agrippæ, Petri de Albano* Coloniæ anno 1576. apud Joh. Birckmannum editi. Ne putent Pontificii ſiculneâ illâ diſtinctione inter poſtulatum per modum deprecationis & per modum imperii dedecus Magiæ ſuæ & ſocietatis diabolicæ ſatis tectum eſſe. Cottonus Jeſuita, cujus curioſum cum dæmone colloquium totâ Galliâ celebratum deſcripſit *Thuanus Hiſtor. lib.* 132. illam diſtinctionem Thomæ & recentioribus Caſuiſtis frequentatam, obtendebat quidem; ſed larvam detraxit homini. *Turretinus in præfat. ad Refutationem Genevæ plagiariæ*, & in *Apologiâ ejuſdem Refutationis* titulo *Recheute* &c. *Quarto* Utrobique utuntur ſervitio & operâ dæmonum, imprimis ſuperiorum, ad alios inferiores pellendos, vexandos, oppugnandos. Et hæc videtur nunc eſſe tum praxis tum ſententia communis. Confer *La Torre diſp.* 17. *p.* 119. Utrobique rebus, actionibus & ceremoniis, crucibus, vocibus exoticis, nominibus Dei, certis formulis verborum, ſuffumigationibus, aliiſque amuletis & periaptis utuntur in conjuratione dæmonum & rerum inanimatarum: ut ex *Mengi Theologi flagello ac fuſte dæmonum* collato cum libris Magicis modo & ſupra *diſp. de Magiâ* memoratis; & cum antiquâ magiâ Ægyptiacâ nuper in lucem protractâ à *Kirchero* in arduo opere tit. *Oedipi Ægyptiaci*; adhæc cum Judaicis characteribus, Tephillim ſeu phylacteriis (de quibus *Serrarius in Tob. c.* 8. *qu.* 5 8. 7. & *Delrio Diſquiſit. Magic. lib.* 6.) cuivis facilè conſtabit. *Quintò*; utrobique proteſtantur ſibi cum diabolo & nigrâ magiâ nihil negotii eſſe; ſed ad Dei gloriam & proximi ſalutem omne hoc ſive ſtudium, ſive artem ſuam referre. Sed proteſtatio eſt contraria facto. Sic quidem *Bellarminus, Delrio, aliique recentiores Abbatem Trithemium* Magiæ inſimulant; non obſtante ipſius proteſtatione præmiſsâ *Steganographiæ*, & inſertâ paſſim *libello de Septem Intelligentiis*. Eodem modo ſe res habet in Exorciſticâ Papali: nec ullam formalem rationem aſſignabunt, quâ illa à Magico Judaicâ diſtinguatur. Si enim excipiant, Papiſtis patrocinari authoritatem & judicium Eccleſiæ (Papalis ſcilicet, hoc eſt ſuum ipſorum judicium) jam manifeſtè petunt principium & ex ſuâ affirmatione cauſam hanc tuentur. *Secundariò*, etiam aliquam ſimilitudinem habent cum Exorciſmis hodiernis, exorciſmi antiquæ eccleſiæ ſive circa baptizandos, ſive circa alios energumenos. De prioribus infra dicemus. In poſterioribus hoc ſaltem taxamus, quod cum extraordinarium ejectionis donum apud quoſdam adhuc vigeret, & mandatum diabolo factum proprium inſtrumentum morale ad ejectionem ſuffic eret, verbis tamen ſacris aut ſigno crucis nonnulli videantur tribuiſſe

buisse aliquid, quasi essent ea causę sine quâ non, aut signa ad hoc requisita. Cætera illorum Exorcismis cum Pontificiis non magis convenit, quàm lucicum tenebris. Principia & causæ, objecta, actus, modus & forma, cum adjunctis sunt longè diversissima. Illi enim ejiciebant diabolum ab energumenis, dono divinitûs instructi, & quidem verbis imperii in nomine Christi, semel & enuntiativè diabolo propositis, quæ excipiebat ejectionis effectus. Atqui aliter omnia se habent in hodiernâ Exorcisticâ.

Insania Exorcismi Papistici ita detecta satis est refutata. Ex abundanti 9
tamen suggerimus ista argumenta. *I. Argum. Primum est*, Quia scriptura nusquam tale bellum exorcisticum adversus Satanam, talemque armaturam Christianis præscribit: ne quidem ubi ex professo armamentarium & panoplia spiritualis instruitur ut *Ephes.* 6. *v.* 12. 13. 14. ubi miles Christianus in aciem educitur 1. *Petr.* 5. 9. 10. *Iac.* 4. 7. 8. ubi historia acerrimi conflictus cum Satanâ recenſetur 1. *Corinth.* 12. 7. 8. *II. Argum. Secundum est*, Quia Exorcistica illa est Dei tentatio, superstitio, & Magia. *Dei tentatio est*, quia absque mandato, vocatione, promissione & motu divino sumunt & præsumunt sibi ἐνεργήματα ac potestatem in diabolos & quascunque creaturas, quam tamen à Deo se accepisse nullo testimonio nullo argumento aut certo indicio probabunt: Itaque convenit illis dictum Christi Lucæ 9. 5. *Nescitis qualis spiritus sitis. Superstitio est*, quia tribuit rebus, actionibus, verbis &c. causalitatem seu efficientiam sive physicam sive moralem, quæ per naturam aut supernaturalem gratiam illis non competit. *Magia* est tum directa tum indirecta seu interpretativa. *Directa* est, quia per certa verba, characteres, ceremonias &c. mira facit aut præsumit facere, idque ope diaboli ex societate & pacto non tantùm implicito (de quo mox dicemus,) sed etiam explicito. Sic ex. gr. expellit dæmonem per superiorem dæmonem & veritatem rei alicujus occultę discit aut discere cupit, idque ex revelatione diaboli. Pactum init cum diabolo, cum illum hâc aut illâ conditione emittit & dimittit, cum ἀμοιβαῖον promissum & quidem in formâ ab illo recipit. Societatem denique init & colit cum diabolo saltem imperfectam, cum opera & ministerio illius utitur, ut supra notavimus ex *Cajetano*. Magia interpretativa est, ex pacto scilicet implicito seu occulto cum diabolo, quia *utitur illis mediis quibus Magi uti solent ad faciendos effectus tales*, hæc enim est descriptio *Toleti lib.* 4. *c.* 14. *n.* 10. Vide comparationem inter operationes Magicas & Exorcisticas, supra à nobis institutam. *III. Argum. Tertium est*, quia indebita & illicita est ex parte 1. adjurantis, 2. adjuratorum, 3. eorum per quos fit adjuratio, 4. modi, & 5. mediorum. *Ad-*

jurans est vulgaris quilibet sacerdos, immo & puer latinè balbutiens post septimum ætatis annum. Atqui talibus in specie potestas ejectiva à Deo non est promissa. Est enim species charismatis, & doni miraculorum: uti colligitur ex *Luc.* 10. *Marc.* 6. *Luc.* 4. *Marci* 16. 1. *Corinth.* 12. At-qui charismata & dona miraculorum non esse dona, ministeria, officia ordinaria, sed extraordinaria, apud ipsos in confesso est. Si dicant Ecclesiæ promissa est: jam peto ut explicent quid sit Ecclesia, an Papa Romanus virtualiter scilicet; an Concilium repræsentativè; an conclave Cardinalium, consistorialiter. Ubi verò scriptum est illis charisma hoc ἀχωρίστως collatum? Sin velint ex *Marc.* 16. Ecclesiam, hoc est, omnes & singulos fideles habete hanc promissionem: cur ergò soli sacerdotes seu pueri exorcistæ potestatem hanc ad se rapiunt? aut quis dedit Ecclesiæ potestatem substituendi, & in quoscunq; vult charismata illa transferendi? & quo jure magis potestatem ejectivam Exorcistis suis applicant, quam alia quęcunque linguarum, & miraculorum charismata: de quibus æquè ac de ejectivâ loquitur textus *Marc.* 16. *vers.* 17. 18. *Adjurati* sunt non tantùm dæmones corporaliter possidentes, sed & omnes aliæ creaturæ. Atqui potestas ejectiva dæmonum Ecclesiæ usque ad finem mundi promissa (ut disputant *la Torre aliique supra cit.*) non est donum linguarum, sanationum, & miraculorum. *Adjuratio* fit per angelos, sanctos, sacerdotes quoscunque, adhæc per crucem, reliquias &c. Atqui duo textus unde Exorcisticam suam probare solent, habent *In nomine meo. Marc.* 16. & sic *Actor.* 19. *Modus* & forma ejectionis non tantùm consistit in imperio, sed etiam in exprobratione, convitiis, & contumeliâ quâcunque, tum verbis tum factis dæmoni illatâ, item contractu & compromisso &c. ad docenda, & præstanda omnia quæ ad salutem obsessi, aliorumque hominum, & ad gloriam Dei putantur pertinere. Quæ quidem nec rationi nec verbo Dei, nec praxi primitivæ ecclesiæ conveniunt, sed iis apertè repugnant. *Media* supra recensita, quæ adhiberi solent, sunt illicita: in specie rerum corporalium nulla est efficacia in dæmonem, quod non tantùm ex nostris demonstrat *Raynoldus priori hujus disp. parte cit.* sed etiam ex Pontificiis *la Torre. disp.* 17. qui pluribus & solidè hoc agit, contra *Delrio, Serrarium, Mengum* &c. Nec non *Zuvarez in* 3. *tom.* 3. *disp.* 15. *& tract.* 3. *de Superstit. lib.* 2. *c.* 7. 8. Addit *tract. de Religione lib.* 2. *c.* 18. non posse dæmonem ab homine cogi, ne quidem ad destruendum maleficium (seclusâ scilicet virtute divinâ) nisi per alium dæmonem & intercedente pacto magico; ubi pro se citat *Thomam quæst.* 6. *de Potentiâ art.* 10. *Deinde*, quia nulla fides adhiberi potest diabolo, nisi adsit virtus impulsiva, ait *Cajetanus ad* 22. *qu.* 95. *art.* 1. Atqui illa virtus non adest ordinariis Exorcistis

ciſtis in Papatu, & teſtatur præter experientiam ipſe Doctor Exorciſticus *Hier. Mengus locis ſupra cit.* diabolum ſæpè non poſſe compelli. Quam firmum ergo ejus promiſſum, & juramentum quaſi, ſub quo diabolus reſpondet ad interrogata? *Tertio*, Ratio & experientia evincit, non torqueri & cogi diabolum per nomina Dei, aut dicta ſcripturæ, aut ſignum crucis, aut euchariſtiam (quæ duo poſteriora *Mengus* tanquam terriculamenta φοβερώτατα imprimis diabolo vult oſtendi) Nam diabolum illa non poſſe audire, videre, tractare, nimis inſulsè fabulantur; quin & ſibi contradicunt. Siquidem ipſe diabolus ſub formâ crucis aut crucifixi poteſt hominibus apparere & Chriſtum mentiri, ubi etiam adorandum diſputat *Vaſquez.* (Conter ſupra *diſp. de Imaginibus, & de Cruce;*) euchariſtiam ab hominibus ſibi traditam poteſt auferre, eâque ad diabolicas operationes abuti, verbum & nomina Dei legere, prædicare, uſurpare (ut ex ipſis Pontificiis notavimus *Deſp. Cauſ. Papatus lib. 2. ſect. 2. c. 10. & lib. 1. ſect. 4. p. 30.*) *Quarto*, fides ipſorum de his mediis planè incerta eſt. Atqui quidquid *non eſt ex fide, eſt peccatum.* Rom. 15. Ipſi enim Doctores hactenus citati, trepidantem conſcientiam ſuam produnt querelis ſuis de ſuperſtitionibus hic intercurrentibus, & iſtâ ſuâ cautelâ: *modo non adhibeantur media ſuperſtitioſa, ſed ab Eccleſiâ aut viris doctis probata.* Sed cujus Eccleſiæ aut conclavis, aut Papæ judicio definitum eſt quę ceremoniæ, quæ res, quæ verba, quæ formulæ exorciſmorum, in quibus caſibus, quæ denique ars & methodus exorcizandi tantum ſit uſurpanda? Quod ad viros doctos & in hâc arte expertos confugiunt, fruſtrà eſt; tum quia omnes illi ſecundùm noſtram & ipſorum Theologiam poſſunt errare; *tum* etiam quod Doctores illi fateantur ſibi hactenus certa ſigna haut cognita fuiſſe, quibus antidæmoniaca legitima à ſuperſtitioſis decernant. Sic *la Torre diſp* 37. §. 30. Gregor. de Valentia ad 2. 2. diſp. 6. qu. 13. punct. 3. *Non quid è ſolâ cauſæ apud eruditos ignoratione, non è ſolâ producti effectus præſtantiâ; non è ſolâ, quæ ordinariè ad effectum eſſe debet, neque jam eſt, cauſæ proportione: non è ſolo dæmonis indicio, non è ſolâ ejus, qui operatur, vitâ impuriore, non demùm è ſolo fine malo: ſed vel è ſolo operandi modo, vel è ſolâ cauſæ conditione & circumſtantiâ, vel è ſolâ effectus conditione & circumſtantiâ, vel ex ipsâ denique communi experientiâ.* Cui applaudit *Serrarius in c. 8. Tobiæ qu. 5.* Ipſe tamen in illis minimè acquieſcens, hæc ſigna ex ſuo judicio proponit. Videndum dicit 1. an res ſit bona, mala, indifferens. 2. Si bona, videndum quinam rei iſtius uſum adhibeant vel adhibendum cenſuerint? quâ ſint integritate, religione, prudentiâ, eruditione? 3. An modus in uſu illius rei adhibitus Theologorum philoſophorumq; placitis perſpicuè ſit conſentaneus? 4. Quod viri boni & ſapientis alicujus,

jus, aut si fieri potest, quod plurium de totâ illâ re judicium sit? vel quæ sit ecclesiæ ipsius sive in aliquo decreto, sive in usu longè, latè, & constanter recepto sententia? Sic ille fluctuans miriones suos Papistas & Magicos Exorcistas in bivio egregiè relinquit, ignotum per multò magis ignotum notificans, aut potiùs generalibus illis logis involvens. Quidquid enim posteà de suffitionibus, radicibus & herbis, lapidibus, armis, luce, igni, sanguine, januis clausis, verborum contumeliis & convitiis, characteribus probabiliter differat: ne centesimam quidem partem praxeos Exorcisticæ in Papatu attingit, immo de pauculis illis propositis nihil certi determinat, aut ullam certam Ecclesiæ determinationem indicat. Et quidquid salvi conductus signis diacriticis & ceremoniis ex permissione aut consensu ecclesiæ episcopi, aut Theologicæ facultatis &c. huc accersunt, nihil aliud inde confici potest, quam magiam talem indirectam seu interpretativam esse hic & nunc licitam, quia non fiat sine permissione, aut conniventiâ, aut concessione, aut approbatione Theologi, aut episcopi, adde & Papæ Romani. Sed hoc modo ex peccato fieri nequit non-peccatum, contra lumen scripturæ & naturæ. Quidni pari jure idololatriam & superstitionem indirectam, immo & quamcunque directam ac crassam excusare possent. IV. *Argument. Quartum est*: quòd conveniat, cum praxi diabolicâ Apollonii Thyanæi, qui certis gesticulationibus diabolos ejiciebat, eosque cogebat, ut sui discessus signum darent apud *Philostratum lib.* 4. *c.* 6. præterea cum praxi Ethnicorum, *qui vestitu, lineis, coronis*, (ut hodie Papistæ stolâ collo energumeni circumligatâ, apud *Mengum*) *herbarum floribus & verbis quibusdam ineptis & barbaris* quasi vinculis diabolum vinciebant, teste *Eusebio præpar. Evang. lib.* 5. *c.* 6. Denique cum praxi Judæorum & Magorum suprà à nobis ex parte, & plenius *disp. de Magiâ* expositâ. V. *Argum. Quintum*, quòd lusus in hujus potestatis exercitio edunt, Christi, apostolorum & antiquissimæ ecclesiæ praxi minimè notos. Repete, quæ de ceremoniis, verbis, interrogationibus adhiberi solitis, suprà notavimus. Imprimis illæ quæstiones observandæ in Manuali seu Processionali Carmelitarum Excalceatorum edito Madriti anno 1591. cap. 11. *Quâ de causâ sunt, ingressi? Per quam personam expellendi? Per quem sanctum? Qui sint sui inimici, in cœlo & qui in inferno? Quibus verbis magis crucientur? &c.* Et quæstiones Petri Cottoni Jesuitæ, *Quid se Deus per ipsum spiritum scire velit circa Genevæ plagiarium. Quis evidentissimus scripturæ locus ad purgatorium probandum. Quid se Deus vellet scire circa viam, ut abstineat à peccatis? Qui sint septem spiritus ante thronum Dei?* &c. Vide lib. 132. historiar. Thuani ad annum 1604. Et *benedicti Turretini scriptum Gallicum contra Genevam*

Genevam plagiariam Cottoni; imprimis *ejusdem scripti contra eundem Cottonum defensionem* tit. *Recheute. &c.* Adde Corn. Vishavæi Jesuitæ celebri-
„ tatem in frequentissimâ ejectione dæmonum; qui jucundum habebat
„ cum illis belluis pugnare, qui longè desideratissimum astantibus spectá-
„ culum dabat, &c. Constabat etenim, illius maximè vocem accidere for-
„ midabilem teterrimis illis geniis; *& Cornelius ipse hanc sibi gratiam divinitus concessam noverat.* Et tamen (mirabilis histrionia!) *Id causæ fuit, cur eo munere tantum strepitum adferente diu abstinere jussus. &c. nihilominus nec verbo nec signo unquam prodidit gravem sibi evenire illius tam raræ potestatis, interdictionem.* Ita canunt panegyristæ Ignatiani *in Imagine primi sæculi lib. 6. pag. 866.* Nec prætereunda praxis, magni illius inter Ignatianos Petri Canisii, qui adjurabat per nomen Mariæ, non Christi; quique adhibitâ statuâ Mariæ Oetingensis cogebat dæmonem Mariæ laudes decantare, septies terram osculari, Mariam ut Deum adorare, quinquies orationem dominicam & toties salutationem angelicam recitare: quin immo intercessoris & benedicentis munere defungi orando hunc in modum: *Maria gratiâ plena, gratia & misericordia sit cum omnibus in hoc templo versantibus. Ora Deum pro ipsis.* Adhæc munere concionatoris, loquendo hunc in modum: *En Christiani, nos diaboli cogimur obedire Mariæ, & vos ipsi obedientiam negabitis.* Qui tandem egredi coactus exclamavit sæpiùs ingeminando. *Væ væ væ mihi misero: intra viginti annorum spatium, nullus dæmonum tantis tormentis subjectus fuit, quantis ego.* Sic refert *Hasenmullerus histor. Iesuiticæ cap. 8. p. 308. edit. 2. in 8o.* & ex eo *liber, tit. Epistolæ Iesuiticæ, epistol. 6.* Quid dicam de ejectione per grana benedicta, quibus ipse dæmon disertè hoc testimonium dedit: *Granum Lojolæ fortius est omnibus vestris exorcizationibus: Hasenmull. cap. 8. pag. 297.* Quid de pronuntiatione versus Virgilii à Lojolâ factâ: *Speluncam Dido Dux & Trojanus eandem.* Ibid. *Quis talem* exorcizandi modum ex scripturâ & antiquitate probabit. Confer *supra §. 9.*

Veritate sententiæ nostræ confirmatâ, restat, breviter objectiones profligemus. Pontificii præsupponunt potestatem ejectivam dæmonum tam diu duraturam, quam diu erunt qui fidem Christi profitebuntur. Huic hypothesi thesin suam de hodiernâ suâ exorcisticâ superstruunt. Pro quâ contra Waldenses, Wiclefistas, Protestantes argumenta nulla alia adferunt, quam ista quæ hic exhibeo eruta ex *Thomâ 22. qu. 95. art. 2.* cum *commentatoribus, Zvvarez. de relig. tom. 2. lib. 4. & in 3. tom. 3. disp. 15. sect. 4. & disp. 30. ad qu. 71. art. 2. 3. 4. Thyræo de Dæmoniacis part. 3. c. 33. Viguerio Institut. c. 16. §. 8. v. 1. Delrio disq. Magic. lib. 6. Alphonso à Castro & Sebast. Medices de Hæresib. in voce Exorcismus, Raphaël de la* Torre

la Torre de Potestate Ecclesiæ coërcendi Dæmones circa obsessos disput. 13. *Argum. I. est*, ex *Math.* 10. *v.* 1. & *Luc.* 10. 17. *Resp.* 1. dedit potestatem illam apostolis & 70. discipulis: sed hinc non valet consequentia ad potestatem ordinariam omnium exorcistarum ecclesiasticè in Papatu ordinatorum; nedum ad hodiernam Magico exorcisticam. 2. eâdem consequentiâ sacerdotibus suis & exorcistis tribuant donum sanationum & miraculorum *Luc.* 10. *v.* 8. 9. *Matth.* 10. *v.* 1. 8. Atqui non dicent hoc illis competere ex texibus citatis, ergò nec potestatem ejectivam. Biel in exposit. canonis missæ lect. 3. in fine: *Annexa fuit potestati prædicandi verbum Dei per Christum potestas faciendi miracula ad confirmationem fidei, cùm dixit* Matth. 10. *Infirmos curate, dæmonia ejicite. Sed in hâc potestate modo ecclesiastici regulariter non succedunt: quia fides jam sufficienter fundata non indiget miraculis confirmari secundum* B. Gregorium 27. Moral. §. 7. II. *Argum.* ex *Marc.* 16. v. 17. 18. 1. Dici posset, esse hoc spiritualiter intelligendum. Sic *Gregor. M. & Theophylactus apud Thomam in catenâ:* sed hoc mittimus. 2. dicimus Extraordinarium hìc charisma intelligendum, non verò omni tempore seu ordinarium & perpetuum idque ad fidei propagationem ac confirmationem. Et sic explicat ipse *Maldonatus in commentar.* ubi laudat *Augustinum, Gregor. Bedam.* 3. Si Pontificii velint ex textu hoc inferre ordinarium, tum sequeretur *primò* omnibus fidelibus hoc competere, & non ad Clericos restringendum. Et sic Thyræus suæ causæ oblitus: *Omnes Christi fideles hæc oratio comprehendit. Deinde*, æquè fidelibus, aut ordinariis Exorcistis competere donum linguarum, miraculorum &c. quæ in textu citato non minùs comparent quàm exorcisticum. Atqui hoc absurdum. Ergò. *Argum.* III. *Math.* 7. 22. probat *Thyræus* hanc potestatem non esse exstinctam cum apostolis, quia ibi *docetur, futuros sequentibus temporibus, qui dæmonia sint expulsuri. Resp.* 1. *est ἀγνοια ἔλεγχου*: hoc non est probandum, quia nos hoc non asserimus. Vide *Disput. hujus partem priorem.* 2. *Aliud* est, non esse exstinctam: & aliud, non tantùm extraordinariam, sed & ordinariam hanc potestatem perpetuò in ecclesiâ successuram, eamque sacerdotibus omnibus ac pueris in Exorcistas ordinatis inhæsuram aut adhæsuram. 3. *Iesuita* non inspexit textum. Neque enim habet *futuros sequentibus temporibus*, sed *dicturos in illo die.* Itaque ridicula & vana hæc argumentatio. *Argum.* IV. In lege veteri fuit talis potestas, (ordinaria scilicet Exorcistarum) ergò & in lege novâ. Prob. antecedens ex *Actor.* 19. & *Luc.* 9. 49. *Matth.* 12. *v.* 27. Et ex *Iosepho lib.* 8. *antiquit. c.* 2. *& lib.* 7. *belli Iud. c.* 25. supra cit. *Resp.* 1. *consequentia* infirma est. In lege veteri erat zelotypiæ judicium divinum *Numer.* 5. erat aqua mota ab angelo quotannis. *Ioh.* 5.

Ergò

Ergòne & in novo erit ? Non arbitror hos ipsos dicturos. 2. *Minoris* probatio non probatur ipsis Pontificiis. Nam Exorcistæ *Actor.* 19. erant præsumptuosi & *quæstuarii* ut cum *Chrysost.* & *Cypriano* loquitur *Cor. à Lapide in commentar. ad loc. citat. erant Pseudo-Exorcistæ, circulatores, impostores, ut Zanchez. in comment. ibid.* & docuit hoc exorcismi eventus. Ille autem de quo *Luc.* 9. 49. & *Marci* 9. aut tantùm conatus esse ejectionem dici potest, aut Christum fide secutus, si non corpore, atque ita ejecisse : ut *Maldonat. in commentar. ad Marc.* 9. & consequenter nullam necessitatem esse, cur hic fingamus Exorcistam Judaicum. Filios vestros *Matth.* 12. 27. notare apostolos non verò Judaicos exorcistas, authores sunt *Hilarius, Chrysost., author operis imperfecti, Hieronym. Theophylactus, Euthymius*, apud *Maldonatum.* Nullum ergò hinc solidum argumentum. *Denique*, Exorcisticam Salomonis, quæ fingitur ex *Iosepho*, dicimus fabulam esse Thalmudico-Magicam, vide ex nostris *Raynoldum in censurâ libr. Apocryphor.* ex Pontificiis *Delrio in disquis. Magic.* Ut jam non reponam responsum ad hominem ex propriis ipsorum Prophetis : Salomonem scilicet artem illam à *Iosepho* descriptam instituisse, cùm ad idololatriam defecisset. Sic *Thomas quæst. 6. de potentiâ artic.* 10. & *Victoria relect. de Magiâ. num.* 28. *Argum.* V. ex traditione & authoritate Ecclesiæ, hoc est, Papæ, est crassa principii petitio. Debebant enim meminisse, se nobiscum disputare, qui autoritatem illam longè minoris facimus, quam illi nostræ alicujus ecclesiæ, aut Lutheri, Zwinglii, Buceri, Calvini &c. Alibi tamen illud in genere refutatur. *Argum.* VI. Ex inductione exemplorum, de coërcitione & ejectione dæmonum per exorcismos : quâ imprimis in hâc causâ particulari non tantùm, sed & in generali contra reformationem idiotæ & laici eorum triumphare solent, & inter Theologos *Thyræus de dæmoniis part.* 3. *c.* 40. *Resp.* 1. Pleraque ad fabulas relegamus : quibus non tenemur fidem adhibere. Nec insolentes esse has fictiones in Papatu ex propriis eorum autoribus satis probari posset ; & ex parte in *hâc disp. part.* 2. §. 1. ut & in *dispp. de Spectris, de Energumenis, de Miraculis, de Probationibus spirituum*, jam probavimus. Quæ applicata volumus *vitis novellorum sanctorum* ex ordine Jesuitico, *& Imagini primi sæculi lib.* 5. *cap.* 5. ubi de sociorum ejectionibus dæmonum, aliisque miraculis. Cum quibus conferenda *Historia Iesuit. Hasenmull. cap.* 8. *Resp.* 2. Reliqua, si quæ alicubi evenisse demus, immò concedamus, dicimus non liquere quòd fuerint energemata & possessiones diabolicæ, & non morbi aut symptomata naturalia, quę doni seu potestatis exorcisticæ proprium objectum non sunt. Audiamus quid moneat Zacchias medicus Romanus l. 2. quæst. medico-legalium (quem Urbano VIII. dedicavit,

quique à Julio Mancino medico & cubiculario ejusdem Urbani approbatus est) tit. 1. quæst. 18. §. 4. *Illud, inquit, prænouisse præstat, multos* (N.B.) *sed præcipuè idiotas ac mulierculas, inter has autem maximè virgines, quæ jam ætate maturæ non purgantur, Dæmoniacas existimari, cùm tamen non sint, quod testantur ex medicis.* Concil. diff. Levin. Lemn. de occult. natur. mirac. lib. 2. c. 2. Vallesi. in 3. Epidem. sect. 3. Ægr. 11. & Foest. lib. dec. observat. 19. *Quamobrem diligenter signa perquirenda sunt, quibus Dæmoniaci à cæteris insanis distinguantur, quæ ex plerisque recollecta habes apud* Mart. Delrio lib. 6. disquis. Magic. qu. 3. sect. 2. & ex medicis à Cesalpino de natur. dæmon. c. penult. & à Fortun. Fid. in lib. de relat. med. lib. 2. c. 2. Addit *ibidem* à *Cæsalpino lib. cit. c. ult.* concludi à dæmonio obsessos etiam naturaliter liberari posse. Immò absolutam dæmoniaci curam ex naturalibus remediis doceri *à Codronchio lib. 4. de morbis venefic.*, per totum, licet supernaturalia quoque exposcat. Jam cogitet prudens lector, quales sint dæmoniaci, qui frequenter in Papatu liberari dicuntur. Quod autem cum *Lemnio*, *Foesto*, *Conciliatore aliisque* apud *Schenckium in observationibus tit. de maniacis*, citatis concedat futurorum prædictiones, scientiarum & linguarum, quas nunquam didicerunt, ab illiteratis ostentationes, similesque effectus fanaticorum, soli melancholiæ posse adscribi; quos vulgus credit & *Codronchius lib. 2. c. 8.* contendit à dæmonio semper procedere: id totum Zacchiæ, ejusque approbatori Mancino, quin & Urbano VIII. hujus operis patrono relinquimus. *Resp.* 3. Dato denique, verè obsessum in Ecclesiâ Romanâ subindè liberari, unde malè causæ suę bonitatem indè probabunt? An non apud Judæos, Gentiles, Muhammedistas hoc fieri potest, & aliquando factum est? Ergóne illi de fide Christianâ triumphabunt? An non ut in Gentilismo, aut Judaismo, aut in magiâ, dæmon cum dæmone colludere, & ceremoniis Ethnicis, aut Magicis se victum fingere, & sponte credere potest, ut homines fallat, idem in superstitioso Papatu posset? *Lædunt enim* dæmones *primò, dehinc remedia præcipiunt, ad miraculum nova, sive contraria, post quæ desinunt lædere, & curasse creduntur.* Tertull. in apolog. c. 22. Sed audiamus *Raph. la Torre in tract. de potestate Ecclesiæ coërcendi dæmones disput. 3. pag. 14.* edit in 4. Potest unus dæmon alterum „ ejicere à loco aut ab hominibus per collusionem, sive dæmon ejiciendus „ sit ordinis inferioris, sive non: videlicet quia invicem sibi obsequun„ tur propter aliquos malos fines, & quodammodo paciscuntur, ut unus exeat ad alterius voluntatem. Confer, quæ suprà *disp. de Magiâ*, & *part. 2. sel. dispp. tit. de miraculis, de prophetiâ &c.* & in *Desper. causâ Papatus lib. 2. sect. cap. 22, 23. 24.* super hâc quæstione observavimus. *Argum.* VII.

gum. VII. ab autoritate antiquæ Ecclesiæ, *Concil. Carthag. 4. c. 7.* & *Aquisgran. 1. c. 4.* & patrum *Iustini*, *Tertulliani*, *Cypriani*, *Lactantii*, *Augustini*. *Resp.* inde probatur quidem, & nos minimè negamus (vide supra *part. 1.*) ab ipso ecclesię initio, ut loquitur *Concil. Tridentin. sess. 23. cap. 2.* Exorcistarum nomina & ministeria in usu fuisse. Sed inde non sequitur in usu fuisse Exorcistas tanquàm ordinarios ecclesiæ ministros à presbyteris distinctos ; aut artem Exorcisticam Papalem, suprà à nobis descriptam, quæ donum sit sive ordinarium, sive extraordinarium. Quid autem de exsuflatione diaboli baptismum præcedente, deque exorcismo, aliisque ritibus apud *Iosephum Vicecomitem* expositis censendum sit, quos magnam partem abrogatos, nunc ipsi Pontificii omittunt ; nolumus hic disquirere. Suffecerit nobis, artem & praxin Exorcisticam Papistarum veteribus ignotam fuisse.

CONSECT. *Vt omnes diabolicæ artes atque incantationes ex præscripto verbi divini & juris civilis, ita & Exorcistica Papalis à Pio Magistratu exterminanda est.*

APPENDIX

De exorcismo infantum baptizandorum.

EX *Rituali Romano pag 13. & seqq.* discimus hanc peculiarem exorcizandi methodum. 1. Sacerdos ter exsufflat in faciem infantis, & dicit : *Exi ab eo vel ab eâ immunde spiritus, & da locum spiritui sancto paraclito.* 2. exorcizat creaturam salis ; & immittit modicum salis benedicti in os infantis. 3. exorcizat immundum spiritum, ut exeat & recedat ab hoc famulo Dei v. 4. procedens ad fontem, rursum exorcizat spiritum immundum, ut discedat ab hoc plasmate Dei. N. Rationes & mysteria hujus aliarumq; baptismi ceremoniarum breviter explicare conatur, *Iohan. Bapt. de rubeis in novo Rationali divinor. offic. lib. 1. cap. 20.* qui *cap. 21* sexdecim cautelas subjicit à baptizante servandis. Pluribus idem saxum volvit *Fr. Zvvarez*, *tom. 2. de Religione tom. 2. tr. 5. lib. 4.* Hos exorcismos & exsufflationes Satanę esse necessaria, & sine illis nullum debere baptizari, sancitur in *jure canonico*, *de consecr. dist. 4. sive parvuli.* Originem & antiquitatem ejus eviciisse se putat *Vicecomes lib. 2. de antiquis baptismi ritibus cap. 29.* & quidem contra nefarios hęreticos (hæc ejus verba) *Musculum in loc. comm. Calvinum ad Actor. 22.* & *4. institut. c 15. Magdeburgenses centur. 1. lib. 2. cap. 6. Bezam epist. 8. Hemmingium ad 2. Thessal. 2.* Ubi quidem incipit à Salomone, & Christo exorcizantibus, sed paulò post labascit, & in antiquæ consuetudinis

ac traditionis arenoso fundamento exorcismos suos ædificat. Frustrà tamen. Siquidem antiquitas & catholicismus exorcismi necessarii, non quidem in genere, sed in specie baptizandorum infantum, ex indubitatis primi, secundi, & tertii sæculi monumentis primùm demonstrari debuisset; deinde ad cumulum addi non interrupta hujus antiquæ doctrinæ per decursum quarti & quinti sæculi successio. Novit ipse à *Durante*, quem ibi *citat*, Leoni Papæ, Damaso, Ambrosio solemnitatum exorcismi, benedictionum &c. adjectionem tribui. Nec oblivisci debebat, quod ipse *lib.* 1. *cap.* 25. & *lib.* 2. *cap.* 2. fateatur baptismi *ceremonias paulatim in ecclesiam invectas*; & *initio christianæ religionis plures adultos quàm infantes baptizatos esse*. Duo ergò sunt, undè sequioribus sæculis ad hoc exorcizandi cacoëthes occasionem sumsisse videntur. *Unum*, quod inter illos adultos aliqui energematis dæmonum obnoxii essent, & per charisma ejectionis liberarentur ante baptismum. *Alterum*, quod omnes baptizandi adulti Satanam exsufflare, eique renuntiare solebant: de quo in *libro de duplici martyrio* qui *Cypriano* adscribitur; *Dionysius Pseudo-Areopagita de Eccles. Hierarch. cap.* 2. *Salvianus lib.* 6. *de providentiâ*, *Chrysost. homil.* 1. *ad Ephesios*, & *Homil.* 21. *ad popul. Antioch.* *Augustin. homil.* 3. *ad Neophytos.* *Ioh. Stephanus Durantus* quamvis *lib.* 1. *de ritibus ecclesiæ catholicæ c.* 19. *§.* 22. ex antiquissimâ & catholicâ ecclesiæ traditione exorcismum hunc peragi probaturus, inter alias adducit verba Pseudo-Areopagitæ: *Ac insufflare illum ter Satanam jube*, *& præterea abrenuntiationem profiteri.* Et Tertull. ac Cypriani lib. 4. epist. 7. *Quòd hodiè etiam geritur*, *ut per exorcistas voce humanâ & potestate divinâ flagelletur*, *& uratur*, *& torqueatur diabolus.* Quæ tria ex primâ post apostolos antiquitate adducta testimonia, nihil aliud probant, quàm dæmonas corporaliter possidentes per extraordinariam potestatem & donum exorcisticum fuisse ejectos; & adultos Satanæ renuntiasse, cùm in Christi militiam per baptismi symbolum adscriberentur. Sed hoc infantibus in Papatu baptizandis minimè applicari potest. 1. *quia* nec fidei confessionem, nec Satanę renuntiationem edere queunt. 2. *quia* infantes non sunt energumeni seu corporaliter à diabolo possessi. 3. *quia* sacerdotes non sunt charismate seu dono extraordinario ejiciendi dæmonas à Deo instructi; non magis quàm quovis alio charismate miraculorum, linguarum &c. De quo *supra*, & *in* 3. *part. disp. tit. de Charismatis.* 4. *quia* ejusmodi ritus postmodum introductos, non in primâ antiquitate ex ipsâ apostolicæ ecclesiæ traditione & perpetuâ successione obtinuisse (nedum ut necessarii fuissent judicati) ab ipsis Pontificiis apud *Vicecomitem l.* 1. *c.* 25. *conceditur* 5. *quia* dato cacoëthes aliquod Papistico simile, in primâ antiquitate obtinuisse (uti non obtinuit,

nuit, nec citatis testimoniis probatum est) inde tamen non sequitur esse illud idem cum Papistico; aut nobis contra doctrinam scripturæ retinendum atque imitandum, non magis quàm lactis, vini, & mellis degustationem, aliosque ritus antiquorum, quos nunc abolitos fatentur, apud *Vice-comitem lib.* 5. *c.* 44. His discussis patet nihil ad firmandum hodiernum exorcismum baptismalem facere quæ de tempore, corporis habitu, loco, formâ, aliisque dicti exorcismi ceremoniis *Vice-comes lib. cit. c.* 30-35. operosè ἀρχαιολογεῖ. Nihil etiam juvat, quod *Baronius ad ann.* 56. §. 12. ex suâ autoritate asserit Exorcistarum munus tunc fuisse, non tantùm eos, *qui patenter à dæmonibus arriperentur, sed & illos qui latenter hæc paterentur, exorcizare.* Hoc enim ex scripturâ, saltem ex primâ antiquitate probatum oportuit. Nam *Cyrillus Hierosolymit. Augustinus, Optatus, Nazianzenus, Ambrosius, Chrysostomus, Basilius*, ab illo *ibid. citati*, siquidem exorcismi illius meminissent, nihil aliud quàm morem, seu cacoëthes suo tempore usitatum retulissent, hoc est, aliquid posterius ingressum: nequaquam verò jus divinum & primorum exorcistarum munus persuaderent. Ultimi in primâ antiquitate Cypriani verba *ibid.* citata in transitu expendi mereantur. Sic ille epist. 76. ad Magnum, sub finem: *Hodiè etiam geritur ut per exorcistas voce humanâ & potestate divinâ, flagelletur & uratur, & torqueatur diabolus; & cum exire se, & homines Dei dimittere sæpè dicat, in eo tamen quod dixerit fallat; & id quod per Pharaonem prius gestum est, eodem mendacio obstinationis & fraudis exerceat. Cùm tamen ad aquam salutarem atque baptismi sanctificationem venitur, scire debemus, & fidere quia illic diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus divinâ indulgentiâ liberatur.* Huic scilicet basi primam antiquitatem, & primorum exorcistarum munus, eique hodiernum exorcismum infantum baptizandorum in Papatu usitatum superstruit. Ante eum *Pamelius in notis ad hunc locum Cypriani*, (unde *Vice-comes*, *Baronius*, aliique recentiores sua deprompsisse videntur) non quidem ex textu Cypriani hanc opinionem eduxerat, sed ad eum adduxerat. Sed facilè totum hoc commentum subruitur. Non enim dicit *Cyprianus* exorcismum à Christo & apostolis, eorumque proximis successoribus in primitivâ ecclesiâ institutum & adhibitum ad exorcizandos homines, quorum anima peccato & consequenter potestati diaboli obnoxia esset. Hoc à Baronio paulò ante assertum video. *Omnes enim homines cum naturâ nascuntur filii iræ, donec Christi baptismate in novam transeant creaturam, dæmonis detinentur imperio. Quamobrem antiquus ecclesiæ usus fuit, ut omnes antequam sacro baptismate tingerentur, expurgarentur exorcismis, ac sic in novam per baptismum creaturam transferrentur.* Consequentia hæc ex Cypriano nullis fidiculis exprimi poterit: & dato

eam

eam exprimi posse, nullâ tamen ratione cum opinione & praxi Papistarum conciliaretur. Nam 1. Non *primò* loquitur de omnibus & singulis hominibus peccato originali infectis, nedum de ætate infantibus & *iræ filiis* (uti eos appellat *Baronius*) sed de quibusdam hominibus, quos *homines Dei* appellat. 2. *Secundò.* Nec loquitur de hominibus peccato infectis, hoc est, qui *latenter dæmonis possessionem paterentur*; (uti loquitur & distinguit *Baronius*) sed de hominibus à diabolo patenter & corporaliter possessis: uti hoc innuunt verba Cypriani: *uratur & torqueatur diabolus: & cum exire se, & homines Dei dimittere sæpè dicat.* Et quæ immediatè verba citata sequuntur: *Nam si scorpii & serpentes, qui in sicco prævalent, in aquam præcipitati, prævalere possunt, aut sua venena retinere, possunt & spiritus nequam &c. permanere ultra in hominis corpore in quo baptizato & sanctificato incipit Spiritus S. habitare.* Idem patet ex collatione 2. epistolæ Cypriani ad Donatum quam *Pamelius* citat, & ad quam provocat his verbis: *Neque verò, inquit, exorcismi usus duntaxat fuit ad expulsionem dæmonum in iis, quos energumenos vocabant, verum & in baptismo.* Ad quem haud dubiè alludit dicta 2. *epistola auctor noster.* Audiamus ergò autorem: *immundos & erraticos spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere, ut recedant, duris verberibus urgere, conflictantes, ejulantes, gementes, incremento pœnæ propagatis extendere, flagris cædere, igne torrere.* Ubi *Pamelius* annotat: Locus de virtute Exorcistarum in dæmones. Cui simile est illud ad Demetrianum. *O si audire eos velles & videre quando à nobis adjurantur &c. verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur. &c. & verbera sentientes futurum judicium confitentur.* Imitatus utrobique Tertulliani locum lib. ad Scapulam. Infra quoque epistol. 75. (scribendum 76.) ad Magnum mirè hanc Exorcistarum potestatem exaggerat. Hactenus *Pamelius.* Nunc repete distinctionem Baronii, quam §. cit. in fronte collocat: *Non tantùm Exorcistarum munus erat, eos qui patenter à Dæmonibus arriperentur, sed & illos, qui latenter hæc paterentur exorcizare.* Et judica, an ex loco *Cypriani epist. 76.* ad probandam animæ invisibilem ac latentem à diabolo per peccatum arrepetionem ac possessionem, ejusdemque possidentis expulsionem per exorcismum pædo-baptismo præmittendum tale quid vel minimâ specie probari possit. Certè cursim modo inspicienti Cyprianum non poterit non constare, eum loqui non de latenter, sed de patenter & corporaliter arripientibus dæmonibus, qui subinde vera confiterentur, subinde mentirentur. 3. *Tertiò*, *Cyprianus* non tribuit exorcismo baptismum præcedenti, nedum exorcismo baptismum omnium & singulorum adultorum baptizandorum præcedenti, multò minus exorcismo

omnium

omnium & singulorum infantium baptismum necessariò præmittendo ejectionem dæmonum corporaliter possidentium, sed ipsi baptismo aquę: adeò ut ex ipsius sententiâ, quod exorcismus, quem dæmones eludebant, præstare nequiret, id ipse baptismus effectum daret: quippe cujus præsentiam dęmones ferre nequeant. Sed quomodo hæc conveniunt cum exorcismi, per quem infantes baptizandi priùs exorcizari dicuntur, efficaciâ? Quomodo cum opinione & praxi Pontificiorum, qui non obstante baptismo, dæmones baptizatum possidere posse, & frequenter possidere, atque adeò repetitis exorcismis juvandum credunt: 4. *Quartò*, nec convenit *Baronii* assertio de hominibus peccato obnoxiis & iræ filiis necessariò exorcizandis, cum communi praxi Pontificiorum. Nam quicunque post baptismum in mortale peccatum incidunt, & consequenter sunt filii iræ extra statum gratiæ (secundùm ipsos) ab ipsis non exorcizantur. Atqui si *Baronii* consequentia vera est, à latente possessione diaboli per peccatum originale, ad necessitatem exorcismi infantum per baptismi sacramentum liberandorum ab illo peccato originali: utique eâdem consequentiâ inferendum esset, omnes & singulos Papistas, quotiescunque post susceptum confirmationis aut pœnitentiæ sacramentum mortaliter peccant, à dæmone latenter obsessos & patenter exorcizandos esse. Sed excipient esse disparem rationem, quia per sacramentum pœnitentiæ liberantur à peccato, & consequenter à latente possessione aut arreptione dæmonis, ita ut exorcismo opus non sit. Regero ego, idem immo & plus *à Cypriano loc. cit.* ex *epist. 2. ad Donatum de sacramento Baptismi* asseri (quam verè nunc non disquiram) cùm dicit: spiritus nequam non posse *permanere ultra in hominis corpore, in quo baptizato & sanctificato incipit Spir. S. habitare.* Illi ergò certissima ejectio dæmonis arripientis fit per baptismum, non per exorcismum. Aut ergò exorcismus necessariò præmittendus sacramento pœnitentiæ Papalis (quæ illis secunda post naufragium tabula) ut dæmonem latenter possidentem pellat, atque adeò tanquam sacramentale pœnitentem disponat ad sacramentum pœnitentiæ suscipiendum, removendo scilicet impedimenta, ne diabolus sacramenti illius efficaciam impediat: aut si negent (uti negant) utique exorcismus sub formali sacramentalis eundem in finem & eandem ob causam non est necessariò præmittendus baptismo infantum. Ostendimus ergò utrobique eandem esse rationem. 5. *Quintò*, dato Cyprianum de latenti possessione infantum baptizandorum locutum esse (uti non est locutus, quidquid fingat *Baronius* & conjiciat *Pamelius*) inde tamen non inferretur antiquitas, successio, catholicismus hujus dogmatis; quasi scilicet omnes, ubique, & semper ita senserint & fecerint. Cogitent eundem Cyprianum

num longè validiùs, & ex professo asseruisse anabaptismum tanquam dogma divinum, apostolicum, catholicum. Et tamen magister ab illis hic non tenetur. 6. *Sextò.* Multò minùs infertur necessitas exorcismi, non magis, quàm gustationis mellis & lactis, trinæ exsufflationis diaboli, &c. Quorum rituum antiqui non minus meminerunt, quàm exorcismi baptizandorum (uti prætendunt Pontificii): atqui illi in Papatu abrogati sunt. Sed de hoc plus satis.

2 Comparemus nunc exorcismos baptizandorum, alibi usitatos. Non invenio apud Græcos Orientales exorcismum hunc usitatum esse: sed solummodo inter alias vacuas ceremonias, insufflationem sacerdotis in aquam, quâ scilicet faceßere & procul inde abesse jubeantur phantasmata quæcunque & dæmonum ludibria. Sic enim habet *Euchologium seu Rituale* ipsorum *tit. de officio baptismatis p.* 353. ἡ σφραγίζει ἐμφυσῶν τὸ ὕδωρ, περί τον. *p.* 358. ἡ ἐμφυσᾷ εἰς τὸ ὕδωρ τρίς. Et in oratione: *dicatur ter*, discedant, à „ nobis aërea cuncta & invisibilia idola, spectraque & tenebrosus dæmon „ in aquâ istâ non abscondatur: neque cum baptizando precamur, spiri„ tus nequam cogitationum caliginem & mentis turbationem inducens, „ descendat. Quod autem *Iacobus Goar*, Dominicanus, hujus euchologii editor *pag.* 363. hunc morem exsufflandi comparat cum veterum exsufflatione & despuitatione in signum contemtus & aversionis idolorum ac dæmonum (de quo nos supra *in disp. de superstitione*) id planè alienum est: ut & illud multò magis quod adfert exemplum Satyri martyris *religioso & miraculoso* flatu detestantis non tantùm, sed & evertentis ac conterentis idolum. Sed ut ut Græci dæmonas ab aquis consecratis expellentes atque abigentes, *quasi ore conspuant & flatu insequantur* (ut *ibidem* intentionem eorum exponit); nihil aliud tamen exsculpere hinc potest quam exorcismum aquæ baptismalis, non verò infantis baptizandi. Similis aquæ benedictionis & exorcizationis ritus occurrit in *Rituali Syriaco Severi patriarchæ Alexandrini.* Apud Moscovitas, qui ritus Græcorum in religione observant, susceptores infantis, quoties sacerdoti interroganti an infans diabolo renuntiaret, correspondent, toties in terram exspuunt: teste *Alex. Guagnino* Veronensi in *descriptione Sarmatiæ Europeæ.* Sed apud Guagninum, ut nec apud *Iohannem Fabri confessarium* Regis Ferdinandi *in relatione de religione Moscovitica* anno 1525. ulla exorcismi baptismalis fit mentio: qui tamen benedictiones creaturarum, incantationes serpentum per verba, ejectiones dæmonum per eadem, & liberationes obsessorum apud illos communia esse affirmat, *ibid. sub finem.* Johannes Sacranus in elucidario errorum ritus Ruthenici scripto annn. 1500. artic. 10. dicit *eos profanare, blasphemare &c. sacramenta*

bapti-

baptismi & eucharistiæ, eo quod non secundum formam ritus eorum fiant. Et artic. 21. *Non solùm in formâ baptismi ab ecclesiâ discrepare, sed etiam in materiâ.*

Inter eos, qui à Papatu secesserunt, & se hodiè ab invariatâ confessione 3
Augustanâ denominant, exorcismus infantis baptizandi etiamnum non tantùm alicubi adhibetur, sed & defenditur, tanquam res adiaphora. Vide *Himmelii collegium Irenicum Disput. 8. & ult. §. 15.* qui tamen satis trepidè & vix hoc agit; nullas enim rationes adfert, sed unicum solummodo testimonium ex *Hemmingii syntagmate*, quo excusatur potiùs, quàm defenditur. Acriùs pro eodem contendit Echardus in fasciculo controvers. cap. 21. quod ex his ipsius verbis colliges: *Nec ignota sunt consilia, quæ superiori sæculo agitarunt Crypto-Calviniani: non ignotæ ipsorum adversus baptismi ritum machinationes, quem tanquam rem abominabilem, ore & calamo detestari, & ex ecclesiis profligare tantoperè conati sunt.* Conr. Schlusselburgius lib. 1. Theolog. Calvinist. 18. artic. p. 61. tantùm habet hæc verba: *Beza lib. 1. epistol. exorcismum, qui circa baptismum in multis locis rectè & magno cum fructu, juxta consuetudinem veteris ecclesiæ, usurpatur, unà cum Calvinistis Dantiscanis & Anabaptistis condemnat.* Hoc totum est: ne γρῦ ad excusationem aut defensionem ritus illic adfertur, sed tantùm ex propriâ affirmatione verbis allatis contra Bezam asseritur. *Chemnitius part. 3. locor. Theol. tit. de baptismo fol. 161.* dicit non sine gravi causâ antiquitus receptum & à Luthero retentum fuisse: nihilominus pacem suadet inter Lutheranos hic dissidentes, & ecclesiam fatetur ad tales ritus, quamvis antiquos, non esse alligatam; sed habere libertatem eum abrogandi, aut præscriptum ritum verborum baptismi mutandi, hoc est, *doctrinam illam aliis verbis scripturæ magis consentaneis proponendi.* Balduinus lib. 2. casuum cap. 11. casu 12. eodem ferè modo excusat, *quod sit ritus humanitus introductus, cujus usus merè est σημαντικὸς & τυπικὸς, significat enim spiritualem hominis captivitatem in regno Satanæ, in quo nascitur &c.* Et post, *quod ἐξορκίζειν hoc in loco non sit jurejurando obstringere, ut* Matth. 26. vers. 63. *sed obtestando arcere, ut* Matth. 4. 10. 16. 23. & 1 Thess. 5. 27. *Daniel Hofmannus* anno 1582. *prælectionibus* aliquot postea à studioso quodam anno 1591. editis exorcismi usum, quandoquidem jam retentus sit, admodum seriò tuetur: præmissâ tamen hâc confessione: *Si abolitus esset iste exorcismus, ego non improbarem.* Ægidius Hunnius cætera minimè Calvinista aut Crypto-Calvinista in Disput. de Exorcismo paulò ante obitum Witebergæ propositâ exsertè eum oppugnat, aitque, *legitimâ abrogatione consuli posse tranquillitati ecclesiarum in futurum, quod omnes cordati intelligunt. Facere hoc insuper ad Ecclesiarum*

conformitatem, quæ si instituenda foret, nemo sanus inficias iret, eas ecclesias, quæ exorcismo hactenus utuntur, meritò cessuras ecclesiis, in quibus ille desit. & c. An verò ad ædificationem faciat, quando mordicus retinetur ceremonia, quæ perversis rationibus ipso verborum sono, ipsoque gestu viam sternit, & toties ecclesiam Dei in certamina præcipitem egit, quæ per formam aliam scripturæ magis consonam devitari poterant, cogitandum relinquo piis omnibus. Præmiserat ingenuam confessionem de eâdem omnium in Lutheranis ecclesiis (populum intelligit) sive opinione, sive sententiâ de exorcismo: tanquam eodem scilicet cum Papistico. Lutheranum enim exorcismum initio sic descripserat: *Exorcismus est, quo præcipitur Satanæ, ut exeat ex infante, & det locum Spiritui Sancto; & dicitur infanti, ut accipiat signum sanctæ crucis in ✠ fronte, & in ✠ pectore. Denique adjuratur Satanas in nomine ✠ patris, & ✠ filii, & ✠ spiritus sancti, ut exeat & recedat ab hoc servo & ancillâ Iesu Christi.* Quidquid hic distinguant, explicent, implicent *Eckhardus, Hofmannus, Balduinus*, quomodo suâ illâ formulâ distinguent & populum distinguere docebunt inter exorcismum suum & Papisticum? Ante *Hunnium* eadem mens fuit *Melanthoni*. vide *epist. ad I. Aurifabrum*, quæ exstat *part. 2. consil. p.* 170. edit. in 80. Et urbibus Rheticis ac Rhenanis, seu ecclesiis aliquot (teste *Melanthone in epistolâ ad ecclesias Transsylvaniæ* anno 1558. & *cit. epist. ad Aurifabrum*) quæ ante annos viginti præfationes ante baptismum legi solitas aboleverant. *Heshusius in epistolâ ad Vernerum von Bert.* an. 1562. & *adquendam Theologum* an. 1583. indicat fuisse illo tempore certamen de exorcismo; atque haud obscurè innuit malle se ejus abolitionem quam observationem. Utramque hanc epistolam *Christophorus Iohannides Dalby libello suo de exorcismo* inseruit. *pag.* 35. Academia Wittenbergensis cum Melanthone anno 1558. in judicio ad ecclesias Transylvaniæ (exstat in *consil. Melanth. part. 2. pagin.* 326.) improbat exorcismum infantum: sed *condonare se* dicit *consuetudini, & infirmis piis* usum ejusdem seu formulæ, qui in ecclesiis quibusdam adhuc obtinebat: ubi in ecclesiis jam abolitus erat, consilium dabat ne restitueretur. *Chemnitius part. 2. exam. Concil. Trid. tit. de ritibus in administratione sacramentorum*, omnes ritus Papisticos in genere justissimè rejicit. Hic jam subsume, Sed exorcismus est unus ex illis ritibus. Ergo. Leonard. Hutterus ad Schlusselburgium (quæ inter epistolas Schusselburgii 166. 168.) *Optarim ipse modo legitimo per consonam omnium ordinum ecclesiam (puto legendum sententiam) ipsum in nostris quoque ecclesiis Missicis abrogari posse, sed video periculosum esse hoc suadere, & multò difficilius illud obtinere: illud propter inveteratum quorundam errorem, quo exorcismo plus æquo tribuitur. Hoc verò propter Calvinistarum gloriationem*

riationem & insultationes, quibus factum hoc essent exagitaturi. Proinde caute hâc in parte progrediendum esse existimo, sed ita, ut si commoda se offerat occasio, de eo abrogando consilia capessamus. Ibid. epist. 168. innuitur *Schlußelburgium ejusdem fuisse sententiæ:* Georg. Mylius ad Schlusselburgium (quæ est 157. pag. 444.) *testatur Hunnii theses de abrogatione exorcismi, quæ commodè tunc fieri posse videbatur in ecclesiâ pacata, à collegis ipsius improbatas fuisse, & intempestivum adhuc visum Hunnii consilium.* Erant autem theses illæ primum Witebergæ 1601. posteà Erphordiæ, 1606. (ut *ibid.* testatur) excusæ. Earum bonam partem exhibuit *Christoph. Dalby in libello* anno 1612. edito: Gravamina Principum Protestantium concilio Tridentino opposita (edita cum appendice catalogi testium veritatis edit. Genev. in fol. an. 1608.) pag. 2070. exprobrant Papatui, quod *manifesto furore usum aquæ in Baptismo extra ordinationem Dei ad magicos usus & impia atque idololatrica sacra exorcismis suis convertit*, quod *verba exorcismorum horrenda* adhibet. Verba, quæ tam graviter taxant, sunt inter alia: *exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei ✠ patris omnipotentis, & in nomine Iesu ✠ Christi filii ejus, domini nostri, & in virtute spiritus ✠ sancti.* Hæc de exorcismo aquæ: quæ an non exorcismo infantis analogicè applicari queant, judicent omnes pii.

Atque hactenus de statu hujus exorcismi in ecclesiis Lutheranis. Nostri per Dei gratiam ab omni certamine hic liberati sunt, per legitimam ejusdem unà cum aliis ceremoniis Romanis abolitionem. Rationes hujus abolitionis dederunt inter alios *Martyr. loc. comm. class. 4. cap. 9. Musculus in loco de baptismo, Zanchius in Ephes. 5. Hellopæus in tract. de sacramentis, Bucanus in loco de baptismo, Daniel Candidus in notis ad Theses Pelargi, Pezelius & VVidebramius in statutis ecclesiasticis Nassovicis, Author christianæ concordiæ, Gerardus Noviomagus in libello reformationis* germanicè, Außführlich Bericht. &c. *quinque postremorum dissertationes* lego apud *Christoph. Dalby.*; ipsi enim libri nunc mihi non suppetunt. Confer & locos communes *Aretii*, & *Altingii Syllabum controversiarum Lutheranarum.* Nos breviter studiosis nostris sequentes rationes præformamus. I. *Quia* temeritatis, κακοζηλίας, & abusus nominis divini se reos faciunt, quotiescunque signa & verba hæc ministri ipsorum exorcizantes adhibent absque mandato Dei sive communi atque ordinario, sive speciali & extraordinario. Ostendant ubi Deus tale quid verbi ministris mandaverit, ubi promiserit assistentiam & benedictionem, uti verbi prædicationi & baptismo Matth. 28. v. 19. *Ego vobiscum sum* &c. Sed nihil tale in scripturâ comparet. Jam cogitent, quomodo *Chemnitius*, aliique ipsorum Theologi disputent contra traditiones Pontificias, & argumenta 4

ta illa huc applicent. Cogitent etiam, quâ fide jubeant dæmoni, ut discedat, & locum det spiritui sancto. Quâ πληροφορίᾳ verba seu formulam exorcismi concludant voce *Amen*: uti ea exstant in *Liturgiâ Saxonicâ* apud Philippum Hanen *in new verbesserte und volständich Kirchen buech* Anno 1650. Mandatum, donum, & promissionem extraordinariam (de quibus *Luc.* 10. *Marc.* 16. 1. *Corinth.* 12.) omnibus verbi ministris non tribuent. II. *Quia* tota hęc pragmatia nititur duabus hypothesibus, non tantum à nobis non concessis, & ab ipsis non probatis, sed apertè falsis. *Una* est, Infantes fidelium omnes ante baptismum esse in regno & sub potestate diaboli. *Altera* est, Exorcismum esse medium, saltem tanquam signum & τύπον contra hanc diaboli potestatem. *Priorem* vide refutatam à *nostris in controversiis de baptismo.* Instar omnium consulant studiosi *VVendelini Exercitationes, pro suâ Theologiâ c. Ioh. Gerardum.* Quin ipsi cum nomine infantum à susceptoribus abrenuntiationem diaboli & professionem fidei in Christum exertè declarari volunt, quomodo eos ut infideles, & diaboli regno ac potestati subjectos, per baptismum demùm regenerari acè regno diaboli in regnum Christi transferri dicent? Si seriò & aliquo fine hoc mandant baptizatores, & seriò, non histrionicè, hoc agunt susceptores, & si finis atque effectus spiritualis tum fidei, tum abrenuntiationis, tum exorcismi agnoscitur; utique jam diabolum fugatum, & Spiritui S. locum datum credendum esset; consequenter infantem sanctificatum ac regenitum, antequam baptizatur. *Posterior* refutatur, quia nulla alia causa liberationis ac translationis peccatoris è regno tenebrarum in scriptura traditur, præter Deum, qui per spiritum suum hoc agit propter Christi meritum fide tanquam instrumento interno apprehensum; quæ fides per verbum ingeneratur, perque idem ut & per sacramenta ac preces, tanquam per media atque instrumenta moralia confirmatur atque excitatur. Nullus hic locus relinquitur exorcismo, aut characteri crucis. Percurre Panopliam ab Apostolo *Ephes.* 6. contra diabolicas potestates præscriptam. III. *Quia* donum exorcisticum, & extraordinaria ac miraculosa exorcismi praxis nec Dei instituto, nec usu ecclesiæ apostolicæ aut primitivę ei succedentis, adhibenda est ad tollendam spiritualem hominum sub dominio diaboli in statu peccati, servitutem & captivitatem: sed tantum ad ejectionem, aut coërcitionem diaboli homines aliquos corporaliter possidentis aut infestantis. Tale esse donum exorcisticum, talem exorcismum & exorcistam, tale utriusque objectum, suprà abundè probavimus. Jam verò infantes omnes fidelium esse energumenos, concionatores omnes esse exorcistas & charismate exorcistico præditos: nullus

lus adversantium, sat scio, dicturus est. Quod si excipiant donum ac potestatem esse ordinariam, quæ versetur non circa energumenos corporaliter obsessos, sed circa homines per peccatum diaboli potestati subjectos, seu spiritualiter (*latenter* dicebat *Baronius supra cit.*) possessos: reponimus ipsis 1. in scripturâ non exstare ordinariam ministri potestatem, aut donum, officium, ministerium exorcisticum, cujus vi tali formulâ verborum diabolo imperare debet: non magis, quam donum, aut officium, quo ventis, morbis, morti &c. imperare debet. 2. Verbum fidei à ministro evangelii per expressæ renuntiationis & fidei in Christum postulationem ac præstationem, frustrà adhibetur: quia infantes nec audiunt, nec intelligunt, nec actus fidei eliciunt. 3. quia tunc omnes infideles, hæretici, idololatræ, manifesti peccatores essent exorcismis oppugnandi & convertendi, dæmones per peccatum in ipsis regnantes per modum imperii adjurandi signis, verbis, formulis in *liturgiâ Saxonicâ* exhibitis. Atqui hoc absurdum: nec ipsi hoc faciunt, sed talibus in casibus prædicationem pœnitentiæ & fidei adhibent. Consequentia valet, quia si exorcismus non adhibetur, ubi cum peccato originali contraria est infidelitas, & positiva peccatorum actualium accumulatio & induratio, & tam altè radicata potestas diaboli: ergò adhibendus non est, ubi diaboli potestas obtinere dicitur per solum peccatum originale. 4. *Quia* speciem non tantùm habet symbolizationis & collusionis cum superstitioso exorcismo Papistico, sed revera admodum cum illo symbolizat: quicquid hic satagant distinguere. In eo tamen conveniunt 1. *quod* ex consuetudine, traditione, sine verbo Dei exorcizant per eadem signa crucis, & verba exorcistica. 2. *quod* absque dono extraordinario, absque promissione divinâ, exorcizandi munus sibi vindicant. 3. *quod* exorcizant infantes non energumenos; & possessionem latentem seu mentalem aut spiritualem (quam diabolus in omni homine naturâ filio iræ obtinet per peccatum) corporali possessioni substituunt, eamque exorcistæ & exorcismi objectum faciunt. Simili argumento utitur *Bald. lib. 3. cap. 3. c. 9.* in quæstione, An fideles uti possint operâ exorcistæ Papalis in pellendo dæmone. *Quia*, inquit, *speciem habet collusionis cum ipsis in religione Papisticâ, quæ ab omnibus piis aliena esse debet.* 2. *Corinth. 6. v. 15.* 1 *Thess. 5. v. 22.* Certè *Heerbrandus in compendio Theologiæ tit. de Baptismo p. 549.* aquæ consecrationem, exorcismum, chrismatis unctionem, crucis signationem, sputum, sal &c. vocat *nænias Papisticas, quibus conspurcatur magis, quam exornatur Baptismus.* V. *Quia* admisso aut retento hoc exorcismo prætextu antiquitatis, aut consuetudinis in Papatu, omnes aliæ inutiles & periculosæ ceremoniæ partim in se malæ, partim occasio

aut

aut ſpecies mali, omneſque aliæ traditiones jam inde à quarto aut quinto ſæculo, & deinceps ingreſſæ pariter retinendæ atque obſervandæ fuiſſent, nec per reformationem Proteſtantium tollendæ. Farraginem illam ex Pontificiis ſupra in *Diſp. de Sacramentalibus* indicatam, quarum maxima pars in Germanicis eccleſiis non comparet & à Theologis earum refutatur, hic non producam : ſed ſolummodo aquę benedictæ in Baptiſmo adhiberi ſolitæ uſum, conſecrationem, exorciſmum : olei & chriſmatis conſecrationem & inunctionem, ſalis benedicti immiſſionem in os infantis, cereum ardentem baptizato tradendum, trinam exſufflationem in faciem infantis, ſalivam ſacerdotis applicatam auribus & naribus infantis, ſtolam violaceam & albam, de quibus vide *Rituale Romanum*. Certè non minori colore (ſiquidem hæc methodus ſemel concedatur) iſtorum immo & omnium rituum rationes excogitari, & uſus ac commonefactiones eorum ſpirituales aſſignari poſſent (uti *Durantes in Rationali divinor. officior.* aſſignavit) ac exorciſmi. Videamus nunc rationes oppoſitas. 1. *Ratio eſt Eckardi :* quia nihil habet impietatis & ſuperſtitionis, ſed multas continet pias ſignificationes, & typicas commonefactiones. 1. de atrocitate peccati originalis. 2. De immunditiâ eorum, qui ex fidelibus parentibus ſunt oriundi. 3. De tyrannide & dominio Satanę in non regeneratis. 4. Eorundemque in regno Satanę miſerrimâ captivitate. 5. Beatiſſimâ ex illo per Chriſtum liberatione. 6. Baptiſmi denique & totius miniſterii hominibus à Deo concrediti efficacitate. Ergò exorciſmus in claſſe rerum mediarum eſt tolerabilis. Hæc ratio *Eckardi loc. cit.* Balduinus loc. cit. uſum ejus σημαντικὸν & τυπικὸν (ſic ipſe loquitur) hoc modo explicat : *ſignificat enim & adumbrat ſpiritualem hominis captivitatem in regno Satanæ, in quo naſcitur, & liberationem inde factam per Chriſtum in Baptiſmo &c.* Lemma marginale notat, eum nos monere de quatuor re-
„bus, 1. de peccato, ſervitute miſerâ. 2. de virtute & efficaciâ baptiſmi.
„ 3. de ſtipulatione & juramento ſoli Deo præſtito. 4. de militiâ totius vitæ. *Reſp.* 1. hæc ſi vera ſint, utique non tantùm tolerabilis (uti concluditur) ſed maximè approbandus, laudandus, ubique commendandus, & promovendus. Si enim tàm pias ſine ſuperſtitione, immo ſine ſpecie mali, commonefactiones, τύπους, ſignificationes habere poſſumus, utique illę cum zelo affectandæ & capeſſendæ. *Reſp.* 2. Si hæc bona intentio pię commonefactionis ſemel locum inveniat : pari jure & conſequentiâ nulli non ritus geſtibus, factis, verbis peragendi piæ commonefactionis ergò de peccato, de redemptione per Chriſtum, de gratiâ juſtificante & ſanctificante excogitari, aut antehac excogitati & exerciti in Papatu, retineri in eccleſiis, & à Doctoribus defendi poterunt. Sed

hoc

hoc dato, quid fiet sacramentalibus Papisticis, quæ tanquam ad pias devotasque commonefactiones facientia *Belethus*, *Durantes*, *Rubeis in Rationalibus suis*, *& Gavantus in Thesauro rituum* exposuerunt? Quomodo occurrent exorcismi Patroni moderatoribus & syncretistis (quales *Erasmus*, *Cassander*, &c.) qui tam multa Papalia sollicitè excusare, & in meliorem sensum torquere conati sunt? Quâ methodo refutabunt antiquos Interimistas? Quomodo defendent Protestantes, qui propter multa, eodem modo in meliorem partem flexibilia, liturgias & agendaria Papistica abjecerunt & simul ac semel à Romanâ ecclesiâ secesserunt. *Resp.* 3. Tales significationes, typos, commonefactiones præstat lex, & euangelium, cui sacramenta sunt addita. Nullum est in rebus significatis *Balduini* & *Eckhardi*, quod verbum Dei cum sacramentis plenissimè non significet. Expende *Rom.* 3. *v.* 20. & 7. *v.* 7. *Galat.* 3. *v.* 2. & explicationem baptismi ac cœnæ *in liturgiis*, *catechesibus*, *locis communibus*; præterea elenchos traditionum, quinque falsorum sacramentorum, aliorumque rituum Papatus. *Resp.* 4. Sed quomodo illæ piæ commonefactiones per illa signa locum habent in infantibus? quo fine & quâ fide illis adhibentur? Quod si dicas nec rem significatam baptismi intelligi ab infantibus, signum nihilominus aspersionis aquæ in nomine patris, filii, & spiritus sancti: respondeo, disparem esse rationem; quia Deus hoc mandavit (uti probatur contra Anabaptistas) illud minimè. Ideoque hoc præstandum, quidquid corrupta ratio contra excipiat; quę captivanda. Non sunt confundendi ritus ex instituto, opinione & intentione hominum mysticum & sanum aliquod significantes, cum sacramentis divinitùs institutis ad gratiam Dei in Christo non tantum significandam, sed & obsignandam. Quomodo autem imprudenter, dum pro exorcismo contendunt, in hunc scopulum impingant, videre est in *Eckhardo p.* 615. „ubi object. 3. contra exorcismum sic proponit. Solus Christus nos „merito suo liberavit à captivitate Satanæ, & regno tenebrarum: Ad „hanc sic respondet: R. *beneficia autem Christi non immediatè, sed mediatè „per verbi & sacramentorum ministerium applicantur & distribuuntur.* Hæc „tota responsio: unde aliud nihil colligi potest quam exorcismum esse sacramentum. Tam crassè non θεολογοῦσι Pontificii, qui sacramentalibus (ipsis ita dictis) eum accensent. II. *Ratio* Eckhardi est, Quod ab ecclesiâ longo jam tempore observatus sit, & antiquitatis testimonio, approbatione, atque usu roboratus: quam diu itaque nihil impietatis subesse apparet, rectè adhuc retinetur & toleratur. *Resp.* 1. de exercentis aliis ritibus Papisticis, pari jure hoc dici posset; qui tamen in Germanicis ecclesiis non retinentur. *Resp.* 2. impii aliquid subesse constat. Est

enim abusus nominis divini; cum sine Dei mandato & promissione verba aliqua mandati cum figurâ crucis adhibentur ad pellendos dæmonas; & homines transferendos ex statu & potestate, & regno tenebrarum in regnum lucis. *Resp.* 3. De consuetudine & antiquitate, quam Pontificii obtendere solent, à Protestantibus & reformatis alibi in genere ita responsum est, ut non opus sit hic repetere. Quod ad antiquitatem exorcismi in Papatu & in Germanicis quibusdam ecclesiis usitati, nos eam negamus, & supra contra Pontificios ostendimus, abrenuntiationem & exsufflationem veterum ab adulto baptizando non verò ab infantibus aut baptizante factam, ut & miraculosam ejectionem dæmonum corporaliter possidentium per illos qui tunc extraordinario charismate seu dono ac potestate ejectionis instructi erant (juxta *Mat.* 10. *v.* 1. *Marc.* 16. 1. *Corinth.* 12.---) non esse exorcismum infantum baptizandorum, qualem ex Papatu Lutherani retinuerunt, ac nunc contra nos non tantùm, sed & contra suos rectiùs sentientes ac meliora monentes (qui Crypto-Calvinistæ ab *Eckhardo* salutantur) mordicus defendunt: uti videre est, apud *Hofmannum*, *Balduinum*, *Iohannem Gerardi*, *Heinricum Eckhardum*, & *Mylium*; cujus disputatio, mihi hactenus non visa, ab *Eckhardo ibidem* laudatur. Primam antiquitatem exorcismo negant exsertè inter Lutheranos *Hesshusius loco supra cit.* & *Gerh. Elmenhorstius in notis suis ad Gennadium cap.* 31. Ubi præmisso, quod ritus exorcismi & exsufflationis antiquissimus sit, citatis pluribus autoribus, sic concludit: Nullum tamen „de eo in SS. Scripturâ exstat mandatum, neque in descriptione bapti„smatis Justinus Martyr & Tertullianus illius meminerunt. *Centur. Magdeburgens. cent.* 1. *lib.* 2. *c.* 6. *fol.* 497. *centur.* 2. *c.* 6. *fol.* 110. *Iustinus Martyr. apol.* 2. *pro Christianis fol.* 73. 74. *Tertullian. de Baptismo tom.* 3. *fol.* 459. *Resp.* 4. Quod si antiquitatis reverentia exorcismum retinere suadeat, cur non etiam obstrictionem ad votum castitatis, cœlibatum ministrorum & monachorum, abstentionem mulierum in diebus purgationis suæ à baptismo & ab eucharistiâ, oblationes pro mortuis, Neminis admissionem ad baptismum duabus septimanis post quadragesimam, unctionem post baptismum, anabaptismum, aut unctionem hæreticorum qui ad orthodoxos transeunt, jejunium quadragesimale, non adorationem de geniculis die dominico & pentecostes, precationem versus orientem, abstinentiam clericorum à convivio bigamorum, abstinentiam à carnibus in sanguine, aut captis à bestiis, aut morticiniis, prohibitionem hæreticorum ab ingressu templi, de non jejunando die dominico aut sabbathi, & similes περιεργίας ac nænias antiquis conciliis præscriptas: quod compendio disces ex *Photii Nomocanone*. Adde innumeros pene partim vacuos partim superstitiosos ritus

circa

circa baptismum, eucharistiam, ecclesias seu templa, festa, curam mortuorum, episcopos, parochos, clericos, monachos, laicos, pœnitentes, eorumque reconciliationem &c. de quibus testimonia antiquorum patrum & conciliorum indicant, imprimis *Iosephus Vice-comes*, *aliique libri rituales* alibi indicati. III. *Ratio*, est *Hofmanni in prælectionibus supra cit. pagin. B.* 3. ubi ad objectionem: *deficit probatio exorcismi, postquam* χαρίσματα *illud in ecclesiâ cessavit.* Sic respondet: Absit, ut ejus approbator sim „ sententiæ, χαρίσματα planè in ecclesiâ cessasse. Etsi enim apostolicum, „ & quod in ecclesiâ primitivâ frequens fuit miraculum pellendi diabo„ los, tantâ autoritate non viget amplius, quantâ tum excelluit: tamen „ admirandam, inexplicabilem, & validissimam vim esse ministerii „ euangelii contra diabolum & squamas ejus, non est dubitandum. Non „ enim apostolis tantum dictum est, quod *Ioh.* 16. legitur: Confidi„ te, ego vici mundum, & 1 *Ioh.* 4. potentior est qui in vobis, quam „ qui in mundo est. Mundi enim princeps in Christo nihil habet quid„ quam *Ioh.* 14. in quo judicatus est *Ioh.* 16. Qui Christus non tantùm se „ fortiorem probavit forti armato *Luc.* 11. sed etiam ecclesiæ sese obli„ gavit perpetuò, inquiens, ego vobiscum sum usque ad consummatio„ nem sæculi *Matth.* 28. Nec apostolos tantum spectat promissio *Io„ han.* 14. sed totam ecclesiam, cùm scilicet, inquit Christus Amen Amen „ dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & „ majora iis faciet. Nam ego ad patrem proficiscor. Et quidquid petie„ ritis patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur pater in filio. „ Hæc detrahere ministerio euangelii & fidei Christianæ, est omnem „ consolationem tollere: præsertim cùm in senectâ mundi, quâ au„ gescit furor Satanę, fidei virtute in Christo magis opus sit, quàm an„ teà. Nolo igitur socius esse illius sententiæ, quæ exorcismi vim hodier„ næ ecclesiæ, & in hâc omnibus fidelibus præcisè derogat. *Resp.* ar„ gumentum hoc ductum à perpetuitate charismatum & virtutis ejec„ tivæ dæmonum, quæ verbi ministerio in ecclesiâ Lutheranâ & ordina„ riæ ejus efficaciæ annexa sit, ab ejusdem professionis Theologis, *Che„ mnitio*, *Balduino*, *Eckhardo* &c. satis superque protritum est. Illi enim „ ministrorum suorum verbis in exorcismo adhibitis nullam vim nisi σημαν„ τικὴν, typicam, & commonefactoriam tribuunt, nec ullum extraordina„ rium charisma, quale erat apostolorum, suis ministris tribuunt, nec ul„ lum mandatum aut exemplum apostolorum, consequenter ullum jus di„ vinum, ullum ἔγγραφον hic locum habere concedunt. Videatur inter „ alios *Balduinus loc. cit.* & *Ioh. Gerhardi in collegio c. VVendelinum Disp.* 11. Sed apud *Hofmannum* hæc omnia aliter se habent: quamvis contradi-

ctione carere non videatur, quod charismata vindicaturus ecclesiæ hodiernæ in usu exorcismi infantum, ea alleget scripturæ testimonia, quæ aut de ordinariâ ministerii efficaciâ, & Christi assistentiâ intelligi debent; aut si quædam etiam extraordinarium quid contineant, æquè miraculosis à morbis, veneno, cœcitate, claudicatione, morte, dæmonum corporali possessione liberationibus, ut & donis linguarum ac prophetiæ applicanda sint: hæ enim operationes apostolis, aliisque illo tempore promissæ, & ab iisdem editæ. Vide *Matth.* 10. *vers.* 1. *Luc.* 10. *vers.* 9. 17. 18. *Marc.* 16. *v.* 17. 18. *Actor.* 2. *v.* 4. & 3. *v.* 6. 7. & 8. *v.* 6. & 9. *v.* 40. & 13. *v.* 12. & 14. *v.* 3. 9. 10. & 16. *v.* 18. & 19. *v.* 11. 12. & 20. *v.* 9. & 21. *v.* 9. 10. 11. & 28. *v.* 5. 8. Confer 2. *part. select. Disp. tit. de Miraculis, de Prophetiâ, de Charismatis.* IV. *Ratio*, ducitur à Dei jussu, promissione, potestate Ecclesiæ concessâ; ideoque esse diabolo formidabilem, & opus divinum. Sic *Justus Menius in libello de exorcismo* Wittebergæ anno 1551. excuso: teste *VVendelino Exercit.* 90 §. 5. *contra Ioh. Gerhardi. Resp.* probatio minoris, seu principalis syllogismus in Menio (prout citatur à *VVendelino*) non comparet: est itaque mera petitio ejus, quod est in quæstione. Et contrarium nobiscum statuunt, ex Lutheranis *Hunnius, aliique hactenus citati*; qui omnes excusant, tanquam ἀδιάφορον, & adiaphorum tolerabile.

APPENDIX II.

ADficimus aliquot problemata. I *Probl.* An dæmones possidentes per naturalia aliqua remedia, quibus inducatur complexionis mutatio & talis aut talis dispositio corporis, pelli, aut à possessione prohiberi queant? *Resp.* Tale quid quorundam sententia habet. Nos negamus, *quia* Diaboli præsentia & unio cum corpore humano, tanquam formæ assistentis, non pendet ex dispositionibus corporalibus: Ipse enim rebus corporalibus directè non afficitur; nec est agens naturale, sed liberum. Quamvis non difficeamur per corporis dispositiones dæmonibus aliquando dari, observari, captari occasionem homines hoc aut illo vexationis genere potissimum affligendi. Confer, quæ de lunaticis dicimus *in* 1. *part. sel. Disp. tit. de Energumenis*; *& suprà Disp. de Magiâ.* II. *Probl.* An apostoli, non obstante charismate ejectionis, ob defectum fidei effectum ejus aliquando non assecuti, & an tali ἀπλήμασι post acceptam plenitudinem charismatum *Actor.* 2. obnoxii fuerint. *Resp. Aff. pr.* ex *Matth.* 17. *Neg. poster.* ex hâc ratione, quod in doctrinâ tunc facti fuerunt infallibiles, & con-

& consequenter in motu fidei & patratione miraculorum, quibus doctrinam suam confirmabant. Alioquin laborasset causa & autoritas fidei apud infideles, apud quos & propter quos signa illa edebantur, & ad quæ tanquam motiva fidei per remotionem prejudiciorum & impedimentorum Christiani infidelesablegabant. III. *Probl.* Quid sentiendum de verborum *Numer.* 10. *v. ult. exurge Deus &c.* impositione in caput energumeni: & de lectione principii euangelii Johannis, *In principio erat verbum &c. Resp.* esse superstitionem & merum scripturæ abusum. Verba enim illa virtutem ejectivam non habent, aut naturalem aut supernaturalem ex mandato & promissione divinâ. Confer *supra Disp. de superstitione, ubi de verborum inefficaciâ.* IV. *Probl.* Quid statuendum de veterum quorundam gloriationibus super diabolorum coactione per verba, aut per signum crucis? *Resp.* ut dicam quod res est, nimia fuit eorum credulitas & amplificatio. Dictum *Cypriani de duplici martyrio* supra citavimus. Addimus nunc Lactantium lib. 2. c. 16. *cum* lib. 4. c. 27. *Maximis*, inquit, *sæpè ululationibus editis verberari se, & excedere, jam jamque exire proclamant.* Quasi dæmones mentiri aut simulare nequeant. Aliter sanè *Tertullianus* supra *citatus.* Quin & Pontificii in *suis historiis* seu *legendis* non pauca exempla referunt, de dæmonibus sub formâ crucifixi apparentibus, & sacra verba loquentibus. V. *Probl.* An obsessi in ecclesiam sint deducendi, saltem ut publicis precibus pro ipsorum liberatione postulatis & ille concipiendis interfint. *Resp.* Pontificii tum praxi tum doctrinâ suâ affirmant hoc esse convenientius. Vide *Raphaëlem la Torre cap.* 27. *advertentiâ* 12. convenienter hypothesibus suis de templorum sanctitate, deque imaginum, crucis, reliquiarum, & Dei panacei præsentiâ: hæc scilicet horrent dæmones, & locus sacer ipsis invisus est. siquidem *R. la Torre* credendum sit. Eâdem consequentiâ *Lancelotus in Institut. Iuris Canonici*, statuit mortuos sepeliendos in locis sacris & religiosis, *quod minus ibi à spiritibus vexantur immundis.* Nos putamus non magis energumenis in ecclesiâ curandos, quam maniacos, phreneticos, epilepticos. Si enim diabolus preces & verba scripturaria audire non sustinet in templis (uti volunt) certè non minùs iis coërcebitur in domibus privatis. VI. *Probl.* An per musicam instrumentalem dæmones fugari queant. *Resp.* Directè, aut physicè, *Neg.* quamvis fermentantis melancholici humoris & delirii acerbitas, quam dæmones pro libertate suâ tanquam commodam occasionem vexationis, observare & arripere solent, musicæ deliciis leniri & spiritus animales in homine excitari queant 1. *Sam.* 16. Sic tamen ut eo ipso non cogantur dæmones discedere. Et hâc cum distinctione intelligendus *Cassiodorus lib.* 3. *variar.* §. 40. ubi Musicæ effecta

fecta mirum in modum amplificat : *Repulit*, inquit, *Lyra Davidica diabolum, sonus spiritibus imperavit.* Vide 1. *part. select. Disp. tit. de Energumenis part.* 2. §. 10. *& tit. de Nat. & Operat. dæmonum part.* 1. §. 9. ubi autores Magici, Gentiles, Pontificii statuentes dæmonas affici rebus sensibilibus referuntur. Qui omnes, & nominatim *Burgensis, Serrarius, Del Rio*, satis doctè refutantur à *Raph. la Torre in Tract. de potestate ecclesiæ coërcendi dæmonas circa obsessos cap.* 17. Ex nostris plenè & eruditè idem agunt *Raynoldus in censurâ lib. apocryph. & Steph. Clotz Theol. Rostoch. in tr. de Angelis. Disp.* 11. VII. *Probl.* An apud Judæos ante & post adventum Christi fuerint exorcistæ, & an jam inde à Salomone ars eorum exorcistica deduci possit. *Resp.* Ita quidem velint Pontificii, ut ordinem suorum exorcistarum hinc probare possint. Quod *Iosephus refert lib.* 8. *antiquit c.* 2. *de Eleazaro odore radicis dæmonem è naribus extrahente*, nimis aut fabulosum aut magicum est: quamvis inter ecclesiasticos scriptores ab *Hieronymo* numeratus sit; uti non sine stomacho contra *Vvierum* contendit *Fayus in suo Energumenico pag.* 98. Quod *Matth.* 12. *v.* 27. de filiis Judæorum dicitur, inde nihil certi habetur : quandoquidem commodè id exponi potest de apostolis. Vide *comment. ad loc. cit.* Quales dæmonum ejectiones à Judæis & Gentilibus factæ sint, fusè docetur à *Raynoldo in libr. apocr. prælect.* 194. 195. *&c.* VIII. *Probl.* An conveniat fidelibus diabolo possidenti aut per spectra & apparitiones infestanti imperativo modo dicere: *vade, discede, desiste, dimitte, abi in abyssum* : aut, *mando tibi in nomine Dei aut Christi*, ut hoc vel illud *facias*, aut *omittas*. *Resp. Neg.* 1. *Quia* otiosum & temerarium est velle mandare diabolo aliquid, in quem & in quod potestatem & donum peculiare tibi divinitus concessum esse, per extraordinariam aut ordinariam revelationem certus non es. Jam verò peccatum est, quicquid non est ex fide. *Rom.* 14. 23. Et nescis cujus spiritus sis, *Luc.* 9. *v.* 55. 2. *Quia* posset quis eâdem temeritate, & Dei tentatione increpare ventos. *Matthæi* 8. 26. claudo dicere, *surge & ambula.* Actor. 3. surdo, *ephphata* Marc. 7. 34. 3. *Quia* si dæmon non pareret, sed magis vexaret, jam se & fidem suam mandator ludibrio dæmonis & infidelium exponeret, atque unà infirmos, aut in bivio positos scandalizaret. Sed si quis dæmoni verbis ac gestibus minanti & terrenti, aut factis infestanti opponat has similesve formulas, *Deus aut Christus te increpet, compescat, confundat, expellat, abigat* &c. per modum voti non arbitror illicitum esse : quia tale votum reducitur ad precationem, quæ vel expressè vel implicitè est conditionata. Et in tali precatione non confundimur : quia Deus illam, ut & alias conditionatas, semper exaudit

audit ad salutem ejus, qui in spiritu & veritate precatur. Sed excipiat quis 1. *except.* contra tertiam rationem: quamvis in morbis aliisque hujus vitæ malis adhibita remedia effectum non sortiantur, non tamen frustranea est nec prostituitur fides & precatio, neque ideò jubemur à remediis abstinere. *Resp.* Non est eadem ratio. Quia media hæc sunt ordinaria partim in regno potentiæ Dei seu in regno naturæ, partim in regno gratiæ præscripta 1 *Timoth.* 4. *v.* 3. 4. Sed mandatum hominum ad quod tanquam instrumentum & signum morale pellitur & coërcetur diabolus, est medium in extraordinariâ gratiâ, promissione, & revelatione divinâ fundatum. 2. *except.* Quamvis effectus parendi non semper sequitur mandatum nostrum, non desinimus tamen mandare hominibus. Ergò. *Resp.* Longè diversa est ratio. Quia ordinem, subordinationem, coordinationem superiorum & inferiorum, officiaque mandandi & parendi in societate hominum Deus autor naturę instituit: nec ulla ἀπαξία aut deviatio ab hoc ordine, ordinem jure divino & naturali stabilitum labefactare debet. Atqui hominum cum dæmone societatem, symbiosin, subordinationem, coordinationem Deus nec ut autor naturæ, nec ut autor gratiæ ordinariæ & communis salvandorum instituit; sed meram inimicitiam & πόλεμον ἀπρονόητον *Gen.* 3. *v.* 15. cum *Ephes.* 6. 12. *Iacob.* 4. *v.* 7. Quomodo autem illi resistendum sit, & quibus armis docet apostolus *Ephes.* 6. *v.* 12. Inter ea autem non comparent exorcismi, nec verba mandati seu imperii. IX. *Probl.* An ex dæmonibus aliqua quærenda sint, quæ ad res naturales, aut humanas, aut divinas, aut statum, qualitatem, facta dæmonum, sive possidentium sive infestantium pertinere videntur. *Resp.* Nequaquam. *Quia* nihil ex illo discere licet. De quo in *Desper. Causâ Papatus*: ubi calumniam de Lutheri magistro retundimus. *Deinde*, aut fieret illud per modum imperii, aut per modum petitionis, seu precationis. *Istud* licere, nemo sanus affirmaverit. Nec *illud*; nisi quis potestatem mandati, coactionis, & ejectionis à Deo acceperit. X. *Probl.* An sicut ad alios quoscunque morbis animi aut corporis afflictos, præsertim in paroxysmo morbi, dolorum, aut in mortis agoniâ positos, ministri ecclesiarum advocantur, ut verbo & precibus eos fulciant, atque adjuvent: similiter ad obsessos advocandi sint! *Resp.* De obsessis extra paroxysmum arreptionis positis, *Affi.* De iisdem in ipso paroxysmo positis, *Neg.* siquidem hominem obsessum respicias: illi enim in precibus à ministro tunc præiri, idemque verbo adhortationis & consolationis erigi, & fulciri nequit; quia usus sensuum & rationis in illo impeditur. Nihilominus propter & ad astantes verbum Dei, occasione ita ferente, loqui poterit minister,

nister, & iis in precibus præire. XI. *Probl.* An extra necessaria pietatis ac caritatis officia, conveniat ministris arreptitios spectare, aut rei novitatis ac curiositatis causâ invisere. *Resp. Neg.* Juratos inimicos suos, maledicos, furiosos, contentiosos, obtrectantes, convitiantes, blasphemantes, homo prudens curiosè aut otiosè non frequentat; ne occasionem præbeat illis blasphemias in Deum & pietatem, mendacia & convitia in proximum, in se & suos evomendi; quibus animus ipsius conturbetur, hostes fortè astantes cupidè hausti delectentur, infirmi scandalizentur. Multo magis ab otiosis ejusmodi spectaculis & audientiis abstinebit scriba doctus ad regnum cœlorum. Præsertim cùm noverit, Pontificios dæmonum testimoniis contra religionem veram & pro Papatu uti solere; atque adeò ex illis quærere ac discere, quæ (opinione ipsorum) faciant ad ædificationem proximi. XII. *Probl.* an cum dæmonibus sive possidentibus sive per spectra infestantibus disceptandum, aut verbis contendendum, super communi aut speciali aliquâ veritatis & justitiæ causâ? *Resp.* Non video cui bonæ rei hoc fieret ab illis qui obsesso adsunt. Neque enim dæmonem passivè convincere potes, quippe in termino, non in viâ, jam positum: nec obsesso prodesse, siquidem in paroxysmo versetur. Optimum ergò est dæmonis mendacia, blasphemias, cavillationes, calumnias, ludicra sophismata contemnere, & silentio ac contemtu vindicare: haud aliter ac Hiskias populum muniebat contra blasphemantem Rabsake 2 *Reg.* 18. *v.* 36. Aut si quid dicendum putes, sufficere τὸ increpet te Deus &c. *Jud. v.* Sed si astantium aut possessi ad se reversi & extra paroxysmum positi ignorantia, dubitatio, infirmitas postularet, ut diaboli sophismatis, calumniis, blasphemiis in fidem aut pietatem vel simplex inficiatio vel insuper ex scripturis refutatio reponatur: non magis illud absurdum esset, quam si blasphemiis hæretici aut athei, aut Judæi &c. sophismata, mendacia, calumnias, in pari necessitatis casu confundamus. Cæterum frequentes illæ velitationes & disceptationes cum diabolo, quæ in vitis & legendis sanctorum occurrunt, si accuratè ad normam scripturæ examinarentur, non sine censuris adversus materiam aut formam transirent. Quod ad tentationes dæmonum spirituales seu mentales & internas, quibus concitatur aut se miscet propria nostra corruptio, earum longè alia est ratio: iis à tentato fortiter resistendum mentali & internâ refutatione; quæ aliquando occasione solitudinis nostræ in verba & voces erumpit. Injectiones verò, quæ ita vocantur, diabolicæ, in quibus non cooperamur, fortiter contemnendæ, rejiciendę, ipsique impurissimo spiritui βδελύγματι ipsius in solidum relinquenda. Quandoquidem verò ex abundantiâ & commotione

tione cordis os loqui, & homo exterior affici solet: nil mirum si eu-
ripus cogitationum verba aliqua exęstuet. Sed de internis diaboli ten-
tationibus alibi. XIII. *Probl.* Quid de casu tentatæ exorcizationis & eje-
ctionis per Lutherum, an. 1545. ejusque malo successu, quem nobis
Pontificii perpetuò objiciunt, credendum sit. *Resp.* Esse excogitatum
commentum infinitis aliis de Luthero, Zwinglio, Calvino, Bucero &c.
annumerandum. Vide fabulæ hujus narrationem apud *Fayum in Energu-
menico pag.* 104. Et *Corn. à Lapide in Actor.* 19. *v.* 15. quorum ille te-
stes laudat *Laur. Surium in Commentar.* rerum in orbe gestarum (in quo
non invenio) *Lindanum dial.* 3. *& Staphylum* testem scilicet oculatum: iste
eundem *Staphylum contra Smidelinum p.* 400. *& Bredenbachium collat.* 7. Sed
quidquid dicant infelices illi mythologi; certum est Lutherum & doctrinâ
& praxi suâ ab ejusmodi exorcismo, qualem illi affingunt, quam maxi-
mè alienum fuisse. Quin & in hoc ipso casu hoc ipsum apertè testatus est:
uti videre est apud *Froschelium in concione de Angelis, & in Theatro diabolo-
rum part.* 1. *pag.* 59. ex quibus rei gestæ historia breviter exponitur à *Bal-
duino lib.* 3. *Casuum cap.* 3. *cas.* 11. Staphylus solus testis, uti fertur, ocu-
latus, probationem hic facere nequit, juxta leges. Præterquam quod
omnis apostata sit osor sui ordinis (ut habet Monacho-Papisticum pro-
verbium) & consequenter, quod meritò suspectus sit hic testis, præser-
tim alibi in mendaciis deprehensus. *Resp.* 2. Dato non concesso Luthe-
rum illo in casu ilico non expulisse dæmonem: quid inde plus inferri
poterit, quam ex millenis eorum exorcismis, quibus dæmones non
cedunt, & quos toties circa unum obsessum repetunt. Meminisse de-
bebant doctrinæ suæ, quâ statuunt effectum ejectionis non pertinere ad
„ donum gratiæ gratum facientis, sed ad liberationem quandam à malo
„ pœnæ, non solùm ex proprio demerito seu obice (exorcistæ scilicet aut
„ energumeni) impediri potest, sed etiam propter majorem utilita-
„ tem animæ, vel in aliorum exemplum, aut propter aliud ecclesiæ
„ commodum. Sic *Zvvarez in* 3. *tom.* 3. *Disp.* 15. *sect.* 4. qui ibidem ad-
ducit verba *Augustini, lib.* 83. *quæst. qu.* 79. *Cum autem non cedunt his si-
gnis hujusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis* &c. *Resp.* 3.
Quidquid fuisset de illo eventu, saltem doctrinæ & professioni Lutheri
non magis hinc præjudicium creari potest, quàm discipulorum *Mat.* 17.
qui dæmonem ejicere non poterant.

DE SORTIS ALIISQUE DIVINI NOMINIS ABUSIBUS.

Resp. ABRAHAMO vanden HEUVEL, Medioburgo-Zeland.

Ad diem 24. Decembr. 1636.

PRÆMONITIUNCULA AD LECTOREM.

Exhibeo contra morem meum, primam hujus disputationis partem quæ est de Sortibus, absque ullâ per διατέγως φροντίδως emendatione, accuratione, additione: excepto uno sphalmate typographico, quod sensum nullum contextui relinquebat. Ratio quæ me movit hæc est, quod acri censurâ & plusquam criticâ curiositate ab aliquo publicè exagitata sit. Ei ex professo statui respondere, exhibito fideliter meo contextu, uti tumultuariâ operâ anno 1636. in disputatione Academicâ eum proposueram, unà cum censoris oppugnationibus, anno 1638. editio Sed quia Typographus monet librum hunc in molem satis magnam nunc excrevisse, & res suas minimè ferre, ut editio ejus diutius proferetur, cogor peculiari libello vindicias illas reservare. In sequentibus hujus Disp. partibus agam more meo, sine ullo censoris mei præjudicio: quippe qui in secundâ & tertiâ parte nihil censurâ notavit, ne quidem præ se tulit se eas verbulo attingere velle.

Circa tertium Decalogi præceptum agendum potissimum 1. *de Iuramento.* 2. *de Votis.* 3. *de Maledictionibus, Benedictionibus, deque Exorcismis.* 4. *de Confessione fidei & Martyrio.* 5. *de Sortibus.* 6. *de Provocatione ad judicium Dei.* 7. *de Vanis otiosisque verbis aut factis abusum nominis divini implicantibus. Nos reliquis quatuor in aliam occasionem reservatis, de tribus posterioribus nunc acturi, ac primum de Sortibus I. præmittemus quædam præcognita. II. Capitalem controversiam de Sortibus ludicris explicabimus. III. Casus & quæstiones nonnullas decidemus.*

1 VOcum explicatione omissâ, de quâ plurima *Math. Martinius in Lexico*, sortis definitio investiganda, quæ non malè sumitur ex verbis Augustini in Ps. 30. concione 2. *Sors*, inquit, *non est aliquid mali, sed res est in dubitatione humanâ divinam indicans voluntatem.* & paulò pòst appellat *judicium divinum*, &, *in sorte non est electio sed voluntas Dei.* Apud *Summistas Pontificios* vix exsertam definitionem invenias, *Thomas & Scholastici ad 22. qu. 95. a. 8.* quamvis meminerint definitionis Augustini, aliter tamen ipsi definiunt. Sic enim ex & cum Thomâ Malderus ad 22. tract. 10. c. 7. dub. 9. *Sortes dicuntur cum aliquid fit ut ex ejus eventu res occulta vel dubia cognoscatur vel discernatur.* Sed nimis laxa hæc definitio consulto ita concepta,

ut

ut laxam suam doctrinam de sortibus (quam videre est apud *Cajetanum ad locum Thomæ cit.* & *Toletum, aliosque*) sub hâc comprehendant. Nostri melius definiunt cum Aretio problem. tom. 1. p. 813. *Est modus consulendi Deum rarior quidem, attamen in his eventis, ubi nec ratio aut consilium hominum commodè adhiberi potest.* Et Borrhao. Comment. in Numer. 26. *Sors sacra est periclitatio alicujus eventus sub Dei ductu, qui fit & Deo gloriosus & Ecclesiæ salutaris.* Perspicua & plena est descriptio *Amesii Medul. lib. 2. c. 12.* Ubi eam vide. Definitioni Augustini atque adeo nostræ inhæret *Masius commentar. in Iosuæ 7.* Porrò definitio nostra colligitur ex *Prov. 16. 33.* cum 18. 18. Ita ut in ratione suâ formali sors omnis includat respectum ad Deum & dependentiam ab ipsius speciali atque immediatâ providentiâ, per quam solam eventus seu casus sortis determinatur, quamvis homines mittentes sortem de eo sæpè non cogitent, nec petitionem judicii divini intendant. Ut ex nostris ostendit *Martyr in locis comm. class. 1. c. 5.* & solidè *Amesius loc. cit.*

Consectar. I. *Malè Cicero de divinat. definit sortem*, nihil aliud esse quàm spectare temeritatem & casum, ubi nec ratio nec consilium valent. II. *Malè* Cajetanus in 22. qu. 95. a. 8. *statuit non peccari absolutè, si sortes exspectentur à fortunâ: Nec satis benè ibi contradicit* Thomæ contra Gentes lib. 3. c. 154. *condemnanti exspectationes sortium à cœlo.*

Variè dividuntur sortes, respectu objecti seu materiæ in divisorias, 2
consultorias, divinatorias. *Peucerus de Divinat.* distribuit in politicas, divinas, divinatorias. Alii in divinas, humanas, diabolicas. Respectu materialis externi seu instrumentorum, circumstantiarum, fiebant enim per globulos, tesseras, chartulas &c. conjiciebantur in sinum, aut urnam, aut hydriam, aut galeam &c. Respectu usus sortientium, sic sortes Prænestinæ, Liciæ, Deliæ, Antiatinæ &c. Nos illis omissis (de quibus *Peucerus libr. cit. Aretius, Martyr in loc. comm. Delrio disquis. Magic. lib. 4. c. 2. qu. 7.* nonnulla etiam *Rosinus* & *Dempsterus in antiquitatibus*) sortes *divisorias* dicimus esse, quæ adhibentur cum dubitamus, cui aliquid sit adjudicandum in hæreditate, in bonis, in honoribus, oneribus, laboribus, periculis, &c. Suntque vel publicæ vel privatæ; rursum vel sacræ *Levitic. 16. 1. Paralip. 26. Actor. 1.* vel civiles: quæ rursum vel ordinariæ *Proverb. 18. 18.* vel extraordinariæ 1. *Samuel. 10. Iosuæ 14.* & 15. Divisorias sortes esse licitas omnes hodiè concedunt *Iurisconsulti, civiles & canonici ad caus. 26. q. 2. c. Sors*, pariter cum Theologis Pontificiis & nostris: quamvis *Hieron. in Ionæ. 1.* omnem usum sortium videatur rejicere, qui fortè ex occasione abusuum in extremam hanc sententiam compulsus fuit. Addunt autem *Cajetanus in 22. qu. 95. a. 8.*

a. 8. & *Malderus loc. cit.* conditiones & limitationes quasdam, quibus hæ sortes sint licitæ. Plenè magis & perspicuè conditiones exhibet ex nostris *Martyr. loc. cit.* nos illum secuti, pauculis additis ita eos designamus. *Prima* est ne temerè veniatur ad sortes, prius enim utendum est spiritu Dei, verbo, ratione: Et si humana prudentia despicere non possit, aut si possit, tamen invidia aliâ ratione declinari non potest, tum demum necessitas gloriæ divinæ & boni publici aut privati suadet sortem. *Secunda*, ut ad sortes religiosè accedatur cum intuitu providentiæ divinę, & exspectatione determinationis ab hujus judicio, & animo acquiescendi in ejus voluntate. *Tertia* ut absit superstitio. *Quarta*, ut materia sortis sit res justa & licita, & quidem seria ac alicujus momenti. *Sexta*, ne ad sortes adhibeatur Euangelium aut verbum Dei. *Consultoriæ* sortes sunt quando inquiritur quid in rebus ambiguis judicandum aut faciendum. De facto præterito inquiritur *Iosuæ* 7. de futuro inquirit seu consultat rex Babylonis *Ezech.* 21. *v.* 21. 22. Has autem absolutè illicitas dicimus, nisi Deus extraordinariò eas præscribat. Aut enim judicium exspectatur à fortunâ, hoc est ab idolo, quod vanitatis & superstitionis est; aut à diabolo, quod est Magiæ; aut à Deo, quod est præsumptionis, & nihil quam Deum suum tentare, cùm homines nesciant cujus spiritus sint. Nam exempla Saulis & Regis Babylonii in scripturâ, authenticam fidei morumque regulam non faciunt. Quæ à *Toleto aliisque* adferuntur ex *Augustino epistol.* 180. *ad Honoratum*, & *de doctr. Christian. lib.* 1. *c.* 28. de sortitione faciendâ inter Ecclesiæ ministros & inter pauperes, ad divisorias sortes referri possunt, ut cum *Zvvarezio* etiam observat *Malderus loc. cit.* Hæret ergò aqua Pontificiis, qui cum consultorias tanquam absolutè malas nobiscum condemnârunt (sic *Malderus*) tamen ad palliandam suorum superstitionem, tandem excipiunt adversus hanc suam doctrinam: ut *Del. l. c. & Cor. à Lapide in Act.* 1. laudat Franciscum Assisium sortito captantem sententias scripturæ primò in Euangelio occurrentes, easque capessentem pro regulâ vitæ, ut refert *Bonaventura in ejus vitâ. Divinatoriæ* sortes sunt quę adhibentur ad prænotionem futurorum. Sunt autem illæ vel licitæ seu divinæ, vel illicitæ. Et hæ rursum vel vanæ, vel superstitiosę, quæ scilicet directè sunt contrà religionem. Superstitiosæ pertinent vel ad superstitionem simpliciter diabolicam eamque vel explicitam vel implicitam. Longè latèque hę sortes olim vagatæ sunt: de formis & ritibus earum videri potest eruditissimum opus *Peuceri de Divinationibus*, & *Aretii problemata*, post quos & ex quibus, ni fallor, non pauca annotavit *Delrio disq. Mag. lib.* 4. *c.* 2. *qu.* 7. *Demsterus in paralip. ad lib.* 2. *antiquit. c.* 7. & *Alciatus parerg. lib.* 5. *c.* 22. peculiariter

ter de sortibus in Oraculis adhibitis. Vide & *ICC. ad L. de Maleficiis, Sacrilegis & Mathematicis*; & *Canonistas ad caus. 26. qu. 2. c. sortes.* Porrò refutantur ejusmodi sortes ab *authoribus tit. & tract. de Magiâ, Divinatione, Prophetiâ, Superstitione*, inter alios à *Sirenio de Fato lib. 2. c. 38. Lessio de Superstit. lib. 2. c. 43. dub. 9. & Scholasticis ad Thomæ qu. 22. qu. 95. a. 8. Delrio. loc. cit.* Quamvis hic postremus non omnia ita expugnet, quin conniveat ad quasdam sortes, immo eas tueatur, in gratiam scilicet Romanæ Ecclesiæ, quæ illis superstitionibus non paucis etiamnum inquinata est, & olim vehementer se polluit. Nec tamen veretur more infamium scortorum innocentissimę famæ doctissimi *Peuceri loco cit.* quasi aliud agens labem aliquam aspergere, ac si ille alicujus fecisset sortes divinatorias. Papatus crimina vide à nobis detecta in *Desper. caus. Papatus lib. 1. sect. 4. pag. 34.* Hodiè etiamnum apud Gentiles in Japoniâ sortes divinatorias admodum frequentatas testatur *Xaverius epistol. lib. 3. epist. 5.*

Consectar. 1. *An per sortem propriè dictam Mathias sit creatus Apostolus? A contra varias & non necessarias antiquorum quorundam conjecturas, quas vide in* Commentar. à Lapide in Actor. 1. *II. An verisimile sit Apostolos sortitionem illam Iudaicâ consuetudine tantum, & absque Spiritu S. instituisse, ut volunt* Chrysostom. & Beda ad Actor. 1. *N. III. Sortem consultoriam nunquam esse licitam, quamvis conditiones à* Cajetano in Summulâ, & Toleto lib. 4. c. 15. *præscriptæ observentur, quia nullâ scripturâ aut ratione nititur.* Accedit, quod quidquid laxi illi conscientiæ Magistri videantur limitare, tandem tamen *ideò* sua tollant & resorbeant. Notentur hæc verba Cajetani: *Ex hoc quod Euangelia ad secularia negotia consuluntur, non incurritur mortale: quia non est hoc contra divinam reverentiam: sed quia præter eam videtur ideò* Augustino *displicet. Posset tamen, ut puto, tali fide & reverentiâ ac necessitate fieri, ut nullum esset in hoc peccatum. IV. Satis profanè* Delrio lib. 4. c. 5. qu. 2. de sortibus divisoriis licitis: *Debet adhiberi simplex sors sine ullâ superstitione vel abusu rerum sacrarum aut scripturæ sanctæ: non tamen est mortale peccatum, nisi magna adsit irreverentia.*

Controversia capitalis est de sortibus ludicris, an illæ scilicet ad licitas 3
divisorias sint reducendæ. Pontificii vulgò affirmant. Sic enim *Corn. à Lapide in commentar. ad Ionæ. 1. Huc spectat*, inquit, *contractus sortium, qualis est in lusu aleæ. Delrio lib. 4. c. 4. Toletus lib. 5. c. 27. Balduinus in casibus lib. 4. c. 4. casu 10.* probat lusum aleæ & chartarum, cum fit non lucri sed animi causa &c. Ex nostris, Theologus Anglus *Gattakerus peculiari tractatu* sortes ludicras defendit tanquam ex se non malas; cujus

rationes popularis ipsius *Iacobus Balmfordus tractatu peculiari* oppugnavit. Nos cum *Daneo*, cujus tractatus de hâc controversiâ exstat, & cum nostrate practico eximio *Ioh. Taffino libr. de emendatione vitæ*, omnibusque, ni fallor, Theologis, Gallis, Belgis, plerisque Anglis & Scotis, immo omnibus ferè Reformatis statuimus lusus illos non tantùm propter injustum lucrum & proximi expilationem, sed etiam ex se & suâ naturâ propter abusum sortis esse illicitos. Rationes nostræ sunt. *Primò*, quia sors ex se est medium explorandi providentiam & judicium divinum, & quia à providentiâ Dei immediatâ quasi omne judicium ac eventus sortium dependet *Prov* 16. *v.* 33. Ut ibi exponunt & observant *commentatores*. Vide *Mercerum*, *Lavaterum*, *Corn. à Lapide*, & ex Judæis *R. Aben Ezram*. Atqui irreverentia est per ludum & jocum, ac tantùm fallendi temporis Causa Dei sui judicium explorare. *Secundò*, Quia qui sortes ducit, si non explicitè saltem implicitè rem suam committit superiori causæ quam naturæ aut arti; at ea nulla est nisi Deus: Nam ut Christianus ab idolo fortunæ, aut à diabolo felicem eventum exspectet, vix credendum est. Atqui coram Deo suo tàm propè versari, ad illum judiciumque ejus ire, cum alia media deficiunt, absque timore & tremore non convenit, saltem non convenit ludibundos in tantâ re versari. Hoc expugnaret reverentiæ & timori Dei *Iesa.* 66. 2. & 8. 13. *Tertiò* omnia exempla sortium in scripturâ apud pios usitata, nihil aliud quàm rei gravitatem, modi & usus reverentiam, & finis non vanitatem sed necessitatem atque utilitatem indicant. *Quartò*, ex adjunctis & consequentibus aut semper aut ὡς ἐπὶ τὸ πόλυ istarum sortium, facilè de arboris bonitate judicari potest. Sunt enim lusus illi suprà omnes alios subjecti secretæ cuidam maledictioni. Quod arguunt, blasphemiæ, execrationes, furiosæ & impotientes eventuum cupiditates atque exspectationes, indignationes in Deum, aut fortunam aut in proximum, denique lusuum istorum servilis insatiabilitas, quod homines iis nec modum, nec finem imponere, quodque noctes & dies vix quiescere possint. *Quintò*, ex suffragiis antiquitatis *Clementis Alexandrini lib.* 3. *c.* 11. *Cypriani epistol. de aleatoribus*, *Chrysostom. homil.* 6. *in Mattheum*, *Concil. Eliberin. can.* 79. *Augustin. epistol.* 119. Jure civili lusus illi satis, opinor, stigmatizantur *tit. D. & C. de aleatoribus*, & sic *Iure Canonico c. Clerici de Vitâ & honestate Clericorum*. *Lyranus in præceptorio* novem rationibus eos oppugnat. Idem facit *Antoninus part.* 2. *tit.* 1. *c.* 23. 6. ubi enumerat 21. peccata quæ in illis ludis intervenium; addit tot esse scelera in ludo quod sunt puncta. *Hostiensis in summâ tit. de excessibus prælatorum* refert sexdecim crimina, quæ in talibus perpetrari solent. Hos sequitur *Petrus de Ravennas in alphabeto aureo, verbo*

ludus,

ludus, & *Ignatius Lopez de Salsedo in practicâ criminali Canonicâ cap.* 70. *de Aleatoribus*, ubi graviter imprimis incessit Clericos aleatores, & pœnas à canonibus in eos constitutas strictè urget; citat pro rigidâ sententiâ esse scil. peccatum mortale si Clericus utatur illis ludis, *Baptistam Caccialupum* & *Paridem de puteo tractatibus de ludo. Sylvester in summâ, voce ludus*, omnia hæc incrustat, & tàm laicis quàm Clericis pulvillos consuit, sed improbè ineptis rationibus. Ex nostris imprimis præcisè hanc causam tuentur *Martyr. locor. class.* 2. *c.* 12. *Danæus pecul. tract. Taffinus libr. de Emendatione Vitæ*, *Amesius in Medullâ Theolog.* & in *Casibus lib.* 4. *c.* 23. *Rivetus*, *Perkinsus*, *Dodus* & *Cleaver*, *Georgius Dovvnamus*, *in exposs. decalogi.*

Consectar. I. *Itaque ludis illis abstinendum, quia sors ad terminandam controversiam (ferè ut juramentum) peculiarem infert respectum ad Dei specialem providentiam; atqui illa reverenter in rebus necessariis, cùm alia media non suppetunt, usurpanda est, non verò temerè aut in lusibus; ut jam dictum est.* II. *Quod si quis in conscientiâ de abusu nominis divini non satis evidenter convictus est, tamen debet abstinere à re minimè necessariâ aut ad exercitium animi corporisve admodum utili, propter dubitationem suæ conscientiæ; tum propter mala & incommoda quæ ludos illos perpetuò aut ut plurimùm comitantur (est enim ab omni occasione & specie mali abstinendum) imprimis si lucri causâ ludatur; tum propter scandalum, & ludorum istorum infamiam apud Gentiles pariter & Christianos.* III. *Servanda ad minimum est* Imperatoris constitut. novell. 123. *quâ interdicit Episcopis, presbyteris, diaconis & subdiaconis, ac lectoribus & cuicunque clerico*, ne ad tabulam ludant (παιζειν est aleâ ludere, ut ibi exponit *Cujacius*) aut tali ludo utentibus se associent, aut spectatores sint, aut ad quodcunque spectaculum spectandi gratiâ accedant, &c. *Vide & confer* decreta in aleatores *nominatim in Clericos apud* Photium in Nomocanone tit. 9. cap. 17. *Cum* decretis antiquorum Conciliorum *convenit* cap. 3. statutor. Ecclesiastic. Othonis I. an. 952. & cap. 27. statutor. Ludovici Pii in comit. Aquisgran. anno 818. *apud* Goldastum Constitut. Imperial. tom. 3. p. 225. & 308. *Eadem fuit sententia VValdensium, ut videre est apud* Joh. Paulum Perrinum. *Et Ecclesiarum omnium post reformationem, quæ eâdem administrationis cœnæ formulâ nobiscum utuntur. Decreta Politica, aliaque Principum ac sapientum suffragia collegit* Souterius Palamedis libr. 2.

Restant casus decidendi, quorum I. An Principes, Magistratus, Judices sorte eligi possint. *Resp. aff.* cum hâc distinctione quam suggerit *Cajetanus in* 22. *qu.* 95. *a.* 8. quam etiam sequuntur *Summistæ*, ne scilicet promiscuè sorti principatus subsit quisque de populo sive bonus sive malus, 4

sed

sed ut super certos quosdam hoc munere dignos sors cadat. Et sic olim regnorum divisio per sortes (*Dempsterus ad antiquit. Rosini lib. 2. c. 13. Alciat. pareg. lib. 5. c. 22.*) & judicum sortitio frequentata; de quo ex jure civili & bonis autoribus non pauca observat *ibid. Dempster. lib 9. p. 376.* Et certè requirit status ac necessitas multarum politiarum ut ad Dei hoc judicium confugiatur. Vid. *recentiores Politicos.* II. An etiam in distributione munerum Ecclesiasticorum sors locum inveniat? Negant omnes *Canonistæ & Casuistæ Pontificii*, cum *Thomâ loc. cit.* & sortium usum ad negotia temporalia restringunt; idque propter *Ius canonicum* à quo hoc absolutè prohibitum, & certos modos electionum definitos putant. Nos cum *Riveto in decalog.* & *Balduino Cas. lib. 3. c. 6. & lib. 4 c. 5.* contrarium statuimus, nec videmus hoc scripturæ aut rationi repugnare. Acriter hanc sententiam propugnat *Fridericus Nausea* Episcopus Viennensis *homiliar. centur. 3. homilia 80.* Nec abhorret *Malderus tract. 10. c. 7. dub. 9.* cùm concedit litem beneficialem posse dirimi per sortes. Confer *Bellarm. controv. V. lib. 1. c. 5.* III. An chartarum & taxillorum similesque ludi mixti ad sortes ludicras sint referendi, atque eo nomine illiciti, Negat *Perkinsius Casuum lib. 3. c. 4.* Nos cum *Theologis* supra *cit. affirmamus.* Nihil enim manifestius est, quam sortem ibi locum habere. Hinc rectè Peucerus: *habent cognatum aliquid sortitioni tesserarum, calculorum, taxillorum, astragalorum ludi.* Et *Antonin. loco* supra *cit.* & cum illo *Sylvester in Summâ* ait, hunc ludum quasi alearum, chartarum scilicet & tabularum eandem cum aliis habere rationem, *quia principaliter fortuna ibi victoriam parat.* IV. An Magistratus per sortem, decimationem similesque modos aliquos possit ad supplicium deligere, ut pœna scilicet ad paucos, metus ad omnes perveniat? *A.* si scilicet omnes pari crimine teneantur. V. An qui sortitioni illi subjacet, possit bonâ conscientiâ sortem ducere; an verò (ut nonnulli censent) non debeat sorti vitam committere; sed tantùm passivè se habere exspectando à judice aut immunitatem aut supplicium *R. Nos pr. aff.* Nemo enim propriam carnem odio habet, sed omnia media servandæ vitæ (si Deo non repugnent) studiosè sectari tenetur. Si enim sortem non ducat, jam absolutè pereundum erit; sin ducat, jam latitudo aliqua & spes supersit. VI. Quid si innocenti à Principe aut Magistratu tyrannico, aut ab hostibus sortitio inter ipsum & alios captivitatis socios, & rursum inter pœnas inæquales ex. gr. mortem & perpetuam captivitatem, exilium & bonorum confiscationem, uxoris filiive jugulationem, & flagra membrive mutilationem in proprio corpore offeratur? *Resp.* Et electio illa est licita (ex hypothesi scilicet violentiæ & necessitatis inevitabilis) quia per eam appetimus bonum, nam minus malum hic

obtinet

obtinet rationem boni: quomodo *Ieremias* elegit, prætulit, & à Rege non obscurè postulavit atrium carceris, quamvis illud non magis meritus esset quam ipsum carcerem. *c.* 37. VII. An contractus illi sortium, vulgo dicti *loteriæ* & *riffæ* sint liciti? *Resp. affirm. Delrio lib.* 4. *cap.* 4. *qu.* 2. cum *Briardo*, *Garciâ*, *Lopesio*, *Molina*, *Imman. Sa. ibid. cit.* quia nihil aliud sint quam implicita quædam venditio respectu exponentis merces illas, & sors divisoria respectu emptorum. Ex nostris omnes privatorum *loteriis* repudiant; nonnulli de publicis dubitant, ut *Amesius cas. lib.* 4. *c.* 23. quamvis tamen subdat, *Prout nunc observari solent, videntur illicitæ.* Politici, inter quos *Keckermannus*, institutum laudant. Nos illicitas & Reipublicæ noxias esse putamus, quidquid bonum publicum prætexatur: tum quia cum injustitia, damno proximi & expilatione pauperum conjunctæ sunt, quod est contra legitimam rationem sortis divisoriæ; *tum*, quia homines adillicita media rem faciendi per aleas & sortes scil. alliciuntur spe lucri proposita sed fraudulenta; *tum* quia certiori ratione & minori cum periculo & malorum syrmate per collectas Reipublicæ aut pauperum necessitati subveniri potest; denique sequeretur hoc absurdum quod eodem colore omnes lusus aleæ, quo proximi substantiam intervertimus, defendi possent. VIII. Quid faciendum illi qui aulicorum aut potentiorum familiaritati irretitus non audet (ut prætexit) se expedire à lusibus aleę, taxillorum, chartarum, ad quos subinde sollicitatur. *Resp.* Consilium expeditissimum est, ut voto Deo præstito simul & semel ab ignobili illa ludendi servitute se absolvat. Votum illud ubi apud illos constanter professus fuerit, nullâ non dicam religionis sed ne civilitatis quidem specie poterunt ipsi ultra molesti esse.

DE PROVOCATIONE AD JUDICIUM DEI.

UBi in jure dicundo testimonia aliæque probationes desunt, πέρας controversiæ omnis constituit Deus juramentum *Hebr. 6. 6.* Sed audax hominum superstitio & alias inventiones addidit. Hinc purgatio olim divisa in canonicam & vulgarem. Illa est duplex, aut per juramentum, aut per sumptionem eucharistiæ. Priorem agnoscimus. Posteriorem minime, quia implicat tentationem Dei & abusum nominis divini. Eam tamen Catholici (ait *Delrio lib.* 4. *cap.* 4. *qu.* 3.) hoc est Papistæ, contendunt esse licitam. Et frequens ejus olim apud Pontifices, Episcopos & Monachos usus. Si namque de crimine aliquo est disceptatio, Missam celebrant & communicant in hæc verba: *corpus Domini sit tibi hodie ad probationem.* Rationes nullæ contra purgationem vulgarem adferuntur 1

runtur à Pontificiis, quæ contra Canonicam hanc non militent. Vide porrò de purgationis hujus modo & effectis, *Antiquas Collectiones Decretalium cum notis Anton. Augustini & Cujacii coll. 1. lib. 5. tit. 29. & 2. lib. 5. tit. 15. & 3. lib. 5. tit. 17. Canonistas ad Extrav. de Purg. Can. Lanceloti Institut. lib. 4. tit. 2. Zypæum in Iure Canonico novo, p. 513. 515.* & qui prolixè mysteria hæc pandit, *Ignatium Lopez in Practicâ criminali Canonicâ c. 148.* & *Pegnam in notis ad Eimerici directorium Inquisitorum. Summistas in voce, Purgatio.* Ex nostris attingit eam *Althus. lib. 2. dicaiolog. c. 40.* Eandem perstringit *Hotomannus in Comment. feudal. c. 44. n. 6.* contra quem Jesuita *Delrio* defensionem dictę purgationis *loc. cit.* suscipit. Certe *in Annotationibus Ignat. Lopez cap. cit.* exsertè dicitur ex Instructione Madritianâ in causis Fidei c. 17. *Ob malitiam humanam purgatio Canonica periculosissimum est remedium. Ideoque non multum est in usu, quare eo utendum raro,* &c. Et sic *Piasecius in praxi Episcopali pag. 334. 339.* fatetur eam vix esse in usu.

2 Purgatio vulgaris est judiciaria disquisitio quâ fortuito eventui veritas culpæ vel innocentiæ decidenda permittitur, atque adeò explicitè aut implicitè postulatur & expectatur à Deo miraculum. Dicitur *vulgaris*, quia à vulgo inventa & temerè usurpata; dicitur etiam *exploratoria probatio*, & in *Constitut. Neapolitanis paribilis lex*, eo quod rem non sciri sed apparere tantum faciat; denique *judicium Dei* in *Capitulari Caroli Calvi tit. 31. c. 13.* & *tit. 39. c. 3. 7.* & *Caroli Magni anni* IX. *c. 9.* Fit autem illa probatio per *monomachiam*, de quâ *Delrio lib. 4. c. 3. qu. 4. sect. 2. per ignem seu ferrum candens, ibid. sect. 3. per aquam ferventem aut frigidam, ibid. sect. 4.* & *lib. 6. cap. 4.* ita ut triplex fuerit proba per aquam: per immissionem manus in aquam ferventem: & in aquam frigidam, si sine noxâ ustionis educeret quid ex fundo; & per injectionem totius hominis in aquam, si scil. mergeretur. Vide superstitiosum modum benedicendi seu exorcizandi aquam calidam aut frigidam in quam manus ad judicium mittitur, & modum conjurandi hominem in aquam explorationis ergò projiciendum in *constitutione Ludovici Pii anno* 825. apud *Goldastum tom. 3. constitut. Imperial.* »*pag.* 254. Ubi historica hæc clausula subjicitur. Hoc judicium autem »petente Domino Ludovico Imperatore constituit beatus Eugenius »(*Papa ejus nominis secundus*), præcipiens ut omnes Episcopi, Comites, »Abbates, omnisque populus Christianus, qui infra ejus imperium est, »hoc judicio defendant innocentes, & examinent nocentes, ne perjuri »super reliquias Sanctorum perdant suas animas malum consentientes. Antiqui Saxones jam Christiani facti Ethnicas suas superstitiones in æque immanes ac barbaras mutabant: inter quas probæ illius genus frequen-

quenter in legibus ipsorum memoratæ, quam *Ordalium* appellabant: ex *or* particulâ privativâ & *dæl*, id est pars, hoc est expers, sine parte, scil. criminis. Erat autem Ordalii genus duplex, igneum & aqueum. Igneum rursum duplicis formæ: reus enim aut nudâ manu ferrum ignitum gestabat, aut pedibus nudis ignitos vomeres premebat. Aqueum peragebatur totius rei in aquam immissione. Nobilibus & generosis ordalio igneo, rusticis verò & plebejis aqueo sese purgandi potestas erat. Hæc ex *legibus Saxonicis & historiis* atque *antiquariis Anglis*; quos vide apud *Seldenum lib. 2. analecti Anglo-Britannici cap.* 8. ubi etiam horribiles ceremonias precibus refertas, aquâ lustrali madefactas, missis decantatas, benedictionibus & adjurationibus suffultas, quasi in tabellâ exhibet; atque una ordalii religionem cum Ethnicis circa ignem & aquam superstitionibus comparat; ac non obstante prohibitione *Stephani V. (caus. 2. qu. 4. & 5. & tit. de Purgat. vulg.)* à Concilio Triburiensi decennio post anno scil. 885. esse decretam, & sub Papatu usque ad tempora Henrici III. in Angliâ usurpatam ostendit. In Galliâ damnatæ illius probæ per ferrum candens non tantum praxin sed & legem esse antiquissimam ostendit *Isacius Pontanus lib. 6. origin. Francic. cap.* 17. *p.* 518. ubi citat *Lindebrogium ad codicem legum antiquarum. Steph. Paschasius lib. 4. Recherces cap. 2.* probat ex collectione legum Episcopi Ansegisi, ubi occurrit hic titulus: *de manu ab æneo redimenda.* Ibidem castigat *Gratianum* & *Ivonem* aliosque qui à Gregorio M. & Alexandro III. probas has prohibitas putant: cum demum abrogatæ sint in Concil. Lateranensi sub Innocentio III. anno scil. 1214. Adde dictis Paschasii legem Salicam 4. si *homo ingenuus in furto inculpatus*, ad *æneum provocatus*, &c. Ex his antiquorum probis remansit usque ad nostra tempora proba sagarum per aquam, de quâ supra in *Disp. de Magiâ.* Fuit & probatio Gallis usitata per panem & caseum; uti refert *Pithœus in Glossario*, & ex illo *Petrus Molineus in Vate cap.* 22. Denique *per crucem*, cujus meminit *Agobardus in libello contra purgationes* illas scripto. Purgationes hæ Europæis gentibus olim usitatæ, quin & quarundam legibus sancitę, non tantum Politicis sed & Ecclesiasticis, *Concilii* scil. *Triburiensis* & *Magocensis in* 1. *collect. Decretal. tit.* 30. Exemplum usurpatæ hujus probationis dedisse dicitur Dominicus, qui disputaturus cum Albigensibus causam suam probabat injiciendo librum in ignem, eumque illæsum eximendo. Quod tamen improbatur à *Cano lib.* 2. *locor. Theol. cap.* 2. Memorabile inter infinita alia exemplum est in disceptatione de officio divino Mosarabico seu Gothico per Isidorum instituto retinendo, aut Romano seu Gregoriano introducendo; cujus judicium monomachiæ committebatur sub rege Alphonso VI.

anno 1121. Et cum vinceretur propugnator officii Romani, ad importunam instantiam Regis & Bertrandi Archiepiscopi Toletani novo judicio ignis, causa committebatur: in quem cum libri utriusque officii injecti essent, & Romanorum inde mox exiret, Mosarabico tamen non combusto, creditum & conclusum est utrumque officium Deo placere; & sic in aliquot templis Toleti usus Mosarabici remansit. Vide hanc historiam ex *Hispanicarum rerum Scriptoribus* apud *Genebrardum in Chronographiâ*; *Claudium Duretum in Thesauro historiæ linguarum* Gallicè *cap.* 55. *pag.* 634. Sed historiam hanc dissimulat *Baronius ad ann.* 1080. §. 66. Historias de speciebus, modis, & ritibus probationum vulgarium si quis nosse desideret, indico *Agobardum tract. de his purgationibus. pag.* 287. edit. in 8. Et ex recentioribus *Camerarium centur.* 2. *cap.* 18. *Franc. Iuretum in notis ad epistolas Ivonis, pag.* 633.- 644. *Sirmondum ad capitula Caroli Calvi, pag.* 73. *Eundem in notis ad epistolas Petri Abbatis Cellensis, pag.* 429. *Delrio* & *Seldenum locis modo cit. Nucleum discursuum Politicorum in Germaniâ. pag.* 307.-- 310. *Petrum Molineum in Vate, cap.* 22. 23. edit. in fol. *Baronium ad ann.* 412. 6. & 443. 3. & 502. 2. *Durantum Castellium lib.* 2. *variar. cap.* 1. & 2. ubi comparat cum superstitione Gentilium. De probatione per duellum seu monomachiam agit *Paschasius lib.* 4. *cap.* 1. ubi imprimis de moribus & legibus Gallorum: de quibus etiam *Isac. Pontanus lib.* 6. *origin. Francic.* qui ibidem docet ex legibus Langobardicis potuisse à detrectante certamen alium subsitui, quem *campionem* vocabant. Insuper Danis, aliisque gentibus hoc judicii genus usitatum fuisse. Consulat *eum* & *Autores ibidem citatos*, & *Camerarium centur.* 2. *oper. subcesiv. cap.* 19.-- 22. *Daneum lib.* 2. *Ethicæ c.* 13. *Salmuthum ad Pancirollæ novè reperta, tit.* 20. *Molineum in Vate cap.* 21.; si quis antiquitatum istarum avidus est. Apud Anglos juris feudalis purgationem fuisse duellum, illudque in consuetudinario Normanniæ *vadiationem duelli* seu *legem apparentem* appellari, testis mihi est *Zouchæus* in *descriptione juris & judicii temporalis secundum consuetudines feudales & Normannicas part.* 3. *sect.* 6. ubi etiam modum pugnæ describit. Sed de duellis complures autores præter jam citatos datâ occasione aliqua notârunt, & *Schedius de Dis Germanorum pag.* 440. *Ioh. Crocius in commentar. in epist. ad Titum pag.* 437. *Keckermannus in Disp. practicis*, &c. aliqui etiam peculiares de eo tractatus scripserunt; nuperrimè etiam *Filius meus* Juris in hâc Academiâ antecessor. Ad illos ergo φιλομαθεῖς ablego. Non possum, quin adscribam ex *Itinerario & descriptione regni Siam* in Indiâ Orientali, autore *Iudoco Schouten, pag.* 64. in causis civilibus & criminalibus adhiberi immersiones in aquas, ut qui diutius illic subsistere potest, in judicio triumphet;

pariter

pariter qui manu immissâ in oleum fervens, aut nudis pedibus ambulans per prunas ardentes minus læditur; aut qui massam orizæ conjurationibus per sacerdotes benedictam aut maledictam comedit, sine vomitu subsequente. Omnes autem illas probationes esse divini nominis abusus, Dei tentationes, & superstitiones partim ab Ethnicis (*Delrio loc. cit.* & ex nostris *Vsserius in Historiâ Gotteschalci, pag.* 206. 207.) partim κακοζηλίᾳ quâdam ex Judaismo (*Numer.* 5. 14.) ortas, agnoscunt nunc pariter Reformati, & plerique Pontificii. Defendit tamen Jesuita *Rosweidus in tract. de Fide hæreticis servanda cap.* 12. probationem per ignem. Sed omnes probas vulgares refutant *Thomas cum Commentat. in* 22. *qu.* 4. *art.* 8. *Canonistæ ad* 2. *qu.* 5. *c. Mennam* & *c. consuluisti.* Et *Extrav. de purgat. vulgari c. dilecti. Delrio lib.* 4. *disq. Magic. cap.* 3. *quæst.* 4. & 5. & *lib.* 6. *cap.* 4. *qu.* 3. *La Torre ad Thomam tom.* 2. *pag.* 338. Ex Anti-Pontificiis *Molineus loc. cit. Danhauverus in Collegio Decalog. disp.* 2. & 11. *Balduinus lib* 4. *cap.* 9. *casu.* 3. *Heigius I. C. in Quæstionibus part.* 2. *qu.* 39.

Affines sunt huic judicio Dei, citatio ad tribunal Dei, & disquisitio judiciaria ex cruentatione cadaverum. Illius in Scriptura & Historiis occurrunt exempla recensita à *Cornel. à Lapide*, &c. *Delrio*; inter alia celebre illud Equitum Templariorum anno 1314. quorum unus dicitur ad tribunal Dei citasse Philippum Pulchrum & Clementem V. anni spatio concesso, intra quod uterque decesserit. De quo videre est apud *Fulgosum, Massæum, Mejerum, Petrum Messiam in variis lectionibus. A Lapide in Genes.* 9. 5. *Delrio cap. cit. qu.* 4. *Plessæum in Mysterio iniquitatis.* Plura exempla provocationum, quæ etiam effectum suum sortitæ sunt, collegit *Christ. Heroldus, in Dissertatione de provocatione ad judicium in valle Iosaphat* ann. 1624. Noribergę. Indicantur ab illo exempla *Severiani* apud *Dionem Cassium lib.* 69. *Petri & Johannis Carvay* apud *Fulgosum lib* 1. *cap.* 6. *Lipsium in monit. & exempl. polit. cap.* 11. *Camerarium centur.* 3. *cap.* 38. *Templariorum* (de quibus nos alibi) apud *Guagnin. lib.* 7. *cap.* 5. *P. Æmilium lib.* 8. *Gualteri Burgensis* apud *Volaterranum lib.* 21.; & *Delrio lib.* 4 *c.* 4. *qu.* 4. *Cujusdam* apud *Westrogothos à Satrapâ* Johan. Thurson capitis damnato, apud *Olaum Magnum lib.* 2. *cap.* 20. *Roberti Lincolnienſis* apud *Baleum in vitis Pontificum lib.* 7. *Rectoris biremis* à triarcho Genuensium in furcam acti; apud *Fulgos. lib.* 1. *c.* 6. & *Goulart.* 3. *part. Thesauri histor. Ægidii* à fratre Francisco duce Arremoricę Britanniæ condemnato, apud *Balthas. Exmer lib.* 7. *Val. Max. Christiani cap.* 48. *Patricii Hamilthoni*, apud *Buchan. lib.* 14. *histor. Scotic. Mercatoris cujusdam Livoni*, apud *Paulum ab Eitzen lib.* 3. *de ses Ethiques c.* 15. *Nobilis Austriaci*, apud *Felicem Malleolum lib. de consolat. iniquè oppressorum. Conradini Suevia ducis* apud *Crusium* 3

lib. 2. annal. Suevic. cap. 19. Joh. Hussi, in Martyrologio, & apud *Petr. Matheum* histor. Gallum in *Histoire de la paix, fol. 205. Henrici Episcopi Moguntini,* apud *Lipsium in monit. & exempl. cap. 11. Abbatis Herveldensis,* apud *Schafnaburgensem*; & *Aventinum lib. 4. annal. Bojor. Abbatis Leodiensis,* apud *Cantipratensem lib. 2. miraculor. cap. 35. Eustachii* cujusdam; apud *Delrio lib. 4. cap. 4. qu. 4. Gontieri* advocati Parisiensis, apud *Goulart. part. 3.* Quæstiones hic occurrunt. I. *Quæst.* Quid judicandum de veritate exemplorum? *Resp.* Duo in iis sunt notanda, facta provocantium seu provocationes, & earundem eventus. *Quod ad facta,* nulla est ratio de iis dubitandi: quandoquidem videmus ab hominibus quotidie (jure an injuriâ, temerè an ritè, hic non disquiram), ad scientiam & justum Dei judicium provocari: præsertim cum nullus declinandæ injuriæ, violentiæ, & injustæ sententiæ locus, aut morti jam vicini sunt. Docti enim sunt non tantum Scripturæ autoritate, sed naturæ & experientiæ lumine Deum esse vindicem justitiæ, & raro antecedentem sceleſtum deseri à pœnâ, quamvis claudicante. *Quod ad eventus,* quamvis omnibus Scriptoribus non æque fides adhibenda sit, durum tamen melioribus inter ipsos fidem hic derogare: præsertim cum nec ex personâ & statu scribentium, nec ex circumstantiis scriptionis seu narrationis justæ præsumtiones, nedum probationes desumi possint. II. *Quæst.* An probandę sint omnes provocationes præteritæ aut præsentes, earumque formulæ? *Resp.* 1. *Neg.* de omnibus illis, qui provocârunt & hodie etiamnum non rarò provocare solent pro malâ causâ. 2. *Neg.* de illis, qui absolutè & definitè quod ad tempus & modum judicia talia aut talia exequenda adversariis suis denuntiârunt, eosque peremptoriè ad denuntiati judicii executionem citârunt: sed absque ullo subsecuto effectu. Nesciverunt ergo illi, cujus spiritus essent *Luc. 9. vers. 55.* Et illorum denuntiationi sine effectu analogicè applicandum illud Deuter. 18. vers. 22. *Quando Propheta in nomine Jehovæ locutus fuerit, & non evenerit verbum illud, &c.* 3. *De* illis qui pro bonâ causâ, sive communi Fidei, sive particulari justitiæ provocârunt, & definitum modum ac tempus exequendi judicii, & quidem cum effectu denuntiârunt, malo ἐπίχειν, quam determinare, & hoc factum eorum admirari quam imitari, aut aliis in simili casu illatæ injuriæ imitandum proponere. III. *Quæst.* An quandocunque evenerit malum aliquod, quod aut quale quis provocando sive indefinitè, sive definitè, aut vovit, aut denuntiavit adversario suo: inde certò concludi possit, denuntiantis & provocantis illius causam fuisse bonam, aut legitimè & peculiari Dei instinctu illum tale quid denuntiasse. *Resp. Neg.* Valet enim argumentum ab eventu negatè, ex *Deuter. 18. vers. 22.* non verò

affir-

affirmatè ex *Deuter.* 18. *vers.* 2. 3. Apud Ethnicos sæpe eveniebant illa, quæ per suas divinationes investigabant: teste *Lactantio lib.* 2 *de Origine erroris cap.* 8. & 17 Sic 1. *Sam.* 14. *v.* 41. & *Ezech.* 21. *v.* 21. 22. eventus respondit captatæ divinationi: inde tamen inferri nequit aut caulam istorum divinatorum, aut divinationum modos fuisse bonos. Damnantur enim *Deut.* 18. *v.* 10. Confer 2. *part. select. disp. de Miraculis, de Prophetiâ, de Probationibus Spirituum.* IV. *Quæst.* Cur provocationes tales factæ & dictæ fuerunt ad judicium Dei in *valle Iosaphat. Resp.* Conjecturis aliorum omissis, puto denominationem illam ortam ex hypothesi expositi textus *Ioel.* 3. *vers.* 12. de judicio novissimo per Christum habendo, & quidem ex opinione seu conjecturâ antiquorum quorundam supra Hierosolymam & vallem Iosaphat. Quid autem sit de illius opinionis veritate, alibi dicetur. V. *Quæst.* An cuivis contra jus & fas violenter oppresso, sive in causâ communi fidei, sive in causâ justitiæ particulari, licitum sit ad judicium Dei causam deferre & adversarium eò citare. *Resp.* Distinguimus provocationem super causâ, à provocatione super personâ adversarii, ejusque formali & expressâ citatione ad tribunal Dei. Sit ergo 1. *Concl.* Quælibet causa veritatis & justitiæ, quæ humano judicio, & potenti executione illius judicii injustè opprimitur, à parte innocente ad Dei judicium deferri & potest & debet: ita ut ad Deum confugiat, ei precibus causam suam commendet, coram illo, immo & positis ponendis, coram hominibus, de innocentiâ suâ protestetur. Probatio legitimi juramenti ex 2. *Corinth.* 1. *vers.* 23. *Rom.* 9. *vers.* 1. 2. &c. huic provocationi applicari debet. 2. *Concl.* Si absit impatientia & privatæ vindictæ cupiditas, potest provocatio fieri super adversario, qui sit publicus, professus, juratus hostis fidei, & tyrannicus persecutor Ecclesiæ; potest ille ad judicium Dei citari, & judicium ac justa Dei vindicta super eum inclamari, & generaliter atque indefinitè denuntiari. Ad probationem adduci possunt imprecationes, maledictiones, denuntiationes, quæ in sacris literis occurrunt, ut *Psal.* 35. & 68. & 83. 2. *Timoth.* 4. *vers.* 15. 3. *Concl.* Nulli persecutori & jurato hosti mala spiritualia per nostram provocationem & citationem imprecanda sunt; aut absolutè denuntianda. Nescimus enim an Deus illum velit convertere. 2. *Timoth.* 2. *vers.* 25. Nisi certi simus illum peccare in Spiritum Sanctum; aut Deus specialiter nobis revelet & mandet ita imprecari ut *Psal.* 69. & 109. 4. *Concl.* Omnibus causæ fidei, verbis aut factis quocunque modo injustè adversantibus, non imprecanda mala temporalia: sed contra precanda ipsis resipiscentia, remissio, & immunitas à Dei judiciis: Exemplo Christi, *Luc.* 23. *vers.* 34. Stephani *Actor.* 7. *vers.* 60. Pauli,

1. *Timoth.*

2. *Timoth.* v. 4. 16. 5. *Concl.* In particularibus quibusque injuriis, quas per injustam hominum sententiam patimur, non postulanda semper Dei vindicta, nec ad judicium Dei adversarii ita citandi; ut obliviscamur illud *Matth.* 5. *vers.* 44. *Iacobi* 5. *vers.* 7. 8. VI. *Quæst.* An siquidem non vovenda aut à Deo petenda specialia judicia, taliones, vindictæ contra injustè judicantem aut opprimentem; ea saltem nomine Dei ipsi denuntiari possint? *Resp. aff. cum distinctione*, ex 1. *Thessal.* 4. *vers.* 6. & 2. *Thessal.* 1. *vers.* 6. Distinctio hæc est, ne denuntiatio mali fiat absolutè, sed cum conditione, nisi resipiscat; nec definitè, quod ad speciem, modum, locum, tempus: qualis erat Prophetæ, 1. *Reg.* 13. *vers.* 2. Eliæ, 2. *Reg.* 1. *vers.* 10. Petri, *Actor.* 5. *vers.* 9. 10. Pauli, *Actor.* 13. *vers.* 11. qui extraordinariò & peculiari Dei instinctu hoc egerunt. Absque hoc si quis absolutè & definitè denuntiet, reus sit præsumtionis, tentationis Dei, superstitionis. Quia nescit cujus spiritus sit. *Luc.* 9. *vers.* 55. Nec exstat ulla revelatio communis, in quâ denunciatio talis fundari possit. Deus enim verbo suo & communi experientiâ nos docet, plerumque tales injustos judices, & violentos oppressores sine resipiscentiâ perire: non tamen semper: uti constat ex exemplo latronis in cruce, & regis *MANASSIS*. Quod ad definitam denuntiationem speciei, modi, mensuræ, loci, temporis: eodem verbo & experientiâ docemur, *speciem* vindictæ etiam temporalis ut plurimum cadere, in tales oppressores *Psal* 55. *vers.* 24. & 32. *vers.* 10. *Eccles.* 8. *vers.* 13. quod etiam ex lumine naturæ & experientiâ innotuisse Gentilibus testantur gnomæ illæ, *Virum malum vel mus mordeat*, *Raro antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo*, ἔχει γὰρ ἔκδικον ὄμμα. Huc refer *libellum Plutarchi de serâ numinis vindictâ*, & *Poëtarum Theologiam mythologicam de Nemesi*, & *Scriptores politicos de causis turbationis & interitus Rerumpubl.* Non tamen semper in hâc vitâ injuriæ peculiariter vindicantur; sed flagitia aliqua in futurum sæculum punienda reservantur. Vide *Iob* 21. *vers.* 7. 8. 9. 13. & solutionem vulgatæ objectionis contra Dei providentiam, quod in hâc vitâ malis bene sit, bonis malè, apud *Plesseum de veritate Religionis cap.* 12. & *Theodoretum aliosque Scriptores de providentiâ*. *Modus* vindictæ in hâc vitâ, sæpe respondet speciali formæ & definito modo injuriæ ac violentiæ: cujus illustre exemplum fuit Adoni Bezek truncatus digitis *Iudic.* 1. *vers.* 6. 7. & Agag 1 *Sam.* 15. *vers.* 33 *Psal.* 109. *vers.* 12. 16. Rex Joas, 2. *Chronic.* 24. *vers.* 21. cum 25. Confer & *Genes.* 9. *vers.* 5. 6. *Matth.* 26. *vers.* 52. *Iesa* 33. *vers.* 1. & adagium ex communi experientiâ enatum: *Quo quis peccat, eo punitur.* Et, *Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci, Descendant reges & siccâ morte tyranni.* Non tamen hoc est perpetuum. Itaque denun-

denuntiatio mortis subitaneę, aut diræ, aut infelicis, aut infamis, aut cujuscunque alterius θείου aut ἀνθρώπου mali definitè fieri nec debet, nec potest, secundum verbi divini & universalis experientiæ indicium. *Locus* particularis executionis judicii divini in his terris aliquando est ille, in quo aut circa quem oppressor tacinus suum patravit, aut alteri executionem injuriæ suæ minatus est. Exemplo Achab & Joram in agro Nabothi 1. *Reg.* 21. *vers.* 19. cum 2. *Reg.* 9. *vers.* 25. 26. Observatum etiam ab historicis Ethnicis, illic loci clade affectum populum, ubi antea injuriâ quis affectus erat. Semper tamen hoc fieri, aut etiam plerumque nec ex Scripturâ nec ex experientiâ didicimus. *Tempus* definitum minimè omnium assignari debet, extra peculiarem Dei instinctum. Quia propemodum rationem, tardationem, omnesque terminos & periodos judiciorum Dei in terris post earundem executionem observare possumus, non tamen prædefinire aut prædicere. Ut verbo dicam, an Deus hanc aut illam injuriam in ultimâ vitâ sit vindicaturus, an vero oppressori resipiscentiam daturus; & si vindicaturus, an peculiari aliquo judicio in his terris vindicaturus sit; si in terris vindicaturus, quâ formâ, quo modo, quo loco, quo tempore, quâ mensurâ, quamdiu, ipsius sapienti & justę providentiæ relinquendum est: ne sanctum Israëlis videamur in aliquo istorum limitare aut determinare, *Psal.* 78. *vers.* 41. Quid autem statuendum sit de exemplis provocationum absolutè & definitè factarum (apud *Heroldum supra cit. Petrum Messiam part.* 3. *variar. lectionum cap.* 21. *Zwingerum in Theatro vol.* 5. *l.* 135.), & quousque de eventu earum historicis credendũ aut non credendum: non facile dixerim. Nolo quidem omnia arguere; nec tamen ita probo, ut alicui eorum imitationem suadere auderem.

De cruentatione cadaverum occisorum ardua hactenus disquisitio, an inde homicidii quis convinci aut accusari debeat. Sunt qui putant naturali antipathiæ seu vehementi odio & vindictæ occisi in occisorem hunc effectum tribuendum, sic *Lemnius de occultis naturæ mirac. lib.* 2. *cap.* 7. *Gemma lib.* 1. *de Characterismo, cap.* 6. *Langius epistol. Medic. lib.* 1. *epist.* 40. *Magyrus physic. lib.* 3. *cap.* 8. *Pomponatius in libr. de Animorum immortalitate, Delrio comment. in Octaviam Senecæ, & Disq. Magicar. lib.* 1. *cap.* 3. *qu.* 4. Sed hæc sententia naturæ ac scripturæ repugna. Post mortem cessat odium & omnis motus facultatis appetitivæ; non est animale amplius cadaver, nedum ut sit rationale; quin immo facultates sensitivæ post mortem tantum supersunt tanquam in principio & radice, juxta *Thomam quæst.* 19. *de Animâ*; saltem secundæ potentiæ non sunt, & consequenter nulli inde actus seu motus exspectandi, nec habet mortuus partem inter vivos. *Eccles.* 9. 6. cum *Iob.* 3. 13. 17. Alii tribuunt imagi- 4

nationi, quæ opinio merito rejicitur à *Fieno in tract. de Viribus Imaginationis quæst.* 24. Alii; ut *Galeotus Martius de Doctrinâ promiscuâ cap.* 22. spiritibus occisi tribuunt, cum enim illi in occisorem provolant, una fluidum reddunt sanguinem. Sed hæc opinio satis refutata est ab *Hieronymo Magio lib.* 3. *Miscellan. cap.* 5. *Rhodiginus lib.* 3. *cap.* 12. tribuit spiritibus ex irâ & vindictâ concitatis, qui in recenter occiso, septem scil. horis adhuc supersunt. Sed conjecturalis, si non mythologica hæc Philosophia. *Idem loc. cit.* dicit à Theologis referri ad miraculum divinum. Sed hoc de nonnullis Theologis Pontificiis tantum verum est. Ejusdem sententiæ est *Iohannes Gerardi in Commentar. in passionem ad Iohan.* 19. *vers.* 34. & ex Medicis & Philosophis *Stribonius in physiol.* Et ex recentioribus Pontificiis *Corn. à Lapide in Iohan.* 19. *p.* 526. b. *Mallonius de Stigmatis Christi, pag.* 289. 306. Alii referunt ad humores emissos ab alterato homicidâ ingredientes vulnera occisi & commotionem facientes. Ita *Ioh. Major in* 4. *dist.* 15. Alii supernaturalem causam Deum scilicet vel Angelos iniquitatem interfectoris detegentes, aut etiam diabolos innocentes falso accusare, aut nocentes ad desperationem perducere conantes. Sic *Fienus loc. cit. Delrio* vocat indicium prodigiosum. *Ionstonus Thaumatographiæ part.* 10. *art.* 3. causam facit vel motum & agitationem, vel antipathiam & sympathiam *Tostatus* & cum eo *Cornel. à Lapide in Deuter.* 21. ajunt esse miraculum naturale. *Cornmannus in lib. de Miraculis mortuorum part.* 9. *cap.* 23. „ Crederem, inquit, animam, si adsit autor necis, „ corpus iterum intrare & movere, vi ad vitam, cum deficiant & languida sint membra, saltem ad vindictam occisoris. Sed opinio illa de animarum erratione circa corpus suum, & in sepulcris permanentia, (unde lucernæ, de quibus *Fortun. Lycetus de Lucernis antiquorum*; & *de Oleo* earum incombustibili *Pancirollus* & *Salmuthus in deperditis tit.* 35. ubi alii autores citantur), earundemque in corporibus habitatione, absque informatione tamen & animatione, alibi rejicitur. Confer 1. *part. select. Disp. tit. de Spectris. §.* 11. & *Autores* ibi *cit.* Quibus nunc addo, *Gevartium in notis ad Statium Papinium p.* 132. edit. in 8. & *Comment.* inter eos imprimis *Ioh. Lud. de la Cerda in versum Virgilii Æneid.* 4. *Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas.* Alias opiniones ut & exempla hæmorrhagiæ, vide apud *Cornmannum part. cit. cap. cit. &* 24. 25. 26. Esse autem in crimine homicidii sufficiens hoc ad torturam indicium & ad homicidæ deprehensionem statuunt celebres *ICC. Paris à Puteo, Hippolytus Marsilius, M. Antonius Blancus, Ludovicus Carrerius, Franciscus Casonus à Magio*, & ex parte à *Delrio lib.* 5. *sect.* 4. citati; & *Menochius, Farinacius, Mascardus* citati ab *Althusio Iurisprud. lib.* 3. *cap.* 39. 50. addimus nos *Bocrum quæst.*

166.

166. *n.* 1. Ex Theologis absolutè hoc indicium tanquam naturæ miraculum probat *Tostatus* Episcopus Abulensis, & cum eo à *Lapide commentar. in Deuter.* 21. *vers.* 4. ubi addunt in eum finem præcepisse Deum convocationem populi, ut, siquidem adesset homicida ex cruentatione cadaveris deprehenderetur. Johannes Major in 4. dist. 15. qu. 14. *Appropinquante*, inquit, *homicida, occiso recenter sanguis de vulnere emanat, ut perhibent* (N. B.) *& istud est vel nutu divino in horrorem peccati vel forte propter aliquos humores emissos ab alterato homicidâ*, &c. Ex nostris sive *Manlius* sive *Melanthon* putabat certum esse indicium homicidæ: Vide *Manlium in Collectaneis locor. commun. ex Melanthonis aliorumque relationibus ad* 5. *præc.* p. 307. ubi narrat interfecti cujusdam cadaver ex aquis, ubi quatuor septimanis congelatum jacuerat extractum in proximo oppido coram Judice & multis civibus circumstantibus recentem sanguinem stillasse. Et addit: *fuit certissimum signum & divinum testimonium de præsentiâ homicidæ: sed Iudex tam fatuus & stolidus erat, ut nullam inquisitionem institueret.* Inter recentiores Pontificios Binsfelsius de Confessionibus maleficor. concl. 8, p. 136. *Videtur*, inquit, *soli divino miraculo in horrorem & detestationem tanti criminis tribuenda.* Et sic *Tholosanus lib.* 36. *Syntagm. cap.* 20. Utrique citant alios *ICC.* ὁμοψήφους, qui statuunt sufficiens esse indicium ad torturam. Quibus adde *Bodinum lib.* 2. *dæmonomaniæ cap.* 3. Loca Scripturę pro hâc opinione ab *Autoribus citatis* & ante ipsos ab *Henrico de Hassiâ in commentar. in Genesin*, & ex illo à *Barthol. Sibylla in Speculo peregrinar. quæst. decad.* 3. *cap.* 8. *qu.* 4. adducta sunt *Genes.* 4. *vers.* 10. & *Apocal.* 6. *vers.* 10. sed absurdè; ut patet textus illos inspicienti. Nos hoc divinitus, ut putant, datum indicium non sine abusu nominis divini & injustitiâ in proximum pro tali haberi & assumi demonstramus. *Primò*, quia est fallax. *Secundò*, quia ad id nullum habemus Dei mandatum seu revelationem, nec mediatam, nec immediatam, nec extraordinariam, nec ordinariam (qualem habebat lex zelotypiæ *Numer.* 5.) ita ut de eo dici possit quod olim Agobardus Episcopus Lugdunensis de omni purgatione vulgari: *Et vani homines nominant ista judicium Dei. Unde probari potest judicium esse Dei, quod Deus nunquam præcepit*, citante *Sirmundo ad Capitula Caroli Calvi pag.* 73. neque enim Deus specialem providentiam crimen manifestans utitur aut uti nos docebit fallacibus signis. *Primum argumentum* nostrum probatur ex eo, quia dato tale quid fieri, est signum commune ex εἰκότων non πεπειρίων genere: ergo est fallax, haut aliter ac pallor est signum aliquem amare, potest enim studere aut ægrotare. Constat enim ex Physicâ ac Medicinâ, (*Lemnius lib.* 2. *cap.* 7.) & docet experientia hæmorrhagiam illam variis de causis posse accidere, in cadaveribus

non tantum occisorum, sed etiam aliter mortuorum, idque præsentibus aut absentibus omnibus aut nullis, amicis aut inimicis, notis aut ignotis, exemplum notabile extat apud *Langium loc. cit.* Potest enim sanguis fluere, quia cadaver movetur & agitatur: aut quia sanguis putrefactus est, & à calore putredinem causante cietur. Potuisset etiam diabolus, Deo permittente, hæmorrhagiam illam aliquando excitasse. Cum homines Deum tentant, & vacuis ac superstitiosis observationibus fidem adhibent, evenit nonnunquam aliquid secundum fidem ipsorum. Quid si cum *Canonhiero in comment. ad Hippocr. aphor. p.* 430. dicatur, cum id raro contingat, per accidens posse esse. Subdit ibidem p. 430. *§.* 4. aliam exceptionem: *Quia sanguis ex naribus, oculis, ore, aliisque partibus per aliquot dies, & aliquando per aliquot septimanas, si corpora conserventur, profluit; quia vena, quamvis homo sit mortuus, sanguinem diu conservare possunt, & ad tempus, ut vivis accidit, emittere queunt: quare non est necessaria consequentia, ut si aliquis cadaveri casu occurrat, & illud sanguinem instillare incipiat, ejus interfector sit censendus. Secundum argumentum* est, quia merito dubitatur de hypothesi observationum, an tam frequentes & tam certæ sint ut inde experientia universalis exstrui possit, & an judicibus hâc viâ ad criminis convictionem grassantibus, semper ita successerit absque ullo errore postea deprehenso. Hic sinum quisque excutiat. *Nullus*, inquit, *Canonhierus in lib. 1. Aphor. Hippocratis, ferè medicus negat.* Ipse tamen *pag.* 430. rarò illud accidere affirmat. Quid si enim pauca exempla adferantur (quorum fides sit penes Authores: fortè enim Pliniana est in miraculis naturæ recensendis, aut Platonica, qui omnia à quibusvis dicta recipiebat tanquam vir bonus, (ut de eo *Iul. Cæs. Scaliger*) quæ instar reliquiarum Papisticarum multiplicata & aliâ circumstantiâ decorata, reipsa eadem semper hic obtruduntur quid tum postea? Probationibus vulgaribus, & sagarum per aquam à Theologis, Jureconsultis & Judicibus, Historicis & Philosophis crebrius acclamatum audies *τὸ probatum est.* Sed tamen non probant nunc JCC. aut Theologi tales probas. Vid. *Delrio supra cit.* Certè præsumtam experientiam jugulant quæ referuntur ab *Andreâ Libavio in tract. de cruent. cadav.* edit. in 8. quod aliquando non fluxerit præsente homicidâ, & quod fluxerit præsente dilectissimâ amicâ, sc. occisi. *Tertium arg* accedat, quod si hoc aut naturale aut supernaturale, & quidem perpetuum esset indicium; tum certè in politiâ Mosis omnium perfectissimâ agnitum & usurpatum fuisset; immo Deus hoc indicâsset, ubi aut species probationum in crimine homicidii, aut quid agendum circa homicidium occultum (Vide *Numer.* 35. *Deuter.* 17. & 19. & 21.) præscribit. Sed nusquam tale quid in Sacrâ Scripturâ comparet. Et *Quartum argumentum*,

nullum

nullum certum tempus ab occisione adhuc constitutū est, infra quod sanguis effluens signi rationem sustineret. *Gaudentius Merula rerum memorabil. lib. 4. c. 8.* testatur intra curriculum septem horarum duntaxat effluere ad præsentiam occisoris. At signi infallibilitas in re tanti momenti, hoc testimonio *Gaudentii* fundari non debet. Tempus hoc ad multos dies extendit *Abulensis*, & ex eo *A Lapide in Deuter. 21.* Denique (quod unicum argumentum est *Delrio lib 5. sect. 4.*) de caulâ hujus indicii nihil certi jure vel caulâ juridicè probatâ nobis constat, ergo ex eo nunquam judici Deum timenti ad torturam procedendum est, ut prudenter ex suffragiis JCC. *Farinacii*, *Marsilii*, imprimis *Gomez* hoc confirmat *ibid. Delrio.* Quibus à *Cornmanno cap. 27.* adduntur *Zangerus*, *Anton. Thessau. Bocerus*, (teste *Cornmanno cap. 27.*), quod scil. indicium faciat concurrente famâ vel Rei inimicitia alias non. Quidquid hic Jureconsulti inter se disceptent, saltem communehoc placitum suum oblivisci non debent: *In re dubiâ benigniorē interpretationem sequi non minus justius quam tutius sanctiusque est*; & hoc in casu nocentem præstat dimittere, quam insontem condemnare. Si quis varios autores de cruentatione istâ conferre desideret, is adeat *Canonhierum in Interpretationibus Aphorism. Hippocratis, pag.* 429. *Kircherum de arte Magneticâ, pag.* 788. edit. in 4. *Goclenii* junioris *præfat. ad lib. de mirabilibus Naturæ*; *Mich. Neandrum in libro contra Iudaos* cum *Grammaticâ ipsius Hebraâ* edito *pag.* 489. edit. in 8. *Politicam Anonymi* Francofurti anno 1617. in 4. editam tit. *de Statu Politico seu Civili libri sex.* Ubi *lib. 2 discursu* 40. *Bartholini quæst. Physic. Barazanum in Physic. acroas. disp. 9. theor. 17. Ægid. Romanum in Quodlibetis*; imprimis *Libavii* peculiarem *tract. de Cruentatione cadaverum, Delrio lib. 5. disquis. Magicar. sect. 4. Hieron. Magium lib. 5. miscellan. cap. 5. Lævinum Lemnium lib. 2. de Naturæ miraculis cap. 7. Thomam Fienum lib. de Viribus imaginationis qu. ult.*

Consectar. 1. Siquidem hic credendum sit prodigium naturale aut supernaturale, hæc ab omnibus diligenter prius inquirenda. 1. An sanguis effluat sine agitatione corporis, aut alteratione aliquâ extrinsecus adducta. 2. An semper ad præsentiam cujuscunque homicidæ; & quidem toties effluat, quoties accedit homicida, & toties sistatur quoties recedit. 3. An non effluat ad præsentiam Magistratuum, aut militum, aut carnificum, qui justo titulo (quamvis injustâ caulâ) sæpe occiderunt, ut in belis injustis, Ecclesiæ persecutionibus, martyriis fieri solet. 4. An semper effluat ad præsentiam eorundem, si justo titulo & causa occiderunt. 5. An ad præsentiam homicidæ casualis. aut infantis, aut phrenetici effluat?

fluat? 6. An ad præsentiam homicidæ qui latronem, aggressorem, aut alium quemvis justè & cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit. 7. An etiam ad præsentiam ejus, qui per Magiam occidit? Quod mirum est non observatum à Magiæ Inquisitoribus. 8. An ad præsentiam parricidarum, Assassinorum, &c. e.gr. Jacobi Clementis, Balthasaris Gerardi, &c. 9. Quæ sit sphæra præsentiæ, intra quam homicida adesse debet, siquidem cadaver sanguinem sit emissurum. 10. Quod tempus circumscriptum huic hæmorrhagiæ, post quod præcisè cessat? An verò etiam cadaver effossum ex sepulcro dum sanguis nondùm planè periit, idem præstabit. Exemplum cruentationis post 20. dies habet *Campanella de sensu rerum lib. 4. c. 9.* Solet enim interdum ex ipsis nudis ossibus cruor effluere, ut vult cum *Abulensi Corn. à Lapide in Deuteron. 2, 11.* Duo si mutuis vulneribus se confecerint (quod non raro fit) an cadavera utraque ad præsentiam alterius, sanguinem emissura? 12. An non visa sint cadavera sanguinem emittere ad primam saltem præsentiam parentum, cognatorum, &c. quacunque morte obierint. *Observatum in occiso ad rei præsentiam subsilire, adamicorum in submerso*, ait *Ionstonus loc. cit.* & *Lemnius libr. 2. cap. 7.* idem confirmat de aliis quocunque casu mortuis, & sic *Mizaldus memorabil. centur. 1. cap. 4.* 13. An non etiam brutorum cadavera ad præsentiam interfectorum sanguinem fundant? Taurorum subinde tale quid præstitisse in publicâ arenâ seu spectaculis refert *Magius loc. cit.* *II.* Tantisper dum de his non liquet, & judicia & facta quiescant: nam quidquid ex fide non est, peccatum est. Multa sunt prodigia in natura & supra hanc inferiorem naturam, quorum τὸ ὅτι deprehendimus, τὸ διότι verò & finem particularem ignoramus; itaque nec ordinaria & certa illa nobis sint particularium rerum indicia; ut alibi de Ostentis, Prodigiis, Spectris, &c. dicendum erit. Interim videatur *Munsterus à Vortlage in tract. de Spectris, & Polydor. Virgilius* cum *Camerario de Ostentis*, & quæ annotavit *Magius loc. cit. de Prodigiis circa homicidia*, & *A Lapide comment. in Deuter. 21.* *III.* Delirum & ludicrum paradoxum Monachi *Campanellæ lib. 4. de Sensu rerum cap. 9.* quo, ut probet omnes res in mundo sensu præditas, de cadavere ita παραδοξολογεῖ: Interfecti homines in conspectu Interfectoris sanguinem emittunt, &c. fervent ira vel timore sentientes per affectum aëris communem adesse odiosum hostem. *IV.* Malè *Baranzanus Physic. Disp. 9. theor. 17.* fluxum sanguinis tribuit virtuti antipathicæ relictæ in sanguine ex elicito actu inimicitiæ. *V.* Malè etiam nonnulli ad animam mundi intellectualem fluxum hunc sanguinis referunt. Vide animam illam à nobis refutatam in *Appendice disp. de Creatione.*

DE

DE VERBIS ET FACTIS OTIOSIS.

1 *Otiosum verbum est quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis caret, quia scil. sine utilitate & loquentis dicitur & audientis: si omissis feriis de frivolis loquamur, & fabulas narremus antiquas*; Sic ex *Gregorio Magno, Thomas in catena ad Matth.* 12. Idem de factis statuendum. Est autem illud vel cum profanatione & abusu nominis divini, vel absque eo. De isto *ad nonum Præceptum*, seu *ad tit. de Regimine linguæ* agendum. Illud pertinet *ad tertium Præceptum*; & implicat abusum illum vel magis explicitè, vel magis implicitè. *Magis explicitè*, cum quis titulos & nomina Dei, sententias & dicta Scripturæ, usurpat absque devotione, per ludum & jocum, ad temporis fallaciam. Quo reducitur abusus Sacramentorum, ut cum in Papatu celebrant missas pro ægrotis equis aut bobus, pro felici venatione & venatoribus, &c. item cum celebrant Missas siccas (de quibus *Durantes in Rationali lib. 4. cap. 1. p. 43.*) hoc est histrioniam exercent, idque propter adventum magni Domini. *Magis implicitè* contingit multis modis, quorum magnam partem supra in *disp. de Superstitionibus, de Magiâ, de Benedictionibus* enumeramus. Nos omnibus illis præteritis, de duabus factiotiosi speciebus in præsentiarum disquiremus: De *Depositione seu Sponsione* supra rerum certitudine vel eventu; & de *Poculis salutis*.

2 *Depositiones seu Sponsiones* distinguimus in eas quę sunt super rebus præteritis aut præsentibus, & in eas quæ sunt super rebus futuris. *Illæ* quando certamen est de eorum veritate, an ita se habeant, in se & suâ naturâ non sunt illicitæ; modo non fiat cum damno proximi & injustitiâ conjunctæ. Nihil aliud enim fit, quàm quod ex pacto mulcta ignorantiæ & præmium scientiæ constituitur, atque ita homines ad diligentiam, scientiam, & prudentiam magis incitantur, atque exercentur. Huc referri potest certamen Simsonis de ænigmate, *Iudic.* 14 12. Res futuræ sunt vel necessariæ, vel contingentes. De necessariis, ut de futurâ Eclipsi Solis aut Lunæ, idem statuendum quod de depositione super rebus præteritis. Contingentes sunt duum generum, vel quæ studio & potestati hominis sunt subjectæ, & directè dependent à scientiâ, arte & industriâ hominis tanquam propriis & particularibus causis; vel quæ quod ad eventum suum ab iis non ita dependent, sed magis in iis respicitur divina providentia, ut ex. gr. statura hominis, ad quam nemo ulnam potest addere, eventus bellorum, sanitatis & morbi, vitæ & mortis, conceptionis & nativitatis, item conjugiorum, sortium, & propugnatio ac receptio religionis publi-

ca aut

ca aut privata, &c. Cum certatur de rebus contingentibus prioris generis, certatur de rebus faciendis seu de facto proprio; cum de rebus posterioris generis, certatur de rebus cupitis prænoscendis per probabilem aliquam, volaticam, casualem, & temerariam conjecturam. *In illo certamine* depositionem & sponsionem admittendam statuimus. *Primò*, publicam (quo pertinet tota *Gymnastica*, de quâ *Philologi* & *Politici*, & certamina Scholastica, &c.) *Deinde* & privatam, si absque damno proximi fiat, & sine injusto lucro; in hunc finem tantummodo ut exploretur alicujus ars & industria, aut ut excitetur studium & honesta æmulatio. De hoc *Casuistæ* & *Commentatores Decalogici ad* 8. *Præceptum*, *tit. de Ludis*. *In isto certamine* admittendam negamus. *Primò*, quia est factum vanum ac malè otiosum, neque enim per se est utile ad artis industriæque humanæ explorationem, excitationem, promotionem: itaque idem de eo judicandum, quod de verbo otioso. *Secundò*, interpretativè limitat ac circumscribit, immo intempestivè prævertit liberum nobisque non prænoscendum divinæ providentiæ ductum; tum nimio eventus ejusmodi desiderio, tum nimiâ de rebus futuris conjecturâ & quasi divinationis affectatione: cum Dei solius sit & implere & præscire futura, *Iesa.* 46. 10. *Dan.* 4. 28. cumque homo debeat semper exspectare & sequi domini beneplacitum, atque ab eo totus dependere, & ad illud, dum nondum patefactum est, indifferenter ac passivè se habere. Neque enim eventus ejusmodi sub consultationem aut praxin hominis cadunt, *Ecclesiast.* 9. 11. *Psal.* 127. 1. 2. 3. *Tertiò*, videtur implicari peccatum curiositatis, ἀλλοτριο-ἐπισκοπῆς & πολυπραγμοσύνης in rebus humanis non tolerandum; multò minus in providentiæ divinæ arcanis. Non injuriâ ejusmodi applicari posset dictum Christi, *Iohann.* 21. *Quid ad te, tu sequere me*. *Quartò*, est modus acquirendi illicitus, nec jure divino, nec naturali innixus: aut saltem, siquidem non ita cum notabili damno sive proprio, sive proximi conjuncta esset (quod tamen raro fit) est occasio damni & lucri nimis fortuiti, nimis repentini, nimis indecori. Hinc etiam secundum jus civile talis sponsio actionem efficacem non parit. Ratio hæc allegatur, quia caret causâ, & ubi non est causa, non est obligatio. *L.* 2. §. 3. *D. de dol. mal. & met. except. L.* 25. *§. fin. D. de condict. in deb.* Sic *Paris de Puteo tract. de Ludo*, *An & quando*; apud *Car. Molinæum tract. de Usuris num* 97. *circa finem*. Et *Herbajus lib. singular. rerum quotidian. cap.* 1. Romæ aliquando tanta erat illarum sponsionum inundatio, ut Papa eas publico edicto prohiberet. *Confectar.* Rejicimus *Cardinalem Toletum*, qui absolutè has depositiones concedit *lib.* 5. *c.* 29.

3 Pocula boni ominis seu salutis meliori cum ædificatione aboleri quam retineri

retineri posse docuimus *Disput. de Ebrietate, tum* quia fertilissima occasio malorum, imprimis ebrietatis, *tum* quia ad minimum habent speciem mali, & symbolizationem cum ritibus Ethnicis, *tum* denique quia scandalum præbent. Quæ rationes sufficiunt, ut quis à poculis illis abstineat, non minus quàm à choreis, comœdiis, sortibus ludicris, aliisque otiosis actionibus abstinendum docent Reformati, quidquid nonnulli contra excipiant & subtiliter distinguant. Sic enim multos in excessibus suis confirmant, qui (haut aliter ac plebs in Papatu circa cultum imaginum absque distinctionibus, quas non capiunt aut negligunt) Baccho serviunt & genio suo indulgent. Interim ipsi strenuè prævaricantur cum terminos mutant, & pro *salutibus* hodiernis (quæ oppugnantur) alias quasdam edolatas aut dedolatas substituunt, quæ non magis sunt in usu aut in rerum naturâ, quàm ideæ Platonicę. Si quis modo dubitaret, certè à facto, aut saltem à seriâ rei tam otiosæ, tamque inutilis, immo & plerisque tam periculosæ apologiâ supersedere cogeretur. Ut autem magis dubitet, addimus nunc has rationes. *Primò*, Quia implicant abusum nominis divini, non minùs quàm ludus sortium in suo genere. Probatur, *tum* quia indecorè & præposterè videntur substitui precibus pro salute Principum, Patronorum, & carorum concipiendis; *tum* quia invocatio Dei, aut apertis verbis, aut saltem implicitè poculo illi præmittitur ac substernitur; fitque haustus ille votivus quasi solenne & consecratum symbolum, sacramentale, & ceremonia, quâ tanquam *Amen* seu clausulâ precationis confirmari videtur bibens in fiduciâ seu spe voti exaudiendi; quâ etiam ostendit se ex animo hoc precari, & exspectare à Deo; affectu suo ejusq; sincerâ expressione immediatè circa Deum & orationē seu votum, mediatè circa bonum proximi versante. Nam quod vovemus à solo Deo, non vero à Diabolo, aut fortunâ exspectamus, ut supra de sorte disputatum est: *tum* quia gestus ille bibendi non est in precibus adhibendus, sed potius genuflexio, oculorū elevatio, manuum extensio, &c. *Secundò*, quidquid limitent *salutes*, manet tamen otiosa & inutilis observatio, quæ tot myriadas animarum perdidit: manent Bacchi excelsa, quæ non reformanda sed tollenda; ne ulli in posterum ad ebrietatem iis abutantur. Idem enim de factis otiosis, quod de verbis judicandum: imprimis si ea sint tam periculosa, ut satis superque experientia hoc docuit. *Tertiò*, limitationes illæ non tollunt speciem mali, & symbolizationem seu collusionem cum ebriosorum devotione in hauriendis salutibus, aut cum Gentilium & Barbarorum moribus, de quibus *Athenæus Dipnosophist. lib. 2. cap. 1. Polydorus Virgilius lib. 3. cap. 5. Aubanus Teutonicus lib. 3. cap. 12. Olaus Magnus lib. 23. cap. 14.* Sicut ergò vanas actiones, si occasio mali, aut scandalum accedat,

cedat, radicitus exstirpamus, nec in iis valet regula: *Tollatur abusus; maneat rerum substantia:* sic hoc agendum ut nullæ sint, non verò ut reformatæ & exasciatæ sint *salutes, choreæ, comœdiæ, sortes,* &c. Sed diluamus quasdam objectiones, I. *Prima,* est cerimonia civilis signans & obsignans benevolum erga Magistratus aut amicos affectum. *Resp.* Sed hoc non est totum, nec etiam primarium in *salutibus.* Nam adjungitur tanquam res signata votum seu precatio Dei, cujus signum solenne constituitur hausțus & quidem ad numerum, modum & mensuram. *Deinde* benevolus affectus erga aliquem est causa impulsiva istius precationis, & precatio est ejus effectum: nam quia illi bene vis, vota pro salute ejus concipis, & quia vota concipis, addis hausțum votivum, ut coram omnibus testeris & affectum tuum & votum. II. *Secunda,* licet affectum declarare erga amicos porrectione dexteræ, amplexu, osculo, ergo etiam hausțu votivo. *Resp.* Est dispar ratio. Illi gestus communi hominum usu & instituto civiliter signant amicitiam, aut etiam fidem ac ratihabitionem in contractibus. *Sed edere & bibere sunt actiones non humanæ quæ hominis, sed animales directè tendentes* ad nutritionem, obnoxiæ imprimis ἐνθουσιασμοῖς peccatis; quæ nullo jure Gentium, nullâ morum civilitate promiscuè à nobis adhiberi possunt, saltem non in ordine ad exercitia pietatis, nisi in solo usu Cœnę Dominicæ. Itaque vile & indecorum nimis communibus illis actionibus animalibus declarare devotionem suam erga Deum & coram Deo, erga proximum & coram eo. Repugnat enim *tum* rei naturæ & Dei instituto: *tum* civilitati morum. Quis enim ferat se adjurari & constringi per nomen Regum, Principum, Ecclesię, Patrię, &c. ad comestionem libræ carnis, aut casei, aut panis? Possent sexcentę aliæ actiones naturales aut animales introduci ad signandum animum Deo Patriæque verè devotum, Sed quis tum esset finis? Repugnat etiam reverentię Deo, rebusque & nominibus divinis debitę. III. *Tertia,* Atqui convivia, hoc est actus una edendi & bibendi, sunt signa & media amicitiæ? *Resp.* Sic est, ostendunt se simul vivere cum simul edunt: ut enim edere effectum ac signum vitæ est & simul medium, sic etiam τὸ simul comedere suâ naturâ signat ac promovet τὸ convivere. Sed ad votum bibere quà tale, nec est signum nec medium per se & suâ naturâ tendens ad vitam tantum, sed etiam quid aliud implexum habens, nempe invocationem nominis divini; contra quam heterogeneam compositionem disputamus. IV. *Quarta,* Atqui adiaphorum est bibere, & salutem alicui precari bonum est. *Resp.* Sic est, sed compositio seu combinatio illa, & mutua unius ad alteram ordinatio in ratione signi & signati mala est, saltem periculosa; & nescio quam symbolizationem cum multis Ethnicorum, Judæorum,

rum, Pontificiorum sacramentalibus & ceremoniis redolens. V. *Quinta*, in juramento licet signum externum constituere, ergo etiam in *santeis*. *Resp.* 1. Immo ipsæ sunt signum externum. *Resp.* 2. Nulla consequentia à gestibus juramenti actionis religiosæ & necessariæ ad haustum seu bibitionem, quæ est actio animalis homini cum brutis communis, quibus certè signativè nec Deum, nec Magistratus, nec amicos honorari convenit, non magis quam singultu, ructu, vomitu, oscitatione, pandiculatione, tussi, sternutatione, saltatione; quarum alioqui solennis signatio tanto cum intemperantiæ periculo conjuncta non esset.

APPENDICULA DE POCULIS SALUTIS, ET BONI OMINIS.

PRoposui anno 1636. 22. Octobr. *Disputationem de Ebrietate.* Ubi 1
cum juxta methodum moralia & practica ejusmodi tractandi, media essent indicanda, quæ præservativa, antidota, auxilia virtutum, destructiva vitiorum, impedimentorum & alliciorum remotiones à Scriptoribus practicis appellari solent: factum est, ut de hodiernis poculis salutis tanquam proclivi, imprimis in Belgio nostro, ebrietatis occasione, manuductione, allicio, immo & valido compulsorio (ita loquar), nonnulla attexerem. Non ità multò post (eodem anno 1636.) edebam *Disputationem, de Sortis, aliisque divini nominis Abusibus*: ubi in fine rationibus in *Disp. de Ebrietate*, fervorem & cacoëthes illud bibendi sufflaminantibus addebam, quod esset factum otiosum, & videretur mihi aliquam implicare irreverentiam, ac divini nominis abusum. Rationem hanc discipulis nostris, & piis omnibus tyrannicam illam consuetudinem mecum deplorantibus ac detestantibus tunc communicabam; si fortè superpondium aliquod præstarent, rationibus jam ante productis. Æqui lectoris judicio ac candori rationes meas subjiciebam: paratus secundis curis emendare, si quis moneret. Certè cogitare non poteram simplex & innoxium hoc consilium nostrum de removendo, aut minuendo tam periculoso cacoëthe, sannis, satyris, cavillationibus, odiosis insectationibus alicujus civiliter honesti excipiendum. Fortè quis incidet aliquando in quęsitas contra hæc nostra cavillationes, aut in fabulas de profundis poculis exhaustis aut exhauriendis, sive in recordationem amicorum, sive in gratiam artificiosæ picturæ, similesque oblectandis Sante-bibonibus aut æmulis nostris excogitatas φλυαρίας. Iis seriò & sigillatim discutiendis non est quod immorer: cum partim apertè & crassè conficta sint, partim planè ἀπροσδιόνυσα, partim contradicendi & exagitandi studio chartis illita:

uti hoc ab aliis, qui me præoccupârunt, satis superque ostensum est. Quod si cui in diversum hic abeunti, aut abiturienti, visum fuerit, mea τὸ πόδας examinare, spondeo me in *quartâ select. Dispp.* (*ad* 2. scil. *Decalogi tabulam*, ubi *disp. de Ebrietate* locum invenit) suppleturum quæ desunt, & accuraturum quæ minus accuratè dicta deprehendero. Modo absque detorsione & calumniâ, absque dicteriis, convitiis, fabulis, aliisque extravagantibus, fiat elenchus, & res cum re, ratio cum ratione concertet. Quod ut ritè fieri possit, non pigebit in antecessum subjectum & prædicatum controversæ quæstionis lectorum quorumvis, imprimis dissentire volentium oculis denuò subjicere.

2 Subjectum quæstionis est *sanitas* (vernaculè santé), seu *poculum* aut *haustus salutis*. Definitionem ejus seu descriptionem anno 1636. in *Disp. de Ebrietate in Appendice §.* 2. talem dabam præcognoscendam, uncinulis in margine notatam, ut cursim inspiciens theses illas eam præterire non posset: *Est enim nihil aliud* sanitas *seu* salus, *seu* poculum geniale, *seu* boni ominis, *quam certa quædam potus mensura exhausta, cum præfatione & voto salutis alicujus sive absentis sive præsentis, imprimis* φιλοφρόνων κεφαλῶν *& magnorum nominum, ut Regum, Principum, Magistratuum, Patronorum, aut etiam in felicem successum maximorum negotiorum aut susceptorum munerum, unde familiæ, Ecclesiæ, patriæ salus imprimis dependeat, adhibitis gestibus apertionis capitis, erectionis in pedes, aut genuflexionis, aut cujuscunque alterius profundæ ac solennis reverentiæ: & quidem hâc cum conditione, ut poculum illud circumeat, & omnes convivæ paria faciant, quippe adjurati & exorcismo quasi ligati per magna illa nomina, perque salutem Patriæ, Ecclesiæ, Familiæ, quæ violare, & quorum symbola, sigilla, professiones, protestationes poculis illis factas, susque deque habere grande sit nefas, utinam non contumeliis, verberibus, venenatis morsibus, asperrimis censuris, & gravissimis suspicionibus (quasi Patriam, Magistratum, & salutem utriusque quis contemneret) expiandum.* Eandem descriptionem præsuppolui anno 1636. 2. Decembr. in *Disp. de Sortis aliisque divini nominis Abusibus*, §. . ubi digitum ad *Disp. de Ebrietate* intendo. Eandem de verbo ad verbum repetii anno 1648. 2. Decembr. in *Dispp. de selectis quibusdam Problematis part.* 8. Extraditæ & repetitæ hujus descriptionis præsuppositione, formalibus istis verbis designo *santeas* supra disp. 2. de Theol. practicâ, *§.* 1, *commessationes & ebrietates, earumque conciliationes per signacula & artificia compellentium santearum & poculorum encyclicon.* Ibid. §. 5. *De profligando aut præveniendo vitio ebrietatis, & de poculis votivis ac conditionatis* (*quæ vulgò* santeas *vocant*) *sub sigillo magnorum nominum & invocationis divinæ pari convivarum jure evacuandis.* Ibid. *§.* 7. *De Santeis & constrictione ad æquales haustus*, Et disp. 5. de Theologiâ

ologiâ practicâ §. 1. *Aut ut adjurati per magna nomina pocula votiva & salutis lege & modo Germanorum & Belgarum hodierno, pari haustu cum aliis convivis bibant.* Ibid. §. 2. *Pocula votiva per adjurationem magnorum nominum justè, immo & religiosè, ac in orbem à convivis evacuanda more & modo apud Belgas & Germanos recepto.* Et eodem §. *Qui abstinent ab obligatoriis conditionatis & votivis poculis.* Anno 1648. 2. Decembr. in *Dispp. de selectis Problematis part.* 8. §. 40. eadem ex *Disp. de Ebrietate*, aliisque modo adductis ita in terminis repetii, & ab iniquis quibusdam aspersionibus strictim vindicavi. Supra in *Disp. de Idololatriâ indirectâ & participatâ part.* 3. §. 2. *Probl.* 11. Idem judicium seu consilium nostrum de Santeis repetimus & confirmamus istis verbis: *de ritu & artificio Bacchico circumferendi pocula salutis, seu boni ominis, alibi egimus Disp. de Ebrietate.* Atque hæ salutum compotationes, quas dissuadere conati sumus. Si quis in contrarium specialiter bibonibus & compotationum zelotis, aut generaliter Germanis & Belgis nostris eas suadere, aut commendare, aut defendere velit: eum & obtestamur, & provocamus ut posthabitis τοῖς κρύπτοις τῆς αἰσχύνης candidè antithesin nostræ assertionis faciat secundum leges contradictionis; & rationes meas in *Disp. de Ebrietate* allatas sigillatim refutet: si possit, & aliqua ipsi causæ fiducia. Quod si figmentum suum compotationi à me descriptæ quis substituat, illudque exagitet (uti hactenus factum) is sciat me nihil illi responsurum, quia me non tangit. Interim videat, quo candore, quâ fide, & conscientiâ, in hoc negotio versetur; & consequenter sive prudens, sive imprudens, tum potentioribus de hoc sæculo, tum vanis quibusdam aulicis, tum universę bibaculorum gregi velificetur. Sin meam assertionem interiori conscientiâ non improbat (uti nemi- nem sanum & sobrium posse arbitror), veritati, temperantiæ, & justitiæ tantum honorem habeat, ut pro viribus publicè privatimque doctrinâ & exemplo tales salutes dedocere, & tyrannicam hanc consuetudinem emendare studeat: saltem aliorum corda ex conscientiæ impulsu, & odio ebrietatis, coram Deo καρδιογνώστῃ pro modulo hoc agentium, ne tristitiâ afficiat. Nemini qui tale quid fecerit, hoc erit λυσιτελές.

Prædicatum quæstionis in *disp. de Ebrietate* §. 3. sic proponebam: *Quæritur nunc an ritus ille bibendi* (ibidem præced. §. 2. descriptus) *retinendus sit an verò ab omnibus piis privatim, & ab antecessoribus in Ecclesiâ & Politiâ destruendus? Resp. Neg. pr. Aff. post.* In eandem sententiam supra in *disp. de Sortis, &c. Abusibus, verbis & factis otiosis* §. 3. Ubi vide. Pluribus eadem repetii & explicui anno 1641. 2. Decembr. in *Dispp. de selectis Pro-* „*blematis*, unde sequentia excerpta lectori hic exhibeo. Neque enim „memini quemquam hactenus calamum strinxisse pro poculis salutis in

„ Germaniâ & Belgio usitatis. II. Interim sciat, me primum aut solum „ non fuisse, qui ad occasiones ebrietatis, nominatim inter Belgas nostros „ & Germanos retinendæ aut promovendæ pocula illa retulerim, & pro- „ pterea ab iis abstineri velim. Quamvis enim non videat quis ea in se, „ per se, intrinsece & formaliter peccata esse, negare tamen nequit, quin „ tutius ab usu eorum & multò magis à commendatione Christiani, im- „ primis professione Theologi abstineant, tum propter scandalum mul- „ torum piorum, tum propter fertilem intemperantiæ occasionem iisdem „ in Belgio nostro & Germaniâ annexam. Vide *Amesium lib.* 3. *Casuum* „ *cap.* 16. §. 14. Summum inter Belgas practicum *Vilhelmum Teeling* „ *in Necessar. demonstr.* (qui liber à Theologis Leidensibus & Franequer. „ solenniter approbatus est); Ejusque Germanum, præstantissimum „ Politicum ac Theologum *Evaldum Teelingh* Zeelandiæ Receptorem, „ cum viveret, in libellis vernaculis tit. *Amosi visio.* & *Nuntius claudicans*, „ &c. Eruditissimum Theologum, & eximium Practicum *Robertum Bol-* „ *tonum in ambulatione Noachi*, &c. & Nobilissimum *Gulielmum Prynne*, „ J. C. Anglicanum, variis scriptis Theologicis apud suos celebrem; qui „ *peculiari tract.* dictas *Santeas* oppugnavit; atque una aliorum Theolo- „ gorum (quorum numerum suo loco aliquando auctiorem reddam) con- „ sensum indicavit. Quid quod inter primos & præstantissimos Belga- „ rum Theologos practicos *Iohannes Taffinus in libro de emendatione Vitæ*, „ complares modos & formalitates à nostratibus in conviviis & sympo- „ siis tunc observari solitas removere conatur: quæ Antipræcisistis lon- „ gè magis μωρόσοφα & ridicula viderentur, quam votum & cautela pio- „ rum ac præstantium virorum modo cit. de *Santeis*. Notavi in scedulâ „ locum *Musculi in Matth.* 4. *fol.* 55. Sed nunc liber ad manum non est, „ ut denuò conferre possim. Inter Pontificios utut plerumque in talibus „ laxos Casuistas, non desunt, qui ostium hoc ebrietatis claudendum pu- „ tent, *Iohannes Freder. Mathenesius tract. peculiari, de More bibendi in sa-* „ *nitatem*, &c. *Iohannes David* Jesuita, in libello vernaculo, cui tit. „ Chyristelycke Huyshouder/ &c. Anno 1607. Antwerpiæ edito, pag. „ 172. 173. *Antonius Balingen* Jesuita in tract. Gallico, cui tit. *Apresdi-* „ *nees*, &c. pag. 509. 533. *Canonhierus* Doctor Medicus ac Theologus, „ in *tract. de Vino*, qui tres postremi satis rigidè eas perstringunt. Adde „ & Jesuitam *Chavassium in tract. de Prudentiâ, pag.* 572. Ex Lutheranis „ JCCtis. *Liebenthael in dispp. Ethicis exercit.* 8. *quæst.* 10. optat ut à „ Græcis ad Germanos nunquam perveniissent. Ex nostris *Vendelinus* „ *libro* 1. *Ethicæ cap.* 16. Germanicas *Santeas* (cum quibus vulgares Bel- „ gicæ ferè conveniunt) absolutè illicitas statuit. Quod autem uterque

„ tan-

„ tanquam partem aut ritum civilitatis morum jam communiter in Ger-
„ maniâ receptum *Santeas* quasdam correctas & ab omni periculo ebrie-
„ tatis liberatas permittit, hoc nostræ thesi in *disp. de Ebrietate* defensę non
„ præjudicat. Tales enim non sunt vulgares sanctæ nostrates, aut illæ,
„ quas nos ibi definimus. Præterquam quod ideales ejusmodi sanctæ in
„ Republicâ Platonicâ Germanorum & Belgarum quasi per somnium
„ substitutæ aut substituendæ, occasionem prolapsus in malas santeas ab
„ autoribus illis condemnatas minimè tollunt: ita ut tutius sit ab ejus-
„ modi otiosis factis omnino abstinere, quandoquidem per se necessaria
„ non sunt, nec tanta eorum utilitas in principio, quantum damnum e-
„ mergens in fine. Accedit, quod testimonium affectus per *Santeas* testa-
„ ti, quo solo respectu *V Vendelinus* eas permittit, nec totum nec præcipu-
„ um dicit, quod in illis continetur: uti ostendimus in *disp. de Sortis, a-*
„ *liisque divini nominis Abusibus.* Rursum itaque idealis santea substitui-
„ tur illis, quæ in Germaniâ & Belgio communiter obtinent. De Affe-
„ ctu enim declarando per haustus, institutis ac promulgatis conditioni-
„ bus, obligatorios, & per annexam divini nominis invocationem subin-
„ de magis implicitam, subinde magis explicitam, meritò disquiri
„ potest, an non sit factum otiosum, indecorum, periculosum, inte mpe-
„ rantiæ præludium, aut proclivis occasio ebrietatis, ejusdemq; in Belgarũ
„ conviviis honestum (uti videtur) retinaculum, & honorarius ingurgi-
„ tandi prætextus, insuper irreverentiæ aliquid erga sanctissimum Dei
„ nomen implicans, aut saltem ejus speciem, & consequenter scanda-
„ losum. Nos sententiam affirmantem inclinare malumus, eo adducti,
„ tum monitis & exemplis piorum Dei servorum, tum rationibus, quæ
„ apud Scriptores supra cit. occurrunt, accedente ad cumulum autorita-
„ te *Ambrosii de Elia & jejunio cap.* 17. Et *Hieronymi in Hoseæ* 7. à re-
„ centioribus contra santeas productorum. Exceptiones, quæ contra
„ adferri solent aut possunt, diluere studuimus in *disp. de Sortis &c. Abusi-*
„ *bus.* Si acculatori nostro animus est tam grande nefas Brownisticum,
„ Pharizaicum, monachale in hâc opinione meâ demonstrare, presse in-
„ tra terminos & ad rationes ac solutiones nostras disputet. Ego interim
„ fruar sensu meo, absque ipsius sententiæ insectatione, & tanti per à con-
„ ditionatis, votivis, & ad haustus, sive majores, sive minores, toties
„ quoties obligatoriis Belgarum poculis pro libertate Christianâ & Bel-
„ gicâ abstinebo per Dei gratiam, donec ille scrupulum omnem consci-
„ entiæ meæ solidâ ac piâ instructione exemerit. Sin innoxiam hanc pru-
„ dentiam & cautelam justorum (abundantem judicio Anti-præcisita-
„ rum) hâc in parte ridere visum fuerit, & causam *Santearum* vivâ voce,
„ & scri-

„ & scriptis promovere, ac propterea mihi aliisque hic dissentientibus „ opportunè importunè insultare; utique ferendum est. Nec conscien- „ tiæ nostræ apud Deum, nec famæ apud pios quidquam decedet. III. „ Nondum video quomodo patroni chorearum, comœdiarum, loteria- „ rum, alearum, omniumque sortium ludicrarum similiter ridere non „ possint Theologos nostros, & decreta Synodorum nostrarum. Idem „ dico de patronis vanitatum circa capillos, vestes, convivia, supellecti- „ lem, &c. Theologi in particularibus secundum factorum circumstan- „ tias determinationibus, nonn unquam sequuntur quod magis proba- „ bile & magis tutum: uti demonstrationum ἀκριβειαν mathematicam „ non esse in practicis requirendam monet *Philosophus* 1. *Ethic. Nico-* „ *mach. cap.* 3. Immo etiam ad abundantem cautelam ab iis abstineri „ suadent, quę alioquin in se & per se licita sunt, nec ipsi diffiteri possunt. „ Sic e. gr. antiqui Christiani, eorumque Doctores abstinebant ab ap- „ pellatione *Templi* (de quo in *disp. de Templis*), ab arte statuariâ commu- „ niter abhorrebant, & primæ Synodi Belgi æ aboleri volebant concio- „ nes vespertinas, & funebres; Et *Taffinus in lib. de Emendat. cap. de E-* „ *brietate* perstringit calices sine pedamentis, & morem prębibendi, ac „ pocula tradendi apud Belgas receptum. Non ausim dicere rationes nul- „ las fuisse cur sic censerent, præter ineptias, μωροσοφια„, superstitionem, „ Pharisaicam & Monachalem hypocrisin, &c. Sunt varia in se & per se „ non mala, nedum toto genere, quę tamen in genere prohibentur, quia „ plerumque per infirmitatem hominum fiunt occasio mali. Vide de mul- „ tiloquio *Commentatores ad Proverb.* 10. 29. & *Iacob.* 1. *vers.* 19. Sed his „ missis, sanctarum justum & theologicum examen exspectabo, obtesta- „ tus accusatorem, ut intra terminos à me positos se contineat, absque „ fallaciis abductionis, & ignorationis elenchi. *Autoribus* modo *citatis*, qui de *salutibus* supra descriptis conquesti sunt, adde ex Protestantibus & Reformatis *Conr. Rittershusium lib.* 4. *sacr. lect. cap.* 6. *Ioh. Loccenium in antiquit. Sueo-Gothicis cap.* 21. ubi plurima ad antiquitates hujus tyranni- cæ consuetudinis pertinentia collegit. *Ioh. Dovvname in tract. Anglico de Ebrietate cap.* 9. §. 2. & 10. §. 3. *Ioh. Crocium in Comment. in Epist. ad Titum cap.* 2. *pag.* 291. ubi de Adventoriis Philotesiis, & soteriis poculis, con- queritur. Ex Pontificiis, *Iesuita Boenart. commentar. in Esther cap.* 1. *vers.* 8. Et *Serrarius ad loeum cit. quæst.* 16. Inter Theologos Lutheranos An- dreas Kesslerus in Theologiâ Casuum Germanicè editâ cap. 61. lemma capitis tale constituit: *An rectum sit in aliorum salutem poculum seu haustum circumferre.* Ubi quinque conditionibus limitatos ejusmodi haustus ad- mittit. Sed mox subjicit: *Alioqui si de salutibus apud nos receptis, quæra-*

tur,

tur, longe aliter respondendum est. Atque ita *salutes in Ecclesiis Euangelicis* (uti loquitur), *in aulis Potentum, in Academiis, in Civitatibus imperialibus, inter Cives & Rusticos* usitatas, graviter incessit, & multis rationibus allatis tanquam *dulce venenum Satanæ* condemnat. Adeo ut otiosum & indecorum videri debeat, si Theologus quis per excogitatas subtilitates morem illum bibendi ex professo, cum zelo & contentione (majori sæpe, quam in causâ pietatis) publicè privatimque tueretur, & consilia ac monita aliorum, qui abstinendum suadent, acerbè & sarcasticè insectaretur. Dato enim non concesso intrinsecè & absolutè morem illum non esse malum, & posse aliquo in casu, certis conditionibus observatis, honestari: tutius tamen & melius ab eo abstineri, eumque doctrinâ & exemplo Theologorum quantum fieri potest, aboleri, nemo sanus inficiari poterit. Tot enim & tanta abusuum ac seductionum pericula eum comitantur, tot sunt damna emergentia, cum contra præsumta utilitas & ædificatio proximi adeo tenuis, immò nulla sit, ut Theologi pii, prudentes, ebrietatis hostes, otio, σεμνότητι, & existimatione suâ abuti videantur, cum ex professo pro otiosis illis factis contendunt, quæ nôrunt homines ad ebrietatem allicere. Interim Apologiis illis utuntur οἰνοπόται, & omissis limitationibus, salutes more solito hauriunt, ac triumphabundi Theologis meliora monentibus strenuè insultant; iisque ob has aliasque necessarias cautelas ac monitiones Pharisaismos, superstitiosas præcisitates, novitates, idiosyncrasias, enthusiasmos, ambitionem, contendendi libidinem objiciunt. Lubrica sane & periculosa est apologizandi methodus, quando (prudenter an imprudenter, contradicendi an aliquibus placendi studio Deus novit) aliquod sive possibile sive impossibile, sive futurum sive non futurum fingitur, quod cacoëthi vulgò obtinenti & à piis Concionatoribus taxato substitutum, apud homines carnales, aut pios minus prudentes atque exercitatos coloratur tanquam bonum, saltem adiaphorum. Pariter defendi possent imagines in Templis, Comœdiæ, Choreæ, aliæque vanitates. Quid enim facilius quam his similibusque quæstionibus urgere monitores: An tantum peccatum, an causa Religionis in eo verteretur, an hoc absolutè & intrinsecè malum esset, si pictura alicujus martyris aut egregii Doctoris in Templo aliquo non minus quam in aulis, Curiis, Academiis, Bibliothecis, Xystis, pergulis memoriæ causâ suspenderetur: e. gr. Lutheri in templo Witebergensi, Calvini in templo Genevensi, Perkinsi in cathedrâ Cantabrigiensi, Joh. Pistorii Martyris in templo Woerdano, Crammeri Martyris in templo Cantuariensi, Eduardi VI. in omnibus templis Angliæ, Friderici II. (dicti Pii) in omnibus templis Palatinatus, Oecolampadii in templo Basileensi. Si epigraphe in

Oecolampadii sepulcro illic ostentatur, quod fuerit primus verus Ecclesiæ illius Episcopus; an tantum idololatriæ crimen esset, ejus effigiem ibidem in perpetuum introductæ per illum reformationis monumentum asservare. Ubi hoc in sacris literis prohibetur? quibus publicis formulis confessionum & catechesewn hoc determinatur? Paribus sive armis sive insidiis subrepticiè & obrepticiè sisti aut enervari possent piorum Concionatorum dehortationes, antidota, consilia, contra grassantem luxum, ac vanitatem in vestibus, contra fœminarum, præsertim aulicarum, cosmetica, contra choreas & comœdias communi antiquæ & reformatæ Ecclesiæ, tum doctrinâ tum disciplinâ condemnatas, contra quidvis aliud quod homines ad libidinem *allicere potest*: uti loquitur *Catechesis nostra qu.* 109. Si virorum de hoc sæculo, præsertim potentiorum, parasiti, κόλακες aut mundi & carnis proxenetæ eâdem arte choreas virorum cum fœminis sive defendant sive excusent, quærendo, An ergò intrinsecè malæ essent? an nullo in casu honestari seu licitæ reddi possent? An tanta sint flagitia? an non turpiora peccata committantur? an non præstaret choreas illas vigere, quam alia aliqua procorum & puellarum in conventibus exercitia, longè periculosiora? An rectè dissuadeantur, & abrogentur, antequam alia juniorum exercitia in conviviis aliisque conventibus, substituenda à Concionatoribus indicata & probata fuerint? Quid si sic reformentur, ut juvenes cum puellis non nisi spectantibus parentibus eas exercerent? Quid si fratres cum sororibus in ædibus Parentum à Magistro choreutico artem illam discerent, & ubi didicissent, nonnisi in nuptialibus aliisque festivis conviviis coram omnibus spectatoribus specimina profectus sui ederent. Quid si maritus cum propriâ uxore domi suæ numerosam saltationem disceret, & privatim se eâdem oblectaret. Has similesque exceptiones & palliationes, contra conciones, admonitiones, Ecclesiæque correptionem & disciplinam, à nonnemine fortè palam aut clam suggestas, chorearum amatores, more solito avidè arriperent, & peremtoriè concluderent. Quandoquidem omnes Theologi ad unum in dehortatione chorearum non consentirent, aliqui distinctionem adhiberent, alii moderationi locum darent, alii silentio litarent; esse eas in foro conscientiæ & Ecclesiæ licitas, aut saltem in medio relinquendas, nec rejiciendas aut abrogandas. Quod si quis nobiscum antiquæ & hodiernæ Ecclesiæ decreta contra choreas probet, is rogandus, ut sine dissimulatione opportunè importunè eas dissuadeat; atque unà vanis illis effugiis occurrat. Sin verò pro Baale ipsi disceptare visum fuerit, quid amplius claudicat in utramque partem? cur apertè sententiam & disciplinam antiquæ & reformatæ Ecclesiæ in Galliâ, Belgio, &c. (*in disp. de Chorei*

reis à nobis indicatam) non rejicit? Cur hæc & similia reformati nominis dedecora, non sine additis epithetis τοῦ ἀθεμίτου, τοῦ κένου, τοῦ κοσμικοῦ taxantur? Quasi scil. epitheta illa distinguere deberent in choreis ab Ecclesiâ rejectis licitas ab illicitis; haut aliter ac *Gregor. de Valentiâ* ex epitheto ἀθεμίτοις 1. *Petr.* 4. *vers.* 3. colligi vult esse aliquam licitam idololatriam. Neque enim de voce choreæ aut saltationis, aut de materiali & abstractè considerato aliquo corporis motu laboravit Ecclesia antiqua & reformata; sed de choreis definitis, quales non sine periculo & scandalo ad imitationem Ethnicismi exerceri videbat. Atque hæc circa choreas observanda, multis aliis tum virtutum auxiliis & impedimentis, tum vitiorum illiciis, occasionibus, antidotis, prophylacticis analogicè aptari possunt. De poculis salutis, si quis serram reciprocare velit, ab eo peto, ut si definita à me in *disp. de Ebriet.*, in terminis improbare atque una rationes ibidem adductas aut meliores substituere nolit; eadem absque cavillorum & dicteriorum involucris exsertè approbet ac defendat contra rationes meas ibidem allatas. Non arbitror tamen quenquam, nisi professum bibonem, aut malarum causarum patronum hoc ausurum: sed paria passurum cum hyperaspistis comœdiarum: qui talia cerebri sui figmenta sibi defendenda sumunt, quæ nusquam apparent, nec ab antiquâ & reformatâ Ecclesiâ oppugnantur. Vide & confer supra *disp. de Theol. pract. part.* . Quod si tamen præter opinionem improbatæ à me *salutes* (in *disp. de Ebrietate*) alicui tantæ sint, ut calamum pro iis stringere malit, quam in gratiam veritatis παλινωδεῖν, saltem tacere; ei spondeo responsum in dictâ *disp. de Ebrietate* cum *quartâ parte selectar. dispp.* aut seorsim recudendâ.

Dispp. quarundam ad 3. *Præceptum* iteratam editionem in meliorem occasionem cogor reservare: quod Typographi rationes non ferant, ut Volumen hoc nimium excrescat, & editio ejus diutius differatur.

DE SABBATHO ET FESTIS.

Resp. JACOBO HOVIO, Twischa-Batav.

Ad diem 10. *&* 17. *Mart.* 1638.

DIvidi potest Religio latè accepta in duas partes, in cultum naturalem, & in institutum. De Religione in genere, ut & de Cultu naturali ac instituto in specie nunc non agimus; sed tantum de opposito aliquo cultus instituti. Ut enim Religioni in genere *in defectu* repugnat Atheismus & ἀσεβεια; *in excessu* vero, Superstitio 1

(cujus tres ſpecies Magia, Idololatria, & Vana obſervantia ſeu ſuperſtitio ſtrictè dicta): ſic cultui inſtituto cultus illegitimus. 1. Quia fit vel per nudam detractionem. 2. Vel per additionem puram. 3. Vel per ſubſtitutionem ſeu mutationem. Qui continet in ſe detractionem ejus, quod Deus mandavit, & additionem ejus quod Deus non mandavit. Vel ſic Cultui inſtituto, *in defectu* repugnat Libertiniſmus & Neutraliſmus; in exceſſu ἰθελοθρήσκεια, quæ fit per pſeudo-ſacrum. Quod eſt vel tranſiens, vel permanens. 1. Illud vel laxè ſic dicitur, ut notet vanam quamcunque obſervationem etiam extra cultum inſtitutum, de quâ agendum *cap. de Superſtitione:* vel *ſtrictè*, ut notet actionem tranſeuntem religioſam tantum, hoc eſt in ipſo exercitio cultus tanquam partem, aut medium, aut ſignum adhibendam, quod pſeudo-ſacrum propriè & ſpecificè *ceremonia*, & ſynechdochicè *ſacramentale* vocatur. De cujus naturâ, proprietatibus, & ſpeciebus ſupra. Pſeudo-ſacrum illud conſideratur vel diviſim ſeu ſeparatim, vel collectim. Iſtius generis ſunt, roſaria, horæ canonicæ, oſculum pacis, formatio crucis in aëre ad benedictionem in rebus ſacris conſequendam, aut maledictionem avertendam, &c. Hujus generis ſunt Peregrinationes religioſæ, Exorciſmi, Benedictiones ſeu Conſecrationes. Dies ſacri ſeu ſolennes. 11. *Pſeudo-ſacrum permanens*, eſt duplex, vel *latè ſic* dictum, non affixum ſcil. cultui ſolenni, ut e. gr. Agnus Paſchalis, panes, candelæ benedictæ, &c. vel *ſtrictè* dictum, quod ſpecialiter cultui divino externo conſecratum & affixum eſt. Eſt autem illud duplex vel inventum & aſſumptum, vel per conſecrationem tale factum ac conſtitutum. Illud ſunt *Reliquiæ* Chriſti & Sanctorum. Iſtud eſt vel conceptum ad modum relationis, ut Verbum non ſcriptum, quinque falſa Sacramenta, Eccleſiæ Virtuales, Conſiſtoriales ſeu Cardinalitiæ, Patriarchales, Cathedrales, &c. item hierarchia Papalis, Jus & regimen Papæ-Canonicum: vel conceptum ad modum ſubſtantiæ, ut Templa, Altaria, Imagines ſacræ, inſtrumenta, veſtes, & ſuppellex ſacra, &c.

2 Nos nunc agemus de Temporibus pſeudo-ſacris, & quidem de præcipuâ eorum ſpecie, pſeudo-*Feſtis* ſcil. Ut autem ſuperſtitionem eorum deprehendamus, præmittemus deſcriptionem temporum ſacrorum, quæ Deus inſtituit. Sunt autem *tempora ſacra in genere, quæ Deo aut cultui divino ex ipſius inſtitutione peculiariter dicantur & conſecrantur.* Vocantur autem Latinis feriæ, ſolennia, & ſacra, & ex Hebræo Sabbatha, Sabbathiſmi, Hebr. מועדים *mognadim*, id eſt, ſolennitates, ſtatuta, tempora, quod Græci Interpr. vertunt ſubinde καιρὰς, ſubinde ἑορτὰς. Sunt autem illa vel anni, vel dies. *Anni* fuerunt in V. T. Septimus quique annus, & annus quinquageſimus ſeu Jubilæus; de quibus *Levit.* 25. De his

aliiſque

aliisque V. T. festis consuli possunt *Antiquitatum sacrarum & Iudaicarum Scriptores*, *Corn. Bertramus*, *Sigonius*, *Zepperus*, *Menochius*, &c. Adde *Masium in Iosuæ* 6. & *Commentat. ad Levitic.* 25. *Alstedium in Præcognitis Theologicis*; *Riberam de Templo lib.* 5. per totum; *tract. Thalmudicos Pesachim*, *Sukka*, aliosque 2. *partis* seu *Seder*. *Dies* fuerunt solennitates cultui divino dicatę. Iique duûm generum vel cum convocatione Ecclesiæ & feriis, vel absque illis. Absque convocatione & feriis erant *Neomeniæ*. Reliqui omnes erant cum feriis & convocatione, & dicuntur specialiter עצרות id est, detentiones, prohibitiones, cœtus feriantes *Levitic.* 23. 36. *Ioel.* 1. 4. 2. *Reg.* 10. 20. Rursum dividuntur dies solennes, in extraordinarios & ordinarios. Illi fuerunt, tum jejunia, tum eucharistiæ extraordinario & semel ob certam occasionem indicta. Jejuniorum exempla vide *Ioel* 2. 12. *Ezræ* 8. *vers.* 21. Eucharistiæ & jubilationes exemplum puto occurrere *Ezræ* 3. 10. 11. *Ordinario* & statis temporibus recurrentes solennitates sunt 1. *Iejunia* seu dies humiliationis, qualiserat dies כפרים *kippurim*, h.e. *expiationum*, *Levit.* 23. 27. 28. De cujus sacris & celebratione *tract. Thalmudicus Ioma*. Cujus *Mischna Rob. Sherengamius* seorsim anno 1640. Hebr. Lat. edidit, & *notis* illustravit. De aliis jejuniis agit *tract. Taanit.* 11. *Eucharistiæ*, seu dies læti; quales *Neomeniæ*, *Festum Paschatis*, *Pentecostes*, *Tabernaculorum*, *Tubarum*. Et hi propriè dicuntur Festa, Hebr. חגים *chaggim*, à rad. חגג id est, tripudiavit, festum celebravit, feriatus est. Dicuntur & *Gaudium Domini*, Nehem. 8. 19. quia in eo erat lætandum, *Deuter.* 16. 14. De Sabbatho hebdomadali, infrà. Agamus nunc de Festis ordinariis.

Antequam definiamus, quid sit *Festum*, removenda est primum vocis homonymia. Notat ergo 1. latissimâ significatione, omnem temporis solemnem & publicam observationem, sive in V. sive in N. T. sive ordinariam sive extraordinariam, sive sacram & Ecclesiasticam, sive profanam & Politicam, sive ab hominibus, sive ab ipso Deo immediatè instituta. Ita festum expiationis, festum dicitur, quia erat dies solennis à Deo institutus. Et extraordinarii quicunque dies ex præsenti aliquâ occasione subito indicti ad jejunium aut ad gratiarum actionem pro singulari beneficio. Et dies Sabbathi ad quietem ordinariam sanctificatus. Et anniversarii quidam dies ab hominibus instituti. Immo & civilis dierum observatio, ut Natales Regum, Parentum, benefactorum, &c. & coronationis Regum, &c. *Hos.* 7 5. 11. Latâ & laxâ significatione annorum & dierum observationem sacram, eamque ordinariam & extraordinariam, seu incidentem aut statam adque ordinaria recurrentem. 111. Strictiori significatione, tempora sacra ordinaria & divinitus instituta, qualia.

qualia in V. T. fuerunt, duo Sabbatha annorum & hebdomadale unum, neomeniæ, solennitates anniversariæ quinque. Quæ omnia Apostolus indicat *Galat.* 4. *vers.* 10. ubi occurrunt 1. ἡμέρας *dies*, scil. festi, quomodo *Coloss.* 2. 16. ἡμέρας ἑορτῆς. 2. μῆνας *menses*, hoc est neomenię, *Coloss.* 2. 16. de quibus *Numer.* 10. & 28. 1. *Sam.* 20. *Psal.* 81. *Iesa.* 1. *Ezechiel.* 46. 2. *Paral.* 2. *Esdr.* 3. 5. 3. καιροὶ, id est, statuta tempora & solennitates; Sabbatha scil. nisi quis hic in genere omnes solennitates intelligi putet: aut potius festa, & per *diem* Sabbathum hebdomadale. Atque ita Sabbathum exsertè à festis distinguitur, *Lev.* 23. 4. 37. 38. IV. Strictissimè & propriè festa illa, quæ hic definimus, sunt *dies solennes statotempore recurrentes, cultui divino ex instituto Dei consecrati, ut feriando seu quiete, gaudio, cultu proprio, & commemoratione peculiaris beneficii divini eos sanctificarent ad significationem & præfigurationem rerum spiritualium in Christo.* Et talia festa propriè dicuntur חגים *chaggim*, dies lætitiæ, seu gaudia Domini, *Nehem.* 8. 10.

4 Ad explicationem definitionis hæc notanda. I. Festa dici dies solennes; ut ab aliis communibus & profanis distinguamus. II. Dici *dies*, ut à Jubilæo, & septimo anno Sabbathico distinguantur. III. *Statotempore recurrentes*, ut extraordinarias & incidentes solennitates excludamus. IV. Dicimus *dies sacros*, seu *Consecratos cultui divino*, ut distinguantur à solennitatibus politicis seu civilibus. V. Addimus, ex *instituto divino*, ut statas ac perpetuas solennitates à Deo primitus cum lege ceremoniali institutas distinguamus à conceptivis (ut vocant) quæ postea ab hominibus introductæ sunt, quales dies *Purim*, & Encænia, de quibus infra. VI. Addimus sanctificationem seu observationem ejus diei constitisse feriis seu quiete, gaudio, commemoratione peculiaris beneficii à Deo accepti, & peculiari seu appropriato cultu. 1. *Feriatio* seu *quies*, excludit neomenias, quas Scriptura *Coloss.* 2. 16. cum *Galat.* 5. 4. 10. *Ezra* 3. 5. à diebus festis distinguit. 2. *Gaudium* externis etiam signis, gestibus, & actionibus exhibitum, excludit Diem expiationis (qui erat jejunii, luctus, & humiliationis, *Levitic.* 23. 37.) jam verò observationem ejusmodi solennitatis cum *Festo* die esse ἀσυμπτωτῶς, nec debere aut in cognitione, aut in praxi confundi constat ex *Nehem.* 8. 10. 12. cum *Levit.* 23. 40. *Deut.* 16. 11. 14. 3. *Commemoratio peculiaris beneficii*, peculiari ratione huic diei affixa & vice versa, *Levitic.* 23. 43. *Deuter.* 16. 1. 2. 3. 12. excludit Sabbathum hebdomadale, quo promiscuè quævis opera & beneficia divina erant celebranda, *Psal.* 92. 1. 2. 3. 4. & Deus quovis genere atque actu cultus sive humiliationis, sive eucharistias & exultationis colendus. VII. Denique finis ponitur, *significatio & præfiguratio rerum spirituali-*

ritualium in Christo, Coloss. 2. 17. Ita excluduntur omnia tempora Novi Testamenti, quæ nec signa nec typi sunt à Deo ad aliquid significandum destinati. An etiam Sabbathum ante Mosen & post Mosen fuerit typicum, infra videbitur.

Convenientiam & discrepantiam inter festa strictè sic dicta ac à nobis definita, & inter alia tempora solennia sic breviter indicamus. 1. Dies humiliationis & jejunii (qualis status in V. T. erat dies expiationis) in eo conveniebat. 1. Quod cultui divino peculiariter esset consecratus. 2. Quod ab omnibus operibus esset feriandum. Differebat, quod jejunio & humiliatione esset transigendus; contra dies festi gaudio & exultatione etiam externâ, cujus pars erant convivia & cibi lautiores. *Deuter.* 16. 11. *Nehem.* 8. 9. 10. 11. Neomeniæ conveniebant, quod cultui divino peculiariter consecratæ. 2. Quod peculiari aliquâ eucharistiâ & commemoratione beneficiorum Dei essent sanctificandę. Quodnam autem seu quęnam beneficia fuerint, non ita ex Scripturis definiri potest. Differebant vero, quod in festis injungeretur cessatio ab operibus & convocatio Ecclesiæ, hic verò minimè. Vide *Numer.* 10. 10. & 28. 10. 11. 16. 111. Jubilæus & Sabbathicus annus à festis differebant. 1. Quod non sanctificarentur peculiari cultu. 2. Nec cessatio esset ab omni opere servili. IV. Sabbathum hebdomadale à festo fuisse distinctum, constat 1. *Ex* apertis Scripturæ testimoniis, *Levitic.* 23. 4. 37. 38. *Numer.* 28. 10. 11. 16. 2. *Ex* eo quod in lege morali Decalogi Sabbathum præscribitur, reliquorum festorum ceremonialium ne minima quidem fiat mentio, non magis quam aliarum ceremoniarum. 3. *Quia* Sabbathum fuit institutum ante lapsum, *Genes.* 2. *vers.* 2. & observatum à populo Dei ante latam legem ceremonialem, *Exod.* 16. 23. Atqui festa demum per Mosen à Deo sunt instituta. Et ante lapsum nullus ipsorum potuit esse usus; quia nulla erat adumbratio Christi Mediatoris. 4. *Quia* Sabbathum ubique observari poterat & debebat, domi scil. & foris, in deserto, in captivitate & exilio: festa verò non nisi Hierosolymis aut in loco, quem delegerat Deus, ut ibi habitaret nomen ejus. *Deuter.* 15. 16. 5. *Quia* immundi à Paschâ & reliquis festis excludebantur, *Numer.* 9. qui tamen tenebantur servare Sabbathum. 6. *Quia* festa ad commemorationem peculiaris beneficii, & peculiarem mysterii adumbrationem instituta erant; Sabbathum verò minimè, sed ad cultum Dei in genere celebrandum sine tali specificâ relatione. 7. *Quia* consequenter peculiari cultui & sacrificiis erant alligata, & vice versâ, *Numer.* 28. & 29. Sabbathum autem non erat; sed in eo tantum erat duplicatio sacrificii quotidiani, *Numer.* 28. 8. *Quia* Sabbathum non poterat prorogari aut transferri

ferri in alium diem: festa verò poterant, 2 *Paralip.* 30. 2. 3. 13. cum *Numer.* 9. 10. 11. Ne quid dicam de translatione festi in Sabbathum hebdomadale apud Judæos frequentatâ, ne duo Sabbatha concurrerent: de cujus facti statu inficiali & finitudinis quæstio est inter eruditos: ut videre est apud *Scaligerum lib.* 7. *de Emendatione temporum*, *Azorium Institut. Moral. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 6. 7. *Baronium*, ejusque Censorem *Casaubonum ad annum* 34. Et *in notis Bezæ*, *Ludov. de Dieu ad Matth.* 26. Sed de illâ controversiâ hic non est agendum.

6 Ut autem tanto melius intelligamus discrepantiam inter Festum & Sabbathum, breviter naturam ejus per quæstiones aliquot explicamus. Sunt autem illæ magnam partem controversæ, Nos pro ratione thesium eas digito tantum indicabimus. Dividimus autem controversias in principales seu generales, & in minus principales seu speciales. Illæ sunt in quibus convenit Orthodoxis Ecclesiis & Doctoribus: istæ in quibus omnibus Doctoribus non convenit. Primi generis controversiæ sunt octo, quarum 1. *Quæst.* An sit aliquod statum Sabbathum à Christianis religiosè observandum? *Aff.* Omnes Orthodoxi contra Anabaptistas & Socinianos. Vide *Calvini Instit. lib.* 2. *cap.* 8. *Sect.* 33. & *VValæi tract. de Sabbatho*, ubi ex professo hoc probat contra Anabaptistas. Vide & *Cloppenburgium c. Anabaptistas.* 11. *Quæst.* An Sabbathum Judæorum ultimo scil. die (quem Saturni vocant) celebrari solitum in N. Test. sit mutatum seu abrogatum? *Resp. Aff.* Orthodoxi contra Judæos, & tenebrionem hodiernum unum atque alterum Semi-Judaizantem: inter quos quidam *Traske*, de quo in *Opusculis posthumis Lanceloti Andrewus* Episcopi Eliensis in 4. Londini editis. *Franc. VVhite in tract.* Anglico *adversus Sabbatarias* novitates meminit cujusdam Christophori Babur, contra opinionem hanc disputat *Helvicus Elencho Iudaico VI. lit. Q.* & *Galatinus lib.* 11. *de arc. Cath. verit. c.* 8. Vide & *Vrsini Comment. Catech. ad* 4. *Præc.* Ratio communis à posteriori desumitur ex doctrinâ & facto Apostolorum atq; Apostolicæ Ecclesiæ, quod diem illum nec mandato nec exemplo suo observari voluit; sed contra abolevit: & loco ejus diem Dominicum servare cœpit. Aliæ rationes, si quæ adferuntur, non videntur esse ἀναμφίσβητοι. Est autem hæc & antiqui & præsentis universi Christianismi sententia. A quo qui discesserunt, (ut Ebionæi, Cerinthiani, Nazaræi, Apollinaristę) Judaizantes & Sabbatharii dicebantur. *Concilium Laodicen. can.* 29. *Tertullianus de Præscriptionibus Irenæ. libr.* 1. *cap.* 26. *Gregorius Nazianzenus Orat.* 19. *Epiphanius*, *Augustinus*, *Philastrus de Hæresibus*, *Eusebius Histor. Eccles. lib.* 3. *cap.* 13. *Gregorius Magnus lib.* 2. *epist.* 3. Porro consensum antiquæ Ecclesiæ adversus errorem Sabbatharіorum colli-

ges

ges ex *Autoribus* cit. præterea ex *Iustino Dial. cum Tryphone, Tertullian. contra Iudæos cap.* 4. & 6. & *de Idololatriâ cap.* 14. *Irenæo lib.* 4. *cap.* 19. & 30. & 31. *Origene in Genes. homil.* 10. & *in Exod. homil.* 7. & *in Numer.* 28. *homil.* 23. *Athanas. de Sabbatho & circumcis. Gregor. Nazianzen. Orat.* 19. *Chrysostome in Iesa.* 1. & *in Mattheum homil.* 4. *Gregor. Nyssen. Orat.* 1. *de Resurrectione, Ambros. in Luc.* 3. & *epist.* 72. *Hieronym. in Ezechiel.* 44. & *Proëm epist. ad Galat. Theodoret. in Ezechiel.* 20. & *in c.* 4. *ad Galat. Augustin. contra Faustum Manichæum lib.* 6. *cap.* 4. &c. Unde videmus, quid de Pseudo-Clementis scriptis judicandum: ubi occurrit lib. 8. cap. 39. *Operentur servi quinque dies in Sabbatho, & Dominicâ die quiescant propter doctrinam pietatis.* Et tamen Montacutius inde Festa probatum it. Confer *Disp.* 2. *de Tempore nativ. Christi.* III. *Qu.* An abrogatio & mutatio illa facta fuerit jure divino, an verò jure Ecclesiastico. *Aff. pr.* contra Pontificios. IV. *Quæst.* An dies Dominicus Christianorum sit ex merâ traditione, an verò ex Scripturâ? *Aff. post.* contra Pontificios. Vide *VVilleti Synopsin Papismi,* & *Franciscum Iunium, aliosque Antagonistas Bellarmini de Traditionibus.* V. *Quæst.* An Sabbathi sanctificatio, excludat etiam opera præsentis necessitatis, sive illa ad peragendum cultum Dei, sive ad necessariam caritatem proximi, sive ad debitam commoditatem & moderatam refectionem corporis nostri necessaria sint? *Neg.* contra Judæos, ex *Matth.* 12. 2. 5. 7. 10. 11. & *Luc.* 13. 14. 15. Nugas & superstitiones Judęorum de jumento non extrahendo ex foveâ, in quam incidit, sed illic alendo, donec transierit Sabbathum, de non capiendis pulicibus, de non decorticando allio aut pyro, de non induendis crepidis, de equo ducendo, non nisi pendente loro, ne lorum manu ferre videaris, de non applicando oleo rosaceo, nec fomentatione loco alicui affecto, de non gargarizando contra affectus gutturis, de vino non induendo oculis dolentibus, &c. Vide *in tract. Thalmudico sabbath* & *in Maymonide tract. sabbath. cap.* 21. & 25. & ex iis magnam partem recensita à *Buxdorfio in Synag. Iud. cap.* 10. & 11. Fuisse autem opera necessitatis olim Judæis in V. T. minimè prohibita, ne quidem ab antiquis ipsorum Rabbinis, probatur à *Buxdorfio cap.* 11. & *Drusio lib.* 1. *præterit. ad Matth.* 12. & *de sectis Iudæorum lib.* 2. *p.* 76. Conferri etiam potest *Munsterus in Hebraicum Euangelium Matthæi cap.* 12. Ubi violentas blasphemias in Christum ex *Nizzachon R. Lipman* excerptas exhibet & refutat. Possent etiam Judæi stolidæ contradictionis argui, ex iis quæ festis diebus fieri concedunt & prohibent: qualia recenset Munsterus in notis ad Matth. 15. *Non licet die solenni venari pisces ex vivario, sed anseres & gallinas, quæ domi habentur licet venari. Non sufflare ignem per follem, cum id similitudinem habeat operis*

artificis, sed per cannam concavam licet. Et cum quis facit ignem, & apponit ollam aut caldarium, necesse est, sollicitus sit quomodo ordinet ligna, ne congeries eorum similis sit ædificio. Et paulo post: *Ovum natum in die solenni prohibitum est, ne illud contingas, multo minus licet illud comedere, etiam si dubium sit, num natum sit in die solenni aut pro hano, adhuc prohibitum est; quin & si mixtum sit inter mille, omnia sunt prohibita. Qui autem mactat gallinam, & invenit in eâ ova perfecta, illa licita sunt.* Ab alterâ parte Judæi ex professo & ex formulâ falsæ suæ & voluptuariæ doctrinæ, epulando, deliciando, saltando sabbathizantes, nihil minus quam Sabbathum servant. Vide doctrinam & praxin eorum in *Comment. David Kimchi ad Iesa.* 58. *v.* 13. apud *Mikkotzi præc. aff.* 30. & *Buxdorfium in Synag. cap.* 11. VI. *Quæst.* An tantum ordinaria opera & exercitia aut plane servilia & crassiora, an verò omnia in universum prohibita sint quę cultum Dei privatum & publicum impediunt. *Aff. post.* contra dissolutos Catholicas Papatus, *Tobetum lib.* 4. *cap.* 24. *Azorium Institut. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 26. 27. Per illos enim mercatura & nundinæ, venationes, aucupia, saltationes seu choreæ, immo & artium illarum institutio Magistris choreuticis est licita. Quod ad studia & exercitia, non tam labore corporis, quam ingenii peragenda, de iis audiatur *Rebuffus* J. C. & Parisiis olim decretorum Lector in *tract. de Privilegiis Scholarum editom* 8. *Parisiis* 1540. inter 180. privilegia, hæc duo primo loco ponit. Quod possint studere festis diebus; & quod possint studere in Templo, dum sacris interfunt. Prius quod Scholares *totis nervis studere & legere poßunt, & debent*, probat contra textus à se *ibid. cit.* *Levitic.* 23. *Exod.* 12. (20. scribendum) *Hierem.* 17.

Probat, inquam, ex
- Jure divino
- Canonico
- Civili
- Historiographis & Poëtis.

I. *Ex Iure divino*
1. Exemplo Christi *Luc.* 4. qui docuit in Synagogâ.
2. Quia illis diebus benefacere licet, *Matth.* 12. *Marci* 3. Sed studendo quis benefacit, à cogitationibus malis subtrahitur, & evitat otium, & sic per consequentiam peccatum.
3. Quia *Apocal.* 1. *vers.* 10. illo die fuit in Spiritu.
4. Quia illo die Apostoli fuerunt illuminati, & data est illis omnis scientia, *Actor.* 2.
5. Quia eodem die illuminatus Saulus, & ei datum est donum scientiæ, *Actor.* 9.
6. Eodem die illuminatus Apostolus Thomas, *Ioh.* 20.
7. Et ratio, propter illuminationem intellectus & memoriæ

moriæ fragilitatem; ne festis diebus dediscant, quod aliis diebus didicerunt: & ut à malis provenientibus ab otio removeantur.

Addit hic consensum Theologorum quorundam

Glossæ in Numer. 28. Quod fabri & artifices otiantur in die Sabbathi, Lectores autem divinæ Legis non otiantur.

Antoninus in 2. *part. Summæ tit.* 9. *cap.* 7. *sub finem*

Petrus Subertus Sancti Papuli olim Episcopus in *tract. de Cultu vineæ Domini* in 4. *parte c.* 5.

II. *Ex Iure Canonico*

1. c. *Primo* & *c. licet de Feriis*; unde consequentiam ducit, ergo multo magis pro scientiâ.
2. Quia doctum esse tendit ad Dei honorem & publicum bonum. *Barba. in c.* 1. *facit Cle. Exive* §. *licet, de verb. signif.* ubi studium dicitur labor spiritualis.
3. Quia studendo dicuntur in vineâ Domini laborare *c. fina. in fi. de Magist.*, Ergo:
4. Quia possunt homines circa pontes faciendos vel reparandos diebus festis laborare, dummodo hoc faciant ratione publicæ utilitatis principaliter, & non propter lucrum, Sic *summa Angelica*, & *Alber. in Dictionar. voce Feriæ.* Sed in literato major utilitas publica vertitur.

III. *Ex Iure Civili*

1. Omnia exerceri possunt, sine quibus mundus regi non potest *L. omnes in primâ*, & ibi *glossa C. de Feriis*; Sed mundus sine scientiâ regi non potest, &c.
2. Disciplina militaris illis diebus exerceri potest *L. Divus ff. de Feriis*: Ergo multo magis disciplina literaria; quia non tantum æquiparatur. *L. advocati C. de officio diverso*, immo est magis utile & meritorium.
3. Quia qui studet dicitur Ecclesiæ inservire; *L. Qui sub prætextu C. de sacros. Ecclesiis.* Etiam famuli in illos dies tenentur ad serviendum suis dominis, *L. colonos*, & ib. *no. C. de agri L. si peculium* §. *quædam ff. de Statu liber.*

IV. Denique *Ex Poëtis & Historiographis. Virgilio in Georgic.* Quippe etiam festis quædam exercere diebus, &c. *Macrob. Saturnal. lib.* 1. Cur non Religionis honor dicari sacris diebus, &c.

Seneca Epist. 18. *Alexandr. ab Alexandro Genialium dierum lib.* 3. *c.* 11. *Livio lib.* 3. Quod indicto justitio, nemo quidquam rei privatæ agere poterat, sed publicæ, sicut militare, studere, &c.

Et ista est, inquit, communis sententia tam Theologorum quam Doctorum utriusque Facultatis, prout citantur in *d. c. primo*, Confer & *Thomam* 22. *qu.* 122. *art.* 4. Fatetur tamen *ibidem* contrarium teneri ab *Antonino loc. cit.* & *Azone in Summâ de Feriis.* Atque hæc doctrina & praxis Papistarum. Judæorum laxa sabbathizatio epulis, deliciis, choreis, à prandio Sabbathi usque in mediam noctem peragenda describitur à *Buxdorfio in Synagogâ Iudaicâ cap.* 11. Ex quo lecto videbunt prudentiores an Judaizantibus potius accensendi sint laxi & voluptuarii Christiani, qui epulis, cupediariis & voluptuariis excursionibus, ludis aleæ, tritillorum, aliisque carnalibus recreationibus, poculis & vini pitissationibus, arborum & cupediariorum lautitiis domi aut in suo *Eden*, id est, in horto voluptatis multas aut plerasque horas diei Dominicę fallunt; an fideles illi, cum suis Ministris, qui totum diem juxta 4. Præceptum cultui divino (publico scil. & privato, ejusque adminiculis, juxta *Theses Kuchlini*, & *Festi Hommii Tabulas Catecheticas*) consecrandum censent. In *Synodi Dordracenæ Post-actis* anno 1619. ex gravaminibus Synodorum Provincialium varia opera notata, eorumque prohibitio à Magistratu petita, ad quæ homines dissoluti cum Judæis & Doctoribus Pontificiis facilè connivent. Ex Actis Synodi eadem exhibuit D. Walæus in præfat. ad tract. de Sabbatho *Ut gravissimæ illæ multiplicesque Sabbathi profanationes, quæ fiunt quotidie per nundinas, encænia, convivia communitatum, vigilum, viciniarum, nuptiarum; per exercitia armorum; per venationes, piscationes, aucupia, lusum pilæ; per histrionicas comœdiarum actiones; per tripudia, auctiones bonorum, compotationes; & per minus necessaria quælibet opera servilia. &c. strictè prohibeantur atque impediantur.* VII. *Quæst.* An totus dies Dominicus sit sanctificandus, & quidem per exercitia pietatis, non tantum publica, sed & privata, e. gr. meditationem verbi & operum Dei, &c. an verò sufficerit partem diei utpote horas matutinas, aut horam unam atque alteram ante & post meridiem exercitiis sacris impendere? *Affirm. pr.* contra *Toletum loc. citat.* & similes Casuistas, qui homines docent matutini sacri auditione contentos esse. Esse autem totum diem sanctificandum docent *Zanchius ad* 4. *Præc.*, *Bullingerus in Decad. Daneus lib.* 2. *Ethicæ Christianæ cap.* 10. DD. *Professores Leidenses in Synopsi Disp. de Sabbatho*, *VValæus in tract. de Sabbatho cap.* 6. Denique quod exercitiis publicis, etiam privatis, & quibus transigendus sit, explicant passim *Interpretes Decalogi*, nominatim *Daneus loc. cit. Kuchlinus Disput. Catechetic. de Festis*, *Festus Hommius in Tabulis Catecheticis:* & jam olim profanationes Papisticas perosi *Albigenses & VValdenses* egregiè opera illa sanctificationis designârunt *in explicatione* 4. *Præcepti* apud *Ioh. Paulum Perrinum*

num in Histor. VValdensium. Nostrate linguâ exercitia illa plenè descripsit *VVilhelmus Teellingius Theologus* ἀνωνύμως. Eadem exercitia ex doctrinâ & more antiquitatis explicat *Anonymus in tractatu, Dies Dominica, libr. 2. per totum.* Quin ex ipsis Pontificiis *Ferus in Exodum* 32. *Agrippa de Vanitate scientiarum, cap.* 59. *Bellarminus in Domin.* 3. *Advent.* profanationes suorum perstringunt. Sunt & *Rabbini*, qui delicias & epulas Sabbathicas Judæorum incessunt, & totum diem studio Legis transigendum docent. Testimonia eorum collegit *R. Menasse ben Israel Conciliat. in Exod. quæst.* 35. Ex Jureconsultis Germanis *Salmuthus, ad Pancirolli novè reperta tit.* 22. observat in pistoriis causis, & his quæ ad annonam publicam pertinent *(L. publicas* 8. *§. pistoriis C. de Feriis)* ut & in halecum capturâ nullam haberi feriarum rationem, juxta *L. omnes* 3. *C. de Feriis*, ubi de fructuum conservatione. Hanc tamen constitutionem à *Leone Novell.* 54. gravibus de causis esse correctam. Epicrisin suam ibidem subdit: *Et cum ex septem diebus unus in Domini honorem consecratus sit*: religionis prorsus dissolutæ fuerit, *nos aliorum dierum ad opera usu contentos non esse, neque illum Domino eximium & inviolatum conservare; sed ipsum etiam vulgarem facere, nostrisque operibus applicandum putare. Constantini constitutionem contra totius diei sanctificationem* in *L. omnes* 3. *C. de Feriis*, longè superat *constitutio Iacobi Magnæ Britanniæ Regis* anno 1618. 24. Maji confirmata & denuò publicata à Rege Carolo 18. Octobris 1633. quâ severè interdicitur præfectis & justitiariis, ne populi recreationes diebus Dominicis post pomeridianam concionem aut lectam liturgiam, antehâc legibus prohibitas, impedirent. (Anglicè, *that our good people be not disturbed, letted, or discouraged from any lavvful recreation*). Recreationes illæ ibidem designantur, *dauncing, either men or vvomen, archery for men, leaping, vaulting, or any other such harmeleſſe recreation, nor from having of May Games, VVhitson Ales, and Morrisdances, and the setting up of Maypoles, and other sports therevvith used.* &c. *And that vvomen shall have leave to carry rushes to te church for the decoring of it, according to their old custome.* Rex Carolus addebat, suam expressam voluntatem & beneplacitum esse ut festa encæniorum (Anglicè dicta *vvakes & feasts of the dedication of the church)* unà cum aliis festis observarentur. Impressa est hæc regia declaratio Londini apud Rob. Barker typographum Regium a. 1633. His Regiis edictis, seu potius novis Doctoribus eâdem probantibus, oppositus fuit tract. Anglicus *Anonymi* anno 1636. tit. *The Lords day, the Sabbath day.* Antiqua statuta de observatione totius diei renovata & confirmata sunt in parlamento Angliæ anno 1657.

VIII. *Quæst.* An dies Dominicus reliquis sanctior sit non tantum or-

dinatione usuque, sed & significatione atque effectu, & habeat figuram & symbolum sacrum. *Neg.* contra Scholasticos & Pontificios, cum *Synopsi DD. Profess. Leidens. disp. de Sabbatho, thesi* 55. & 60. & *D. Riveto Prælect. in Decalog.*

6 Sequuntur nunc controversiæ communi Eccl. nostrarum & Doctorum doctrinâ non ita definitæ ut alia capita catechetica; de quibus aliqui inter Doctores nostros aut dubitant, aut nihil determinant, aut pro peculiari suâ opinione contra communiorem sententiam disputant. Sunt autem illæ quatuor; quarum duæ priores primariæ, duæ posteriores secundariæ & prioribus subordinatæ, seu ad eas ordinatæ. Quæritur ergo 1 *Quæst.* An sit morale, & consequenter juris immutabilis divini (positivi scil. non naturalis, ut & reliqua omnia præcepta affirmativa quæ ad cultum institutum pertinent) ut unus ex septem diebus ad cultum divinum sanctificetur: an verò sit puri juris & libertatis ecclesiasticæ, ut quintus aut sextus aut decimus &c. sive pro re natâ, sive ad tempus seligatur, haut aliter ac in aliis quibuscunque diebus statis aut extraordinariis? *Resp. Pr. Negant* Pontificii, quippe qui nullum N.T. sabbathum agnoscunt, nisi ab ecclesiâ institutum. Sic *Scholastici ad Thomam* 22. *qu.* 122. *a.* 4. & *Zvvarez de Religione Tract.* 2. *lib.* 2. *c.* 1. & 2. Negant etiam Anabaptistæ & Sociniani. Ex reformatis Doctoribus nonnulli omne jus divinum negant, & præter liberam ecclesiasticam aut politicam potestatem ac constitutionem circa rem adiaphoram nihil hic admittunt, ut ferè *Calvinus*; *Institut. lib.* 2. *cap.* 8. (aliter tamen *in Genes.* 2.) magis apertè *Vrsinus ad* 4. *præc.*, *Zadeel ad artic. Burdegalenses art.* 49. *Fr. Lambertus in Apocal.* 1. *v.* 10. *Kuchlinus in Disp. de Festis*, *Prideaux in orat. de Sabbatho*, *Thomas Brodæus Anglus tract. de Sabbatho a.* 1627. *Franciscus VVhite in tract.* Anglico *de Sabbatho* adversus novitates sabbatharias Angliæ a. 1635. *Fr. Gomarus in tract. de Sabbatho*, *Lambert. Danæus Ethic. Christian. Andr. Rivetus comment. in Decalogum*, *Chemnitius in Examine Concil. Trid. cap. de Festis*; & Lutherani si non omnes, saltem plerique, ni fallor cum *Augustanâ confess. art. ult.* Inter alios *Brentius in catechesi & commentar. in Levitic.* 25. ait, decimum aut vigesimum diem posse constitui. Sunt & alii ejusdem opinionis qui anglicè scripserunt, *Christopher Dovv*, *Primorose*, *Ironside*, quos non visos cognovi *Thoma Spepard* qui in *Thesibus Sabbathicis* angl. 1651. eos refutat. Contra tamen perpetuam septimi diei moralitatem definiunt *Catecheses Embdana*, *Catech. Palatina* in Belgicum traducta, & à Belgis recepta, (quamvis obscurius) *Beza in notis ad* 1. *Cor.* 16. & *Apoc.* 1. *v.* 10. *Ant. Farus in disp. Th. disp.* 47. *Deodatus in notis ad biblia Italica* 1 Cor. 16. *Apoc.* 1. 10. *Martyr*

in co-

in comment. ad 1 Cor. 16. Zanchius in Coloss. 2. & ad 4. præc. VVittakerus contra Bellarm. de scripturâ quæst. 6. cap. 12. Fr. Iunius comment. in Genes. 2. v. 2. Munsterus in scholiis ad Matth. 12. Gualterus in Galat. 4. homil. 33. & in Malach. homil. 23. Beumlerus in hypotyposi Th. ad 4. præc. Rollocus ad Coloss. 2. Notæ in bibl. Anglica 1 Cor. 16. Perkinsus in Catech. & Casibus ad 4. præc. Georg. Dovvnam. in tabulis ad Decalogum, anglicè. *VVilletus in synopsi Papismi p. 426. & 431.* edit. in fol. & *commentar. in Gen. 2. c. 2. VVolphius in chronolog. lib. 2. c. 1. p. 92. Pareus in Genes. 2. c. 2. Piscator in Levitic. 23. Bernardus Textor* Professor Herbornensis *in volum. thesium Theol. loco 2. de Creatione th. 31. Scharpius in cursu theol. tom. 1. de lege Dei p. 617. & 622. Gilbertus Primorose* minister tunc Burdegalensis *in tract. la Trompette de Sion. pag. 193. 194, 195. Tilenus* tunc orthodoxus *syntagm. tom. 1. ad 4. præc. Nicol. Vedelius* tunc Pastor & Professor Genevensis *Exercit. ad epist. Ignatii ad Magnesianos cap. 7. Festus Hommius in tabulis catecheticis* belgicè. *Cartvvrightus & Fulco celebres Theologi adversus Anglo-Rhemenses ad 1 Cor. 16. Galat. 4. Rom. 14. VValæus tract. de Sabbatho. Goulartius in commentar. ad Salustii Bartasii primæ hebdomadis diem septimum. Fabritius comment. in psalmos ad Psal. 92. Althusius in Politicâ cap. 21. p. 420. Lansbergius in catech. qu. 103. & in Chronol. Math. Martinus lib. 1. Christ. & catholicæ fidei cap. 10. Amesius in medullâ ad 4. præc.* & inprimis *in Disp.* habitâ Franequeræ 1633. Resp. Nathane Eatono. Doctissimus *autor Altaris Damasceni pag. 561. VVeemsus à Lothoquar in synag. Christ. ad 4. præc.* anglicè. *Foxus in Apoc. 1. v. 10. Arminius & Bertius in Disput. ad 4. præceptum*, qui à nemine Antagonistarum, nec à D. *Gomaro in indiculo seu syllabo novarum opinionum Arminii*, aut à D. *Festo in Specimine dogmatum Remonstranticorum*, erroris alicujus eo nomine notati sunt. Accedunt *publicæ homiliæ, & liturgiæ*, ut & Theologi Angli quamplurimi, quorum innumera scripta vernaculis linguis exstant: ex quorum adductis testimoniis hanc esse doctrinam Ecclesiæ Anglic. probatum ivit nuperrimè *Anonymus* (D. *Burtonus* ni fallor) *in Diatribe Angl. adversus Fr. VVhitum* Episcopum Eliensem. Adde *Henr. Flokenium in Theol. Elenct. disp. 21. VVollebium lib. 2. Theol. cap. 7, Cloppenburgium contra Anabaptistas. Maccovium disp. Miscellan. 24.* ubi *de quarto Præcepto. Clutonem in Ideâ disp. 42. §. 24. 25. Alsted. in Casibus consc. ad 4 Prac. Gul. Apollonium in tract. de Lege cap. 6.* Imprimis *Rat. disciplin. eccl. Bohem. p. 70.* Sunt & alii, qui quamvis tam apertè hanc sententiam non profitentur, in eam tamen magis propendere videntur, saltem contrariam non tuentur, ut *Bucerus in Matth. 12. Bullingerus in Decadibus, Chytræus in Apoc. 1. vers. 10.* Nos affirmanti sententiæ accedimus, ducti istis rationibus. *I. Prima*, quia est præce-

præceptum Decalogi, ergo est morale sex diebus operari & septimo quiescere. Ratio consequentiæ est, quia Decalogus continet legem moralem & perpetuam, & omnia ejus præcepta sunt moralia, non quod ad genus (sic enim tota lex ceremonialis posset dici moralis, & tanquam lex moralis etiamnum nos obstringere; quod absurdum) sed quod ad speciem. Ergo ex vi quarti Præcepti non in genere aliquod tempus cultui divino consecrandum, sed ista species & mensura temporis, septimus scil. quisque dies qui senis succedit. Non enim præcipit Deus, *memento temporis alicujus sufficientis, ut illud sanctifices & reliquo tempore labores*, sed: *Memento diei Sabbathi, ut &c. sex diebus operaberis*, &c. Argumentum hoc imprimis apud omnes maximè valiturum arbitror, qui Anabaptisticas & Socinianas novitates de mutatione Decalogi in N. Test. solidè refutatas velint. Exceptiones in ipsâ disputatione diluemus, & præstiterunt hoc abunde *Sprintus*, *VValaus*, & *Amesius*. Sunt autem pleræque partim falsæ hypotheses, partim principii petitiones. *II. Secunda* ratio; quia Sabbathum hebdomadale fuit institutum à creatione mundi, *Genes.* 2. 2. ergo est perpetuum & morale; non œconomicum, pertinens ad peculiarem statum & disciplinam populi sub V. T. aut ad typificationes & umbras. Vide hoc argumentum contra exceptiones defensum ab *Amesio in disp.* seu *tract. cit. Rivetus peculiari tract.* communem consensum nostrorum Theologorum adducit, pro Sabbatho ante lapsum. *III. Tertia ratio*, siquidem quarto Præcepto nulla temporis proportio, nullus in specie certus dies præscribitur, sequuntur hæc absurda. 1. *Relinqui* totum hoc arbitrio & libertati Ecclesiæ, ut illa ex æquo & bono quantitatem temporis determinet, diem scil. tertium, aut quartum, aut decimum, aut vigesimum, aut quinquagesimum, aut centesimum, aut partem diei majorem, minorem, tertiam, quartam, quintam, &c. 2. *Ad hæc*, quot sunt Ecclesiæ singulis sæculis aut locis, tot fore Sabbatha à se invicem temporis proportione discrepantia. 3. *Præterea* non magis in specie nos in conscientiâ obligari quarto Præcepto, quam statutis ceremonialibus de Neomeniis, Festis, Annis Sabbathicis, Jubilæis Judæorum; immo de omnibus aliis ceremonialibus; quæ tantum quod ad genus seu analogicè nos in N. T. obligant ad observationem seu obedientiam; non verò definitè aut in specie. Ostendant quæso quâ ratione quartum Præceptum magis nos obligaret, quam ullæ aliæ V. T. ceremoniæ. 4. *Non peccare* insuper Ecclesias, si quæ nullum certum diem septimum, immo ne decimum quidem, aut centesimum, aut ullum sive totum, sive maximâ ex parte cultui divino consecrent, sed pro re natâ contentæ sint horam unam atque alteram, sive singulis, sive alternis, sive tertiis diebus cultui publico impen-

impendere. Quod si dicant naturalem æquitatem postulare definitum tempus, & quidem tali quantitate, ex quibus principiis demonstrant illam æquitatem? Non ex Philosophicis. Ergo ex Scripturâ. Sed ex quo loco, si non ex quarto Præcepto? Quæro cur non eâdem ratione naturalis æquitas suadeat ad Judæorum exemplum determinare neomenias seu solennitates menstruas, aut Jubilæa? 5. Sequeretur quartum Præceptum Legis moralis, esse purum putum ceremoniale, non minus quam de Neomeniis, de Annis Sabbathicis, de Jubilæis, de Festis Tubarum, expiationis, Tabernaculorum. Et consequenter diei unius ex circulo hebdomadali, & quidem primi observationem abrogandam, vitandam, non minus quam aliorum dierum solennium, immo & aliarum quarumvis ceremoniarum, ut ostendamus nos stare in libertate (*Galat.* 5. *vers.* 1.) nec vel minimâ specie velle Judaizare. Ad horam & tantundem hic non esset cedendum. Hoc urgere debebant ii, qui nullum Præceptum morale hic agnoscunt. Insuper hactenus deberent probare sententiam Socinianorum & Anabaptistarum, & horum praxin ante annos aliquot (nunc enim nescio ob quas causas hic & alibi nostro ordini se magis conformant) qui pro re natâ, & commoditate suâ modo in hunc, modo in illum diem hebdomadalem communes conventus & exercitia sacra indicebant. Illi, si quidem sententia ipsorum vera esset, ipso facto ab omni specie mali recedebant, & stabant in libertate Christianâ, eâque utebantur. Adeo ut ex hypothesi sententiæ *Calvini lib.* 2. *Institut. cap.* 8. non debuissent tam graviter reprehendi (uti fit *lib.* 2. *Instit. cap.* 8. §. 33.), sed potius cum hoc voto dimitti: Utinam sic semper errassent Anabaptistæ! Sed *Calvinus* accuratius quæstione hâc perpensâ longè aliter loquitur in *Comment. ad Genes.* 2. quem locum expendi velim ab iis, qui magnum illum Scripturæ Interpretem merito suspiciunt. Ubi inter alia dicit, septimum quemque diem quieti destinatum, & Dei exemplum perpetuam esse regulam; nec esse unius ætatis aut populi, sed totius humani generis. In abrogatione ejus per Christum adhibendam esse distinctionem, quid ad perpetuum humanæ vitæ regimen pertineat, quid propriè conveniat veteribus figuris. 6. *Denique* sequitur homines profanando diem septimum, aut propter occupationes, exercitia, ludos, duo aut tria Sabbatha, subinde intermittendo, non magis peccare in quartum Præceptum, quam si omississent Neomenias aut festa Tabernaculorum, aut similia. Quod si dicant illos tunc peccare in ordinem ab Ecclesiâ constitutum, replicarent fortè se horis aliquot aliorum dierum intermissionem illam abunde compensasse: deinde non esse tamen peccatum in quartum Legis divinæ Præceptum, sed tantum in consuetudinem Ecclesiasticam. *IV. Quarta* probatio (ut

alias nunc suo loco & suis autoribus relinquamus) desumi posset ex consensu antiquitatis, & plerorumque Doctorum in Ecclesiis reformatis. Antiquitatis consensum præ aliis ostendere conatur eruditiss. *Anonymus in tract.* cui tit. *Dies Dominica*, anno 1639. in 4. Quo lectorem remitto. Doctores reformatos supra non paucos indicavimus. Complures adhuc restarent: quos non vacat nunc de novo inspicere. Atquę hęc circa hanc quęstionem mea sententia: quamvis cum diversæ sententiæ Theologis nolim contendere, modo ne zelo & praxi exercitiorum pietatis, & accuratæ attentioni conscientiæ in quibuscunque bonis operibus præjudicent, & prætextu libertatis Christianæ licentiæ carnali & laxis conscientiis subservire videantur. Quod postremis annis Episcoporum quorundam & Episcopalium complurium ad deteriora prolapsus atque insolentiæ in Angliâ accidisse ex variis scriptis illic editis, & rerum gestarum historiis cognosci potest. Ab ignaviâ, à dissoluto otio, ab indecoris & scandalosis Sabbathi profanationibus ventum est ad antisabbatharia cogitata & scripta; ne sc. inter mores & doctrinam, inter praxin & theoriam divortium aliquod deprehenderetur, & ne dissoluti aliqui Theologi qui jam totius diei Dominicæ (juxta statuta regni) sanctificationem ad bihoriũ aut trihorium contraxerant, palam audirent αὐτοκατάκριτοι. Brevis scil. labor in habendâ aut audiendâ unâ concione ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, nonnunquam in audiendâ aut legendâ solummodo liturgiâ, magis placebat, quam longę varięque carnales recreationes per potiorem diei Dominicæ partem displicebant. Hinc illæ lachrymæ; hinc *libelli Eristici Heylin, Pocklinghton*, (qui uterque Author scriptis pro cultu altarium in Angliâ celebris) *Carpenter, Primerose, Ironside, &c.* hinc quæstiunculæ, hinc cavillationes, calumniæ, insulsæ fabulæ, excogitata commenta anti-sabbathica: quorum tamen vel levissimam suspicionem in pios & orthodoxos Theologos, quamvis hic dissentientes, cadere nolim. Qualis inter alios Præceptor noster *D. Gomarus*, qui ut in moribus sic in praxi Sabbathi pessulum profano limini obdiderat, & ab omni indulgentiâ κοσμικῇ quam maximè alienus; quique *tract.* vernaculum *VVilhelmi Teellingii de Praxi & sacris Sabbathi exercitiis* scriptâ ad illum *amicâ epistolâ* candidè probavit, & viri illius προκτικωτάτου pios conatus collaudavit. Ei jungo eximios Theologos Leidenses Polyandrum, Rivetum, Thysium, Walæum, qui ejusdem *Teellingii* pietatis & ministerii Ecclesiastici praxin (quæ tunc nomine Sabbathario ab æmulis aut imperitis, aut carnalibus reformatis alicubi traducebatur) *tractatu* vernaculo, cui tit. *Necessaria Demonstratio*, &c. expositam luculentâ & publicâ suâ commendatione libro illi pręfixâ commendabant: quamvis omnes in controversiâ de moralitate per omnia cum ipso non sentirent. Illos

tantum

tantum à prudentioribus obſervari velim, quibus ſtrepitus ille antiſabbathicus mera πρόφασις erat, αἰτία vero quid aliud, quod aut res tunc clamabat, aut paulò poſt dies revelabat. Deus det ne ſimilium contentionum ſimilia ſint conſequentia. Rationes & exceptiones ſcriptorum Antiſabbathicorum excuſſerunt *Daniel Cavvdrey* & *Herbert Palmer* (qui partem faciebant conventus Theologorum Londinenſis) a. 1645. editâ *part.* 1. quam ſubſecuta demum fuit a. 1658. *pars ſecunda*. Eandem controverſiam tractavit *Gul. Tvviſſus*, conventus illius Præſes ſeu Prolocutor. Et *Thomas Spephard in tract.* cui tit. *Theſes Sabbathicæ*, anno 1655. Sed hi tres idiomate Anglico. Poſt illos eandem quęſtionem Latinè & compendioſe tractavit *Henricus VVilkinſonus* Theologus Oxonienſis, anno 1654. qui idem nuperrimè anno 1658. eodem idiomate, ſed ſecundis curis plenius hoc egit. Hoc a. 1658. pro *Sabbathi moralitate* ſcripſit Rev. & conjunctiſſ. Collega noſter *Eſſenius*, qui ejuſdem ſcripti peremptorias vindicias nunc parat. Non eſt ergo, quod ſententiæ meę ſimpliciter propoſitæ, & quarto Præcepto ſubnixæ ultra quid addam. Omnes omnium tum rationes, tum probabilitates, ut & ſolutiones, hypotheſes, conſectaria, caſuum particularium determinationes præſtare nec volo, nec teneor. Quod pręmoneo; ne quis meam ſententiam iis urgeat. Moneo inſuper diſcipulos noſtros, ne ob loci *Coloſſ.* 2. *verſ.* 16. variantes expoſitiones, evidentiſſimum illud Legis moralis Præceptum de Sabbatho hebdomadali aut torqueant, aut eliminent. Tota enim ſumma ſummarum ad hoc argumentum revocari poteſt: Quod Apoſtolus dicit eſſe umbram, &c. illud non eſt morale; conſequenter abrogatum eſt in N. T. Sed Sabbathum hebdomadale dicit eſſe umbram, &c. Ergo. *Negamus minorem*: & *Ratio* eſt, quia aut Sabbatha Judaica ſeptimo die à creatione celebranda ſeu potius circumſtantia Sabbathi hebdomadalis: aut Sabbatha Eſſæorum: aut ſabbatha annorum: aut dies magni ſeu ultimi Feſtorum (*Levit.* 23.) hic intelligi poſſunt. Nullum (quamvis poſtremum præferam) repugnat analogię contextus, aut fidei ſeu totius Scripturæ. Quomodo ergo hinc argumentum certum educi poteſt, quo mens noſtra cogatur ad tam duram & coactam Decalogi expoſitionem, & quarti Præcepti à Lege morali excluſionem, atque unà oſtii apertionem per quod Anabaptiſtæ, Sociniani, Pontificii, heterodoxias ſuas aliquâ cum ſpecie introducant? II. *Controverſia* primaria eſt, an dies primus (quem *Solis* vocant) in Sabbathum Chriſtianum ſit conſecratus. Hic quatuor ſunt ſententiæ. *Prima*, negat ab Apoſtolicâ Eccleſiâ diem illum ſive doctrinâ, ſive exemplo ſuo conſecratum. Sic Pontificii illi, qui à traditione aut autoritate Eccleſiaſticâ illum accerſunt. *Secunda*, concedit ab Apoſtolis &

Ecclesiâ Apostolicâ diem observatum; *Actor.* 20. 1. *Corinth.* 1. 6. *Apoc.* 1. sed in medio relinquunt, an ex liberâ constitutione Ecclesiasticâ, ordinis causâ; an verò autoritate, jure & mandato divino speciali & consequenter, an eorum facto nos astringamur ad illum diem. Sic *Hyperius Meth. Theolog. lib. 2. tit. de Creatione, pag.* 333. *Pareus disputat. Theolog. tom.* 1. *disput.* 33. *D. VValæus in tractatu de Sabbatho. Tertia*, determinat præscriptum & exemplum illud Apostolicum fuisse juris divini, & consequenter immutabilem esse diei istius observationem. Et videtur hoc probari posse ex analogiâ similium ad externam disciplinam pertinentium, e. gr. electionis Ministrorum, *Actor.* 14. 1. *Timoth.* 4. Ordinis Presbyterorum gubernantium, Diaconorum, & Doctorum ex *Rom.* 12. 1. *Corinth.* 12. 1. *Timoth.* 5. *Actor.* 6. *Ephes.* 4. Vide *Liturgiam nostram in formulâ confirmationis Ministrorum, & Seniorum ac Diaconorum.*) *Quarta* insuper colligit ex *Iohan.* 20. immediatè ab ipso Christo illum diem fuisse haut obscurè designatum: consequenter esse juris divini. Sic *Baylius, Sprintus, Amesius, Piscator*, &c. In tertiæ & quartæ summa, Esse scil. jure divino institutum hunc diem, conveniunt non quidem omnes, sed plerique Autores pro moralitate Sabbathi hebdomadalis citati, inter quos liquidissimè hoc profitentur *Beza, Iunius, Piscator, Deodatus, Perkinsus, & Scriptores in Apocal.* 1. *vers.* 10. *Bullingerus, Brichtmannus, Forbesius, Pareus.* Addimus & *Authorem compendii Thesauri Marlorati*, & qui illud nuper recensuit *D. Paulum Tossanum; Ravensperger. rum in Florilegio pag.* 15. *Diestium in Enchiridio & in Mellificio Catechet. Lud. Crocium in Anti-Socinismo disp.* 10. §. 15. *Nicol. Arnoldum in refut. Cateches. Racov. ad qu.* 69. 70. 71. Nos quamvis in hâc sententiâ tam evidenti certitudine non acquiescamus, nec assensum ad pietatem & fidem tam necessarium ducamus, ac quidem in aliis fidei & pietatis dogmatis; cum adhuc praxis pietatis absque hâc sententiâ in Ecclesiis conservari possit: non videmus tamen oppositæ sententiæ ullam rationem, quæ nos cogat; præsertim cum doctissimi ejus assertores congressuri cum Anabaptistis, Socinianis, Libertinis, & profanis diei Dominicæ contemptoribus, ostendant se majori erga diei Dominicæ perpetuam & solennem observationem Religione teneri, quam adversus alios dies solâ antiquâ & novâ constitutione Ecclesiasticâ hebdomadatim aut annuatim ab hominibus præscriptos. Ejusdem sententiæ fuerunt *VValdenses* jam *cit.* & *Dd. Reformati*, qui jam inde à Luthero & Calvino, & ipso præeunte, voluissent omnes dies feriatos etiam ab antiquissimâ Ecclesiâ institutos, excepto die Dominico, esse abolitos. Quin ex ipsis Pontificiis *Zvvarez cap.* 1. & 2. *de Festis* sibi & suis contradicens non obscurè aliquid ὑπερφυὲς, aut

Apo-

Apostolicum, & divinum hic agnoscere cogitur, ut & *Azorius part. 2. lib. 1. c. 2.* Ubi plures Canonistæ & Casuistæ citantur. *Maldonat. in Ioh. 20. v. 26.* probabile ducit. Quidquid sit de origine, omnes saltem consentiunt diem hunc observandum: nec de abolitione aut mutatione cogitandum. Observetur ergo & exercitiis pietatis transigatur. Atque hæ controversiæ primariæ. De quibus hoc notandū, quod qui in secundâ agnoscunt τὸ morale aut jus divinum, unà agnoscant, aut agnoscere debeant in primâ, & omnia eorum testimonia eò etiam referenda sint: & qui in primâ agnoscunt jus divinum, aut naturale, aut τὸ morale, quamvis in secundâ tantum consuetudinem & praxin Ecclesiæ agnoscerent, tamen quod ad summam rei stant pro Sabbathi hebdomadalis moralitate. Sicuti e. gr. inter Pontificios *Phil. Guadagnolus, in Apologiâ pro Christianâ Religione tract. 1. sect. 9. contra Achmedum Mahammeditam* qui mutationem Sabbathi in diem Dominicum tanquam mutationem juris divini, moralis, naturalis culpabat, distinguit in Præcepto quarto duo quæ *virtualiter* (uti loquitur) præcipiuntur: quorum prius est, ut unus dies hebdomadæ cultui divino destinetur. Alterum ut talis dies determinatus ex septem. Illud dicit esse juris naturalis & immutabilis: hoc positivi & mutabilis. Discursu suo (quem totum hic non inseram) retundit adversarii sui accusationem testimonio *Alcorani cap. 3.* quod est *de Mulieribus*, ubi abrogata immo maledicta dicitur Sabbathi Judaici custodia: *maledicemus iis, sicut malediximus custodientibus Sabbathum.* III. *Quæst.* Quæritur an Sabbathum fuerit institutum ab initio mundi; an verò demum cum data lege *Exod. 20.* aut potius *Exod. 16. Resp. Pr. Negant* Pontificii, *Azorius* & *Zvvarez, loc. cit.* ex nostris nonnulli, & cum iis magnus Theologus & venerandus Præceptor noster *D. Gomarus tract. de Sabbatho*, & *altero* quodam *peculiari*, ubi sententiam suam tuetur *contra impugnationes D. Riveti. Aff.* contra *VValæus tract. cit.* & doctè de eo disputant *Amesius tract. cit.* & *D. Rivetus tractatu peculiari*, quem nunc secundæ editioni expositionis Decalogi insertum video. Tota disputationis moles incumbit in genuinam expositionem, *Genes. 2. 2.* Quia autem affirmantium expositio est plana & simplex, nec repugnat analogiæ, aut contextus, aut Scripturæ, non video cur in eâ cum plerisque Theologis nostris à D. *Riveto cit.* non sit acquiescendum: præsertim cum expositio altera sine necessitate subtilis nimium & longe quæsita sit, iisque exceptionibus urgeatur, quas nondum dilutas arbitror. Eandem expositionem & sententiam habent Judæi apud *R. Menasse de Creat. Probl. 8.* citati. IV. *Quæst.* Quæritur an Sabbathum antiquum fuerit ceremonia seu typus destinatus propriè dictus. *Resp. Aff.* id communiter *Pontificii ad 22. qu. 122. art. 4.* & *Zvvarez, loc. cit.* Volunt autem figurasse

guraſſe Chriſti quietem in ſepulcro. Ex noſtris ſunt, qui totum volunt eſſe typicum, ita ut in illo nihil ſit morale, niſi quod ad genus, ut in totâ Lege ceremoniali. Alii dicunt fuiſſe in eo aliquid morale & aliquid ceremoniale ſeu typicum quod nunc eſt abolitum: quietem ſcil. diei ſeptimi à creatione. Et huic ſententiæ nemo niſi Judaizans obloqui poteſt; ſiquidem τὸ *ceremoniale* ſeu *typicum* laxè ſumatur, pro mutabili ſcil., ambulatorio, & ſpeciali circumſtantiâ pertinente ad peculiarem ſtatum iſtius populi tantum. Et ſic in ſumma rei hic quidem convenit. Manet tamen dubium, an peculiaris & deſtinatus typus præter totam legem ceremonialem, fuerit à Deo conſtitutus in quiete à labore, an in rigore iſtius quietis, an in exercitiis & cultu quo propriè ſanctificabatur Sabbathum. *Neg. Ameſius* ex definitione typi aut ex teſtimoniis Scripturę hoc probari. *Aff. Rivetus*: non quidem indiſtinctè cum *Scholaſticis* (nam ſaltem ante lapſum non potuit eſſe typus) ſed cum hâc diſtinctione, ut poſtea ſit ſuperadditus. Sunt qui volunt totum illud de uno die ex ſeptem obſervando eſſe typicum aut ceremoniale. Alii videntur ſolum adjunctum iſtius obſervationis facere typicum, quietem ſcil. & ceſſationes à labore, aut ſeptimum diem à creatione. Poſterior opinio nihil in ſe abſurdi haberet, ſiquidem typificatio illa ex Scripturis ſolidè demonſtrari poſſet. Neque enim ſufficiunt Argumenta eorum, quæ maximi momenti eſſe videntur ex *Exod.* 31. ubi Sabbathum dicitur ſignum: & *Col.* 2. 16. 17. ubi dicitur umbra futurorum. Ad prius facilis & ſufficiens eſt reſponſio, non omne ſignum ἀφηγητικὸν eſſe typicum, aut obſignativum ſeu ſacramentum. Et dato eſſe ſignum propriè typicum, non tamen inde certum foret illud de hebdomadali Sabbatho quà tali, intelligendum eſſe? cur non de Sabbatho determinato tunc ad ſeptimum diem à creatione. Ad poſterius non una reſponſio adferri poſſet. Sed planiſſima & ſimpliciſſima videtur illa *Ameſii*, per Sabbatha intelligi non hebdomadalia, ſed magnorum feſtorum diem primum & ultimum, *Levit.* 23. 39. Fortè quis ad Græcam vocem σαββάτων, quaſi ex Hebraâ *Sabbathon* (quæ *Levit.* 23. de poſtremis feſtorum diebus uſurpatur) deflexum attenderet. Scio excipi poſſe Hebr. Sabbathon eſſe ſingularis, Græcum σάββατων pluralis numeri. Nolo dicere, quid reponi poſſet: quia nolo huic criticæ ſpeculationi inhærere. Si termini *typi* & *ceremoniæ* accuratè diſtinguantur, controverſia facilè enodari poterit, & erit fortè magis in verbis, quam in re ipſâ. Quatuor ergo erunt reſponſiones ad objectum locum *Coloſſ.* 2. *verſ.* 16. Aut intelligendum eſſe Sabbathum, h.e. ultimum diem feſtorum, peculiariter & ſeorſim non ſine ratione memoratum; quomodo Marci 16. verſ. 7 *Dicite diſcipulis ipſius & Petro.* Aut intelligendum

gendum Sabbathum hebdomadale, ad diem ſeptimum à creatione determinatum. Aut Sabbathum annorum. Aut hebdomadale Eſſenorum, qui ut alia multa ſuperſtitioſè Sabbatha ſua ſervabant. Reſpici autem illo capite Eſſenos, non malè obſervabat *Scaliger in Elencho trihæreſ. cap.* 27.

Reſpondeamus nunc ad aliquot problemata; quorum I. An qui ſentiunt humanâ ſeu eccleſiaſticâ conſtitutione ſabbathum Chriſtianum ad diem primum hebdomadis traductum, & conſequenter pro libertate Eccleſiæ mutabile, aliquo cum fundamento homines aſtringere poſſint ad religioſam ſabbathi ſanctificationem? *Affirm.* quomodo ad ſanctificationem extraordinarii jejunii, ſemel, aut per aliquod tempus certo die cujuſque hebdomadæ celebrandi eos hortantur: quod in genere à Deo eſt inſtitutum, quamvis in ſpecie applicatio ejus ad talem diem dependeat ab autoritate humanâ. Applicatione tamen factâ ab illis quibus poteſtas competit, tenentur fideles diem illum religioſè tranſigere & ab omnibus impedimentis abſtinere. Sicuti principatus aut magiſtratus jure divino inſtitutus, cujus applicatio facta eſt per interventum hominum ad perſonam Titii aut Mævii, debito honore colendus eſt. Minime tamen negandum, rationes eorum, qui immediatum jus divinum & immutabile hic agnoſcunt, fortius urgere. II. An teneamur diem Sabbathi more Judaico inchoare à veſperâ præcedentis diei? *Reſp. Neg.* Pontificii de *Conſecrat. diſt.* 3. *cap. pronuntiandum.* *Aff.* Qui tamen eum incipere & terminari volunt diverſis horis pro diverſo reſpectu. *Quantum ad officii celebrationem,* (inquit Vivianus lib. 2. Rationalis juris Canonici tit. 9.) *incipit à veſperis ut hic,* & intra cap. proxim. *Quoad judicium, incipit in mane, & terminatur in fine diei ante noctis tenebras.* c. conſuluit de offic. deleg. &c, *Quoad contractus, teſtamenta, tranſactiones & ſimilia, incipit à mediâ nocte, & aliâ mediâ nocte finitur,* d. c. conſuluit & L. more Romano ff. eod. *Quoad eſum carnium incipit dies poſt cœnam, intelligendo, quod cœna fiat ante mediam noctem; & ſic incipit à mediâ nocte & durat uſq; ad diluculum noctis ſequentis,* c. de eſu, de conſecrat. diſt. 3. & Gloſſ. ibi in fin. *Quoad treugam, incipit ab ortu ſolis, & durat per totam noctem.* c. de treug. & pac. Sic quidem Pontificii. Sed nos nullam legem moralem & immutabilem, nullam rationem ex lumine & jure naturali depromtam proferri videmus, quâ ad hunc dierum computum conſtringamur: III. An ſabbathum Chriſtianum requirat diem 24. horarum, ſeu νυχθήμερον? *Reſp.* Video hoc à nonnullis aſſeri; ſed rationes requiro. Hoc eſt de ſubſtantiâ ſabbathi ut ſex diebus operatoriis (ita loquar) dies quietis ſuccedat. Jam vero operatorii dies illi ſunt lationes ſolis ſuper terram; nec partem ibi facit nox: juxta illud *Ioh.* 9. 4. & 11. 9. & *Pſal.* 104. *v.* Quod autem Judæi νυχθημερεύειν quietem ſervârunt, & quidem

dem incipiendo à vesperâ, ad substantialem ejus sanctificationem & proportionalem laboris ac quietis partitionem nihil faciebat. Labori enim ordinario hominum dies, hoc est, illud temporis spatium destinatum est, quod à nocte distinctum est: uti ex locis *Ioh.* 4. *Ps.* 104. modo *cit.* & ex communi naturæ lumine atque universali experientiâ, constare arbitror. Nec obstat, quod extraordinarii casus necessitatis, acque nocturnas ac diurnas hominum operas subinde requirat. Idem etiam de tractatione & meditatione sacrorum nocturnâ, aut protractâ in multam noctem (*Act.* 20. *v.* 9.) casu particulari ita ferente ultro concedimus. Sed ut inde inferri non potest, singulas noctes, æque ac dies ordinariis laboribus, sequestrato omni somno, transigendas; sic ex vi partitionis decalogo præscriptæ inferri nequit integram noctem quæ sabbathum antecedit æque exercitiis sacris ordinariò tribuendam, ac diem. Talis sabbathizatio saperet nocturnas vigilias olim ex occasione aliquâ extraordinariâ ἀλόγως in ecclesiam introductas, λογίως postea abrogatas, quarum reliquiæ (seu *quid pro quo* hodie in Papatu adhuc supereſt. De quibus vide *Hospinianum de Festis cap.* 7. Sed dicat forte quis 1. *Object.* Inchoatio sabbathi à vesperâ præcedente Israelitis exsertè injuncta est: ergo nox æque est sabbathum Jehovæ, ac dies est dies domini. *Resp.* 1. *Quietem* injunctam esse concedo; quietem sc. & abstinentiam à labore ordinario: quia hęc est conditio sine quâ non, seu tanquã removens impedimentũ prępparationis & observationis sabbathicę. Communiter enim homines per insomniam & laborem illius noctis inepti reddũtur, ad exercitia pietatis sequenti die alacriter peragenda. Ita ut sabbathum ipsis magis sit onus δυσβαστον, quam *gnoneg.* i. e. deliciæ (*Ies.* 58. *v.* 13.) Sed nego somnum aut quietem somni prohibitam, & vigiliam contra ac sanctificationem illius noctis per laborem in cultu divino & exercitiis pietatis tum publicis tum privatis injunctam esse 2. *Dato* ipsam quietem per sanctam seu partem sanctificationis sabbathi Israelitici ex divino instituto fuisse, & quidem æque per noctem somno destinatam, ac per diem operibus cultus divini destinatam: inde tamen non sequitur peristaticum & accessorium hoc ad substantiam sabbathi hebdomadalis ab exordio mundi instituti pertinere, & consequenter esse morale atque immutabile, quo nos æque atque Israelitæ obligaremur. Sufficerit à nobis in genere & materialiter quietem à laboribus, tanquam conditionem sine quâ non, servari: licet formaliter, tanquam œconomicâ sanctitate quies tum negativè ab ordinario labore tũ positivè per somnum, formaliter & propriè sancta esse non credatur. Quidquid esset de quiete sub V. T (de quo hic anxiè nolo disquirere) saltem sub N. T. nullam quietem à labore in se & per se virtutis, boni operis, & sanctitatis nomine ornandam censeo: sed tantum in or-

in ordine ad aliud, ut sc. toti & ex professo vacemus cultui divino, & spiritualibus exercitiis, diem illum sanctificemus. Atque ita praxi sanctificationis sabbathicæ satis contra omnes profanationes cautum esse arbitror: quo modo fere in materiâ jejunii religiosi de abstinentiâ à cibo judicamus. Quod autem in quarto præcepto de jumentorum quiete præcipitur, id ad quietem hominum, ordinatur; sine quâ sabbathum operibus spiritualibus solenniter sanctificari seu sanctè transigi nequit. 2. *Obj.* Hinc sequeretur nullum per menses aliquot servandum esse sabbathum iis gentibus, quibus tunc continua nox est. Sed hoc absurdum. *Resp.* hæc est objectio *Thomæ Stepardi*, qui *tract.* angl. tit. *Thesis Sabbathista part.* 2. de inchoatione sabbathi supra alios tutè disquirit. Nos consequentiam *negamus*. Possunt enim & debent illæ gentes, ut dies operarios in illis longis tenebris suis à noctibus seu ordinario tempore quietis, sic & septimum diem otiosum ab operibus ordinariis & negotiosum in cultu divino separare atque observare. Hanc simplicem de hoc quæsito sententiam meam puto satisfacturam iis, qui de praxi pietatis & sabbathi unicè sollicitiunt. 111. An peristatica, accidentalia, ambulatoria, & mutabilia aliqua fuerint in sabbatho Judæorum præter cultum ceremonialem, adjunctum illius diei necessarium? *Affs.* & notantur vulgò 1. duo illa modo *Prob.* 2. & 3. notata. 2. Rigida & specialis illa quies, ut ne quidem manna esset præparandum, nec domo exeundum *Exod.* 16. 23. 28. 29. Quem rigorem nonnulli cum ipso Manna cessasse volunt. Alii sentiunt ex naturali & morali æquitate non fuisse licitam præparationem mannæ, quia nimium laboris & temporis requirebat. Sic *VVilletus*, *Iunius*, *Piscator in Exod.* 16. Præceptum de non exeundo, puto restringendum ad collectionem mannæ ex *vers.* 28. 29. nec profectiones necessariæ magis prohibentur, quam alia opera necessitatis. 3. Præceptum de non accendendo igni *Exod.* 35. 3. *Beza in tabulis triplicis legis* restringit ad ignem in fabricis ad fabricanda utensilia tabernaculi. *Vatablus* ad ignem & operas inde dependentes, ex quibus lucrum sperari posset. *Marbachius* ad ignem accensum extra casum necessitatis: ponit autem casus necessitatis: coctionem cibi & calefactionem ægroti. *Cajetanus* & *VVilletus* restringunt ad operosam coctionem & præparationem mannæ, atque aliorum ciborum *Exod.* 16. 23. ut distingueretur hâc ratione sabbathum à festis, quibus hoc licebat, immo proprie conveniebat. *Nicol. Collado* theologus Lausunnensis *in opusculo tit. Iesus Nazaræus* anno 1577. edito *pag.* 67. Bezæ sententiam amplectitur & censet specialiter respexisse Deum operas fabriles ad tabernaculi ædificationem requisitas, in quibus tanquam exemtis à mandatâ quiete sabbathi, sibi facile indulgebant aut indulsissent. *Munsterus in notis*

tis ad Exod. 35. limitatè, hoc præceptum sic exponit : Judæi hoc præ-
»ceptum ad literam servandum putant: ideo conductitiis Christianis utun-
»tur sabbatho, qui illis ignem foveant: non advertentes sacerdotibus li-
»cuisse ignem struere pro jugi sacrificio, die sabbathi. Sensus igitur est,
»sabbatho nullum accendendum ignem, unde lucrum aliquod sperari
»posset; ut ex fornace, in quâ lateres vel ollæ aut calx decoquuntur; aut
»etiam si succendatur fornax ad coquendos panes. *Rivetus in comment.*
»*ad Exod.* 35. restringit ad ignem qui succenderetur ad parandos cibos,
»aut ad servilia munera; non autem cum accenderetur ad calefaciendum
»se vigente brumâ, vel ad præbendum lumen. Sic etiam omnia alia quæ
»ad quærendum parandumque victum pertinebant, prohibebantur &c.
Similem restrictionem habent *notæ marginales Belgicæ*. Rectè *Willetus*
cum *Marbachio* non tantum de igni ad panem ex mannâ parandum prohi-
bitionem hanc exponunt, sed de quocunque accenso ad usus & opera ex-
tra casum necessitatis. *Consectar.* Hinc sequitur male hanc legem à Ju-
dæis, (cum quibus faciunt nonnulli Christiani) exponi; cum illud quod
dictum est secundum quid, accipiunt simpliciter, quasi nullâ ratione
ignis, nequidem ad cibum ullum necessario, aut etiam corpus proprium
calefaciendum fuisset accendendus. Certe sabbathum Judaicum erat
propter hominem & vult Deus misericordiam, non sacrificium uti hoc
determinat servator *Matth.* 12. *& Lucæ* 13. Itaque non minus Judæis li-
citum fuit accendere ignem, quam nobis; quomodo jumenta potum de-
ducere, spicas vellere & conterere, cibum sumere, hominem sanare, ovem
ex foveâ extrahere. Est autem ejusdem ordinis & rationis accensio
ignis. Hinc perperam hodierni Judæi ab hoc opere in specie abstinent,
& alicubi Christianos ad illud conducunt, aut tubis seu fistulis (non fol-
libus) ignem sufflant, aut pulvere nitrato accendunt: quod factum ante
annos aliquot in civitate quâdam Italiæ, cum Episcopus ministerium illud
omnibus Christianis interdixisset. Ut refert *R. Iuda de Modena archi-synago-
gus* Venetus in *tract. de ritibus Iudæorum*; quem cum M.S. ante annos com-
modato acceptum ab amico, perlegerem, inter alia hanc narrationem
inde enotavi. Essenorum sabbathizatio (quam cum *Scaligero* probabiliter
dicere possumus ab apostolo *Col.* 2. specialiter tangi) ab omnibus eduliis
coquendis, & igni accendendo, etiam à purganda alvo abstinebat, teste *Fl.
Iosepho lib.* 2. *antiquit. cap.* 7. Sed refutatur hæc essenica & Judaica glossa
ac praxis. 1. *Quia* in templo seu tabernaculo sacerdotes struebant
ignem, ergo simpliciter non prohibetur. 2. *Quia* erat hoc opus necessi-
tatis ad caritatem proximi, imprimis puerperæ, infantis recens nati, ægro-
ti, decrepiti senis, immo & jumentorum &c. 3. *Quia* servator suâ non

tantum

tantum doctrina, sed etiam exemplo glossam hanc refutavit *Luc.* 14. 1. siquidem accensus ignis & ad illud caletactus cibus profanasset sabbathum, utique accessu suo ad convivium profanatores illos non confirmasset. 4. Adde quod inter Rabbinos *R. Aben Ezra* exponit, licitum fuisse ignem accendere. Ita quidem refert *VVilletus ad Exod.* 35. *v.* 2. Sed *comment. Aben Ezra ad locum cit. & ad Exod.* 16. 23. tale quid non habent: Forte alibi hoc dixit. Atque ita satis superque Judæorum circa Sabbathi observationem ineptiæ, quas supra ex parte attigimus, profligatæ sunt. *Rivetus ad Exod.* 35. ex *Isidoro Pelusiotâ* (Quis liber sit & quota epistola, non indicat, nec in *epistolâ ad Euoptium*, quæ citatur, quid quam comparet) refert Judæum navigantem, noluisse clavum regere. Refert ibidem *Rivetus* alium quem ejusdem cœcitatis noluisse ex cloacâ, in quam die sabbathi inciderat extrahi: ex *Volaterrano*, quo aut quoto libro non additur. Certus mihi autor *Munsterus in scholiis ad Mattheum Hebraicum ad cap.* 12. & *Hospinianus p.* 12. alicubi in Germaniâ (Magdeburgi) Judæum die sabbathi in foricam incidisse, quem populares eodem die extrahere noluerint: cumque episcopus loci vetuisset die dominico eundem extrahi, tertio demum die, qui erat lunæ, miserum hominem inde liberatum fuisse. Vah stolidam & crassam hypocrysin! genio indulgere, cuticulam curare licebit: opera misericordiæ, & quidem in tantâ necessitate præstare non licebit. Vide quæ de Essenorum stupendis hâc in parte superstitionibus narrat *Fl. Iosephus*, *lib.* 2. *de Bello Iud. cap.* 7. *&c.* & ex eo enotant recentiores, post alios omnes plenè *Scultetus in Exercit. ad Evangelistas lib.* 1. *capp.* 28-34. Nec hodie cœca gens à majorum vestigiis recedit. Memini cum scriptis suis in Belgio non ignotus *R. Menasse ben Israel* Judæorum Amstelodamensium concionator ante annos aliquot diem sabbathicum tanquam vacivum (uti ipse nobis referebat) excursioni ad varia loca & salutandis variis amicis ac fautoribus destinasset, ac pro virili impenderet, atque unà Ultrajectum inviseret, & in colloquium mecum in ædibus nobilis. & eruditis. viri, quò istâ occasione accersebar, incidisset, comma aliquod ex bibliis Hebraicis (de cujus scribendi modo mentio injecta erat) de scribere gravatum fuisse. Cum enim antea nobis sponte obtulisset modi illius scribendi ostensionem, & chartæ postulatæ jam calamum manu prehensum imposituras esset, ilico manum retrahebat, dicens, se recordari nunc esse sabbathum, quo opus nullum, consequenter nec hoc opus scriptionis faciendum esset.

DE SABBATHO ET FESTIS
PARS ALTERA.

Resp. JACOBO HOVIO, Twilcha-Batav.

Ad diem 14. *Aprilis* 1638.

1 PRobl. IV. An satis accuratè loquantur, qui dicunt liberè & propter scandalum tantum, Christianos cessare ab opere & labore servili. *Resp. Neg* Nam tum sabbathi nulla apud nos esset conscientia, non magis quam esus carnis in macello venditæ 1 *Corinth.* 10. *v.* 25. *Deinde*, sequeretur ad observationem alicujus præcepti decalogo præscripti nos non teneri propter conscientiam nostram, sed tantum propter conscientiam alterius. *Tertio*, deberent ergo illi, qui ita sentiunt, apertè ex suis hypothesibus omnibus persuadere, ne religiosè sabbathum aliquod hebdomadale & quidem totum diem observent, ut ita libertatem suam tueantur & omnem speciem Judaismi fugiant. Atqui contrarium faciunt; & contrarium clamant perpetuæ ac infinitæ fere querelæ de profanatione sabbathi; nec non quam plurima synodorum gravamina ac decreta, de implorandâ ope Magistratuum ad cöercendas speciales & multimodas qualq; profanationes. Quid si Magistratus ex hypothesi opinionis antisabbathicæ, responderet, sanctificationem sabbathi hebdomadalis esse in se adiaphorum, & querelas ac petitiones synodorum incurrere in libertatem Christianam & subditorum ac Judaizare? Quid si ad exemplum regum Britanniæ Jacobi & Caroli edicta pro publicis choreis, aliisque recreationibus sabbathicis in Belgio nostro sub papatu & postea aliquamdiu usitatis promulgarent? Quid regererent hujus & affinium opinionum sequaces? v. An dies dominicus sit delectus præ aliis; quod characterizatus esset beneficio resurrectionis Christi; & ideo institutus ab apostolis ut celebraretur tanquam signum memoriale ejusdem resurrectionis? *Resp.* Sic quidem Patres non pauci & ex recentioribus complures qui illos sequuntur. Ut ingenuè dicam, quod sentio, velim audire scripturas & rationes. Fateor quidem illo die Christum resurrexisse, & multa alia memorabilia à Deo gesta, quæ vulgo enumerantur (Vide *Ludov. Baylly praxin pietatis*) sed inde non sequitur fuisse illa divinitus coordinata tanquam signa & signata, ut gesta istius diei sub V. T. typicè designarint diem nostrum dominicum, aut dies dominicus esset signum memoriale quo peculiariter ex instituto sive divino sive

no sive ecclesiastico repræsentari debeat Resurrectio Christi ; nam tum esset sacramentum, ut cœna domini signum memorativum mortis Christi, aut saltem aliquod sacramentale. *Deinde*, sequeretur posse plures ejusmodi dies memoriales & horas cultui divino hebdomadatim consecrari ut ex.gr. in memoriam mortis, ascensionis &c. *Tertio*, Videtur enervari argumentum nostrorum contra Festa Pontificia, & horas canonicas : Omni tempore beneficia per Christum collata esse recordanda ; consequenter certis horis aut diebus recordationem illam non affigendam. *Denique*, tum sequeretur diem dominicum esse festum N. T. proprie dictum, & diem lætitiæ יום טוב atque adeo nunquam luctum seu jejunium publicum in illum posse incidere. De quo quæst. proximè sequenti. Has considerationes meas candidè impartio : ut res hæc penitius, & ἀκριβέστερον examinetur. Nam si inter probabilia aut conjecturalia tantum numerari queat, non puto concionibus & libellis practicis plebi Christianæ ita proponendum, ac si fidei & pietatis Christianæ indubitatum axioma esset. VI. An rectè in antiquâ ecclesiâ omnibus dominicis, aut iis quæ à Pascha usque ad Penecosten jejunium & adoratio de geniculis prohibita sit, & injunctum, ut Christiani starent capite elevato & læto, non autem curvi & mœsti *Concil. Nicen. cap.* 20. *Tertullian. de Coronâ Militis c.* 3. Et sequitur *Ius Canonicum c. fin. dist.* 30. *& c. scire dist.* 76. etiam hodierni Pontificii, ut videre est apud *Ioh. Baptist. Vivianum in Rationali Iuris canonici lib.* 2. *tit.* 9. *cap.* 2. ubi ostendit secundum Jus canonicum solennem genuflexionem tantum prohiberi ; & excipi devotionem in secreto, elevationem corporis domini, ordinationem clerici vel Episcopi. *Resp. Neg.* 1. Ubi enim Deus præsenti aliquâ occasione aut necessitate vocat ad planctum & jejunium, non est illud differendum, nec importunè dies lætitiæ substituendus, aut celebrandus. 2. Siquidem beneficium illo die per apotelesma seu opus aliquod mediatoris præstitum (resurrectionem scil.) prohibet jejunium ; tum certè de die Jovis idem esset dicendum ; quia Christus tunc ascenditin cœlos & sedit ad dextram Dei ? Et quid ni de die Veneris, quo mortuus est, idem concludendum esset ? quia etiam in cruce triumphavit *Coloss.* 2. 15. *Pamelius in notis ad Tertullianum de coronâ militis cap.* 3. *§.* 38. morem illum non jejunandi, & de geniculis non adorandi probat insuper ex *Hieronymo ad Lucifer ianos*, quod scripti non esset, sed *rationabilis observatio* eum *sibi vindicaret*. Et ex *Augustino epist.* 119. *ad Ianuar. cap.* 15. *&* 17. Ex *Maximo Taurinense homil.* 1. *de pentecoste*. Ex *Isidoro lib.* 1. *offic. eccles. cap.* 33. Ex *Rabano Mauro lib.* 2. *de instit. cleric. cap.* 42. Atque hinc haut obscurè inferre conatur traditiones apostolicas. VII. An sabbathum Judaicum dici debeat verum

ac ordinarium ecclesiæ Israeliticæ sacramentum? *Resp.* Sic statuit Cl. *Gomarus tract. de Sabbatho p.* 30. Quod si sacramenti vocem late accipias, ex hypothesi sententiæ ipsius (quæ sabbathum hebdomadale facit ceremoniale & typicum) non minus dici posset sacramentum, ac sacrificia cum reliquis ceremoniis. Alioquin theologi nostri nulla ordinaria sacramenta agnoscunt præter duo, circumcisionem & pascha. A quibus ipse D. *Gomarus* nunquam discedit in toties repetitis *Disput. de Sacramentis.* Porro opinionem de sacramento sabbathico oppugnat *Amesius in disp. de Sabbatho.* Ubi vide. VIII. An quarto Decalogi Præcepto synechdochicè festa Judaica intelligantur? *Resp.* Ita sentit *D. Gomarus pag.* 33. Sed hâc ratione tota Lex ceremonialis de personis, locis, rebus, & actionibus sacris pariter sub hoc aut alio aliquo Præcepto synecdochicè intelligenda esset. Quod tamen non sine distinctionis cautelâ accipiendum; ne distinctionem legis moralis à ceremoniali, & perpetuitatem unius atque abolitionem alterius confundamus. *Daneus Ethica Christianæ lib.* 2. *cap.* 10. tantum dicit referri quædam ceremonialia ad hoc Præceptum. *Abarbaneel ad Iesa.* 58. exponens illud וקראת לשבת ענג non tantum de Sabbatho, sed etiam de reliquis מועדים solennitatibus Jehovæ; refert aliquos Doctores putare verbis illis Decalogi, *memento diei Sabbathi*, universim comprehendi omnes dies solennes Jehovæ. IX. An cultus institutus ceremonialis, potius ad secundum Præceptum cum *Calvino*, an verò ad quartum cum *Daneo* sit referendus. *Resp. pr. Affi.* X. An Sabbathum hebdomadale sit juris divini naturalis, an verò positivi? *Resp. Distinguo.* Si jus divinum naturale accipias quod ad Deum absolutè *Nego.* Sin quod ad hominem, dici potest esse utriusque: *naturalis*, quia ante lapsum cum imagine Dei in homine (quæ erat naturalis) inditum & præfixum fuit: *positivi*, quia post lapsum ob amissam omnem imaginem Dei, omnemque mentis & voluntatis aptitudinem circa supernaturalia, positivâ supernaturali revelatione denuo præfixum fuit. XI. An si dicatur esse juris divini positivi, defendi possit ejus moralitas? *Resp.* Quidni? applicetur hic solum distinctio, quæ ex antiquissimo Scholastico *Alexandro Alex.* adferri solet: Morale est vel naturæ, vel disciplinæ. Illud est, quod tempus aliquod cultui divino datur. Illud est, quod unus ex septem diebus, De sacramentis Novi Testamenti, si quis quærat, an sint juris divini naturalis, an verò positivi? an sint morale quid? & si sint, an morale naturæ, an disciplinæ? An non facilè responderi posset evolutis terminorum istorum distinctionibus: quorum ambiguitate, & variâ apud Autores acceptione in his aliisque quæstionibus falluntur aut fallunt nonnulli. XII. An qui Sabbathi hebdomadalis moralitatem negant,

gant, absque contradictione aut tacito aliquo moralis necessitatis sensu determinare possint certum & sufficiens tempus nobis Christianis esse unum diem ex septem, atque adeo nos astrictos esse ad imitationem Dei, qui in V. T. constituit diem septimum: Sic *Daneus loc. cit. Resp. Neg.* Nam hâc ratione non retinent tantum quartum Præceptum *quod ad genus*, (ut tempus aliquod scil. deputetur cultui divino) sed in specie & definitè quod ad eandem illam temporis proportionem ac partitionem. Certè ex hypothesibus ipsorum debebat potius urgeri, ut à ceremoniali & typicâ temporis partitione quam longissimè recedant Christiani; ne vel minimâ specie videantur in eandem temporis determinationem cum Judæis incidere: haut aliter ac ex omnibus diebus liberè eligentes (ex ipsorum sententiâ) præterirent saltem diem Saturni, ut à Synagogâ diffiderent. Idem facerent in partitione & designatione dierum eucharisticorum, siquidem tales instituerent per quatuor anni partes: ne vel minimâ specie Judæorum neomenias revocare viderentur. XIII. An Ebionei, Cerinthiani, aliique Sabbatharii convinci possint de translatione Sabbathi, siquidem locus *Coloss.* 2. 16. 17. non accipiatur de Sabbatho hebdomadali Judæorum in diem ultimum septimanæ incidente. *Resp. Affi.* Restat enim argumentum ab exemplo & praxi Apostolicâ, qui alium diem solemniter cœperunt observare, & ita docuerunt Ecclesias 1. *Corinth.* 16. Quamvis fateamur fortius convictum iri Sabbatharios, siquidem certâ aliquâ & irrefragabili ratione cogi possent ad talem textus istius expositionem. Sed an hoc fieri possit, supra diximus. XIV. An qui sentiunt diem Dominicum esse liberæ & merè humanę constitutionis, conformiter hypothesibus suis negare possint, diem illum esse mutandum, & eo nomine contendere cum Anabaptistis. *Resp. Neg.* Immo contra deberent urgere, ut non tantum Ecclesiæ publicâ professione & protestatione hanc libertatem suam, sed & ipso facto asserent: ne vel minimam suspicionem in animis hominum relinquant de diei hujus secundum jus divinum perpetuitate. Quod si quis prætendat antiquitatem observationis jam inde ab Apostolorum temporibus, hoc non sufficit ad veritatem aut juris divini necessitatem, aut Ecclesiasticæ observationis perpetuitatem. Antiqua sunt agapæ, 1. *Corinth.* 11. cum *Judæ vers.* 12. diaconissę, 1. *Timoth.* 5. immersio in Baptismo, *Actor.* 8. cum *Rom.* 6. osculum pacis, 2 *Cor.* 13. *vers.* 12. ordo & modus prophetandi, 1. *Cor.* 14. quæ tamen mordicus retinenda, & observanda ab omnibus Ecclesiis non dicent illi, qui diem Dominicum humanæ consuetudini atque instituto attribuunt. Ad hæc non sunt tam recentia, Festum Paschæ, natales Martyrum, Apocryphorum lectio in Ecclesiâ, Episcopatus humanus, signum

gnum Crucis, aliaque antiquæ Ecclesiæ institutа; Quæ tamen nostri non retinuerunt; his ducti rationibus; Quod unius sæculi aut loci Ecclesiæ (in Imperio scil. Romano: hoc enim est τὸ jactatum Oecumenicum & Catholicum) suâ constitutione aut consuetudine circa adiaphora (ἢ συγχώρησιν loquar) aliis omnibus Ecclesiis usquè ad finem mundi legem non figant: & quod periculum aut damnum majus emergens, quam bonum ædificationis exspectandum, revocare nos debeat ad primævam simplicitatem Apostolicam. XV. An Christus toto vitæ tempore secundum humanam naturam subjectus fuerit observationi Sabbathi, & an unquam illud profanârit, ut quidem calumniabantur Judæi, *Matth.* 12. *Luc.* 13. *Iohann.* 5. *Resp. Pr. Aff.* ex *Galat.* 4. 4. *Neg. post.* ex locis jam cit. ubi à crimine illo objecto se purgat. Quod autem quidam objiciunt ex *Matth.* 12 filium hominis esse dominum Sabbathi; intelligendum est secundum divinam naturam coll. cum *Iohannis* 5. Estque in hâc phrasi, κύριος ἰδιωμάτων ut *Iohann.* 13. 13. *Actor.* 20. 28. XVI. An ratio consecrati potius septimi, quam tertii aut alterius diei rectè assignetur, quia numerus septenarius perfectissimus. *Resp.* Sic quidem, ut Cabalistas omittam, philosophantur ex Patribus, Pontificiis, immo & nostris nonnulli; inter quos *Danæus loc. citat.* & *Baylius in Praxi pietatis.* Quin & *Calvinus in Cateches. in explicatione quarti Præcepti.* Nos putamus nullam rationem assignari posse aut debere præter voluntatem Dei. Adhæc speculationem illam de mysteriis numerorum sapere quid Cabalisticum & Platonicum. Nam quod *Danæus* & *Patres* ab illo *citati*, prætendunt in Scripturis septenarium notare perfectionem, & rebus maximis ac pulcherrimis tribui, id excellenti in & mysterium hujus numeri præ aliis non evincit. Rationes sunt 1. *Quia* synechdochicè numerus definitus ponitur pro indefinito, quomodo & denarius, *Apocal.* 2. 10. 2. *Quia* quod rebus pulcherrimis tribuitur hoc totum est per accidens, nec ullum facit mysterium: *tum* quod & alii numeri rebus pulcherrimis tribuantur, ut monas, quaternarius, quinarius, senarius, octonarius, denarius, duodenarius, de quibus *Brougthonus in libro de Locis, Temporibus, & Personis sacris.* Binarium extollit *Syracides cap.* 42. 25. & 33. 15. de quo *Valesius sacræ Phil. c.* 76. & *A Lapide in Comment.* Confer & *Bongum de Mysteriis numerorum.* De *ternario* vide in supernaturalibus Sacram Scripturam, in naturalibus & artificialibus elegans *Poëma Ausonii*; in utrisque *Bongum de Mysteriis numerorum*: *tum* quod idem hic septenarius in Scripturâ æque tribuatur rebus vilibus, imo & pessimis, *Luc.* 8. 2. & 11. 26. *Actor.* 19. 14. *Apocal.* 12. 3. & 17. 3. 7. ubi septem dæmonia, septem capita draconis & bestiæ. Adde septem nationes

nes Canaan. 3. 1 *Quia* naturalis perfectio numeri numerantis seu abstracte secundum abstractionem Mathematicam considerati nullam consequentiam facit ad rei numeratæ sacram & mysticam perfectionem: non magis quam perfectio circuli aut alterius figuræ omnimodam aut naturalem mysticam perfectionem infert rerum illâ figurâ prœditarum. 4. Præterquam quod senarius Mathematicè dicitur perfectus; & primus perfectorum, de quo *Augustinus de Civitate Dei lib* 11. *cap.* 30. Quare ergo sextus dies non est consecratus? Sed de Numeri nullâ efficaci, sive ad operationem, sive ad mysticam significationem pluribus supra *disp. de Superstitione.* XVII. An quia rationibus à creatione mundi & liberatione Ægyptiacâ desumptis *Exod.* 20. 10. *Deuter.* 5. 15. suadetur observatio Sabbathi, inde solidè concludi possit. Sabbathum à Deo peculiariter institutum ad mysticam istorum significationem & commemorationem. *Resp.* Ita sentit *Maymonides more Nebuchim part.* 3. *cap.* 31. Adde *Ioseph Album in libro Ikkarim, R. Isacum Arama, aliosque cit.* à *R. Menasse ben Israel Conciliat. in Exod. qu.* 37. Ex nostris nonnulli idem fere asserunt, qui & tertiam rationem addunt; ut sit *signum*, salutaris fœderis. Ego fateor me non satis videre demonstratam relationem finis ac destinati seu peculiaris medii, & signi seu sacramenti ac signati. Sabbatho tam Judaico quam nostro promiscuè omnia Dei & attributa, & opera, tam judicia quam beneficia, & promissiones & præcepta, cognoscenda, ac meditanda (ut constat ex *Psal.* 92.) ex quibus variæ rationes desumi possunt, quibus ad Dei cultum & Sabbathi observationem commovemur. e. gr. Vos Israëlitæ ne profanate Sabbathum, sed diligenter illud observate; Ratio gemina est, Deus vos in captivitatem Babylonicam detrusit, & inde rursum liberavit: quæ ratio colligitur ex *Ezra.* 9. 7. 9. *Nehem.* 9. 30. 31. coll. cum *cap.* 10. 31. & *cap.* 13. 17. 18. immo etiam exsertè allusio fit ad Sabbathizationem, hoc est, desolationem terræ ipsorum. 2. *Paralip.* 36. 21. Sed quis hinc fabricet Sabbathum fuisse peculiare signum & typum destinatum à Deo ad recordationem & adumbrationem quietis terræ durante captivitate, & liberationis populi ex eâdem. Similiter motivæ desumptæ fuerunt à judiciis & beneficiis divinis erga populum sub judicibus; ex quibus si quis Sabbathi signata, atque antitypa similiter accumulet, quis tandem finis esset? Si quis instet, peculiariter huic Præcepto has rationes adjungi. *Resp. Primo*, hoc negatur: quia ad quævis alia Præcepta compelluntur Israëlitæ, commemoratione liberationis ex Ægypto. *Iudic.* 2. 1. & 6. 8. *Ierem.* 2. 6. *Mich.* 6. 4. 8. *Deinde*, commemoratio creationis, omnium rationum, omnis Præcepti, omnis obedientiæ, primum & generale motivum est; sicuti creatio est omnis obedientiæ nostræ Deo debitæ conditio sine quâ non, seu præsuppositum requisitum.

quisitum. Nisi enim Deus hominem creasset, ad obedientiam obligari, nec Deus eam ab illo petere, ut nec ipse eandem præstare potuisset: cum non entis nulla sit affectio. Quia enim Deus creavit nos, ideo tenemur ei tanquam authori & Domino omnium obedire, in quovis Præcepto tam secundæ, quam primæ tabulę. *Actor.* 17. 23. 24. *Deuter.* 32. 18. *Eccles.* 12. 1. *Malach.* 2. 10. *Iesa.* 45. 18. *Tertio*, Signum si diceretur præ omnibus aliis Præceptis, non tamen sequeretur esse signum mysticum, & quidem typicum. Qui enim absque aliâ probatione hoc inde eliciunt, fallaciam committunt non caulę. Signum dicitur, quia Dei cultum indicat in populo aliquo tanquam indicium, signum ἀπαγγελτικὸν, signum significans, nota, χριτήριον, signum ἀπαρτικὸν, signum dijudicans, distinctivum, gnorisma, ἔνδειξις. Quomodo eundem indicant, & synechdochicè notant in Scripturis juramentum, invocatio Dei, Benedictio, *Iesa.* 45. 23. & 65. 16. *Ierem.* 12. 16. Quæ tamen nemo facit fœderis divini sacramenta aut signa mystica, aut typos. Adde, quod caritas dicitur signum communionis nostræ cum Christo, *Iohann.* 13. 35. & auditio verbi signum regenerationis, *Iohann.* 10. 16. & 8. 47. & afflictio propter nomen Christi signum salutis, & sanctificationis spiritus, *Philipp.* 1. 28. 1. *Petr.* 4. 14. Et octo illa *Matth.* 8. sunt signa beatitudinis; & alia compluria in Scripturis, quæ ex Scripturis tanquam signa produci solent à Theologis practicis in Semioticâ spirituali. *Instant.* 2. Atqui temporis partitio inter creationem & quietem huic Præcepto tantum convenit? *Resp.* 1. Sic est; & hinc sequitur rationem inde tanquam ab exemplo divino adferri pro proportionali temporis nostri divisione. Sed aliud est creatio, aliud tempus creationis. Creatio generaliter facit rationem obedientiæ omnibus Dei præceptis debitæ, tempus creationis est specialiter exemplum Sabbathi hebdomadalis. XVIII. An quælibet profanatio Sabbathi capitali supplicio punienda, juxta *Exod.* 31. 15. & 35. *vers.* 2. *Numer.* 15. 32. 33. 34. *Resp. Neg.* Quia Lex Forensis Mosaica quà talis, seu in specie & in formâ non obligat Respublicas Christianas, non magis quam Jus Romanum Anglos, aut leges Anglicanæ Imperium Germanicum. In genere & secundum analogiam saltem inde docentur Magistratus, debitis pœnis ut quævis delicta, sic & profanationem Sabbathi serio & prudenter coërcere. Hinc hodie pœna est arbitraria *Menoch. lib.* 1. *arb. quæst.* 30. *juxta L. ult. C. de Feriis.* Atque hæc moderatio & ἐπιείκεια, docetur *Nehem.* 13. *vers.* 15. 21. Et ex hâc determinatione de pœnâ profanati Sabbathi, aliisque suppliciis in formâ & specie Lege Forensi Mosis, aut speciali oraculo Dei sancitis, puto patere quid statuendum sit de opinione *Piscatoris in Præfat. ad Commentar. in Leviticum, Maccovii*

covii in Collegio dispp. quâ statuitur Magistratui Christiano servandas esse sanctiones Mosaicas in suppliciis capitalibus. XIX. Quæ ratio solida adferri possit, cur exemplum Apostolorum in observatione primæ diei hebdomadis Christianas omnes Ecclesias obliget, ut & in electione Ministrorum, in ordine Seniorum, Diaconorum, Doctorum, &c. & eorundem exemplum in Agapis, Osculo sancto, Diaconissis, immersione in Baptismo, modo Prophetandi, 1. *Corinth.* 14. non obliget? *Resp.* Nos putamus hanc esse differentiam, quod hæc non quibusvis Ecclesiis, sed his aut illis sub Cruce, illo tempore, tali in Gente, & loco, tali numero Auditorum conveniant: illa verò omnibus convenire possint. Confer *Politic. Ecclesiastic. titt. de Canonibus & de Ritibus.*

Sequuntur Problemata magis moralia, & casus conscientiæ. Nolumus hic repetere quæ à *Perkinso in explicatione Decalogi, & in Casibus conscientiæ, Balduino lib.* 2. *cap.* 13. & ab *Amesio Casuum conscientiæ lib.* 4. *cap.* 33. & *VVilhelmo Teellingio Necessar. demonstrat. in Prolegom. & lib.* 4. *cap.* 4. & *lib.* 5. *cap.* 12. *ad quartum Decalogi Præceptum, & tract. peculiari de sanctificatione Sabbathi,* dicta sunt. Tantum spicilegium hoc ad uberiorem declarationem subjicimus. Quæritur ergo 1. An homines literati ordinariis studiis circa prophanos Authores aut scientias, & pragmatici Forenses suis negotiis curandis magis profanent Sabbathum, quam Agricolæ, Mechanici, &c. *Resp. Aff.* Quia ipsorum operæ mentem hominis à rerum divinarum meditatione longius abducunt: cum contra Mechanicæ aliquid lectionis, saltem meditationis, auditionis, collationis, tacitæ & solitariæ precationis, sociæ aut solitariæ psalmodiæ permittant. Rejicimus ergo laxam Theologiam *Toleti lib.* 4. *cap.* 24. *Navarri Manual. cap.* 13. *n.* 12. Cajetani ad 22. qu. 122. art. 4. quæ statuit Advocato licitum esse *studere super lites, & quæ studet scribere, & informare judices scripto.* Præterea licitum esse *studere; legere publicè, disputare, & quidem propter pecuniam.* Rationem hanc addit: *quia ista sunt animi opera.* Paulo post sibi contradicens *pag.* 636. peccati & quidem gravis arguit Notarios qui scribunt, aut transcribunt, aut implent chartas, quas reliquis diebus in brevi notârunt. Confer quę supra ex *Rebuffo de privilegiis Studiosorum* enotavimus. 11. An magis profanetur Sabbathum exercitiis & recreationibus, sive animi, sive corporis, imprimis saltationibus, lusibus aleæ, aut aliis ludis quibuscunque sortis abusum implicantibus (de quibus alibi disquiritur, an sint licita), an verò ordinariis operibus vocationis? *Resp. Aff. pr.* Quia ista sunt primo & per se ad vitam humanam & bonum publicum necessaria: illa verò non. Hinc tritum illud sub Augustini nomine libr. de 10. chordis: *melius esse lanam facere, quam saltare.*

Audi & Chrysostomum de Eleemosynis in 1. Cor. 16. serm. 22. *spirituali honore hunc diem venerari oportet, non convivando, non vinum profundendo, non ebrietati choreisque vacando, &c.* Similia habet *Ephrem Syrus in Homil. de Festis diebus. Gregor. Nyssenus de resurrectione Christi, Orat.* 3. Quod est contra praxin Pontificiorum & multorum ex nostris, qui videntur credere diem hunc esse diem lusus & carnalis ac corporalis recreationis, non exercitiorum pietatis. Imprimis militat contra doctrinam Pontificiam, quæ hos lusus eximit ex numero operum servilium, & consequenter facit Sabbathicos. Audi *Toletum loc. cit.* qui vult exercitia communia tam potentioribus quam ignobilibus, dominis & famulis esse licita, ut iter facere, venari, saltare, uti instrumentis Musicis. Addit tamen: *cum venatio & iter ex officio fit, ex se non licet, ut dicit* Sylvest. *verb. venatio; & tamen consuetudo jam obtinet ista non esse illicita, & ita tenet* Navarrus loc. cit. *quamvis pecunia fiant. Licita etiam sunt exercitia artium quarundam: ut gladiandi, saltandi, pulsandi instrumenta, licet pecunia fiat.* Itaque quicunque Musicam vocalem aut instrumentalem, adhæc artes sagittandi, gladiandi, saltandi vulgò docent à Sabbathi observatione exempti sunt: quasi scilicet opera ipsorum non sint servilia & ordinariæ vocationis. III. An Mercatus magis impediat sanctificationem Sabbathi, quam suere, arare, & alia mechanica. *Resp. Toletus loc. cit. Poster. affirmat*, quia sunt opera servilia quæ ad famulatum pertinent, & quibus homo homini servit: qualia ille putat tantum esse prohibita. *Pr.* autem *negat*; immo contra *Ier.* 17. 21. 22. *Nehem.* 13. 16. 17. & 10. 31. quin ipsum contra *Ius Canonicum cap. de Festis* mercatum ab operibus vetitis eximit, eumque tum universalem, tum particularem, tum anniversarium, tum hebdomadalem licitum facit, modo ne consuetudo alicujus loci contrarium obtinuerit. Rationem hanc adfert: *Quia consuetudo obtinet, esse licitum.* Videtis nunc regulam credulitatis & pietatis Papisticæ. IV. An tanquam opera necessitatis & licita sint omnia illa, quæ Pontificis aut Episcopi licentia concedit, sive expressa, sive virtualis, cum scil. aliqua opera videt & dissimulat? *Resp.* Ita quidem, Pontificii conscientiarum Magistri determinant. Inter alios *Azorius part. 2. lib. 2. cap.* 27. & Toletus loc. cit. & cap. 25. licere *pauperi, qui aliter non potest ali, nisi manuum labore diurno, laborare secrete sine scandalo, licere cuivis carnes vendere, occidere animalia, vendere necessaria illo die ad victum; operari aliqua, cum probabiliter quis pateretur damnum nisi illa opera fierent, & ratione hujus excusantur operarii qui vitrum fundunt, & qui navigant, & qui pastillos coquunt, & similes; in publicis solemnitatibus præparare vias, & construere loca pro spectaculis, quando non possunt fiere nisi in ipso festo; tonsori unum tondere ob aliquam commoditatem, quia illi*

aliter

aliter non vacavit, hoc enim vel nullum est peccatum, aut ad summum veniale; Iudicibus ruralibus uti judicio; addunt *Rodriquez*, *Navarrus*, Victorellus in additionibus ad Toletum: *Sutores diebus festis possunt vendere calceos, præcipuè rusticis, qui aliis diebus ad urbem venire nequeunt, idque ob consuetudinem.* Plura istius farinæ vide apud *Azorium loc. cit.* Et *Zuvarez tom de Religione tract. 1. lib. 2.* Hæc scil. stricta sanctitas Ecclesiæ Romanæ, quam detexisse est refutasse. v. An licita sint judicia & strepitus actionum eò pertinentium, ut Notarii, Advocati, &c. non tantum tanquam specialis misericordiæ opera, aut in præsenti necessitatis casu; sed etiam cum ita consentiunt partes litigantes? *Resp. Affir. pr. Neg. poster.* Ut enim illud optimè convenit, sic hoc repugnat juri divino, *Exod. 20. vers. 10. cum Matth. 12. Luc. 13.* Ecclesiæ Judaicæ, ante Christi adventum, quamvis admodum corruptæ praxin hâc in parte quodammodo indicat decretum Augusti apud Flavium Josephum antiqu. lib. 16. cap. 10. *Ne Iudæi cogerentur ad præstanda vadimonia Sabbathis.* Convenit etiam sanctionibus juris Civilis L. 2. & 3. & 7. 10. C. de Feriis. *Vt in die Dominico emancipare ac manumittere liceat, reliquæ causæ vel lites quiescant.* Et L. 3. *Omnes judices, urbanæque plebes & cunctarum artium officia venerabili die Solis quiescant.* Et L. 7. *Vt nec apud ipsos arbitros à judicibus flagitatos, vel sponte electos, ulla sit cognitio jurgiorum.* Et L. 12. *Vt* Dominicus dies *à cunctis exsecutionibus excusetur, nulla quenquam urgeat admonitio, nulla fide jussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio deliteſcat, sit ille dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox sileat, respirent à controversiis litigantes.* Ibidem paulò post: *nihil eodem die sibi vindicet scena theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum lachrymosa spectacula, &c.* Vide similia in *Iure Canonico tit. de Feriis.* Rationem hanc non malè allegat *Baptista Vivianus in Rational. lib. 2. tit. 9. cap. 5.* Quia feriæ non sunt principaliter introductæ in favorem partium litigantium, sed in honorem Dei & in publicam quietem, *c. licet de Feriis.* Casus autem misericordiæ & necessitatis his versibus comprehendit *Glossa in verbo Pietas*, & citatur à *Viviano loc. cit.* & Azorio part. 2. lib. 2. cap. 27.

Hoc faciunt causæ festis tractare diebus:
Pax, scelus admissum, manumissio, res peritura,
Terminus exspirans, mora festis abesse volentis.
Cumque potestatis patriæ jus filius exit.

VI. An liceat exigere & præstare juramentum? *Resp.* Strictè id negant *Canonistæ* & *Casuistæ Pontificii*, & cum iis recentiores *Toletus* & *Azorius loc. cit.* idque secundum *c. omnes de Feriis*: ubi Glossa tamen excipit hos casus:

Pax, & fama, fides, reverentia, cautio damni,
Defectus veri, sibi poscunt magna caveri.

Quin immo *Speculator*, *Iohannes Andreas*, *Panormitanus ad cap. cit.* (quos sequitur *Azorius*) juramentum die non feriato à testibus exigi, & examen ac testimonium ipso feriato die perfici posse concedunt: (quod tamen inter ipsorum JCCtos improbat *Diodorus Tuldenus* J. C. Lovaniensis *ad tit. C. de Feriis*) & sic valere hanc testimonii dictionem, quia scil. retrahitur ad diem non feriatum, in quo delatum est jusjurandum. Non video tamen, cur nuda juramenti præstatio absque omni alio negotiorum, causarum sæcularium, pragmatiæ & fori contentiosi strepitu antecedente aut consequente non sit licita, etiam extra præcisæ necessitatis casum. Idem judicium fiat de reconciliatione fraternâ dissidentium in se spectata (hoc est, quatenus pietatem in Deum & caritatem, benevolentiam, clementiam in proximum respicit); si modo ante absoluta fuerit, aut in alium diem rejiciatur operosa occasionum offensionis disquisitio, & super sæcularibus negotiis transactio. Mirari subit Pontificiorum hâc in parte vertiginem aut Pharisæo-Judaicæ similem hypocrisin, quod cum tot tantosque camelos deglutiant, culicem hunc excolent: examen testium, laborem Advocatorum, immo & saltandi, gladiandi, &c. permittendo, actum autem Religionis (qualem faciunt juramentum ad 22. q. 89. a. 4.) prohibendo. VII. An liceat serere, arare, metere. *Resp. Neg.* ex quarto Præcepto, coll. cum *Exod.* 34. 21. Contra Pontificii Casuistæ operas rusticas concedunt, & ex nostris *Danæus* (quem hodie nonnulli sequuntur) qui excipit Judæis prohibitas fuisse, Christianis concessas, adductâ lege Constantini L. omnes C. de Feriis, ubi hæc verba: *Ruri tamen positi agrorum culturæ, liberè licenterque inserviant: quoniam frequenter evenit, ut non alio die aptius frumenta sulcis & vineæ scrobibus commendentur, & ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa.* Sed non possum hic eximio Theologo accedere. *Primò*, quia lex hæc nullâ ratione nititur, ut bene notat *constitutio Leonis* 54 per quam legem Constantini meritò castigari & aboleri vult, ex Jureconsultis, *Henricus Salmuthus* ad *Pancirollæ novè reperta*, *tit.* 20. & ex Theologis, *Zepperus in Explanat. Legum Mosaicarum*, *lib.* 4. *cap.* 9. ubi tamen nimium fortè videtur tribuere Constitutionibus illis, quippe quorum in Jure Civili tanta non sit autoritas. Quidquid sit de autoritate apud JCCtos, certum est consulto magis conditam illam constitutionem Leonis quam Constantini. Nam 1. substernitur huic fundamentum fallum, *frequenter scil. evenire; ut non alio die, &c.* 2. Lex extendit indultum ultra casum necessitatis, qui solus rationem facit legis. Universaliter enim concedit

cedit operis rusticis quamvis licentiam, quia aliquando operæ illæ sunt necessariæ: cur non pari jure concedit promiscuè licentiam omnibus mechanicis, judicibus & pragmaticis, quia *frequenter evenit, ut non alio die, &c.* 3. Lex extendit hanc licentiam ad qualvis operas rusticorum, quales e. gr. cedere ligna, putare & plantare arbores, stercorare agros, occare, arare, fossas ducere, triturare, cribrare: quum tamen casus præcisæ necessitatis in illis ita locum non habeat, ac in semente & messe. 4. Hinc sequeretur toto anno, saltem majore anni parte (vere, æstate, autumno) vix ullum fore Sabbathum agricolis: & divinam providentiam ac legislationem imprudenter spiritualia & temporalia temperasse. Venationes, capturæ piscium & avium, curæ apum, messes hordei, tritici, piforum, fabarum, &c. curę sylvarum cæduarum, aggerum, fossarum, purgationes vinearum, vindemiæ, cura lupi salictarii, cannabis, cespitum, partim alia aliis succedentia, partim simul euntia omnes anni tempestates occupant: exceptis tantum, immo vix mensibus hybernis. Si homines, quos una aliqua cura tangit, propterea dispensare queant; quidni alii in aliis, in curis quisque suis. *Secundò*, Quod *Daneus* dicit Judæis hoc interdictum non Christianis, gratis dicitur. Aut enim est opus necessitatis præsentis, aut non est. Si illud, jam Judæis fuit licitum, (ex *Matth.* 12. *Luc.* 6. & 13.) æque ac Christianis, ne scil. occasione momenti periret commoditas cœlesti provisione concessa. Non minus enim (si non magis) attendere debebant frumento ac gregibus suis: Sin hoc, jam nec Christianis licet: ne toto anno metuentes tempestatem, in fidem, spem, pietatem & devotionem peccent. *Tertiò*, intelligendum autem hic esse casum necessitatis (quamvis in conclusione legis plus sit quam in præmissis), ut observavit Baldus: *Opera*, inquit, *tamen ruralia ex necessitate possunt explicari.* Quando autem sit talis necessitas, præhabito consilio Theologorum à Magistratu ritè determinari deberet; ut monent *Theologi practici* modo à nobis *cit.* *Quartò*, Musteum illud commentum, à nonnullis nuper in gratiam profanationis Sabbathi proditum, quod statuit Judæis factam peculiarem promissionem, non fore pluviam in messe, *Levit.* 26. 4. 5. 1. *Samuel.* 12. 17. 18. *Amos.* 4. 7. Christianis non factam; & consequenter illis arationem, sementem, messem interdictam, Christianis minime: id, inquam, nemini fiet verisimile, qui modo textus citatos inspexerit ac Commentatores antiquos ac recentiores consuluerit. Confectar. *Pessimus ille mos est in Papatu olim introductus, & hodie alicubi in Belgio forte nondum abolitus, saltem multis annis post stabilitam Ecclesiarum istarum reformationem servatus usque ad annum* 1619. *& ultra, quo rari in messe mensis unius aut duorum feriæ ab omni observatione Sabbathi & publico religionis*

gionis exercitio conceduntur, tum Pastoribus, tum Auditorebus. VIII. An liceat piscari, venari, &c. *Resp. Affl. Casuistæ Pontificii* à nobis *cit.* nec videtur abnuere *Danæus. Instit. de Festis Extravag. cap.* 1. conceditur captura halecum, modo partem dent pauperibus. Rationes adferuntur, quia certo anni tempore tantum capiuntur, & quia ad victum ea res pertinet. Nos contra thesin cum utrâque ratiunculâ improbamus. 1. Quia quidquid esset de capturâ halecum (de quâ fortè alibi), non valet tamen consequentia ad quamcunque aliam piscationem, nedum ad quamcunque venationem. 2. Sequeretur providentiam divinam malè dispensasse tempora, & inter necessitates animæ ac corporis distribuisse: siquidem nulla aut paucula atque incerta admodum essent Sabbatha Piscatoribus & Venatoribus. 3. Etiamsi certo anni tempore capiantur haleces, non tamen cardo istius negotii vertitur in diebus Dominicis. Tantum halecum Deo benedicente possunt capere mensibus aut hebdomadibus aliquot, quantum sufficerit animo suâ sorte contento, 1. *Timoth.* 6. IX. An lautiora & diversi generis fercula prandio, item convivia sumptuosa & operosa, inprimis nuptialia, eidem prandio, aut etiam Cœnæ Dominicali conveniant? *Resp. Neg.* utrumque contra hypocrisin Judaicam, palati deliciis & cupediis sabbathizantem; etiam contra Christianos quosdam, nescio quo cacoëthe, Semi-Judaizantes, qui exemplo Samaji senis quotidie comedentes ad honorem Sabbathi selectissima fercula Sabbatho reservant. & Sabbathum cum hodiernis Judæis faciunt voluptatem. De quo vide *Buxdorfii Synagog. cap.* 11. Et *Hospinianum de Festis Judæorum cap.* 3. & *de recordare diei Sabbathi* cum R. Elhasare quem laudat *Menasse ben Israel in Conciliatore in Exodum qu.* 26. *R. Sel. Iarchi in Exodum* 20. 7. exponi שאם נזמן לך חפץ יפה תהא מזמינו לשבת hoc est, ut Doctores suos exponit R. Menasse, *Si medio hebdomadis exquisitiorem cibum paraverit, ut eum servet ad honorandum Sabbathum.* Supra indicavimus *R. David Kimchi, locum Iesaiæ* 58. *vers.* 13. huc torquentem. Quo verecundior est *Don Abarbaneel in Commentar. ad loc. cit.* qui de oblectatione in bonis operibus exponit, & non de corporalibus deliciis. Atque hâc ratione miseri Judæi religiosius scilicet observant Sabbathum quam Christiani, ut quidem gloriatur *R. Menasse pag.* 155. Ratio prioris partis assertionis nostræ est, quia homines ut plurimum ineptos se reddunt ad exercitia, tum publica, tum privata, alacriter peragenda. Ratio posterioris est, quia matresfamilias, coqui, servi, ancillæ, aliique à publicis sacris & meditatione rerum divinarum abducuntur, dum culinariis ita intenti sunt: (quæ ratio etiam allegatur à *Zeppero Polit. Eccles. lib.* 1. *cap.* 15. *pag.* 184. & *Balduino cap.* 13. *cas.* 8.) Ne quid dicam de nonnullis,

si non

si non plerisque, invitatis, quibus devotio excutitur dum moliuntur, dum comuntur, dum dentes & ventrem parant. Hinc rectè Daneus prohibet *voluptatibus indulgere, popinis adesse, theatra frequentare, spectacula edere.* Et *Synodus Dordracena anno* 1574. *art.* 81. confirmationem matrimonii eo die mallet non fieri; & celebris Synodus anno 1619. nomine omnium Ecclesiarum petiit ab Illustr. ac præpotent DD. Ord. Belgii, ut prohiberentur *gravissimæ profanationes per nundinas, encænia, convivia communitatum, vigilum, viciniarum, nuptiarum; per exercitia armorum; per venationes, piscationes, aucupia, lusum pilæ; per histrionicas comœdiarum actiones; per tripudia, auctiones bonorum, compotationes.* In Canonibus Ecclesiasticis Ecclesiarum Hungaricarum anno 1642. Varadini editis, can. 59. statuitur, *Non esse permittendam nuptiarum celebrationem*: omnia imprimis huic otioso scil. diei in Papatu putantur convenire; obstetricantibus carni, mundo, & pravæ consuetudini Casuistis eorum: ut videre est apud *Toletum* & *Azorium cap.* 27. & 28. & *Scholasticos ad* 22. *qu.* 122. x. An quia Sabbathum ex nostrâ sententiâ (contra ac Pontificii opinantur) non inchoatur à vesperâ præcedentis diei, aut etiam à mediâ nocte, rectè se præparent ad Sabbathum, qui in multâm noctem, aut usque ad auroram Sabbathi operibus, aut commessationibus, aut lusibus intenti sunt. *Resp. Neg. Quia* non ostendunt se recordari Sabbathi. 2. *Quia* vix possunt mane expergisci, & exercitiis pietatis vacare: quod tamen faciendum docent *Theologi ex Psal.* 92. 1. 2. 3. vide *Kuchlini disput. Catechetic. de Festis*, & *Perkinsi explicat. Decalogi* 3. *Quia* animum & corpus prægravant, & ineptum reddunt ad sanctificationem Sabbathi, per attentam verbi auditionem, Scripturæ lectionem, rerum sacrarum meditationem, orationem, &c. XI. An noctem aut partem ejus, quæ diem Dominicum sequitur, absque profanatione, operis & curis ordinariæ vocationis, aut quibuscunque aliis ad τὰ βιωτικὰ pertinentibus, occupare liceat. *Resp. Aff.* siquidem rationes rei familiaris, aut καίροι, & occasiones, aut ipsa operarum natura hoc suadeat. Quod enim λογικῶς detrahit somno suo, illud nullam sapit Sabbathi profanationem: non magis, quam si partem noctium dierum Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris consequentium. Nox enim illa non est Sabbathum aut pars ejus; nec debitam præparationem & dispositionem Sabbathicam impedit: est enim finitum cum illo die, juxta omnium sententiam, sive illi Sabbathum affirment esse νυχθήμερον, sive negent, sive Christiani sint, sive Judæi. Sed noctis antecedentis aliam esse rationem supra ostendimus; & recta ratio nullam admittit exceptionem; nisi in casu necessitatis, qui etiam in curlu ipsius diei Dominicæ operas serviles concedit. Aut etiam in casu talis complexionis, quæ ἀδυναμίαν &

laborem aliquem fert absque ullâ impotentiâ inde contractâ ad exercitia Sabbathica. Sed hanc pauciſſimis aut fere nullis obtigiſſe arbitror. Mirabilis mihi ante annos complures audita narratio eruditi cujuſdam Medici de viro literato, qui ſtudiis & profeſſioni publicæ ritè vacabat, non obſtante quod toto biennio totalē insomniam paſſus eſſet. Affirmabat ille virum illum ſibi notum fuiſſe, & certum atq; exploratum eſſe, quod retuliſſet. Sed hoc naturæm iraculum fuit. Ut redeam ad noctem poſt Sabbathum, *Aben Ezra in Comment. ad Exod.* 16. meminit multorum (רבים), qui ex verbis *Exod.* 16. *verſ.* 25. colligebant, debere ab hominibus ſervari diem Sabbathi & noctem quæ ſequitur eum (הבא אחריו), non verò noctem quæ præceſſit aut præteriit (שעבר): quod Moſes *verſ. cit.* dixerit בני שבת היום, Qui & quales illi fuerint nescio, nec vacat nunc ulterius inquirere. Ipſe vocat eos חסרי אמונה *deficientes*, aut *infirmos fide*. XII. An liceat vinitoriam exercere tempore autumni? *Reſp. Ianus Cornarius* Concionator, cum viveret Hamelburgicus in *Theologiâ vitis viniferæ*, ab Abrahamo Schulteto anno 1614. Heidelbergæ editâ *lib. 2. cap.* 16. poſt taxatas Sabbathi profanationes, & narratum morem illic loci in uvis vindemiandis, & è vineâ avehendis, in torculari exprimendis, &c. concedit quandam partem diei colligendis & condendis Dei donis tribui poſſe; modo prius auditæ fuerint conciones, peractæ preces, gratiarum actiones, aliaque pia opera, in quibus Sabbathi ſanctificatio principaliter conſiſtit. Ego cenſeo malum illud in viniferis regionibus per tot ſeculorum decurſum ,radicatum, non tam facile exſtirpari poſſe: nolim tamen Theologorum Eccleſiaſticam tolerantiam quaſi lege aliquâ perpetuam eſſe, & ſic verti paulatim in approbationem (uti proh dolor! in quamplurimis caſibus olim in antiquâ Eccleſiâ, & poſtea multò magis in Papatu evenit); aut in aliquam quaſi diſpenſationem de jure, de lege Dei. Iſraëlitis ex culturâ vinearum benedictio divina conceſſa erat: non tamen Sabbatha in tempus vindemiæ incidentia privilegio, aut exemtione, aut diſpenſatione à Præcepto Dei (*non facies ullum opus*) magis gaudebant, quam quævis alia in tempore meſſis, ſementis, collectionis quorumvis fructuum incidentia. Nôrat Deus quid καιρὸς vindemiæ requireret, cum Sabbathum inſtitueret. In illius ſapientiâ tutò acquieſcimus. Certè *Nehemiæ* 13. cum *Ierem.* 17. (quę *Cornarius ibid.* & rectè adducit) torcularium calcatio, & onerum portatio exſertè prohibentur. XIII. An liceat diem tranſigere puro ſeu neutrali otio, quod ab exercitiis pietatis & à contrariâ ſeu poſitivâ profanatione per opera ſervilia & carnales recreationes liberum eſt. *Reſp. Neg.* 1. *Quia* caſus fingitur, qui non eſt, nec eſſe poteſt. Homines nihil agendo malè agere diſcunt. Præcipuè cum in pœnam

nam non sanctificati Sabbathi, per justam Dei voluntatem sibi relicti & ab ordinariis curis ac laboribus vacui in præcipitium multorum peccatorum ruunt. Exempla eorum qui exercitiis pietatis, tum publicis, tum privatis, sive toto, sive magnâ aut majori parte diei illius se subducere solent, sunt in propatulo. Nullis enim diebus tam frequenter ac Dominicis lapsus eorum in ebrietatem, damnatæ aleæ furores, pugnas ac contentiones, exsecrationes & blasphemias, quin & in homicidia, denique in impuritates, earumque allicia choreas, audiri solent. 2. *Quia* ut peccato omissionis peccat, qui nihil agit, cum debeat agere; sic etiam peccat in quartum Præceptum, qui diem hunc positivè non sanctificat ea agendo, quę Deus tunc agi vult. Sic non celebrat religiosum jejunium, qui tantum abstinet à cibo, & labore. Mihi semper de sanctificatione diei Dominicæ stetit sententia, non consistere eam in abstinentiâ à labore, nec eam esse per se opus bonum, sed tantum propter aliud, & tanquam removens impedimentum, illius scil. operis boni, quod isti diei peculiariter appropriatum est. XIV. An vel minima cogitatio de rebus & negotiis hujus sæculi sit illicita, ac prophanet Sabbathum? *Resp. Neg.* cum *Teellingio in Necessar. Demonstrat. Prolegom.* & cum *Amesio in Medullâ*: ubi videtur innuere, esse qui contrarium sentiant. Qui autem illi sint literati, an idiotæ, & an scriptis hæc opinio à quoquam sit prodita, quibusque rationibus firmetur, hactenus mihi non constat, nec Autores citati indicant. Quicunque sint aut fuerint, si hoc velint, non debere quem aut studiosè aut otiosè citra ordinariæ aut extraordinariæ caritatis necessitatem, animo & cogitationibus in mundana, carnalia, ludicra evagari, multo minus in iis habitare; ut ita negligat proprium opus Sabbathicum; utique nemo pius refragabitur. Sed si strictè velint, nihil absolutè cogitandum, nisi quod directè & formaliter sit spirituale: non video quomodo quis calceos, collare, pallium aliaque induere, ex lance buccellas sumere, ignem struere, ad eum accedere, ostium domus suæ claudere, per plateas & vias absque errore rectâ ad templum tendere, inde domum redire; adhæc pluvias, ventum, frigus, calorem sentire; insuper homines obvios aut prævios videre, iis de viâ aut priorem ingressum cedere, cano capiti assurgere, omnibus denique pro dignitate honorem habere queat. Ut jam non dicam de virtute hospitalitatis, secundum quam peregre advenientes (ad minimum in casu necessitatis) consanguineos, amicos, necessarios excipere tenetur. Hæc omnia sine cogitationibus expediri non possunt. XV. An omnia opera ex necessitate facta debeant esse misericordialia, nulla verò mercenaria? *Resp.* Daneus lib. 2. cap. 10. post. Neg. cum distinctione: *quatenus damnum*, inquit, *accipit* quis *potest*, *non*

quatenus operam præstat. Veluti Pharmacopola potest justum medicamenti à se adhibiti pretium exigere; non mercedem laboris, ut reliquis diebus. Advocatus potest chartæ suæ, in quâ consilium scripsit, simpliciter pretium accipere, non operæ suæ eo die. Quod si objicitur, quid edemus ea die? respondebo ex Levit. 25. 20. *Benedictio mea erit super te & te alam, &c. Pontificii Scholastici & Casuistæ* plerique ante hâc statuerunt opera quæ jure fiunt in die festo, reddi illicita eo ipso, quod fiunt quæstus, mercedis, aut stipendii causâ: cum quibus faciunt ex *nostris practicis* non pauci. Ex recentioribus *Cajetanus, Sotus, Navarrus* contrarium tenent; quorum sententiam *Azorius* judicat probabiliorem. Ego, ut verum fatear, cum in Pontificiis & nostris nonnullis practicis assertionem illam legi, nunquam potui illi assentiri. Verum quidem est, absolute & ex professo non esse lucro & sustentationi hujus vitæ tum incumbendum, quia sex diebus hoc agitur; sed hoc nihil repugnat si fiat per occasionem & ex hypothesi casus jam incidentis: quem ut tibi nec desideranti nec quærenti objicit Deus, ita & adjunctum ejus, debitam scil. mercedem. Militum, Medicorum, obstetricum, & similium stipendia illo die æque procedunt, ac alio quocumque, quia illi pugnant, excubias agunt, fodiunt; isti ægrotos visitant; hæ parturientibus opem ferunt. *Deinde* ipse *Danæus* antea concessit operas rusticas, piscationem halecum &c. quod gratis non fit à famulis, nec ab heris. Breviter quam licitum est opus aliquod, quam licita vocatio, tam licita merces; quam illicitum opus tam illicita merces. Dum licitè fit ex vocatione cujusque & jure divino, merces debetur: atqui in illo casu necessitatis sic fit ut aliis diebus, nec ullus ibi est respectus sabbathi, cum necessitas non ferat legem; debetur itaque merces non minus, sed potius magis quam alio die, quia homo præter impensum laborem privatur in totum aut in tantum exercitiis pietatis, atque illam vacationem necessitati proximi quasi impendit. *Denique*, concionatores pro concionibus aliisque ministeriis ecclesiasticis illius diei, & lectores, cantores, famuli, seu cursores diaconorum, ostiarii seu æditui, campanarii seu clokatores, (uti vulgò appellant), & qui lumina concionibus matutinis aut vespertinis accendunt; ad hæc medici, chirurgi, pharmacopœi, nautæ, aurigæ, bajuli, milites, vigiles & quicunque operas præstant communiter necessarias, aut specialiter ad ministeria ecclesiastica ordinatas justè mercedem accipiunt. In omnibus ergo operibus à sabbathi quiete exceptis (ecclesiasticis scil. & necessitatis tum ordinariæ tum extraordinariæ, valet generalis regula 1 Corinth 9.7. *Quis unquam militat propriis stipendiis? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem & de lacte ejus non manducat?* Hujus sententiæ reperio etiam fuisse Practicorum πρακτικώτατον VV il-

& *Vilhelm. Teellingium in prolegom. ad Neceſſar. Demonſtrat.* XVI. An & quomodo reſpondendum ad quæſtionem ac caſus de operibus quibuſdam ob parvitatem materiæ & modum agendi viliſſimis, minutiſſimis, ſerviliſſimis, ex. gr. an liceat cloacas aut canales purgare, pavimenta verrere; præterea, emere ficus, uvas paſſas, necotianum, vinum aduſtum, ſinapi, acetum, poma, ligulas, aciculas, oſtrea, ſquillas, halecem, truſtum caſei, piſciculum, inteſtina &c. Adde nunc, an liceat cum amicis deambulare, thedis aut navigiis voluptuarias & recreatorias excurſiones ac circuitiones inſtituere, cum iis ad amœnos hortos, ad Theſſala tempe exſpatiari, ibidemque ſe recreationibus, luſibus, exercitiis in ſe non illicitis oblectare? *Reſp.* 1. Ad quaſvis quæſtiones nec ſemper, nec ita promtè reſpondendum; præſertim ſi juſte præſumere poſſimus, quæſitores tales eſſe ἐμπαίκτας (2 *Petr.* 3. *verſ.* 3.) aut ex eorum numero, quos canibus & porcis comparat ſervator *Math.* 7. aut ex numero ſtultorum, de quibus *Proverb.* 26. 4. *Ne reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam.* Aut ex numero ſemper diſcentium, nunquam ad cognitionem veritatis pervenientium 2. *Timoth.* 3. *v.* 7. Cum enim facta ſint infinita, ac propterea omnes tam expediti tam perſpicaces non ſint ad quoſcunque caſus ſecundum particulares circumſtantias ſtante pede tam accuratè & prudenter determinandos, ut captioſas cavillationes & ſannas ſophiſticorum ἐμπαίκτων effugere queant: præſtat à reſponſione ſuperſedere. Quęſtiones μώρας fugere docet apoſtolus 2. *Tim.* 2. *v.* 23. *Tit.* 3. *v.* 9. quæ contentionem pariunt. 2. *Nonnunquam* tamen reſpondendum, cum tales aut ſimiles quæſtiones ab ignorantibus aut infirmis, aut etiamà viris, quibus reſponſum negari non debet, proponuntur. Ex gr. ſi proponantur illæ quæſtiones quas audivi aliquando Candidatis miniſterii & vocatis miniſtris propoſitas fuiſſe, An ſi domus incendio corripiretur ex eâ liceret fugere? An liceret ambulare? An cum aliquo domi ipſius panem edere? An miniſtro praxin medicam inter ſuos ex neceſſitate & caritate exercenti, urinam eo die delatam inſpicere? Quæ ineptæ & ſtolidæ quæſtiones tacitè videbantur culpare aliquos aut ſuſpectos facere, quaſi omnia illa abſolutè illicita eſſe contenderent. Quod ſi ergo caſus incidat, quo non riſu, aut indignatione, aut rejectione, aut quæſtione quæſtioni oppoſitâ, ſed ſeriâ & directâ reſponſione quæſitori occurrendum ſit, diſtingues breviter: ſi nulla ſit neceſſitas (quæ gradibus variatur) non eſſe ab omnibus & ſingulis iſta omnia ſupra enumerata, aut conjunctim, aut diviſim agenda: nedum ut in diem Dominicum reſerventur, cum ante aut poſt eum commodè, immo commodius ea agi poſſunt. Sin neceſſitas aliqua ſit, neque ſine prævià voluntariâ negligentiâ, jam caſus hic talis eſt, ut in eum non cadat profanatio Sabbathi. Quin

etiam posità hominum culpandâ negligentiâ aut oblivione, nihilominus quædam ex illis agenda essent, siquidem occasio & necessitas id exigeret. E. gr. si quis oblitus esset panem, aut frugalissima obsonia casci, halecis, frusti carnis, &c. emere, aut pridie non potuisset emere defectu nummorum. Plerisque obsoniis ad primam & secundam, ut & bellariis ac dulciariis ad tertiam mensam pertinentibus (quæ *Scriptores de re coquinaria*, & *Platina libris decem de honestâ Voluptate*, obsoniis, condimentis complexi sunt) homo facile carere posset unico illo die, suæque hoc negligentiæ imputare: non esse ergo, quod tali in casu iis parandis atque emendis venditorum atque artificum Sabbathum interturbet. Quod si sint ęgroti, puerperæ, gravidæ, &c. quibus ista emuntur: jam reducitur hęc pragmatia ad opera misericordiæ & necessitatis. Secus se res habet si fiant deliciantis animi & voluptatis causa. De sinapi, sale, vino adusto, aceto, ligulis, aciculis, &c. posset talis casus incidere, ut non esset illicitum ea emere: sed nemo studio in diem illum ordinariò emtionem istorum reservare debet, aut promiscuè quovis die sive Dominico, sive alio emtionem & venditionem eorum pro re natâ, aut prout cuilibet in mentem venit, exercere. Qui huic cacoëthi assuescunt aut patrocinantur, ostendunt se ignorare vim *Ţ memento diei Sabbathi*, &c. Quod si excipiat quis, Unam hirundinem non facere ver, nec unius hominis unam actionem transeuntem in emendo e. gr. aceto, aut vino adusto, aut squillâ, aut succo limonum, aut saccaro, aut uvis passis &c. turbare Sabbathi sanctificationem. Sed regero, non esse quęstionem de uno individuo facto Ţ δεῖνα (quod tamen pro suâ parte in tantum turbat.) Sed an cuivis Christiano conveniat illo die æque ac alio res illas aliasque centenas, extra casum necessitatis, emere. Si quis ajat, jam intervertit totum Sabbathum venditorum & artificum: illi enim ad universum hoc vendendi munus pro omnibus urbis & agri subjecti incolis ilico se alligatos, & totum diem sibi perditum sentient: ut ut singuli emtores, ratione Ţ δεῖνα vendentis piper, aut acetum, aut saccarum, aut uvas passas, aut lactucam, &c. sibi tantum partem, aut particulam diei intervertant. Sed si singulæ familiæ in aliquâ urbe degentes, cum rusticis in suburbio & agro ejusdem urbis omnem cibum, omnia obsonia, omnia condimenta, omnia bellaria, omnem potum & liquorem, omnia ad culinæ, & foci calefactionem, ad domus purgationem, ad vestitum & ornatum corporis, sive necessaria sive utilia, illo die sibi comparare instituerent, viderent singuli, si non totum, saltem magnam diei partem exercitiis pietatis impendendam sibi subtractum iri. De ambulatorum curruque & navigio volantium, domi suæ in triclinio aut foris in hortis convivantium & ludentium, saltantium,

tium, venantium delitiis, non est quod verba faciam. Si qui sint hâc in parte Judaizantes (de quo supra) iis meliorem mentem precamur; ut perditorum Judæorum pseudo-sabbathizatione relictâ, semel Dominicum diem cum Christianis religiosè servent. Casus necessitatis hic exceptionē non facit: nisi fortè æstuantes hypochondrii vapores, aut morsus tarantulæ aut aliquid aliud malum, promptam animi & corporis recreationem & exercitationem requirat, quæ sine periculo in crastinum differri nequeat. XVII. An recreationes publicę chorearum, & similium lusuum (quorum supra meminimus) populo concedendæ sint: ut populus tantò melius hâc concessâ libertate in Religione reformatâ stabiliatur, & â Papismo avertatur? *Resp.* Tale quid Sabbathi profanationibus prætexit Francisc. White Episc. Eliensis in tract. Anglico de Sabbatho a. 1635. p. 266. ubi sic loquitur: *Hoc videtur mihi primum fuisse motivum principibus nostris, ut populo quasdam recreationes legibus nostris non prohibitas diebus festis concederent. Nam si secundum principia Puritanorum ab omni recreatione eos cohiberent: dies festus æque ingratus ipsis adveniret ac dies operarius: Posset insuper animis populi præsentis Religionis fastidium ingenerare.* Sed nusquam Deus docuit, ut mundo & moribus πατροπαραδότοις in Papatu receptis nos conformando, homines à mundo & Papatu abalienaremus. Audi Apostolum Rom. 12. vers. 2. *Ne conformamini*, &c. Et Augustinum de verbis Domini, Serm. 6. *Si quæritis unde vincantur Pagani, unde illuminentur, unde ad salutem vocentur. Deserite omnes solennitates ipsorum, deserite nugas eorum; etsi non consentiant veritati nostræ, saltem pudeat.* In tales carnales recreationes diebus Dominicis exercitas invehuntur ex Patribus *Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi cap. 11. sub finem. Augustinus de consensu Euangelic. lib. 2. cap. 77 & in Psalm. 32. & tract. 3. in Iohannem. Cyrillus Alexandrinus in Iohannem lib. 8. cap. 5.* Quin & ipsi Pontificii Doctores contra suos hic contestantur. Ferus in Exodi 32. *Sedit populus ut comederet, & biberet, surrexit autem ludere. Hic fuit cultus eorum verè Paganicus, qui tamen apud nos nunc solus observatur in Festis. Nihil enim aliud agimus in Festis nostris. Bellarminus Conc. 6. in Dominic. 3. Adventus, & in Conc. 9. de Dominicâ Quinquages.* aperte in easdem Sabbathicas recreationes declamat. Docuit etiam tristis experientia, & loquuntur acta & historiæ Anglicanæ, quantum religio & pietas reformata per edicta & scripta pro libertate seu licentiâ chorearum & similium recreationum, profecerit, & Papatus defecerit. Ad cumulum miseriæ accedebat, quod edictorum illorum è Cathedrâ prælectio Ecclesiarum Pastoribus passim imponebatur: adeo ut Episcopo alicui papaturienti, aut κοσμικῷ, quandocunque liberet mandatum illud exequi, proclive esset Ministros ob

Ortho-

Orthodoxiæ aut pietatis zelum, aut quamcunque aliam ob causam sibi minus gratos objectâ tentatione prælectionis, in casu recusationis loco movere. XVIII. An actiones & spectacula comœdiarum, concedenda sint? *Resp.* *Aff.* Balduinus lib 2. Casuum cap. 13. cas. 6. *Nihil obstat, quo minus die Dominico spectari possint, finitis sacris, præsertim Biblicæ, quæ sensibus animi fortius imprimuntur, quam quæ per aures demittuntur.* Nos de Comœdiis alibi ex professo agimus, in *Dispp. de Excelsis mundi.* Cum autem sint ex eorum numero, quę ad minimum sonant in malum: velimus saltem dies Dominicos ab iis immunes esse. Ecclesiæ Belgicæ diu multumque contra ejusmodi profanationes laborârunt: non sine fructu. In Bibliis comœdiis ut plurimum majorem invenimus difficultatem, quam in aliis, quæ sæculares historias & actiones repræsentant. De quo in *nostris Dispp.* modo *cit.* Ministri modo Christum crucifixum illo imprimis die suis ante oculos publicè privatimque ex fontibus Israëlis depingant; & necesse non erit ex pumice histrionum aquam vitę exspectare. Vide *Galat.* 3. *vers.* 2. cum 4. *vers.* 19. & 1. *Corinth.* 1. *vers.* 21 -- 26.

3 Respondeamus nunc ad Problemata aliquot magis Philologica aut Historica; quorum I. An apud Extraneos fuerit aliqua Sabbathi hebdomadalis notitia, & unde? *Resp.* ad *primum*, *Aff.* illud *Clemens Alexandrinus Stromat.* 5. *pag.* 438. ex Hesiodo, Homero, Callimacho, quæ eadem ex Clemente describit *Eusebius præpar. Euangel. lib.* 13. *cap.* 13. Ex recentioribus agnoscunt illud *Mercerus in Genes.* 2. *Daneus*, *Amesius*, qui videndi. Contra *Gomarus cap.* 4. *de Sabbatho*, *pag.* 42. 43. disputat hallucinatos in eo Clementem & Eusebium. Sed *Heraldus ad Tertullianum apolog. cap.* 16. & post illum *Amesius disput. de Sabbatho*, imprimis *Rivetus dissert. de Origine Sabbathi cap.* 5. advocatis aliorum testimoniis, probat diem septimum Gentilibus fuisse sacrum. Adde & Mahumedistas Sabbathum hebdomadale servare die Veneris, quod in illum inciderit fuga Mahomedis ex Mechâ; unde hebdomadem & annum suum inde inchoant. Et est hæc communis fere sententia non tantum Patrum, quos citat *Rivetus*, sed & Judæorum, qui gloriantur septimum diem inter ipsos Gentiles celebrem fuisse. Vide præter *Iosephum* & *Philonem* ab *Heraldo* & *Amesio cit.* recentiorem Judæum *R. Isaac* Atiam à *Riveto cit.* & *R. Eliahu Vitalem* cit. à *Menasse ben Israel qu.* 35. *in Exod.* Ad *secundum Resp.* non videri hoc collegisse Gentiles ex lumine seu Theologiâ naturali, sed ex reliquiis doctrinæ Patriarcharum de manu in manum traditis, aut ex ἀκοῇ Judęorum, aut ex utrisque. Hinc tamen solidum argumentum pro Sabbathi institutione ante lapsum educi non potest, nisi probetur Gentilibus hunc diem sacrum fuisse, ante Legem latam, *Exod.* 20. Sed

an

an hoc probari possit, penitius considerandum esset. Certè, quæ modo allata, hoc non efficiunt. Notum est ex literatis Gentilibus sæculum ἄδηλον; & quod Scriptores, qui etiamnum extant, ultra bellum Trojanum vix assurgant. Ut hinc videamus quam difficile sit cum *Daneo* primi mundi antiquitates eruere II. An ex articulo præpositivo ה solidè probari possit in quarto Præcepto designari diem septimum à creatione. *Resp. Neg.* Ut in Græcis sic nec in Hebraicis ex articulo (cujus usus variat) demonstratio Theologica fabricanda est. Ex articulo Græco ὁ *Bellarminus de Pontifice lib.* 3. *cap.* 1. probare conatur Antichristum fore personam singularem. Ei responsum est ab *Antagonistis*: qui videndi. Porro de vario usu articuli præpositivi apud Græcos memini fusè actum à Viro linguæ Græcæ callentissimo *Frid. Sylburgio, in Syntaxi Græca*, quam Grammaticæ suæ Græcę Rameæ subjunxit. Ne autem usum articuli Hebræi Grammaticè explicando, chartam impleam, remittimus Studiosos ad *Thesaurum Buxdorfii lib.* 2. *cap.* 5. III. An Abassini, qui dicuntur observare Sabbathum Judæorum una cum die Dominico, sint hæretici Sabbatharii? *Resp.* Non arbitramur. Quia verò non satis certo explorata nobis est fides eorum, (nihil enim habemus, nisi relationes Pontificiorum, qui sunt adversarii eorum, & sæpe infelices Historici) dicere non possumus, quo fine retineant Sabbathum. Interim, dum certiora nuntientur, malumus credere illos Sabbathum observare tantum ut circumcisionem, de quâ sententiam nostram diximus *Disput. de Articulis fundamentalibus in Coroll.* Illos autem putamus gravius errare, qui in tantâ luce Euangelii contendunt diem Dominicum non observandum, sed Sabbathum Judaicum, quales sunt non tantum obscuri quidam & ἀπαιδευτοι, sed etiam viri, ut puto, literati, Theophilus Braburn; sed qui palinodiam cecinit: & contra quem scripsit *Franciscus White* Episcopus Eliensis *in tract. de Sabbatho*; & *alter* dictus *Traskus*, cujus opinionem de Sabbatho & delectu ciborum Judaico refutavit *Lancelotus Andrevvs* Episcopus Wintoniensis *in Oratione habitâ in Camerâ Stellatâ*: quæ cum posthumâ operum quorundam editione Londinensi prodiit anno 1629. IV. Quid de fluvio Sabbathico, de quo *Ioseph lib.* 7. *de Bello Iudaico cap.* 24. in Græcâ edit. cap. 13. Plinius lib. 31. cap. 2. *In Iudæa rivus Sabbathis omnibus siccatur.* Et *Elias in Thisbi*, qui mysticas fabulas ex Judaismo suo addit. Et *Thalmudici à R. Menasse cit. Resp.* Esse fabulam Judaicam & Plinianam. Vertigines & contradictiones Autorum detexit egregiè *Fullerus Miscellan. libr.* 1. *cap.* 9. Eandem fabulam merito explodit eruditissimus *Cunæus libr.* 2. *de Republicâ Hebræorum, cap.* 24. Eam tamen reponit nobis *R. Menasse ben Israel*: qui *quæstione* 36. *in Exodum*

duo dicit esse testimonia Sabbathi à Deo sanctificati; *prius lumen Sabbathicum, cujus mentio fit in Thalmude*, &c. R. Mose Gerundensis *vult, fluvium hunc esse* Gosan, *ad quem decem tribus captivæ abductæ sunt, &c. Alterum Sabbathi testimonium est, quod eo die Magi & prastigiatores (uti ipsi confidentur) nullo modo pravas & nefarias artes suas exercere possunt.* Nos de eodem fluvio in transitu quid diximus 1. *part. select. Dispp. pag.* 659. & *part.* 2. *tit. de conversione Iud.* Confer infra in fine hujus §. V. *An* Israëlitis sub V. T. magis aut minus prohibitum fuerit pugnare in hostem die Sabbathi, quam Christianis die Dominico? *Resp. Neg.* Quia si illis non magis prohibitum fuit sanare & servare hominem aut jumentum, *Matth.* 12. *Luc.* 13. quam Christianis: ergò nec pro vitâ & fortunis justè pugnare occasione & necessitate ita ferente: Perperam ergo prohibitio pugnæ ex 1. *Machab.* 2. *vers.* 34. - 39. tanquam argumentum adfertur ad probandam rigidiorem Sabbathi observationem, ad quam Judæi supra Christianos putantur obligati fuisse. Factum enim particulare quorundam meræ ignorantiæ & superstitioni adscribendum: quod tamen *ibidem vers.* 40. 41. improbatur. Similiter judicandum est de facto Judæorum apud *Flavium Iosephum lib.* 14. *de bello Iudaico cap.* 8. ubi ab omni offensione abstinebant, nec turres & fossas diebus Sabbathi à *Pompejo* exstructas diruebant. Quasi eruptio in hostes obsidentes, & demolitio turrium non pertineret ad necessariam defensionem. Serrarius in Commentar. ad lib. 1. Machab. cap. 2. pag. 423. negat fuisse in hoc facto *imprudentiam propriè dictam*, aut *vituperatione dignam inscientiam.* Rationem hanc adfert, *quia tunc omnibus ea opinio de custodiendo Sabbatho fuisse videtur.* Sed popularis error, aut communior imperitæ plebis opinio, factum eorum non excusat. Lex divina & sapientes debuissent audiri: quales non defuisse, colligi potest, ex prœlio inter Judæos & Parthos die Sabbathi commisso (*Ioseph. lib.* 18. *cap. ult.*); & ex sententiâ Anilæi Neerdatæ (ibid.) quâ statuebat, *legi magis consentaneum esse vires ob necessitatem exercere, armaq; corripere*; &c. Videtur ipse Josephus ab errore illo populari non alienus fuisse *lib.* 2. *cap.* 32. Maymonides in *Halacha melachin cap.* 7. attribuit Judæis, quod Paganorum (כותים) urbes cum Sabbathum est obsident, & prœlium cum iis conferunt. Quod cum narratione Josephi, & testimonio Senecæ apud *Augustin. lib.* 6. *de Civ. Dei, c.* 11. & Agatarchidis apud *Ioseph. lib.* 12. *c.* 1. vix convenit: nisi tempora distinguas, cum quibus mutatis hominum mores & opiniones mutantur. VI. Quid judicandum de Abassinis; quos diem Saturni æque ac Dominicũ servare testatur Jesuita *Guodignius lib.* 1. *de reb. Abassin. c.* 24. *Scaliger lib.* 7. *de Emend. p.* 694. 696. *Resp.* Crassa ignorantia in his aliisque ipsorum moribus & ritibus excusari non potest. Remanfit

mansit id fortè ex pravâ imitatione primorum apud ipsos Christianorum, qui ne offenderent Israëliticæ Religionis consortes (quos illic non defuisse, vel ex *Act.* 8. *v.* 27. constare potest: ut historias & relationes Abassinorum nunc præteream) in illâ primâ mutatione diem illum servârunt, donec cum aliis ritibus Judaicis paulatim memoria ejus evanesceret, & honestè sepeliretur. Dici etiam posset, eos illum servâsse, non tantum propter Israëliticæ Religionis indigenas & advenas illic commorantes: sed etiam ut aliis Ecclesiis Orientalibus se conformarent; apud quas diem illum servatum fuisse, proximè *sequenti quæst.* notabimus. Quidquid hic factum fuisset à majoribus in primâ ad Christianismum per Apostolos & Apostolicos viros conversione; postea tamen stabilito Christianismo, & Judæis satis superque jam convictis ac totaliter rejectis, & ritibus Judaicis honestè sepultis, nec circumcisio, nec Sabbathum Judaicum amplius servari debuisset. Et si tunc nimia συγκατάβασις obtinuisset, jam saltem nulla Sabbathi memoria, aut conscientia superesse debebat. VII. An excusari possint, qui in antiquâ Ecclesiâ Sabbathum Judaicum diu post convictos Judæos & templum eversum observârunt: hâc tamen sub distinctione, quod non ut Sabbathum Judaicum, sed ut Christiani Sabbathi παρασκευὴν, tum exclusione jejunii, tum sacris conventibus, & publicis Scripturę lectionibus illud celebrarent. *Resp. Neg.* Quidquid enim distinguatur, populo jugum imponitur, quod Deus non imposuit. Moliti sunt nonnulli Romę hoc imitari sub Gregorio Magno; uti constat ex ejus epistolis citatis à *Baronio ad annum* 603. §. 17. Concilium Laodicenum huic superstitioni Canonem suum 29. opposuerat: sed nescio quam prudenter can. 16. decreverit: *Quod oportet in Sabbatho Euangelia cum aliis Scripturis legi.* Quare magis illo die publici conventus & exercitia publica, quam alio quovis? Nam talis παρασκευὴ incurrit in speciem symbolizationis cum Sabbatho Judaico: præsertim cum jejunia prohiberentur: quod festi & diei boni praxin sapit. Saltem hinc videmus, quo perverso zelo, immo quo dolo malo infarcta sint hæc Judaizantia *Epistolæ Ignatii ad Magnesianos.* Et quantum epistolis illis tam corruptis tribuendum sit: imprimis *Pseudo-Clementi*, qui exsertè Sabbathi festivitatem præscribit, *lib.* 7. *constitut. Apostolic. capp.* 24. 33. 36. 37. Vide de hoc disserentem *Vsserium in Prolegom. ad Ignatii Epistolas cap.* 11. & 13. Et *Vedelium in Exercit. ad epist. Ignatii.* VIII An Pontificii ab omni symbolizatione cum Judaismo immunes sint? *Resp. Neg.* Ut enim in aliis multis (de quibus *alibi* & *suis locis*) sic & hic quodammodo Judaizant in extensione feriationis diei Dominicæ à vesperâ diei Saturni usque ad vesperam diei Dominicę, juxta decreta juris Canonici, *de consecrat. dist.* 3. *c.*

pronuntiandum, & dist. 75. c. *Quod à Patribus*. Et *Extravag. de Feriis c.* 1. & 20. Pręterea in Vigiliis suis seu festorum παρασκευαις, quæ à vesperâ præcedente inchoantur: de quibus infra. Pariter in observatione *Sabbathi* (quem ita appellant) quatuor temporum: de quo *Durantes lib.* 6. *Rational. divinor. offic. tit. de Sabbatho*. Insuper in observatione *Sabbathi sancti* (sic appellant) *Paschæ*: de quo idem *lib. cit.*, & *Christoph. Marcellus* Archiep. Corcyrensis in *Ceremoniali Romano lib.* 2. *c.* 57. *pag.* 229. 233. Quid multis hæc specimina conquiro, cum Innocentius III. decreverit vivendum esse in Novo Testamento secundum legem Judaicam, prout illa in *Deuteronomio* proponitur: argumento scil. desumto ex Etymologiâ vocis *Deuteronomii*. Frustra *Bellarminus* Æthiopem hunc lavare annititur *lib.* 4. *de Pontif. cap.* 14. Inspiciatur modo locus, & mala fides ac detorsio Bellarmini apparebit. Sed his omissis omni exceptione major est convictio ex perpetuâ observatione Sabbathi hebdomadalis B. Mariæ. Diem Sabbathi dicavit B. Virgini *Gregorius VII. in Concil. Romano anno* 1074. & *Vrbanus II. in Concil. Claræmontano anno* 1096. Hinc hodie officium & missa in Sabbatho B. Virginis sunt præceptiva, seu in Præcepto, non votiva, hoc est, merè voluntaria, quæ ad libitum fiunt sine peccato: uti hoc probat *Gavantus in Thesauro sacrorum rituum tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 4. & *tom.* 2. *sect.* 8. *cap.* 6. Si quis nolit hujus Sabbathi mysteria ex Annalistis, vitis Pontificum, Actis Conciliorum, Marialibus operosè inquirere, is legat *Librum de Sabbathismo B. Virginis* latinè conscriptum ab *Augustino VVichmans* Pręmonstratensi in Tongerlo, postea ibidem Abbate, viro per alterum quoddam superstitiosissimum & operosissimum scriptum tit. *Brabantia Mariana* in Belgii partibus satis celebri. Scriptum illud de Sabbatho Mariæ Antwerpiæ in 8. excusum apud Gul. de Tungris anno 1628. Idem in Belgicum idioma translatum dedit *Matth. Guilielmus Druenensis in eodem monasterio religiosus*. Exhibeo hic Lectori, qui fortè istarum rerum curiosus, exemplar libri non vidit, pauculas has gemmas. Ex Epistol. Frycii Puteani Philologi & Historici Lovaniensis: *Tibi primum in mentem venit sabbathismum Marianum celebrare, &c. Exulent igitur Deorum nomina; in laterculum dierum Mariæ recepta est: cujus sanctissimi ritus originem & utilitatem à te discimus, cum jam omnia in sacrâ antiquitate eruta, explicata, illustrata viderentur.* Tibi ista laus debetur. *Cap.* 2. dicit, Judaicum sabbathum abrogatum esse, quod esset umbra futurorum; & in locum ejus successisse Sabbathum B. Virginis, &c. Vix enim esse, qui nesciat diem Sabbathi cujusque septimanæ dedicatum esse sanctissimæ matri Domini: illo enim die per universum Christianismum peculiari modo & more coli. Ibidem post rejectas Baronii, Durantis, Antonini,

Gene-

Genebrardi opiniones concludit ab Apostolorum temporibus institutum esse Sabbathum Mariæ. *Cap.* 3. inquirit in causam hujus Sabbathismi; & rejectâ cum *Bellarmino lib.* 3. *de Eccles. milit. cap.* 17. opinione Antonini, Alensis, Durandi, Turrecremata, fidei Mariæ, quæ sola scil. perstitisset in cognitione Deitatis Christi, quam discipuli omnes amiserant, honorem hunc Sabbathismi adscribentium, propriam sententiam depromit, de verâ causâ, martyrio scil. Mariæ, quod illo die passa est, adeò ut Commartyr fuerit Christi, secundum *Disputationem Zvvarezii ad* 3. *tom.* 2. *qu.* 37. *art.* 4. *disp.* 21. *sect.* 4. *Cap.* 4. refert sanguinem Christi in cruce effusum in Phialam à B. Mariâ collectum, nuper demum sub Clemente VIII. Romæ inventum. *Cap.* 5. meminit Bullæ cujusdam Sabbathinæ. *Cap.* 6. Mariam facit supremam Cancellariam, quæ literas meræ gratiæ & misericordiæ expedit: Michaëlem secundum Cancellarium, qui literas justitiæ: B. Petrum tertium, qui justitiæ & gratiæ. Atque hæc de Pontificiâ symbolizatione cum Sabbatho Judaico. Ut jam non dicam, de absurdis modo memoratis in Canon. Apostol., & Constitutionibus Pseudo-Clementis, deque infarctis in Ignatium (siquidem is illarum epistolarum genuinus autor sit: de quo ego dubitare malim, quam certi quid statuere): quæ illi tam diu præstare tenentur, quamdiu ὑποβολιμαῖα ejusmodi scripta tanquam sancta, & antiqua, venditant, nobisque obtrudunt, quoties hypothesi ipsorum inservire videtur. Unum tamen præterire nolo, de Rogerio Bacone inter Doctores ipsorum celebratissimo. Hic circa annum 1280. Minorita Oxoniensis, Judæorum more die Saturni feriandum censuit, quod segne ac tardum Saturni sidus (unde hic dies denominatur) non sit felix ac idoneum rebus agendis. Ita refert *Vossius lib.* 2. *de Idololatriâ cap.* 34. non indicato libro *Baconi*. Fortè in *Compendio studii Theologiæ*. Sed hæc superstitionibus Astrologicis adscribenda; quibus deditum fuisse Rogerium negari nequit. Legantur modo quæ ex ipsius *Compendio studii Theologiæ citantur* à duobus doctissimis Principibus Mirandulanis *Iohanne Pico*, & *Iohanne Francisco Pico*: illo *lib.* 1. *contra Astrologos*, *pag.* 284. Isto *lib.* 2. *de Prænot. cap.* 5. & *lib.* 7. *cap.* 2. imprimis *cap.* 7. *libri ipsius de Prognosticis ex syderum cursu, de regiminibus cœlestium*, *de Necromanticis imaginibus*, &c. à *Gesnero in Bibliothecâ* enumerati parum boni polliceri videntur. Purgat eum à nefariâ magiâ *Seldenus Syntagm.* 1. *de Dis Syris*, *cap.* 2. *pag.* 32. & *Gabriel Naudeus in Apologiâ Gallicâ doctorum Virorum*, qui injuste *de Magiâ* suspecti fuerunt, *cap.* 17. Directam magiam si intelligant, posset in medio relinqui; sed ab indirectâ seu superstitione (uti Casuistæ Pontificii appellant), purgari non potest. Et hoc non obscurè fatetur *Delrio lib.* 1.

lib. 1. Disquis. cap. 3. qu. 1. Nec video hactenus Johannis Francisci Pici, qui libros Bachoni legerat, accusationem à quoquam delectam. Viddet lector, quomodo Praxi Apostolicæ Ecclesiæ, si quę fuit, in abstinentiâ à labore propter scandalum Judæorum, nondum satis convictorum, dee mutatione Sabbathi in diem Dominicum, (uti etiam factum in abstinenntiâ à suffocato & sanguine, *Actor. 15.*) abusi sint posteri, primo Sabbathi feriam continuantes & jejunium interdicentes: quod nescio, propter quos hæreticos factum volunt. De quo videndi *Vedelius & Vssserius loc. cit.* Postea feriatione interdictâ in Concil. Laodiceno, synaxes tamen & publica Religionis exercitia præcepta sunt. Sæculis aliquot post jejunium in Ecclesiâ Romanâ indictum, exceptis Sabbathis quadragesimæ, *Concil. Roman. sub Gregorio VII.* Denique, ne quid deesset, abstinentiam à carnibus aliud Concilium Romanum imposuit. De quo *Cap. Quia dies. dist. 5. de consecr.* Restarent adhuc alia nonnulla, ad Philologiam & antiquitates sacras pertinentia, sed ne modum excedamnus, & ab aliis eruditissimis Viris satis superque de his disquisitum fuit, abrumpo, commendatâ lectoribus collatione sequentium Autorum. 1. *De Sabbatho* δευτέρῳ πρώτῳ *Luc. 6. Beza, Drusii, &c. in Notis ad locum cit. Constant. Lempereur in Notis ad Benjamini Tudelensis itinerar. pag. 223. Hospiniani de Origine festorum, fol. 8. Scaligeri de Emendatione temporum, lib. 6. p. 557. Azorii in Theologiâ morali tom. 2. lib. 1. cap. 1. qu. 9. Joh. Lightfooti* Theologi Oxonienſis, qui studiis suis Thalmudicis Philologiam & Historiam sacram nuperrimè insigniter illustravit, edditâ Anglicè *Harmoniâ Euangelistar. in fol.* & Latinè *Horis Hebraicis & Thalmud.* impensis in Euangelium Matthæi, in 4.; ibi ad 12. *cap. 2. De crastino* Sabbathi, *Levit. 23. Hospiniani lib. cit. fol. 19.* & *Villeti in Commentar. ad Levitic. 23. 3. De Itinere* Sabbathi, *Actor. 1.* præter notas & commeentar. ad locum, *Seldeni lib. 3. de Iure naturali & gentium, cap. 9. Christophhori Cartvvrighti in notis ad Exod. 16. Martin. in Onom. 4. De differentiâ* inter Sabbath & Sabbathon, *Hospiniani fol. 14.* & *Fuller. lib. 2. c. 10.* & de nomnine Sabbathi, fusè *Martin. in Onom. 5 De Sabbathico* fluvio, qui quibusdam idem cum fluvio *Gozan*, autores seu fabulatores Judæos indicat *R. Menasse ben Israel sup. cit.* Conferendi imprimis ex nostris *Buxdorf. in Lexico Chaiud. Rabbin. in Rad.*, סבת & *Const. l'Empereur in notis ad Benjamini Tudelensis itinerar. p. 206. -210. Matth. Martinius in Onom.* Adde *Esdræ Apocr. lib. 44. c. 13. v. 40-48.* Aliud naturæ miraculum in Palestinâ quamvis huic affine, refert *Fl. Iosephus lib. 7. bell Iud cap. 13.* de fluvio sex diebus à fontibuus deficiente. Aliud item in Siciliâ, quod refert *Geographus Nubiensis part. 2. climate 4. pag. 173.* de fonte qui fluit tempore precum, & extra illud

arescitit

arefcrit: qui ideo dicitur fons temporum. *Conſtant. l' Empereur in notis ad Benjaminum* ſtudet veriſimilem hanc narrationem præſtare, explicando temppus publicę orationis Muhammediſtarum, tanquam menſuram fluxus ttemporis: ſed locum autoris inſpicienti vix fiet veriſimilis hæc interprretatio. Præterquam quod Geographum illum fuiſſe Chriſtianum, non improbabiliter evincunt *Gabriel Sionita* & *Iohannes Heſronita in Præfat.* add ſuam ex Arabico tranſlationem. Fabuloſum fluvium Sabbathicum ex *Ioſepho lib. 7. cap. 24.* dictionariis ſuis Geographicis inſeruerunt *Ortelius* & *Philippus Ferrarius*. Prior tamen hunc à *Ioſepho* & *Plinio* in Syriâ collocatum ab altero fabuloſo fluvio Sabbathico circa fines Æthiopiæ ex lapidibus & arenâ conſtante (juxta *libellulum Eldadi Danii*), aut in Mediâ, (juxta *Seder olam*) exſertè diſtinguit, quem *R. Moſe ben Nachman* eunddem eſſe dicit cum *fluvio Gozan*. Sed hunc eſſe circa Mediam ex 2. *Reg.* 17. & 1. *Paralip.* 5. colligitur. Eundem Benjamin Tudelenſis *Gozzen*, *Conſtantinus Porphyrogeneta in Thematibus Imperii Orientalis Goezanum* appellat, & in minori Armeniâ collocat. Fabulas Judaicas refutant præter *Fullerum* ſupra indicatum, *Galatin. de Arcanis Cathol. verit. libr.* 11. *cap.* 9. *Fagius in notis ad targum Deuter.* 31. *Fr. Iunius in notis marginalibus ad locum Apocryphum Ezra modo cit.* 6. *De Sabbathi Iudaici* & ſeptimi diei, tum obſervatione, tum ſycophanticâ deriſione apud Gentiles, videantur *Cunæus de Republ. Hebræor. loco ſupra cit. pag.* 334. *Iacobus Gothofredus ad libr. Tertulliani ad nationes cap.* 13. *Raderus in illud Martialis.* Et *Ieiunia Sabbatharium. Heraldus ad apolog. Tertull. cap.* 16. *Gomarus in tract. de Sabbatho*, imprimis *Seldenus lib.* 3. *de Iure naturali & gentium, cap.* 15--20.

Feſta divina à Sabbatho diſtincta, ſunt vel ordinaria ſeu ſtato tempore 4
recurrentia, vel extraordinaria. Iſtius generis fuit feſtum dedicationis Templi, 1. *Reg* 8. 68. & inſtaurationis, *Ezra* 3. Illa ſunt vel latè, vel ſtrictè & propriè dicta. Latè dicta ſunt vel *læta ſed non feriata* planè, ut Neoomeniæ, anni Sabbathici, Jubilæa: vel *non læta*, quamvis feriata, ut dieres expiationis. Feſta ſtrictè & propriè dicta ſunt, *primario ſolennia*, Faſchha, Pentecoſtes, Tabernaculorum; *Secundario & minus ſolenne* eſt unicuum, ſcil. *Tubarum*, ſeu *clangoris*. Quę de Feſtis illis quæri poſſent, quia maagnam partem ad Philologiam & Antiquitates ſacras pertinent, Theſiumm noſtrarum brevitas non capit. Videndi ſunt Autores, qui ex profeſſo ttalia explicant, quorum aliquos *priori parte hujus Diſp.* indicavimus.

Oppoſita Feſtorum ſunt *in defectu*, tum ἀπραξία, & confuſio, intermiſ- 5
ſioo, aut mutatio Feſtorum, 1. *Reg. cap.* 12. &c. tum Feſtorum profanatioo, *Ieſa.* 1, 13. *Malach.* 2. 3. In Exceſſu, *Pſeudo-feſta*, ſeu tempora

pſeudo-

pseudo-sacra. Quæ sunt 1. Gentilium Antiquorum: inter quæ celebrata imprimis Romanorum & Græcorum. De numero, formâ, & circumstantiis eorum consulendi Philologi & Antiquarii. *Romanorum* quidem (si quis compendio studeat) *Rosinus* & *Dempsterus*, ubi & alii *Autores citantur*. *Græcorum* verò *Castellanus tractat. peculiari de Festis Græcorum*, & *Meursius in Græciâ Feriatâ*, & in *Eleusiniis*: *Utrorumque*, *Hospinianus tract. de Festis*. Ad imitationem Gentilium celebratum fuit festum, *Exod.* 32. 5. & dies Bahalim, *Hosea* 2. 13. 11. Gentilium intermediæ ætatis & recentiorum. De Festis Gentilibus intermediæ ætatis in Europa, & Moribus Gentium ante reformationem multa colligi possunt passim ex Authoribus, qui ritus, & religiones eorum descripsere, Inter quos *Iohannes Aubanus Teutonicus*, *de Moribus Gentium*, & *Polydorus Virgilius de Inventoribus rerum*. De hodiernorum Gentilium in Japoniâ, Chinâ, Americâ, seu novo orbe Festis consulendi Historici eorum; ex quibus quædam collegit *Hospinianus lib.* 3. Confer *part.* 2. *select. Disp. tit. de Gentilismo*; ubi plures *Autores* indicantur. 111. Festa Judæorum recensent ipsorum *Seder Gnolam* & *Calendarium à Munstero* editum, *pag.* 148. 149., & *Computus à Genebrardo* latinè versus, & *Comment. in Psalmos* præfixus; Idem *Computus cum versione* & doctissimis *Scholiis* editus *à Scaligero de Emendat. Temporum lib.* 7. Ubi dividit Festa illorum in legalia & politica. *Legalia* vocat, quæ instituta sunt speciali mandato Legis. Quæ tamen quatenus post abrogatam legem ceremonialem aut olim aut hodie à Judæis observantur propriè dicenda sunt ἄνομα, & apostatica. Præterquam quod modum celebrationis eorum non ex antiquo legis præscripto peragant, sed ex stolidâ suâ superstitione, de quâ *Buxdorfii Synagoga Iudaica cap.* 12. 15. 16. 19. 20. 21. *Politica* vocat quæ consensu Ecclesiæ inducta & recepta: Eaque vel ex lege, vel ex eventu. *Ex lege* sunt quatuor, i. e. βαϊωφόρος, septima σκηνοπηγίας: de quâ *Iohann.* 7. 37. 2. Octava tabernaculorum. 3. Festivitas legis. De cujus Ritibus *Buxdorfius cap.* 22. 4. Jejunium Tamuz, de quo *Zachar.* 8. 19. *Ex eventu* sunt, partim *ante Ezram* quatuor. 1. Jejunium Godaliæ, *Zachar.* 8. 19. 2. Jejunium Tebeth. *Ibid.* 3. Phurim. *Esther.* 9. & 2. *Machab.* 15. 4. Jejunium ab *Zachar.* 8. 19. Partim tempore *Ezræ*, & post 1. Encænia Machabæi. 2. Festivitas Iiar. 3. Festivitas Adar. Quæ utraque abrogata. 4. Xylophoria itidem abrogata; de quo festo fusè differit *Samuel Petitus lib.* 4. *variar. lection. cap.* 8. Præter jejunia seu dies angariarum (quos vocant) quatuor jam memoratos, numerantur in computo illo adhuc 21. anniversarii, quibus non estur nec bibitur usq; ad vesperam. Sunt ergo stata & anniversaria Judæorum jejunia, 25. IV. Samaritarum

festa

festa legalia eadem esse cum Judaicis, colligi potest ex *Computo* à *Scaligero* edito, & *Scholiis* ejusdem *Scaligeri lib.* 7. Pascha suum celebrasse eos post æquinoctium vernum, testis *Socrates histor. Eccles. lib.* 5. *cap.* 22. Festum tabernaculorum à septimo mense in octavum transtulerat Jeroboam, 1. *Reg.* 12. Quo tempore autem ea nunc celebrent, & an ac quænam sint præterea ipsis festa conceptiva ac politica ex iis, quæ hactenus de rebus eorum prodita sunt, non liquet. Itaque cùm Scaligero exspectabimus, donec aliquis, qui res eorum familiarius exploratas habeat, ea nobis exposuerit. Hoc saltem colligere licet ex statu Religionis eorum à Judaicâ tam longe recedentis, eos minime observare festa Judaica post divisionem decem tribuum introducta. Cum hæc a. 1638. ita scripsissem, postea paulo plura de hodiernis Samaritis mihi innotuerunt, quæ in 2. *part. select. disp. in Appendice ad tit. de Iudaismo* impartii. v. Saracenorum seu Muhammedistarum festa, seu dies solennes hebdomadales sunt dies Veneris; quo die ad preces in templa sua convocantur, & attentius orant; cæterum non feriantur, juxta statutum Muhammedis, *Aeoar.* 72. Habent etiam festum annuum, Pascha scil., quod triduo solenniter celebrant. Religiosi ipsorum festivitates & ludos quosdam agunt, vel propter vota populi ipsis commissa, vel propter victoriam, vel propter prædecessorum memoriam. De quibus consulendi *Scriptores rerum Turcicarum*; &, si quis compendio studeat, *Hospinianus lib.* 3. *cap.* 1.

* APPENDIX DE GENTILIUM KALENDIS JANUARII, NATALITIIS, FERIIS CIVILIBUS.

I. CElebris olim apud Gentiles, festivitas Kal. Januarii; Appendix erant strenæ. In antiquâ Eccleſiâ eam improbabant, ut videre est apud *Tertull. de Idololatriâ*, & apud *Ambros.* (aut *Maximum*) *in Sermone*, cui tit. *Increpatio Kal. Ianuarii.* Confer supra *disp. de Superstitione.* Fuit tamen jam ab aliquot sæculis prætextu substituti festi circumcisionis Christi, postliminio quasi praxis ejus restituta: adeo ut prætextu Christianismi φιλοθρήσκοι homines passim gentes hâc in parte egerint sub nomine Christi. Praxis quæ & qualis sit, docuit nos communis experientia, & *Hospinianus pag.* 31. *Polydorus Virgilius lib.* 5. *de Inventoribus, cap.* 2. qui à Gentilibus eam accersit. Adeò ut meritò dubitare liceat, an in Papatu artem arte deluserint, an ipsi delusi sint, submovendo (uti videtur) antiquam festivitatem Kalendarum per substitutionem festi circumcisionis, revera tamen antiquum morem servando, qualem *Autores* modo *citati* describunt. In hoc etiam videtur error & superstitio popularis παγανίζειν magis

quam χειραγωγίαν, quod vanè observantur actiones & passiones suæ aut aliorum quæ isto die contingunt, atque inde prælagia læta aut tristia ducuntur, de iisdem per totum annum prosperè aut infeliciter nobis aut proximo eventuris. E. gr. cadit aut impingit quis, læditur quis, evenit illi hoc aut aliud malum, inundationis, incendii, tempestatis, &c. Ergo hæc aut similia illo anno ipsi adversa evenient. Affinis videtur hæc vacua observatio somnio Judæorum, qui statuunt tria esse judiciorum genera, quæ Deus in hoc mundo exercet. Quorum primum in die ראש השנה id est, ineuntis anni, quotannis peragendum, quo judicatur an vita eorum futura sit felix & prospera, an verò dura & calamitosa. Et omnes hoc die coram Deo sisti instar agnorum. Vide mysteria hæc & doctorum dissensiones evolutas ab *Ed. Pokockio miscell. c. 6. p.* 150. quæ subjecit *Maymonidæ Portæ Mosis* Arab lat. editæ. *Quod ad* dona quæ Kalendis Januarii, saturnalibus, matronalibus mittebantur, vocantur speciali nomine *strenæ*, quod quidam à deâ Strenuâ (cujus meminit *Augustinus lib.* 4. *de Civit. Dei cap.* 11. & 16.) alii aliunde derivant. Festus vult à *trenâ* deduci, præpositâ literâ S. ominis boni gratiâ, à numero, quo significatur alterum tertiumque venturum similis commodi. Est enim munus datum die religioso. Earum usum facit antiquissimum, & pæne ab exortu urbis. *Symmachus lib.* 10. *epist.* 28. Vide ejusdem *Lib. epist.* 20. Consule de iis *Macrobium lib.* 2. *Saturn. cap.* 16. *Plinium lib.* 16. *cap.* 28.: Ex Recentioribus *Delrio lib.* 3. *disquis. Magic. part.* 2. *qu.* 4. *sect.* 6. *Turnebum lib.* 10. *adversar. cap.* 26. Legi alicubi *Henricum Cuylens* de iis *tractatum* scripsisse: sed librum illum non contigit videre. Taxat earum usum Tertullianus lib. de Idololatriâ cap. 14. *Saturnalia, & Ianuariæ, & Brumæ, & Matronales frequentantur, munera commeant, strenæ consonant, lusus, convivia constrepunt, &c.* Ex Pontificiis abusum earum notat *Philippus Rovenius in lib. de Republicâ Christianâ, pag.* 519.

II. *Natalitia*, imprimis Regum & Principum celebrata. Vide *L.* 7. *C. de Feriis.* Quæ subinde tam solennia, ut Hadrianus die natali suo mille ferias ediderit (*Æl. Spartianus in Hadriano*); & cum Julia Octaviani Cæsaris ex sorore neptis uxor Agrippæ enixa esset Cajum, sacrificium perenne natalibus ejus cum quibusdam aliis decretum fuerit (*Dion Cassius lib.* 60.); decretum itidem à triumviris, ut qui Senatores aut Senatorum filii, natalem diem Cæsaris lauro coronati non celebrassent, mulctam decies H. S. penderent (*Id. lib.* 47). Etiam quinquennalia Cæsarum, & vicennalia subinde celebrata, uti observat *Baronius ad annum* 320. §. 1. & 325. §. 50. *Mattheus cap.* 14. *vers.* 6. meminit γενεσίων regis Herodis. In quo morem Romanum imitatus videtur. Alioquin Israëlitas

à mo-

à moribus illis, ut & aliis quamplurimis Gentilium non fuisse alienos colligi videtur ex *Hoseæ 7. vers. 5.* ubi *diem Regis*, de die nativitatis aut inchoati regni plerique Interpretes exponunt: quos vide: Quamvis in *Avoda zarah cap.* 1. inter tempora Idololatrarum numerent Kalendas, kratisim (h. e. diem inchoati regni); γενέσια Regum, & diem nativitatis. Apud Persas, Ægyptios, Romanos fuisse receptum non est quod hic ostendam. Vide præter *Rivetum loc. citat. Commentatores in Genes.* 40. collat. *locis Herodoti*, & *Athenei lib.* 4. *Dipnosoph.* ibidem à *Iunio in notis cit.* Ad eorum imitationem probabile est reges Israel γενέσια celebrasse. An autem & quomodo tanquam adiaphorum, & morem merè civilem, natalitia quis celebrare possit, vide *Calvinum in Matth.* 14. quem *Rivetus* contra calumnias Maldonati defendit *Commentar. in Hos. 7. vers. 5. Nathan Cythræus in pio libello*, cui tit. *Viaticum, &c. pag.* 110. suppeditat formulas precationum natali diei convenientium. Sed quia ex natalibus, funeribus, sepulturis magna pars idololatriæ Gentilis ortum suum habuit, cautè hic agendum; ne quod in se non illicitum putatur, degeneret in superstitionem, aut luxum & ebrietatem, aut in idololatriam politicam, seu mavis aulico parasiticam. Tertull. Apologet. cap. 35. Christiani imperatoribus *neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant.* Ubi graphicè describit natalitia Imperatorum à Gentilibus celebrari solita: à quibus Christianos piè abstinentes defendit. Cum autem natalitiæ solemnitates etiam ad mortuos extenderentur, factum est ut Christiani à primævâ simplicitate & caritate paulatim deficientes imprudenti æmulatione martyrum suorum natales celebrarent, iis deputantes diem martyrii; quod nativitatis dies plerumque eos laterent. Hinc postea festa Sanctorum, & tandem invocatio eorum, totumque choragium idololatricum. Martinus Roah in libro de Natali sacro & profano cap. 18. fatetur *in eo multos olim fuisse ritus antiquos* (celebrationis scil. Natalium apud Gentiles), *sed Christiano more expiatos.* Is ab antiquitatum de die natali avido utiliter legi poterit, & cum eo conferri *Censorinus de Die natali*, à *Lindebrogio cum Commentar.* editus. De muneribus natalitiis *Salmuthus ad Pancirollæ antiquè deperdita, tit.* 69. De iisdem & ludis, *Martinus Roah.*

III. *Feriæ* merè civiles, apud Gentiles institutæ, ab antiquis Christianis, qui quam longissimè fugiebant festivitatis religiosæ celebrationem, observatæ fuerunt. Est enim Ecclesia in Republicâ, non contra. Nec poterant aut debebant Christiani ex mundo exire. 1. *Corinth.* 5. Nec tamen sine cautione circa politicas solemnitates & formalitates versabantur. Omnia enim tuta timenda erant; ne externæ civilis honoris & ob-

servationis speciei aut cortici subesset quid idololatricum & idolothyton. Aliquando enim ipsis fucum faciebant Gentiles; uti constat tum ex aliis, tum imprimis ex celebrato exemplo militum, qui sub Juliano apostatâ, imprudentes grana thuris in thuribulum injiciebant. Vide *Histor. Eccles. Sozomeni lib. 5. cap. 16.* Dies ergo apud Romanos distribuebantur (juxta *Macrobium lib. 1. Saturnalium cap. 16.*) in festos, profestos, intercisos. *Festi* Diis dicati: quibus inerant sacrificia, epulæ, ludi, feriæ. De Sacrificiis *Stuckius.* De Epulis *Idem in Convivialibus*, & *Ciacconius* & *Fulvius Vrsinus de Triclinio.* De Ludis *Panuinus* & *Bulengerius. Profesti* dicati hominibus ad res privatas publicasque gerendas: quibus inerant dies fasti, comitiales, cumperendini, stati, prælaries seu dies agonales. *Intercisi*, Diis hominibusque communes. De hâc dierum distinctione, qui compendium aut manuductionem quærit, consulat *Macrobium libr. 1. Saturnal. cap. 16. Varronem de l. lat. libr. 5. Rosinum & Dempsterum libr. 4. antiquitat. Romanar. cap. 3. & c.* aut *Commentatores in Fastos Ovidii.* Aliter distinguuntur feriæ in *publicas & in familiares. Illæ* rursum in stativas, conceptivas, imperativas, nundinas. *Stativæ*, ad Deûm honorem pertinentes erant, quæ anni certis, statis & revolutis diebus & mensibus in fastis aut Kalendario notatis celebrantur. Et tales etiam erant pro veneratione Principis, & aliorum Heroum, si natalis eorum dies aut dies initi Imperii observetur feriatus, L. *omnes dies 6. C. de Feriis. Conceptivæ* erant, quæ singulis annis à Pontifice, aut à Præsidibus Provinciarum indicabantur, quando celebrandæ essent. Ad eas referendæ sunt Latinæ, Sementinæ, Pagnalia, Compitalia. *Imperativæ*, seu *imperatæ* (quæ & *repentinæ*) quas Consules vel Prætores pro arbitrio potestatis indicebant. De quibus *Antiquarii* modo *cit.* & *ICC. ad libr. 2. Pandect. tit. 12. & lib. 3. Cod. tit. 12. Covarruvias lib. 4. cap. 19. §. 11. Joh. Michael Beutherus in disp. de Festis, Feriis, Jubilæis*, Argentorati anno 1617. De Justitiis seu Feriis tribunalium in Imperio Orientali, exstat *Novella Manuelis Comneni*, quę cum aliis novellis *part. 1. Iuris Orientalis p. 160.* edit. *Leunclavii* in fol. Ubi quidam statuuntur in totum feriati (πλείως ἀπραγκτοι), alii Juridici (ἡμιπραγκτοι) quibus tribunal tantum ex parte vacationem habet. Ad hos redigit *Comnenus* dies σχολαζόντας ob natalem & renuntiationem Principis.

6 VI. Papistarum festa quamplurima sunt, quæ ex *Authenticis* ipsorum *libris* petenda, *Breviario* scil. *Missali*, *Calendario*, *Martyrologio Romano.* Adde *Belethum de divinis Officiis*, *Durantis Rationale*, *Gavantum in Thesauro sacrorum Rituum*; denique inter Calvinistas, *Azorium part. 2. lib. 1.*; inter Scholasticos *Franciscum Zvvarez de Religione lib. 2.* qui tres postremi imprimis in hâc materiâ desudârunt. Ex nostris pleraque complexus est

Hospinia-

Hospinianus. Ut autem Studiosi nostri in illâ farragine, aliquem ordinem invenire queant, notent divisiones aliquot; quarum quædam sunt ex sensu Papistico delumtę, aliæ ex sensu nostro & ex ipsâ rei veritate melioris doctrinæ causa à nobis adjectæ. Prioris generis sunt 1. Præmissa ex *Azorio*, & *Glossa in c. Conquestus de Feriis* distinctione feriarum in civiles seu imperativas, in rusticas seu publicas, & in solennes, dividunt Dies solennes seu sacros in 1. Jejunia (de quibus *Disp. de Quadragesimâ* & *Bacchanalibus*) 2. Litanias: de quibus supra *peculiari Disp.* egimus. 3. Processiones seu Stationes, quæ & rogationes: de quibus supra *Disp.* 4. Festivitates. Sic *Bethethus divinor. Offic. c.* 3. 11. Festivitates seu festa propriè dicta secundum partes dividuntur 1. in vigiliam seu paraseeven: de quâ *Hospinian. p.* 25. *cap.* 7. 2. Ipsum festum. 3. Octavam: Morem hunc festa per octo consequentes dies celebrandi antiquissimum esse contendit *Baron. ad Martyr.* 2. *Januar.* Gavantus in Præfat. ad suum Octavarium, quippe *Hebræis primum, mox Christianæ Ecclesiæ divino consilio traditum, atque ritu perpetuo receptum.* Et huc citantur *Levit* 23. 1. *Reg.* 8. 1. *Paral.* 19. 1. *Machab.* 4. *Ioh.* 7. & 10. Octavas autem tertiam scil. festivitatis partem omnia festa non habent, sed quædam magis solennia, ut Nativitatis, Epiphanię, Paschatis, Ascensionis, corporis Christi, Pentecostes, Mariæ nativitatis & assumtionis, Nativitatis Johannis Baptistæ, Martyrii Petri & Pauli, Festi omnium Sanctorum, Stephani, Johannis Euangelistæ, Innocentium, Laurentii, Dedicationis propriæ Ecclesię, Patroni principalis loci & Tutelaris. Quæ, quales, quantæ, & unde sint, dilees ex *Octavario Romano Bartholomæi Gavanti à sacrâ rituum congregatione* approbato, Ejusdemque *Thesauro rituum, tom. 2. ad Brevarium, sect. 3. cap.* 8. Et *tom.* 1. *ad Missale, part.* 4. *tit.* 12. 111. Dividuntur secundum species in hebdomadalia, anniversaria, & sæcularia. *Illa* sunt dies Dominicus, & sabbathum Mariæ, quod incidit in diem Saturni, quod saltem analogicè ipsis festum, si non κυρίως. De quo supra *in quæstionibus* §. 3. *Ista* reliqua omnia, quę mox subdividemus. *Hæc* Jubilæa, de quibus infra *peculiari Disp.* 1v. In Mobilia & Immobilia. *Illa* sunt quę in eundem diem hebdomadis perpetuo incidunt, non verò in eundem diem mensis. *Hæc* verò contra, quæ in easdem Kalendas, non verò in eundem diem hebdomadis. *Illa* sunt Dominica Septuagesimæ, Dies cinerum, Dominica Palmarum, Cœna Domini, Pascha, Festum Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, corporis Christi. Reliqua sunt immobilia. v. Rursum dividuntur in universalia, & particularia: quæ divisio innuitur *c. conquestus*, & *c. quoniam de Feriis*, & *c. Catholica, dist.* 11. & explicat *Zuvarez cap.* 3. *Illa* sunt, quæ ab universali Ecclesiâ servantur, suntque juxta supputationem

Gavanti ad Breviarium sect. 3. *cap.* 2. 3. 4. numero circiter ducenta, viginti septem, præter Dominicas, Octavas, infra Octavas, & Vigilias, quæ quasi solennitates sunt, & festi-forme quid referunt. *Particularia* sunt, quæ nec sub Præcepto, nec ex devotione pariter ubique servantur; sed tantum in aliquibus Provinciis seu diœcesibus, ex Præcepto. Introducuntur autem illa vel ex vi ipsius juris communis, sine speciali facto seu voluntate inferioris Prælati: vel per inferiorem legem seu constitutionem, seu consuetudinem illi æquivalentem. *Illius generis* sunt festa Patroni, dedicationis, aut sancti titularis cujusq; loci. Quomodo autem distinguantur sancti loci alicujus titulares à tutelaribus, supra docuimus in *Disp. de Patronatibus, tutelis; &c. Hujus generis* sunt in honorem Sanctorum, sed qui præsupponuntur canonizati aut beatificati. Hæc autem particularia festa à se enumerari non posse fatetur *Zvvarez cap.* 11. duorum tantum in Hispaniâ celebrium mentione factâ, Cap. 8. *Exspectationis scil. & descensionis Mariæ.* VI. Universalia sunt vel quæ observantur vi juris communis seu ex Præcepto, vel ex devotione tantum. Sic *Gavantus Commentar. in rubricas Breviarii, sect.* 7. *cap.* 12. & *Zvvarez* passim cum de particularibus Festis disputat. Sub Præcepto, quot & quænam observanda sint, non usque adeo inter illos convenit. *Zvvarez* præter diem Dominicum & festum Trinitatis, putat ex festis Christi in rigore tantum esse quinque, quibus se duo additurum dicit usque ad mortem Christi, *cap.* 5. Ex Festis Mariæ propriis duo, Nativitatis scil. Assumptionis; de *Mariâ ad nives* dubitat; & principium fidei suæ exspectat: *nisi constet*, inquit, *de speciali consuetudine*: Ex Festis Angelorum unum: Ex Festis Sanctorum scil. omnium Sanctorum, Nativitatis Johannis Baptistæ, Festum Johannis Euangelistæ, Jacobi, aliorumque Apostolorum: Adhæc ex Festis Martyrum, Stephani, Innocentium, Laurentii. De Sebastiano, Sylvestro, Martino fluctuat: ut & de Catharinâ & Luciâ, quarum festa dicit regulariter esse ex devotione tantum, raro verò sub obligatione. Ita rationibus subductis concludit *cap.* 10. dies festos (præter Dominicas & festivitates particulares in quâque Provincia aut diœcesi, ad quas subditi illic tenentur) quorum observatio universalem Ecclesiam obligat, esse circiter viginti novem. Sed ipse calculator non obscurè innuit apud Socienos & Ecclesias Papales illum numerum passim auctiorem esse. Secundum objecta si dividamus, erunt quintuplicia, 1. Dei, 2. Christi Mediatoris. 3. Mariæ. 4. Angelorum. 5. Sanctorum. I. Festa Dei & Christi sunt, quæ in Dei memoriâ & honore vel gratiarum actione pro aliquo beneficio quodammodo fiunt. *Dei* sunt duo, dies Dominicus, & Festum Trinitatis. *Christi* sunt, Incarnationis, Nativitatis, Circumcisionis,

nis, Epiphaniæ, Præsentationis, Transfigurationis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis corporis Christi, Inventionis Crucis, Pentecostes. *Zvvarez cap.* 5. 6. 7. 11. *Mariæ*, quæ partim cum Christo habet communia, partim propria, sunt, Immaculatæ Conceptionis, Nativitatis, Præsentationis, Annuntiationis Angelicæ, Visitationis, Purificationis, Assumtionis, Sanctæ Mariæ ad nives, seu dedicationis Templi S. Mariæ majoris. Vide de illis *Hospinianum* & *Rivetum in Apolog. Mariæ lib.* 2. *cap.* 13. & *Martini del Rio Floridam Marianam*, quæ 13. panegyricos de laudibus Mariæ complectitur. *Baronius in Martyrolog.*, addit Festum dedicationis Ecclesiæ ad Martyres 13. Maji, Et Festum commemorationis ob victoriam navalem 7. Octobr. Non videtur prætereundum Festum Josephi Sponsi Mariæ, quem nunc titulo Patriarchæ insigniunt; quem recenter Festo decoravit Urbanus VIII. Cum eo simul & Maria colitur; unde confraternitates Mariæ & Josephi. Imprimis Festum seu Sabbathum hebdomadale Mariæ (de quo *supra*) in laterculum festorum Marialium referendum. III. *Angelorum* sunt, tum *collectivè* Angelorum omnium custodum, tum *distributivè* & seorsim Michaëlis, Gabrielis, Raphaëlis, quæ duo posteriora apud multas Ecclesias celebrantur, teste *Gavanto ad Breviar. sect.* 7. *c.* 12. Conter *part.* 1. *Sel. disp. tit. de Angelis*; & *disp. Zvvarezii c.* 9. ubi asserit Festum Septembris esse sub Præcepto, non autem Festum Maji. IV. *Sanctorum*, tum *Apostolorum*, tum *Martyrum*, tum *Confessorum*, tum *Doctorum*, tum *Mulierum*, sunt quamplurima in Kalendariis enumerata. Neque enim Sanctis, quos partim canonizatos, partim beatificatos colunt, sigillatim Festos dies dicare potuerunt. Nam *Belethus cap.* 154. refert ex *Eusebio*, & ex *Beletho Gavantus sect.* 7. *cap.* 13. excedere quotidie numerum 5000. Hodie certè est ingens numerus, & quotidie accrescit objectum religionis & adorationis in Papatu; adeo ut nunquam completa sit aut quiescat fides & spes eorum, sed semper suspensi exspectent si quid novorum numinum aut Deorum fœcunda canonizatio allatura sit. Videat Lector præter *Kalendarium Romanum*, & *Martyrologium*, *Catalogum novum Sanctorum extra Martyrologium à Phil. Ferrario nuper edit.*, ubi Martyrologii Catalogo addidit præter *propter tria millia*; ut ex Paginis indicis seu catalogi conjicere mihi videor: nam accuratè nomina singulorum numerare nunc non vacat. VII. Ex adjunctâ solennitate officii & rituum, possunt etiam dividi & denominari ex *Durante lib.* 7. *cap.* 1. in duplicia, semi-duplicia, & simplicia. *Duplicia* sunt in universum 98., eaque subdividuntur 1. in primæ Classis, ut Nativitas, Epiphania, &c. 2. Secundæ Classis, ut Circumcisio, Trinitatis, &c. 3. Duplicia majora per annum, ut transfiguratio Domini, exaltatio Crucis, &c. 4. Duplicia minora per annum,

annum, qualia sunt præter Octavas 9. omnia festa, quibus in *Kalendario* vox *duplex* apponitur. *Semi-duplicia*, quæ gaudent ritu semi-duplici, & sunt præter Dominicas, Festa Sanctorum ultra 40. & dies infra Octavas ultra 40.; in universum cum Dominicis 130. Simplicia sunt, quibus in Kalendario nihil apponitur, quæ hodie superant numerum centenarium. x. Dividuntur etiam secundum tempus hybernum, æstivum, & menses per totum annum. Sanctorum natalibus suus cuique dies assignatus, non secundum veritatem Historiæ, sed pro beneplacito Ecclesiæ.

7 Adjicimus nos melioris doctrinæ causa istas divisiones. 1. *Est ex adjuncto*, seu secundum partes cultus, qui sunt Sacrificia (Missatica scil.) feriæ, epulæ, ludi. Ex quibus quatuor elementis Gentiles olim festa sua exstruebant, & ad eorum imitationem Israëlitæ, *Exod.* 32. cum 1. *Corinth.* 10. *vers.* 7. Hic memorandæ sunt *Vigiliæ* & *Octavæ*. De quibus §. *præced.* Et *Officia* cujusque Festi: de quibus §. *sequenti.* 11. *Est ex alio adjuncto*; quod sint vel magis hilaria, vel minus: nam in genere omnia suo modo sunt hilaria, excepto die passionis Christi & cinerum. Ex illo genere sunt potissimum, Encænia (de quibus alibi agimus, ubi *de Templis*) Kalendæ Maji, Festum Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ seu Trium Regum, Purificationis Mariæ seu Festum luminarium (de cujus origine ex Ethnicismo vide *Baronium tom.* 1. *an.* 58. 77.) cœnæ Christi, Martini, Nicolai, Catharinæ, Barbaræ, Agathæ. Adde Dominicam *lætare*; vigiliam seu paraseeven quadragesimæ, hoc est, bacchanalia: antiquum Festum fatuorum seu ludum stultorum (quod etiam ipsi Monachi, aliique Clerici servare solent, teste *Durante Rational. lib.* 7. *cap.* 47. confer *Gerson. part.* 4. *num.* 70. & *Concilium Basileense sect.* 21.); Festum seu ludum Innocentium, etiam applaudentibus Capitulis in Papatu à pueris agitatum, teste *Molano lib.* 2. *de Canonicis*, *cap.* 44. Adde hilaria Patronorum cujusque collegii, artis, aut professionis hominum, ut Venatorum, Medicorum, Mercatorum, Textorum, Sartorum, Sutorum, Pictorum, Fabrorum, &c. 111. *Ex mendacio & figmento.* Nota *primo*; omnia ipsorum Festa (excepto die Dominico, qui non est Festum formaliter & quà talia ab ipsis celebrari solita, dupliciter falsa & nihil sunt, *tum quod* observatio eorum non sit cultus à Deo institutus (ut *infra* videbimus) & consequenter non sit actus Religionis, quod tamen erant Festa V. Testamenti: *tum quod* Officia divina singulis Festis præstari solita, maximam partem sint idololatrica aut superstitiosa. *Secundo*; Præterea quamplurima etiam materialiter falsa sunt, quia materia, occasio, res commemoranda ementita aut incerta plane est. Dividimus autem festa illa etiam materia-

materialiter falsa in triplicia semitriplicia, duplicia semiduplicia, simplicia. *Triplicia* sunt, quorum commemoratio seu res commemoranda tripliciter falsa est. 1. Quod ad personas. 2. Quod ad factum. 3. Et quod ad adjuncta consequentia, etiam tempus: ut Festa Catharinæ, Christophori, Georgii, Margarethæ, &c. nunquam enim personæ tales, aut res gestæ fuerunt in rerum naturâ, nedum tali tempore. Vide de Georgio, Catharinâ, Christophoro hoc solidè probatum apud *Raynoldum de Idololatriâ lib. 1. cap. 5.* De Ursulâ & 11000. Virginibus supra in *disp. nostrâ de Sanctis Chimaricis part. 1.* Et de reliquis ab *Autoribus* supra *citatis in Dispp. de Sanctis Chimaricis. Semitriplicia* sunt, quando personæ quidem fuerunt sed non sanctæ, ut Dominicus carnifex piorum Waldensium, Thomas Cantuariensis, &c. *Duplicia* sunt, cum personæ quidem fuerunt, etiam sanctæ, sed res gesta non fuit, cujus nomine festum celebratur, ex. gr. Festum sanguinis Christi, qui scil. ex crucifixo ligneo effluxerat, Festum immaculatæ conceptionis Mariæ, item præsentationis ejusdem in Templo, Assumptionis Mariæ, Cathedræ Petri, Corporis Christi, &c. *Semiduplicia* sunt, Cum & personæ sunt incertæ & res gestæ, præterea satis certum est sic non esse gestas, ut referuntur, & occasionem dederunt Festo: ut Septem dormientium, &c. *Simplicia* sunt, cum datâ veritate personæ & Martyrii, aut rei alterius præclarè gestæ; repræsentatio tamen istius rei gestæ seu adjunctum consequens falsum est, ut Petri ad vincula, Inventionis Crucis, Inventionis S. Stephani, Mariæ ad nives, &c. *Aut* cum saltem rei, quę gesta dicitur, tempus fictum & suppositicium est: quod de plerisque Festis fatetur *Barth. Gavantus*, ita ut natales, hoc est, dies Martyrii Sanctorum illorum dicantur quotannis solenniter observari (ut scil. esset commemoratio rei in die suo) quorum tamen natales ignorentur. Quæstionem movet ad Breviarium sect. 8. pag. 174. *Quo die celebrandum Festum sancti, cujus nescitur dies obitus, neque translationis, neque insignis manifestationis, & ejusmodi, & tamen aliis de causis celebrari debet ejus Festum ex majorum consensu?* Respondet: *Antiquiores celebrabant illo die, quo in Martyrologio festum alterius sancti ejusdem nominis occurrebat, quod notavit* Baronius in Martyrolog. die 12. Februarii, &c. *Et hic quidem ritus placet, nisi ubi timetur error in populis, qui credant eum quem colunt esse eundem, qui in Calendario Romano descriptus est: quod non sine gravi peccato fit hodie alicubi, ut audio, suadentibus tale quid iisdem de Clero, ut fiat concursus ad eorum Ecclesiam, ubi requiescit corpus Sancti ejusdem nominis, &c.* Porro si quis mendacia, fabulas, dubias & incertas relationes, quibus pseudo festa Papalia superstructa sunt penitius cognoscere cupiat, siquidem *Hospiniani aliorumque ex nostris* indicio uti nolit, consulat

Zvvarez & Azorii Disputationes loc. cit. Baronii notas ad Martyrologium Romanum, Molani ad Martyrologium Vsuardi; imprimis *Censuram Iohannis Hessels de Lovanio* cum eodem *Vsuardo* editam, & *Gavanti Commentar. in Rubricas Breviarii.* Ubi etiam videbit, quam parum conveniat Papistis in communi fide & religione Festorum. IV. *Distinguuntur*, in anniversaria seu ordinaria, & in extraordinaria, Ista sunt *rogationes*, & *processiones* publicæ, vel gratiarum actoriæ, vel supplicatoriæ ob calamitatem aliquam extraordinariò institutę. De quibus ex nostris *Hospinianus* & *Cornarius de Re vinitoriâ, pag.* 450. 455. ubi eos comparat cum Ethnicis. Vide de iis supra *Disp. de Processionibus.* Sunt etiam rogationes ordinarię & anniversarię, ut Dominica rogationum apud *Durantem libr. 6. fol.* 199. v. *Ex modo*, in tristia, & læta. *Tristia* sunt tum jejunia, tum processiones supplicatoriæ. *Jejunia* sunt vel stata, vel occasionata. *Stata* sunt hebdomadalia, ut diei Veneris: vel anniversaria. Quæ rursum sunt vel vigiliarum, vel quatuor temporum, vel quadragesimæ. De his infra in *Disp. de Quadragesimâ. Læta* sunt, vel *chimærica* seu fabulosa, ut Christophori, Catharinæ, &c. vel *ludicra*, ut Festum fatuorum, Thomæ, Innocentium: vel *pinguia*, ut Martini, Trium Regum, &c. vel *hæretica*, peculiari quâdam ratione ex objecto scil. seu materiâ, & occasione Festi, ut corporis Christi, Petri ad Cathedram, Immaculatæ conceptionis Mariæ: vel *Chimærica & simul particulariter hæretica*, ut Festum lanceæ & clavorum, Cathedræ Petri, corporis Christi. VI. *Ex autoritate*, alia authentica seu Canonica, alia Deuterocanonica, alia Apocrypha. *Canonica* sunt, quæ absque contradictione communi fide Romanâ recipiuntur, hoc est Sanctorum, qui in formâ sunt canonizati, vel per immemorabile tempus habiti pro Sanctis. Quæ rursum sunt duum generum, vel quæ sub Præcepto seu sub mortali (uti loquitur) ab omnibus celebrari debent, & rubro in Kalendariis signantur: vel quę tantum sub consilio celebrantur, & nigro in Kalendariis notantur. *Deuterocanonica* sunt, quæ à quibusdam non recipiuntur, qui tamen non sunt hæretici. Quale est conceptionis Mariæ: quod quamvis ab Urbano IV. toti Ecclesiæ impositum sit, à Dominicanis non celebratur, quia non credunt immaculatam conceptionem; sed loco ejus celebrant diem sanctificationis Mariæ; qui sic etiam in Kalendariis istius ordinis notatur. Talia etiam sunt Festa beatorum, seu beatificatorum, qui nondum canonizati sunt, qui ubique coli non possunt, sicuti canonizati, ut e. gr. *Rochi*, de quo supra *Disp. de sanctis Chimæricis. Apocrypha* sunt, 1. *Eorum* Sanctorum, qui ex albo expuncti sunt, ut *Hermanni Ferrariensis.* 2. *Eorum*, qui nec canonizati, nec beatificati, populari tamen aut endemiâ devotione alicubi coluntur; ut Raymundi

Lullii

Lullii apud Majoricenſes, & Sanctorum quorundam naturalium apud Hiſpanos, quorum inſignes reliquiæ illic habentur. Endemiæ Hiſpanorum Religioni acceſſit anno 1573. licentia ſeu conceſſio Gregorii XIII. de quâ *Gavantus tom. 2. p. 7.* Huc etiam referri debent feſta Sanctorum localium, qui illic neque nati, neque mortui ſunt, nec eorum inſignes reliquiæ exſtant. De quibus vide *Gavantum tom. 2. p. 22.* 3. *Eorum*, qui ab Anti-Papis canonizati; ut Caroli Magni, cujus feſtum Aquiſgranenſes ſolenniter obſervant. VII. *Ex ſubjecto* ſeu objecto, *Alia* ſunt inanimatorum & irrationalium, ut Feſta crucis, lanceę & clavorum, ſindonum, ſudarii (de quibus ſupra *Diſp. de ſanctis Chimaricis*), & Sancti Roſarii à Gregorio XIII. inſtituti, de quo *Gavantus tom. 1. pag. 291.* & *tom. 2. pag. 166.* *Alia* rationalium ſed non-ſanctorum (Papiſticè hanc vocem accipiendo), quale eſt Feſtum omnium animarum, quod minimè in religioſum honorem & cultum earum, & ut auxilium ab illis tanquam patronis petatur, (ſicuti Feſta Sanctorum) ſed tantum in earundem auxilium, & ut illis in neceſſitate à Feſtum celebrantibus ſuccurratur, eſt inſtitutum. VIII. *Ex proprietate*, alia ordinata & definita, alia indefinita & extravagantia. *Iſta* ſunt varia. 1. *Feſtum* octidui propter baptizatos in Paſchate: de quo *Ioſephus Vicecomes, de antiquis Baptiſmi ritibus, pag.* 885. 2. *Feſtum* anniverſarium cujuſque baptizati in memoriam ſui Baptiſmi. *Idem pag.* 905. 3. *Feſta* anniverſaria electionis & conſecrationis Epiſcopi: de quo *de conſecr. diſt. 1. c. ſolennitates.* Quæ utraque poſſunt celebrari; & ſi alterutrum tantum celebretur, conſecratio potius quam electio celebranda. Ita *Gavantus tom. 1. pag.* 297. IX. *Ex modo originis*, alia ſunt prima ſeu ex ſe orta (ita loqui liceat): alia Judæorum aut Gentilium feſtis ſubſtituta, aut ex iis transformata; qualia eſſe ſpeciminis cauſâ, oſtendit *Raynoldus in Prælect. ad libros Apocryphos lect.* 222. ubi de Feſto purificationis ad modum feſti Cereris, & Lupercalium; de Feſto natalitio ad modum Saturnalium, &c. Et *Hoſpinian. c. 3. fol.* 13. & 15. qui idem de quibuſdam in ſpecie hoc explicat; imprimis ad 1. Januar., ad 2. Febr., ad 29. Junii, &c. Quin ipſi Pontificii fatentur, *Polyd. Virgilius* paſſim *in lib. de Inventor. rerum*; & *Baronius ad Martyrologium Romanum*, 2. Februar., ubi de Cereis: *Putamus*, inquit, *quod in aliis multis* (nota τὸ *multis*) *contingit, illum ritum Gentilium expiatum fuiſſe.* Confer de Feſto purificationis, deque tædis & facibus *Serrarium lib. 2. de Proceſſionibus.* Et *Matheneſium de Theophoriâ Colonienſi diſc. 6.* & 7. X. *Ex generatione, & corruptione*, ſunt alia abrogata & antiquè deperdita: alia ſurrogata, & novè reperta ſeu inſtituta. *Illius* generis ſunt decem, quæ Urbanus VIII. in bullâ Feſtorum ſub Præcepto ſervandorum anno 1642. Idib. Septemb. præteriit. Quam bullam Ferdinandus

dinandus Archiepisc. Colonienſis anno 1643. per diœceſin ſuam, & Vicarius Epiſcopi Antwerpiani, anno 1652. 16. Novemb. vernaculo ſermone per diœceſin Antwerp. publicari atque obſervari fecerunt. Sunt autem Feſta illa, conceptionis Marię, Viſitationis Mariæ, Cathedrę Petri, Converſionis Pauli, S. Marci, S. Lucæ, S. Martini, S. Nicolai, S. Mariæ Magdalenæ, S. Catharinę. Omittuntur ibidem omnes Octavæ feſtorum, & conſequenter, abrogatur obſervatio ſub Præcepto. Ita haut obſcurè *Gavanto* Octavarii novi autori, & tam operoſo myſteriorum omnium Interpreti in *tom. 2. Theſauri antiquit.*, quin & ipſi *Breviario & Miſſali Romano* haut parum deperit. *Iſtius* generis ſunt tria, Joſephi, Annæ, Sylveſtri, quæ reformato catalogo Feſtorum ſub Præcepto obſervandorum inſeruntur in dictâ Bullâ Urbani; Quam multa ex hâc Bullâ κατ' ἄνθρωπον opponi poſſint, ego jam non dicam. Abundè hoc præſtitum à Cl. D. *Hoornbeeck* ad annos aliquot Collegâ noſtro conjunctiſſ. in *Examine Bullarum Vrbani de Ieſuitiſſis, de Imaginibus, de Feſtis*, anno 1653. Ultrajecti edito. Quò Lectorem remitto. Atque hactenus diſtinctiones feſtorum Papalium, quorum origines, autores, occaſiones, formas, & modos celebrandi, ſi quis in particulari noſſe cupit, is adeat ex noſtris *Hoſpinianum*, qui ſcripſit anno 1593. ſed ſecundis curis quamplurima addidit anno 1612. Eum præceſſerat anno 1584. *Mathæus Dreſſerus* Hiſtoriarum Profeſſor Lipſienſis *in tract.* cui tit. *De Feſtis & præcipuis anni partibus.* Poſt Hoſpinianum *Theodorus Thummius* Theologus Tubingenſis ſcripſit *de Feſtu Iudæorum & Chriſtianorum.* Sed exemplar libri hactenus non vidi, ut perluſtrare potuerim. Ex Pontificiis, conſulendi *Belethus* & *Durantes*, cum *Miſſali, Breviario*, & *Kalendario Romano*; adhæc *Vita Sanctorum Surii, Lipomani, de Natalibus*; nec non *Martyrologium Baronii, Philippi Ferrarii Catalogus*, denique *Biel, Petrus de Natalibus*, aliique *in Sermonibus de Sanctis.* Poſt omnes & ſupra omnes alios *Gavantus in Theſauro rituum*: ubi noviſſimus ſtatus & ordo Feſtorum accuratiſſimè ex *Bullis* & *arcanis SS. congregat. Deciſionibus* indicatur. *Subjicimus* quæſtiunculam. *Quæſt.* Quę ſit Dominica lætare, hoc nomine in Papatu communiter nota, & in *Kalendariis* deſignata, quę hic Ultrajecti nomine *diei Roſæ*, de dach van de Roos / vulgò nota, & non ſine aliquâ à laboribus reſpiratione, ac per deambulationes (ſi ſudum Cœlum faveret) recreatione, nuper adhuc celebrata fuit. *Reſp.* Dominica lætare dicitur, à primâ voce textus ſacri *Lætare Ieruſalem*, &c. tunc legi ſoliti. Ad quem textum alludentes, ob ſuperatam & exactam dimidiam mortificationis & jejunii quadrageſimalis partem, externam & corporalem quam recreationem ſuis conceſſerunt, ne ſcil. ſub intolerabili illo pœnitentiæ jugo fatiſcerent.

tiscerent. Dicitur & dies Rosæ, à Rosâ aureâ quam Papa cum suis hoc die Romam obequitans, manu suâ tenet, & post absolutam festivitatem Principi alicui dono mittit. Mysterium ejus Rosæ pandit *Durantes libr. 6.* (ubi vide), & ex Recentioribus *Cornelius à Lapide in Syracidæ cap.* 24. Ubi encomia Rosę ex *Iosepho Stephano in defensione Rosarii cap.* 3. aliaque ad historiam naturalem, mysticam, hieroglyphicam, & mythologicam, tum Gentilium Poëtarum, tum legendarum Papisticarum pertinentia recenset, atque unà ἐν παρόδῳ de rosis Jerichuntinis philosophatur, eas *id habere gratiæ, ut nocte natalis Domini sese aperiant, postea se concludant licet siccæ sint & aridæ, in testimonium Virginei partus, ut credere licet, ait Adrichomius in descriptione Terræ Sanctæ, in fonte Eliśæi.* Ibidem pag. 20. a. cum dixisset Mariam esse mysticam rosam Jericho, subdit: *Quocirca in Dominicâ Lætare, quæ sub festum annuntiationis B. Virginis occurrere solet, rosa à Pontifice Romano benedicitur, tanquam lætitiæ gaudiique prænuntia* (ut ait Innocentius III. sermone de hâc re) *ut inde omnes agnoscant novam prolem & propagationis spiritalis sobolem editam in Ecclesiâ, cum scil. ipsa purissima Virgo lætitiæ & exultationis florem, ornamentum humani generis, & totius orbis auctorem in se concepit & corporavit. Durantes lib. 6. cap.* 53. dicit tria illo die repræsentari, caritatem, gaudium, satietatem: quæ tria pariter designentur in proprietatibus rosæ, caritas in colore, jucunditas in odore, satietas in sapore. Explicat ibidem mysterium triplicis materiæ, in hâc rosâ, auri scil. musci, & balsami: *quia triplex est in Christo substantia, deitas, corpus & anima. Sed balsamo mediante muscus auro conjungitur Deitati.* Ibidem notat cavalcadam (liceat Romano seu curiali idiomate de pompâ Romanâ uti) Papalem per urbem. Ibidem solus (alii enim à nobis citati hoc prætereunt) rationem hujus solemnitatis *Lætare* aperit. *Ratio*, inquit, *secundum literam est, ne fidelis populus propter quadragesimalis observantiæ asperitatem sub continuo labore deficiat: quia quod caret alternâ requie durabile non est. Ideo in hâc mediânâ Dominicâ quadragesimæ quoddam recreationis solatium interponit, ut anxietas temperata levius sufferatur*: juxta illud, *Interpone tuis interdum gaudia curis.* Et hinc factum, ut symposiis, cupediis, epulis Laici pariter & Clerici, præsertim Canonici, qui plerique præjejuniis & mortificationibus, (scilicet) ossa atque pellis erant, hoc die solenniter se refocillarent. *Ceremoniale Romanum lib. 1. sect. 7. fol. 75. b.* & *lib. 2. cap.* 37. totum hoc ceremoniarum choragium describit. Ubi vide. *Rupertus Tuitensis, lib. 4. de divinis Officiis cap.* 2. dicit quartam Dominicam quadragesimæ, dictam, *Lætare*, esse propriam quandam imaginem Paradisi, & dicendam *septuagesimam*, quia per septem hebdomadas ad illam *Lætare* pervenitur, *sexagesimam* quia per sex, &c. hoc est, per septem ætates mundi ad cœlestem gloriam,

riam, per sex ad gratiam redemtionis nostræ pervenitur. Gavantus tom. 1. part. 4. tit. 5. pag. 235. *Dominica* lætare, *est lætitiæ: unde eo die legitur convivium à Christo celebratum*, Joh. 6. *quod est imago Paradisi. Semel & iterum dicitur*, lætatus sum in his, *&c. admissam adhibentur Dalmaticæ, quæ sunt lætitiæ (juxta rubricam Missalis, part. 1. tit. 19.* In diebus verò jejuniorum), *Et præterea, &c. in argumentum lætitiæ, Papa eo die dum fert in manibus auream rosam.* De quâ lege *Durantem lib. 6. cap. 53.*

8 Festa quomodo & quo officio quæque celebranda docet *Missale & Breviarium*: in quorum mysteria operosè postremis his annis inquisivit congregatio sacrorum rituum post reformationes Concilii Tridentini & Papæ Pii V. omnia passim incrustans, fingens, refingens, ut saltem aliqua probabilia, aut saltem minus horrida & absurda popello suo obtruderent. Quæ omnia prodit nobis congregationis illius Consultor *Gavantus libro* jam sæpius *cit.* Imprimis deludant circa Festorum inæqualitatem, præferentiam (ita loquar) seu præcedentiam, occurrentiam, concurrentiam, translationem, &c. Casus & controversias complures, quæ inter ipsos agitantur circa institutionem & celebrationem Festorum, more suo prolixè satis exposuit *Zvvarez*. Scrupulos, dubitationes, determinationes rituum & praxios minutim rimatur & excutit *Gavantus*: ex quo mysteria illa haurienda sunt: ne in nostris in chao istâ atomorum alicubi secundum nova & vetera jura exactè non loquentibus, calumniæ speciem cupide venentur; more eorum qui αὐτοκατάκριτοι principalem causam suam sentiunt desperatam. Nos quia pugnę illius tantum spectatores sumus, & memores instituti, de iis non agemus; diligens Lector facile *Gavantum* percurrere, & infinitas eorum contradictiones & vertigines annotare poterit. Porro quid ipsis sit officium divinum, & quot ejus formæ ac modi, vide supra *in Disp. de Rosariis, Litaniis, Horis Canonicis*, &c. Et quæ, qualia, quot, quanta officia singulis Festis conveniant, docet ceremoniarum Magister *Barth. Gavantus.*

9 Accedamus ad controversias capitales, quæ nobis intercedunt cum Pontificiis, *Bellarminus de Cultu Sanctorum, lib. 3. cap. 10.* facit tres. An scil. sint Festa in N. Test. An sint dicanda Sanctis. An ab Ecclesiâ possint institui. Mediam studio hic præterimus: quia alibi ventilatur, ubi *de Cultu Sanctorum.* Ut primam controversiam dextrè enodemus, status ejus constituendus est, quod fiet præmissâ explicatione vocis *Festi*, quæ notare potest 1. propriè diem solennem anniversarium à Deo institutum, qui cum singulari lætitiâ & cultu observetur ad gratias agendum Deo pro certo aliquo beneficio in populum suum collato: Ita ut elementa festum constituentia sint 1. Dies anniversarius & publicus Ecclesiæ.

2. Fe-

2. Feriatio. 3. Lætitia singularis, & peculiaris cultus ac gratiarum actio pro certo beneficio. 4. Significatio & repræsentatio mysteriorum, quæ illo die peracta sunt. 5. Et hinc promanans sanctitas illius diei præ aliis, quippe qui pars sit divini cultus, & celebrari debeat ratione mysterii, & non tantum ratione ordinis ac politiæ Ecclesiasticæ. Hanc festi descriptionem colligimus tum ex nostris, ut *Piscatore in Galat.* 4. tum ex Pontificiis, ut *Bellarmino lib.* 3. *de cultu Sanctorum, cap.* 10. 11. Diem aliquem eucharisticum extraordinario ab Ecclesiâ aliquâ particulari, vel aliquibus particularibus conjunctim institutum, ad gratiarum actionem pro peculiari beneficio, illi Ecclesiæ aut Civitati, aut nationi præstito. Qualem festivitatem Alexandrini celebrabant propter undarum dilapsum, teste *Zozomeno lib.* 6. *cap.* 2. & tales festivitates propter victoriam institutas, *panegyricas* vocat *Eusebius histor. lib.* 10. *c.* 9. & *de vitâ Constantini lib.* 3. Qui dies nihil ad alias nationes aut Ecclesias: nedùm ut perpetuam legem figant Ecclesiæ universali. 111. Diem, aut partem diei, & definitas horas, sive ab ipso Deo immediatè, sive ab Ecclesiâ liberè intelligantur constituta ad exercitia Religionis & conventus Ecclesiasticos. Et sic Pontificii per Festum intelligunt etiam diem Dominicum, & alia definita tempora pro publicis exercitiis & conventibus: in quâ laxâ significatione non pauci ex nostris hanc vocem usurpant. His præmissis dextrè formandus est status controversiæ. Non disputamus cum Pontificiis, 1. An dies Dominicus sit observandus. 2. Nec an præter Dominicum Ecclesia aliqua particularis possit ac debeat pro commoditate suâ definire certa tempora conventibus agendis, & publicis exercitiis, ex. gr. horam sextam matutinam aut vespertinam diei Jovis aut Veneris, &c. ut omnia in domo Dei fiant decorè & ordinatè, qui tamen dies admodum impropriè dicuntur Festi, quia quamvis habeatur lectio aut concio, populus tamen ad feriationem non tenetur. 3. Nec etiam an jejunia extraordinaria aut dies eucharistici ab Ecclesiâ quâque particulari pro peculiaris alicujus beneficii celebratione liberè possint institui, ita ut eo nihil præscribat aliis Ecclesiis, aut etiam (siquidem ad annos aliquot, anniversaria sit eucharistia) in perpetuum usque ad finem mundi obliget Ecclesiam istius urbis, aut districtus, aut regionis, aut nationis ad ejusdem observationem, atque adeo sibi ac posteris suis libertatem adimat institutum hoc mutandi aut tollendi. 4. Nec denique, quid & quantum Ecclesia aliqua tolerare possit ac debeat in aliâ quâcunque Ecclesiâ (sorore sive antiquâ, sive hodiernâ, quod tollere non potest; sic ut propter quamcunque diversitatem observationis dierum repudium pacis ac fraternitatis illi non mittat, cum in capitalibus thesibus hujus Disputationis inter se conveniant. 5. Sed disputatur,

tatur, an de fide sit, esse in N. T. præter diem Dominicum, alios quosdam dies festos propriè ita dictos, & modo à nobis definitos. Hoc affirmant Pontificii *Bellarminus* & *Zvvarez loc. citat.* idque juxta *Catechismum Concilii Tridentini sess. in explicatione* 4. *Præcepti, pag.* 462. Et hoc olim *VValdenses*, *Viclefistæ*, & posteà *Reformati* à primâ reformatione unanimi consensu in illis oppugnârunt. Consulantur primi *Antagonistæ Papatus*, quorum aliquos *cit. Bellarminus*: imprimis *Commentatores ad Rom.* 14. *Galat.* 4. *Coloss.* 2. Statu controversiæ ita constituto, colligimus ista *Consectaria*. I. Nihil contra nos concludere argumenta Pontificiorum, pro Festis suis, quia tantum inferunt, aut diem Dominicum observandum, aut præter illum quotidie & hebdomadatim tempus constituendum ab Ecclesiâ quâque pro cœtibus & exercitiis publicis. Quod nos non negamus. II. Videri quodammodo nimis generaliter à recentioribus nonnullis, nominatim à *Balduino lib.* 2. *cap.* 13. *casu* 2. & ab *Hospiniano* multæ eruditionis & lectionis Theologo disputari pro *Reformatis* contra *Pontificios*, & contra *Petrobusianos* & *VValdenses* atque *Anabaptistas*: cum contra illos defendunt festa Christianis non esse celebranda; contra istos vero esse celebranda. Ut ergò τὸ ἐναντοφανὲς tollatur, adhibenda erit distinctio. Certè si illam *Festi* distinctionem modo propositam adhibemus, disputatio contra Petrobusianos & Waldenses erit mera sciomachia & logomachia. Nihil enim illi negârunt quam Festa N. Test. propriè dicta, qualibus Ecclesiam onerabant, tantum non opprimebant Pontificii; quæ omnes primi Reformatores pariter negârunt. Stata tempora nullus homo ratione præditus negavit unquam, qui modo concedit conventus Ecclesiasticos, & exercitia religionis publica sive communia. Diem Dominicum religiosius multo servârunt Waldenses quam omnes Pontificii, & multi Reformati. 3. *Quod Pontificii hæreseon Scriptores*, & ex illis *Zvvarezius* & *Bellarminus* Aërio annumerent Waldenses pariter ac Reformatos, ἀνιστορησίαν committunt, ut solent in talibus, & fidem eorum merito desideramus. Quid voluerint Waldenses, nunc satis in luce positum est per editionem *Historiæ VValdensium Ioh. Pauli Perrini*. Et per propagines eorum, Wiclefi sectatores in Angliâ, & Hussi sectatores in Bohemiâ, Poloniâ, &c. Videantur *ipsorum confessiones* & *constitutiones Ecclesiasticæ*. Quis sit hodiernorum Reformatorum sensus, quæ praxis, latere non potest Pontificios. Quis qualisque fuerit Aërius, & quæ ejus sententia, non est quod nunc operosè inquiramus: nihil enim ad nos. 4. *Disputationem Calvini*, & si qui illum sequuntur, aut instituti imprimis pro perpetuo Sabbatho hebdomadali (quod propriè non est festum, quamvis sit dies feriatus) aut meram esse sciomachiam. Posterius

alterius ego non facile crediderim; ergo prius verum est. Nam pro aliis festis ita dictis tam vehementer disputare non intendit, cum ipse eâ doctrinâ & praxi suâ planè sustulerit. Conventus Ecclesiasticos certis & ab Ecclesiâ quâque liberè præstitutis temporibus (extra diem Dominicum) habendos hodiè non negant Anabaptistę. Quidquid de die Dominico olim senserint, aut non senserint, hodie saltem ab ejus observatione non abhorrent, ut constat ex praxi eorum. An vero plus minusve ei tribuant, quam *Calvinus*, & qui sunt ipsius sententiæ; ex repetitâ ipsorum *confessione artic.* 9. quam anno 1624. Hermanno Faukelio sub nomine *Nicolai Nicolai* opposuerunt, quodammodo liquet sed apertius ex *V. L. defens. part.* 2. *pag.* 95. (citante *Cloppenburgio in Gangrænâ pag.* 297.): Ne ipse „quidem, inquit, Decalogus expers est earum (umbrarum); nam diei Sab„bathi observationem ad umbras pertinere, testis est Paulus, *Col.* 2. In uno saltem ab omnibus Orthodoxis apertè discedunt, quod legem moralem etiam hâc in parte mutatam velint. 5. *Quod* quidam *Authores nostri*, imprimis *recentiores* videantur laxius loqui de Festis (ut loquuntur) Christianis & quidem anniversariis præter diem Dominicum, illud intelligendum est (saltem quod ad plerosque) non tam de institutione ac necessitate, quam de tolerantiâ & συγκαταβάσει; de facto Historicè relato, non de Jure; de Politiâ humanâ & ordine jam recepto, non de Religione aut parte ejus recipienda; de die olim tanquam festo, sed nunc literaliter ac materialiter tantum observato ad concionem aut conciones ex consuetudine habendas, non de festivitate formaliter ita dicta; de conscientiâ alterius infirmi scil., aut in bivio constituti, non de ipsorum propriâ. Haut aliter ac templis utuntur, e. gr. Georgio, aut Catharinæ, &c. dicatis, & illo nomine ea indigetant, ubi usus ita obtinuit, quamvis ipsi nullam Sanctorum istorum, aut dedicationis conscientiam habeant; nedum talia de novo instituant aut antiquitus instituta approbent, aut piè prudenterque instituenda judicent, aut non malint ea abolita. 6. *Hodie* ergo nobis propriè hic restat controversia, cum Judæis & Pontificiis, qui volunt festa propriè & strictè dicta, & quidem anniversaria, quæ à Sabbatho hebdomadali distinguuntur, esse celebranda: illi quidem antiqua illa Veteris Testamenti; isti verò nova iis substituta. Iidem etiam dum festa propugnant, diem Dominicum oppugnant; Judæi scil. quod ad totam ejus observationem: Pontificii quod ad moralitatem ejus ex vi immediati instituti & juris divini. Quos rejiciunt *Franciscus Iunius* & *Amesius contra Bellarminum*. Alios hâc in parte cum Pontificiis facientes, (Socinianos, Anabaptistas, Hierarchicos quosdam Papizantes, nec non Lutheranos) refutârunt ipsorum Antagonistæ: *Socinianos*, *Nicol. Arnoldus contra Cateches. Racovianam*.

vianam. Anabaptistas, Cloppenb. in gangrenâ Theologiæ Anabaptisticæ primum Belgicè & anno 1645. secundis curis latinè editâ, pag. 298. *Hierarchicos* in Angliâ Papizantes, *Vilkinsonus*, & *Anonymus* vir eruditus, in *tract. Dies Dominica* supra indicato: & hi Latinè; Anglicè vero complures alii, quorum aliquos supra indicavimus. Quibus nunc adde duos eruditos in Scotiâ *Anonymos*, unum Synodi Perthanæ examinatorem, in 4. anno 1636. alterum *Autorem tract.* cui tit. *Anglico-Papistica ceremoniæ*, &c. anno 1637. *Lutheranos*, *Wendelinus Exercit.* 138. 139. ubi moralitatem ejus ex professo contra omnes Johannis Gerardi exceptiones & objectiones defendit. His nunc missis disponamus argumenta contra Pontificios.

10 1. *Primum Arg.* Quia Deus nulla instituit Festa, nec Apostoli aut Apostolica Ecclesia ulla observavit, Ergo ab Ecclesiâ non sunt observanda. *Probatur major.* Quia Festa sunt pars cultus instituti, sunt actus & partes Religionis, continent in se & promovent pietatem ac devotionem; ex sensu Scripturæ & hypothesibus adversariorum. Atqui à Deo solo instituenda essent, æque in Novo ac in Veteri Testamento, (nec ulla potest dari ratio disparitatis:) siquidem norma Religionis, pietatis, ac devotionis omnis à Deo & Verbo Dei petenda. Alibi contra Pontificios asseruerunt nostri nihil in cultu divino instituendum, nihil sanctificandum absque Verbo Dei. Vide supra *Disp. de Benedictionibus. Minor probatur*: quia in Scripturis nihil comparet de prætensis Festis, nec probare quis hactenus ausus fuit, fuisse ulla festa tempore Apostolorum cognita & observata. Quin immo fatetur id exsertè ex Pontificiis *Francolinus de Horis Canonicis cap.* 84. & consentiunt reliqui omnes *Zvvarez*, *Bellarminus*, *Azorius*, &c. (nisi quod ex recentioribus unus atque alter, inter quos *Pamelius* supra *cit.*, conjicit de antiquitate Paschatis, sed ex ingenio, absque ullâ probatione) cum disputant post *Scholasticos ad 22. quæst.* 122. *a.* 4. Ecclesiæ potestati ac determinationi institutionem Festorum à Deo relictam; & annotant à quâ Ecclesiâ, aut à quo Papâ, quo tempore festa quæque instituta sint. Confer & *Durantem*, *Gavantum*, *Baronium*, *Annalistam*, & similes *Antiquarios*, *de Vitis Pontificum*, &c. & ex nostris *Hospinianum*. Repetimus ergo & in formam contrahimus argumentum nostrum. Quæ anniversaria festa à Deo non sunt instituta, ea à nobis non
" sunt celebranda, sed prætensa N. Test. Festa à Deo non sunt instituta, *Er-*
" *go*, &c. Consequentia majoris Probatur, *Primo*, quia Dei & Christi Legislatoris solius est instituere omnem cultum Dei; atqui Festa sunt cultus Dei. *Deinde*, quia in Vet. Test. nulla sunt celebrata, nisi quæ Lege Dei aut directione extraordinarii Prophetæ erant præscripta. 11. *Arg.*

Quia

Quia Apostoli ea non celebrârunt, nec ullibi eorum mentionem injecerunt tanquam quæ celebrarentur, aut in posterum celebrari possent. Cum tamen toties occasio erat, ea memorandi, vel ad exceptionem & limitationem, ut *Rom.* 14. *Gal.* 4. *Coloss.* 2. vel ad præceptionem, *Hebr.* 13. *vers.* 7. 2. *Petr.* 1. 15. 16. vel ad distinctionem, ut 1. *Corinth.* 16. potuisset enim dicere *aliquo ex festis diebus.* Valet autem consequentia; quia sufficerit nobis perfectissimum illud Ecclesiæ in his terris bene constitutæ, ut & devotissimi zeli exemplar imitari, ne prætensa intensæ aut extensæ magis devotionis πολυπραγμοσύνη supra eam nos efferre velle videamur. Porro Apostolicæ Ecclesiæ ea fuisse ignota, constat *tum* ex sacris Literis; *tum* ex antiquitatibus Ecclesiasticis; tum ex ipsâ confessione Pontificiorum, de quâ supra. Notatu digna sunt verba Francolini, cap. 84. *Tunc temporis, non erant celebres Christianorum festivitates, cum Euangelium non esset adhuc plenè promulgatum.* Pro antiquitatibus Ecclesiasticis, facit egregia illa dissertatio *Socratis, Histor. Eccles. lib.* 5. *cap.* 22. cum quâ conferatur *Nicephor. lib.* 12. *cap.* 32. Verba Socratis lectu dignissima hic exhibemus. *Atque Apostolis propositum fuit, non ut leges de festis diebus celebrandis sancirent: sed ut rectæ vivendi rationis & pietatis nobis authores essent. Mihi quidem certè videtur, sicut alia res multæ in locis quibusque ex more quodam introductæ fuerunt: ita festum Paschatis ex quâdam consuetudine apud singulos populos observationem privatam habuisse, propterea quòd nemo de Apostolis legem de eo, ut dixi, cuiquam edidit. Et quòd ex consuetudine potius, quam ex lege ab antiquis temporibus observari cœptum sit, rerum eventa perspicuè declarant.* III. *Argum.* Quia repugnant expressè verbo Dei. *Rom.* 14. *v.* 5. 6. *Galat.* 4. 10. *Coloss.* 2. 16. Ad quod validissimum argumentum allatum à primis reformationis Doctoribus sic excipiunt Pontificii *Bellarminus loc. cit.* & *Cornelius à Lapide Commentar. in Rom.* 14. & *Galat.* 4. hic agi de Festis Judæorum, non verò Christianorum. Nos sic replicamus, 1. Apostolus *Roman.* 14. agit in genere de dierum discretione, sive sit formaliter Judaica, sive analogica, & ad imitationem Judæorum: haut aliter ac discrimen ciborum ibidem condemnat, quod quidem aliquâ fieret religione & conscientiâ, etiamsi non esset formaliter Judaicum. Nam si Judaico discrimine à Deo olim immediatè sancito non debet gravari Ecclesia Christiana, multo minus discrimine ex hominum voluntate introducto. 2. Deberet ostendi egenis illis rudimentis Judæorum substituta esse aut substituenda alia; sive plura, sive pauciora, sive graviora sive leviora; juxta illud Bellarmini loc. cit. *Non est sublata sed mutata significatio & discretio dierum.* Hoc ubi probatum fuerit, utique recipienda sunt. 3. Quod si exceptione hâc ritè confirmetur prætensa substitutio & mutatio

in negotio Festorum, utique idem valebit in reliquis ceremoniis, ex. gr. incenso, candelis, jejuniis anniversariis, aquâ lustrali, &c. (quod etiam volunt Pontificii) immo & per eandem consequentiam, in circumcisione, aspersione sanguinis, in Sabbatho, in Neomeniis, &c. (quod non admittunt.) Atque adeò non poterit quis in iis dici Judaizare: quia semper parata erit exceptio, alio modo, aliis ritibus, alio fine illa observari, quam à Judæis. 4. Si valeat hæc exceptio, manet tamen hoc absurdum: Ecclesiam Christianam quod ad Festa (& consequenter quod ad alias ceremonias) posse onerari graviori jugo, quam erat ipsum Judaicum. Nam omissis solennitatibus Sanctorum, ipsa quæ dicuntur Dei & Christi Festa anniversaria (quibus homines ultra, immo & contra quartum Præceptum feriari coguntur) Judaica longè superant. Hæc enim in universum erant quinque, (ubi pauculi dies feriati) illa vero sunt, Incarnationis, Cœnæ Christi, Palmarum, Passionis & Sepulturæ, Resurrectionis, Ascensionis, Missionis Spiritus Sancti, Trinitatis, Nativitatis, Circumcisionis, Baptismi & adventus Magorum seu Epiphaniæ, Præsentationis, Corporis Christi, conceptionis Mariæ, item Assumptionis, Petri ad Cathedram, &c. cum encæniis, vigiliis, octavis, festis Patronorum localium. Urbanus VIII. anno 1642. numerum imminuturus ad 33. redegit; cum anteà essent 40. sub Præcepto observanda; præter octavas. Ab iis enim & 10. Festis subditos suos liberavit; non prohibens tamen ea celebrare volentibus; & vicissim tria de novo addidit; uti supra indicavimus: ita ut maneant 33. Ad quemcunque numerum ea redigantur non erunt pauciora Festis Veteris Testamenti. Nam si quis dicat, non ita multa fore, si tantum illa Festa servarentur, quæ apotelesma Christi Mediatoris, aut insigne factum commemorent; jam infero æquè instituenda esse festa Baptismi, Cœnæ, præsentationis, disputationis in Templo, ac circumcisionis; Mortis, ac resurrectionis; Conceptionis, ac nativitatis; Transfigurationis in monte, & Insufflationis in Apostolos, *Joh.* 20, ac Pentecostes; Tentationis in horto, Fugæ in Ægyptum, Tentationis in deserto, æquè ac sepulturæ, aut mortis; aliorum denique miraculorum ac memorabilium, ut cibationis per quinque & septem panes, emissionis 70. Discipulorum, sanationis hæmorrhoulæ, paralytici, &c. suscitationis filiæ Jairi, Lazari, &c. Nam nulla divina beneficia absque gratâ commemoratione dimittenda juxta illud *Psal.* 103. 2. & in omnibus Dei operibus, imprimis solenni die, gaudendum, *Psal.* 92. *vers.* 1v. *Arg.* Quorum finis nullus est, illa etiam nulla sunt, sed Festorum Novi Testamenti (quæ prętendunt) finis nullus est, *Ergo.* Majoris consequentia valet, quia in talibus relationibus finis dat esse rei, & est quasi forma. Minor

nor probatur. Quia finis esset mystica talis aut talis beneficii divini significatio ac repræsentatio, & cum peculiari gaudio, gratiarum actione commemoratio, idque per peculiarem cultus & officii divini modum illi solennitati affixum. Quę omnia concedit *Bellarminus*, & demonstrat tota praxis Ecclesiæ Romanæ. Verba Bellarmini sunt proposit. secunda: *Festa Christianorum non solum ratione ordinis & politiæ, sed etiam ratione mysterii celebrantur, suntque dies Festi vere aliis sanctiores, sacratiores, & pars quædam divini cultus.* Tantum hanc distinctionem relinquunt inter Judaica & Christiana Festa. 1. Quod illa essent ex immediatâ institutione Dei, hæc verò ex determinatione Ecclesiæ. 2. Quod illa significationem & solennem commemorationem haberent primario bonorum futurorum tanquam typi & umbræ, hæc verò bonorum præteritorum. *Nostrorum*, ait Bellarminus, *finis primarius est agnoscere Dei beneficia, propter quæ festa singula instituta sunt.* 3. Quod illa cultu & officio ceremoniali celebrarentur, hæc verò alio, constante ex peculiaribus scil. hymnis, lectionibus, concionibus, &c. De quorum appropriatione *Gavantus per totum.* 4. Quod in illis summa Præcepti esset non operari corporaliter; in his verò potissima Præcepti pars est interesse divino sacrificio: *vacare autem ab opere corporali, nobis præcipitur solum, ne distrahamur à Dei laudibus.* Bellarminus ibid. Sed nos tam facile omnem illam mysticam significationem rejicimus ac à Pontificiis sine probatione adfertur. Insuper ex superabundanti rationes illas opponimus. 1. Quia dies non significat & repræsentat mysteria, sed commemoratio illo die institutâ. Est ratio *Fr. Iunii Animadvers. ad Bellarminum cap. cit. num.* 28. 2. Quia Commemoratio ex. gr. conceptionis Christi, Baptismi seu Epiphaniæ, Præsentationis, Passionis illo aut illo die facta per lectionem Scripturę, concionem, orationes, &c. non est illi diei magis adstricta quam alteri, nec dies ille ad talem commemorationem magis sanctificatus est aut sanctificari potest, quam ad commemorationem cujuscunque alterius mysterii. 3. Quia si opus sacrum in die suo (ut loquuntur) peculiariter esset peragendum, tum esset Judaicum aut saltem semi-Judaicum discrimen dierum, per relativam sanctitatem: quomodo discrimen est inter aquam Baptismi & aliam aquam ex relativâ sanctitate, quia est sacrum signum. Atqui tale discrimen dierum ex mysticâ significatione & repræsentatione talis aut talis beneficii non est fingendum absque verbo mandati & promissionis divinæ: alioquin tot Sacramenta & mystica Sacramentalia quotidie fingerentur, quot folia cadunt in Autumno. 4. Ut discrimen ciborum damnatur ab Apostolo, ita & dierum: & sicut illud propter significationem non debet introduci, sic nec istud. Est ratio *Calvini lib. 2. Institut.*

stitut. cap. 8. Cui *Bellarminus* nihil aliud quam coccyſmos ſuos reponit: *In Eccleſiâ non eſſe eandem rationem ciborum & feſtorum; nam ciborum delectus non eſt ab Eccleſiâ inductus propter ſignificationem, dies autem Feſti inſtituti ſunt ob ſignificationem, non quidem talem, qualis erat Iudæorum, ſed aliam & diverſam.* Factum refert, ſed jus non oſtendit. Dicat ex Scripturis quo jure Eccleſia magis ſeparat & conſecrat diem aliquem ad ſignificationem & commemorationem talis Myſterii fidei aut beneficii divini, e.gr. diem Paſſionis, quam cibum aliquem, præter panem & vinum ſcil. à Chriſto ad commemorationem paſſionis & mortis inſtitutum. v. *Argum.* Quia Feſta ideo dicuntur inſtituta & potiſſimum obſervanda, ut non communi ratione una cum aliis quibuſcunque diebus, ſed peculiari quâdam grata commemoratio in iis fieret, e.gr. Myſterii incarnationis ſeu conceptionis Chriſti, Epiphaniæ ſeu Baptiſmi Chriſti & adventus Magorum, Mortis & Sepulturę, circumciſionis Chriſti, ad hæc Cœnæ Chriſti, item Martyrii Jacobi, Stephani, &c. tanquam operis diei iſtius in die ſuo: Immo quia ex Pontificiorum ſenſu ea inſtituta ſunt ad ſignificationem & repræſentationem Myſteriorum, & ut ſint partes cultus divini. Atqui dies *tum* beneficiorum ac myſteriorum Chriſti, *tum* conceptionis, purificationis, &c. Mariæ; *tum* Martyrii Sanctorum, &c. plerique ignoti & incerti ſunt, atque hoc reſpectu mendacia ſunt feſta illa ac doctores mendacii, non minus ac Papiſticæ imagines. Nam conciones ac Poſtillæ tunc ſonant illud: *hodie*; & populus putat illo ipſo die hæc geſta eſſe. Interim doctores inter illos fatentur plurimos natales Sanctorum in illos dies non incidiſſe, aut ſaltem ignotos eſſe. Oſtendimus etiam incertitudinem illam in die Nativitatis Chriſti, *Diſp. de Tempore Nativitatis part. poſter. theſi* 8. In Paſchatis celebrationem quanta caligo & confuſio olim incubuerit, docet *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, & ex eâ *Baronius Annaliſta ad annum* 198. cum caſtigatoribus ſuis *Pleſſæo* & *Riveto in Myſterio Iniquitatis*, & *Zvvarez cap.* 6. Nec potuit inutilis ille labor Concilii Niceni in fabricando canone Paſchali incertitudini & confuſioni huic ita occurrere, ut non in multo pejores labyrinthos inciderint poſteri. Jeſuita *Petavius in Rationar. Temporum part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 1. notat ambiguum Paſcha obſervatum anno 577. in Galliis 14. Kal. Majas, in Hiſpaniis 12. Kal. Apriles. Similis confuſio incidit anno 590. Videatur *Gregor. Turonenſis libr.* 5. *cap.* 17. 25. & *lib.* 10. *cap.* 20. 23. 24. Idem judicandum eſt de reformatione Kalendarii Gregorianâ, de quâ ſepoſitis nunc diſputationibus adverſariorum iſtius Kalendarii, ſuffecerit notâſſe confeſſionem Jeſuitæ *Clavii*, qui dum propugnat Kalendarium Gregorianum, concedit computationem Eccleſiaſticam non correſpondere exactè circulationibus Cœli,

Cœli, quia hæc res non Mathematicè sed moraliter pensanda est. Hinc *Zvvarez cap. cit.* distinguit æquinoctium in naturale & Ecclesiasticum. Ita Deus videtur confudisse computum, ut vanitatem Festorum ostenderet. Breviter repetimus argumentum: Omne Festum habet duo, certam scil. annotationem temporis, quo res gesta est, cujus occasione Festum instituitur, & certum computum: Atqui dicta N. Test. Festa neutrum habent. *Ergo.* VI. *Argum.* ex noxiis effectis. Quia plus superstitionis quam devotionis, secum trahunt, syncretismum cum Gentilibus & Judæis sapiunt, saltem speciem mali habent, onerant Ecclesiam inutilibus perplexitatibus, scrupulis, dissidiis & contentionibus, quibus exercitia & profectus spiritualis devotionis impeditur. Justa querela *Socratis* apud illum legatur *loc. cit.* & aliorum apud *Eusebium lib. 5. cap. 22. 23.* Ex recentioribus in medio Papatu Lalemantius Medicus Æduus tract. de anni ratione pag. 83. graviter conqueritur: *dum de lanâ caprinâ, de celebritate Paschæ disceptatum fuit, interim Pontifices idololatriam quovis Judaismo multis partibus perniciosiorem, &c. è medio Paganismo irrepere in Christianismum ac radices agere sivisse: ingeniaque sua non in conservandâ Euangelii puritate, sed in statuendis novis ritibus & injungendis oneribus, &c. exercuisse.* Porro quam operosis & difficilibus nugis, scrupulis & labyrintheis circulationibus circa tot Festorum celebrationem distrahantur animi tam Clericorum quam Laicorum, ex uno *Gavanto* nosce: Hinc est quod de Festorum onere in ipsis Papatus tenebris conquesti sint celebres Doctores ante & post tempora reformationis *Pothon Prumiensium* presbyter *in tract. de Statu domus Dei* anno 1102. *Petrus de Aliaco in libro de Reformatione Ecclesiæ* nomine Imperatoris Sigismundi Concilio Constantiensi exhibito, anno 1416. *Polydorus Virgilius de Inventoribus Rerum libr. 6. cap. 8. Carolus V. in centum Gravaminibus anno 1522. in comitiis Norimbergæ Legato Papali oblatis cap. 37. Erasmus annotat. in Matth. 11. 30. Laurentius Campegius* Cardinalis *in Decreto de tollendis Abusibus*, edito Ratisbonæ anno 1524. Nec diffiteri hoc potuisse Concilium Tridentinum argumento est tam tenuis & confusa Festorum mentio ibi facta: Sess. 25. de Reformat. cap. 21. *Vel etiam quæ faciunt ad pietatem augendam, ut dierum Festorum devota & religiosa celebratio.* Hoc totum. Ubi hic definitio controversiarum, & anathemata in doctrinam oppositam? VII. *Argum.* Quia nova & posteriora; & quo sæcula sequiora atque à primo illo Apostolico magis recedentia, eo majori Festorum copiâ inundata sunt. Videant Studiosi *Hospinianum de Festis*, (ubi hanc novitatem demonstratam videbit) aut *Chemnitii examen Concilii Tridentini*, & conferant datâ occasione *Baronium*, *Zvvarezium*,

um, Gavantum, &c. jam ſæpe *citatos.* Speciminis cauſa detraximus vetuſtatem Feſto nativitatis Chriſti in *Diſput. de Tempore Nativitatis part. prioris, theſi* 9. & *part.* 2. *theſi* 3. adeò ut rectè (omiſſis nunc Autoribus ibidem citatis) cum *Chemnitio contra Concilium Tridentinum, part.* 4. *de Feſtis, pag.* 262. concludere liceat: *Anniverſarium diem natalis Chriſti celebratum fuiſſe, apud vetuſtiſſimos non legitur.* Et primos, qui ejus meminerint, fuiſſe *Chryſoſthomum, Nazianzenum, Baſilium. Ibid.* poſt quem *Perkinſus in Problemat.* addit *Theophilum. Feſtum circumciſionis per mille annos à Chriſto ignotum fuit in Eccleſiâ.* Perkinſ. ibid. Natalibus Martyrum vetuſtatem negat *Caſaubonus Exercit.* 1. *Sect.* 25. Quo tempore ex memoriis Martyrum facta ſint feſta Sanctis dicata, oſtendunt *Theologi* modo *cit.* VIII. *Argum. Quia* prima origo eorum partim ab ignorantiâ & κακοζηλίᾳ plebis, partim (ut molliſſime loquamur) à privato zelo quorundam Paſtorum: non verò à primis Conciliis, ſive univerſalibus, ſive particularibus, aut ex communi ſententiâ præſtantium aliquot Eccleſiarum. Hoc enim ſi fuiſſet, origo eorum tam ἄδηλος aut incerta non eſſet. Cauſa procatarctica originis, fuerunt feſta Gentilium: quo nomine deberent maximè ſuſpecta eſſe. Nam cum fingerent imprudentes illi ſe fugere ab omni ſpecie Judaiſmi, tamen volentes ſpeciem Gentiliſmi ſive eandem ſive interpolatam mutuati aut imitati ſunt, non tantum in hâc feſtivali, ſed ex in ſexcentis aliis obſervationibus: Quod Pontificii paſſim fatentur, inter alios *Baronius ad annum* 58. *num.* 77. 99. 100. & *ad annum* 44. *num.* 86. 87. De particularibus feſtis hoc oſtendit *Hoſpinianus.* Vide infra *Appendicem §.* 1. IX. *Argum.* ad hominem. Feſti dies debent celebriori cultu peragi, quia Deus reddidit eos celebriores cum grandia in iis inciderint divina myſteria. Sic *Baronius anno* 58. *num.* 85. ad objectum locum *Roman.* 14. defendit diſtinctionem dierum inter Chriſtianos. Jam verò in omnes alios dies nullo Feſto characterizatos non minus inciderunt divina myſteria, quam ex. grat. in Benedicti Abbatis, Ivonis, Antonini, Bonaventuræ, Ludovici Regis Franciæ, Antonii de Padua & ſimilium confeſſorum; & Agathæ, Prudentianæ, Petronellę, &c. Virginum; Monicæ, Brigittæ, Viduarum, Barnabę Apoſtoli; Georgii, Catharinæ, ſeptem dormientium, Martyrum: ergo omnes dies per totum annum deberent eſſe Feſti, quod abſurdum. *Deinde,* Explicent Pontificii, quæ & quomodo grandia myſteria inciderint in feſtum Trinitatis, corporis Chriſti, omnium Sanctorum, omnium fidelium defunctorum, Dedicationis baſilicarum Salvatoris, Petri & Pauli; Lanceæ & Clavorum, &c. Applicet Baronius hic ſimilitudinem ſuam: *Sicut de campis accidit, qui omnes æque ſunt terra, illa tamen nobilior habetur cæteris, in*

qua

quâ magis egregia sunt fata semina, vel plantatæ arbores: quamobrem certi dies his muneribus divinitus illustrati, celebriori cultu peragi debuerunt. Denique multi dies Festi ita dicti essent abolendi: quia nullus potest esse certus cultus Dei absque scientiâ, & certitudine fidei. Sed characterizatio, ex. gr. diei conceptionis Marię, Septem dormientium, Georgii, Christophori, Ursulæ, &c. aut falsa est, aut saltem nullâ fide, ne Romanâ quidem hactenus definita. Vide *Commentarium Gavanti ad Breviarium & notas Baronii ad Martyrologium*, & *Bullam Vrbani VIII.* anno 1642. quâ Festum conceptionis Mariæ cum aliis novem expungit ex albo Festorum generalium sub Præcepto. Itaque cultui & religioni festivali Papistarum applicamus illud Johan. 4. *Vos adoratis, quod nescitis.* x. *Argum.* ad hominem. Alex. III. in c. Quoniam, de Feriis: ait Festum Trinitatis Romæ non celebrari, *cum singulis diebus gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & similia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis.* Quæ ratio omnia festa evertit. In omni enim cultu Christianorum, (qui precibus, hymnis, concionibus, Sacramentorum administratione constat) commemoratio fieri debet Christi concepti, nati ex Virgine, crucifixi, præsentati in Templo, transfigurati, &c. ergo non sunt Festa conceptionis, nativitatis, mortis, præsentationis, transfigurationis, Epiphaniæ, &c. constituenda, quasi dies illi peculiariter à Deo signati essent mysteriis & à nobis signandi mysticâ mysteriorum illorum significatione, commemoratione, & pro iis honore, gratiarum actione, & peculiari cultu. Jam verò si conceptio, nativitas, mors Christi quotidie, (imprimis die Dominico & in publico cultu) nobis memoranda non constituunt Festa; multo minus natales Sanctorum, ut eos memoremus: omni enim occasione Deus est laudandus in Sanctis, & semper nobis honorandi sunt propter imitationem. Atque hæc argumenta nostra. Disputationes contra particularium Festorum falsitatem & superstitionem non persequimur. Consulendi *Hospinianus, aliique Scriptores de Festis.*

Restant nunc objectiones adversariorum ex *Bellarmino* & *Baronio loc. cit.* quæ indicatæ solum, satis superque indicant desperatam causam Papatus. *Argum.* 1. A die Dominico, quem Reformati etiam celebrent in memoriam resurrectionis *Calvin. lib. 2. cap. 8*, ergo festa non tantum ratione ordinis celebrantur, sed ratione mysticæ significationis. *Resp.* 1. A Sabbatho ordinario hebdomadali, ad festa anniversaria, nulla est consequentia. 2. Mysticam ejus significationem, si quis statuat, is explicet ac probet. II. *Argum.* Dies Festi Patribus dicuntur Sancti, religiosi, & mystici, &c. *Ergo.* Et citat. *Ambrosium, Leonem.* Plura ex Patribus congerit *Baronius ad annum* 58. & *Bayllius in Catechesi quæst.* 16. *Resp.* Vide

Rivetum in Cathol. Orthodox. ubi respondet ad loca Patrum à *Baylio* objecta. Et confer *Problema Cathol. Perkinsi*, *Hospinianum cap.* 2. 3. III. 3 *Argum.* Si solum ratione ordinis dies distinguerentur, omnes essent æquales, &c. & una ratio celebritatis omnium. Atqui hoc falsum. Quia *Leo* & *Nazianzenus* Pascha vocant festum festorum, &c. *Resp.* Ex hyperbolicâ amplificatione & rhetoricatione non fit demonstratio Theologicâ. IV. *Argum.* Ratione ductâ ex Scripturâ. Observatio festorum *Exod.* 20. ad cultum Dei pertinet, & est illud Præceptum quodammodo naturale. *Ergo* etiam nos debemus habere aliquos dies, quorum observatio ad cultum Dei pertineat, &c. licet enim determinatio hujus aut illius diei sit facta ab hominibus, tamen ipsa substantia imperata est à Deo in primâ tabulâ. *Resp.* Valeret probatio, ad Sabbathum hebdomadale 5 constituendum: sed non ad festa anniversaria. V. *Argum.* Christus nascens consecravit præsepe, moriens crucem, resurgens tumulum; cur non tempus, id est, dies illos, quibus natus, passus, &c. Præterea Templa & Altaria dicuntur domus Dei & loca sancta, quia Deo sacrata sunt, cur non etiam sancti erunt dies, qui cultui divino sacrati sunt. *Resp.* Crucem, claves, vincula non magis sacravit, quam labia proditorum, manus impiorum latronum, phlegmata nebulonum, &c. Confer supra *Disp. de Cultu Crucis.* VI. *Argum.* Probatur esse Festa, hoc est, dies ratione mysterii celebrandos; quia alioquin tollendi essent dies natalis, passionis, resurrectionis, ascensionis, Pentecostes. Atqui eos observant ipsi adversarii, Waldenses scil. Wiclefistæ, Lutherani, Calviniani. *Resp.* 1. Negatur nostros servare Festa; prout *Bellarminus* ea describit, & pro iis disputat. Et oportuisset esse memorem eorum, quæ paulo ante dixerat: *Lutherani & Calvinista dies Festos ita admittunt, ac si non admitterent. Serm.* 10. *tit.* 2. *Fitz. Simon in Ministrorum Britannomachiâ, lib.* 1. *cap.* 4. & *lib.* 2. *cap.* 7. Puritanis attribuit, quod festa omnia abrogari, & solum Sabbathum sanctificari velint. Per Puritanos autem intelligi Reformatos, *ex toto ipsius tractatu* apparet: & quamcunque differentiam inter Puritanos & Calvinistas extra Angliam degentes nugatoriè in peristaticis regiminis fingat, *lib.* 2. *cap.* 8. *pag.* 243. nullam tamen attingit in doctrinâ de Festis. 2. Admittunt diem Dominicum; constituunt etiam pro libertate suâ extra Dominicum certa tempora Concionum; sed nulla habent Festa propriè dicta. Ut reformationis nostrę Doctores contra Pontificios perpetuo contenderunt: *Marloratus in Colossens.* 2. *Calvinus in Institut.* & *in Epistolis.* Zadeel contra Burdegalenses articulos abjurationis, artic. 49. istis abjurationis verbis: *Confiteor Sabbathum aut Festum, jejunium & matrimonium esse juris divini*, reponit hæc sequentia: *Sabbathum ita est juris divini.*

vini, ut magnâ ex parte ad ceremonias legis pertineat: quarum substantia nobis in Christo remansit. Itaque temporibus Apostolicis dies ille mutatus fuit in diem proximè sequentem, qui dies est Dominicus, ut ex eo manifestum est, quod Iohannes in Apocal. (cap. 1.) *commemorat. Paulus ad* Coloss. 2. *ne quis vos damnet, &c. Quod tamen minimè prohibet, quo minus ordinis Ecclesiastici causâ, certi quidam dies constituantur, audiendo verbo Dei, habendis precibus, &c. dummodo nullum inde imponatur jugum conscientiis, & à ceremonus ac superstitione caveatur.* In Germaniâ (ubi alioquin omnia dierum istorum vestigia abolita non sunt) candidissimè Piscator in Galat. 4. *Quum dies Festi in N. T. abrogati sint, &c. sequitur impropriè hodie à nonnullis appellari festum Nativitatis Christi, Paschæ, Pentecostes, &c. Etenim festa omnia abrogata sunt,* &c. *Festum propriè loquendo est publica cerimonia à Deo mandata, ut certo anni tempore cum singulari lætitiâ obeatur ad gratias agendum Deo pro certo aliquo beneficio, &c. Atqui tale mandatum in N. T. nullum habemus.* 3. Ne quidem illis diebus ubique conciones & Ecclesiasticos cœtus habendos putârunt. Ut in Ecclesiâ Genevensi, ubi ante adventum Calvini abrogati erant dies Nativitatis, Ascensionis, &c. Deinde ἀθρόως restituti cum essent, rursum abrogati sunt post reditum Calvini. Et sic ibi hoc accidisse *non molestè ferre se dicit* Calvinus epist. ad Hallerum. Audiamus ipsum Calvinum epistol. ad Hallerum anno 1551. 4. Non. Januar. *Cæterum cum Festi dies hic abrogati graviter ex vestris quosdam offenderint.* Et paulò post: *Priusquam urbem unquam ingrederer, nullæ prorsus erant feriæ præter diem Dominicum. Quæ apud vos celebrantur, eodem plebiscito acceptæ sunt, quo ego & Farellus fuimus expulsi: idque improborum violentiâ extortum magis fuit, quam legitimo ordine decretum.* Ibidem: *In hâc tota Provinciâ aboliti fuerant dies Festi.* Ibidem refert cum ex quodam contendente pro quatuor Festis scisciatus fuisset, *quo jure circumcisio plus haberet honoris, quam mors Christi, eum obmutescere coactum fuisse.* Ibidem: *Nec tamen est, cur homines adeo exasperentur, si libertate nostrâ, ut Ecclesiæ ædificatio postulat, utimur.* In Epistol. proximè sequenti ad ministrum Burensem: *Fortassis res una fabulæ* (de abrogato die Dominico) *materiam præbuit, quod festus dies, qui Christi natali dicatus erat, in proximum diem Dominicum translatus est.* Paulo post: *Antequam urbem hanc primo adventu ingressus essem, abrogati erant dies festi omnes, præter Dominicum. Farello & Vireto hoc utile visum fuerat. Ego receptæ consuetudini acquievi.* Unde constat, non tantum Farellum & Viretum, primos Reformatores Ecclesiæ Genevensis idem sensisse cum Calvino, sed & consilio suo ipsam abrogationem procurasse, atque ipsi præviisse. Pergit in eâdem Epistolâ Calvinus: *Eandem quoque rationem nova hæc Bernatium Provincia secuta initio fuerat. Surrexit*

rexit N., nec minus tumultuosè pro diebus festis, quam olim Victor Romanus pro suo Paschate pugnavit. Et post: *Dissimulare non poteram, præposterè celebrari Christi circumcisionem, præterito mortis die: id insciтè ac perperam ab indoctis hominibus fabricatum esse.* Et postea: *Nec vero hæc sola fuit Ecclesia, quæ nullas præterquam diei septimæ ferias retinuerit. Argentorati enim idem olim institutum fuerat.* Idem in Epistolâ ad Mensonem Poppium an. 1559. *Optandum quidem est, ut præter diem Dominicum pauci retineantur dies Festi: nam ut tollantur è medio superstitionum reliquiæ, semper ad hoc vitium plus æquo propensi erunt homines.* Hodie autem major pars feriis Papatum fovere appetit. *Ut tamen obviam eatur dissidiis, cavendum est ne quisque proprio arbitrio ferias abrogans æmulationem accendat. Sed qui malum hoc* (N. B.) *sanatum cupiunt, studeant in eundem consensum fratres suos adducere. Hoc si impetrari non poterit, singuli quoad citra tumultum fieri poterit, paulatim ex superv acuo numero rescindant, quas videbunt magis esse noxias, quo facilius sibi concilient populi suffragia.* Ecclesiæ in Scotiâ, umbram dierum istorum nec in Theoriâ, nec in Praxi agnoverunt, ante annum 1618. Nunc quid sentiant, & quid ac quomodo tolerent aut non tolerent, discat Lector ex *tract.* cui titulus *Altare Damascenum*, & ex duobus aliis vulgari linguâ editis, cui tit. *Synagma Perthanum* anno 1619. & altero 1636. tit. *Reexaminatio quinquarticulorum conventus Perthani*, anno 1618. Et in *Disputatione adversus ceremonias Ecclesiæ Scoticæ obtrusas, &c.* anno 1637. Denique ex *Historiâ rerum anno* 1639. 1640. *&c. in Scotiâ gestarum.* Ibi ergo dictis Festis, aliisque infeliciter intrusis, per publicam Synodum abrogatis, accedente Regis Caroli & Parlamenti approbatione, ad priorem simplicitatem omnia revocata sunt. In primitivis Ecclesiis reformatis Belgii nulla vel minima species eorum comparuit. Ab ipso nomine *Festi* abstinebant, cum verba Catecheseos Palatinæ quæst. 1. 3. *tum præcipuè festis diebus*, ita verterent: Insonderheyt op den Sabbath dach des Heeren. Ut omnes dies præter Dominicum excluderent. In *Constitutionibus Ecclesiasticis Dordraci, anno* 1574. *artic.* 53. statutum est ut contentæ essent Ecclesiæ, observatione diei Dominici; & Dominicis ante aut post natalem Christi consuetæ materiæ pro concione tractarentur, atque ita populus de abolitione hujus Festi admoneretur. In Constitutionibus Dordraci, anno 1578. artic. 7. *Optandum esset libertatem sex diebus operandi à Deo concessam in Ecclesiis retineri, & solum diem Dominicum feriatum esse. Sed cum authoritate Magistratus* (N. B.) *nonnulli alii Festi dies observentur, Nativitatis scil. feria secunda Paschæ & Pentecostes; & alicubi Ascensionis ac Kalendarum Ianuarii, operam dabunt ministri Verbi ut Concionibus* (*quibus specialiter de Nativitate, resurrectione Christi, missione Spiritus Sancti, & similibus*

milibus fidei articulis populum erudient) *inutilem & noxiam feriationem seu otium in sanctum & utile exercitium commutent. Idem facient Ministri in civitatibus, ubi plures Festi dies autoritate Magistratus servantur. Interim annitentur omnes Ecclesiæ, ut consueta Festorum omnium observatio* (*excepto die nativitatis*) *&c. quantum fieri potest, quam commodissimè aboleatur.* Eandem fuisse & sententiam & praxin Ecclesiarum in Galliâ, constat ex *Calvini Institut.* collatis cum *Epistol.* jam *cit.* Accedat *Beza Homil.* 18. *in Passionem, pag.* 431. Sed ita tamen decisa quæstio fuit (in Concil. Niceno) &c. „ ut istius mali radix, superstitiosa quædam videlicet Festi, quod Paschatis vocant, celebrandi necessitas minimè fuerit abolita. Quis enim e„ orum, qui quibus in rebus sit verus positus Christianismus, ex iis quæ „ disertè scribit Apostolus, *Coloss.* 3. 16. intelligunt, verum esse, ac ne „ verisimile quidem sibi persuaderi patiatur, à Christianis fuisse, præser„ tim Apostolorum temporibus, memoriam resurrectionis Domini non „ minus quàm ejus Nativitatis & Ascensionis. Sanctique Spiritus missi„ onis, sic observatam, ut aliquam temporum & dierum distinctionem „ in Ecclesiam Christianam reveherent, & Lunæ cursum observari vel„ lent, sicut olim Paschа Judæis erat constitutum? Ajo igitur liberè „ quod sentio, nempe sicut Dominus Paschatis diem illum ipsum solen„ nem esse voluit Judæis quo sunt ex Ægypto educti, nullâ habitâ ratio„ ne in quemcunque septimanæ diem incidisset, ita quum Christianorum „ Pascha non alium in finem institutum fuerit, quàm ad memoriam Do„ mini celebrandam, longè futurum fuisse & fore adhuc consultius & ab „ omni superstitione remotius, si ab illo ipso die recurrente quo resurre„ xit non recedatur, sive in Dominicum, sive in alium diem incidat, sive „ Plenilunium, sive Noviluniun sit, quod in Natalis Domini die Festo „ factum adhuc fuisse videmus, non observatis diebus, nec Lunæ habitâ „ ratione: aut sanè ad multarum feriarum effugiendum concursum, quę „ & superstitionis plenæ sunt, & publicis commodis incommodæ, ejus„ modi Festi dies in proximum quemque diem Dominicum rejiciantur, „ ut hâc ratione nec Lunatica festa, nec Lunaticum Christianismum ha„ beremus: quod de reliquis etiam omnibus annuis diebus festis, qui„ bus celebris alicujus facti Christi Domini nostri memoria retinetur, „ dictum velim, habita nihilominus locorum, temporum & personarum „ quantam ad ædificationem adhiberi par est, ratione. Danæus Ethicæ Christianæ lib. 2. cap. 10. pag. 159. *Christo verò ipsi veteres dies quosdam sacrárunt, & dedicárunt, cujus & Natalem diem, & Epiphaniæ, & Resurrectionis, & Ascensionis diem coluerunt, fidei confirmandæ, reique gestæ testificandæ gratiâ*, &c. *Et quanquam Christus est hodie & heri*, Hebr. 13. 8. &

ejus mortis, Ascensionis memoria quotidie nobis ob oculos versari debet, tamen ob circumstantiam temporis Patres, &c. quod illis res esset cum Ethnicis, &c. Nobis hodie eosdem dies observare nihil necesse est, &c. Itaque neque dies illos colere aut observare necesse est, aut etiam operæ pretium, &c. apparet quanta superstitio postea inducta sit, & multitudo istorum dierum festorum, ut omnino tolli satius sit. Amesius in Bellarmino Enervato ad lib. 3. de cultu Sanctorum, ad objectionem Bellarmini, *alioquin tollendi essent solennes dies Natalis, Passionis.* &c. sic respondet: *Possunt tolli (institutione rectâ præeunte) nullo alio Religionis incommodo, quam simplicitatis & puritatis primæ hâc in parte restitutæ.* Altingius in Exegesi Augustanæ confess. artic. 15. pag. 93. ad Lutheranorum objectionem, quod *Zvvingliani nonnulli solennes festivitates & ferias sustulerunt, solum diem Dominicum observantes*: sic respondet, *servari quidem volunt ferias & festivitates, sed liberè citra necessitatem, prout cautio adjecta docet. Sic igitur servanda sunt, ut etiam omitti possint, ubi periculum superstitionis, aut gravioris alicujus abusus se ostendit: non aliter tamen, quam de judicio ac sententiâ Ecclesiæ. Quales autem ac quanti fuerint abusus harum festivitatum, etiam in vulgus notum est. Nec illi penitus cessârunt, etiam in Ecclesiis Euangelicis; quando plus religionis ac sanctitatis istis feriis, quam diei Dominico ferè ubique tribuitur. Si Ezechiæ Regi licuit confringere serpentem æneum, Dei jussu factum & asservatum, propter abusum superstitionis; equidem vitio verti non potest piis Ecclesiarum Reformatoribus, quod propter abusum non minorem ferias humanitus solum institutas, sustulerunt. Rivetus in explicatione Decalogi ad quartum Præceptum*: Ubi excusans dierum Apo-
„ stolicorum observationem in Ecclesiâ Anglicanâ, subdit: Etsi cupia-
„ mus id etiam apud eos corrigi, propter periculum idololatriæ, ut dixi-
„ mus, ita ut, quemadmodum in aliis observationibus factum est, exem-
„ plo Ezechiæ serpentem æneum propter nonnullorum abusum abolen-
„ tis, sic etiam profligent Festa illa, quæ tot superstitionibus & idolola-
„ triis etiam num in regno Pontificio polluuntur. *Dispp. Salmurienses part. 3 tit. de Diebus Festis, pag.* 645. Præside *Ludovico Capello*, ubi de Festis incarnationis, nativitatis, mortis, resurrectionis, ascensionis in Cœlum,
„ & missionis Spiritus Sancti sic censet: Ut ad singulorum illorum my-
„ steriorum & beneficiorum recordationem, & solennem & publicam
„ commemorationem certi quidam dies Festi, Deo sacri, annuatim re-
„ currentes, à fidelibus Christianis quotannis celebrandi & observandi
„ constituerentur, id vero est, quod nec Christus, nec Apostoli, Ecclesiæ
„ Christianæ necessarium esse duxerunt. Si enim duxissent necessarium,
„ id procul dubio non omisissent, non enim ad hoc sapientiâ & pruden-
„ tiâ destituebantur, ut perspicerent quid hic utile & operæ pretium factu

esset.

„ esset. At eâ de re in N. T. Euangelistarum & Apostolorum scriptis ne „ minimum quidem vestigium, verbulum, aut literula exstat. Neque „ vero hic obtendi potest aut debet, eorum hâc de re traditio ulla ἀγράφος &c. *Ibid.* §. 9. adducto testimonio Socratis subjicit: Ex quibus planum „ est, pietatem & vitam Christianam (de quâ Apostoli præcipuè fuerunt „ solliciti) rectè posse consistere sine dierum Festorum celebratione & „ observatione, ac proinde ad pietatem & vitę sanctimoniam necessariam „ non esse in Ecclesiâ Christianâ festorum dierum institutionem. Si enim „ eam Christus & Apostoli duxissent necessariam, eam procul dubio se- „ dulò & serio inculcâssent, ac pro suâ autoritate constituissent. *Ibid.* §. 15. antiquæ & protestanticarum Ecclesiarum morem sic excusat: Aliud „ est facere horum in liturgiâ & sacris ad populum concionibus mentio- „ nem, indeque occasionem sumere adhortandi, admonendi, consolan- „ di, &c. Prius illud pro ratione circumstantiarum, &c. potest bene, & „ utiliter, &c. *interdum usurpari.* *Ibid.* §. 18. Consultius forte fuisset, & „ Ecclesiæ Christianæ conducibilius non admisisse illam dierum distin- „ ctionem, & peculiarem observationem, quia (ut eventu comprobatum „ est) ex eâ etsi initio innoxiâ, adeoque non inutili consuetudine, enata „ est postmodum superstitio & idololatria, quæ totam Ecclesiam Pontifi- „ ciam jam à multis sęculis occupat & pervasit, à quo fermento non satis „ fortè tutæ esse videntur Ecclesiæ illæ, quæ primitivum istum dierum a- „ liquot Festorum usum retinuerunt, ut propterea aliæ, nequid contagi- „ onis ex illâ consuetudine contraherent, maluerunt in reformatione suâ „ usum illum penitus abolere, non quod simpliciter illum damnent ut „ malum, sed ut periculum ex eo caveant. *In Religione enim quando vel „ tantillum à Dei præscripto disceditur, & homines aliquid sibi licere volunt „ aut putant, omnia tuta timenda sunt,* siquidem experientiâ comprobatum „ est à quam exiguis & imperceptibilibus initiis mirus factus sit in ido- „ lolatriam & horrendam superstitionem in Ecclesiâ Pontificiâ progres- „ sus, &c. Ut satius esse videatur bono aliquo utili, sed minus necessario „ carere, quam ex illius usu incurrere in grave grandis alicujus mali peri- „ culum. *Postea* §. 48. Denique abusus multiplex rei minus necessa- „ riæ, prorsusque liberæ & solutæ, nec admodum utilis (nisi fortè apud „ valde pios & devotos, quorum numerus semper longè minor est quam „ malorum) sufficit ad rem ipsam tollendam, ubi abusus vix ac ne vix qui- dem tolli potest retentâ re. *Iohannes Scharpius* in Acad. Diensi in Galliâ Professor *in Symphoniâ Prophet. & Apostol. anno* 1624. editâ, *part.* 1. „ *quæst.* 20. *pag.* 155. Errant ergo in Papatu, qui infinitos dies multipli- „ citer Festos sine Præcepto aut exemplo accumulârunt. Item qui pu-

tant

„tant festum Nativitatis, Paschatis, & Pentecostes non Judaicè, sed pro-
„pter natum & passum Christum, & festum Pentecostes propter missi-
„onem Spiritus Sancti observanda. Item qui putant Festum palmarum
„observandum, &c. *Ratio disciplinæ ordinisque Ecclesiastici in unitate Fra-
trum Bohemorum, tit. Consuetudo circa dies Festos*, primum probat institutio-
„onem diei Dominicæ esse non ceremoniam, sed *partem moralis legis æ-
„ternum inviolabilis*. Deinde de Festis sic loquitur, celebramus præterea
„præcipuorum Christi operum memoriam, certis diebus, nempe adven-
„tus nativitatis, mortis, resurrectionis, Spiritus Sancti missionis, &c.
„Sed hos eâdem Christianâ libertate, quâ cæteri, memoriæ solum & oc-
„casionis causâ, constantiæ & patientiæ exempla in martyribus propo-
„nendi, atque subinde aliquid utile populum admonendi (*Hebr.* 13.7.):
„peractâ concione & precibus, æque ut cæteris diebus ad operas o-
„mnes se convertunt (*Exod.* 20, 9.) Ecclesiæ Scoticæ nullum diem,
præter Dominicum servârunt; & cum anno 1618. dies Nativitatis, Pa-
schatis, &c. illic intrusi essent, simulac libertas earum respirare cœpit, e-
orum observationem denuò abrogârunt, anno 1640. 4. *Quidquid* sit de
observatione & facto, certum est nullum jus ab Ecclesiis nostris hic agno-
sci, nec etiam à nostris instituta esse, nec sponte melioris devotionis causâ
accersita, sed tantum tolerantiam & συγκατάβασιν adhibitam in tali quali ob-
servatione; idque sub protestatione de non celebrandis festis Judaicis aut
Papisticis: quia tempestivè, commodè, & sine metu majoris mali non
potuerunt tum tolli: Rationes sunt, *Prima*, quia dies illi politicè erant
feriati, Jure Civili ita sanciente, *L. 2. & 7. C. de Feriis.* Et ut in aliis o-
mnibus conjunctio & combinatio causæ sæculi & religionis, Politicæ &
Ecclesiasticæ, quæ planè per accidens est, progressu temporis confusio-
nem facit, & unum alteri substituit, unum alteri subordinat; sic etiam in
hoc casu obfuerunt Ecclesiæ sensui ac libertati, feriæ politicæ. Accedebat
insuper irrefragabilis consuetudo populi, & Principum ac Magistratu-
um, (qui magnam partem erant Pontificii, aut saltem non satis ab anti-
quo fermento repurgati) stricta autoritas; quod unicè nostros Belgas à
primâ praxeos simplicitate, ad συγκατάβασιν & tolerantiam illam volen-
tes nolentes transtulit: manente tamen proposito & consilio, ipsas illas
conciones & materialem dierum coactam observationem primâ datâ oc-
casione mutandi. *Secunda*, quia populus diebus illis ita assueverat, ut sine
infirmorum scandalo, aliorum indignatione, immo præsentissimo sciſma-
tis & confusionis periculo, ab executione incipi non posset, nisi prius po-
pulo melius edocto. *Tertia*, Quia populus partim feriis illis assuetus, par-
tim autoritate politicâ astrictus inutiliter & magnâ cum profanitate dies
illos

illos transigebat, moribus in Papatu consuetis, tabernas, symposia, choreas, lusus frequentando: hinc est quod Ecclesiæ nostræ tractæ sint ad conciones habendas & cœtus Ecclesiasticos agendos, ut quantum in se est homines à grassantibus illis peccatis abducerent. *Quarta*, quia antiquo more omnes fere Papistę, neutrales, tepidi ad conciones tunc confluebant. Itaque illa, aut nulla alioquin videbatur occasio homines lucrifaciendi, & meliora, nominatim de pseudo-festis, docendi: ac plurimos in bivio positos aut Papistas è Papatu educendi: qui alioquin (siquidem nostri non egissent conventus) ad Papistica, sive conventicula, sive publica Templa se contulissent. Concludimus tantum fuisse toleratum, aut observatum à plurimis nostris Ecclesiis, ut illis diebus saltem conciones haberentur, idque absque omni conscientiâ Festorum, aut necessitate obligationis, aut jure institutionis, aut præcepto imitationis, aut præjudicio aliarum Ecclesiarum, quæ dies illos honestè sepeliverant, & quidem non absque exactiori reformatione, & meliori suorum ædificatione ac devotione & tutiori pace. Ita ut idem hic Ecclesiis acciderit, quod in anniversariâ & circulari Dominicalium explicatione, concionibus funebribus, Apocryphorum editione cum eodem corpore Biblico, & quidem mixtim cum libris Veteris Testamenti, quin immo publicâ eorundem lectione, hymnis publicè decantandis, qui ab hominibus concinnati erant, Musicâ organicâ in ipso cultu, Non residentiâ Episcoporum & Parochorum, Jure Patronatus, Altaribus, Imaginibus seu Picturis quibusdam, Usu & distributione bonorum Ecclesiasticorum, Baptismi administratione extra conventus Ecclesiasticos, concionibus habendis in solennitatibus Sanctorum, panibus seu hostiis orbicularibus adhibendis in usu Cœnæ, &c. De quibus si in praxi aut constitutionibus Ecclesiasticis nostrorum alicubi quid occurrat, cogita id de tolerantiâ & limitatione eorum accipiendum esse. Quomodo postremo *Constitutiones Ecclesiasticas Belgii* anno 1586. repetitas anno 1619. intelligendas esse nemo non ignorat, qui modo contulerit *Constitutiones anno* 1574. & 1578. *modo cit.* & cognôrit quis fuerit sensus, quæ Theologia, quæ eruditio eorum, qui in utrisque conscribendis potissimam operam navârunt. Et nihil aliud voluerunt Reformati Doctores istis suis præcautionibus: *Ordini & concordiæ consulimus, ita libera apud nos est observatio.* Marloratus in Galat. 4. *liberrimè observamus*, &c. *ut omnia ordine & sine tumultu gerantur, neve externa concordia (in Spiritu enim habemus aliam concordiam) scindatur. Lutherus* ad *Galat.* 4. *vers.* 9. *pag.* 348. edit. in 8. *Zanchius in explicat.* 4. *Præcepti*, quamvis satis indulgenter & συγκαταβατικῶς de diebus illis loqui videatur, non est tamen motus proprius, sed mera tolerantia & moderatio

ne circa universalem antiquæ, intermediæ, & novè è Papatu in Germaniâ emergentis Ecclesiæ praxin. Quod prudens Lector satis ex istis ipsius verbis colliget. *Hoc sanè modo neque hæc Martyrum Festa improbari possunt.* Et paulo post: *Atque hæc, quæ huc usque ex Patrum scriptis retulimus, Festa, tolerabilia fuerunt eo tempore* (nota) *cum nondum ullis contaminata essent superstitionibus & idololatriis, sine que ullâ conscientiarum obligatione sanctificarentur.* Postea: *Si verò sint adiaphora, tolli ea prorsus possunt, & sæpe etiam debent* (nota) *sicut fecit Ezechias. In hoc secundo genere sunt præter alia multa, etiam dies Festi, præsertim qui diei Dominico additi sunt. Non malè igitur fecerunt, qui omnia præter diem Dominicum aboleverunt.* Paulo post totam hanc disquisitionem ita concludit: *Ita credo perspicua facta est utraque thesis ad alteram quæstionem allata de Festis: Primum quidem, magis consentaneum esse cum primâ institutione, & cum scriptis Apostolicis, ut unus tantum dies in septimanâ solenniter totus sanctificetur, quam si plures.* Conferverba *Calvini, Bezæ, Danæi, Amesii, Altingii, Ecclesiarum unitatis fratrum in Bohemiâ, Moraviâ,* modo exhibita. *Richard. Montacutii* objectiones, sed larvâ Papisticâ indutas, expendimus in 2. *parte Selectar. Disput. de Tempore Nativitatis Christi.* Sed distinguendæ sunt hic rationes triplices, quæ moveri solent. 1. Pro institutione & introductione Festorum, in quibus solennis commemoratio peculiaris beneficii, & feriatio per totum diem conscientiis ecclesiasticè imposita. Quod pertinet ad tertiam quæstionem controversam à *Bellarmino* propositam, An Ecclesia possit Festa instituere. 2. Pro institutione nudarum concionum, quibus illa beneficia aut mysteria quotannis explicantur; absque tamen mandatâ feriatione per totum diem aut totos dies. 3. Pro tolerantiâ, aut passivâ observatione alterutrius. De quibus in subjectâ Appendice.

APPENDIX DE FESTIS ET QUASI FESTIS EXTRA PAPATUM OBSERVATIS.

§ Observatio, aut species observationis, dictorum Festorum est vel antiquæ Ecclesiæ, vel hodiernæ jam inde post stabilitam reformationem. In antiquâ Ecclesiâ observatum fuit primò Pascha & Pentecoste; deinde & alia orta ex anniversariâ commemoratione Martyrum; tum & Festum nativitatis; postremò circumcisionis, quod in παρεκμῇ purioris antiquitatis, aut potius post eam denuò emersit. Paschatis & Pentecostes majorem esse antiquitatem non inficiamur; Ecclesia enim post excessum Apostolorum non diu mansit virgo, aut in primigeniâ simplicitate perstitit. Nec tamen accedimus *Pamelio in notis ad Tertullianum de Coronâ militis*

militis cap. 3. ex Apostolorum ævo ea accersenti, quæ ex Patribus & mediæ ætatis Scriptoribus adducit, de Patrum illorum ætate, non de Apostolicâ evincunt. Exstant in *operibus Nazianzeni orationes in dies Festos, Gregor. Thaumaturgi sermo in sanctâ Theophaniâ*, h.e. *in baptismo Christi, ejusdem sermones tres in annuntiationem Mariæ* (complurium aliorum sermones nondum editos indicat *Vossius Tungrensis præpos. in Notis pag.* 62.). *Chrysostomi Sermones novem de Ascensione Domini* ab eodem *Vossio* Latinè anno 1604. unà cum *Gregorio Thaumaturgo* editi; *Basilii Encomium in* 4. *Martyres; Petri Chrysologi Sermones de variis Festis.* Ex quorum lectione, ut & *Socratis Histor. Eccles.* & recentiorum *Baronii in annal. Pleffei in Mysterio*, &c. *narratione de contentione super celebratione Paschatis*, anno 194. & ex iis quæ de Paschalibus diebus, & hebdomadibus jejuniis, vigiliis, apud *Tertull. lib.* 2. *ad uxorem, Epiphanium hæres.* 75. *Nazianz. orat.* 3. *in sanctum lavacrum*, & apud *Chrysost. homil.* 38. *in Gen.* 10. leguntur; antiquum morem agnoscimus, sed Apostolicum sive statutum, sive morem minimè. Quamvis ad Apostolicam institutionem referant *Epiphan. loc. c.* & *Pseudo-Clemens lib.* 5. *constit. Apost. cap.* 19. & 20. *Pamelius modo cit. Polydor. lib.* 6. *de Inventor. cap.* 8. Quod ad originem dictorum Festorum, observandum, ut multa alia intentione non malâ, consilio tamen non satis prudenti, tunc temporis propter Judæos, Gentiles, novitios Christianos, aut etiâ adultos ad fidei & pietatis exercitium atq; augmentum vel observata, vel tolerata sunt; sic & hæc dicta festa Gentilium & Judæorum festis substituta, ut homines festivare volentes hâc arte abducerentur: sed tã infelici successu, ut eos ad illa adduxerint, & in antiquis moribus confirmârint, colore Christianismi superinducto. In Festo natalitio 2. *part. Selectar. Disp.* notavimus, & de Germaniâ ab *Hospiniano* ibi *cit.* Britanniâ, & regnis Septentrionalibus à *Loccenio lib.* 1. *antiquit. Sueco-Gothicarum cap.* 5. idem observatum fuit. Quam infelici successu hæc substitutio facta sit, innuit *Buchananus lib.* 5. *rerum Scoticarum pag.* 125. *Loccenius loc. cit.* ait, festa Veneris, Bacchi, Saturni olim à Gentilibus instituta, quorum nonnulla nomen Deorum adhuc retinent (quomodo voce *Ostern* apud Germanos, & *Easter* vel *Æstar*, id est, *Veneris*, apud Anglos Pascha denominatur) postliminio apud Christianos in orbe Arctoö revocata esse. Addit *ibid.* utolim *Decembri mense jus luxuriæ publicæ Romæ datum* (teste *Senecâ Epist.* 18., sic & in orbe Arctoö, mensem illum *Skendiges manat*, & apud Belgas **Hoeren-maent**. *Hoc ergo*, inquit, *hodieque agit Satan, quantum potest, ut loco festorum Christianorum, abolitis Ethnicis festis substitutorum, reparet & reducat sui cultum, aut si hoc non potest, blasphemiis, & hominum sceleribus sacros dies contaminet. Quippe in illis gravissima sæpe delicta patrari, experientiâ, proh nefas! satis docet.* Similia de festivis epulis, choreis, compotationibus,

nibus, lusibus, colliges ex *Hieronymo epist. 19. ad Eustochium, sub finem; Chrysostomo in Homil. in S. Iulianum Martyrem: Augustino lib. 8. de Civitate Dei, cap. 27. Ephremo Syro serm. de Festis diebus, & Serm. in vivificam crucem Domini, Nazianzeno Orat. 39. Tertulliano in lib. de Ieiunio adversus Psychicos: Chrysologo Serm. 124. & 155. Concilio Constantinop. in Trullo can. 62. & 76.* Et *Carthagin. can. 63. & Biletano 3. anno 589. can. 23. & Cabilonensi 1. anno 698. can. 19.* denique *cod. Theodosiani lib. 15. tit. 5. de Spectaculis lege 5.* Quod ad commemorationes & natalitia martyrum, eorum occasionem, ortum, progressum, metamorphosin idololatricam abunde descripserunt *Antagonistæ Papatus de cultu Sanctorum, Chemnitius, Plesseus, Chamierus, Molineus, Iuellus, Raynoldus, Rivetus, Forbesius, &c.* Ut autem scias, quâ occasione & quo fine antiqui Doctores hæc festa admiserint, audi *Nyssenum in vitâ Gregorii Neo-Cæsariensis* dicti *Thaumaturgi: pag. 311.* „ 312. edit. Gr. Lat. *Vossii Tungrensis*: Omnibus ubique populis ma-„ gnam fecit accessionem in Deum studii ac pietatis, sanciens ac statuens „ ut nomine illorum, qui pro fide decertâssent, dies festi, ac celebres con-„ ventus celebrarentur. Cumque alius in alium locum corpora Marty-„ rum diduxissent, per anniversarium annui circuli ambitum congregati „ exultabant, in honorem Martyrum diem festum celebrantes. Etenim „ etiam hoc nimirum magnæ sapientiæ ejus documentum est, quòd cùm „ omne simul hominum genus ad novum vitæ institutum transformaret, „ & tanquam auriga quidam naturam regens, & fidei ac Dei agnitionis „ frenis eos firmitèr subjugans, indulgebat, ut paululum quiddam sub ju-„ go fidei lætitia exultarent subditi. Cùm enim animadvertisset, quòd ob „ corporeas delectationes ac voluptates simplex & imperitum vulgus in „ simulacrorum cultus errore permaneret; ut interim in eo, quod est „ præcipuum, nempe in Deum, se rectè gererent; pro inanibus illis su-„ perstitionis ritibus, permisit eis, ut in memoriam ac recordationem „ sanctorum Martyrum sese oblectarent, & in lætitiam effunderentur, „ quòd successu temporis aliquando futurum esset, ut suâ sponte ad ho-„ nestiorem & accuratiorem vitæ rationem transirent, præsertim cum „ etiam fides eos ad illam rem deduceret: Persimile erat consilium *Gregorii Magni lib. 9. epistol. 71. ad Mellitum Abbatem de Methodo convertendi Gentiles in Angliâ.* Vides Doctores in hoc, ut & in multis aliis, partim invitos à populo tractos, partim συγκαταβάσει & prudentiâ propriâ ductos in admissionem istorum Festorum consensisse, & abominandum eorum usum in meliorem transformâsse: quandoquidem ea tollere non poterant. Nec diffitentur hanc fuisse originis occasionem, hanc methodum inventionis, Pontificii pariter ac nostri. *Baronius ad annum 58. §.*

77. 99.

77. 99. 100. & *ad annum* 44. §. 86. 87. verba non describo, quia autor ubivis obvius. Filesacus Theolog. Paril. lib. 1. Selector. cap. 6. *Gentiles recens Christi fidem amplexos non confestim ad perfectam religionis Christianæ normam adduci potuisse crediderunt, quitum erant populi Christiani Pastores, itaque aliquâ indulgentiâ initio usi sunt, ut inveteratam illam superstitionem paulatim ex eorum mentibus exstirparent.* Ex nostris Bullingerus de Origine erroris lib. 1. cap. 19. ubi asserit: *Veteres Martyribus instituisse memorias, non feriis aut festivitates. Fortassis ex his initiis produxere posteri festivitates Sanctorum.* Socrates in trip. histor. lib. 9. cap. 30. *Autor est, Apostolos nullam legem vel de Paschate celebrando sanxisse, sed eam celebritatem invaluisse ex consuetudine Provinciarum. Igitur cui verisimile videatur illos quidquam statuisse de Divorum festivitatibus.* Ibidem paulo ante: *Quid vero ad nos feriæ, quas non accepimus ab Apostolis, neque ab ipso Servatore Christo.* Occasiones & causas originis in particulari notat *Hospinianus cap.* 3. & 4. & ubi *de Paschate, Pentecoste, Die circumcisionis, Ascensionis, &c.*

Sed his omissis lustremus Ecclesias hodiernas. Ubi primò occurrunt 2
Orientales (ita dictæ respectu positionis antiqui Imperii Romani), iisque cohærentes Persicę, Abassinæ, Ibericæ, Moscoviticę. *Græcorum* festa in *Menologio ipsorum*, & apud *Balsamonem in Scholis ad Photii nomocanon. tit. 7. cap.* 1. numerantur: Pleraque etiam per occasionem recensentur à *Georgio Codino in suo Curopalate*, quæ in palatio observari dicit; & in *Novellâ Manuelis Comneni, de Feriis*, insertâ *tom.* 1. *Iuris Orientalis Græcorum.* Inter ea noto festa Theophaniarum, adorationis Crucis, Palmarum, Luminum, Natalium B. Mariæ, memoriæ magni Demetrii, Occursus (quod Christo obviam itum est Hierosolymis), obitus B. Mariæ, resurrectionis Lazari, &c. In plerisque conspirant cum illis, Coptitæ, Syri, Arabes, Abassini, uti constat ex *eorum Ritualibus. Guodignius libr.* 1. *de Abassinis* „ *cap.* 22. refert eos mensibus singulis Christi optimi maximi, ejusque „ sanctissimæ matris, archangeli Michaëlis, & religiosi cujusdam, quem „ Spiritus Sancti opus vocant (is Theclaymanothus videtur esse) festa „ peragere. Majori celebritate Joh. Baptistæ mortem, quam nativita„ tem, & crucis exaltationem quam inventionem colere. In *translatione Æthiopicâ Nov. Testam.* præter aut inter alia cum Græcis communia noto dies aliquot ita signatos: primam Dominicæ florum (*Matth.* 6.) secundum Sabbathum floridum, Sabbathum Judæorum (*Matth.* 11. *Actor.* 17.) octavam Paschatis (*Actor.* 17.) festoleon (ita Æthiopicè scribunt *Actor.* 20.) Sabbathum tertium Christianorum (*Matth.* 18.) Lampades Paschatis & Sabbathum Michaëlis (*Matth.* 28.) Lectionem de patre Salama & in lampadibus Epiphaniæ (*Tit.* 1. & 2. & 1. *Cor.* 9.) pro Theo-

doro Martyre (2. *Cor.* 10.) festum confessionis Christi (*Galat.* 4.) pro tertiâ Maria (1. *Timoth.* 2.) De Georgio (1. *Timoth.* 6.) pro S. Demetrio (2. *Timoth.* 2.) In *translatione Syriacâ*, Festum tabernaculorum (*Matth.* 16. *Marc.* 9.) commemorationem patris Antonii & sociorum ejus (*Matth.* 19. & *Luc.* 18.) Basilii & sociorum ejus (2. *Cor.* 3.) nativitatem Johannis (*Galat.* 4.) Gestationem crucis (*Ephes.* 3.) commemorationem rectorum & justorum (*Ibid.*) Justorum & Patrum (*Luc.* 13.) Monachorum (*Luc.* 14.) Martyrum sanctarum (1. *Cor.* 7.) Patrum 318. regumque fidelium (*Hebr.* 12.) hebdomadam Mysteriorum (*Matth.* 26.) commemorationem mulierum sanctarum (*Luc.* 10.) annunciationem Zachariæ (*Luc.* 1. & 11.) Encænia Ecclesię (*Ioh.* 3. & 10.) In *translatione Arabicâ*, Festivitatem Joh. Baptistæ (*Actor.* 13.) Pro Sancto Dionysio (*Actor.* 8.) commemorationem regis Constantini (*Actor.* 26.) Ejusdem & Helenæ matris ejus (*Ibid.*) Dominicam hilariorum casei & pro nativitate Joh. Baptistæ 24. Junii (*Rom.* 13.) & hebdomadem casei (3. *epist. Ioh.*) pro S. Gregorio Thaumaturgo (1. *Cor.* 12. pro S. Cyriaco (*Ibid. cap.* 13.) Festum S. Barbaræ (*Galat.* 3.) occubitum Dominæ nostræ genetricis Dei (*Philipp.* 2.) pro S. Phocâ Martyre (2. *Timoth.* 3.) pro S. Methodio (*Hebr.* 5.) pro Johanne Chrysostomo & cunctis Pontificibus (*Hebr.* 7.) pro Paulo confessore (*Ibid. cap.* 8.) pro Joachimo & Hanna (*Hebr.* 9.) Festum 40. Martyrum (*Hebr.* 12.) pro Patriarchis (*Hebr.* 13.) pro magno Sancto Nicolao (*Ibid.*) atque hoc indicium Festorum apud Orientales. Accedimus nunc ad Occidentales.

3 Inter Occidentales I. *Anglica* Ecclesia ut quidem reformata fuit sub Eduardo VI., & restituta ex persecutione Marianâ, sub Elizabethâ, retinuit non tantum dies aliquot qui à Christi apotelesmatis & beneficiis denominantur, sed alios complures feriatione & sacrorum frequentatione celebrandos, quos *Synodus Episcoporum* anno 1603. Canonibus suis Ecclesiasticis denuo sancivit. *can.* 13. Sunt autem dies illi in principio liturgię Anglicæ enumerati, Circumcisionis, Epiphaniæ, purificationis Mariæ, Matthiæ, annuntiationis Mariæ, Marci, Philippi & Jacobi, ascensionis, nativitatis Johannis Baptistę, Petri, Jacobi, Bartholomei, Matthei, Michaelis archangeli, Lucæ, Simonis & Judæ, omnium Sanctorum, Andreæ, Thomæ, Nativitatis Christi, Stephani, Johannis Euangelistæ, Sanctorum Innocentium, Dierum Lunę & Martis hebdomadis Paschalis & Pentecostalis. Horum celebrationem professi sunt, & defenderunt Hierarchici ordinis, & propter illum rituum illic solitorum & semper controversorum promachi: quorum sententiam expressit Richardus Cracanthorp in defens. Eccles. Anglicanæ contra injurias M. Antonii de Do-

de Dominis Arch. Spalatensis cap. 54. *Et Reipublicæ nostræ legibus & Ecclesiæ Canonibus cautum & sedulo & severe de festis Apostolorum, & B. Virginis, aliorumque nominatim multorum; addo etiam Sanctorum omnium, in omnibus ubique Ecclesiis nostris Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus solenniter celebrandis. Quod etiam ex rubricâ Calendarii nostri, & festorum catalogo annexo intelligas.* Rigidius eos defenderunt, non sine hyperbolis & contumeliis, qui ex hierarchicis zelo aut προφάσει ceremoniali ad Papale expurgatum fermentum in aliquibus reverti conabantur. Inter quos (ut vulgaris sortis præteream) eminebat *Rich. Montacutius ad appar. Baronii*, cujus papizantes & invalidos conatus retudimus 2. *part. Select. disp. tit. de Tempore nativitatis Christi. Idem* in *part. priori origin. Ecclesiastic.* postea anno 1636. edit. §. 143. -- 147. invitâ omni antiquitatis historiâ, „ & communi Reformatorum consensu sic dictat: Omnino autem splen„ didos quosdam dies, uti vocat *Nazianzenus*, ut ab ipsis rei Christianæ „ primis initiis & incunabulis, solennes quosdam & festos dies ad Dei „ gloriam, populi institutionem, Sanctorum commemorationem intro„ ductos, & per hilariorem animorum corporumque dispositionem ce„ lebratos, scimus, agnoscimus, & profitemur. Cujusmodi etiamnum „ contra Catharos sectarios (alibi eos appellat *Puritanos Genevenses*, & in„ fra §. 172. *nostri à Genevensibus orti Puritani*), & Separatistas prodigio„ sum genus hominum, in Ecclesiâ Anglicanâ tuemur, juxta illam *Cle„ mentis* antiquissimam Διαταγὴν. τὰς ἡμέρας τῶν ἑορτιῶν φυλάσσεσθε, id est, ob„ servate autem dies festivitatum. *Ibid.* §. 325. defendit Baronium dicentem, festum Epiphaniæ (h, e. adventus Magorum) & aliorum Festorum celebratione anniversariâ cum aliis Orthodoxos & verè Christianos, à Judæis, Paganis, & scismaticis distingui. In fine §. subjicit: *Locutus est igitur Cardinalis, &c. secundum usum, disciplinam fidem primitivæ & vetustissimæ Ecclesiæ, &c. nec nisi Patrum nostrorum memoriâ Festorum celebrationem in Ecclesiâ de Superstitione, Impietate, Paganismo, à Genevensium censoribus notatam, & Angliæ perturbatoribus Puritanis. Ibid.* agit de Festis quibusdam in particulari, ut Kal. Januar. seu circumcisionis, §. 127. 144. de festo purificationis. §. 169. --- 173. de Epiphaniâ seu Magorum. §. 125. -- 138. Ante Montacutium, & novitios quosdam Papaturientes, *Lancelotus Andrevvs* Episc. Wintoniensis anno 1618. concione Paschali coram Rege habitâ ex professo Paschatis divinitatem ex *Psal.* 118. *vers.* 24. & 1. *Corinth.* 5. *vers.* 7. & antiquitatem ex Apostolicâ & Catholicâ jam inde ab Apostolis, Ecclesię consuetudine probatum ibat. Ad loca Scripturæ non est quod respondeamus: inspecta modo difflant consequentiam Disputatoris. Quod ad antiquitatem, nihil ab illo adductum pro-

ba

bat antiquissimam, ab excessu sc. Apost Johannis & deinceps. Ad Pseudo-Clementis testimonium à Pontificiis & *Montacutio* allatum infra respondebimus. Prodiit Oxoniæ anno 1644 Anonymi libellus vernaculus tit. *Festum festorum, seu celebratio sanctæ naivitatis Christi:* ubi probare contendit, Festum nativitatis fundatum esse in sacris Literis. Plerique tamen in Angliâ Theologi, has hyperbolicas defensiones improbârunt, cum dierum istorum observationem retulerunt ad peristatica & adiaphora, quorũ usus ordine Ecclesiastico & Politico illic receptus ac stabilitus erat: consequenter non esse juris dvini, aut omnibus Ecclesiis observatu necessaria. Nec defuerunt, qui materialem & externam observationem unà cum aliis quibusdam ritibus naluissent mutatam: quos odioso nomine Puritanorum & Genevensium appellabant. In vicinâ Scotiâ nunquam non judicium suum public: privatimque depromserunt pro Ecclesiæ suæ praxi & ordine hâc in parte, quo ab initio reformationis tutius & Apostolicæ simplicitati conformius ab omnium dierum anniversariâ observatione abstinebatur. Quicpost introductam Regis Imperio anno 1618. mutationem actum & scriptum sit, ex Historiis cognoscendum; & ex *Anonymi responso ad Tileni* tunc Apostatæ ad Remonstrantismum & exauctorati *Paræneſin ad Scots disciplinæ Genevensis zelotas*; ex celebri scripto tit. *Altaris Damasceni.* Ante omnes turbas hæc doctrina in Scholis & Ecclesiis Scotiæ resonaba: : *Ex reformatis Ecclesiis sunt quæ hos dies* (Apostolorum scil.) *etiamnum celebrant, sed quam bene? celebratio enim horum dierum non caret specie quâdam idololatriæ.* Ubi allatis quinque rationibus, postea additur: *Reliquum jam est, ut postremo de iis dicamus, qui ab hominibus instituti sunt in honorem Dei & Christi ipsius. De his dico paucis. Quis requisivit ista è manibus hominum? Vt idololatricum est aliquid colere tanquam Deum, præter unum verum Deum: ita idololatricum est Deum colere alio modo quam ipse præcepit. Hæc paucis est sententia nostra de diebus festis consentiens sententiæ optimè Reformatarum Ecclesiarum.* Sic *Rolloeus* Pastor Ecclesiæ & Rector Academiæ Edimburgensis, *in Comment. Coloss.* 2. anno 1600 edito. An autem judicium hoc ipsius de festis aliisque ritibus tunc Anglicanis non sit nimis rigidum, aut quomodo accipiendum, & cum mitioribus exterorum Theologorum ritus illos non probantium judiciis conciliandum, ex iis quæ infra dicturi sumus, patescet. Atque hæc de statu festorum in Angliâ: quæ cum per posteriores quosdam Papizantes hierarchicos nimis exaltata essent, non sine magnâ diei Dominicæ depressione ac profanatione, nunc cum aliis omnibus ceremoniis & connexâ hierarchiâ dejecta sunt. II. *Germanicæ Ecclesiæ* ante divisionem per *librum concordiæ* anno 1577. introductam, jam inde à primâ reformatione

tione omnes dies solennes jam longâ temporis præscriptione, & lege illic receptos non sustulerunt, nec tollere potuerunt, tum propter adversarios, tum propter populum & Magistratum, qui illis feriis assueverant, & ferias suas civiles in illis constituerant. Imminuerunt tamen, & celebrationem eorum idololatricam in usum precum, psalmodiæ, piæ instructionis ex verbo Dei (ne homines nihil agendo malè agere discerent) mutârunt: Ita ut nullo alio loco essent, quam ritus & adiaphori Ecclesiastici, quo ad ædificationem populi, & exstirpationem idololatriæ Papisticæ, bene uti intendebant. Sicuti autem in excusatione aut defensione omnium aliorum & illic & alibi ex Papatu, aut antiquæ Ecclesiæ usu relictorum fieri solet, ut non tantum populus, sed & ipsi Ministri ex facto suo cui assuefacti, magis quam ex jure divino sentire & loqui incipiant: ita & hic evenit. Nam ex tolerantiâ utilitas, ex utilitate necessitas, ex consuetudine ordo ecclesiasticus & lex scripta, ex lege & ordine jus humanum Ecclesiasticum, aut Politicum, inde denique jus Divinum aut quasi Divinum exortum est. Facile enim est inventis aliquid addere, & cum intermittitur aut languet assidua ex jure divino de talibus diebus institutio, ex facto & praxi primum suspicio, deinde conscientia aliqua juris divini ab imperitâ plebe, immo & ab imperitis Ministris paulatim concipitur. Dum ex Papisticis Postillis subinde conciones ferruminantur, aut Doctorum dicta secuius aut συγκαταβασιν quam prolata à reliquo corpore extra scopum suum avulsa huc trahuntur. Brentius de Pœnitentiâ homil. 15. ait Festa Apostolorum, Natalis Domini, Trinitatis, adventus Domini, &c. *esse divinas ordinationes, & alia præcepta Domini, qualia Paulus Ecclesiasticas ordinationes in Corinthiis appellat.* fol. 158. b. edit. in 8. Paulo ante dixerat: *sunt enim omnino etiam in Christianismo festa observanda, pro suâ ratione, & pro Pædagogiâ, ut his ritibus vulgus melius & diligentius de doctrinâ Christianâ & de præcipuis articulis fidei nostræ erudiatur.* Videretur sane hic nimium Pontificiis concedere, cum *divinas ordinationes & præcepta Domini* appellat. Sed si conferas *pag.* 159. *b.* ubi civiles leges, quæ serviunt Ecclesiæ (nominatim Constantini de die Dominico) pro *divinis ordinationibus* habendas dicit: ilico patet quid sibi velit. Et quod ad dies Apostolorum, Adventus, Trinitatis, &c. nihil aliud quam liberam partitionem materiarum, de quibus populus quotannis erudiri debet, intendere videtur. Sic enim *homil.* 1. *fol.* 40. excusat, quod tempore quadragesimæ more illic recepto conciones habeat de Pœnitentiâ: „Neque enim omnia possunt simul eodem tempore tractari. Ac liceret „quidem, ut & de aliis partibus anni & hebdomadarum dicam, diem „Dominicum observare die Martis aut die Jovis (ut vocant): liceret

„ etiam carmen de misero Juda (den armen Judas) cantare in die Pa-
„ schæ: & carmen de resurrectione Christi cantare in die magnâ Para-
„ sceves, aut resurrectionis articulum tractare in natali Domini, & articu-
„ lum Trinitatis in die Paschæ. Sed quia vetustissima consuetudo est, ut
„ hæc eo ordine publicè in Ecclesiâ tractentur, qui hactenus apud majo-
„ rem partem Christianorum usitatus fuit, insania est, non libertas
„ Christiana, præter necessitatem à tam confirmatâ consuetudine rece-
„ dere. Post stabilitam separationem à parte illâ, quæ invariatæ Augu-
stanæ confessioni adhærere se dicit, ut in aliis quibusdam, extra contro-
versiam de Cœnâ Domini, tum dogmatis, tum ritibus major hiatus quæ-
situs & firmatus fuit, sic etiam in hâc parte de reliquiis Festorum contra
reformatas Ecclesias ad majorem simplicitatem hic progressas, ut tantò
majus odium apud imperitam plebem ipsis crearetur. Et hinc fortè fa-
ctum, ut reformati quidam Theologi in Germaniâ indulgentiori, aut
neutrali quâdam συγκαταβάσει de iis loquerentur, præteritis distinctioni-
bus, cautelis, consiliis, liberis judiciis, quæ aliarum nationum Theologi,
etiam ubi dies aliqui adhuc retinentur, sollicitè apponunt. *Micrælius in
Syntagm. Histor. Eccl. pag.* 544. statuit in primis sæculis festivitates fuis-
se diei Dominicæ, Nativitatis seu Theophaniæ, Paschatis, Pentecostes,
postea etiam solennes cœpisse haberi dies 50. inter Pascha & Pentecosten
(inter quos Festum ascensionis), & Kal. Januarii seu circumcisionis. Su-
„ pervenisse paulatim memorias martyrum, quæ tamen non festivæ &
„ feriales, sed tantum memoriales primis temporibus fuerunt, cum ut in
„ iis edocti auditores ad constantiam piorum imitandam incitarentur,
„ tum ut iis à festis & ritibus Ethnicorum avocarentur. *Ibidem* exhibet
ex *Hospiniano* & *Magdeburg. centur.* quæ festa jam inde à 4. sæculo usque
ad annum 1630. successivè invecta sint. Sed hic agit ferè purum histori-
cum, festa exsertè nec probando nec improbando. Aliter Mentzerus in
Exegesi August. confess. artic. 15. ubi numerat inter errores Calvinia-
norum, *quod omnes ferias seu festivitates præter Dominicum sustulerint, &
ordinaria Euangelia antiquitus bono & utili consilio per totum annum certo or-
dine dispositæ removerint, continuum quendam textum Biblicum, nullâ habitâ
Historiarum sacrarum ratione, interpretantes.* Citat autem *Danei libr.* 2.
Eth. Christ. cap. 2. & *Calvini defens. contra VVestphalum, pag.* 913. edit.
Genev. anno 1597. *Eckhardus* tamen *in Fascic.* totum hoc præterit,
quamvis minutissima aliàs ad controversias vocare soleat. *Henricus Eck-
hardi in tract. de ordine Ecclesiastico & Politico part.* 2. *cap.* 2. *qu.* 3. taxat
fanaticos, qui institutum festorum in N. T. abolitum cupiunt. Quibus
„ ille autoritatem Ecclesiæ Apostolicæ opponit: ab Apostolorum, in-
quit,

„ quit, temporibus, usque ad nostra in perpetuo usu fuisse Ecclesiasticæ „ historiæ testantur. Intelligit autem, nativitatis, mortis, resurrectionis, missionis Spiritus Sancti, quarum memoria unà cum die Dominicâ servatur, & servata fuit ab initio (uti vult) & quidem liberè. Quod si liberè, cur fanatici erunt illi Doctores nostri, qui liberè non observari posse tradunt? cur culpantur Ecclesiæ, quæ non observando libertate suâ hic utuntur? Nec mirum est, quod Doctores eorum pro adiaphoris suis pugnantes, usum libertatis in Reformatis culpent: cum idem faciant, in reliquis adiaphoris & ritibus, quales ipsis Exorcismus, cruces, imagines, candelæ, altaria, panes orbiculares, &c. Reformati in Germaniâ minuerunt hæc dicta adiaphora, quantum per imperitam plebem, & adversarios licuit: omnia tamen ex voto ad accuratiorem simplicitatem reducere non potuerunt. Quod ad Festa, non observantur, (ubi Magistratus est reformatus) purificationis, annunciationis, Stephani, Andreę, Pauli, &c. Argentorati olim constitutum erat, ut nulli dies Solennes præter Dominicum observarentur: teste *Calvino in Epist. ad Burensem Ministrum.* Sed hæc post discessum Calvini, cum multis aliis in doctrinâ & ritibus illic mutata. De quo videnda scripta *Zanchii* & *Ioh. Sturmii*, cum *Hospiniani Histor. Sacramentar.* Ecclesiæ Nassovicæ anno 1582. suis constitutionibus inseruerunt hanc sequentem, part. 3. artic. 48. *Omnia festa Sanctorum, & abusus feriarum abrogentur, & soli Dominici dies, atque festa Christi retineantur.* Quot autem & quænam sint festa Christi, ex *constitutionibus Belgicis Synodi Nationalis anni* 1581. colligi potest: has enim suis Ecclesiis applicârunt. Vide *Præfat. Zepperi ad constitut. Nassovicas, Politicæ Ecclesiasticæ* subjectas. *Confessio VVirtembergica artic. ult.* concedit Episcopis cum Ecclesiæ suæ consensu ordinationem dierum festorum, lectionum seu concionum. Heerbrandus Theologus Tubingensis in Disp. de Calendario Gregoriano anno 1584. hoc argumento illud oppugnat §. 179. *Cum igitur Paschatis certa dies, nec à Christo, nec ab Apostolis ejus sit instituta aut mandata, ideoque non necessarium, sed liberum & adiaphorum est hoc in Ecclesiæ potestate: quare non irritum tantum ac vanum suscepit* Gregorius *Calendarii fex laborem, quod ad certum diem vult alligare solus Paschatis diem, &c. Sed etiam contra manifestum Dei verbum id facit: de quo in præcedentibus, cum Mosaica omnia per Christum sint abrogata & sepulta,* &c. Refert ibidem §. 181. *Bremenses Canonicos olim præ reliquis omnibus sibi sapere visos, quatuor septimanis citius,* Dominica *nempe* oculi *festum Paschatis celebrasse, &c. hocque Distichon non injustè, sed rectissimè ab Ecclesiâ esse notatos:*

Bremenses asini cantaverunt resurrexi,
Cum populus Dei cantavit oculi mei.

Cassander more suo *in Consultat. artic.* 15. totum hoc de Festis aliisque ritibus sic dictis (qui tamen includunt aut post se trahunt dogmatica, nec pauca, nec exilia) excusat & tegit: adducto etiam consensu Lutheri & Buceri, qui obtulerant publicæ pacis causâ se observaturos *ceremonias & traditiones* in Ecclesiâ Romanâ receptas his conditionibus, &c. in quarum ceremoniarum numerum collocabant, inquit, *non ferias modo & cantiones, sed etiam jejunia & ciborum delectus.* Hactenus de statu feriarum in Germaniâ: transimus nunc ad Ecclesias Helveticas. III. *Helveticæ* Eccl. in *Confessione suâ artic.* 24. rejectis Festis quæ hominibus & Divis instituta sunt, probare se dicunt, *si Ecclesiæ pro Christianâ libertate, memoriam Dominicæ nativitatis, circumcisionis, passionis, & resurrectionis, ascensionis item in Cœlum, & missionis Sancti Spiritus in Discipulos religiosè celebrent.* Ecclesiæ Scoticæ cum anno 1566. in Synodo Nationali Edimburgensi confessionem Helveticam approbarent, disertè exceperunt dierum prædictorum observationem. In *Synodis annorum* 1575. 1577. 1581. 1587. statutum est contra quamcunque lectorum aut concionatorum quorundam observationem, & auxilium potestatis Politicæ petitum ad statuti executionem. Hæc doctrina & praxis publicè illic obtinuit, donec per regem anno 1618. invitis Ecclesiis mutatio imposita. De quo scriptum vernaculum anno 1619. editum, tit. *Perth Assemblie*, & dictus *Didoclavius in Altari Damascено. Aretius in Problemat. part. 2. tit. de Feriis* cum dixisset molem feriarum à reformatis Ecclesiis rectè emendatam, subjicit: „Nostræ Ecclesiæ servant diem Dominicum in memoriam resurrectio„nis Dominicæ; diem nativitatis Domini, Paschatis diem, diem Palma„rum, Pentecostem, annuntiationis Mariæ: reliquas ferias omnes in„termittunt, &c. & quia feriarum ratio semper libera fuit, hoc est, ut „alii alios dies Sabbatho adderent feriandos, nihil hâc in re vitii inesse „putamus. Ego de Bernensi Ecclesiâ, & fortè aliis in ditione Bernatum hoc accipio. De Tigurinâ sic Bullingerus anno 1551. in epist. ad Calvinum (quæ exstat pag. 138. tom. 6. part. alterâ, edit. Genev. anno 1617.) *Nostra Ecclesia ante annos, ni fallor, 12. plura habuit festa: sed abrogatis his solum retinuit diem Dominicam, & festa Christi, nativitatis videlicet, circumcisionis & ascensionis Domini. Adjecit & Spiritus Sancti superioribus propter celebrationem Cœnæ. &c. Multa quidem erat altercatio in innovationis initio, modo autem summa est inter nos tranquillitas.* Hoc divortio praxios à confessione, & diversitate observationis in Ecclesiis Helveticis videmus tantum tolerativè aut concessivè confessionem de designatis feriis loqui. Non esse ergo confessionum, nedum Canonum Ecclesiasticorum verba ulterius in præjudicium libertatis circa ejusmodi ritus (quam Augustana, Hel-

Helvetica; aliæque confessiones exsertè stipulantur) extendenda. IV. *Hungaricæ Eccl.* quæ Helveticam confessionem amplexæ sunt, in *Canonibus suis anno* 1642. editis, *Classe* 3. *can.* 24. festis Sanctorum rejectis, retinent præter diem Dominicum, dies conceptionis, nativitatis, circumcisionis, passionis, Paschatis, Ascensionis, & Pentecostes. Qui omnes in *confess. Helveticâ* reperiuntur; excepto conceptionis seu annuntiationis Mariæ, quem in Ecclesiis Helveticis, Bernensibus scil., *Aretius loc. cit.* observari dicit. V. *Bohemicæ* aliæque ejusdem unitatis in Moraviâ, Poloniâ, &c. retinuerant præter Dominicum, dies Adventus, nativitatis, mortis, resurrectionis, ascensionis, Spiritus Sancti missionis; *item* circumcisionis, Epiphanię, transfigurationis; *Præterea* Apostolorum & aliquot Martyrum. Ita ut tres videantur Ordines, seu gradus dierum illorum constitui, supremus, medius, infimus. VI. *Ecclesiæ* Belgicæ, cum planè auferre non possent, quamvis omnibus tentatis, imminuerunt dierum observationem supra Ecclesias Anglicas, Germanicas, Helveticas, Hungaricas, Bohemicas, Polonicas: adeo ut communiter nunc tantum servent dies nativitatis, resurrectionis, missionis Spiritus Sancti, ascensionis, circumcisionis. Tres priores toti concionibus aliisque publicis exercitiis impenduntur æquè ac dies Dominici: habent insuper adjunctum quique diem proximè sequentem; quo vel unæ (ut in Zelandiâ, & in plerisque Ecclesiis aliarum Provinciarum) vel binæ (ut in urbanis, hoc est, frequentioribus Belgii fœderati Ecclesiis) conciones audiri solent. Duobus posterioribus in hâc nostrâ Ecclesiâ binæ adinstar diei Dominici, in plerisque aliarum Provinciarum Ecclesiis tantum unica concio matutina habetur: reliquo tempore laboribus vocationis, aut honestis exercitiis concesso. Quod ad diem mortis ac sepulturæ, is in hâc Ecclesiâ præ aliis omnibus majori solennitatis specie antehâc observari solet, habitâ matutinâ concione de morte Christi, & vespertinâ (& quidem horâ quartâ) de sepulturâ; cedente insuper feriatione partis matutinę diei à Magistratu impositâ. Quod quamvis præter Synodorum nostratium limitationem & imminutionem Synodalibus constitutionibus insertam ita fieri videretur: nulla tamen super hoc more παροπαιγοδότῳ & hactenus tolerato, contentio cum aliis Ecclesiis morem illum non servantibus nobis unquam intercessit. Ratio hæc erat; quia aliæ Ecclesiæ nostræ libertati ac prudentię, & nos vicissim illarum hâc in parte, nec invidere, nec præjudicare, nec præscribere quidquam voluimus aut debuimus. Victoris Romani spiritus φιλοπερωπεύων ab Ecclesiis earumque Ministris procul abesse debet. Eâdem libertate, quâ ob rationes in retinendo hoc more hactenus usa erat Ecclesia nostra, usa etiam fuit in moliendâ mutatione; quam tandem anno

1647. magnâ ex parte confectam dedit graviſſimis rationibus inclyto hujus urbis Senatui à Synedrio propoſitis. Atque hic ſtatus dierum iſtorum in Belgio. Quid Theologi & Paſtores noſtrates de iis ſenſerint, quid voverint, quid tentaverint, ſupra in transcurſu indicavimus, & infra poſt ſolutas objectiones paucis repetendum. Huc ſpectat illud Serrarii in Commentar. ad 2. Machab. cap. 6. pag. 395. *Sed dolendum*, inquit, *Calvinianorum hodie Reginæ (Elizabetham Angliæ Reginam intelligit) natalitia, tanto ab illis apparatu celebrari, cum beatiſſimæ Dei matris cœlorum Reginæ natalem ipſi diem ſuſtulerint, & ſuis in Synodis egerint, ne Chriſti etiam Domini feſta eſſet nativitas, ut ex eâ quam anno* 1574. Dordraci *habuerunt, patet*, canone 53.

4 De dierum iſtorum obſervatione cum Genevenſi, Scoticâ, & antehac noſtrâ Belgicâ, ac propter eas cum omnibus reformatis Eccleſiis contendunt Pontificii, ut videre eſt apud *Serrarium*, *Bellarminum loco* ſupra *cit. Boenartium in Comment. ad Eſther.* 9. Cum illis partem aliquam faciunt, immo ipſorum armis utuntur hierarchiæ & ceremoniarum in Angliâ & Scotiâ zelotæ aliqui, imprimis *Lancelotus Andrevvs*, *Montacutius*, *Daniel Tilenus*, *Lindſey*, *aliique* complures, qui vernaculo ſermone ſcripſerunt. Prætereo nunc, ſi qui ex Lutheranis, dum ſive in editis concionibus, ſive in ſcriptis eriſticis tolerantiam & uſum reſiduorum in ſuis quique Eccleſiis dierum excuſant aut defendunt, non ſatis accuratè loqui, & theſin ſuam contra Pontificios videntur ἀλαφυλάτίειν. Variæ quæſtiones ad veritatem in luce ponendam formari poſſent. 1. *An* Eccleſia habeat poteſtatem anniverſaria feſta propriè ita dicta inſtituendi, & ſe ac poſteros ad obſervationem eorum obligandi? 2. *An* in Eccleſiâ Apoſtolicâ inſtituta & obſervata ſint, & conſequenter, an obſervatio eorum jure divino, aut in conſcientiâ ſit neceſſaria, ad eſſe aut ad bene eſſe tum fidei, tum pietatis? 3. *An* Eccleſia antiqua motu proprio communi conſenſu & publico judicio ea primùm introduxerit & obſervarit, tanquam in ſe & per ſe ad ædificationem eccleſiæ perquam utilia? 4. Idem quæro de illis eccleſiis reformatis, quæ aliqua retinuerunt? 5. *An* eccleſiæ reformatæ ea retinuerint (cum nón poſſent aut non auderent omittere) tanquam feſta propriè dicta, aut tanquam dies ſacros, aut tanquam tempora ſolennia anniverſaria, quibus ſolennis commemoratio talis beneficii peculiariter alligata, & quæ viciſſim illis beneficiis commemorandis conſecrata eſſent? 6. *An* nullo modo licitum ſit Miniſtris, omiſſionem dierum iſtorum celebrationi eorundem apud complures Reformatos adhuc obtinenti, in ſenſu & conſcientiâ ſuâ præferentibus, conciones habere, Cœnam adminiſtrare, articulos de Chriſti nativitate, morte, reſurrectione, aſcenſio-

ascensione, &c. ad convenientes textus Scripturæ explicare; & consuetudini suarum quique Ecclesiarum se conformare? 7. *An* ἔλλειμμα & defectus sit accuratæ reformationis aut melioris constitutionis, si quæ Ecclesiæ reformatæ, ut in Galliâ, Scotiâ, Angliâ quorundam dierum illorum, qui alibi adhuc remanserunt, observatione careant? 8. *An* Ecclesiæ (e.gr. Genevensis, Scoticæ, hodiernæ Anglicæ) monendæ & urgendæ sint ab aliis Ecclesiis (e. gr. Germanicis, Hungaricis, Polonicis, &c.) uti se conforment? 9. *An* ἔλλειμμα sit ecclesiarum Belgicarum, quod cum pauculis illis diebus, non retinuerint etiam alios, quibus necessaria doctrina de Deo & Christo, in antiquâ ecclesiâ, & hodiernâ Orientali & Occidentali, non tantum, sed & in reformatis & Protestanticis quibusdam (saltem aliquâ ex parte) commemorari solent. Qualis est passionis & mortis Christi, conceptionis & annuntiationis, Epiphaniæ, baptismi Christi, Cœnæ ejusdem, introitus in urbem Hierosolymam seu Palmarum, transfigurationis, introitus in Templum seu purificationis, tentationis & victoriæ contra Diabolum, Trinitatis, Adventus. 10. *An* in Ecclesiis reformatis, ubi etiamnum observantur, Ministri prohibeantur aut prohiberi debeant, ne reformatam sententiam, de dierum istorum ratione & observatione publicè privatimque, occasione ita ferente, proponant ac probent, & sic homines de rei veritate & libertate Christianâ fideliter instruant, ac contra fermentum Pontificium præmuniant? 11. *An* nefas esset, si Ministri, loco, tempore, occasione ita ferente in conventibus Ecclesiasticis proponant & deliberent, de aliquâ receptæ consuetudinis mutatione; an scil. & quomodo sine scandalo, & scismate ea tentari & inchoari posset. 12. *An* tutum & ἐυτύπωλον sit, ut in Ecclesiis unius confessionis & correspondentiæ, ubi ordine Synodali & communi consensu retenta aut admissa sunt, à quolibet Ministro pro arbitrio omittantur? 13. *An* Ecclesiis ubi aut nunquam recepta, aut legitimè abolita sunt, à Magistratu obtrudi possint? 14. *An* si contingat ita obtrudi, Ministri pari ratione & tolerantiæ necessitate ea admittere debeant, quali aliæ Ecclesiæ admissionem jam olim introductam hactenus continuant? 15. *An* diversitas sententiarum de majori aut minori hujus sive toleratæ sive continuatę observationis necessitate, concordiam fraternam turbare, & alienationem aliquam concitare debeat? Ad omnes has quæstiones respondemus, *Neg.* unde liquidò constare potest, quid de observatione dierum istorum sentiamus, & quâ cum distinctione ac cautelâ eos observemus; ne quâ ratione cum Pontificiis συγχεπίζειν aut συμβολίζειν videamur.

Restat objectiones & exceptiones à Papistis aliisque festorum zelotis 55
supra-

supra indicatis excogitatas, consideremus. I Habent fundamentum in Scripturâ. Sic *Anonymus* autor libelli tit. *Festi festorum*, Anglicè Oxonię, anno 1644. editi, *sect.* 4. Quod promissus & prænuntiatus sit hic dies *Genes.* 3. *vers.* 14. 15. & 49. *vers.* 10. *Iesa.* 7. *vers.* 14. & 95. *vers.* 2. 3. 6. 7. 8. & 11. *vers.* 6 -- 11. *Zachar.* 3. *vers.* 8. 10. & Apostolus *Galat.* 4. *vers.* 4. appellat hunc diem plenitudinem temporis, & *Luc.* 2. *vers.* 10. 11. ubi alio charactere exprimit τὸ *hodie* (Angl. *this day*). *Resp.* Aliud est res promissa, incarnatio scil., nativitas, & adventus Christi: aliud temporis, anni, mensis, diei, horæ circumstantia, in quâ promissæ & prænuntiatæ, tum personæ, tum rei executio facta: & aliud diei istius & horæ istius anniversarius recursus usque ad finem mundi. Sicuti distingui debent mors, miracula, obedientia legi ab illo pro nobis præstita, baptismus, cœna, circumcisio, agni Paschalis manducatio, doctrina & conciones, omniaque Christi gesta, à tempore, die, hora, quibus dicta aut gesta sunt singula: & isti individui dies, istæ individuæ horæ, à similibus aut iisdem specie diebus & horis quotannis recurrentibus. Jam ex textibus allatis nihil elici potest pro sanctitate, aut excellentiâ, aut cultu & religione, aut mysticâ significatione aut efficaciâ dierum & horarum quotannis recurrentium, quorum similibus seu iisdem specie singula olim à Christo dicta aut gesta sunt. Quę enim de personâ Christi, ejusque apotelesmatis & gestis mediatoriis dicuntur, de circumstantiâ temporis (25. scil. Decembris; uti scriptor hic *Sect.* 4. omnimodo hoc probabile esse contendit) non dicuntur: uti *Fr. Iunius* verbis supra exhibitis, Bellarmino hoc inculcabat. Textus ex *Psal.* 118. & 1 *Corinth.* 5. pro jure divino festi Paschalis à *Lanceloto* Episcopo Wintonienśi producti, nihil probant. Prior enim prædicit diem & plenitudinem temporis, quo Christus resurrecturus esset: hoc scil. opus & apotelesma Dei, quod fecit in illo die; sed non dicitur Deum fecisse & sanctificâsse diem festum quotannis observandum. II. Magistratus habet potestatem divinitus concessam in dominiis suis sanctificandi & dedicandi dies ad sacros usus: & consequenter ubi Magistratus hoc facit, dies illi festi sunt sacri respectu usus sacri; quomodo *templum, aqua Baptismi, panis & vinum in sacrâ communione sæpe dicuntur sancta.* Sic *Anonymus* Oxonienśis *sect.* 2. *Resp. En quo discordia cives*, &c. Hæc ἀμετρία zeli ceremonialis. Hoc dato, quis finis erit sacrorum, sacramentorum, sacramentalium, pro ingenio cujusque Magistratus instituendorum. Huc advoca rationes quas supra Papistis *Disp. de Sacramentalibus* opposuimus. Ut jam non disquiram de potestate Magistratus in sacris; de quâ alibi ex professo. Quidquid ab Ecclesiâ particulari, aut Magistratu aliquo fiat aut factum sit, non potest fundare sanctitatem & religio-

religionem hujus festi festorum (uti illud appellat) ab omnibus Christianis jam inde post tempora Apostolica (si non ab ipsis Apostolis) observandam observatam: uti post *Montacutium*, alibi à nobis refutatum, ex professo *disserit, sect.* 4. citatis ad hoc *Pseudo-Clementinis constit.* III. Apostoli instituerunt. Sic *Montacutius parte* 1. *origin. Ecclesiastic.* §. 143. & probat ex verbis Pseudo-Clementis: τὰς ἡμέρας τῶν ἑορτῶν φυλάσσεσθε ἀδελφοί. Habentur ea *lib.* 5. *constitut. cap.* 13. Ubi festa celebranda præscribuntur, Natalis Domini 25. mensis 9. Epiphaniæ 6. mensis 10. Jejunii quadragesimæ, sanctæ hebdomadis Paschalis. Idem *lib.* 7. *cap.* 36. digitum intendit ad diem Sabbathi (h.e. diem Saturni), nativitatis Christi, Baptismi, mortis, resurrectionis, diei Dominicæ. *lib.* 5 *c.* 18 19. *Resp.* Pudet jam doctiores Pontificios istarum Constitut. qui inter Apocrypha & notha nunc numerant: quales *Bellarminus de Scriptor. Eccles. Baronius ad ann.* 32. §. 18. & 44 §. 36. & 102. § 9. *Albaspineus* Episc. Aurelianens. *lib.* 1. *observ. Eccles. cap.* 13. *Cardinalis Perronus lib.* 2. *de Eucharistiâ cap.* 1. Et *in Replicâ lib.* 1. *c.* 24. Et quamvis *Turrianus* qui merces illas Græcè protrusit anno 1563. Romæ, & Venetiis apud Jordanum Ziletum in 4. in *Prolegom.* & *Scholiis Apologet.* Græcè scriptis, (sive ad ostentationem sive ad melius ostendendam τὴν ὁμογένειαν inter Autorem & Scholiasten, juxta illud, *Quidquid Græcia mendax audet in Historiâ*;) & *Bovius* Episcopus Ostunensis anno 1564. *in Prolegom. Apologet.* latinæ translationi præmissis, patrocinium earum suscipiant, hic tamen extremâ necessitate adactus de Clementinâ celebratione Paschæ cap. 18. lib. 5. ita pronuntiare cogitur: *Nihil jam annotandum est; sed id totum potius delendum ut nothum ac novum.* Et post: *quare tantum abest, ut ea, quæ in hoc capite legimus, Apostoli statuerint, ut etiam contraria horum ab ipsis præcepta videantur.* Postea: *Quare nova est constitutio, fortasse edita post Concil. Nicenum.* Inspiciantur modo speciminis causâ, *theologemata Clementis contra Deitatem Christi lib.* 6. *cap.* 25. de pellice Ancillâ soli Domino obsequente ad Baptismum recipienda, *lib.* 8. *cap.* 38. edit. lat. *Bovii*, sed *cap.* 32. edit. Venetæ gr. *Turriani.* Conjugium supra trigamiam esse manifestam fornicationem *lib.* 3. *cap.* 2. Sabbathum & diem Dominicum pariter festum agendum: quoniam illud naturæ conditę est monumentum, hic resurrectionis, *lib.* 7. *cap.* 24 Quæ constitutio etiam *Epistolæ Ignatii ad Magnesianos* infarcta est. In Historiam tam turpiter peccat, ut struthio-cameli stomachus ἀνιστορησίας concoquere nequiret. Sed quid opus de rancidis illis constitutionibus verbum ultra facere, cum pereruditus vir *Dallæus tribus libris*, tit. *De Pseudepigraphis Apostolicis* &c. anno 1653. tam plenè & solidè eas confuderit, destructis omnibus *Bovii* & *Turriani* munitionibus, ut non arbitrer ipsam impudentiam posthac putida

tida illa apocrypha in proscenium reductura. IV. Mos seu consuetudo antiquæ Ecclesiæ, immo & perpetua in Ecclesiâ Catholicâ consuetudo, ac successio prætexitur. Imprimis confidentius pro antiquitate, catholicismo, & successione paschatis contendunt *Lancelotus Andrevvs* nativitatis, *Montacut. in appar. & in origin. Eccl. part.* 1. §. 143. quem sequitur, ut opinor, *Autor Festi festorum. Resp.* 1. Ritus, consuetudines, & amplificationes antiquorum, nec sunt principium Fidei, nec faciunt demonstrationem Theologicam. Confer quæ de prætensâ antiquitate, &c. *contra Iansenium in Philonio Romano*, & *Desper. causâ Papatus* disserimus. *Resp.* 2. Communis & Catholicus consensus sive in Synodo sive extra Synodum dies illos solennes primum nec decrevit, nec instituit, nec celebravit; sed κακοζηλία & privatum multorum studium ex Gentilismo ortum inchoavit, Episcoporum & Presbyterorum quorundam συγκατάβασις & conniventia aluit, atque extulit; communis consuetudo firmavit; communis Doctorum, si non omnium, saltem plerorumque, tum in Synodis tum extra Synodos consensus radicatam consuetudinem, ante toleratam, nunc probatam in legem convertit: uti hoc in sexcentis aliis ad ritus & regimen Ecclesiarum pertinentibus contigisse nôrunt, qui historias & antiquitates Ecclesiasticas à tempore Apostolico usque ad sæculum septimum cursim inspexerunt. En coactam & cassam antiquitatem. *Resp.* 3. Contra antiquitatem multa à me dici possent, si tempus nunc ferret. Videat cui hoc tanti est, *Disp. nostram de tempore nativitatis Christi*: de Festo circumcisionis *Hospinianum pag.* 31. ubi docet esse recens; Vide *Montacutium part.* 1. *origin. Eccl.* §. 103. &c. *Resp.* 4. Datâ antiquitate etiam dierum, quibus Apostoli aut alterius Sancti memoria celebratur: nihil aliud concluditur quam antiquitas: minimè verò autoritas, quibus omnes ecclesiæ se subjicere tenerentur. Alioquin alii complures ritus (in *Codice Canonum* & *Photii in Nomocanone* consignati) in hodiernas ecclesias reduci deberent: quod non puto ipsis integrum esse. Non vagabor nunc per canones Conciliorum lex prioribus sæculis habitorum, sed tantum exempla in hâc præsenti materiâ indicabo, de quadragesimâ, de sanctâ hebdomade Paschali, de Sabbatho magno, de diebus Martyrum; aliorumque Sanctorum, &c. V. Utile immo necessarium est beneficia illa populo quotannis semel proponi. *Resp.* Non semel, sed sæpius beneficia illa in cursu concionum & catecheticarum lectionum proponenda; et jam fundamentales Historiæ, quibus omnes aut saltem præcipui fidei articuli innituntur, explicandæ. Sunt autem Historiæ tales, creationis omnium rerum, imprimis hominis ad imaginem Dei, lapsus in peccatum, conceptionis & nativitatis Christi, passionis, mortis, sepulturæ, resurrecti-

surrectionis, ascensionis, missionis Spiritus Sancti. Sed ex rei ipsius necessitate, non sequitur modum, ordinem, & circumstantias in rei illius executione universo Christianismo præscribenda, iisque eundem ita alligando, ut si Ecclesia aliqua textus Dominicales ita non partiatur ac per Dominicas aliasq; anni dies non distribuat, uti in antiquâ ecclesiâ factum, illa una cum computo, Kalendario, & ordine textuum ipsos fidei articulos mutasse videatur. Hoc enim esset ad instar Victoris Romani, ecclesias Apostolicas & illis proximè succedentes, quin & non paucas hodiernas reformatas aliarumq; tum vota tum conatus temere condemnare. *Instantia*: Quod certo tempore non fit, id nunquam fit: necesse est ergo & textus seu historias de illis præcipuis beneficiis Christi & textus Dominicales, aliosque festivales ad commemorationem Apostolorum, aliorumque Sanctorum pertinentes, secundum ordinem antiquæ Ecclesiæ, omnibus Concionatoribus præfigi. *Resp.* Quid sentiamus de præfixis textibus Dominicalibus & Festivalibus, quorum explicatio annuatim recurrat, in *Politicâ Ecclesiasticâ* dicemus: nolumus tamen negare, quin alicubi in Ecclesiis quibusdam, præsertim quæ ex Papatu primum reformantur, (ubi aliquando etiam festivales textus in nonnullis diebus Sanctorum explicari debent) prudenter usus textuum Dominicalium ad tempus retineatur. Quod ad articulos & historias fundamentales, eas quotannis aliquoties repeti omnino consultum putamus: sic tamen ne Ecclesias reformatas cum *Mentzero* supra *cit.* erroris condemnemus, quę pro libertate suâ nec dies textibus, nec textus diebus affixos habent. Possunt enim historias & articulos illos tractare, occasione recurrentium quotannis lectionum seu concionum Catecheticarum; e. gr. de creatione & lapsu, de Christi conceptione & nativitate, de passione, de resurrectione, &c. aut aliâ commodâ occasione & distributione libertati & prudentiæ illarum committendâ. VI. Ipsi dies sanctam recordationem nativitatis Christi, ascensionis, introitus in Hierosolymam, transfigurationis, &c. conversionis Pauli, vinculorum Petri, purificationis Mariæ, martyrii Stephani, &c. & consequentem inde devotionem, in nobis excitant. *Resp.* Non dies, sed verbum Dei illo die prædicatum, & beneficia illo verbo repræsentata. Videndum est ne Papizantes rosariis, horis Canonicis, crucibus, gallis in turri, vestibus sacris, aliisque sacramentalibus, & sacris signis ad memoriam & devotionem excitandam comparatis, totique adeo *Rationali Durantis* imprudentes faveamus. Confer supra *Disp. de Sacramentalibus, Rosarus, Cruce, &c.* VII. Ecclesia potest adiaphora illa, ritus scil., tempora, loca, utensilia in cultu publico determinare. *Resp.* 1. Si purè sunt adiaphora, quarumlibet Ecclesiarum libertati hoc committendum

tendum est: nec antiquissima antiquæ succedenti, ut nec ista mediæ, nulla hodiernæ, nec Orientalis Occidentali, aut vice versâ, nec Anglica Belgicæ, &c. quidquam præscribere debet. Nam si ab universali, seu ab omnibus Ecclesiis pariter quid observari debet, hoc non est purè adiaphorum. *Resp.* 2. Non omnia quæ prætexuntur adiaphora, semper sunt & manent purè adiaphora. E.g. imagines, altaria, cerei in templis, ubi tolli debent & possunt; adhæc cruces in Baptismo, genuflexio ad mensam Cœnæ, &c. quæ vigente adhuc Papali idololatriâ non sine specie symbolizationis & scandalo alicubi retenta aut obtrusa fuerunt. *Resp.* 3. Videndum ne talia adiaphora pariter ac necessaria, immo plus quam necessaria urgeantur; neve sub sipario adiaphori aut ceremoniæ, ipsa religio & puritas doctrinę sensim sine sensu mutetur. Quid in Angliâ acciderit, docet libellus Anglicus doctiss. *Anonymi*, tit. *Ladensium* ἀυτοκατάκρισις. Sed de dictis adiaphoris in Germaniâ consulendus *Altingius in Exegesi Augustanæ confessionis*; deque ceremoniis in Angliâ *Amesius*, *Parkerus*, *Didoclavius in altari Damasceno*, & *Anonymi Scoti* supra *cit.* VIII. Toleranda sunt, non tantum paucula illa, quæ hodie in Belgio, sed & plura alia quæ in Germanicis, Bohemicis, Polonicis, Hungaricis ecclesiis residua sunt. *Resp.* Conceditur totum his scil. conditionibus 1. ut quilibet in communione cujusque Ecclesiæ vivens aut docens, toleret quidquid illic residuum est, idque ἐυπρεπείας causâ, & ut scismata ac scandala evitentur: sed aliis extra illas Ecclesias constitutis, nihil præscribat. 2. Sic toleret, ut iis bene & ad ædificationem utatur, concionibus scil., precibus, &c. 3. Sic ea toleret, & sic iis utatur, ne juxta cacoëthes Papali-Postilliasticum à beneficiis Christi & verbo Euangelii tunc proposito ad diem hodiernum transeat, & encomia rei propositæ hodierno dici rhetoricando applicet. 4. Sic toleret, ne quâvis occasione & publicè & privatim, præsertim illo hodie, de origine, & observatione istorum dierum Ecclesiam instruere negligat; atque ita à Papali festivitate & conscientiâ (in quam longo usu facilis esset prolapsus) quam longissimè abducat. 5. Sic toleret, ne perpetuam necessitatem ad esse aut saltem ad bene esse fidei ac pietatis sanciat, atque ita ipse aut succedentes Ministri, tanquam Apostolicum ac divinum quid, aut saltem illi proximum cum *Montacutio*, *Brentio*, *Andrevvs*, *Pamelio*, *&c.* supra *cit.* tandem approbent atque extollant. 6. Sic toleret, ut jus & libertatem sibi servet in conventibus Ecclesiasticis, & privatim apud eos qui ex ordine hic quid possunt, opportunè, gravibus rationibus ita ferentibus, suadendi & urgendi, quin & suo suffragio ac pro suâ parte decernendi salubrem mutationem. *Sic* (inquit Altingius in Exegesi artic. 15.) feriæ & festivitates *liberè servanda sunt, ut etiam omitti possint*, ubi

ubi periculum superstitionis, aut gravioris alicujus abusus se ostendit: non aliter tamen, quam de judicio ac sententiâ Ecclesiæ, &c. Si Ezechiæ regi, &c. Vide supra. IX. Non est schisma propterea faciendum, nec Ecclesiæ turbandæ. *Resp.* Conceditur totum. Hoc non est in quæstione. Videndum ergo, an importuni quidam festorum & ceremoniarum zelotæ, ad odium innoxiis conflandum hanc sciomachiam non exerceant. Certè ipsi Puritani Genevenses (à *Montacutio* aliisque rigidis hierarchicis sic dicti) Browniſtarum sententiam & praxin circa separationem ab ecclesiâ Anglicanâ, quamvis ceremoniis & Episcopali regimini tunc obnoxiâ, perpetuò condemnarunt: uti constat ex scriptis *Amesii* & *Pageti*, & judicio *Whittakeri* de Browniſtis in *tract. de Ecclesiâ*, *in fine*, si bene memini. X. Omnes Ecclesiæ reformatæ, excepta sola fere Genevensi, ejusque sequacium dies illos observant. *Resp.* 1. Scoticæ hodie non observant, ut nec Anglicę presbyteriales, quæ formam regiminis Genevensis, cum Gallicis, Belgicis, Scoticis, &c. sive apud exteros, sive in ipsâ Angliâ amplexę sunt. Belgicæ initio non servarunt; & invitæ postea ad observationem coactæ fuerunt. An omnes hodiernæ Ecclesiæ in Galliâ eosdem dies, & eo modo quo in Belgio aut Germaniâ, aut Hungariâ, observent, ego jam non dicam. Saltem ex *disp. Salmuriensi de Festis* mox citanda minime constat; nec arbitror ab initio Reformationis illic fuisse recepta. Omitto nunc Ecclesiam Argentinensem & nostras Belgicas, ubi intermissa fuerunt. *Resp.* 2. Quidquid sit de veritate antecedentis, inde tamen elici non debet, ab Ecclesiis, quæ iis carent, dies illos recipiendos; aut ab iis, quæ ob rationes ab *Altingio* modo allatas, aut alias sufficientes omissionem eorum magis consultam judicarent, quam celebrationem, non posse omitti. Talis enim consequentia prejudicaret πρ adiaphoro, & libertati Ecclesiarum: quæ utraque contra Pontificios, à Doctoribus reformatis & Lutheranis, ut & confessionibus Augustanâ & Helveticâ, tanquam immota statuuntur. XI. Ecclesiæ possunt instituere & instituunt dies supplicationum, & eucharisticos, ad exemplum Purim, *Esther.* 9. *Resp.* Illi dies sunt extraordinarii, non anniversarii, aut perpetuò recurrentes. Et dato, alicubi tales esse aut fuisse, non sequitur posteros in perpetuum ad eos obligari; nedum ut aliis Ecclesiis, aut omnibus totius orbis Ecclesiis imponi debeant. Quod ad dies Purim à Pontificiis, & hierarchico-ceremonialibus objici solitis, unde constat eos fuisse solennes dies sacros, & non Politicos? aut Mardocheum non fuisse θεόπνευστον? Posterius statuunt *Fr. Iunius* & *Amesius contra Bellarminum.* XII. Ipsa Ecclesia Genevensis, quamvis dictis festis abolitis, statos dies & horas concionum, præter Dominicum, constituit & servat: inter

eminet dies Jovis, quem ideo aliquando parvàm Dominicam (*petite dimanche*) appellatam ferunt. *Resp.* 1. Dies & horæ à quâlibet Ecclesiâ pro libertate & commoditate sua, concionibus destinatæ, non sunt festa aut quasi-festa anniversaria. Nulla ergo inde consequentia deduci potest. *Resp.* 2. Quod ad Genevenses, nec ex constitutionibus eorum Ecclesiasticis, nec ex factorum luce lectoribus & spectatoribus unquam vel fando auditum fuit, duas Dominicas illic hebdomadatim servari aut servatas esse. Diebus Jovis una concio habetur; quâ finitâ auditores ad sua revertuntur: uti in majoribus civitatibus Belgii, ternæ, quaternæ, quinæ, etjam senę. Quod si quis, aut si qui pro privato arbitrio & sensu suo hunc diem ita appellaverint (de quo alioquin parum constat), illud forte factum, ut cum à diebus aliis distinguerent, quibus preces matutinæ & vespertinæ cum brevi admonitione, aut conciunculâ olim haberi solent. *Resp.* 3. Quidquid aliquando fuerit de hâc quorundam appellatione, hodie illic nulla est, saltem nulla publica, quę ex impositione Magistratus, aut Ecclesiæ orta sit: quia hoc constanti ipsorum doctrinæ anti-Papisticæ repugnaret, per quam nulli homini permittitur dies Festos aut Dominicos instituere. Beza Concione 6. de resurrectione Christi, *statos dies* Concionum innuit esse illic, *Dominicum & Iovis*. Et olim cum festa illa abolerentur, à Senatu decretum fuit, *ut nulli essent dies festi*, (h. e. feriati) *præter Dominicum*, teste *Calvino in Epistolâ* supra *cit.* Unde ergo aut ubi esset altera dies Dominica? XIII. Consentiunt plerique Theologi, utiliter eos servari posse. *Resp.* 1. Sit ita: quia ubi & dum adhuc in usu sunt, ad ædificationem Ecclesiæ iis utendum est. Quis reclamat? Modo attendatur, ne aliis Ecclesiis jugum imponatur, aut libertati Ecclesiarum ac conscientiarum, dum usus ejus lege caritatis & prudentiæ determinatur, quidquam præjudicetur, aut aliqua, cum Papistico festivandi sensu & more symbolizatio fiat. *Resp.* 2. Theologi quamvis in principali causâ videantur convenire, subinde tamen variant in methodo & modo explicandi. Alii enim comparatè ad Apostolicæ Ecclesiæ simplicitatem, ἥττημα aliquod in iis observant: alii respectu ἀτάκτου intrusionis eorum in Ecclesias, quæ pro libertate suâ & cum ædificatione ac pace ea omiserant, plane improbant; alii non tam defendunt, quam excusant: alii antiquitus receptum morem importunè sollicitandum non putârunt; ne totum reformationis negotium turbarent, & tunc apud omnes periculo exponerent: omnes denique saltem plerique tum primi, tum proximè sequentes reformationis Doctores tam anxiè stipulantur τὰ adiaphorum, libertatem Christianam, nudam Politiam & externum ordinem, & ne conscientiis tanquam cultus aut pars cultus, aut tanquam necessarium

quid

quid imponeretur; ut prudens lector facilè animadvertat, eos repertis, & ob graves rationes cum ritibus & moribus aliis non paucis tunc loco non motis, non movendis, bene uti voluisse, & hanc hypotheticam utilitatem, hanc secundam (ut est in proverbio) navigationem declarasse; minimè ea motu proprio tanquam utilissima & tutissima fidei & devotionis excitandæ atque augendæ media inventuros atque introducturos fuisse, si quidem antiquæ Ecclesiæ & universalis in Christianismo tum Orientali tum Occidentali successionis autoritas, aliquâ quasi necessitate injectâ, non prejudicasset. Quid in aliis quamplurimis ritus & regimen Ecclesiæ concernentibus evenerit, notum est: quæ tamen tanquam primi & antiquissimi Christianismi, aut reformationis nostrę inventa, atque adeo ad fidem & pietatem necessaria, aut saltem perquam utilia, quibus nulla bene constituta Ecclesia carere deberet, prædicare non solemus. Considera modo & distingue quæ & qualis fuerit utilitas abstinentię à suffocato & sanguine, *Actor.* 15. item observatio sabbathi Judaici in Ecclesiâ Apostolis proximâ. Ex recentioribus Theologis unus atque alter sine adhibitâ distinctione & cautelis securè & catachrestice loquuntur, cum festa dividunt in Judaica & Christiana. Sed illi acurologiâ suâ (fortè ex opinione & usu populari contractâ) primæ & communi reformatorum doctrinæ præjudicare non debent. XIV. Videntur in naturali jure & lumine fundata esse. Deus enim in tempore operatur: non quidem æqualiter, sed uno die plura & majora, quam altero pro suo beneplacito; ut operibus suis tempora, in quibus fiunt, magis signet veluti atque insigniat, sanctificet, illustria reddat, haut aliter ac loca quædam *Exod.* 3. *vers.* 5. *Iosuæ* 5. *vers.* 15. Unde Psalmistes *Psal.* 118. *vers.* 24. non de omnibus anni diebus, sed de uno aliquo cum admiratione dicit: *Hic est dies, quem Dominus fecit, venite exultemus in eo*, &c. Sic inter hierarchico-ceremoniales *Hockerus lib.* 5. *Polit. Eccles. §.* 59. & 70. *Resp.* Ut seriò istis in speciem argutis teretismatis respondeam, à me non impetro. Tantum ergo repono illi verba Lud. Capelli in thesibus Salmurien. part. 3. disp. de Festis *§.* 41. *Est quidem viri illius ratiocinatio subtilis & arguta, sed longè petita, parumque solida, ne dicam futilem & evanidam, quæque humanam magis sapientiam, & argutias Philosophicas redolet, quam Christianam ex Scripturis divinis prudentiam.* XV. Propter scandalum hostium, & infirmorum inter nostros, & ut tantò facilius homines ex Papatu ad nostras Ecclesias traduci possint, præstat ea retinere? *Resp.* Conceditur aliquo in casu, & apud quosdam majori cum ædificatione servari, quam omitti. Quod etiam de diebus Apostolorum, aliorumque quorundam Sanctorum, ut & mortis, cœnæ, baptismi, conceptionis, purificationis seu introitus in

Tem-

Templum, Epiphaniæ, introitus in Hierosolymam, transfigurationis, affirmari posset. Sed inde non sequitur, nullis Ecclesiis (e. gr. Scoticis, Anglicis, Genevensi) jus fasque esse ab iis in totum aut in tantum abstinere; aut propter rationes ea aliquando opportunè & prudenter abrogare: præsertim ubi nec scandalum, nec scilma, nec Pontificiorum lucrifactio mutationem illam impediunt; immo ubi contra Ecclesiarum filii illud postulant. Multo minus sequitur, Theologos non debere puritatem doctrinæ reformatæ de origine, jure, & usu festorum retinere, profiteri, declarare, & suos contra errores populares, & suboleſcentes quorundam fluctuationes ac imprudentes amplificationes præmunire. *Resp.* 2. Quod ad Pontificiorum faciliorem per hunc pontem ad nostras Ecclesias traductionem, fateor in primo impetu reformationis tale quid accidisse, ubi in ritibus & regimine quamplurima erant relicta, ut in Angliâ & Germaniâ. Sed quem usum hic pons relictus post illud tempus præstiterit, quemque obdurato jam contra omnem reformationem irreformabili Papatu, præstare queat, & quomodo reducendo potius Papatui, aut magnæ ejus parti inservierit festorum & ceremoniarum in Angliâ zelotis, videndum Ecclesiæ reformatæ. Prudenter judicat Zadeel contra Monachos Burdegalenses artic. 13. *Veteres Ecclesiæ Christianæ Pastores plus æquo sese voluisse tum Judæis tum Ethnicis accommodare: quod existimarent eos ad Euangelium citius allectum iri quibusdam ceremoniis, iisque apud utrosque familiaribus, quam si adhæresceret puræ simplicitati à Jesu Christo institutæ & in ejus verbo comprehensæ. Unde multæ ceremoniæ in Ecclesiam irrepserunt. At experientia declaravit Deum non benedixisse huic consilio: tandem enim homines omisso spirituali Dei cultu, exteriora prorsus amplexi sunt.* Quod primo primâ antiquitate posterius est, potest nobis suspectum esse. Esse autem antiquorum anniversarias Martyrum aliasque memorias ex illo numero constat apud nostros & Lutheranos. Vide *Magdeburgenses centur. 2. cap. 6. Zanchium ad quartum Præceptum, Hospinianum,* &c. *Paulatim ceremoniæ auctæ sunt hominum superstitiosorum opinionibus* (ut loquuntur Magdeburg. centur. 3. lib. 3. cap. 11.); & inter eas, festa. XVI. Ordinis, politiæ, & melioris devotionis causâ, institui debent, ut beneficia illa quotannis certo die ex professo commemorentur & celebrentur: ut sit *opus diei in die suo.* Sic *Montacutius,* non tantum pro festis Christi, sed & aliis Anglicanis, supra recensitis. *Resp.* Si ex hoc fundamento singulis beneficiis singuli dies feriati sint assignandi, ut fiat opus diei in die suo, nullus feriarum esset finis. Apostolorum, Euangelistarum, præstantissimorum Martyrum (Stephani, Polycarpi, Ignatii, Justini, Irenæi, Cypriani, &c.) fidei etiam atque Ecclesiæ plantatorum & reformatorum

(Petri

(Petri de Valdo, Wiclefi, Huſſi, Lutheri, Zwinglii, Crammeri, Latimeri, &c.) geſta & certamina commemoranda, & Deus in iis laudandus, aliique ad eorum imitationes excitandi; feriati tamen dies dedicari nec poſſunt, nec debent. Chriſti conciones, miracula, aliaque geſta, & apoteleſmata, quę chronotaxis Euangeliſtarum nobis exhibet, diſci, memorari, & celebrari debent: ſed totidem dies feriati iis conſecrari non poſſunt: niſi omnes ferè dies anni occupare velimus, & in quarto Præcepto inducere τὸ *ſex diebus operaberis*. Si quis excipiat, neceſſarias & ſub Præcepto tantum imponendas ſolennitates aliquot præcipuas, e. gr. circumciſionis; regerit *Calvinus*, cur non & mortis? Addam ego, cur non Baptiſmi, Cœnæ, Conceptionis, oblationis in Templo, &c. XVII. Ritus, qui non ſunt idololatria, & à quorum obſervatione per certas adhibitas cautelas omnis Papiſtica ſuperſtitio & ſervitus Eccleſiæ & conſcientiæ removetur, illi ſi non neceſſario, ſaltem utiliſſimè ſervari debent, aut poſſunt; & piè ac prudenter proſpectum eſt ab antiquis Patribus, ut anniverſariè in Eccleſiâ celebrarentur ingentia beneficia &c. Hæc ſumma diſcurſus, quem colligo ex eximii Theologi *Davenantii Commentar. ad Coloſſ. 2. verſ. 16. Reſp. 1.* Non dico eſſe idololatriam aut formalem ſuperſtitionem, vel ipſam dierum Apoſtolicorum celebrationem; prout Theologi Auguſtanæ confeſſionis, & ex Reformatis Anglis, cum *Davenantio loc. cit.* ſex cautelis eam circumſcribunt. *Montacutium* alioſque iſtius commatis *Davenantio* loquenti ad præſentem tunc ſtatum eccleſiæ Anglicanæ (ad cujus defenſionem Profeſſores Theologi tenebantur) longè diſſimiles reperio. *Reſp. 2.* Cum defenditur aut excuſatur praxis eccleſię Anglicanæ, ubi Canonibus & perpetuâ praxi ab initio reformationis dies Chriſti, Apoſtolorum, angeli Michaëlis, &c. ſtabiliti erant, nolim tamen Eccleſias, Genevenſem illique ſive in totum ſive maximam partem conformes ab ejuſmodi obſervatione immunes, ἀξίας aut ἀτιμήματος aut neglectæ tantæ utilitatis atque ædificationis, aut ſenſum, conatum, votum Eccleſiarum Belgicarum (declaratum in *Synodis Dordracenis* anno 3574. & 1578. ſupra *cit.*) unà cum ſententiâ *Calvini*, *Danæi*, ſupra *cit.* hæreſios ſeu heterodoxiæ cum *Coccio in Theſauro Cathol. tom. 1. pag. 215.* & *Serrario in lib. Machab.* ſupra *cit.* aut erroris cum *Mentzero* ſupra *cit.* aut profanitatis, novitatis, ſciſmatis, cathariſmi cum *Montacutio*, accuſari. Scio *Davenantium*, ut vir erat, hoc minimè intendiſſe, nec puto illum, etiam cum in quæſtionibus determinatis, diſputat *Eccleſiam Anglicanam juſtiſſimè urgere ceremonias* (tres ſcil. celebratas, aliaſque juxta Liturgiam, & Canones Londinenſes anno 1603.), judicaturum fuiſſe, longè inferiorem & imperfectiorem eſſe reformationem Genevenſem, Scoticam,

cam, Belgicam, &c. Anglicanâ aut Protestanticâ in Germaniâ: haut aliter ac *Georg. Dovvnamus* (in *Concione de Episc. & Presbyterio*, peculiari scripto à *Gerſone Bucero* Theologo Belgico refutatâ) de regimine Eccles. Anglicanæ cum regimine aliarum reformatarum comparato pronuntiabat, quod illud esset instar auri, istud instar argenti. Cum cautelas ipsius secundam & tertiam considero, facile credo illum Montacutianum festorum & ceremoniarum zelotem non fuisse. Sic enim se habet: *Non putandum Ecclesiam Christianam aliquâ necessitate adstringi ad immotam observationem festorum dierum; sed statuendum dies hosce humanâ authoritate constitutos, eâdem posse tolli & mutari, si necessitas aut utilitas Ecclesiæ id postulaverit.* Nam omnis res per qualcunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. *Regula Iuris.* Cautela tertia sic sonat: *Neque sentiendum est privatos Christianos tali necessitati adstringi ad celebrationem Festorum, quin omittere possint publicam illorum solennitatem, si vel necessitas, vel charitas id exigat: sed videant ne prætextu falso necessitatis, aut caritatis, violent ordinem Ecclesiæ, & abutantur libertate Christianâ.* Sed cum ab alterâ parte rationes ejus inspicio, videtur nimirum pro consuetudine Anglicanâ dixisse, non sine præjùdicio Ecclesiarum Gallicarum, Belgicarum, Scoticarum, Hungaricarum, Polonicarum & Reformatarum in Germaniâ. 1. *Rat.* est, Officium gratitudinis postulat, ut publica beneficia publicè agnoscantur, & publicâ gratiarum actione referantur; quod commodè fieri non potest; nisi illi qui præsunt Ecclesiæ aut Reipublicæ statutos dies præscribant, quibus conveniatur. *Ioel.* 2. 15. *Resp.* Conclusio non infertur ex præmissis. Concludendum erat de diebus anniversariis, etiam Michaëlis, Apostolorum, &c. Deinde huic fundamento innumeræ feriæ superstrui deberent. Quis enim enumeret omnia Dei beneficia, *Psal.* 40.? Et quorum non grata commemoratio facienda, *Psal.* 103. *vers.* 2.? Confer *Psalmos* 78. 105. 106. Non tantum communia omnibus Christianis, sed & peculiaria cujusque Ecclesiæ, & cujusque Reipublicæ, essent memoranda. Prolixus catalogus ex publicis beneficiis Belgio nostro præstitis, jam inde ab anno 1568. contexi posset. Vide supra *Object.* 16. 2. *Rat.* Recta ratio monet, ut quo efficacior sit memoria præteritorum beneficiorum, recolantur (si commodè fieri possit) illo ipso tempore, quo primum collata fuerunt: recursus enim ejusdem diei excitat mentem ad attentiorem beneficii considerationem. *Exod.* 13. 3. *Resp.* Siquidem melior via Ecclesiis hic ostenditur, sequeretur ab omnibus eam ineundam esse. Ubi ergò τὸ adiaphorum, ubi libertas, ubi sola humana autoritas? An non aliquod jus divinum & naturale hâc ratione innui videtur, similiter fere ac *Hookeri* philosophemate, supra *Object.* 14. 3. *Rat.* Populi utilitas

litas id suadet: nam horum festorum occasione aperiuntur illis præcipua salutis nostræ mysteria, &c. *Resp.* Non capio quæ sint illa præcipua mysteria, quæ in festis Michaëlis, & Apostolorum magis aperiri possent, quam diebus Dominicis ad textus sive liberos, sive recurrentes Dominicales. *Deinde*, hæc ita dici videntur, quasi aliis diebus, quam festis, mysteria explicari, aut quasi aliter declaratio hujus aut istius mysterii (e. gr. Trinitatis, conceptionis, præsentationis in Templo, Epiphaniæ, Baptismi, Cœnæ, mortis Christi) pro prudentiâ & libertate Ecclesiarum, certis diebus appropriari non posset. *Denique* scire velim, an in aliis Ecclesiis, quæ in totum aut maximâ ex parte Anglicanis festis carent, præcipua mysteria minus explicentur. 4. *Rat.* Ab exemplis piorum in V. Test. *Hesther.* 9. *vers.* 27. & ipsius Christi *Ioh.* 10. *vers.* 22. *Resp.* ad hoc ab *Antagonistis Bellarmini*, & *Hospiniano cap.* 2. satis superque responsum est. *Resp.* 2. Non dico in Ecclesiis sive nostris sive exteris, necessario dies illos nunc omittendos, aut initio reformationis debuisse omitti: neque enim hujus loci est determinare, an nunc aut tunc sine scandalo, scismate, & insigni reformationis impedimento prudenter tolli aut minui potuerint aut possint, & Ecclesiæ de facto libertate suâ opportunè uti. Hoc enim est communioris deliberationis; quò Theologi quilibet Ecclesiarum antecessores symbolam suam absque invidiæ contentionisque œstro, absque partium studio conferre tenentur. Sed hæc solum dico, 1. *Non* esse accusandas Ecclesias nec habendas pro imperfectioribus & infelicioribus, quæ aut insigniter dierum istorum celebrationem minuerunt, aut plane omiserunt, aut omittere conatæ sunt, aut conatu non succedente sensum eundem sibi esse voto in Canonibus suis consignato testatæ sunt. 2. *Non* esse Ecclesias immunes, ab aliis sollicitandas, ut desertâ simplicitate suâ ad reformationem quasi exquisitiorem per recepta festa, & conformitatem cum Germanicâ, Hungaricâ, Belgicâ, &c. assurgant. 3. *Non* esse Ecclesias dicta festa plus minusve observantes omnibus non-observantibus remotiores & tutiores ab omni specie aut occasione symbolizationis cum antiquis nimis vanè, aut cum Pontificiis nimis superstitiosè festivantibus. 4. *Non* esse tam patienter admirandam, nec tam indulgenter prædicandam veterum hâc in parte pietatem & prudentiam; quâ tamen Apostoli usi non sunt. Repete aurea verba *Zadeelis* modo exhibita, 5. *Non* esse unquam abnegandam aut dissimulandam professionem libertatis & potestatis Ecclesiasticę in mutandâ hâc consuetudine; cum scil. rationes majoris ædificationis suaserint, commodè & legitimè hoc fieri posse. Repete verba *Altingii* & *Davenantii* ad *Object.* 8. & hanc præsentem 17. exhibita. XVIII. Quia in festis Judaicis fuit aliquid mo-

rale, & aliquid ceremoniale. Morale fuit & naturale & cum cæteris gentibus commune, quod propter publicum Dei cultum & solennem gratitudinis suæ testificationem ob beneficia accepta, habebant aliquid temporis sepositum. Et ratione hujus moralis à dierum observatione non liberamur. Hæc exceptio *Davenantii loco cit. Resp.* Manſit ergo substantia festorum Judaicorum, circumstantiâ temporis definiti solummodo mutatâ, & à Magistratu aut Ecclesiis de novo determinandâ, e. gr. ut nativitati 25. Decembr. adventui Magorum 5. Januar. Omnibus Sanctis Kal. Novembr. Philippo & Jacobo Kal. Maji, Michaëli, &c. Sed quæro, quid futurum sit de morali illo: *sex diebus operaberis*, siquidem liceat Magistratui aut Ecclesiæ tot dies feriatos, Christi non tantum, sed & Angelorum, Apostolorum, Martyrum gestis insignitos, quotannis recurrentes populo imponere, quotipsi visum fuerit. Nam quis dicet, *satis* est? siquidem quisque Magistratus, quælibet Synodus Episcoporum & Pastorum inventis aliquid adderet, juxta regulam topicam: bonum bono additum facit majus bonum. Nec ipse *Davenantius* inter sex cautelas quidquam cavet de numero minuendo: quod tamen alii Theologi reformati & protestantes non solent omittere. XIX. In Civitatibus majoribus populus à labore suo ad conciones & exercitia publica in templis avocatur: ergo licet Magistratui dies feriatos quotannis recurrentes pro autoritate suâ imponere. Sic fere *Tilenus* postquam primam fidem irritam fecisset, in virulentâ *paræneſi ad Scotos disciplinæ Genevenſis zelotas cap. 16. Resp.* Antecedens verum est de civitatibus Reformatis: ubi ternæ, quaternæ, quinæ, immo & senæ conciones habentur. Sed non valet consequentia: quia dies illi non sunt feriati, quales anniversarii Scotis anno 1618. novè obtrusi; nec tenentur omnes fideles relicto labore suo illis concionibus interesse, sicuti diebus Dominicis. XX. *Confessio Augustana artic. ult. & Helvetica artic. 24.* dies quosdam solennes admittit. *Resp.* Sic est: Ex se non instituunt dies, sed perpetuâ consuetudine jam firmatos loco non movent, sed servant, *propter caritatem & tranquillitatem, ne alius alium offendat, ut ordine & sine tumultu omnia fiant in Ecclesiâ*: ut loquitur confessio Augustana: *Si Ecclesiæ pro Christianâ libertate memoriam Dominicæ nativitatis, circumcisionis, passionis, &c. religiosè celebrent, maximoperè approbamus.* Sic Helvetica confess. Vides per συγκατάβασιν admissionem, seu potius relictionem & non remotionem rei per tot sæculorum successionem ad ipsos devolutæ, cujus omissio tunc in ipsorum potestate non erat. Absque hoc, sponte eam sibi non accersiviſſent. Adde quod non absolutè loquantur, sed comparatè ad festivitates formaliter idololatricas.

6 Atque hactenus de statu observationis dierum quorundam, præter Domi-

Dominicum, in Ecclesiis reformatis: adjiciendum aliquid de nostris Ecclesiis Belgicis, quorum Canones pro utrâque contradictionis parte à Reformatis & Pontificiis allegari videmus. Sed facilis erit conciliatio, si tempora à temporibus, & spontaneam atque approbativam admissionem à tolerativâ distinguamus, Quidam rerum apud nos gestarum æque ac solidæ Theologiæ ignari, populari errore aut zelo ac contentione carnali festivales conceptus suos & rationes pro iis Papisticis aut Montacutianis & Ladensibus non admodum dissimiles fervidè defendunt, objecto Canonum Belgicorum clypeo. Qui primò monendi, non esse quosvis Canones ita urgendos, quasi totidem essent capita Catechetica, aut articuli confessionis Belgicæ. Quale crassum phantasma perstringit *Danæus libr.* 2. *Isagogæ part.* 4. *lib.* 3. *cap.* 13. in *Libro quodam de Ecclesiæ politiâ* Gallicè edito: ubi tam immutabilis statuebatur politia, ac ipsa doctrina. Nos, quamvis alibi ex professo de Canonibus agimus, non possumus tamen, quin hâc occasione, tres Hypotheses de Canonibus Ecclesiasticis repetitas quæstioni præsenti applicemus. 1. *Hypothesis*: Objectum sive contentum, sive materia Canonum, non est unius generis, nec paris sive necessitatis, sive utilitatis. *Alia* enim est necessaria, sive in se & per se, sive per accidens: *alia* utilis; *alia* media seu neutra. 1. *Necessaria in se & per se* est duplex, vel pertinens ad dogmata fidei & morum; qualis e. gr. *Canonum* anno 1619. in *Synodo Dordracenâ* de controversis quinque articulis conditorum: vel pertinens ad politiam seu externum Ecclesiæ regimen, qualis est omnis illa, quam ex jure divino tum naturali, tum positivo, deducimus, e. gr. gradus, officia; Ecclesiastica vocatio & stipendia Ministrorum, Seniores, gubernantes, disciplina Ecclesiæ, &c. *Necessaria per accidens* est, cum per objectam aliquam occasionem, seu per compulsorium aliunde accedens (à Magistratu scil., aut populo, aut vicinis Ecclesiis, aut adversariis, aut pluribus simul) aliquid ab Ecclesiâ agi, aut admitti, aut tolerari debet. Hujus generis sunt, approbatio vocati Ministri à Magistratu, juramentum ministrorum Magistratui præstandum, sessio Magistratuum in conventibus Ecclesiasticis *artic.* 37. *Ius* patronatus, clandestinæ Ecclesiæ, earumque institutio & directio, admissio regiminis hierarchici & novorum rituum; suspensio aut intermissio disciplinæ in casu peccati communis fere praxios & conniventiæ, aut propter metum præsentis schismatis aut persecutionis, &c. Inter quæ alia sunt non ingrata, sed talia circa quæ Ecclesiæ ex hypothesi necessitatis indifferenter se habent; alia sunt ingrata, quæ non sine difficultate, & coactione ab invitis Ecclesiis admittuntur aut aguntur; haut aliter ac merces à mercatore in tempestate projiciuntur, & de lutro à captivis, de deditione urbis ab

obsessis cum hostibus convenitur, aut templa reformatorum Pontificiis ceduntur, (uti factum Rupellæ anno 1626.) aut Ministri, quorum opera maximè expetitur, ab invitis Ecclesiis, ob vim adversariorum, dimittuntur. (uti post annum 1624. factum in Galliâ): aut libera electio Ministrorum intra solos populares, aut à Magistratu nominatos restringitur, aut ipsa electio Magistratui relinquitur. 2. *Vtilis est*, e. gr. Diaconorum partes in electione Ministri; Eorundem partes in Ecclesiæ regimine, ubi pauculi sunt Seniores; procuratio stipendii Ministrorum per Synedrium; literæ fidei & mandati pro iis, qui ad Classes & Synodos mittuntur; binorum Ministrorum & totidem Seniorum deputatio ad Synodum Provincialem; annua visitatio Ecclesiarum per visitatores ad id electos; Synodus Nationalis tertio quoque anno celebranda; *artic.* 50. Synodi particulares quotannis, *artic.* 47. nulli Ministri in alienâ Ecclesiâ ad Conciones admittendi, nisi de consensu Synedrii, &c. subscriptio formularum consensus, *artic.* 53. 54. testimonia. 3. *Neutra seu media* materia est, quæ praxi Ecclesiarum in alterutram partem determinanda relinquitur. Qualis est electio Seniorum, & Diaconorum, per ipsorum Synedrium & Diaconos: aut per membra Ecclesiæ. *art.* 22. 24. Ministerium eorum biennale, aut ultra continuatum, *artic.* 27. Sessio Ministrorum in collegio Diaconorum *art.* 40. Officium annuale visitatorum: aut etiam ultra prorogandum. *artic.* 44. de testibus Baptismi *artic.* 57. de Precibus seu Concionibus vespertinis. *artic.* 64. de cantione aliquâ, quæ in multis Ecclesiis Belgicis concioni præmitti solet. *artic.* 69. 2. *Hypothesis* est: Canones nostros non esse unius generis, nec æqualis autoritatis; ut omnes & singulas Ecclesias in Belgio æqualiter obligent; seu ut æquè strictè ac præcisè in Praxi observentur, aut observari possint: tantum abest, ut Classes & Synodi decretis, inspectione, censurarum comminatione, & paratâ earundem executione Ministros compellant ad perpetuam eorum observationem, & observationis peculiarem promissionem novâ ac solenni subscriptione testatam. Exemplo sint *artic.* 1. de electione Ministrorum per Synedrium & Diaconos. *artic.* 10. de dimissione Ministrorum per Synedrium, Diaconos, & eos qui antehac muneribus illis functi sunt: *artic.* 11. 15. de procurandis Ministrorum, & emeritorum stipendiis per Synedrium; *artic.* 15. de non habendis Concionibus in alienâ Ecclesiâ, absque Synedrii consensu. *artic.* 33. de literis fidei & mandati ex Synedriis Deputatorum ad Classem. *artic.* 37. ut in singulis Ecclesiis constituantur Synedria. *artic.* 37. *cum* 41. ut Synedrii conventus ad minimum semel hebdomadatim habeatur. *artic.* 41. ex singulis Ecclesiis Ministrum & Seniorem, ad Classicos conventus mittendum. *artic.* 44. Visitatores

per

per electionem constituendos. *artic.* 47. ut quaternæ aut quinæ, aut plures Classes Synodalem conventum constituant, *artic.* 47. Ut Ecclesia Synodalis constituatur, quæ habito consilio Classis tempus & locum Synodi proximè celebrandæ constituat; *artic.* 47. Ut bini Ministri & bini Seniores à singulis Classibus, ad Synodum particularem delegentur. *artic.* 50. Ut tertio quoque anno Synodus Nationalis habeatur. *artic.* 52. ut aliqui Delegati à Synedriis Wallonici & Belgici idiomatis, in urbibus, ubi utriusque idiomatis Ecclesiæ habentur, menstruos conventus observent, ad correspondentiam & concordiam fovendam. *artic.* 53. Ut Ministri subscribant confessioni Belgicæ. *artic.* 54. Ut Ludimagistri confessioni, aut Catechesi subscribant. *artic.* 63. Ut in Ecclesiâ novè collecta prius provisionaliter constituantur Seniores & Diaconi antequam Cœna illis distribuatur. *artic.* 68. Ut omnes Ministri Concionibus pomeridianis capita Catechetica explicent: sic ut quotannis explicationem Catechesios absolvant. *artic.* 75. Ut reconciliatio lapsorum in peccatum publicè notum, fiat publicè. *artic.* 76. Ut in peccatum lapsi, nec Synedrium audientes, primum suspendantur ab usu sacrorum, postea excommunicentur. *artic.* 79. Ut Ministri in publicum scandalum prolapsi statim Synedrii sui & Ecclesiæ proximè vicinæ judicio à Ministerio suspendantur. *artic.* 82. Ut testimonia Ecclesiastica sigillo, aut duorum subscriptione firmentur. Quilibet Ministri ex his enotatis facile recordari possunt, in omnibus & singulis Ecclesiis hos Canones non servari, atque inde colligere, non esse eos æqualis necessitatis atque autoritatis, nedum ut tanquam totidem fidei articuli aut capita Catechetica urgendi sint. Sed quidquid sit de facto observationis, de ipso jure plenius hoc patescet, si Canonum diversitatem consideremus. Nam 1. *Alii* enim sunt substantiales determinantes & præscribentes regiminis Ecclesiastici substantialia, generalia, per se & in se necessaria, aut saltem apprimè utilia, & magis principalia, & consequenter perpetua atque immutabilia, ubique & semper observanda. *Alii* peristatici seu circumstantiales, continentes regiminis peristatica, particularia, occasionata, minus principalia, mutabilia, ambulatoria, ubique & semper tam strictè & tam necessariò non observanda. Posteriores potissimum, non priores respicit canon postremus, qui est 86. cum stipulatur canones illic decretos, utilitate Ecclesiæ ita postulante, posse mutari, minui, augeri. 2. *Alii* continent ea, quæ pariter omnes Ecclesias concernunt, & sunt magis generales. *Alii* tantum ea, quæ majores seu frequentiores quasdam Ecclesias, ubi plures sunt Ministri, concernunt; & sunt magis particulares, quales e. gr. 42, 64. de suffragiis Classicalibus singulorum Ministrorum

rum & de Concionibus vespertinis. 3. *Alii* sunt communes & simplices: *alii* occasionati, qui particulari aliquâ occasione se offerente & necessitatem quandam ad esse aut ad bene esse Ecclesiæ inducente conditi sunt: absque quâ conditi non fuissent; & quâ, tanquam ratione legis, cessante, aut mutatâ, legis obligatio & observatio cessare, saltem non ita urgenda videtur. Quales sunt *artic.* 65. de Concionibus funebribus 70. de observatione ordinis circa matrimonia, qui in quâque Ecclesiâ usitatus fuit. 4. *Alii* simpliciter imperantes: *Alii* non tam imperantes quam aliquid consulentes, tanquam per se, aut hoc rerum statu non incommodum: qualis e. gr. *artic.* 63. de tempore Cœnæ: quam absolutè alternis mensibus administrari convenientissimum, alicubi verò diebus Paschę, Nativitatis, Pentecostes administrari conveniens videbatur. 5. *Alii* partim permittentes, seu admittentes, seu tolerantes; partim limitantes, ut si fieri debeat, saltem hoc fiat, & nihil ulterius. Quales e. gr. *artic.* 5. de Jure patronatus, & alio quocunque jure in electione Ministrorum. *artic.* 37. de sessione Magistratus in Synedrio. Tales Canones non sunt motus proprii, nec intrinseci, nec spontanei ex corde Ecclesiæ profecti; sed occasionati, extrinseci (quomodo eclipsis est propria passio lunæ), ἐπείσακτοι, aliunde impositi, Ecclesiis onerosi, absolutè & in se ingrati; ad quos concipiendos, inserendos, & quasi per modum transactionis admittendos Synodi invitæ compulsæ & coactæ fuerunt, ad majora incommoda & mala evitanda. Haut aliter ac nautæ, *Actor.* 27. ἑκόντες ἀέκοντι θύμῳ non tantum merces ejiciebant, sed & navem in sinum quem impellebant, ut se suosque servarent. Unde absurdè quis concluderet, canones artis nauticæ præscribere, ad felicem & expeditam navigationem, in se & per se semper necessarium aut perquam utile esse, ut navis in siccum impellatur. Vide quæ alibi de illâ sessione, & de jure patronatus pro explicatione juris Ecclesiastici contra absurdos Canonum istorum Ruspatores disseruimus. Ejusdem generis canon est, de observatione istorum dierum: quam Synodi nostrę sponte non affectârunt; nec instituerunt, quod meliorem viam ac majorem ædificationem in eâ viderent, aut ab eâ exspectarent: sed propter necessitatem à Magistratu & populo impositam, cum post omnia tentata, & observationem jam intermissam, ac decretum Synodicum anno 1574. conditum, tunc temporis abrogare non possent, eam anno 1578. admiserunt; & restrinxerunt, quousque poterant; nihilominus votum & sensum suum de meliori ac tutiori viâ in non-observatione, ibidem declarârunt. Quam declarationem anno 1581. in Synodo Nationali Middelburgensi non repetierunt: quod viderent se nihil profecturos, & magis abrogationem illam desiderari,

quam

viderent se nihil profecturos, & magis abrogationem illam desiderari, quam sperari posse. Ex Historicâ hâc relatione, desumtâ ex Actis & Canonibus trium Synodorum modo cit. satis constare arbitror, Belgicas Ecclesias cum Theologis suis minimè dubitasse & fluctuasse, aut sibi contradixisse, aut sententiam suam de observationis illius sive necessitate, sive utilitate mutasse (tam enim indocti & instabiles non erant eximii illi Theologi Belgici, quorum præstantiores ex Scholâ Genevensi prodierant) occasione præsentis rerum in Ecclesiâ & Politiâ status aliquam observationem admisisse, eamque, quoad poterant, limitasse, & contraxisse: sicuti jus patronatus, & sessionem Magistratus in Synedriis passi sunt Canonibus suis inseri; aut sicuti Apostoli statuerunt de suffocato & sanguine. *Actor.* 15. Atque hæc quidem de dictis diebus observatis aut observandis, extra Papatum, tum in thesi, tum in hypothesi respectu Belgii nostri, à nobis dicta sunto: non cum aliquo nostrate aut extraneo contendendi studio, sed ut nostros partim contra contentiosos quosdam, partim contra recidivam erroris & superstitionis Papalis præmuniam; quòn nonnullos indoctos & instabiles per ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς unà cum Montacutianis & Ladensibus sensim sine sensu prolapsuros, non vanè metuo. Ut contraham hactenus dicta & cavillationes præveniam, 1. *Non dico* admissam anno 1578. & hactenus continuatam dierum illorum observationem in omnibus Belgicis, aut in his illisve Ecclesiis esse hoc tempore abrumpendam; multo minus dico Canones publicâ Ecclesiarum potestate conscriptos, & politicâ hujus nostræ aliarumque vicinarum Provinciarum autoritate munitos, esse abrogandos: sed dico, potestatem & libertatem dierum istorum observationem, quamvis olim & hactenus lege caritatis ac prudentiæ determinatam, omittendi, ecclesiis Belgicis perpetuò competere; quotiescunque id utiliter fieri posse judicaverint. Hæc communis Reformatorum Theologia: uti supra ostensum est. 2. *Non dico* actum observationis quamvis in se & ex se liberum & adiaphorum, privato cujusque Ministri arbitrio omitti debere, aut etiam posse; ut nullas conciones illis diebus habeat, & quidem invito populo, quomodo videmus aliquando ab ignavis quibusdam conciones pomeridianas aut hebdomadales, & catechizationes, quibus Ecclesia illa antehac fruebatur, ex plenitudine potestatis omitti: sed dico à quovis Ministro orthodoxam doctrinam de jure, origine, antiquitate, usu & abusu illorum dierum sartam tectam conservandam, & occasione ita ferente publicè privatimque populo suo inculcandam; ut eum ab omni Judaicâ, Papisticâ, Montacutiano-Ladensi, semi-Papisticâ Festorum conscientiâ & celebratione quam longissimè abducat. 3. *Non dico* idololatriam ab antiquæ ec-

clesiæ Doctoribus in Paschatis, Pentecostes, & memorię Martyrum anniversariâ celebratione fuisse commissam: sed dico eos prudentius & tutius facturos fuisse, si ab omni superstitionis primo primâ specie & occasione abstinuissent (siquidem aliquâ ratione hoc potuissent), & proximis ac propinquis successoribus viam non aperuissent plures solennitates à *Magdeburgensibus, aliisque Historicis* notatas, successivè primis illis adjiciendi. 4. *Non dico* malè fecisse ecclesias reformatas, quæ solennitates quasdam retinuerunt, & isto rerum statu in bonum iis usæ sunt, ut potuerunt; multo minus dico Synodum nostram Nationalem anni 1578. eas debuisse non admittere, aut debuisse in priori suâ praxi & sententiâ, anni 1574. persistere: sed dico non esse Ecclesias illas, quæ abrogarunt, ullius ἠττήματος aut τοῦ nimii in opere reformationis condemnandas, & nomine Puritanorum Genevensium traducendas; quasi excessisset medicina modum; addo tales Ecclesias hâc in parte feliciores fuisse, quibus per Magistratum, populum, & Ministrorum consensum atque ὁμόνοιαν, absque ἰδιογνωμοσύνης, αὐθαδείας, livoris, & contentionis œstro, licuit potestate & libertate suâ hic uti, & pomum hoc eridos majori cum ædificationis profectu quam jacturâ è medio tollere. 5. *Non dico*, septum Canonum ab Ecclesia constitutorum à quolibet removendum aut perrumpendum esse, & Canones tantum servandos, quando & quoties ita usu venit, & ad particularem nostram causam aut factionem obtorto collo trahi posse videntur; secus esse seponendos, uti hoc plerisque formalistis Montacutianorum & Ladensium imitatoribus in more positum est: sed dico, non esse eos extra intentionem conditorum in peristaticis extendendos, nec ad lubitum φιλοπρωτεύοντων Canonistarum instar nasi cerei flectendos; multò minus orthodoxiæ & pietatis ἀκριβείᾳ atque ἔργῳ, περιεργίαν circa illos longè præferendam, quasi in iis Ecclesię salus versaretur.

* APPENDICULA DE COMPUTO ECCLESIASTICO ET GREGORIANA KALENDARII CORRECTIONE.

UT accessoria sequuntur suum principale, sic cura computi & Kalendarii, celebrationem Festorum. In V. T. necessitas computi Præfectis Ecclesię incumbebat: quod anniversaria festa certo diei alligata illic ex præscripto legis divinæ servanda essent. De antiquo & hodierno illorum Computo & Kalendario videndi *Scriptores antiquitatum Iudaicarum*, nec non *Chronologici*, alibi indicati; in *Bibliothecâ* scil., & in *Disp. de Iudaismo*. Imprimis autem consulendum *Sebast. Munsteri Kalendarium*

Hebræ-

Hebræorum: post quem *Scaliger de Emendatione temporum*, & *in Canonibus Isagogicis* operosè non tantum Judęorum, sed & hodiernorum Samaritarum computum explicuit in arduo illo (uti *Lipsius* appellabat) opere *de Emendatione temporum*, & in *Canonibus Isagogicis*. Quem alii postea secuti sunt, nonnulli etiam oppugnârunt. Inter omnes ex Tyronibus in illâ arte gustum dedit *Alstedius in præcognitis Theologicis*; qui utiliter legi potest abiis, qui ad alia properantes in hæc χρονολογήματα se nequeunt diffundere. Novissime *de anno Hebræorum* tractatum peculiarem edidit *Ioh. Seldenus* anno 1650. Computus Ecclesiasticus & Kalendarium Ecclesiæ universæ in N. T. planè supervacuum esset, siquidem loco festorum observatus fuisset textus Galat. 4 vers. 10. *observatis dies & menses*, &c. facile enim supputari potuisset post senos dies successio dierum Dominicorum jam inde à Christi resurrectione, & deinceps. Sed quia septum hoc intergerinum inter Christianos & Judæos, tam longè transiliit humana prudentia, ut tandem pluribus festis gravaretur Christianismus, quam Judaismus: hinc miserè laboratum fuit in labyrintho disquisitionum circa Computum & Kalendarium: Uti constat ex libris hâc de re, ante & post correctionem Gregorianam (quæ incidit in annum 1582.) editis. De molestâ περιεργίᾳ Papatus in ordinatione horarum Canonicarum, supra aliquid notamus in *Disp. de Rosariis*. Quod ad Ecclesiasticum ipsorum computum, qui ad calculos illic sedent, ejus partes vulgo faciunt Theoreticam & Practicam. *Theoretica* continet præcognita seu prolegomena quædam, de partibus temporis, minuto scil., horâ, die, septimanâ, mense, anno: quæ cum ab artis Astronomicæ & Chronologicæ Scriptoribus propriè explicari debeant; ab ecclesiasticis Computistis inde desumuntur ac repetuntur. *Practica* continet canonem Mathematicum, & Kalendarium. *Canon* agit de Mathematicis annorum systematis, & de accidentibus temporis Astronomici. *Systemata* sunt variæ connexiones annorum, quæ dicuntur *cycli*. Cujus species sunt cyclus solis Romanus, cyclus Lunæ, cyclus magnus Paschalis, cyclus ἀφηγήσεως, cyclus characterismi, cyclus solis tropicus civilis, cyclus magnus ὑπολείψεως σεληνιακῆς, cyclus solus Hipparcheus, cyclus magnus Julianus, cyclus magnus Arabicus, cyclus indictionis. Accidentia temporis Astronomici sunt, intercalatio bissextilis, intercalatio epactarum, litera dominicalis, terminus Paschalis, & alia viginti, quæ ab autoribus citatis, & compendio ab *Alstedio in Præcognit. Theolog.* & *in Vranometriâ* explicantur. Ante hos computum Ecclesiasticum conscripserat *Ioh. de Sacro Bosco* (qui floruit anno 1214.) quem anno 1538. Witebergæ excudi curabat Georg. Rheticus, cum *præfatione Melanthonis*, *Durantes lib.* 8. *Rationalis* totam ratio-

nem computi complexus est. Anno 1539. editus est Witebergę, *computus Ioh. Spangenbergii* in pueriles quæstiones redactus, manu, scalis, rotulis & figuris illustratus. Ibidem a. 1567. *Computus Barth. Schonbornii*: ubi etiam differit de emendat. Kalendarii. Nuper a. 1650. *computum* ex variis Autoribus collegit *Georg. Hilarius* Scholæ Hafnienſis Rector, qui præcipua ad artem computisticam pertinentia ad 21. Problemata revocavit. *Kalendarium* est digestio mensium & dierum Astronomicorum, accommodatè ad festa Ecclesiastica. Varia sunt Gentium Kalendaria, ut anni cœlestis; Hipparcheum; anni vagi Ægyptiorum, Persarum, Armeniorum; Judaicum; Romanum: de quibus *Scaliger in Canonibus Isagogicis*. Romanum varias suscepit mutationes: ita ut Romani habuerint Kalendarium Romulianum annis 752. ante Christum; Pompilianum primum annis 714. ante Christum; Pompilianum secundum, quod mansit usque ad 450. ante Christum; Decemvirorum, quo usi usque ad annum 48. ante Christum; Julianum à Julio Cæsare sic dictum, quod 38. annis post interpolatum per Augustum, 9. annis ante Christum, & omnibus gentibus sub Imperio Romano fuit præscriptum; Nicenum anno 325., Gregorianum anno 1582. Ex his sextum à Christianis in Imperio Romano fuit assumptum & diebus suis Ecclesiasticis applicatum, usque ad Concil. Nicenum anno 325. Septimum, & octavum, non tantum applicatione & formâ suâ, sed & ortu sunt Ecclesiastica, quippe ab Ecclesiasticis ad finem ac usum Ecclesiasticum constituta. Continet autem Kalendarium dies, hebdomadas, menses totius anni ordine digestos, ac dispositos; ubi dies suis quique festis anniversariis, signati sunt; & dies domini suis titulis desumptis, partim à relatione temporis ad Pascha, ut quinquagesimæ, sexagesimæ, &c. aut ad Dominicam Trinitatis, ut primæ post Trinitatis, secundæ post &c. aut ad festum nativitatis Christi, ut primæ Adventus, secundę, &c. partim primis vocibus textuum sacrorum, quorum lectio illi diei Dominico assignata erat, ut e. gr. Dominica *oculi, cantate, lætare, reminiscere*, &c. Sunt autem Kalendaria ecclesiastica vel simplicia vel composita. *Illa* vocamus quę festa nudè suis quæque per singulos menses diebus adscribunt: qualia legendis, & vitarum Scriptoribus, præmitti solent. Ea rursum sunt vel generalia, vel particularia; quale *Kalendarium Belgicum* præmissum *Molani natalibus Sanctorum Belgicorum*. Inter generalia, excellunt dicta *perpetua*; quale *Kalendarium perpetuum Didaci Ximenes secundum institutа ordinis Prædicatorum*, Antwerpiæ anno 1566. apud Plantinum, constans 36. tabulis. *Composita sunt* triplicia. 1. *Quæ* cum designatione dierum solennium annotant lectiones & officia cujusque diei: & tale est *Durantis lib. 6. & 7. Rationalis*; & illud quod *Missalibus Romanis* præmittitur, & *Kal. perpetuum Didaci Ximenes*. 2. *Quæ* con-

conjungunt fastos Romanos & Græcos; quale est *Fabritii Paduani* Medici Forolivienſis anno 1605. editum cum *Catenâ temporum*, & *Hadriani Iunii* cum *tract. de Anno & mensibus*, anno 1550. editum. 3. *Quæ* conjungunt rerum memorabilium ex ſacris Literis, & Hiſtoricis quibuſque ad ſuos dies annotationem: qualia dicuntur *Kalendaria Hiſtorica*, Hemerologia, Faſti. Talia ſunt *Hadriani Iunii* modo *citat.*, & *Pauli Eberi*. Dicamus nunc de Kalendarii Eccleſiaſtici emendatione, propter anniverſaria feſta ſuſcepta. *Prima* emendatio à Concilio Niceno peracta, ut controverſia de tempore celebrationis Paſchæ terminaretur, & omnes Eccleſiæ uno die ſolennitatem illam ſervarent. De quo vide *Epiſtolam Conſtantini* apud *Socratem lib. 1. cap. 6.* & *ibidem* rei geſtæ narrationem, ut & apud *Euſebium lib. 4. de vitâ Conſtantini* & *Baronium ad annum* 1325. §. 102. -- 116. ubi notat Concilium ob hanc quæſtionem de Paſchate, etiam præcipuè fuiſſe coactum. Ratio autem emendationis conſiſtebat in conſtitutione numeri aurei, & in confectione cyclorum Paſchalium: ita ut habito emendato computo Paſchali, Kalendarium Julianum à Concilio illo non ſollicitaretur. Conſulendus *Samuel Petitus*, qui *lib. 3. Eclogar. Chronologic.*, *cap. 7.* -- 10. ex profeſſo rationem & ſucceſſum emendationis Nicenæ explicat. *Secunda* emendatio diu multumque variis variorum conſiliis agitata tandem à Gregorio XIII. ſuſcepta, & ope Aloiſii Lilii Medici & Aſtronomi peracta; ita ut novum Kalendarium, ſeu novus computus anno 1582. omnibus populis Romanæ Eccleſiæ ſubjectis editâ *Gregorii Bullâ* præſcriptus, & anno eodem introductus fuerit; initio facto à menſe Octobr., qui Gregorio erat Natalis, ex quo 10. diebus ſublatis, loco 1. Octobris ſcribebatur 10. Cauſa inſtitutæ emendationis fuit, quod annus ſolaris ſupra 365. dies 6. horas, habeat 11. ſcrupulos horarios, ſeu quintam ferè partem horæ, quam computus Julianus præterierat: ita ut ſingulis 300. annis intercidiſſent bini dies & horæ 7. atque adeò ſolſtitia & æquinoctia, quę tanquam cardines anni, tempore illo, quod interceſſit inter Julium Cæſarem & Gregorium XIII., quatuordecim fere diebus receſſiſſent verſus menſium principia: Sic e. gr. æquinoctium vernum ex ordinatione Julii Cæſaris incidens in 24. Martii, incidebat in 10. Martii. Hinc metuendum putabat Gregorius, ſi mundus adhuc multis ſæculis ſtaret, ne tandem celebratio feſti Paſchatis progrederetur ab æquinoctio verno ad ſolſtitium æſtivum, inde ad autumnum, denique ad hyemem & ſic deinceps; & celebratio Natalis Domini ad tempus vernum, immo & æſtivum, & ſic deinceps: ſiquidem æquinoctium vernum paulatim è Martio in Februarium, inde in Januarium & deinceps retrocederent; atque ita menſes hyberni paulatim fierent

rent æstivi, & vice versâ. *Kalendario Gregoriano* introducto servatum tamen fuit Julianum ab illis populis, qui jugum Papæ abjecerant: opponentibus se ejus receptioni Theologis cum Politicis, & Computistis. *Illi* usurpationem Papæ hâc in parte notabant, & repudiandum censebant qualecunque esset; quod ab illo præscriptum esset ex plenitudine illius potestatis, cujus umbram & minimam speciem nec Respublicæ, nec Ecclesiæ in illis Rebuspublicis agnoscebant. *Isti* causabantur defectum emendationis Gregorianæ, quod æquinoctia & solstitia revocasset ad illos dies, in quos incidebant tempore Concilii Niceni anno scil. 325. à nato Christo, & anno 368. à Julianâ anni constitutione, cum tamen ad minimum debuisset revocare ad eum statum, in quo erant tempore Julii Cæsaris: Sic e. gr. solstitium vernum, revocavit ad 21. Martii, cum revocare debuisset ad 24; à quo die usque ad 10. ejusdem mensis recessum erat. Ab adversariis hujus Kalendarii alii modi suggeruntur, quibus anni Juliani emendatio rectius fieri posset. Nos ista artificibus agitanda, & curam retinendi aut de novo constituendi Kalendarii principibus ac populis relinquimus: ad quos illud pertinet, non ad ecclesiam: quod Ecclesia sit in Republicâ, non contra. De emendatione Gregorianâ hæc nostra est epicrisis Theologica. 1. *Quod* otiosa, immo & superstitionis Judaicę atq; Ethnicæ æmula fuerit ipsius ἀκριβία in emendando Kalendario propter præsumta festa. Illa enim in honorem & cultum Sanctorum institui ac observari non debent. Quantum verò ad commemorationem beneficiorum Dei per apotelesmata Christi Mediatoris nobis parata, & ab eodem Christo, Ecclesiæ exhibita atque applicata per ministerium Apostolorum, Martyrum, &c. ea quamvis in eundem diem (sive verè sive imaginariò ita supputatum) non incidat, non erit tamen frustranea aut Deo ingrata. Quia jure divino ad nullos dies astringitur Ecclesia Christiana (excepto die Dominico); sicuti olim Ecclesia Israelitica. 2. *Quod* emendatio Kalendarii ad Ecclesiam sive universalem, sive particularem non pertineat; multo minus ad Gregorium, qui nullo modo Ecclesia dici potest. Christus ne hæreditatem quidem inter fratres dividere voluit. Kalendarii constitutionem saltem ad sæculum, & negotia hujus mundi etiam spectare, & non tantum ad Ecclesiam, ne ipsi quidem Pontificii negare queant. 3. *Quod* dato pertinere ad Ecclesiam, nullæ tamen partes hic concedendæ essent Concilio Tridentino, quod Papæ emendationem Breviarii & Kalendarii commisit. Ut enim nec Breviarium, nec festa idololatrica Papatus, nec Papæ potestatem agnoscunt Protestantes; sic neque Concilium Tridentinum. 4. *Quod* insignis sit usurpatio & tyrannis rem de hoc sæculo, quæ quod ad jus conscientiæ ad

mini-

minimum debebat relinqui in se adiaphora, orbi Christiano autocratoricè præscribere sub pœnâ indignationis divinæ à contravenientibus sibi accersendæ: uti hoc habet *Gregoriana bulla Kalendarii.* 5. *Quod* consequenter rectè fecerint Regna Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Sueciæ, & Elector Augustus, Principes ac urbes Protestantes in Germaniâ, & aliquot Provinciæ Belgicæ (quibus tunc nihil commune cum Papâ) quod Kalendarium hoc non receperint. Hollandia & Zelandia, quamvis jam ante annum 1582. Papatus inde profligatus esset, ex parte receperant, uti & Brabantia ac Flandria, autoritate Ducis Alenconii, qui tunc rerum potiebatur. Argumentum debitæ hujus rejectionis suppeditat nobis *Baronius ann.* 325. §. 112. ubi dicit à Patriarchâ Alexandrino non amplius petendum esse diem celebrandi Paschatis (quamvis à Concilio Niceno hoc ita constitutum sit) ex quo in sede illâ hæresiarchæ sederunt. Atqui Gregorius non tantum fuit hæreticus, sed & idololatra, immo & apostata, & quod maximum, ἀνομος ille & magnus Antichristus. Qui ergo idololatriæ & hæresios participatæ rei esse nolebant, aut vel minimâ specie potestatem Papę agnoscere, piè ac prudenter Kalendarium ipsius repudiârunt. Duas illas rationes de non communicando cum festorum idololatriâ & nullâ specie tacitè admittendâ aliquâ potestate Papę, imprimis urget *Heerbrandus* Theologus Tubingensis in *Disp. de Kalendario Gregoriano* anno 1584. illic propositâ: in quâ graviter monet omnes Protestantes in Germaniâ (ubi Imperator Rodolphus & Electores ac Principes Papistici illud receperant) caverent sibi, ne prætextu quod res esset Politica, se decipi paterentur. Dedicat autem hanc disputationem Concionatoribus Augustanis, quos collaudat, quod solidis rationibus allatis Kalendarii receptioni illic obstitissent. *Mieralius in Histor. Ecclesiastic. pag.* 884. rationem ab idololatriâ planè præterit, & has sequentes allegat pag. 884. *Si*, inquit, *Pontifex novâ Kalendarii emendatione sibi in nostras Ecclesias autoritatem non vendicâsset; si primatum apud nos amissum cuniculis hisce non repetiisset; si sub pœnâ excommunicationis Kalendarium omnibus Christianis non mandâsset; si à nobis non crederetur, qui temporis & legum mutationem ex Apostoli prædictione arrogaret; si denique dolo nostras Ecclesias non circumveniisset; ut aut Majestatem Papæ fictam, vel hâc in parte agnoscerent, aut Imperatori de obedientiâ debitâ suspectæ fierent, & bellum adversus se excitarent, Augustus Elector & reliquæ Lutheranorum Ecclesiæ in emendationem consensissent.* Cui porro vacat spectare conflictum super Kalendario Gregoriano, is adeat *Mestlinum in Prolegom. ad Chronologiam*, & *libellum ejusdem peculiarem* in 4. *Scaligerum de Emendatione temporum in fine*, eundemque *in Castigatione & elencho anni Liliani*, quam subjunxit *Commentario suo in Canonem*

nem Paschalem Hippolyti anno 1595.; *Sethum Calvisium in Elencho de Kalendarii Gregoriani*; *Henricum Buntingium ad finem Chronologiæ*; *Herlicium in Refutatione Kalendarii Gregoriani*; Contra defendunt Kalendarium *Possevinus tom.* 1. *Biblioth. selectæ lib.* 6. *cap.* 13. 14. qui *ibidem & lib.* 5. *cap.* 39. meminit *tract.* sui *peculiaris pro Kalendario contra Cythræum*. *Petavius lib.* 5. *de Doctrinâ temporum*, & *lib.* 7. *cap.* 12. *Christophorus Clavius in duabus Apologiis, unâ contra Mæstlinum, altera contra Scaligerum, cum Appendice*. Idem edidit præter explicationem Kalendarii Gregoriani, Confutationem eorum, qui Kalendarium aliter instaurandum esse contenderunt: Inter quos *Calvisius in Formulâ Kalendarii novi*, anno 1613. *Albertus Rozciszeuski* ejusdem Ordinis *in Defensione Kalendarii Gregoriani*. *Iohannes Busæus* ejusdem Ordinis *in Disputatione Apologeticâ pro Kalendario Gregoriano*; *Paulus Guldin* ejusd. Ord. *in refutatione Elenchi Calendarii Gregoriani Sethi Calvisii*, *Ejusdem Paralipomena ad eandem refutationem*. *Wilhelmus Lantgravius Hassiæ* ipse in Matheſi insigniter versatus, & qui præstantissimos semper fovit Mathematicos, *Epistolâ* 5. *Decembr.* 1582. scripta *ad Electores Saxonem ac Palatinum* dissuadebat receptionem Kalend. Gregor. adductis rationibus partim Politico-Theologicis, partim Astrologicis seu Computisticis: & judicabat rectè verni æquinoctii ulteriorem recessum evitari posse, (ita ut posthac in infinitum incideret in 10, & 11. Martii) si singulis 132. annis, incipiendo scil. ab anno 1600., Februario mensi unus dies tollatur, ita ut illo anno tantum haberet 28. dies, & sic rursum anno 1732. & anno 1864. & sic deinceps. Ita fieret, ut post decursum aliquot millium annorum (pone 4712.) nullus sensibilis error deprehendi posset. Exemplum illius Epistolæ ex Germanicâ dialecto in Belgicam translatum *Meteranus lib.* 2. *Histor. Belgicæ* inseruit. Alibi an typis expressa extet, ignoro. Principibus Protestantibus Kalendarium hoc constanter repudiantibus, Bohemi nihilominus cum Silesiis, Moraviis, Lusatis illud anno 1584. receperunt, sed coacti ab Imperatore Rudolpho. Ante Gregorium de correctione Kalendarii actum erat in Concil. Constantiensi, & Basilëensi, & à Sixto IV., (Vide *ejus vitâ*) qui in hunc finem ex Germaniâ ad se evocârat Joh. Regiomontanum celeberr. tunc Astronomum, qui ibidem ab æmulis (Georgii Trapezuntii filiis) veneno sublatus est: ut refert *Schonbornius in Præfat. ad Computum*. Ante Gregorium symbolam consiliorum ad tantæ molis opus contulerant sequentes Theologicis & Mathematicis scriptis in Papatu satis celebres: *Cardinalis Cusanus in tract. de reparatione Kalendarii*, *Paulus de Middelburgo* Episcopus Forosempronienſis *in libris quatuordecim de Paschal. observatione*. *Albertus Pighius in libro de Ratione celebrationis Paschalis*, *deque restitutione Kalendarii*. Cardinalis de Aliaco in initio Concilii Constantiensis

tiensis hanc rem proposuerat, & eo usque perduxerat, ut bulla conderetur de terminis Paschalibus ad æquinoctium vernum revocatis; quæ tamen propter perturbatissimum statum promulgata non fuit. Sed quid de omnium istorum parergis Computisticis judicandum sit, optimè expressit Beza homil. 18. in Passionem, pag. 432. *Quod utinam Episcopi & Pastores pro tam sollicita & superstitiosa dierum Festorum distinctione, qui in immensum excreverunt, & veterum Patrum instituto penitus repugnant, uti jam pridem agitantur, sedulam navassent operam in plebe fideliter erudiendâ, & ad Christi Domini nostri beneficiorum usum revocanda. Sed quid agas? Enabolito fine cujus causa talis illarum maximarum commemoratio fiebat, habemus Astrologicam & solicitam Festorum, cùm mobilium, tum fixorum, quæ vocant, Supputationem. Atque adeò nostro sæculo bonus ille Papa Gregorius decimus tertius ut Kalendarii Christianorum emendandi non ex eo sumpsit occasionem, quod maximè factum oportuit, ut motus orbium cœlestium ad multas humanæ vitæ res necessarii, propter neglectas aliquas intercalationes computentur, sed ut Paschatis festum ad illud ipsum tempus, quod fuit quum habita est Synodus illa Nicena, revocetur: quasi vero in talibus observationculis summa Christianæ religionis vertatur: quasique speciosoprætextu omnia in Dei Ecclesia* εὐσχημόνως *gerendi,* 1 Cor. 4. 10. *novus quidam Iudaismus sit Christianis obtrudendus, nova distinctio dierum fastorum & nefastorum revocanda: quasi denique nos ab illis ceremoniis Iudaicis idcirco Christus asseruerit, ut novis aliis longè oneroſioribus & majore numero substitutis opprimeremur: quâ de re quidam ex melioris notæ Patribus jam olim ante aliquot sæcula, sed frustra conquestus est.* Calendariis aliarum gentium supra indicatis, adde, si quæ festinans tunc præterii, *Calendarium Sinense restitutum Iac. Rho* Jesuitæ, *Idem Calendarium Ioh. Adami Scial* Jesuitæ; *Sabbathini de Vrsis* Jesuitæ, *de Sinensium fastorum erroribus: Calendarium Coptitarum* exhibet *Seldenus de Synedriis libr. 3. cap. 5. Vlug Beigi Epochas celebriores* Astronomis, Historicis, Chronologis Chatajorum, Syro-Græcorum, Arabum, Persarum, Chorasmiorum usitatas à *Ioh. Gravio* 1650. Persicè & Latine Londini editas. De Persico Calendario, ut & Æthiopum, Samaritarum, Coptitarum, Syrorum, Græcorum, Russorum, egerat *Scaliger lib. 4. de Emendatione temporum.* Post illum alii idem saxum volverunt, quorum aliquos supra indicavi; quibus nunc addo *Samuelem Petitum in Eclogis Chronologicis.* Qui de anno nativitatis, aut passionis Christi disquirunt, præter alios supra & in *Disp. de Tempore nativitatis Christi* nominatos, sunt *Keplerus contra Roslinum, Idem in Eclogis Chronologicis*, anno 1612. *Idem de vero anno nativitatis Christi contra Calvisium* 1614. *Ioh. Genesius Sepulvedain lib. de anni correctione*, de quo vide Censuram *Possevini in Appar.*

DIATRIBE THEOLOGICA DE JUBILEO,

Ad Iubileum Urbani VIII. promulgatum hoc Anno 1641.

Resp. LAMBERTO vanden WATERLAET, Gemerthano.
Ad diem 18. *Decemb.* *Anno* 1641.

PRÆFATIUNCULA.

Nundinationem emporii Romani exhibent *Disputationes* nostræ antehâc editæ *de Indulgentiis & de Purgatorio.* Ad Cumulum operis istius facit descriptio Jubilei; quam in præsentiarum damus, præmisso exemplo *Bullæ* URBANI VIII., & *promulgationis Archiepiscopi Colonienſis*; quod utrumque descriptum est ex Autographo impresso Coloniæ Agrippinæ, apud Viduam Petri Cholini Archiepiscopalis Typographi, Anno 1641.

JUBILEUM UNIVERSALE S. D. N. D. URBANI Divinâ Providentiâ Papæ VIII.

Ad Divinam opem & pacem impetrandam.

FERDINANDUS (*a*) DEI ET (*b*) APOSTOLICÆ Sedis gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſię (*c*) Electus & Confirmatus Archiepiscopus, S. Romani Imperii Princeps Elector, & per Italiam Archicancellarius, (*d*) S. Sedis Apostolicæ Legatus Natus: Episcopus ac Princeps Paderbornenſis, Leodienſis & Monasterienſis, Administrator Hildesheimenſis, Berchtegadenſis & Stabulenſis: Comes Palatinus Rheni: Utriusque Bavariæ, Westphaliæ, Angariæ, & Bullionis Dux: Marchio Franchimontenſis: Comes Pirmontenſis, Loſienſis, Longienſis, & Hornenſis, &c. Venerabili Clero & universis ac singulis Christi fidelibus Civitatis & Archidiœceſis nostræ Colonienſis salutem in Domino sempiternam.

ITerum (*e*) *S. D. N. VRBANVS Papa VIII.* (*f*) *ex Thesauris Eccleſiæ largiſſimum depromit Iubileum, ut poſt tot bellorum turbines, quibus excisa pene dilecta Patria noſtra Germania eſt, optatam pacem à DEO impetremus. Ne veroquiſquam fidelium, ob tem-*

ob temporis angustiam tanto bono defraudetur, longius quam aliàs tempus designavit; ut partitis inter se temporibus anni, totius Orbis Regiones per quartam anni partem, incumbant omnibus viribus ad DEVM placandum Imperio & pacem exorandam à CHRISTO IESV Principe pacis, *in cujus sicut ortu Cœlites hominibus pacem annunciarunt, ita vicissim ipse jam moriturus, eandem Discipulis dedit, eum diceret:* Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. *Eandem post resurrectionem Apostolis aliquoties his verbis,* pax vobis *inculcavit. Sed quia* non est pax impiis, nec peccatores DEUS audit: sed si quis DEI cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. *Serio Pastores & Concionatores per tres menses, auditores suos ad fugam vitiorum exhortentur:* Qui enim (*monet S. Petrus*) vult vitam diligere, & dies videre bonos, declinet à malo & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam. *Pax inquirenda & firmanda prius cum Deo, quam inter homines stabiliatur: cum Deo pacem faciemus,* si abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobrie, juste & pie vivamus; *ubi tria docet nobis præcipuè declinanda. Primo gulæ carnisque vitia, propter quæ Deus Sodomam & Gomorrham flammis ultricibus exscidit. Deinde alienæ rei per usuras, fraudes, dolos, iniquos contractus, detentionem:* Nam regnum à gente in gentem transfertur: propter injustitias, & injurias, & diversos dolos. *Denique jurandi, maledicendi, blasphemandi consuetudinem cum aliis peccatis oris monet emendandam: sicut & Coloss.* 3.8. Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore nostro. *Hæc sunt quæ hactenus impedierunt, quo minus toties orantes nondum exaudiremur.* Ecce (*inquit Esaias*) non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat: sed iniquitates & peccata vestra absconderunt vultum ejus à vobis ne exaudiat. *Emendemus igitur pariter in melius, quod sive ignoranter sive malitiosè peccavimus, & magnâ cum fiduciâ, contrito & humiliato corde, unanimes clamemus ad Dominum jejuniis, eleëmosynis & precibus constanter per tres menses, insistentes,* (g) *& Patronorum nostrorum tutelarium (quorum multa interea occurrunt festa) ardenter implorantes suffragia, ut totius Archidiœcesis nostræ conjunctis & continuatis votis placatus DEVS, pacem Imperio clementer largiatur. Ad hoc cum Eliacim Sacerdote Concionatores, toto trimestris spatio, suos auditores sæpius his verbis exhortentur.* Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis & orationibus in conspectu Domini: *Hæc & similia crebro inculcent; & ad constantiam in precibus & piis exercitationibus exstimulent. Quapropter, de* (h) *venerabilis Capituli nostri Metropolitani consilio pariter & assensu,* (i) *Mandamus & districtè præcipimus, ut tam intra Civitatem nostram Colonien sem, quam extra eam, per omnia*

Isa. 9. 6. Jo. 14. 27. Jo. 9. 31. 1 Pet. 3. Joan. 11. Tit. 2. 12. Eccl. 10. 8. Coloss. 3. 8. Isai. 59. 1. Judith 4. 12.

loca Archiepiscopali nostræ jurisdictioni spirituali subjecta, fiat initium Dominica Exaudi, intra octavam Ascensionis Domini, qui est 12. *Maji, usque ad Dominicam* 13. *post Pentecosten, quæ incidit in* 11. *Augusti, inclusive. Interea vero volumus ut in* (k) *omnibus Ecclesiis tam Secularium quam Regularium, singulis diebus, summis festis non impeditis* (l) *Litaniæ omnium Sanctorum cum precibus & orationibus nuperrime jussu nostro editæ decantentur, vel recitentur: & in quolibet Sacro Collecta de pace adjiciatur. Una verò* (m) *Solemnis ad eundem finem Processio cum deportatione Venerabilis Sacramenti instituetur, quam extra Coloniam Archidiaconi, & Decani rurales in suis districtibus singulis indicent, certo die, Parochiis nominatis, una vel duabus Ecclesiis visitandis. Intra Coloniam autem prima statim Dominica Exaudi* 12. *Maji, ab utroque & Seculari & Regulari Clero habebitur, post* (n) *summum Sacrum in Metropolitanâ nostrâ Ecclesiâ decantatum.* (o) *In hâc Processione Venerabile Sacramentum per Prælatos (prout in Theophoriâ Colonienſi) per vices & stationes deportabitur. Et quidem* Prima *Statio erit apud PP. Prædicatores.* Secunda *apud Tessera portam.* Tertia *apud S. Gereonem.* Quarta *apud Ecclesiam Monasterii Corporis Christi.* Quinta *in S. Vrsula.* Sexta *apud PP. Capucinos.* Septima *in S. Cuniberto.* Octava *apud Ecclesiam SS. Ioannis & Cordulæ.* Nona *apud S. Lupum.* Decima in der Neuwergaſſen. *Curent proinde superiores dictorum locorum, ut altaria decenter erigantur. Pro Iubileo obtinendo designamus Ecclesias Metropolitanam, S. Gereonis, S. Cuniberti & S. Vrsulæ.* (p) *Suffecerit autem, ex hisce quatuor designatis Ecclesiis duas privatim visitâsse. Vt igitur Nemo totius Archidiœcesis nostræ sit, qui non tanti se boni participem faciat: Iterum Prælatis, Parochis, & Concionatoribus omnibus severè præcipimus, ut ante dicta sive per se, sive per alios sæpius curent, per hoc trimestre, suis subditis vel auditoribus ardenter inculcari. In quorum fidem præsentes manu nostrâ subscriptas sigilli nostri impressione communiri fecimus. Datæ in Civitate nostrâ Bonnæ, die* 27. *Aprilis, Anno* 1641.

FERDINAND. Locus Sigilli

Everhard Richarts,

Sequitur Tenor Bullæ.

URBANUS PAPA VIII.

Vniversis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & (q) Apostolicam benedictionem.

PUblicis Christi fidelium precibus optatam Reipublicæ Christianæ tranquillitatem pluries à Deo precati sumus, (r) assiduisque officiis,

ciis, & paternis hortationibus pacem inter Orthodoxos Principes conciliare ſtuduimus, ſed veremur ne populorum iniquitates, & peccata, vultum Dei abſconderint à nobis ne exaudiat, cumulantur enim tum cum maximè excitati bellorum turbines, quibus ſedandis conſilia humana ſunt inferiora, niſi ope cœleſti adjuventur. Ad Dominum igitur, qui conterit bella denuò clamandum cenſemus, confiſi fore, ut præſtabilis ſuper humanam malitiam Divina bonitas, id quod enixè petimus multiplicatis interceſſionibus tandem miſericorditer largiatur. Hoc autem, ut fructuoſius fiat, & majori cum ſpiritus ardore peragatur, ex (*ſſ*) veteri Eccleſiæ Romanæ (*t*) omnium Matris, & Magiſtræ more, (*u*) ejuſdem Eccleſiæ theſauros (*x*) quorum Diſpenſatores à Domino conſtituti ſumus, proferre, & erogare decrevimus. Itaque ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, omnes & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti fideles, tam in almâ Urbe noſtrâ, quàm extra ubilibet locorum conſtitutos, (*z*) Apoſtolicâ authoritate, paterne requirimus, monemus & in Domino adhortamur ad infra ſcripta devotè peragendum, & adimplendum, & ad Deum Salvatorem noſtrum orandum, ut ver viſcera miſericordiæ ſuæ (*aa*) fidem Catholicam protegere, ab hoſtium conatibus, & inſidiis defendere, (*bb*) hæreſim exſtirpare, Principibus Chriſtianis pacem, & veram tranquillitatem donare, ac præcipuè pręſentibus Eccleſiæ neceſſitatibus ſubvenire dignetur. Nos enim de omnipotentis Dei miſericordiâ, ac (*cc*) Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, (*dd*) ex illâ ligandi, atque ſolvendi poteſtate, quam Nobis Dominus, meritis minime ſuffragantibus, contulit, univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus in almâ Urbe prædicta degentibus, (*ee*) qui S. Joannis Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, S. Mariæ Majoris ejuſdem Urbis Eccleſias, ſeu Baſilicas, ſive Nationalem, quoad ipſius Eccleſiæ Nationales, aut Parochialem Eccleſias, vel Eccleſiarum hujuſmodi alteram, ſpatio trium menſium à die datæ præſentium computandorum, ſemel ſaltem viſitaverint, ibique per aliquod temporis ſpatium devotè, ut ſupra Deum oraverint, (*ff*) ac feriâ ſextâ unius hebdomadæ intra dictos tres menſes decurrendæ jejunaverint, & (*gg*) peccata ſua confeſſi, (*hh*) Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſaltem in Dominicâ die immediatè ſequenti reverenter ſumpſerint: cæteris verò extra Urbem prædictam ubique degentibus, qui Eccleſias ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis ſeu officialibus, aut de eorum mandato, & ipſis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, poſtquam ad eorum notitiam hæ noſtræ litteræ pervenerint deſignandas, vel Eccleſiarum hujuſmodi alteram, ſpatio trium ſimiliter menſium à publicatione deſignationis per Or-

dinarios vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios ut præfertur, faciendæ computandorum, saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac feriâ sextâ unius hebdomadæ intra eosdem tres menses decurrendæ similiter jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac saltem in die Dominicâ immediatè sequenti, Sanctissimâ communione referti fuerint, (*ii*) plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem sicut in anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, supra scriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel Majore aut Parochiali loci ejusdem domicilii, eandem indulgentiam consequi possint & valeant. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in Claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscunque tam Laicis, quam Ecclesiasticis Sæcularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis; qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, (*kk*) ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus & indulgemus. (*ll*) Insuper omnibus, & singulis Christi fidelibus utriusque sexus tam Laicis, quam Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti; tam in Urbe prædicta, quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus, qui Ecclesias prædictas seu earum alteram ter continuis, seu interpolatis diebus, intra dictorum trium mensium spatium visitaverint, & inibi ut supra, oraverint, nec non feriâ quartâ, & sextâ, ac Sabbatho alicujus hebdomadæ intra dictum temporis spatium decurrendæ jejunaverint, licentiam concedimus, & facultatem; ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum Confessarium tam Sæcularem, quam cujusvis Ordinis Regularem, ex (ut præmittitur) approbatis à locorum ordinariis; (*mm*) qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis & Censuris, à jure vel ab homine quâvis causâ latis, seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, Criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per quascunque nostras, aut Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque (*nn*) reservatis,

in foro

in foro Conſcientiæ, & hâc vice tantum, non tamen à crimine hæreſis, abſolvere, & liberare valeant (oo) & inſuper vota quæcunque (Religionis & Caſtitatis exceptis) in alia pia & ſalutaria opera commutare, injuncta tamen iis, & eorum cuilibet in ſupradictis omnibus caſibus pœnitentiâ ſalutari; (pp) aliiſque ejuſdem Confeſſarii arbitrio injungendis. (qq) Quapropter tenore præſentium in virtute Sanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuſcumque Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis; ac quibuſcumque Ordinariis locorum ubique exiſtentibus, eorumque Vicariis & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum præſentium litterarum tranſumpta, aut exempla etiam impreſſa acceperint, illa ſtatim abſque ullâ morâ, retardatione, vel impedimento per ſuas Eccleſias, & Diœceſes, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Eccleſiamque ſeu Eccleſias viſitandas deſignent. Non intendimus autem per præſentes ſuper aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, ſeu inhabilitate quoquomodo contractâ diſpenſare, vel aliquam facultatem tribuere diſpenſandi, ſeu habilitandi, & in priſtinum ſtatum reſtituendi, etiam in foro Conſcientiæ. Neque etiam eaſdem præſentes iis, qui à Nobis, & Apoſtolicâ Sede, vel ab aliquo Prælato, ſeu Judice Eccleſiaſtico excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, ſeu alias in ſententias, & Cenſuras incidiſſe declarati, vel publicè denunciati fuerint, niſi intra tempus dictorum trium menſium ſatisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo ſuffragari poſſe, aut debere. (rr) Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, præſertim quibus facultas abſolvendi à certis tunc expreſſis caſibus ita Romano Pontifici pro tempore exiſtenti reſervatur, ut nec etiam ſimiles vel diſſimiles Indulgentiarum, & facultatum hujuſmodi conceſſiones, niſi de illis expreſſa mentio aut ſpecialis derogatio fiat, cuiquam ſuffragari queant, nec non regula noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar; ac quorumcunque Ordinum, & Congregationum ſive inſtitutorum Regularium, etiam Jure merito, Confirmatione Apoſtolicâ, vel aliâ quâvis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, Congregationibus, & inſtitutis, illorumque perſonis quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. (ſſ) Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter

enter expreſſis, ac formam eorum traditam pro ſervatâ habentes, hâc vice ſpecialiter, nominatim, & expreſſè, ad effectum præſentium derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Ut autem præſentes noſtræ, quæ ad ſingula loca deferri non poſſunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earundem præſentium tranſumptis, vel exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii Publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, munitis, ubique locorum & gentium eadem prorſus fides habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die decimâ octavâ Martii, M. DC. XXXXI. Pontificatus Noſtri *Anno Decimo Octavo.*

M. A. MARALDVS.

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti *Milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo. Indictione nonâ, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris D. N. D. VRBANI Divinâ Providentia Papæ VIII. Anno ejus Decimo octavo, die verò vigeſima menſis Martii: ſupradictæ literæ Apoſtolicæ affixæ, atque publicatæ fuerunt ad valvas Principis Apoſtolorum, & Ioannis Lateranenſis, & aliis locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me* Jo. Baptiſtam Riccium D. N. PP. Curſorem.

Dominicus Mangilius Magiſter Curſorum.

Kurtzer inhalt eines Allgemeinen volkomlichen Ablaſz, welchen die Pabſtliche Heiligkeit URBANUS der Achte dieſes Nahmens vor die gantze Chriſtenheit verleihent hat, und nach Ordnung des Hochwürdigſtin Gott und Durchleuchtigſten Fürſten und Herren, Herren FERDINANDI Ertzbiſchoffen und Churfürſten zu Collen, &c. Unſers gnadigſten, Herren durch die Statt und gantzes Ertz-Stifft zu publiciren befohlen.

DJe Pabſtliche Heiligkeit URBANUS VIII. gibt volkommenen Ablaß Mann und Weiblichen geſlechts denen/ ſo nachfolgende Gott wolgefallige Werck und Dienſt verrichten.

1. Erſtlich allen und jeden / welchen es wolgelegen der Proceſſion ſo am Sontag vor Pfingſten den 12. Maji auß der Thumkirchen nach S. Geroen, S. Vrſelen / und S. Cunibertus mit umbtragung des Allerheiligſten hochwürdigſten Sacrament des Fronleichnams Chriſti unſers Herren beywohnen: oder aber der ernenten Kirchen zwo innerhalb drey Monat von dem 12. Maji an biß den 12. Augſtmonat zu rechnen einmal beſuchen / und daſelbſt Gott den Vatter der Barmhertzigkeit andachtig bitten / daß derſelbe durch ſeine grundloſe Barmhertzigkeit den allein Seligmachenden Catholiſchen glauben beſchützen / ſeine Kirch von

dero

dero Feinden anschlagen beschirmen/ die Ketzerey ausrotten/ bey allen Christlichen Potentaten Fried und Einigkeit befoerderen: insonderheit aber in gegenwurtigen Nohten und gefahr hülff zu leisten/ sich gnadigst gefallen lassen wolle.

2. Daß bey vorgemelter wehrender dreyen Monat zeit/ ein jeder Einmal am Freytag faste.

3. Und am nechstfolgenden Sontag/ nach vorgehender Beicht/ des Hochw. Sacrament des Altars würdiglich empfange.

4. Denen aber/ welche innerhalb drey Monat/ die ernente Kirchen dreymahl werden besuchen: und drey tag/ nemblich am Mitwoch/ Freytag und Sambstag fasten/ wird weiters erlaubet was Standts und Geschlechts sie immer sein/ einen vom Ordinario approbirten Priester zum Beichtvatter gewalt und macht haben von allen Censuren/ so doch nicht Gerechtiglich gefahlt seindt/ auch von allen anderen reservirten Sünden zu absolviren/ doch solle diese gewalt allein verstanden werden in foro Conscientiæ, &c.

5. Es wird erlaubt allen Ordens personen/ so in der Clausur leben/ wie auch den Gefangenen/ Krancken/ Reisenden; oder sonsten auß erheblichen Ursachen verhinderten/ welche fuhrgesetzte/ als nemblich Fasten/ Betten/ und die Kirchen zu besuchen/ oder aber deren eins oder anders zu verrichten nicht vermogendt seindt/ daß jhre Beichtsvatter dieselbe in andere Gottselige wercken veranderen mogen/ oder auff ein andere zeit zu verschreiben.

6. Ihre Pabstliche Heiligkeit ist nicht gemeint/ uber einige irregularitæt zu dispensiren.

7. Ausserhalb der Statt Collen ist gnuch Eine oder Zwe von den Landt Dachnanten ernente Kirchen besuchen.

* Observa ad Bullam URBANI VIII. & Diploma Archiepiscopi Colonienſis.

Vbicunque vides literas alphabeti textui diplomatum à nobis inſertas, cogita ibi aliquod falſum, aut abſurdum, aut hæreticum, aut blaſphemum contineri, uti coram in diſputatione ſuſcitantibus indicabimus & ventilandum dabimus. Statueram primo notas ſeu ſcholia textui adjicere: ſed conſulto nunc abſtineo, tum ut brevis ſim, tum quod arbitrer à quovis tyrone ex ſequenti diatribe facile notas procudi poſſe.

IUbileum distinguimus in Typicum, Christianum, & Anti-Christianum. 1. *Illud* describitur *Levitic.* 25. de quo differenda rejicimus ad antiquitates Ecclesiasticas, aut ad tit. de Lege Ceremoniali & Forensi Judæorum. Interim consuli possunt *Scriptores de Republicâ Hebræorum, Sigonius, Corn. Bertramus, Menochius*, &c. Et *Iustus Rycquius de Iubileo cap.* 4. - 9. insuper *Hospinianus de Festis, aliique locorum communium Scriptores*: adhæc *Commentatores in Leviticum, Lorinus, A Lapide*, & duo Angli *VVilletus, Ainsvvorthus*, qui accuratè ex Scripturâ & Maymonide seu Thalmudicis antiquitates investigat. Nec prætereundi *Chronologi*, qui agunt *de annis Sab-*

Sabbathicis & Iubileis: inter alios *Calvisius in Isag. Chronol. cap.* 25. *Scaliger lib.* 7. *de Emendatione temporum*, *Samuel Petitus in Eclogis Chronologicis.* & *Henricus Philippus in accurato Examine Chronologiæ V. T. pag.* 220. Post omnes illos *Hottingerus in Analectis Historico Theologicis* anno 1657. editis. *Dissert.* 3. ubi accuratè & compendiosè hoc agit. 11. *Istud* est tempus acceptum redemptionis nostræ per Christum, ipso adventu ejus in carnem & introitu in Ministerium inchoatum, & sacrificio in cruce, resurrectione, ascensione completum, atque ita solemniter in toto mundo promulgatum. *Iesa.* 61. 1. coll. cum *Lucæ* 4. 18. 19. & 2. *Corinth.* 6. 2. coll. cum *Iesa.* 49. 8. 111. *Hoc* est certus ac designatus annus, quo Papa Romanus plenas indulgentias, seu pleniſſimam veniam ac remissionem peccatorum promulgat & concedit omnibus, qui Romæ aut in Patriâ suâ designatas quasdam Ecclesias invisunt, adhibitis formalitatibus devotionis Romanæ, quas infra recensebimus. Describunt & defendunt hoc Jubileum peculiaribus tractatibus *Petrus Prost*, *Iustus Rycquius*, *Boëthius Epo*, *Martinus Navarrus*, *aliique* infra §. 11. nominandi.

2 Jubileum modo definitum hujus nostrę tractationis est. In cujus explicatione observa 1. Nomen. 2. Adjuncta & Requisita. 3. Causas & Effecta. 4. Comparata & Cognata. 5. Divisionem. Quod ad Nomen, vocant illud *Iubileum* ad imitationem Jubilei Typici & Judaici; præterea *annum sanctum*; annum reconciliationis, remissionis, redemptionis, benedictionis, gratię, pacis, indulgentiæ, salutis; adhæc plenariam indulgentiam: denique *annum magnum*, tum quod debitam sceleribus pœnam indulgentiâ à Pontifice concessâ eluat, *tum* quod exquisitissimis pietatis operibus (confessionibus & sanctissimæ communionis Sacramentis recipiendis, piis locis in civitate sanctâ visitandis, fruendoque summi Pontificis conspectu, qui maximè hoc anni tempore, ut in eminentioribus sanctitatis actionibus exerceamur, nobis occasionem porrigit) totus sit deputatus. Vide Etymologiam hanc explicatam apud *Scriptores de Iubileo*, *Petrum Prost in Spicilegio Theologico de Iubileo*, *cap.* 1. *dub.* 1. Et *Iustum Rycquium in Syntagmate de anno sæculari Iubileo cap.* 3. & *Fullerum libr.* 4. *Miscellan. cap.* 8. Imprimis apud *Hottingerum in Disquisitione* modo *cit.*

3 Adjuncta & requisita sunt partim *Vniversalia*, partim particularia & distincta, respectu quarundam personarum. *Vniversalia* sunt 1. Quod incipiat à primis Vesperis nativitatis Dominicæ, desinatque anno subsequenti in vesperâ vigiliæ ejusdem Festi: ita ut non consequeretur Jubileum, qui confessionem in diem usque nativitatis anni sequentis differret: cum tunc Jubilei tempus exspiraverit, & porta sancta clausa sit. *Extravag. antiquorum, de Pœnit. & Remiss. Toletus in Summâ lib.* 6. *cap.* 24. §.

3. 11.

3. II. Quod reliquis populis, qui Romam non petunt, petentibus concedi soleat anno sequenti: teste *Boëthio Epone tract. de Iure Iubilei & Indulg. fol.* 48. 6. & communi experientiâ. III. Immo quod etiam concedi soleat hominibus, nullas Ecclesias visitantibus, nec confitentibus, aut eucharistiam percipientibus: quod factum à Gregorio XIII. infra ostendemus: ubi & alia adjuncta sub titulo effectorum adjiciemus. Adjuncta & *requisita particularia* ac *distincta* sunt triplicia, ex parte Pontificis, ex parte ordinariorum, ex parte fidelium.

Ex parte Pontificis sunt I. quod Jubileum tum statum seu ordinarium, 4
tum extraordinarium pro arbitrio & plenitudine potestatis decernit: & in æde D. Petri Romæ insinuat & promulgat die ascensionis Christi: & ilico quatuorin locis civitatis bulla affigitur. II. Quod post habitam matutinis horis celeberrimam supplicationem in vigiliâ nativitatis Domini, post meridiem in æde Petri magnâ cum pompâ portam sanctam argenteo malleo ter pulsat: & post eum summus pœnitentiarius cum duobus aliis eodem malleo portam eandem pertundunt: cujus murum ingresso Pontifice cœmentarii disjiciunt, ut lateres lapides, ab astantibus colligi possint. Pœnitentiarii vestibus sacerdotalibus induti aquâ benedictâ omnem illam partem, quâ nitebatur paries, abluunt: hâc ceremoniâ peractâ Papa per portam sanctam ingreditur, vespertinæque preces maximâ solennitate, lætitiâ, & exquisitissimâ musicâ inchoantur: eodem die & ipsissimâ horâ tres Cardinales ad alias tres portas sanctas S. Pauli, S. Joannis Lateranensis, & S. Mariæ majoris aperiendas mittuntur, & iisdem ceremoniis, quâ prædicta S. Petri aperiuntur, eæque quatuor portæ totius anni sancti curriculo apertæ remanent. Eædem portæ magnâ cum pompâ & ceremoniâ sequenti natalis Dominici vigiliâ à Papâ & tribus Cardinalibus clauduntur. Vide mysticas harum ceremoniarum rationes & significationes apud *Benzonum*, *Rodriguez*, *Gratianum*, *Rycquium cap.* 18. *Petrum Prost cap.* 2. III. Quod Romipetis, aliisque Jubileorum helluonibus præter pleniſſimam indulgentiam, varias immunitates & libertates concedit: adeo ut etiam reflexivè ad ipsos hæreticos aliquid redundet: De quo Historicus Gallus Petrus Mattheus lib. 3. narratione 1. *Complures ibi* (Romæ scil. tempore Jubilei) & *Hugenoti reperti, qui per curiositatem convolârunt, nimirum extra metum Inquisitionis positi, cujus jurisdictio cessat tempore anni Iubilei.* Quid enim zelotis suis, & manus adjutrices porrigentibus non largirentur indulgentissimi Pontifices: cum unus eorum Clemens V. a. 1313. cruce signatis olim hanc immunitatem bullâ suâ concesserit: *Nolumus ut pœna inferni sibi aliquatenus infligatur; concedimus insuper cruce signatis, ad eorum vota, tres aut quatuor animas, quas velint ex purgatorio*

„*posse eripere*. Et post, Mandamus angelis, quatenus animam purgato-„rio penitus absolutam in Paradisi gloriam traducant. Bullam, quam moderatiores Pontificii suppressam velint, ut negari posset unquam fuisse in rerum naturâ, ex M. S. codice Ultrajectino typis evulgavit Cl. Collega noster *Ioh. Hoornbeeck* anno 1653. Ne Pontificii cum *Gretsero contra Plessei Mysterium* posthac nostros provocent, ut Bullam integram exhibeant; alioquin totum hoc ad *scurrarum & sannionum chartas & circulos* relegandum. Simile mandatum angelis datum habet *Bulla Clementis VI.* pro Romipetis Jubilearii, quam ex *tract. Ioh. Phesten* Professoris Friburgensis *de Materiis indulgentialibus* anno 1472. exhibet *Mysterium Plessei*; quod testimonium præterit *Gretserus*, contentus nudâ relationis de Bullâ illâ explosione.

5 *Ex parte* ordinariorum Prælatorum tam Regularium quam Sæcularium, Parochorum, &c. I. Quod promulgationem & lucrationem Jubilei pro suâ parte in diœcesibus & parochiis suis promovent. Vide *Bullam*. II. Quod processiones instituunt & peragunt. III. Quod in votis dispensant, & opera pia in alia commutant. IV. Quod confessiones audiunt, eucharistiam administrant, &c. *Ex parte fidelium*, I. Et capitale ac quasi formale Jubilei Romani est. Quod Romæ confessi & contriti devotè visitant quatuor Ecclesias Petri, Pauli, Johannis Lateranensis, Mariæ majoris, idque triginta continuis vel intermissis diebus, semel saltem in die, si Romani vel urbis incolæ fuerint, si vero peregrini, quindecim diebus: ibique pro ipsorum ac totius Christiani populi salute preces fundunt. Sic habent *Bullæ Bonifacii VIII. Gregorii XIII.* & c.

* *Nota* 1. Secundum nova jura hanc formalitatem admodum variare, & analogum seu æquipollens aliquid (quid scil. pro quo) illi substitui: ut Ecclesias in Patriâ suâ invisant. Vide *Diploma Archiepiscopi Colonienſis*, & dicitur talis substitutio in statis Jubileis cœpisse sub Sixto IV. anno 1475.; cujus exemplum postea secutus sit Alexander VI. anno 1501. referente *Polydoro Virgilio lib.* 8. *de Inventor. cap.* 1. Cautelam hanc addit inter Casuistas *Diana*, si Episcopus deputaret plures Ecclesias, quam sint in urbe à Papâ præscriptæ, tunc sufficere, ut tot visitet, quot sunt in urbe à Papâ assignatæ.

* *Nota* 2. Precationes pro tantâ indulgentiâ, & tam arduis negotiis (quorum gratiâ extraordinariò aliquando indicitur Jubileum) esse recitationes rosariorum, & litaniarum: uti videre est in *Diplomate Archiepisc. Colonienſis*, & docet quotidiana praxis.

* *Nota* 3. Sufficit orare juxta mentem Pontificis intentione virtuali: nec est necesse ut sit actualis.

* *Nota*

* *Nota* 4. Quando in Bullâ nom præscribuntur certæ preces, sufficit fundere quascunque preces & quâcunque linguâ. Potest etiam quis orare cum socio recitando alternatim preces, & hoc sedendo, stando, & etjam operto capite. Et tandem oratio pro Jubileo obtinendo sufficit quæcunque etiam minima & brevis. Sic *Diana & ejus Epitomator Matth. Defendi tract. cit. resol.* 33.

* *Nota* 5. Participes etiam fieri hujus Jubilei, qui post iter ad urbem susceptum illud perficere ob aliquod impedimentum non potuerint, aut in morbum inciderint, & sive in viâ, sive in urbe ipsâ ab humanis excesserint verè pœnitentes & confessi. Sic enim in *Bullâ suâ consueto volumus* decernit *Gregorius XIII.* Sed *Antoninus Diana in Resolutionibus Moral. p.* 3. *tract.* 12. *resolut.* 53. addit favorem Jubilei esse personalem, ac proinde visitatis Ecclesiis nihil referre, ubi quis jejunet, confiteatur, communicet, &c.: ita ut si quis post publicatum Jubileum visitaverit alicubi Ecclesias, & compellatur postea ex aliquo negotio inde discedere, alibi præstando reliqua opera præscripta, Jubileum lucrari possit. 11. Est, quod subinde jejunia tribus diebus celebrantur, quando scil. Bulla hoc præcipit: tunc enim servanda est forma præscripta, ad lucrandum Jubileum; ut determinat *Diana tract. cit. resolut.* 22. Jejunia & lachrymas (raras sane & non vulgaris artificii,, in genere hoc siccoculo,) aliaque pia opera Jubilearia Clementis VIII. refert Historicus *Petrus Mattheus loc. citat.* qualem pietatem puto eum cattachrestice sic fere prædicare, ut Boethius Epo tractat. de Idololatr. fol. 22. prædicat sacrificia liberorum ab antiquis Romanis peracta. *Cacodæmonis*, inquit, *erat illa quidem deceptio, credere Deum talibus delectari: sed admisso semel errore, pietatis deinceps erat ingentis argumentum, velle tam promptè, tamque alacriter parere.* 111. Quod confitentur & communicant: & si quis, per aliquam impotentiam physicam & moralem non potest tempore Jubilei confiteri; non lucratur Jubileum, quamvis contritus post alia opera præscripta communionem sumsisset. *Diana tract. cit. resolut.* 29.

* *Nota* hic aliquot exceptiones, & distinctiones, 1. *Si quis* adimpletis omnibus ad Jubileum requisitis, die Dominicâ, quæ est ultima Jubilei, velit eucharistiam sumere & imprudens aliquid deglutiat, potest confessarius communionem in aliud opus pium commutare. *Diana tract. cit. resolut.* 152. cum *resol.* 26.

* *Nota* 2. Quando duobus diebus immediatis occurrunt duo Jubilea, quorum quodlibet requirit confessionem & communionem; non tenetur, qui vult illa lucrari, bis confiteri, & bis Eucharistiam sumere, si penitus perseveret in gratiâ tempore utriusque indulgentiæ. Secus dicen-

dum de reliquis operibus ad indulgentiam requisitis. *Diana pag. 4. tract. 4. resolut. 169.*

* *Nota* 3. Si quis intra tempus à Jubileo præscriptum confiteatur, & ante consecutionem indulgentiæ incidat in aliud peccatum, non tenetur iterum confiteri, ut indulgentiam lucretur, etiamsi in formâ dicatur: *confiteatur omnia peccata.*

* *Nota* 4. Confessio Sacramentalis non est necessaria ad lucrandum Jubileum, si quis peccata mortalia non habeat, quia Ecclesia non est solita præcipere confessionem, nisi de mortalibus. IV. Quod specialiter à casibus reservatis per confessarios suos se absolvi faciunt, & vota sua in alia commutari, & in iis dispensari. Quinam autem & quales sint casus reservati, & quinam hic excipiantur, vide operosè nugantes *Canonistas* & *Casuistas*; nominatim qui in relatione ad Jubileum de casibus illis pertractant: quales *Diana loc. cit.* (qui etiam plurima disquirit de libertate eligendi confessorem) *Petrus Prost de Jubileo*, imprimis & *Joh. de Chapeaville in tract. de Casibus reservatis.* In præsentiarum solummodo.

* *Nota* 1. Qui tempore Jubilei absolutus fuit à reservatis, & obtinuit commutationem votorum, si ex culpâ suâ voluntariè postea non lucretur Jubileum, non peccabit mortaliter. *Diana tract. cit. resolut.* 42.

* *Nota* 2. Si quis juxta opinionem tantum probabilem opera efficeret, licet non sit certum eum consecuturum Jubileum, certum tamen est remanere absolutum à reservatis. *Ibid. resolut.* 32.

* *Nota* 3. Confessarius, qui defectu scientiæ est approbatus tantum limitatè ad parvum oppidum, vel ad unum genus personarum, non est ubique eligibilis. *Ibid. resolut.* 49. V. Quod processionibus, si quæ jubilearitèr celebrantur, devotè intersint. Vide *Diploma Archiepisc. Coloniensis.* VI. Quod pauperibus eleemosynas faciunt: per pauperes autem intellige hic imprimis Monachos, aliosque Clericos; nec exclude servum servorum, dominum Papam, ejusque Archiepiscopos, Episcopos, &c. De quæstoribus & nundinatoribus Indulgentiariis, pro Papâ & foro Romano habemus confitentes ipsos istarum sordium Patronos & æruscatores, *Boëthium Eponem in tract. de Iure Iubilei & Indulgentiarum*, *alioque* in *Disp. de Indulgentiis* antehac à nobis citatos.

* *Nota* 1. Pauperes, qui non possunt largiri eleemosynam petunt commutationem in aliud opus pium; aut ratificant eleemosynam datam ab alio, suo nomine, etiam ipso inscio, sic tamen ut ratificatio sit intra tempus ad lucrandam indulgentiam concessum. *Diana pag. 5. tract. 12. resolut.* 15. & 31.

* *Nota* 2. Si superiores monasterii, aut maritus, aut Paterfamilias nolint,

nolint, illi Monachis aut monialibus, isti uxoribus, hi liberis eleemosynam largiri: possunt prædicti Religiosi, uxores, liberi sine scandalo aliquid sumere è bonis Monasterii, aut Domesticis, ad lucrandum Jubileum.

Causæ efficientes & quidem *principales*, tum primæ institutionis, tum continuatæ concessionis & indictionis Jubileorum; *Prima* est diabolus pater mendacii, hostis Christi, & salutis humanæ: *Secunda*, Pontifex Romanus, uti constat ex Bullis eorum, nominatim Gregorii XIII., cujus hęc verba: *Dominus ac redemptor noster Iesus Christus, &c. B. Petro Apostolorum Principi, ejusque deinceps successoribus, suis in terris Vicariis, sanctæ Catholicæ Romanæ Præpositis Ecclesiæ, (quæ cæterarum omnium caput, mater, & magistra est) potestatem dimittendi peccata plenissimam reliquit, ac thesauro præterea meritorum ejusdem passionis (cui etiam gloriosissimæ semper Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum merita accedunt,) idcirco ditavit Ecclesiam, eumque prædictis B. Petro & successoribus dispensandum commisit, ut eo cæteri fideles pro temporalibus pœnis ex remissis culpis sæpius remanentibus ad satisfaciendum adjuti, ad percipiendos cœlestis gratiæ fructus expeditiores redderentur.* Competere autem hanc potestatem soli Papæ probat *Prost. cap. 3. dub. 2.* & farrago autorum *ibidem cit.* Sed attexamus breviter historiolam primæ originis & progressus Jubilei Romani; ut quidem eam præformant nobis præter *Historicos*, qui *vitas Pontificum, aliasque historias Papatus* describunt, *Bulla Bonifacii VIII. inter Extrav. antiquorum*, cum *glossator. ibidem*, & *Viviano Rational. Iuris Canonici libr. 5. tit. 38. Autores de Iubileo*, *Navarrus*, *Boethius Epo*, *Petrus Prost*, *aliique* infra citandi. Quamvis originem altius repetant *Navarrus*, *Corn. à Lapide in Levitic. 25.* imprimis *Rycquius cap. 9.* & *Imago primi sæculi Soc. Iesu in Prolegom. Dissert. 4.* Quasi scil. instaurator tantum fuisset Bonifacius, qui morem ante *ex fidâ antiquorum relatione* receptum suscepto patrocinio communivisset: Nos communem originationem sequemur, cum *Crantzio*, *Volaterrano*, *Polydoro*, *Antonino*, &c. 1. Primus ergo Jubileum Romanum, anno 1295. instituit *Bonifacius VIII.* quod etiam anno 1300. celebratum fuit incredibili hominum confluxu. De hoc vide *Platinam*, *Antoninum in Chronico*, *Polydorum Virgilium lib. 8. de Inventoribus cap. 1.* 11. *Clemens VII.* anno 1348. ad annum quinquagesimum reduxit, addiditque Ecclesiis Petri & Pauli à Bonifacio designatis Lateranensem visitandam, & sic celebratum fuit anno 1350. quod verum fuisse Jubileum ait *A Lapide in Levit. 25.* tanta enim Romæ hoc anno hominum copia fuit, ut nihil mirum fuerit inde ortam esse pestem adeo gravem in totâ Italiâ, ut ex mille vix decem superessent, teste *Crantzio lib. 9. Metropol. cap. 43.* Rursum sub Nicolao V. in 6

in Jubileo anno 1450. tanta hominum turba fuit Romæ, ut in eâ multi suffocati perierint, teste *Platinâ* & *Sabellico lib.* 5. *ennead.* 10. Platina 200. *hominum corpora* cum tribus equis in *ponte Hadriani oppressa* dicit; *multosque etiam à lateribus pontis in flumen cadentes, in aquu periisse.* Ad Jubileum Clementis VI. venisse ex Helvetiâ S. Brigittam cum filiâ suâ, refert *Petrus Prost tract. de Iubileo, cap.* 1. *dub.* 5. Reductionis hujus ad annum 50. rationes has reddit Clemens VI. in Bullâ: *Nos autem attendentes, quod annus quinquagesimus in lege Mosaicâ, &c. Iubileus remissionis & gaudii, &c. quod ipse quinquagenarius numerus in Testamentis, veteri quidem ex legis datione, novo ex visibili in Discipulos Spiritus Sancti missione, &c. singulariter honoratur; quodque huic plura & grandia divinarum adaptantur mysteria Scripturarum.* III. *Vrbanus VI.* Jubileum singulis 33. annis peragi decrevit, quod nimirum Christus vitam egit, qui Jubileum prænunciavit. Sic *Crantzius lib.* 10. *Metropol.*, *Gretserus lib.* 2. *de Sacris peregrin. cap.* 15. *Bulla Pauli II.* (qualis hic Nero & Phalaris fuerit, disce ex *Platinâ*) cujus initium *ineffabilis Providentia*, & *Iulii tertii*, quæ incipit, *Si Pastores.* At in *Bullâ Alexandri VI.* anno 1499. quæ incipit, *Inter curas*, & in *Bullâ Clementis VII.* quæ incipit, *Inter sollicitudines*, Gregorio XI. hoc decretum tribuitur. Sed cujuscunque primi autoris sit, nunquam fuit usu receptum. IV. *Paulus Secundus* & Sixtus IV. reduxerunt tandem ad annum 25. Et sic illud primo celebratum fuit anno 1475. à Sixto IV. & deinceps anno 1500. ab Alexandro VI. anno 1525. à Clemente VII. anno 1550. à Julio III. Anno 1575. à Gregorio XIII., qui indulgentias Jubileares 3. Decembr. anno 1575. concessas, peculiari Bullâ, *Quoniam*, &c. datâ 24. Februarii anno 1576. Mechlinienſibus id petentibus per Archiepiscopum suum Ant. Perenotum Granvellanum, prorogavit usque ad festum Johan. Baptistæ anno 1576. Quam Bullam *Laurentius Nagelmakerus Opusculo suo de Iubileo* subjecit. Anno 1600. à Clemente VIII., quod tanto hominum confluxu celebratum est, ut ex solâ Galliâ 300000. circiter peregrinorum millia Romam venisse testetur *Gaulterus in Tabulis Chronologicis*; inter quos complures fuisse ex Reformatis curiosos Spectatores, ex *Petro Matthæo* supra §. 4. observamus. Anno 1625. ab Urbano VIII. Cui *Rycquius tract.* suum *de Iubileo* dedicavit 15. Octobr. anno 1624. Idem Urbanus extraordinarium Jubileum an. 1639. Germanicæ nationi concessit, ad exstirpationem scil. hæreticorum. In quo habita fuit Jubilearis processio Coloniæ 29. Junii 1639. cum circumgestatione omnium reliquiarum. Cujus ordinem & modum, cum Catalogo reliquiarum ibidem tunc typis vulgârunt, ex officinâ Gisberti Clementis: sed Linguâ vernaculâ. Latine processionem cum omnibus sacris

cris & reliquiis Colonienſibus, ante deſcripſerat *Ægidius Gelenius* in libello, cui tit. *Colonia ſupplex*; & *Matheneſius* Parochus, Canonicus, & Profeſſor Hiſtor. ibidem *in Libello*, cui tit. *Peripatus Chriſtianus*.

Antecedentia, occaſiones, & cauſæ impulſivæ Jubilei præter lucri bonum odorem ſunt 1. Peregrinationes curioſorum aut ſuperſtitioſorum quorundam (quos refert *Petrus Proſt cap. 1. dub. 5.*) ad limina Apoſtolorum, ad corpora ſeu reliquias Petri & Pauli. 11. Hinc enata antiquorum relatio, quam decreto ſuo de Jubileo ſubſtruit Bonifacius VIII. *Antiquorum*, inquit, *habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem baſilicam Principis Apoſtolorum de urbe, conceſſæ ſunt magnæ remiſſiones & indulgentiæ peccatorum.* 111. Diſpenſationes, indulgentię à Papis occaſione novi feſti (utex. gr. corporis Chriſti, de quo vide *Bullam Clementis V. in Clementinis lib. 3. tit. 16.*) aut expeditionis adverſus Saracenos aut Albigenſes titulo *cruciatæ*, dari ſolitæ. IV. *Impulſivæ* & occaſiones particulares Jubilei extraordinarii ſeu arbitrarii (quale eſt præſens Urbani VIII. anno 1641. qualis etiam meminerunt *Boethius Epo, pag. 49. 50. Petrus Proſt cap. 7.*) bella Chriſtianorum inter ſe aut cum infidelibus, hæreſes & ſciſmata, perſecutiones, &c. Immo & peſtis, aliæque calamitates; quomodo Gregorius XIII. graſſante peſte jubileum conceſſiſſe dicitur à *Cicarella in ejus vitâ. Cauſæ inſtrumentales* ſunt Secretarii, Curſores, Cardinales, Nuncii à latere, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Parochi, Sacerdotes, totumque illud otioſorum hominum choragium, quod Romæ aut alibi adhiberi ſolet. Nec prætereundi cementarii, Muſici, malleus argenteus (aureum Slerdus quidam apud *Petrum Proſtum cap. 2. dub. 2.* fuiſſe ſcribit) qui portæ ſanctæ aperiendæ & cochleare argenteum, quod eidem claudendæ inſervit *Proſt cit. dub. 5.* cum reliquâ emporii & culinæ Romanæ ſupellectile, una cum ceremoniis, quæ in promulgatione & celebratione Jubileorum adhiberi ſolent: quæ nimis prolixum foret hic recenſere. Videantur *Scriptores de Iubilæo*, collat. cum *Ceremoniali Romano*. 7

Fines Jubilei (ex errore ſcil. Romano; mala enim per ſe non habent finem) ſunt, gloria miſericordiæ divinæ & ſatisfactionis Chriſti; gratia & gloria fidelium; promotio pacis, omniumque benedictionum Dei in Chriſtianiſmo; item operum bonorum ſeu ſatisfactionum & meritorum multiplicatio. Et hi quidem fines à Papâ, ejuſque juratâ factione prætenſi: Intenti ſunt potiſſimum duo, 1. *Bellum* fidelibus (illi vocant hæreticos aut infideles; ſic *Proſt cap. 6. dub. 21.*) aliiſque Romano Pontifici per omnia non gratificantibus, inferendum 2. *Impletio* marſupii Romani & Clericalis. Jubileo enim applicari debent quæ olim jactata de diſpenſa- 8

tionibus, gratiis & Indulgentiis Romanis: *Curia Romana non quærit ovem sine lanâ:* Et, *diligenter notandum, quod non dantur nisi qualificatis; pauperes enim consolari non possunt, quia non sunt,* ut exsertè monet *Taxa pœnitentiaria.* Reliqua vide in *Disp. de Indulgentiis.* Sed fines fusius explicatos dabunt Effectus seu fructus aliaque consequentia Jubilei, quæ laudant bullæ Pontificum, & passim *Scriptores de Iubileo,* inter eos *P. Prost cap. 6. dub.* 1. Nos ex omnibus ista nunc notamus 1. Omnium flagitiorum & scelerum absolutio & indulgentia Romana. *Qui peccat,* dicit Diana part. 1. tract. 11. Resol. 16. pag. 164. *Ob spem absolutionis obtinendæ virtute Iubilei, quamvis enormia quæque scelera committat; Iubileum illi prodest; quia nulla sit huius confidentiæ exceptio in Bullâ.* Hinc est quod in gratiam sceleratæ vitæ plerorumque sub Papatu (in quibus agmen ducunt Romani, & inter Romanos Curiales, & alibi factio irreformabilis Cleri) postremis temporibus frequentiores & largiores Indulgentiæ concedantur. Vide quæ in *Disp. de Indulgentiis,* & in *Desperatâ causâ Papatus lib. 3. sect. 2. cap. 2.* ex *Roffensi,* aliisque citamus. Suffecerit hic exhibere ingenuam confessionem Boethii Eponis pag. 50. *Extra stata Indulgentiarum generalium seu Iubilei tempora, Pontifices pro re natâ temporumque ratione solent plenissimas indulgentias concedere, &c. Ita Romani quoque Gentiles olim sæculares ludos non singulis tantum sæculis temporibusque statis, verum etiam pro arbitrio celebrabant, &c. Atque nos quidem per hæc tempora variis variorum scelerum perpetrationibus contaminati conspurcatique, vel frequentissimè plenissimis indulgentiis tanquam pleniſſimo copiæ cornu prorsus indigemus.* Ut vel hinc videas sanctitatem Ecclesiæ Romanæ, ex quâ inter alios tanquam notâ infallibili veritatem & catholicismum ejus contra nos probare conantur Pontificii, inter eos *Bellarminus lib. 4. de Ecclesiâ, cap. 13.* Sed sanctitas ejus graphicè à nostris ex propriis Papatus historicis & testibus descripta fuit; inter quos *Illyricus in Catalogo testium veritatis, Plesseus in Mysterio Iniquitatis, Zegedinus in Speculo Pontificum, Iac. Capellus in tract.* cui *tit. Romanæ Ecclesiæ sanctitas,* &c. Specialis fructus est, Quod uxor sine mariti; filius aut filiâ sine Parentum veniâ, aut iis insciis petentes Romam ibique quindecim diebus Ecclesias visentes, siquidem Romæ existentes de omnibus peccatis & præcipuè de tali inobedientiâ confiteantur, in tali casu lucrentur Jubileum: Ita *Navarrus, Benzonius, Hieronymus, Gratianus, Corduba, Medina, Zuarez, Filliucius, aliique* irrefragabiles *Doctores* citati à *P. Prost cap. 4. dub. 5. 111.* Quod Jubilearii non quidem propriè dispensationem consequantur in votis, & injuramentis (hoc enim Sacerdotibus non convenit, sed reservatur Papæ,) sed eorundem commutationem in aliud opus bonum æquivalens: quæ commutatio

non

non scrupulosè, sed ex personæ prudentis arbitrio accipienda est; Sic Casuistæ *Sayrus*, *Ioh. Benedictus*, *Ledesma*, *Sylvester*, *Beja*, *Azorius*, *Alcofer*, *aliique Doctores* citati à *P. Prost cap.* 8. *dub.* 1. Posse tamen commutari in opus minus, tradit *Diana part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 25. Quod autem *Prost* accuratè distinguit dispensationem in voto, ab ejus commutatione, non observatur ita ab aliis. Sic enim Diana part. 5. tract. 12. resol. 57. *Confessarius, qui habet facultatem dispensandi juramenta, potest etiam dispensare in juramentis promissoriis Deo factis.* *Idem part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 25. asserit Regulares confessarios posse in plerisque votis dispensare, in quibus Episcopi. Videtur tandem res eodem redire: Nulla enim est commutatio, quin implicet aliquam dispensationem, seu relaxationem. Quidquid sit, observari velimus à nostris, quantum juramentis Papistarum hoc præsertim anno, & instantibus Jubileis tribuere aut confidere debeant. *Potest* (inquit Diana ibid. res. 56.) *confessarius virtute Iubilei commutare juramentum solvendi usuras, juramenta injusto metu extorta* (quò proculdubio referendum juramentum fidelitatis, quod Papistæ in Angliâ, in Belgio fœderato, &c. præstare coguntur,) *& vota in favorem tertii facta, nondum tamen acceptata.* IV. Quod in hunc finem omnibus Jubileum celebrantibus, liceat eligere confessarium, quem voluerint: de quo supra. V. Quod per qualemcunque assumtum confessarium ab omnibus possint absolvi in casibus reservatis (sunt autem illi Papales, Episcopales, Abbatiales:) de quo minutim vulgares *Casuista*, & *Chapeaville*, & *Coriolanus tract. de Casibus reservatis, cap.* 4. VI. Quod valeat illa commutatio voti, sive dispensatio, quam quis virtute Jubilei obtinuit, etiamsi postea per negligentiam non est consecutus Jubileum: Neque enim obligatur is, qui virtute Jubilei obtinuit commutationem voti; lucrari Jubileum sub peccato mortali. Sic *Diana part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 13. 40. 42. & *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 12. VII. Quod captivi, moniales, & in Angliâ aut alibi sub hæreticorum (uti vocant) dominio habitantes, qui Romæ aut in Patriâ Ecclesias visitare, reliquaque opera Romana præstare nequeunt, Jubilei nihilominus participes sint. *P. Prost cap.* 7. *dub.* 1. VIII. Quod etiam illi, qui omnia opera pro Jubileo lucrando necessaria, etiam ipsam confessionem & communionem in mortali existentes præstiterint, Jubileum lucrari possint. Videtur enim sufficere ut die Dominicâ in ipso Jubilei termino in gratiam cum Deo redeat; quamvis invalida fuerit confessio & communio in peccato mortali facta. *P. Prost ibid. dub.* 2. ex *Ferdinandez* & *Henriquez*. IX. Quod opera requisita ut jejunia, eleemosynæ, confessio, communio, per Confessarios possint mutari in alia. *Ibid. dub.* 1. X. Quod virtute Jubilei per concessionem Papæ, ex hâc vitâ decedentes,

cedentes, absque confessione, communione, extremâ unctione plenissimam remissionem peccatorum obtineant. Ita docet *Praxis Gregorii* XIII. qui peste grassante Venetiis, Jubileum eo misit, ut omnes verè pœnitentes omnium peccatorum remissionem haberent. Sic *Cicarella in vitâ Gregorii* XIII. XI. Quod etiam mortui, quorum animæ in purgatorio, Jubilei hujus participes sint. XII. Quod admodum pia & probabilis sententia sit, quę statuit etiam excommunicatum (pœnitentem scil. & contritum) lucrari indulgentias vel Jubileum. *Diana part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 13. XIII. Quod durante Jubileo cessent omnes aliæ indulgentiæ. Rationes sunt in promptu: ut in illo anno plures Romam confluerent: sic *Bulla* pro suspensione indulgentiarum à *Sixto IV.* primum edita; quem postea secuti sunt *Gregorius* XIII. *Clemens* VIII. *Vrbanus* VIII. *in Bullâ*, quæ incipit; *Cum nuper.* Romano-culinariam hanc rationem explicatam dant *P. Prost cap.* 5. *dub.* 7. & *Vivianus in Rationali Iuris Canonici*, *lib.* 5. *tit.* 38. Interim videant miseri Papistæ, quibus nequitiis & fraudibus emungantur argento suo. Confer cum hâc suspensione indulgentiarum, revocationem earundem: de quâ quid notavimus in *Disp. de Indulgentiis.*

9 *Affinia* & cum Jubileo comparanda sunt potissimum ista. I. Romanorum ludi sæculares centesimo quoque anno celebrandi: de quibus videatur *Rosinus in Antiquitatibus*, & *Hospinianus de Festis Iudæorum & Ethnicorum, cap.* 15. *Imago primi sæculi Societatis Iesu, in Prolegom. dissert.* 2. Ubi *pag.* 4. statuitur à sæcularibus illis ludis potius quam à Jubileo Judæorum ortam esse centesimi anni celebrationem: Dissert. 4. pag. 14. dicitur, *morem hunc, à profanâ ludorum superstitione ad veri numinis cultum, uti alios complures* (nota) *salubriter esse traductum. Boëthius Epo tractat. citat. pag.* 50. 4. cum iisdem comparat Jubileum Papisticum, & inde quasi deducit. II. Ceremoniale Jubileum Judæorum; unde exemplum sumsisse Romanos Pontifices testatur Bulla Clementis VI. ubi hæc verba: *Nos autem attendentes, quod annus quinquagesimus in Lege Mosaicâ (quam non venit Dominus solvere, sed spiritualiter adimplere) Iubileus remissionis & gaudii, sacerque dierum numerus, quo in lege fit remissio, censebatur, &c.* Inde etiam deducit *Petrus Prost cap.* 1. *dub.* 1. *Henricus Cuilens peculiari tractatu* comparationem & privilegia utriusque, & novi supra vetus excellentiam explicat. III. Medalla, grana, rosaria benedictionibus sanctificata; cujus benedictionis vi cuilibet medallo annus indulgentiæ conceditur: de affixione indulgentiarum ad medalla vide casus decidentem *P. Prost cap.* 15. memorabilis est plenaria indulgentia à Paulo V. anno 1614. ad petitionem

nem Philippi III. Hiſpaniarum Regis conceſſa omnibus, qui in ædibus ſuis ſcripta haberent hæc verba: *benedictum ſit ſanctiſſimum ſacramentum*: aut ea verba legerent, aut non ſcientes venerarentur chartam aut picturam, cui hæc verba inſcripta eſſent; aut toties, quoties poſt communionem pronuntiaret hęc verba; aut qui figuram ſeu imaginem Sacramenti cum verbis illis ſecum ferret, &c. Hæc vide in *Diplomate iſtius conceſſionis* vernaculè edito Antwerpiæ anno 1635. apud Jacobum Meſens cum approbatione Arnoldi Mechlinienſis, Archidiaconi Brug. IV. Gratiæ & diſpenſationes taxæ pœnitentiariæ Romanæ: de quibus in *Diſp. de Indulgentiis*. V. Indulgentiæ fraternitatibus quibuſdam conceſſæ; quarum diplomata require in *Bullario*; aut in *Cherubini compendio Bullarii, in Indice tit. Fraternitatis*. Inter alias vide *Bullam corrigiæ S. Auguſtini, S. Mariæ in porticu, S. Trinitatis, &c.* De quibus *Chapeaville de Caſibus reſervatis, part. 1. cap. 4.* VI. Bullæ cruciatæ, tum communes quibus homines invitantur ad bellum contra infideles aut hæreticos per proprias ſuas perſonas, aut bona ſua promovendum (quarum etiam ſupra meminimus in *Diſp. de Cruce*): *tum* peculiares pro Hiſpaniâ. De iſtis cenſuit S. Congregatio S. R. E. Cardinalium anno 1631. 8. Februarii non eſſe neceſſe in regnis Hiſpaniarum eas ante vel poſt ſuſcipi ab aliquo, ut Jubilei indulgentias quas Pontifices pro tempore concedunt, conſequi valeat. Ita *Auguſtinus Barboſa in collectaneis Bullarii, &c.* Porro omnia myſteria Bullæ, quam vocant, cruciatæ explicant duo in eam Commentatores *Emanuel Rodericus*, & *Sebaſtianus à Coſta*: ex quibus pleraque excerpſiſſe videtur *Diana*; Sufficerit feſtinanti ad alia percurriſſe *Dianæ Epitomatorem Matth. Defendi, in voce Bulla cruciatæ*. Privilegia & indulgentię ejus in multis videntur ipſum Jubileum excedere. VI. Privilegia & exemtiones meretricum à reſtitutione, & à Præcepto Eccleſiæ de Euchariſtiâ ſumendâ, quæ vide apud *Dianam, Navarrum, alioſque Caſuiſtas*. Nota inter alia hoc unum: *Bulla, quam meretrix ſumet de turpi quæſtu, valet, quia licet turpiter facias peccando, non tamen turpiter recipit quæſtum*. Hæc ſcil. ſanctitas Romana, hæc inſtructio conſcientiarum. VII. Privilegia ſęcularia: inter quę & Jubileum *Laurentius Nagelmakerus in Dialogo ſuo de Iubileo*, anno 1576. *cap. 7.* comparationem, ſed imparium, inſtituit.

Diviſiones Jubilei Romani hic ſubjicimus: quarum 1. in ſpecies, ratione temporis; quod aliud ſit ſtatum ſeu *ordinarium* 25. quoque anno; aliud pro tempore *extra ordinem* à Pontificibus conceſſum. Cur autem talia nunc multiplicentur, rationes duæ ſunt, quarum *una* ab indigentiâ Eccleſiæ ſeu curiæ Romanę (de quâ in *Diſp. de Indulgentiis*;) altera ab ejus Sanctitate (quam deſcribit *Boethius Epo pag.* 50.) deſumta eſt. *Rycquius*

cap. 25. docet Jubileum *extra ordinem: ab ordinario* gratiâ & indulgentiâ non differre; ſed tantum indictione, quod ea arbitraria ſit ac variis de cauſis, juſtis tamen & legitimis, omni tempore fieri conſueverit. Inter plurimas cauſas, quæ à Theologis & Canoniſtis explicantur, inſigniores dicit eſſe illas, quando militantibus in expeditione ſacrâ, vel eam promoventibus, remiſſio criminum pleniſſima conceditur; qualis fuit *cruciatæ* titulo propoſita ab Urbano II. anno 1084. & à Johanne XXIII. & Honorio II. publicata in eorum utilitatem, qui jura Eccleſiæ contra rebelles atque invaſores defendiſſent. Qualis item à Bonifacio IX. indicta ſuppetias ferentibus Imperatori Bizantino. Talis denique conceſſa à Pio V. & Gregorio XIII. propter apparatum belli navalis contra Turcas. Tale etiam Jubileum eſt, quod conceditur precantibus pro ſalute regni alicujus aut Provinciæ in afflictione poſitæ, ut à Gregorio XIV. anno 1591. pro ſalute regni Gallici, & Gregorii XV. anno 1622. pro ſalute Belgii. Huc referri debent Jubilea, quæ pro incolumitate Eccleſiæ Romanæ, pro Principum pace & concordiâ, pro ſchiſmatum & hæreſium exſtirpatione concedi ſolent: quale Clementis VIII. anno 1597. & Pauli V. anno 1608. Denique huc pertinent conceſſa Jubilea pro felicibus novi Pontificis initiis, quale poſtremum fuit Gregorii XV. anno 1620. II. Diviſio poteſt inſtitui, ex occaſione & cauſis impulſivis conceſſi Jubilei: de quibus ſupra. III. Diſtinguitur in publicum & privatum, *Iſtud* eſt cum quis ſanctiori vitæ addictus quinquageſimum ordinis, voti, aut ſacerdotii, aut etiam conjugii ſui annum implevit. Exemplum illuſtre talis Jubilei datum fuiſſe ab Hovio Archiepiſcopo Mechlinienſi anno 1617. refert *Rycquius cap. cit.* Tale fuit Jubileum Jeſuitarum, de quo infra *in Appendicula.* IV. Diviſio ex mutato annorum numero. Annus namque centeſimus Bonifacio placuerat, more majorum, Gentilium ſcil. Romanorum. Quinquageſimus Clementi VI. veteris legis exemplo: ut verè eſſet re ac nomine Jubileus, Urbano VI. trigeſimus tertius ob myſterium annorum Chriſti, qui omnis lætitiæ ac Jubilei nobis eſt origo, &c. Tandem Sixtus IV. ex decreto Pauli II. deceſſoris ſui, viginti quinque annorum ſpatio definivit, &c. iſque numerus communi dein approbatione receptus, etiamnum obtinet; nec ſine myſterio, ut pulcrè *Rycquius.* Sic *Jeſuita in Imagine primi ſæculi Prolegom. diſſert.* 4. V. Dividitur in univerſale ordinarium ſeu ſtatum, & in extraordinarium ſeu occaſionatum. Primi generis fuerunt jam inde à Bonifacio VIII. numero quatuordecim. Decimum quartum & poſtremum (hæc ſcribo an. 1659.) ſub Innocentio X. anno 1650. celebratum. Extraordinaria & certâ occaſione celebrata ſunt iſta. *Primum quod* Paulus III. anno 1554. 13.

Decem-

Decembris ob habendum Concilium. Trid. instituit. De quo *lib. 2. histor. Concil. Trid. Secundum* Pauli IV. anno 1555. 24. Decembr. ob Angliæ regnum ad obedientiam Sedis Romanæ reductum. *lib. 2. Histor. Concil. Trid. Tertium* Gregorii XIII. anno 1572. ob lanienam Parisiensem. De quo *libr. 53. histor. Thuani. Quartum*, quasi anti-Jubileum, Paulus V. occasione Jubilei Lutherani, anno 1617. publicavit. De quo *libellus Germanicus* Moguntiæ editus. Citant *Iesuitæ in Imagine primi sæculi, &c. Prolegom. dissert. 6.* ubi stomachantur in Jubileum Lutheranum, & citant *Beyerlincki Iubileum*, & *Adami Contzen Iubileum Iubileorum*. Quid libri illi contineant, nescio: hactenus eos non vidi. *Quintum* Alexander VII. anno 1655. indixit, *ad implorandum divinum auxilium initio sui Papatus, pro Ecclesiæ Catholicæ regimine, & pace inter Principes Christianos*; ad exstirpationem scil. Protestantium & Reformatorum. VI. Divisio sit in partes seu simplicia & ingredientia, unde componitur celebratio Jubilei: Sunt autem 1. *partim antecedentia*, opera scil. pia quibus quis meretur fructum Jubilei; ut confessio, communio, processio, oratio, jejunium, visitatio Ecclesiarum, Altarium, Reliquiarum, Eleemosynæ, quæ Romæ pingues admodum fiunt, ut describit *Prost cap. 5. dub. 6.* Adde & alia pœnitentiæ opera, *quæ omnes in admirationem rapiunt*, (ut ibid. loquitur) *Quid dicam de supplicationibus, & se piè verberantium flagellationibus? eæ sanè maximæ sunt omnibus ædificationi. Interdum permultos unius Societatis nudis pedibus incedentes, sacco coopertos, capistrum collo gerentes, & divinam misericordiam altâ voce implorantes videre est, &c. sanguis in tantâ copiâ flagellorum vi effunditur, ut quemlibet ad pietatem moveant: alii eo fervoris & excessus veniunt, ut disciplinarum loco catenis utantur, & hâc ratione per civitatis compita spatientur altâ voce à Deo petentes ut sibi peccata remittat. Multi quatuor Ecclesias aperto capite, maximo silentio, & devotione invisunt. Alii genibus nudis à scalâ D. Petri ad sanctorum Apostolorum usque altare perreptant & deinde per totam Ecclesiam spatiantur. Alii à sanctâ Potentianâ genibus nudis montem illum ad Sancti Sacramenti sacellum usque scandunt, & quamvis lapides minuti, quibus mons ille scatet, carnibus infigantur, nihil penitus de fervore remittunt, immo inauditâ patientiâ omnem hunc laborem Dei causâ tolerant.* Vide pia hæc opera etiam buccinata à *Cornelio à Lapide in Levitic. 25.* Atque hæc inenarrabilia illa opera Romana; quibus longè majora & difficiliora à Turcis & Ethnicis fuisse præstita alibi cum Deo monstrabitur. Reliquias Romanas vide compendio recensitas apud *P. Prost cap. 1. dub. 5.* & *in Descriptionibus urbis Romæ*; alias omnes per totum orbem in libris Topographicis, Itinerariis, &c. Hic finimus descriptionem Jubilei; ne nimium prolixi simus. Si quis minutas illas nugas & quisquilias excussas

videre

videre velit, ei indicamus Scriptores de Jubileo, quotquot ad notitiam noſtram hactenus pervenerunt, *Natalem Tallepertium* minoritam Theologum Pariſienſem; *Martinum Navarrum*; *Boëthium Eponem* Friſium Juris Civilis, & poſtea Canonici in Academiâ Duacenâ Profeſſorem; *Laurentium Nagelmakerum* Canonicum Mechlinienſem; *Iulium Lavaium*; *Hieronymum Gratianum* Carmelitanum; *Iacobum Cardinalem S. Georgii*; *Angelum Pientinum*; *Rutilium Bentzonium*; *Ioh. Baptiſtam Pondanum*; *Iuſtum Rycquium* Canonicum Gandavenſem; *Henricum Cuylens* Paſtorem Gerardimontanum; Ex ordine Jeſuitico, *Franc. Rodriguez*, *Raphaelem Riera*, *Anton. Sancarellum*, *Benedictum Herbeſium*. Inſtar repertorii & eclogarii habes *Petrum Proſt* Lugdunenſem, Regis Chriſtianiſmi Eleemoſynarium, cujus *Spicilegium Theologicum de Iubileo*, editum eſt anno 1625. *Rycquius* potiſſimum conſectatur quæ ad hiſtorias & antiquitates pertinent; qui hic ſit tibi inſtar omnium. Quibus junge *Bullaria & conſtitutiones Pontificum*, *librum Indulgentiarum*; Ex Caſuiſtis, imprimis *Azorium & Diana*. Ex Practicis ſeu Aſceticis, Jeſuitam *Iodocum Andream* de gratiâ Jubilei ſervandâ, augendâ. Operolum nimis eſſet Autores indicare, qui aliud agentes, aut in locis communibus, ſcriptis Polemicis, Hiſtoricis Jubilearem Theologiam attingunt; quales *Bellarminus in Controverſiis*, *Tannerus in tract. de Verbo Dei*, *Cajetanus* cum *Valentiâ*, *Zvvarez*, *Arriagâ*, *&c. ad 3. Thomæ*.

12 Sequitur nunc pars Elenctica: quamvis inſipidas iſtas vertigines detexiſſe eſt refutaſſe. Argumenta ergo contra prætenſum Jubileum ſint iſta. I. *Arg.* Quia nuſquam ſacris literis præſcriptum: Ergo novitas eſt, ἀθελοθρησκεια, ſuperſtitio. II. *Arg.* Quia manifeſtè repugnat Jubileo Chriſtiano; hoc eſt, pleniſſimæ miſericordiæ Dei, Chriſti perfectiſſimæ ſatisfactioni & merito, & noſtri gratuitæ propter ea juſtificationi per ſolam fidem: atque adeo ſubvertit officium & meritum Servatoris Chriſti, totamque doctrinam de novo Fœdere & Euangelio gratiæ: uti demonſtratum eſt in *Diſpp. noſtris de Indulgentiis*; *de Purgatorio*; *de Vi Veritatis*, &c. III. *Arg.* Quia hypotheſes & præſuppoſita Jubilei omnia ſunt falſa, hæretica, Antichriſtiana: de ſatisfactionibus humanis; de primatu, vicariatu, & Monarchicâ atque infallibili poteſtate Papæ. IV. *Arg.* Quia omnes actus celebrationis Jubilei ſunt mali, idololatrici, ſuperſtitioſi: ut, peregrinationes religioſæ; reliquiæ; ſanctitas Templorum & Altarium; conſecrationes & benedictiones; proceſſiones; Litaniæ; Roſaria; omnesque preces Idololatricæ, aut ſuperſtitioſæ; miſſæ; confeſſiones; communiones; vota, eorumque commutatio; flagellationes ſpontaneæ, aliæque hypocriticæ, Baaliticæ, atque Ethnicæ carnis excarnifi-

carnificationes; portæ sanctæ apertio, lotio, &c. Quæ singula aut peculiaribus disputationibus, aut in *nostrâ Desperatâ causâ*, aut in *Prælectionibus* antehâc excussimus. v. *Arg.* Quia revocat aut interpolat antiquum Judaismum, ut ipsi supra cit. haut obscurè fatentur: immo plus judaizat, quam hodierna apostasia Judaica, quæ Jubilea non observat. Contra vide *Galat.* 4. 9. *Coloss.* 2. 16. *Hebr.* 9. *Galat.* 5. 1. 2. 3. VI. *Arg.* Quia symbolizat cum Ethnicismo, cujus ludos sæculares supra indicavimus. VII. *Arg.* Quia securitatem carnalem, scelerumque licentiam & audaciam promovet: quod ex effectibus seu fructibus Jubilei, ejusdemque & cruciatæ privilegiis supra memoratis facile quis colliget: nec est quod hic repetam. Quin ipsos Pontificios confitentes habemus apud *Eponem tract. de Iure Iubilei & Indulgentiarum, fol.* 54. *Atque saluberrimum profecto est Thomæ Aquinatis* (pag 3 in addit. quæst. 25. art. 1.) *consilium, ne propter indulgentias abstineant homines ab operibus pœnitentiæ injunctis, ut etjam ex his remedium consequantur, quantumlibet à debito pœnarum essent immunes. Immo scribit & ipse Dominicus à Soto* (ad 4. dist. 21. quæst. 1. art. 3.) *quandoque sibi visum fuisse consultum fore, si quis propter amorem justitiæ, pœnarumque prout merita postulant luendarum desiderium, non utatur indulgentiis, at pœnas ipse libenter & fortiter exolvat, &c.* Reliqua vide in *Disp. de Indulgentiis.* VIII. *Arg.* Quia Jubilea pro tempore instituta fere semper ut Bullæ cruciatæ ad lites, bella, & subversiones in Christianismo, ad piorum & orthodoxorum persecutiones, exstirpationes conceduntur, breviter ad avaritiæ & ambitionis voraginem implendam; uti constat ex *Historiis*, & præsens hoc Jubileum clamat, nec ignorare hoc possunt, qui nôrunt studia & actiones Urbani VIII. & Archiepiscopi Colonienſis. Dies aliquando hoc docebit, & posteritas procul habitâ gratiâ aut metu aliquando judicabit. IX. *Arg.* Accedit, quod primus autor Jubilei, Bonifacius VIII. monstrum illud ex omnibus flagitiis conflatum, non leviter suspectum reddit Jubileum. Non fert charta, ut historiam illius referam. qui, ut habet vulgatum illud: *intravit ut Vulpes, regnavit ut Leo, mortuus est ut Canis.* Modum & habitum ipsius, cum primus sanciret Jubileum, ita perstringit Historicus religione Pontificius Petrus Mattheus libr. 3. narr. 1. *Et in veritate Clemens* VIII. *non fecit, quod ante trecentos annos Bonifacius* VIII. *fecerat, quum primo Iubilei die sibi præferri curasset in triumpho duos gladios, ut ostentaret potentiam suam in imperio animarum & corporum.* In margine hanc annotationem ponit: *Historici referunt, eum primi Iubilei die in publico apparuisse habitu Pontificiali: altero die habitu imperiali, prælato ense districto. Alii vero scribunt, prælatos illi duos gladios fuisse.* Historici qui hoc non sine querelâ & exclamatione referunt, sunt *Krantzius in Saxoniâ*

lib. 8. cap. 36. Ioh. Marius Belga lib. 5. antiquit. x. Arg. Suspectum etiam redditur, quod sit ingeniosa nequitia, fallacia, & aurea piscatio; ex suspensione omnium aliarum Indulgentiarum ne alicui suffragentur; quas homines tanto pretio mercati sunt, quæque tantum valere dicuntur, quantum sonant: durantibus tamen in plenario robore suo indulgentiis Basilicarum & Ecclesiarum urbis; ut habet *Bulla Sixti* IV. Et quod non pu-
„ deat ipsos hanc rationem suspensionis hujus addere: Ne propter per-
„ durationem illarum Indulgentiarum populorum concursus ad Eccle-
„ sias urbis retardari, aut ipsius anni Jubilei celebritas minui vel inter-
„ mitti posset, &c. Sic *Bulla Sixti* IV. & ex eâ *Vivianus Rational. lib. 5. tit. 38. pag. 251.* Quomodo etiam quocunque alio tempore extra Jubileum revocare solent Pontifices omnes indulgentias non tantum à prædecessoribus, sed etiam à se (mediantibus illis) concessas & nolunt eas valere, nisi de novo (N. B.) concedantur; additâ hâc ratione, quâ
„ sibi & Indulgentiis omnibus solidè contradicunt: ne multi remis-
„ sionis & indulgentię obtentu ad peccandum & illicita committenda
„ procliviores existerent, & facilitas veniæ eis peccandi tribuat incenti-
„ vum; ut habet *Bulla Sixti* IV. *Extravag. Et si Dominici.* XI. *Arg.* Est etiam novum, toti antiquitati, Conciliis, Patribus, Praxi & Historiæ Ecclesiasticæ plane ignotum: itaque deest illi antiquitas, Catholicismus, successio. Nec diffitentur ipsi adversarii, dum originem ejus accersunt à Bonifacio VIII. anno scil. 1300. Sic *A Lapide in Levitic. 25. Glossatores Iuris Canonici. Vivianus in Rationali, Epo, Prosius, aliique* supra *cit.* Quod autem excipere quidam velint, fuisse consuetudine & traditione quamvis non scripto: illud eadem facilitate rejicitur, quâ dicitur. Probationem requirimus. XII. *Arg.* Denique quanti fecerint illud viri præstantiores sub ipso Papatu tam ante quam post tempora reformationis, docuimus in *Desper. causâ Papatus loc. cit.* & per consequentiam elicitur ex illis quæ congessimus in *Disp. de Vi Veritatis.* Celebris Cardinalis Nicolaus de Cusa (ut refert *Thomas Kempensis in Chronico montis S. Agnetis cap. 26.*) cum tanquam Legatus Pontificis peragratâ Germaniâ anno 1451. in Belgium ad Capitulum Windesemense venisset, ibique omnibus Capitulo illi subjectis Jubilei indulgentias concessisset: rogatus an liceat (Regularibus scil.) sine licentiâ Romam pergere, pro Indulgentiis respondebat: *Dominus Papa oretenus dixit, melior est obedientia, quam indulgentia.* Ita ut novitas novissima in ipsam corruptam seu Papalem religionem introducta, aut ei superinducta & superaddita merito dici possit, non aliter ac idololatria Baalitica Achabi, idololatriæ vitulorum seu excelsorum sub Jeroboamo. Ubi enim invenias in primigenio Papatu,

Porte-

Portæ sanctæ apertionem, Jubilei stati promulgationem, Indulgentiarum suspensionem, à casibus reservatis absolutionem; votorum & juramentorum commutationem, immo in iis apertam dispensationem, idque per vulgares confessarios (uti ingenuè hoc tradit *Ant. Diana loc.* supra *cit.*); mercedis meretriciæ pro eleemosynâ ad lucrandum Jubileum datæ acceptationem in gazophylacium; absolutionem à sceleribus omnibus, quæ quis spe Jubilei volens & sciens committit; Jubileorum pro tempore indictionem, cum Concilium aperiendum, cum regnum aliquod redit ad Papatum, ut nuperis temporibus factum in apertione Concilii Tridentini, & reductione Angliæ ad Papatum? de quo *Historia Concil. Tridentin. pag.* 146. & 450.

Objectiones nunc diluerem, siquidem aliquas apud adversarios inveni- 13
rem. Certe *Petrus Prost*, qui plenam, pleniorem, plenissimam de Jubileo disquisitionem jubilearitèr nobis elargiri voluisse videtur, nihil aliud adfert cap. 1. dub. 3. ubi quærit: *Quis primus Iubileum instituerit*, Resp. quam *Bonifacium quidem* VIII. *constituisse, ut centesimo*, &c. Et postea subjicit: *Et licet Bonifacium* VIII. *Iubilei primum autorem nonnulli faciant, exponi debet quantum ad modum celebrandi adeo solemniter, nam pridem jam invaluerat, ut centesimo quolibet anno maxima hominum multitudo ad D. Petri templum peccatorum remissionem consecutura confluweret. Resut.* 1. Visitatio Ecclesiæ Petri ad devotionem & remissionem peccatorum, non est idem realiter aut essentialiter, cum largitione & collatione plenariæ indulgentiæ, aliisque Jubilei privilegiis ex thesauro Ecclesiæ supererogatoriis scil. Christi & Sanctorum meritis per Papam tanquam Christi Vicarium ad id specialiter potestate instructum, factâ omnibus qui requisita ad Jubileum lucrandum domi suæ ubicunque locorum præstiterint. Si quis illa duo longè diversissima possit identificare, næ ille ex Philosopho rerum convenientias & differentias explorare didicit & peregrinationem religiosam, cum Jubileo confundere. 2. Negatur omnes qui Ecclesias Romę olim visitasse dicuntur fecisse id studio consequendi plenarias indulgentias, idque per ac propter reliquias, aut Ecclesias Romanas. 3. *Dato* quosdam sic errasse, quid hoc facit ad fundandos articulos fidei de Reliquiis, Peregrinationibus, Indulgentiis, Jubileis? 4. Denique quæcunque hic referuntur de obtentâ peccatorum veniâ, & amplissimis indulgentiis, nituntur famâ & *relatione Antiquorum*, ut loquitur *Bulla Bonifacii.* Sed unde hoc probatur? 11. *Obj.* Ecclesia habet potestatem in concedendo Jubileo; & est hoc de fide. *Resp.* Sed demonstrationes pro jure hoc divino petimus. *Usus hic* (inquit cap. 3. dub. 1.) *Romæ est antiquus.* Et unde hoc probas? *Legitur*, inquit, *Sylvestrum Pontificem maxi-*

mum ad S. Helenæ preces concessisse visitantibus & orantibus in sacello crucis Hierosolymitanæ indulgentiam; famaque publica est S. Gregorium concessisse indulgentiam, & plenariam Jubileum. Sunt verò qui referant hunc S. Pontificem, & c. alii affirmant præterea à S. Gregorio concessas fuisse stationes septem annorum Romanis, Isidorus Hispalis Archiepiscopus dicitur concessisse 40. dies indulgentiæ. Leo etiam tertius plurimas concessit indulgentias. Resp. Atque hæc omnia quę adfert pro antiquitate antiquissimâ, absq; allegatis Autoribus, testibus, rationibus. Fabulæ sunt ex fabulis probatæ tantundem valent, ac ipsæ indulgentiæ, hoc est, quantum sonant. Quæ postea fabulatur de Sergio anno 844. & Benedicto VII. anno 1023. &c. ejusdem, immo deterioris farinæ sunt; itaque responsum non merentur. III. *Obj.* Exculpi debet ex *cap. 3. dub. 3.* ubi determinat dari thesaurum meritorum, qui fidelibus impertiatur per Indulgentias & Jubilea. *Resp.* Sed nullum adfert testimonium Scripturæ, aut Patrum, aut Conciliorum. Valeat itaque una cum Indulgentiis, quantum sonat. IV. *Obj.* ex *cap. 6. dub. 1.* Quia Jubilei consecutio est opus bonum & utile, quippe ex mediis & suffragiis, quibus à purgatorio quis liberatur, potissimum validissimumque. *Resp.* Rursum nullum adfert dictum Scripturæ, aut Patrum, aut Conciliorum, quo determinatio illa probetur. V. *Obj. cap. 1. dub. 6. cap. 1. dub. 6.* determinat Jubileum esse alicujus fructus & utilitatis, ex duabus visionibus seu revelationibus, quarum una facta est tempore Bonifacii VIII. teste *Cardinale S. Georgii in tract. de Iubileo cap.* 10. altera tempore Clementis VI. teste *ipso in quodam suo Diplomate*, cujus exemplar in *Cyrillo Franco* se legisse, scribit *Hieronymus Gratianus de Iubileo part. 2. cap.* 10. Tertiam visionem, S. Brigittæ scil. commonstrat idem *P. Prost*, & exstat *lib. 6. Revelationum Brigittæ cap.* 112. 113. *Resp.* de Papisticâ Mythologiâ revelationum & visionum egi in *Desper. causâ Papatus*, adductis testimoniis *Delrio*, &c. Et in 2. *part. Select. Disp. tit. de Probationibus Spirituum.*

84. Problemata, quæ de Jubileo inter se exagitant Andabatæ Romani, nunc excerperem, siquidem temporis angustia permitteret: Interim videant ea, quibus vacat, in *Petro Prost*, *Anton. Diana*, & *Arriaga in 3. Thomæ*, *in Chapeaville cap. 4. de Casibus reservatis*; & in *Coriolano de iisdem Casibus part. 1. sect. 3. artic.* 15.--18. Ut gustum aliquem dem Lectori, cui non vacat sordes illas perreptare, exhibeo sequentia. An necesse sit scalam sanctam in S. Johannne Lateranensi ascendere. *Diana.* An ad Jubileum lucrandum, unusquisque per portam sanctam ingredi debet. *Ibid.* An peccet si quis in peccato mortali per portam sanctam ingrederetur? *Ibid.* An necesse sit septem altaria Petri & Pauli visitare; an verò sufficiat,

ut altare majus visitetur. *Ibid.* An qui per servum dat eleemosynam, si servus non dederit, jubileum consequatur, *Ibid.* . Utrum, si quis non possit Ecclesiam ingredi, in quâ est jubileum, sive indulgentia, sufficiat orare prope portam Ecclesiæ, *P. Prost pag.* 91. Utrum uxor sine mariti veniâ, liberi insciis parentibus, si per quindecim dies Ecclesias invisant, lucrentur indulgentias jubileares, siquidem de tali inobedientiâ confiteantur. *pag.* 98. An lucraretur jubileum, si alium qui pro se Ecclesias visitaret, committeret; habito scil. speciali privilegio Pontificis. *pag.* 102. Utrum anno sancto suspendantur indulgentiæ. *pag.* 125. Utrum Confessarius possit propter jubileum absolvere à voto non petendi conjugale debitum. *pag.* 219. An Confessarius ex vi jubilei dispensare possit cum eo, qui voverit se futurum equitem ab Alcantara & Calatrava. *pag.* 235. An absolutus tempore jubilei, licet non consequatur indulgentiam, quia non facit id quod præcipitur in Diplomate, remaneat tamen absolutus. *Coriolanus sect. cit. art.* 17. An absolutus tempore jubilei, si obliviscitur alicujus casus vel censuræ, liber maneat à præsentatione? *Ibid.* An virgines apud Hispanos dictæ *beatæ*, apud Belgas filiæ *spirituales* & *Iesuitissæ* (Belgicè **Kloppen/ Queselen**) quæ voverunt assumere talem habitum, vel vitam spiritualem, ab illo voto per jubilea & indulgentias plenarias absolvi possint? *Chapeaville Vicarius Leodiensis in Casibus reservatis part.* 1. *cap.* 4. *qu.* 1. Cum per jubilea, plenarias indulgentias, & similes gratias (ut per bullam Trinitatis, bullam corrigiæ S. Augustini, &c.) vota posse commutari dicantur, quæ vota censeantur posse commutari. *Ibid.* An in Jubileis, plenariis indulgentiis, & similibus gratiis concedens facultatem absolvendi à quibuscunque casibus, etiam sedi Apostolicę reservatis, censeri debeat habere facultatem absolvendi à reservatis in Bullâ Cœnę Domini. *Ibid.* An similiter dispensari possit cum eo, qui emisit votum pœnale castitatis, vel religionis, adimpletâ conditione: e. gr. voveo castitatem servare, si amplius talem domum suspectam ingressus fuero, vel chartis lusero. *Ibid.*

* APPENDICULA DE JUBILEO JESUITICO.

JUbileum privatum in generale & particulare distingui potest. *Prioris generis* fuit jubileum Jesuitarum non sine ingenti pompâ & luxu celebratum anno 1640. Quod descriptum vide in volumine illo cui tit. *Imago primi sæculi Societatis Iesu*: quod panegyricis declamationibus, emblematis ac picturis, sæcularibus aliisque carminibus; nec non Societatis horoscopis, sigillis, symbolis, vaticiniis, prognosticis, ἀλαζωνείαις, inscriptionibus, plausibus, non sine falsorum hamaxis, ad fastum & fastidium tessellatum

latum & suffultum, vide lector, quisquis stomachum habet struthiocameli. *Posterioris generis* est privatum jubileum ortum habens à Belgis, apud quos quinquagesimum conjugii, aut monachatus, aut sacerdotii annum communiter celebrant. Exempla aliquot Clericorum in Belgio, præsertim μακροβίων Jesuitarum refert *Imago*, &c. *in Prolegom. dissert.* 5. *Ibidem dissert.* 6. acriter perstringitur jubileum Lutheranorum anno 1617. quo sæculum jam inde à primâ prædicatione Lutheri impletum commemoratione & gratiarum actione celebrârunt. Idem inter Reformatos tunc præstiterunt Heidelbergenses. Prostant varia scripta hâc occasione edita. Huic Jubileo jubileum sociorum Ignatii opponunt, merito celebrandum, quod Deus Luthero bellum Ecclesiæ anno 1521. asserè indicenti Ignatium anno eodem in arce Pampelonensi vulneratum & hâc occasione spiritualia meditantem Luthero opposuerit. In triviali illâ declamatiunculâ dissimilium & imparium comparationem inter Lutherum & Ignatium instituunt. Sed Lutheranum jubileum à Papali & Ignatiano in immensum distat. Frustra ergo invidiæ stimulum in illud exacuunt. Quamvis autem factum publicæ, extraordinariæ, & solennis eucharistiæ, liberè absque conscientiarum aut posterorum in perpetuum obligatione à Lutheranis susceptæ improbare nolim: minus rectè tamen defendi censeo (uti à quodam Concionatore Lutherano defensum memini in *Harmoniâ Lutheri & Lutheranorum pag.* 334.) ex eo, quia Israëlitæ celebrârunt jubileum *Levitic.* 25. *vers.* 8. Et quia dies Purim, *Esth.* 9. Et quia Israëlitæ celebrârunt Deum. *Psal.* 135. Merito & rectè Paparum Bullas jubileares examinârunt *Lutherus in Scholiis ad duas Bullas Clementis* VII. *tom.* 3. *oper. Germanicor.* *Antonius Otto Hertzbergerus contra jubileum Iulii* III. anno 1550. *David Rungius*, & *Barthol. Rulich Concionator* Augustanus *contra jubileum* Clementis VIII. anno 1600. *Henricus Hopffnerus contra indulgentias Vrbani* VIII. anno 1625. *Anonymus in Glossâ ordinariâ ad literas encyclicas Alexandri* VII. anno 1655. 20. Septembris. Hic finio, epigrammate quod studiosus tunc appositè ad Urbani jubileum & bellum Parmense conscripserat, subjecto.

Ad Ornatissimum Doctissimumque
D. RESPONDENTEM,
L. V. W. S. T. S.

ROmanus Tubicen clangendo cornua, nabla,
Cymbala, Sambucas, organa, metra, tubas:
Iubila principio; nunc classica jubilat anni:
Astra fragore tonant; tympana Parma timet:

Parma

Parma dedit palmam: lauro est devinctus avaro:
Cui scelus est pietas, Religioque jocus.
Impar Parma tibi numeroso milite fugit:
Sed Scriptura tamen cum ratione manet.
Quîs melius doctus, tua putrida deserit arma:
Inque tuum excidium tela parata capit.
Purgat Aquæ-Ductus *tua fœtida tempora fuco:*
Ad strepitumque Pedis *Musica tanta silet.*
Huc nunc ad pugnam tantæ properate Dianæ
Cultores: Papæ, vestraque res agitur.

Apposuit properante calamo
J. DAPPER, Daventr.

DE QUADRAGESIMA ET BACCHANALIBUS.

Resp. ISAACO T. MORINGIO:
Ad diem 7. Februar. Anno 1635.

IEjunium non egestatis, aut diætæ Medicæ, sed Religiosum, voluntariam scilicet abstinentiam à cibo & potu, dicimus esse opus pium, non quidem immediatè aut per se, sed propter aliud, quatenus medium est quo sensus ad preces & humiliationem coram Deo requisitus, magis quam ordinarie expeditus atque efficax redditur, corpus ipsum subigitur & affligitur, ne mentem obruat, & terrenis ac carnalibus affigat. Ejus differentiam à precibus, Verbi Divini Meditatione, aliisque ordinariis pietatis ac devotionis operibus tale analogicè in promotione vitæ spiritualis statuimus, quale est inter medicamentum & alimentum in conservatione vitæ corporalis. Habet se hoc exercitium ad reliqua pietatis exercitia (resipiscentiam, preces scilicet) ut Luna ad Solem, quæ non suo sed Solis lumine lucet, absque illis enim nihil est jejunium & Deo displicet. *Iesa.* 58. 3. 4. 5. Est ergo non tam exercitium pietatis, quam medium & auxilium ad exercitia pietatis obeunda; quatenus removet impedimenta & hominem disponit. Deinde est exercitium extraordinarium, ac proinde ordinario aut sine necessitate atque occasione non suscipiendum. 1

Usum jejuniorum tum privatim tum publicè in N. T. retinendum, nec 2
cum

cum ceremonialibus abrogandum evincunt loca *Actor.* 13. *vers.* 2. & 14. 23. 2. *Corinth.* 11. *vers.* 27. *Matth.* 9. *vers.* 15. 1. *Corinth.* 7. *vers.* 5. Quotiescunque ergo calamitas premit, aut peccatum & tentatio haud ita vinci nescia circumsistit, aut ad vocationem & opus aliquod feliciter capessendum Dei auxilium imploratur, salubris & opportuna erit abstinentia. *Ioel.* 2. 15. *Esd.* 8. 21. *Dan.* 9. 3.

3 *Privatum solitarium* quidem quisque sibi, *socium* omnes ejus consortes, *Domesticum* is qui familiæ præest, *Publicum* Ecclesia quælibet aut Magistratus (si Christianus sit) aut uterque præscribat. *Nehem.* 1. 4. *Dan.* 9. 3. *Esth.* 4. 16. 2. *Paralip.* 20. 1. *Cor.* 7. 3. Nullus Ecclesiasticus Monarcha est, nulla Ecclesia centralis, seu vexillifera, nullum Concilium, nullus Doctorum consensus, qui omnibus Ecclesiis tum præsentibus, tum in posterum futuris hic aliquid præscribere possit, nedum omnes statis quibusdam temporibus alligare. Tantundem enim esset ac si omnes Medici omnes homines uni diætæ, uni Medicamento eodem tempore sumendo alligarent. Hinc rejicimus stata Papatus jejunia, Diei Mercurii, Veneris, & Saturni, item Vigiliarum, quatuor temporum & quadragesimale, tanquam sine Scripturis, sine ratione imposita. Quamvis enim, in genere, & universim divinæ institutionis sit jejunium, liberæ tamen dispositionis est secundum circumstantias, cum nullum tempus à Christo & Apostolis sit definitum. Vide *Augustinum Epistol.* 36. & *Tertullianum de Ieiunio.*

4 Repudiamus etiam partim ut vanas observantias, partim ut stolidam hypocrisin, partim ut superstitiones, partim ut hæreses doctrinam & praxim illam Papatus, quâ abstinentiâ à certis tantum cibis jejunium constituunt; *ita ut vinum bibere*, & postea edere aliquid ne potus noceat, aut edere electuaria per modum restaurationis, aut gustare cibos, quod faciunt coqui, jejunium non solvat, & quod non teneantur jejunare, qui nondum attigerunt annum 21. aut excesserunt 60. Item pauperes, gravidæ, operarii, & qui jejunantes non possent debitum reddere, &c. & quibus habenda est concio. Vide imprimis *Navarrum*; *Manuali cap.* 21 *tit. de Secundo Præcepto Ecclesiæ.* Ubi omnes suas exemptiones & exceptiones reducit cum *Thoma* ad hæc tria, impotentiam, necessitatem, majus bonum. Quod jejunium sit meritorium & satisfactorium apud Deum, & viventes possint non tantum pro se, sed etiam pro aliis viventibus, aut mortuis jejunando satisfacere, quibus illud imputetur in solutionem & absolutionem à pœnis hujus vitæ, aut purgatorii, non minus ac si ipsi jejunassent. *Lombard. lib.* 4. *cap.* 15 *Thom.* 22. *qu.* 147. *artic.* 4. *Immanuel Sa in Aphorism. in verbo Ieiunium. Tolet. instruct. Sacerd. lib.* 6. *cap.* 4. & *cap.* 21. *n.* 6.

n. 6. Ut autem fastigium suo Epicureismo imponant, & vel speciem omnem religionis ac spiritus à jejuniis suis auferant, concesserunt Episcopis & Confessoribus potestatem mutandi jejunium in mulctam pecuniariam; quomodo etiam abstinentiam à cibis vetitis exiguo pretio redimi patiuntur, & quidem per totam quadragesimam, modo adsit rationabilis causa, hoc est, lucri bonus odor. *Navarrus cap.* & *tit. cit. num.* 22. sentit præter eleemosynam non excusari quem à jejunio; & conqueritur *in hoc multos* (nota) *absque textu & ratione errare: quia debitor unius rei solvendo aliam non liberatur.* Conferri possunt, quæ alibi de publicis jejuniis exhibemus.

Maximè autem ludibrium religionis & crassa hypocrisis in observatione quadragesimæ elucet. Toto enim illo tempore abstinentia à carnibus, ovis, & lacticiniis mandatur. Unde in *taxâ pœnitentiariâ* gravior mulcta imponitur iis, qui butyrum aut lac comederunt in quadragesimâ, quam qui infandos incestus, aliaque flagitia commiserunt; Hoc scilicet ipsis est jejunare, dum deliciis Sybariticis aut Milesianis, cupediis, electuariis, piscibus bene conditis, vino generosissimo (in quo est ἀσωλία *Ephes.* 5. 18.) polentâ, aut pulte (quam vocant) Hispanicâ, & sexcentis ejusmodi, quæ omniscio illi coquo apud *Plautum in Pseudolo* nunquam in mentem venissent, liberè, largè & genialiter fruuntur; dum jentaculi intermissi & dilati prandii tarditatem, gravitate supplicii compensant, & loco cœnæ, collatione tantum (quid scilicet pro quo) se reficiunt, sed tali, quam milleni nostrorum cœnâ suâ facile permutarent, & quæ hominibus temperantibus, ac sanitati suæque diætæ attendentibus, sufficere posset. Hypocriticam & ludicram talem abstinentiam in Manichæis egregiè perstringit *Augustinus de moribus Ecclesiæ lib. 2. cap.* 13. Quam vero diversum sit jejunium antiquæ Ecclesiæ & Pontificiæ ostendit Jesuita *Busæus in Viridario Virtutum, tit. Jejunium.* Romæ, quæ arx scilicet & metropolis Religionis, *tempore quadragesimæ macella clauduntur, & aperta manent lupanaria*: uti hoc *Petrus Molineus in Responso* Gallico *ad epistolam Balsaci* objiciebat; cujus dictum contra Jesuitam Sylvestrum Petra sancta explicuit & defendit affinis ejus *Rivetus in Iesuitâ vapulante, cap.* 16. Denique quicunque cibus ad domandam (ut volunt) carnem, interdicitur, optima cerevisia aut vinum non interdicitur; quæ an concupiscentiam acuere, spiritus generare, calorem accendere æque possint, ac carnes ac lacticinia, quærant ex Medicis.

Jam verò delectum illum ciborum, aut dilationem prandii, aut semel tantum in die saturum fieri (quod antiquitus in Græciâ apud omnes obtinebat) non esse religiosum illud jejunium à Deo mandatum constat ex

locis Scripturæ supra citatis, aliisque ubi jejunium describitur. Est enim quadragesimalis abstinentia à carne. Unde in Italiâ quadragesimam vocant *Carnevale*; & sic conformiter Judæi suum festum *Purim* quod celebratur die 14. mensis Adar, h. e. Martii; teste *R. Iuda de Modena cap.* 31. *Deinde* talis delectus conscientiis Christianorum imponi non potest absque violatione libertatis Christianæ, & superstitiosâ ἐθελοθρησκείᾳ *Coloss.* 2. *vers.* 16. *usque ad finem.* 1. *Timoth.* 4. 1. 2. 3. 4. *Tit.* 1. *versu ultimo. Matth.* 15. 11. *Rom.* 14. 17. 1. *Corinth.* 10. 25. 26. Confer *Patres Commentatores ad loca citata*, & *Ignatium Epist.* 6. *Clement. Alexandrinum in Padag. lib.* 2. *Socratem lib.* 5. *cap.* 21. *Tertullianum adversus Psychicos cap.* 1. 2. 13. 14. *& contr. Marcion. lib.* 1. *cap.* 14. & ibid. *Rhenanum. Augustinum de Civitate Dei, lib.* 16. *cap.* 37. & ibi *Ludovicum Vivem. Tertiò* castigatio illa corporis quamvis multo austerior esset, Deo non placet; cum fit hypocriticè, superstitiosè, ambitiosè, absque verâ fide, spe, charitate, humilitate, *Matth.* 6. 16. 17. *Iesa.* 58. 5. 6. *Zach.* 7. 8. 9. *Quartò* imperitè fit delectus ille, tum quia pisces non minus quam carnes gulam incitant, dum homini lautitias exquisitissimas præbent. Vide *Plutarchum Probl.* 4. *Symp.* 4. *Senec. Epist.* 95. *Plinium lib.* 10. *cap.* 51. Tum quia per pisces & legumina aromatis bene condita, ad hæc per vinum & cerevisiam multò magis luxuria accenditur quam per carnes. *Denique* ciborum delectus, diætæ & prudentiæ cujusq; est relinquendus ratione, complexionis, dispositionis, ac conditionis suæ, item laborum, exercitiorum, temporum, locorum. Breviter ratio habenda est cuiq; tum affectuum & cupiditatum suarum, tum corporis sui naturalium & non naturalium. Sed in Papatu omnibus hominibus promiscuè statis temporibus imponitur, & quidem absque occasione extraordinariâ. Quod ad circumscriptionem temporis 40. scilicet dierum, malâ consequentiâ & παραζηλίᾳ ex miraculoso & extraordinario Christi jejunio deductum videtur, quod tamen conscientias nostras ad imitationem non magis astringit quam suscitatio mortuorum, ejectio dæmonum, sanatio infirmorum, ambulatio supra mare, & reliqua Christi miracula: & siquidem Christum imitari velimus, non consisteret illa imitatio in abstinentiâ à carnibus; quia Christus non abstinuit, edens cum discipulis agnum Paschalem. Antiquæ Ecclesiæ consuetudo Pontificios nihil juvat, quia illa libere servabatur, nec conscientias suas, aut posterorum ei adstringebat; cujus rei documentum est varietas, quâ non obstante pacem inter se colebant, *Eusebius lib.* 5. *cap.* 25. *Socrates lib.* 5. *cap.* 21. *Augustinus Epist.* 86. *ad Casulanum. Sozomen. lib.* 7, *cap.* 19. *Baronius ad annum* 57. *n.* 197. Non fuisse autem traditionem Apostolicam constat ex *Epist. Irenei* apud *Eusebium lib.* 5. *cap.* 26. & *Nicephor. Callist. lib.* 4. *cap.* 39.

cap. 39. ubi dicit, quosdam existimare unum ipsis oportere diem jejunare, quosdam duos, alios etiam plures, nonnullos quadraginta horis diurnis & nocturnis diem metiri, ubi jejunii ante Pascha 40. horarum, non verò 40. dierum fit mentio. Huic autem tam vicino Apostolorum temporibus, quin fides humana præ aliis ipsi longè posterioribus debeatur, nemo dubitabit. Tempus autem 40. dierum postmodum introductum, ut eo tempore ad Baptismum & Eucharistiam in Paschate conferendam se præpararent, & in doctrinâ fidei probe instruerentur, qui nomen suum tradidissent. *Hieronymus ad Pammach. de Erroribus Iohan. Hierosolymitani.* Audiatur imprimis *Socrates supra cit.* qui Ecclesiarum ἔθη, id est, *consuetudines*, deinde ab Episcopis privatâ authoritate statuta ac confirmata dicit; & non obscurè totam illam πολυπραγμοσύνην & τὸ cacoëthes circa observationem dierum perstringit. Idem facit *Sozom. loco cit.* In Græco Eusebii sic se habent verba: οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινὰς καὶ νυκτερίνας, συμμετροῦσι τὴν ἡμέρων αὐτῶν. Lectio Marginalis habet: αἷς συμμετροῦσι τὴν &c. Cassianus collat. 21. cap. 30. *Sciendum sane hanc observantiam quadragesimæ, quamdiu Ecclesiæ illius primitivæ perfectio inviolata permansit, penitus non fuisse, &c.* Hactenus anno 1635. dum in initio professionis omnem Bacchanalium celebrationem & memoriam studiosis, præsertim Theologiæ, excutere, & propudium hoc ex Scholis & Ecclesiis nostris profligare studeo, ob materiæ connexionem de quadragesimali jejunio paucula hæc delineabam. Nunc secundis curis hæc interpolare & plurimum augere statueram: sed consilium mutavi, postquam *tractatum Ioh. Dallei de Iejunio & Quadragesimâ* anno 1654. editum perlustravi. In eo omnia, quæ pro Papisticis jejuniis, tum in genere, tum in specie, pro statis ac solennibus jejuniis Quadragesimæ, sextæ feriæ & sabbathi, quatuor temporum, rogationum, adventus, vigiliarum, ex Scripturâ, ratione, antiquitate adferri solent, tam eruditè & plenè refutantur, ut non videam quid ultra desiderari queat. Suffecerit ergo eum hic indicasse, aliosque nonnullos qui ante ipsum hanc controversiam tractârunt, *Mornæum Plessium in Meditat.* Gallicis *part.* 1. *Chemnitium in Exam. Concil. Tridentin. Iohannem Gerardum in confess. Cathol. Aretium in Problematis part.* 1. *Hospinianum de Festis cap.* 14. *Chamierum tom.* 3. *Panstr. lib.* 14. *c.* 6. 7. 8. *Rivetum in Cathol. Orthodox. Usserium in Prolegom. ad Ignatii Epistolas cap.* 9. & 13. Ex Pontificiis præter indicatos ac refutatos à *Chamiero* & *Dallæo*, superstitionem hanc explicant & palliant *Durantes in Rationali*, *A Lapide in Matth.* 4. *Filesacus in Opusculis*, *Ioh. Stephanus Durantus in Ritibus. Gretserus in libro de Processionibus, Scholastici ad* 22. *qu.* 167. *art.* 4. *Turrecremata in Quæstionibus ad Euangelia tam de tempore quam de Sanctis, domin.*

1. *in Quadrages.* ubi subtiliter disputat, 1. Utrum ad jejunium Quadragesimæ omnes teneantur. 2. Utrum jejunium Quadragesimæ debito tempore observetur. Comparari possunt jejunia Papistica cum statis jejuniis Judaicis, & Muhammedicis. Judaica antiqua notantur ab *Autoribus* supra in *Disp. de Festis cit.* Hodierna à *Buxdorfio in Synag. Iudaicâ cap.* 25. Muhammedicum celebre jejunium per 30. ferme dies, mensis *ramadam* abstinentiâ diurnâ strictè servatur; sic tamen ut nocte edant. Illud quintam ipsis partem facit Iflamismi; cujus essentiam in quinque istis constituit definitio quam ex *Compendio* quodam *Sunæ* M.S. exhibet Hottingerus verè opum orientalium promus condus in Promtuario seu Biblio-„ thecâ cap. 2. pag. 172. *Islamismus est, si testatus fueris, non esse Deum, ni-„ si illum Deum, & Muhammedem Apostolum ejus: si ritè peregeris preces:„ penderis decimas: jejunabis mense* ramadan: *obibis domum* (Meccanam scil.„ nam peregrinationem religiosam intelligit), *si possis, eo iter faciendo.* Ex nostris comparationem inter Turcica & Papistica jejunia instituit *Anonymus* (*Matth. Sutlivius*) *in Turco-Papismo lib. 2. pag. 363.* Symbolizat etiam cum quadragesimâ Papisticâ Græcorum aliorumque Orientalium; qui tamen diversimodè eam inchoant & celebrant: uti colligimus ex *computo Maximi*, quem *Scaliger libris de Emendatione temporum* subjecit: ubi dicit πρωϊμον ἑορτὴν 56. diebus ante Pascha celebrari. Idem testatur *Albinus Flaccus lib. de divinis Officiis cap. de Septuages.* Causam hujus moris explicat *Petavius in notis ad Nicephori Constantinopolit. Breviarium Chronologicum pag.* 22. Quem videat cui vacat. Anglicanam quadragesimam aliaque stata jejunia ante abolitam hierarchiam Episcopalem servari solita, diversimodè interpretati sunt exteri, alii tanquam politicum & tolerabilem ordinem, alii tanquam reliquias superstitionis, aut tanquam symbolizationem cum eâ. Sed genuinam eorum sententiam & praxin ex propriis Autoribus ita exhibuit *Autor Altaris Damasceni pag. 711.* ut nemini dubium esse debeat, quin tutius & melius hæc abroganda quam retinenda sint. *Sutlivius in Turco-Papismo lib. cit. pag.* 362. postquam rectè defendisset Lutherum aliosque Reformatos qui quadragesimam abrogârant, subdit hæc verba: *Verum ut peccarent illi, qui quadragesimæ jejunium intermiserunt; quid hoc ad nos, qui hoc Ecclesia Anglicanæ præcepto observamus.* Sed non explicat, quâ abstinentiâ, quo ordine, quo ritu, quo fine illud servarent. Quæcunque materialis observatio Hierarchicorum illic fuerit, saltem formaliter à Papisticâ observatione differebat, Anti-hierarchici tum conformistę, tum non conformistæ dictæ observationis formalitatibus se ita non astringebant, nec astrictos putabant. Unde tamen non sequitur iis *in particulari cautionem* præcipuam *fuisse* (uti fabu-

fabulatur Henricus Fitz Simon lib. 2. Britannomachiæ Ministrorum cap. 7. pag. 218.) *ut in quadragesimæ singulis diebus carnes (quas extra quadragesimam solùs quinque sumunt per hebdomadam diebus) comedant.* Quis credat, legem hanc pœnalem de quadragesimâ ita dormivisse, ut impunè carnes quotidie tot millibus hominum istic venales essent. Restat verbulo indicemus dies aliquot eminentiores & solenniores quadragesimæ, quales Dominica *Lætare* seu rosæ; Dominica palmarum seu in ramis; dies Cœnæ; Sabbathum magnum seu paraſceve Paschæ; dies Veneris seu crucifixionis; Dies Mercurii ante Pascha, quo eclipsare incipit sonus campanarum; breviter tota hebdomas ante Pascha, quæ magna & sancta appellatur; denique dies cinerum, qui inchoat quadragesimam. Primi quatuor quamvis circulo quadragesimalis jejunii includantur, sunt formaliter hilaria ludis, cupediis, epulis celebranda: de quibus infra *in Appendicula.* De die Rosæ supra in *Disp. de Festis* egimus. De Dominicâ seu festo Palmarum *Amerius part.* 1. *Problematum loco* 39. & *Hospinianus lib. de Festis*; qui posterior etiam de omnibus aliis diebus modo nominatis. Imprimis inter Pontificios consulendus *Durantes in Rationali*, qui omnium dierum quadragesimę solennitates & mysteria ad satietatem seu mavis ad nauseam nobis pandit. Non prætereundus antiquariis purpureus ille pannus de Sabbatho Paschæ, quem intextum vident *Epistolæ Ignatii ad Philippenses*; ubi post commendatam quadragesimam & hebdomadam passionis hæc comparent: *Quicunque Dominicam aut Sabbathum jejunaverit (prater unum Sabbathum Paschæ)* ὅστος χριστοκτόνος ἐστί, id est, *ipse est Christicida*, seu *Christi interfector.* Similia sed mitioribus verbis canit *Pseudo-Clemens lib.* 5. *constitut. cap.* 12. Quæ superstitiosæ & infrunitæ nugæ arguunt, quantum scriptis illis, quamvis antiquitatis splendore oculos multorum hebetantibus, tribuendum sit. De quo vide eruditissima *scripta Vsserii & Dallæi*, supra *in Disp. de Festis citata.*

Rejectâ religione quadragesimali, aliquid addendum est de Bacchanalibus, quæ ejus quasi propylæum sunt, quibus homines videntur se præparare & sanctificare ad tantum ac tam arduum abstinentiæ opus capessendum. Quod quidem absque summâ profanatione, & Dei, religionis, jejunii, & devotionis omnis ludibrio non fieri, vident oculatiores. Referunt enim illa commessationibus, compotationibus, crapulâ, larvis, choreis, fabularum actionibus, ludicris gesticulationibus ac indecoris discursitationibus, non tam Christianismi pietatem, temperantiam, gravitatem, & modestiam; quam Ethnicorum Idolomaniacam insolentiam, turpitudinem ac lasciviam. Adeo ut inter Romano-Christianos renata videantur Gentilium Saturnalia, Bacchanalia, Quirinalia, Lupercalia: 7

quorum descriptio apud *Rosinum* & *Demsterum in antiquit. Romanis*, & *Hospinianum de Festis Gentilium*, Audiatur inter alios Polydorus Virgilius de Inventoribus rerum lib. 5. cap. 2. *Et quia sub idem tempus illud jejunium 40. dierum nobis anniversarium indicitur, ideo quotannis cuncti ubique gentium in nostro Christiano orbe, studiosius solito adipatis vescuntur cibis, & non parum multi quibus præcipua ventris cura est, ad vomitum saturantur, quasi expleturi futuram famem, cum tamen eorum etiam intemperatior futura sit abstinentia: nam quamvis ab esu panis & carnium abstineant, bellariis se farciunt, & azymum panem pro fermentato devorantes, de jejunio gloriantur, sic peccata undique accumulant, ne adventante Pascha, vacui aut frustra ad suos Sacerdotes adeant, à quibus per confessionem maleficiorum onere levandi sunt. Et hæc omnia ex Romanorum Bacchanalibus ad nos fluxisse dixerim.* Videatur etiam Baptista Mantuanus in Fastis, ubi de Ethnicâ origine Bacchanal. sic canit:

Hic memorare libet quoddam grave temporis hujus
Crimen, & ipsius subjungere criminis ortum.
Roma Lupercales ludos antiquitus isto
Mense celebrabat, &c.

Vide reliqua lectu digniſſima. Bacchanalibus non malè comparatur Judęorum festiva celebratio *Purim*, quæ *Buxdorfius cap. 24. Synagogæ*, non immerito vocat *Bacchanalia Iudæorum*. Vide ibi ritus dicti festi descriptos. Apud Arabes Christianos esse *geniales carnium dies* colligo ex *Titulis lectionum paraphrasios Arabicæ*. Vide *in Bibliis polyglottis Londinensibus*. 1. *Corinth.* 8. & 1. *Cor.* 7. cum 2. *Epist. Iohannis*. Qualia hilaria hic intelligant, Bacchanalia scil. aut alia ante quadragesimam, fateor me nescire: nec vacat nunc inquirere.

§ Insaniam illam Bacchanalium multis argumentis convincere apud sanos sobriosque haud opus; considerentur modo *Rom. 13. vers.* 11. 12. 13. 14. & 1. *Thess.* 5. 6. 7. 8. *Galat.* 5. 21. 1. *Petr.* 2. 11. 12. & 4. 1. 2. 3. 4. 5. *Patres* acriter Ethnicas illas Bacchanalium reliquias suâ ætate perstringunt. *Chrysost. homil. in Matth.* 11. & *in Epheſ.* 18. *Nazianzen. in Orat. de Sanctis Epiphan. luminibus. Auguſt. epist.* 44. *ad Maxim. Grammaticum.* Ad Christianos autem qui Papatus jugo abjecto, stant in libertate, quam Christus ipsis peperit, non magis spectat usus aut conscientia aliqua Hilariorum istorum, quam cujuscunque alterius, aut Judaici, aut Turcici, aut Ethnici, aut Antichristiani Festi. Ejuratâ superstitione quatuor temporum, vigiliarum & totius quadragesimæ, quid ipsis cum Bacchanalibus? posthabitis esurialibus feriis & sacris, quid ipsis cum Bacchicâ & Bacchante præparatione ad illa sacra? Breviter ab omni specie

mali

malinobis abstinendum est 1. *Thessal.* 5. *vers.* 22. cum *Judæ vers.* 23. & nullum consortium luci cum tenebris 2 *Corinth.* 6. *Secundo* omnia sacra, ritus atque instrumenta idololatrica, superstitiosa & vana & leviſſimus eorum sensus penitus à nobis exulare debent. *Zach.* 13. *vers.* 2. *Hos.* 2. *vers.* 16. 17. *Numer.* 33. 52. *Deuter.* 12. 2. 3. *Exod.* 23. 13. 2. *Corinth.* 6. *Tertio* disputatio illa 1. *Corinth.* 8. *vers.* 10. & 10. *vers.* 18. 21. de Idolothytis huc imprimis applicanda, cum *Apoc.* 2. *vers.* 14. quâ omnis communio & communicatio cum superstitionis non tantum principalibus partibus, sed & minus principalibus, atque adeo præparationibus, concomitantibus, & appendicibus vetatur. Ex quatuor enim ingredientibus constabant festa Gentilium, sacrificiis, epulis, ludis, feriis. Vide *Seldeni Syntagm.* 1. *de Diis Syris cap.* 4. Et *Antiquarios de Festis supra cit.* *Quarto*, exserte ipsa hilaria Idololatrarum tanquam adjuncta & condimenta vani cultus, taxat Spiritus Sanctus, 1. *Corinth.* 10. *vers.* 7. sunt enim & fiunt sub sigillo Idoli, aut festi, aut initiationis Idololatricæ. *Quinto*, Antiquis Conciliis & Patrum doctrinâ omnis communicatio, sive directa, sive indirecta cum Idololatriâ, superstitione & vanitatibus Ethnicis (quas vacuas observationes vocat *Tertullianus cap.* 12. *de Idololatriâ*) severè interdicitur: unde contra Antichristianas pari consequentiâ concludimus. Tertullianus de Idololatriâ cap. 14. *Nobis quibus Sabbatha extranea sunt, & Neomenia & feriæ aliquando à Deo dilectæ; saturnalia & Januariæ & Brumæ & Matronales frequentantur, munera commeant, strenæ consonant, lusus, convivia constrepunt. O melior fides Nationum in sectam suam, quæ nullam solemnitatem Christianorum sibi vendicat, non Dominicum diem, non Pentecosten! etiamsi noviſſent nobiscum non communicaſſent, timerent enim ne Christiani viderentur. Nos ne Ethnici pronuntiemur non veremur.* Idem contendit *cap.* 13. nullo habitu, aut victu, aut alio genere lætitiæ Christianos Gentilium solennitatibus debere communicare, *Sed omnem*, inquit, *afflatum ejus vice pestis etiam de longinquo devitemus*, &c. *in universâ serie humanæ superstitionis sive Deis suis, sive defunctis, sive Regibus mancipatæ, ut ad eosdem Spiritus immundos pertinentis, modo per sacrificia & sacerdotia, modo per spectacula & hoc genus, modo per festos dies.* Confer *cap.* 14. & *libr. de Coronâ Militis cap.* 10. & *Augustin. Epist.* 11. & *de Verbis Domini serm.* 6. *Concilium Antyran. can.* 7. censuris subjicit eos qui in loco Gentilibus Deputato convivati essent & proprios cibos attuliſſent. Vide & *Chrysostomum Orat.* 1. *contra Judæos, in principio*, ubi invehitur in eos, qui solennitates Judaicas tunc servabant. Adde *Concil.* 2. *Braccar. can.* 73. & 1. *can.* 32, *Concil. Toletan.* 4. *can.* 10. *Svvarez tom.* 3. *qu.* 65. *dis.* 15. *sect.* 2. dicit, diligenter vitare Ecclesiam in ceremoniis & obser-

vanti-

„ servantiis omne consortiũ & APPARENTEM SIMILITUDINEM „ cum Judæis vel aliis infidelibus, ut colligitur ex *Augustin. Epist.* 119. & „ *Epiphan. lib.* 3. *contra hæreses in fine.* Hæc omnia nos observantiis Papisticis analogicè applicanda censemus. Ne quis autem dicat longè alium in finem à quibusdam nostrorum aliquid Bacchicum aut Βακχικωτέρως observari; præterea symbolizatione aliquâ, saltem in sacris esculentis ac poculentis, Pontificiorum animos & politicam amicitiam conciliari: considerandum est hoc eodem effugio omnes externas superstitiones, imò & communionem in Sacramento altaris salvari posse, in gratiam Libertinorum & Pseudo-Nicodemitarum. Adhæc aliter longè de prætensâ illa συγχωρήσει & condescensu judicat Augustinus loco supra cit. *Si quæritis unde vincantur Pagani, unde illuminentur, unde ad salutem vocentur. Deserite omnes solennitates ipsorum, Deserite nugas eorum, Etsi non consentiant veritati nostræ, saltem pudeat paucitatis suæ.* Tertullianus de Idololatriâ cap. 14. objicientibus, *Sed idem* (Apostolus scil.) *alibi jubet, omnibus placere curemus, &c.* Respondet. *Nimirum Saturnalia & Kalendas Ianuarias celebrans hominibus placebat, an modestiâ & patientiâ, an gravitate, an humanitate, an integritate? Proinde cum dicit omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifaciam, numquid Idololatris Idololatra, numquid Ethnicis Ethnicus, numquid sæcularibus sæcularis. Sexto*, Ut excelsa, post repurgatam Idololatriam in V. T. olim relicta, posteris occasio fuerunt relapsus in Idololatriam; sic dies illi Baalitici posteris offendiculo possent esse, quo in quadragesimalis superstitionis conscientiam aliquam reciderent. Hujus rationis pleniorem deductionem vide supra in *Disp. de Idololatriâ indirectâ. Denique* doctrina & praxis Reformatorum Bacchanalia semper detestata est. Videatur inter alios *Hyperius tract. peculiari de Bacchanalibus, cum Opusc. Theolog. tom.* 1. editus. Et *Hospinianus de Festis Christian. cap.* 14. Prior illa charitas non est deserenda, nec Quadragesimæ & Bacchanal. aliqua conscientia retinenda, aut specie tenus communio aliqua privatim publicève fovenda. *Quum*, inquit Hospinianus: *Satyrici Poëtæ Gentiles, quamvis interdum ad scurrilitatem usque petulantes, ne dicam obscœni, non tacuerunt, ubi ludos ejusmodi vidissent: veluti à* Juvenale Satyr. 6. *&c. multo minus in hoc negotio Concionatores sive Doctores Christianarum Ecclesiarum mutisint, sed instent tempestive, ut scelus hoc tollatur in Ecclesiâ Christi: arguant & objurgent eos qui id objicere nolunt: fit quidem hoc à multis fidis Pastoribus Ecclesiarum, sed proh dolor! pauci sunt qui se corrigi patiantur: suas ergo procul dubio scopas aliquando expediet Deus, quibus Ecclesiam suam cum multorum excidio ab his similibusque sceleribus expurgabit.* Ex eadem gente *Stuckius*, & *Lavaterus* eandem insaniam graviter incressunt. Ille in Prognostico anni 1588.

1588. *Quid dicam*, inquit, *de nostris Saturnalibus, Bacchanalibus, Vrbanalibus, Martinalibus, Encæniis, quæ Ethnicorum more rituque maximâ insaniâ atque furore à nobis agitari consueverunt.* Iste in Commentar. ad 2. Paralipom. 20. vers. 33. *Veruntamen excelsa non exceſſerant, &c. Hodie*, inquit, *quoque multi veteres ritus & consuetudines, etsi pugnent cum Verbo Dei, tamen volunt retinere, veluti dedicationes Templorum, Bacchanalia, &c.* Habita & edita est Marpurgi à *Nicolao Caleno* Pomerano J. C. *Oratio* anno 1591. *in detestationem, originem, & ritum Bacchanalium.* Eorundem observationem impugnat *Caſparus Finckius* Philosophus, postea Theologus Giessenus *in suis Schediasmatis.* Quid opus, inquies, his testimoniis? quis inter reformatos Doctores sordes illas non detestatur? Ad abundantem cautelam, & perpetuam rei memoriam hæc frustra non repeto: ut juniores horum memores discant si à malè feriatis aut laxis Casuistis talia ad præcisitates, tricas & nugas Pharisaicas relegari, insuper tanquam novitates & heterodoxias clam palamve traduci audiverint, genuinæ reformationis & primæ caritatis antiquias semitas non derelinquere; sed contra doctrinâ & exemplo suo omnes excelsorum istorum reliquias in Ecclesiis nostris expurgare. Ex Pontificiis *Hosius, Corn. à Lapide, Froymundus* Theologus Lovaniensis in *Crisi*, quam meæ Desperatę causæ Papatus opposuit, nostris exprobrant quod celebrationem Bacchanalium, aliorumque hilariorum retinuerint, abolitis festis, jejuniis, &c. Ex Lutheranis Casp. Finckius tunc (anno scil. 1608.) in Acad. Giessenâ Philosophiæ Professor, part. 1. Schediasmatum, sched. 47. subjicit *Consectarium* (uti loquitur) *anti-Goclenianum*: *Peccant igitur illi, qui in Bacchi quasi honorem & memoriam celebrant quotannis Bacchanalia, &c.* Contra quæ adducit *Livium, Augustinum, Chrysostomum*, &c. Quorum monita in se & in genere spectata non improbamus: interim Ecclesiis nostris ea objici, ob ἀναξίαν quorundam contra Doctorum suorum monitiones & contestationes, minimè patimur. Communis professio, communes Antecessorum conatus, communia Synodorum decreta & Doctorum dictata ac scripta, omnes illos dies festos ac festivos à Gentilibus Papatui, à Papatu plebi Christianę relictos insectantur, & abrogandos clamant; & quod plus est, apud plerosque reformatę Religionis zelotas abrogârunt, ac etiamnum abrogant: dum Clerici Papales in eorum celebratione se antecessores præbent, addito biduo Bacchanalium, diem tertium, & quidem Dominicum; qui propterea apud Belgas der Papen vastenavont / & in Germaniâ ac Helvetiâ der Herren Faßnacht appellatur. Quod ad populum Papisticum, quales illi communiter se hic præstiterint, dicunt *Polydorus & Mantuanus modo cit.*, aliique mox citandi, & quidem præsilientibus Clericis. Fateor

tamen noſtrâ reformatione & perpetuâ admonitione, quoſdam ex ipſis ita in pudorem datos, ut propria vineta nunc cœperint cædere. Quales *Stapletonus*, *Serrarius*, *Cornel. à Lapide*, Jeſuitarum *Societas Flandrica*, *Antonius de Balingem.* Poſtremi libellus tit. *Propoſitionis de Bacchanalibus* Coloniæ in Kinchii officina excuſus eſt in 8. Sed eum hactenus non vidi; ut nec *Blondum in Româ triumphante lib.* 2. *Diez in Summâ pradicantium tom.* 1. Stapletoni verba ſunt, in Promtuario Morali, pag. 347. *Quadrageſimale jejunium jam jam incepturi, nos interea totos ingurgitamus, ventrique & abdomini ſervimus, quaſi poſt hoc triduum non Chriſto, ſed Veneri ſacra facturi.* Serrarius in lib. Machab. cap. 1. pag. 395. *Quemadmodum vero apud Romanos* Verres *ſublata, ſic apud nos* Bacchanalia, *quorum res & nomen prophanum, tolli penitus oporteret. Cornel. à Lapide in Thren. cap.* 1. *verſ.* 7. „ Turcę, Hæretici, aliique infideles rident Sabbatha, id eſt, feſta Chriſti-„ anorum, dum ipſi laſcivis ſpectaculis, ebrietati, libidini feſtis diebus „ vacantes, turpiter otiantur. Ita riſit & ſubſannavit Legatus Turcę bac-„ chanalia Chriſtianorum: dum enim Pariſiis ageret apud Regem Galliæ, „ videretque illis diebus miram Chriſtianorum petulantiam & compota-„ tiones, ac ſtatim poſt die cinerum eorum modeſtiam & gravitatem: „ Quid, ait, accidit Chriſtianis? heri videbantur ebrii & inſani, hodie „ videntur ſobrii & ſani. Quis eſt iſte cinis tantæ virtutis, qui fronti eo-„ rum aſperſus, mirâ metamorphoſi ex ſtultis ſapientes, ex petulantibus „ modeſtos, ex laſcivis caſtos reddidit? *Cur enim quod dilectus repudiat,* „ *non irrideat inimicus?* ait S. Bernardus ſerm. 46. in Cantic. *Societas Flandrica in imagine primi ſæculi lib.* 3. *cap.* 9. admodum invehitur in Bacchanalia, quibus homines videbantur *à Chriſto ad Bacchum palam & apertè deficere; adeo, poſito pudore ſenſuque omni Religionis, in omnem licentiam crapulæ, commeſſationum, laſciviæ, flagitiorum veluti furialibus acti tædis ſeſe effundebant,* &c. Pluribus ibi perſequitur dies *flagitiis & impietati deſtinatos & quaſi conſecratos,* & dies *quibus pudet non eſſe impudentes,* & *nefas habetur nullum nefas admittere.* Ibidem gloriantur ſocios communi furori variis modis ſe objeciſſe in *compitis ac plateis arguendo increpando Bacchantium inſaniam. Gandia ſex è noſtris pridie cinerum vertice ac pedibus nudi, longo funè cervicibus pendente, duo etiam nudata terga flagellis cruentantes, cateri cum cruce & calvariâ in manibus, obiere concionabundi celeberrimas urbis vias. Ab aliis alia tentata,* &c. Inventæ tandem ab illis *preces* (quas vocant) *anticinerales*: quarum modum, & admiranda effecta more ſoli-ipſorum magnificè *ibidem* & *lib. 6. cap.* 3. *ſect.* 1. *pag.* 791. deprædicant. Sed quæcunque Societatis ſuæ miracula hic crepent, per imminutionem flagitiorum, quæ in Bacchanalibus committi ſolent; nuſquam audio ſublata

Baccha-

Bacchanalia, aut sodalibus sectariis suis persuasum, parascevas ad jejunium esse bacchicas commessationes. Rem & nomen (juxta *Serrarii* mentem) penitus tollant, & hucusque productam reformationem agnoscemus. Quod ad *Goclenium* Philosophum Marpurgensem reformatę Religioni addictum, quid ille fecerit, cur libro publicè edito à *Finckio* notari debuerit, nescio, Lutherani Doctores, si ad suos populos attenderint, videbunt procul dubio & dolebunt, non pauca solennia ludorum, comessationum, rituum, vacuarum observationum ex Gentilismo & Papatu παραπαιδόντων foveri. *Loccenius in antiquit. Sueo-Gothicis cap.* 23. testatur larvatos bacchantium discursus illic nunc rejectos & damnatos esse. *Nicol. Calenus in Oratione* modo *cit. pag.* 18. refert consuetudinem illam quæ in larvatis choreis, epulis, &c. admodum indecorè Lubecæ apud cives potentes, dites, fortunatos ac nobiles dominabatur, à civibus quasi facti sui suppudentibus, abrogatam esse, quamvis antiquam & à majoribus per tot annos frequentatam. De adjunctis & excessibus quibusdam sublatis hinc constat; sed non de ipso subjecto, hoc est, de Bacchanalibus, aliisque istius commatis hilariis.

EPIMETRA.

I. CUlinariam Religionem sapiunt, nec minus Dei & nationis Germanicę (sub quâ Belgicam comprehendi vult *Augustinus VVichmans in Sabbathismo Mariæ*) ludibria, *Bullæ Bonifacii* VIII. & *Hadriani* VI. quarum prior indulgentias largiebatur Germanis, qui post actas in mensâ aut convivio gratias semel adhuc bibissent. Posterior peculiarem consuetudinem Belgarum, additis indulgentiis, confirmabat, secundum quam diebus Saturni carnes in honorem B. Virginis Mariæ comedunt, à natali Domini usque ad quadragesimam. Quamvis autem Romæ Papalem religionem & sanctitatem hâc in parte strenuè dissimulent, & bullas illas ex *Bullariis* eorumque *Compendiis* eliminent, noluit tamen *Augustinus VVichmans* istorum mysteriorum nos exsortes esse, *in libro de Sabbathismo Mariæ*: ubi adducit (si bene memini; nam liber olim mihi lectus nunc ad manum non est) Hemelarium Canonicum Antwerpianum, testem oculatum & dictarum Bullarum dum Romæ peregrinaretur epopten.

II. Omnia festa Papistica potissimum ludis, epulis, symposiis, otiosis cursitationibus & confabulationibus, choreis, aleâ, comœdiis, aliisque spectaculis transiguntur, aut saltem à missarum spectaculo inchoata in talia desinunt. Quædam tamen peculiari quâdam aut formali suâ ratione

sunt ludicra & hilaria præ aliis, ut encænia, Dominica lætare, & palmarum; dies Cœnæ; Kalendæ Januarii & Maji; Festa Martini, Nicolai, Huberti, Valentini, trium Regum, luminarium, ludi fatuorum, & festum innocentium; Item Thomę, quo pueri Magistros ex Scholâ excludunt aut exturbant; Denique festa Pentecostes & Paschæ. *Illo* præcipuè puellulæ floribus & sertis ornatæ canendo vicos & plateas perambulant & munuscula passim, in domibus, ubi se offerre voluerint, recipiunt. *Isto* omnes auditores rerum jocosarum, ludicrarum, fabulosarum, quas Concionatores loco concionis narrant, aut eidem inserunt, acroamatis ad profusissimum risum provocantur: qui propterea *risus Paschalis* dicitur; cui carnali oblectationi merito aptari possit Eccles. 1. vers. *. dixi risui &c.* quique ex eodem autore est, ex quo deaster Græcorum Deus γέλως, cjusdemque templa, simulacra, festa, ludi anniversarii. Vide de risu Paschali *Epistolam Oecolampadii* apud *Hospinianum de Festis pag.* 74. Et de Deo risu Gentilium *lib. de Festis Gentil. pag.* 151. De duobus festis seu ritibus Belgarum dubito, unus est Kalendarum Aprilis, alter amissus dies lunæ. *Priori die* homines solent quoscunque possent, imprimis servos, bajulos, aliosque operarios sive literarum ignaros, sive de Kal. April. minimè cogitantes, mendaciis decipere, eosque nuntio, aut epistolâ, aut sarcinâ aliquâ onustos, ad notum quem amandare, qui deceptione intellectâ ad alium amandabat, & hic rursus ad alium; donec post multas itiones & reditiones delassi & fraude animadversâ, aut ab aliquo ipsorum miserto indicatâ, desisterent. Originem hujus pessimi moris hactenus scire non potui. Apud Romanos Gentiles nihil invenio quod lusum hunc sapiat: Venus enim à matronis & puellis tunc colebatur: uti observat *Lipsius in Epist. centur.* 5. *miscell. epist.* 56. An apud Belgas in Gentilismo existentes mos hic inoleverit, quave occasione quo fine non constat. Suspicatus sum aliquando, forte lusu hoc mimico respici Christi missionem ab Annâ ad Cajaphm, à Pilato ad Herodem, & vice versâ, ejusdemque tanquam fatui coram Herode derisionem. Quem enim ita mittunt, exsertè tanquam fatuum aut stolidum aliò mittendum commendant. Formula vulgaris erat: **sendt den Geck voort.** Et hinc nostratium diverbium. **De eerste dach van den April/ Men sendt de Gecken daer men wil.** *Alter* dies Belgicè dictus **verlozen Maandach**/ id est, *amissus dies Lunæ*, proximus scil. dies Lunæ post festum trium Regum, & hic & in partibus Brabantiæ notus est. Observavi alicubi sodalitatem bajulorum domatim munuscula à civibus petiisse, quæ illo & sequentibus diebus in geniales epulas & compotationes impenderent. Quæ sit origo, Ethnica an Papistica, quæ occasio, quis usus hujus diei peculiaris, quæ hujus nominis

minis etymologia, diu & sæpe quæsivi: sed hactenus nihil inveni, quod satisfaciat. Sunt qui conjectant scribendum esse Flozen-maendach/ à Deâ Florâ. Sic *Balduinus Ronsæus* quondam Medicus Goudanus *Epistol.* 23. Sed Floralia in mensem Majum apud Romanos incidebant. Et illa retinet ac refert apud Belgas festivitas Kalend. Maji, sertis, floribus, plantatis arboribus, choreis, cantibus celebrari solita. Alii putant dicendum verkozen Maendach/ quod Magistratus in multis locis Belgii tunc eligatur. Alii, verswozen aut geswozen Maendach/ quod tunc in Magistratum electi, juramentum præstent. *Kilianus in Etymologico Belgico*, sentit diem illum dici verlozen/ id est, *amissum*, aut *perditum*, quod conviviis, lusibus, jocis perdatur: unde & Sicambris taes-Maendach dicitur. Quæ opinio mihi maximè probabilis.

III. Ad omnia ergo illa idolothyta & ἀρχαῖα ex Gentilismo aut Papismo relicta, omnibus speculatoribus diligenter attendendum: ne se vanitatibus illis immisceant, aut suos immisceri sinant, imprimis ne ex ignorantiâ aut perverso zelo illas tueantur.

ADDENDA.

PAG. 22. Ubi de Casuistarum in Papatu perversis determinationibus. Adde, Confer supra *pag.* 5. & junge testimonio Sorbonæ, *libellum anonymi* in 4o. an. 1645. editum tit. *Theologia moralis Iesuitarum contra bonos Christianorum mores in genere.* Ubi flosculi ex *Azorio, Imm. Sa, Celloto, Thomâ Zanchez, Laymanno, Garassio* &c. Imprimis ex *Stephani Bauny*, Mosonensis *theologia moralis* (quam invenio *à SS. congreg. indicis libr. prohibit*, Romæ 26. Octobr. 1640. esse prohibitam) exhibentur. Imprimis hic ingenuum judicium *Andr. Canonheri* theologiæ & medecinæ Doctoris de theologis Casuistis & Canonistis suis asserentibus puellam sine violatione pudoris absque miraculo concipere posse, quod exstat lib. 1. commentar. medico-politicor. ad aphorismos Hippocratis pag. 427. *Navarrum more Iureconsultorum consilium petenti favere voluisse; jurisperiti enim ut amicis clientulis faveant, omniaque ad rem facere videntur, perlibenter accipiunt.* Sic ille de consilius celeberrimi illius Casuistæ, qui Papæ pœnitentiarium egerat.

Pag. 108. Ubi de superstitione circa aves, Adde etiam circa ova & ovorum testas Unde & antiquus mos, qui alicubi adhuc obtinet, testas evacuatas confringendi, antequam à mensâ tollantur: ne scil. quid maligni aut infausti iis peragatur.

Pag. 109. Ubi de cereis & luminaribus, Adde cereum paschalem

de cujus benedictione, ex noſtris *Hoſpinianus libr. de feſtis fol. 67.*

Pag. 109. & 120. Ubi de *pane*. Vide *Caſaubonum ad Athenei lib.* 3. *tit.* ἄρτοι.

Pag. 110. Adde hic ſuperſtitiones circa ſal, quod Gentilibus ſacrum, *Homero* dictum divinum *Iliad.* 1. *verſ.* 214. *Platoni in Timæo* θεοφιλές. Occaſione ſuperſtitionis deſumtâ ex ejus neceſſario uſu tum in vitâ communi, tum in ſacrificiis legis ceremonialis (Vide *Marci.* 9. *v.* 49.) Unde deflexa Gentilium falſa pſeudo-ſacrificia. De quibus *Plinius lib.* 31. *cap.* 7. *Atheneus lib.* 14. *cap.* 93. & *comment. ad Horatii lib.* 3. *odam* 23. Hinc etiam ominoſum erat ſalinum in mensâ ſubverti.

Pag. 113. Ad ſuperſtitiones veterum Gentilium circa dierum diſtinctiones, itinera, domeſtica negotia &c. Enotari poſſunt ex *Characteribus Theophraſti cap.* περὶ δεισιδαιμονίας, ſumere laurum in os, Si felis viam transcurrerit non progredi niſi prius quis tranſiverit &c. Ex interprete ſignorum quærere quid facto opus, ſi mus ſaccum farinâ repletum perfoderit. &c.

Pag. 114. Adde imprimis *Copto prodromo ejuſdem* arduum opus *tit. Oedipi Ægyptiaci*, quod nuper nactus perluſtravi.

Pag. 120. Confer de adulatione & idololatriâ politicâ *peculiarem tractatulum Iohannis Fileſaci* theologi Pariſienſis. Et *ſcriptum anonymi* editum an. 1635. tit. *ſcriptorum Galliæ maledicentiæ & adulationes impiæ.* Certè à vero in omnibus non aberrat: ſed forte alio faſtu faſtum conculcat, quiſquis eſt, ſtudio æmulæ domus nunc in Europâ celſiſſimæ. Excerpit maledicentias & adulationes impias in quatuor libris cum approbatione & privilegio Lutetiæ editis, tit. 1. *Palmæ regiæ invictiſſ. Ludovico* XIII. *&c. Ex præcipuis noſtri ævi poëtis in trophæum erictæ.* 2. *Epinicia Muſarum eminentiſſimo Cardinali duci de Richelieu.* 3. *Le Princeſſe Royal &c. par le plus celebres Eſprits de ce temps.* 4. *le ſacrifice des Muſes au grand Cardinal de Richelieu.*

Pag. 120. Ubi de obſervantiis vulgaribus in Chriſtianiſmo Papali, adde, Eas domeſtici ipſorum ſcriptores enumerant, *Rovenius* pſeudo-Epiſcopus Ultrajectinus *lib.* 2. *de Republicâ Chriſtianâ cap.* 40. & *in appendice ibid. Polidorus Virgilius, Iohannes Aubanus, Chavaſsius &c.* infra *pag.* 124. citati.

Pag. 125. Ubi de eclipſi, Confer 2. *partem ſelect. diſp. tit. de ſignis.* Memini me alicubi legiſſe, *R. Aben-Ezra in comment. ad Ioëlem cap.* 2. & 3. Eclipſes inter ſigna prodigioſa enumerare. Sed nihil tale apud ipſum occurrit. Ad *c.* 2. *verſ.* 10. Obtenebrationem illam futuram dicit per & propter locuſtas. Et *cap.* 3. *verſ.* 20. exponit, de obtenebratione ſuper hoſtes.

ſtes. Rectè *R. David Kimchi ad cap. 2. verſ. 10.* Omnia hæc parabolicè ſignificare gravitatem afflictionis: ſic eſſe morem ſcripturæ, ut *Ieſa* 13. &c.

Pag. 125. & 129. Ubi de ſuperſtitioſis curationibus, Adde vanam obſervantiam in agro Omlandico & vicinis Weſtphaliæ aliiſque partibus notam, in hiſce partibus hactenus (quod ſciam) inauditam, circa morbum hominum ac jumentorum vernacule dictum manſlach: quem oriri putant ab aliquo homicida illac prætereunte, & adhibitis matutinis homicidæ preculis aliiſque nugacibus ſuperſtitionibus præveniri aut curari. Totius rei antehac nobis ignotiſſimæ indicium fecit *peculiaris libellus* de eâ editus à Cl. *Deuſingio* Medecinæ in Acad. Groning-Omlandicâ Profeſſore. Confer de morbis maleficis & ſuperſtitioſis curationibus *Caſauboni comment. ad Perſii Satyram* 5. ad *verſ. Incuſſere Deos* &c. *Prædictum ter mane caput guſtaveris alli.* Et quæ infra notamus in *diſp. de magiâ.*

Pag. 130. Adde ad prædicamentum *Quando*, Quod die cœnæ domini pœnitentes recipiuntur: de quo *Durantes lib.* 6. Et de ludicris hujus receptionis ceremoniis *Chemnitius* 4. *part. Examinis tit. de Indulgentiis, pag.* 120. edit. in 8o. Eodem die olim captivi liberabantur in memoriam ſcil. Chriſti ad crucem traditi. De quo *liber de Cardinalibus Chriſti operibus*, qui exſtat *in Operibus Cypriani*, ſed fallò ei adſcriptus: uti rectè obſervat *Caſſander in commentar. ad Hymnos eccleſiaſt. pag.* 226. Adeo ut fruſtra in contrariam opinionem inclinare videatur *Pamelius*, aut ſaltem ſcriptori contemporaneo dictum librum vindicare. Quomodo enim tunc carceres illo die patuiſſent (uti aſſerit *ſcriptor ille*) in memoriam Chriſti crucis fixi, cum principes nondum eſſent Chriſtiani? Ex noſtris *Beza homil.* 18. *in paſſionem* cacoëthes illud perſtringit, quo in Galliâ ſceleratiſſ. facinoroſi reſervari ſolent in magnum diem Veneris, eique venia millies à Rege reculata per confeſſarium ipſius, in honorem ſcil. dominicæ paſſionis extorqueri. Confer. *pag.* 116. & 127. Ubi memini veniæ facinoroſis datæ.

Pag. 136. Ubi de ſigno crucis oſcitantibus adhibendo. Adde, *Raphael de la Torre* theologus Dominicanus *in tract. de poteſtate eccleſiæ coercendi dæmones diſp.* 25. refert vulgarium judicium eſſe dæmonas obſidentes per os ingredi, quod firmari poſſet conſuetudine fidelium cruce os munientium, quo dæmoni facultas illac introëundi auferatur. Hanc opinionem, quippe ſubnixam falſæ hypotheſi dedæmonum corporeitate, ipſe *ibidem* rejicit: nec tamen ob id negare ſe dicit, dæmonem ſæpe per os obſeſſorum intrare atque exire, neque ſe improbare ſed potius laudare conſuetudinem cruce ſignandi os. Atqui improbare debebat, ſi candidè ſuam ſententiam de potentiâ intrandi per omnes corporis poros, etjam ſolidiſſimas partes, tueri vellet.

Pag.

Pag. 136. *lin. penult.* Ubi indico *Gregor. M.* moneo, me, cum theſes an. 1640. ſcriberem, ex *Stradâ*, quem tunc commodato acceperam ab amico, aut ex alio quo Pontificio (ni fallor) ſcriptore enotaſſe *Gregorii dial. lib.* 4. *cap.* 36. Cum nunc denuò confero, nihil illic de peſte deprehendo (ſaltem in edit. meâ, quæ eſt Pariſienſis anni 1540.) ſed *lib.* 3. *Epiſtol. cap.* 2. Inſertum ſermonem tempore mortalitatis, quo monet plebem, ut diviſim ſeptem faceret litanias. Sternutationis autem & oſcitationis letalis non meminit, nec moris illius hâc occaſione introducti: ne quidem meminit ejus, ubi locus erat, 33 *lib. in Iobum cap.* 31 *verſ.* 9. §. 34. Ibi enim deſcribit ſternutationem.

Pag. 136. *lin. ult.* Ubi adduco *Fam. Stradam.* Confer *autores pag.* 135. *cit.* qui ad Gentiles ſuperſtitiones morem hunc referunt. Inter eos *Mizaldus in centur.* 3. *memorabilium* §. 61. exſertè ait originem non ad tempora Gregorii M. ſed ad antiquos Gentiles referendam. Imprimis hic audiendus Baronius ad an. 590. §. 25. *Non poſſumus non confutare errorem, qui nullâ veterum teſtificatione vulgo jactatur, ex hoc tempore ſcil. cum peſtis ingrueret & homines morbo tacti ſternutando, mortui caderent, piè introductum ut ſternutantem quemlibet ſalutemus* &c.

Pag. 137. Ubi citatur *Polydorus Virgilius*, adde ex *Durante lib.* 6. *Rationalis tit. de rogationibus*, à Gregorio M. litaniam majorem fuiſſe inventam, quæ *Romana* ſeu *Gregoriana*, *cruces nigræ*, *ſeptiformis*, dicitur. Cauſa hujus inſtitutionis fuit peſtis inguinaria, quæ tam ſæva erat ut homines ſubitò perimeret, & *quod ſicut dicitur* (ſunt verba Durantis) *cum aliquis ſternutabat, ſæpe ſpiritum emittebat. Unde cum aliquis ſternutabat, audiens ſtatim accurrens dicebat*, te Deus adjuvet, *& abinde ut dicunt hodie adhuc conſuetudo ſervatur* &c. *Rurſum ut fertur cum tunc aliquis oſcitabat frequenter ſubito ſpiritum emittebat. Unde cum aliquis ſe velle oſcitare ſentiebat, continuo ſignum crucis ſibi imprimere feſtinabat, quæ conſuetudo ſimiliter uſque hodie ſervatur. Gavantus* ſummam dictorum ex Durante refert. *tom.* 1. *theſauri ſacrorum rituum part.* 4. *tit.* 11. *pag.* 275. adjectis his verbis: *Sed Baronius* (ad. ann. 590. §. 25.) *haurit à Plinio lib.* 28 *hiſtor. natur. ritum ſalutandi prædicto modo ſternutantes.* Ex noſtris eandem hiſtoriam abſque ullo dubitationis aut cenſuræ indicio recenſet *Ioh. Forbeſius lib.* 3. *Inſtructi hiſtorico Theol. cap.* 30. ex *Suffrido preſbytero Miſnenſi lib.* 1. *ſuæ epitomes chronolog.* Sed autor ille remotior à tempore Gregorii M. (floruit enim an. 1307.) quam ut illius teſtimonium hic aliquid valere poſſit ſupra *Durantis*, & ſimilium.

Pag. 139. Ubi dico non fingendas rationes moris illius contra phyſicam & medecinam. Adde ex *Knoblochi* medici Onolſbacenſis *inſtitut. ana-*

„*anatom. disp.* 15. vulgò dici, sternutamentum esse bonum effectum ex ma-
„lâ causâ: expelluntur enim vapores aut humores, qui genuerunt mor-
„bum vel gignere possent, nisi expellerentur; ut dolores capitis, gravedi-
„nem, catharrum, lethargum, epilepsiam, apoplexiam, & similes. *Ibidem*
„causam assignat, cur sternutantibus bene precari solemus, quod periculosa admodum futura sit cerebri à retentâ inutili materiâ obstructio.

Pag. 155. Ubi de celebratione natalium. Observa *Bellarminum lib.* 4. *de amissione grat. & statu pecc. cap.* 7. Inter rationes probantes peccatum originale, septimam desumere ex diverso sensu sanctorum & Ethnicorum in natalitiis hominum. Quorum illi natales dies magnâ cum celebritate celebrabant. *Genes.* 40. *Matth.* 14. & passim in historiis. Isti contra diem suum ob peccatum originis deplorabant *Iobi.* 3. *Ierem.* 20. Unde & Abraham celebravit ablactionem Isaaci, non nativitatem. Quam solida sit hæc ratio, hic non disquiram. Confer infra *disp. de Festis.*

Pag. 200. Ubi de nomine Jehoshuah abbreviato; adde, Nihil magis familiare ipsis Judæis in propriâ suâ linguâ, quam nomina propria contrahere ut *Iehuda* in *Iuda*, sic unus idemque *R. Iose* promiscuè dicitur filius *Iehuda* & *Iuda*, in *Thalmud Hierosolymit. Cod. Demai* fol. 22. Sic etiam *Schab.* fol. 4. & *Iom. Tobh.* fol. 62.

Ibid. Ubi indico *Schickhardum in Tarich*, Adde ante Schickhardum à *Sebast. Lepusculo* hebraicæ literaturæ Professore Basilieensi an. 1559. *in epistolâ dedicatoriâ ad Ertzbergium* præfixa *Iosippo Hebr.* lat. in 8. (quam etiam *Goldastus* inseruit *centuriæ epist. philologic.*) probatum esse, discipulum illius Jehoshuah fil. Perachiæ dictum *Ieschu Hannozeri*, de quo tam turpia *in Thalmude* & *Iosippo* referuntur (quod de adulterâ natus idololatra, magus, legis subversor) non esse nostrum Jesum Christum, sed alium quem, qui fuit regnante Hircano Machabeo, hoc est, 110. annis ante præfecturam Pilati, sub quo Christus passus est.

Pag. 232. Ubi indico scriptores artis Cabalisticæ, adde *Kircherum tom.* 2. *Oedipi part.* 1. *Class.* 6. quem post hæc excusa demum nactus sum.

Ibid. de cabala nominis Jesu adde, non esse à nobis quærenda mysteria cabalistica, quæ Judæis opponamus: nisi forte ad hominem illis in cabalâ blasphemias suas quærentibus, cabalam benedictionis vicissim opponentes, vanitatem cabalæ ostendere velimus. *Kircherus loc. cit. cap.* 7. docet omnia mysteria in nomine Jehova à 4. *cap. usque ad* 7. explicata, contineri in nomine Jesu. Si nihil aliud voluit, quam quod diximus, valeat quantum potest: sin quid ultra, nolimus talibus inaniis divinam scripturæ & fidei nostræ veritatem ludibrio hostium exponi.

Pag. 245. Ubi adduco testimonia antiquorum contra idololatriam indi-

rectam. Adde eorundem dicta contra sacrificia, & idolothyta, *Irenei adv. hæreses lib. 1. cap. 1.; Origenis in Matth. 15. & lib. 8. c. Celsum; Minutii Felicis in Octavio, sub finem; Cyrilli Alexandr. l. 7. c. Iulianum; Cyrilli Hierosolymitani 4. Catech. Augustini. lib. 32. c. Faustum Manich. c. 13. & epist. 154. ad Publicolam; Chrysostomi in 1. Corinth. 8. Procopii in Iesaiæ 22. Concilii Agathensis c. 40. Gangrensis c. 2. Primasii in 1. Corinth. 10. Leonis 1. in epist. ad Rusticum, & in epist. ad Nicetam Episcopum Aquilejensem.*

Pag. 248. Ubi noto *Calendarium*. Confer intra *disp. de Festis, in appendice, de Computo & Calendario.*

Pag. 249. Vbi adduco *Clementem constit. Apostol. lib* 7. Moneo me ad hominem pseudepigrapha illa ad partes vocare, neutiquam vero ex meo sensu; qui doleo Pontificios, aliosque ἀρχαιομαιοῦντας non sine fastidio scripturæ siliquis illis pasci & pascere.

Pag. 251. Ubi ago de superstitionibus nominalibus, hic adde *autoribus citatis, Athan. Kircherum in Oedipo Ægyptiaco tom. 2. part. 1. classe* 4. Una hic observa, superstitiosè creditum veteribus Nomina propria rerum & personarum boni aut mali quid adferre aut portendere *In thesauro critico Gruteri tom. 4. pag.* 3. Cujus opinionis vestigia subinde apud homines deprehendas.

Pag. 274. Ubi refero Pontificiorum disputationes pro precatione ad orientem, & restrictionem *Hosii ad publicas preces* adde *Lorinum in Levitic. 14. vers. 16. Corn. à Lapide in Matth. 27. vers. 34 39. Bolduc de ecclesiâ post legem cap. 14 pag. 97. Cosmas Magalianus* Jesuita *in commentar. ad 1. Timoth. 2. sect. 4. annotat.* 4. postquam probasset antiquos diligenter hanc ceremoniam observasse, subdit. §. 15. liberam hodie esse in omnem cœli plagam conversionem, postquam *Leo serm. 7. de nativit.* sustulisset superstitionem, inclinationem scil. ad orientem solem quæ hâc occasione in nonnullos clanculum irrepserat. Vbi duo miror; quod absolutè dicat hodie esse liberum, cum in precibus publicis non sit liberum: & quod adducat verbis Leonis rationem mutatæ illius antiquæ ceremoniæ, desumtam à periculo & occasione superstitionis. Certe eâ ratione admissâ, uti nos eam urgemus, jam ipsi tenentur αὐτοκατάκριτοι, qui omnes rancidas ceremonias superstitionum matrices ac nutrices mordicus retinent ac defendunt; quin & meliora monentes crudeliter persequuntur.

Pag. 275. Vbi indico nostros determinationem Pontificiam pro precatione ad orientem rejicientes, adde *Heraldum in comment. ad Tertull. apologet. c. 16. & Ger. Ioh. Vossium lib. 2. de idololatriâ cap.* 3. cujus ratio notanda, Quod dicant ἀσύστατα. Si enim orandum versus eam plagam unde sol nobis oritur, & versus plagam ubi paradisus, & versus eam plagam, ubi Chri-

Christus pro nobis passus, quomodo omnes Christiani per totum orbem eo se convertent? cum plaga quæ his ad orientem, illis ad occidentem sita sit. Si quis scire aveat historica de omnium populorum & sectarum situ in oratione, deque templorum constructione, is adeat *Seldeni lib. 3. de synedriis cap. 16. seu ult.*

Pag. 316. Vbi de Vincentio Cartaro. Adde, Ipse *Pignorius in epistolis, ad finem pag.* 221. nos docet *annotationes & additiones ad librum* Italicum *Cartari* Italicè a se scriptas.

Pag. 335. Cum dico nullum alium *fraternitatis Marianæ Sylva-ducensis libellum publicè* (typis scil. editum) *exstare*: adde nunc, me ante 2. aut 3. annos alium *libellum* latinum *ejusdem fraternitatis* excusum an. 1506. cum aliis Marianis libellis compactum in bibliothecâ meâ deprehendisse, sed ut antiquiorem ita contractiorem libello belgico; quem MS. arbitror ab *Augustin. Vichmans* ibid. à me citato designari. Hujus libelli indicium feci in *disp. de Confraternitatibus, politicæ eccles.* inserenda.

Pag. 369. Confer quæ post *Albaspinum de titulo & munere Asiarcharum ad illustrationem Actor.* 19. *vers.* 31. Disserit *Joh. Seldenus in marmoribus Arundelianis pag.* 163.

Pag. 445. Vbi numero aliquot templa Martino exstructa, Adde templum Lucæ ab Alexandro exstructum & personaliter ab ipso Româ illuc profecto dedicatum; cujus dedicationis memoria per octiduum quotannis ex constitutione Papæ celebratur. Ita *Baronius ad ann.* 1070. §. 27.

Pag. 454. Vbi de Martinalibus encæniis Ultraject. an. 1655. abolitis, Adde, an. 1658. universales & liberas nundinas in diem Mercurii, qui præcedit secundum diem Lunæ Mensis Julii, translatas.

Pag. 501. Vbi num. 2. de reliquiis, & num. 3. de patronatibus, adde Cuneram unam ex exercitu Ursulano, tanquam divam tutelarem & patronam anniversario festo 12. Junii cultam fuisse Rhenis, civitate hujus Provinciæ Vltrajectinæ; specialiter ejus auxilium quæsitum contra inflationem & dolorem gutturis: quod per reginam Rheni (quæ, qualis, quando, ubi fuit chimærica illa Regina Rheni?) strangulata fuerit manutergio, cum ex mactatione 11000 virginum elapsa esset. Ajunt dictum illud manutergium in Rhenensi ecclesiâ conservatum fuisse. Sic *Molanus in Natalibus SS. Belgii pag.* 115. ex *legendâ* latinè Lovanii & Coloniæ in infantiâ artis typographicæ impressâ. Sed scire velim quâ conscientiâ & prudentiâ, secutæ editiones legendarum usque in hunc diem, ut & martyrologia, & hagiologia Romana, martyrium hujus Cuneræ præterierint? Cur solus *Molanus* ejus meminit? Cur *Fr. Haræus* Ultrajectinus *in vitis sanctorum* an. 1590. editis ejus non meminit? Et cur eam inter martyres numerant magis, quam quoscunque alios qui sive justè sive

injustè (non tamen propter fidem Christi) occiduntur? Fama seu fabula popularis fert eam zelotypiâ uxoris cujusdam Haymonis, apud quem vivebat, fuisse interemtam. Ita notat *Buchelius ad historiam Hedæ pag.* 185.

Ibid. Ubi num. 2. & 5. de refugio & orationibus ad sanctos chimæricos, Confer, infra *pag.* 510. 511. Et *tract. nostrum de peste cap.* 5. Possent etiam formulæ precum ad Christophorum & Georgium, ex antiquis breviariis, rosariis, horis canonicis, litaniis exhiberi, si operæ pretium esset; & jam exhibitæ sunt. Vide inter alios *Lancelotum* episc. Elienſem in *opusculis, in responso ad* 20. *cap. Perronip.* 58. Quin & hodie nihil tam absurdum est, quod non defendant, quidquid plebis superstitio somniaverit. *Non est superstitio per excessum sanctos colere. Et, Notanda & practicè observanda regula, ut scil. quæ consuetudine, aliove probabili fundamento nituntur & conducunt ad excitandam pietatem ac devotionem fidelium, non improbentur & negligantur, sed laudentur & exerceantur.* Sic Bresserus lib. 6. de conscientiâ cap. 22. p. 701. Paulo ante dixerat, *privato cultu posse coli quoslibet*, etiam non Canonizatos, aut beatificatos, *qui prudenter tales creduntur.* Si hoc prudentiæ & credulitati plebis committitur, quæ ergo necessitas canonizationis?

Pag. 503. 504. Ubi de Catharinâ, Adde, *Iacobus Marchantius in opusculis pastoralibus opusc.* 3. *à p.* 205. *usque* 213. Legendam ejus concionatorie pingit, amplificat, & applicat. Conferri possunt *vulgares libri sermonum de sanctis. Cassander cit.* non tantum *in scholiis ad hymnos, & in epist. ad Vulcanium p.* 1093. sed etiam in *epistolâ ad Molineum* Professorem decretorum Lovanienſem (quæ est 14. *pag.* 1094) in Catharinæ fabulâ causam Romanam plane desperatam facit; ibidemque provocat ad cujusdam *Clopperi Florarium*, & *Gobelini Personæ cosmodromium.*

Pag. 504. Ubi de Christophoro, Adde, *Iacobus Boulduc* theologus Cappucinorum *lib.* 1. *de ecclesiâ ante legem cap.* 9. dicit martyrem hunc in templis giganteæ magnitudinis imagine pingi *ob ejus eximiam virtutem insignemque animi fortitudinem, quæ sub tali symbolo graphice repræsentatur.* Et hujus sententiæ suffragatorem facit *Baronium in martyrologio.* Quin & scripturam affatim subministrare defensionis, cum viros magnæ & giganteæ sanctitatis vocat *gibborim*; quæ vox aliquando pro portentosæ molis corporeæ hominibus accipi posset. Mirabilis sane argumentatio; cui conveniat illud καύχημα: *Scriptura*, inquit, *nobis subministrat affatim quod non solum hæreticis, sed cuilibet frigido & curioso Christiano quærenti cur in templis nostris S. Christophorus martyr sub tam proceræ & giganteæ magnitudinis imagine describatur &c.* Vox *gibbor* notat viros quasi virtute & sanctitate ad miraculum usque potentes. Eadem vox aliquando notare posset

por-

portentosæ molis homines. Ergo Christophorus martyr tantus gigas sanctitate & animi fortitudine, fidelibus adorandus & credendus proponi debet & jam sæculis aliquot rectè tum statuis tum sermonibus propositus & à populo creditus atque adoratus est tanquam gigas corporeus. Straminea hæc consequentia (aliam enim formare nequeunt) seipsam confundit; nec convenit explicatio hæc gigantum cum interpretibus ipsorum *Genes. 6. Deuter. 2. &c.* Quid quod omnes monstrosæ fabulæ Thalmudicæ & Alcoranicæ pari ratione defendi possent; & de facto ita defenduntur. *R. Lipman in suo Nizzachon num.* 112. Ubi occasione eorum quæ de gigantibus *Deuter.* 1. & 2. dicuntur, ostendit esse hyperbolas in scripturâ (1. *Reg.* 1.40. *Dan.* 5.1. *Iob.* 41. 11.) quibus defendit mysticas & hyperbolicas phrases ac narrationes Thalmudis, ibique Christianis ista ridentibus objicit: &c. הלא המה id est. *An non ipsi credunt hyperbolam* (seu hyperbolicam exaggerationem) *immodicam, cum dicunt quod Christophel* fuit *tam magnus, ut pedibus per mare transiverit.* Conferendi *Rabbini recentiores* qui de variis modis interpretandi scripturam commentantur. Inter recentiores *Muhammedanos Achmedum* autorem *Politoris speculi*, eodem effugio Alcoranicis suis succurrere colligimus ex antagonistâ ipsius *Phil. Guadagnolo.* Ipsum enim librum Achmedi hactenus non vidi; & nescio an typis editus sit. Conferri possunt, si vacat, de Christophoro, *Serrarius in Litaneutico lib.* 2. *Molanus de picturis sacris. Rovenius in Institut. Christianis pag.* 363.

Pag. 505. Ubi de Georgio; adde, Nuper nactus sum *Vitam Georgii* belgicè descriptam per *Henr. Costerium* Pastorem cathedralis ecclesiæ Antwerpianæ an. 1590. Ubi insulsam illam fabulam operosè nec minus ineptissimè defendit, & crudissimas contradictiones scriptorum conciliare conatur.

Ibid. Ubi de Longino, Confer 2. *part. select. dispp. tit. de perfosso latere Christi.*

Pag. 506. Ubi de Veronicâ adde, De eâ *Raynoldus lib.* 2. *de idololatriâ cap.* 3. §. 81.

Ibid. Ubi de septem dormientibus, Adde præconibus hujus fabulæ *Durantem lib 7. Rationalis fol.* 227. Eandem exhibet *Eutychius in annal. Alexandrinis tom.* 1. *p.* 531. & *Photius lib.* 253. ex Martyrio, utiloquitur, Somnum autem facit annorum 372. Pontificii si per allegoricos & symbolicos sensus se expedire velint; meminerint Alcoranum in præsenti aliisq; fabulis.

Pag. 525. Vbi de Bernulpho, Adde, *Heda in Histor. Vltraj* dicit eum pluribus clarere signis & virtutibus, & plurimos homines ad sepulcrum ejus confluere. Vide ibi *notas Buchelii.* Fateor usque ad annum 1556. se-

pulcrum seu locum sepulcri ab imperitis quibusdam mulierculis, fuisse frequentatum, illique impositos aut admotos infantes tabescentes (quos vulgò Machuticos appellant): sed de miraculosis curationibus nunquam audivi. Nec Pontificii in specie miracula antehac patrata enumerant: uti quidem in aliorum sanctorum miraculis evulgandis poëtæ & pictores ipsis non desunt. Ante biennium præter propter cum chorus templi Petrini, usque ad illud tempus pariete intergerino separatus (ubi Bernulphi sepulcrum) navi templo jungeretur, sepulcrum apertum fuit, & ex eo sublatæ reliquiæ ossis, cum baculo pastorali Bernulphi. Videbimus, an in posterum campos ubi Troja fuit, & ubi nunc reformati sedentes aut stantes verbo Dei pascuntur, seducti Pontificii tanquam refugium visitaturi sint.

Pag. 542. *lin.* 1. Ubi Bulengerum indico, nota me scripsisse quidem *De Theatro*, ubi *lib.* 1. *cap.* 7.—11. post editum *Lipsii amphitheatrum de admirandis structuris* agit; sed magis voluisse scribere *Bulenger. in eclogis ad Arnobium lib.* 2. *cap.* 3. Ubi miracula operum in Babylone luculenter ex antiquis autoribus describuntur. Nescio quâ oblivione, aut calami lapsu, priorem illum Bulengeri tract. posteriori subsituerim. Omnibus illis indicatis imprimis jungendus *Kircheri Oedipus Ægyptiacus* in quo pyramidum & obeliscorum aliaque stupenda Ægypti opera non sine admiratione & scientiæ historicæ incremento lustrari poterunt.

Pag. 552. Ubi de mactatis hominibus & ad sacra magica adhibitis, Adde autoribus citatis de Juliani ἀνθρωποθυσίᾳ, *Cedrenum*, *Viterbiensem*, *Vrspergensem*. Idem de imperatore Hadriano testatur, *Dio*, & de Heliogabalo *Lampridius*. De Valeriano per principem magorum Ægypti de-
„mentato sic *Eusebius lib.* 7. *hist. eccl. c.* 9. Impuras ceremonias obibat,
„profanas exercebat præstigias, execranda mysteria exequebatur, ma-
„&abat pueros miscellos, & liberos infelicium parentum exsacrificabat,
„tenera infantium dissecabat &c. Perinde ac si eo pacto omnes res pro-
„sperè & feliciter succederent. Porro de humanis hostiis in Gentilium sacris, extra formalem magiam, consulendi *Gyraldus de Diis*, *Stuckius de sacrificiis*, & compendio *Grotius in tract. de satisfactione contra Socinum cap.* 10.

Pag. 558. Ubi indico scriptores de magiâ antiquorum, Adde illis *Kircherum tom.* 2. *part.* 2. *Oedipi Ægyptiaci class.* 11. *& tom.* 3. *syntagm.* 1. Vbi Ægypti sacra magica aperit, ex quo ceu fonte perenni aliarum gentium magia & idololatria derivata est.

Pag. 560. Vbi de Trithemio, Adde, invenio in *bibliothecâ Phil. Alegambe* Jesuitam *Tannerum orationes apologeticas pro Trithemio* scripsisse.

Pag.

Pag. 569. Vbi indico scriptores philosophos & philologos, Adde imprimis *Kircherum in Oedipotom. 2. part 2. classe* 11. & *tom. 3. syntagm. 1.* magiæ Ægyptiacæ mysteria pandentem.

Pag. 584. Vbi de Wagenaer & toparchâ Leerdamensi per dæmonem ablatis, nec unquam postea conspectis, Adde celebrem magum Wenceslai regis Bohemiæ nomine Zytonem à dæmone sublatum, apud *Camerar. cent. 1. cap.* 70. Et alium quem *ibid.* ex *Pico de prænot. lib. 5. c. 9. & Wiero lib. 2. de præstigiis cap.* 4. *Ibid. ex Siffridi presbyteri epitome chronici lib.* 11. refertur juvenis quis à dæmone parieti illisus & exstinctus. *Wierus lib. 2. c.* 4 interalia quædam exempla adducit, ut sacerdotis magi in spelunca an. 1530. oppressi; & Comitis Matisconensis multis spectantibus per aëra ter circum urbem Matisconensem velocissimè vecti & miserabiliter auxilium civium inclamantis, atque ita avecti, ut nunquam postea conspectus fuerit. *Manlius in locis commun. ad 2. præc. pag.* 192. Narrat exemplum mulieris diras execrationes proferentis & multis spectantibus in aëra subductæ postea in vicinam uliginem præcipitatæ: ubi ab hominibus accurrentibus mortua obtorto collo inventa est an. 1551. Idem *ibid. pag.* 193. in civitate quâdam Saxonicâ hospitem pejerantem in judicio à diabolo causidici specie causam militis agente comprehensum, & per fenestras ac medium forum cum fragore abductum, nec postea corpus ejus unquam inventum. *Idem loco de creatione pag.* 38. refert de Joh. Fausto (quem novisse fedicit) Venetiis in aërem subvecto, & terræ allisso, ut pene examinatus esset, qui tamen tunc restitutus fuit. De eodem *ibid.* narrat quod ante paucos annos (sic loquitur *Melanthon*, aut *Manlinus* collector: quorum ille an. 1560. obiit, iste an. 1562. *locos comm.* edidit) in pago quodam ducatus Wirtenbergensis, cum mediâ nocte domus quassata fuisset, ipse circa meridiem ab hospite in conclavi suo prope lectum inventus sit facie inversâ mortuus. Eodem modo infelicem ejus exitum referunt *Wierus* & *Camerarius loc. citt.* Memini tamen in historiâ de Fausto editâ longè pluribus & paulo aliter exitum ejus describi. Quidquid sit, saltem, ex iis quę notavimus, satis constare arbitror ad mythologias & romancas (ut loquuntur) Fausti personam, gesta magica, & tragicum exitum rejicienda non esse: utì òinclinare videtur *Naudeus.* Præstitisset si de suorum legendis & sanctis chimæricis tale quid ad minimum suspicatus fuisset.

Pag. 588. Vbi actus canonizationis explicantur, Adde, Pontificii vulgò ad 12. actus hic requisitos revocant. Ex JCtis *Muscardus lib. 1. de probationibus concl.* 262. §. 58. Ex canonistis *Troilus Malvenius in tract. de canonizatione dub.* 4. Ex theologis *Graffius part. 2. lib. 2. cap.* 13. §. 41. & *seqq.* Nos actus ita divisimus & subdivisimus, ut intelligentiæ

tiæ & memorię consuleremus, omnes tamen complecteremur.

Pag. 607. Ubi de geniis, adde de iis differentem *Camerarium centur.* 2. *cap.* 14.

Pag. 609. Ubi de genio Calvini, *Corn. à Lapide* probaturus (*ad* 2. *Petr.* 2. *vers.* 4. *pag.* 369.) hæreticos esse similes dæmoni, inter alia scribit: „ Calvinus Buccro objicienti sibi studium convitiandi & maledicendi re- „ spondet epist. ad eundem, *hunc esse morbum sui non tam ingenii quam genii*, „ utique mali; se enim à genio quodam impelli, ut sive scribat, sive con- „ cionetur assidue maledicat & convicietur.

Sed hunc commentarium lapideum & calumniatorium, hoc est, diabolicum, quomodo ex verbis Calvini probabit? Et confectores indicis, unde probabunt suum, *Calvinus habet familiarem dæmonem.* Cur non eâdem philologiâ & logicâ archiepiscopo Colonienſi, & Cardinali Ossato suos familiares spiritus adscribit? Illi enim *Delrio*, huic *Feuardentius* genium tribuit, immo per eum obtestatur; quod analogum est juramentis Gentilium per genium Cæsaris. Hæc enim ejus verba in dedicatoriâ Theomachiæ Calvinisticæ an. 1629. Coloniæ sumtibus Cholini in 4to. *Vt susciptas, itidemque sis propugnator & patronus perpetuus, te per Genium,* (nota scribi illic literâ majusculâ G. quod Calvinus non fecit) *tuum, te per istam purpuram; te per assiduissimam opellam istam, quam Pontifici summo, Romæ navas, aro, obsecro, obtestor, alme Cardinalis.* Adde *Marsilii Ficini* theologi Pontificii verba *in dedicatoriâ ad Cardinalem de Medices* præfixâ theologiæ mysticæ Dionysii dicti Areopagitæ: *cum me genius meus semel interpretandis Platonicis destinaverit.*

Pag. 610. *lin.* 5. Ubi mentio diœcesis Trevirensis, Adde ex *Cracepolii* minoritæ Colonienſis *libello de hæreticis Germaniæ, post literam* 2. Ubi de „ maleficis *pag.* 230. Quod audiamus in quibusdam locis veneficia & in- „ cantationes tantum invaluisse, ut quibusdam ludus esse & res levis vi- „ deatur &c.

Paulo post conqueritur quod in diœcesi Trevirensi malignus spiritus „ videatur sibi sedem fixisse, ibique non tantum mulierculas, ac puellas, „ sed & ipsos viros graves, senio confectos, eruditione spectabiles induci „ &c. Immo & pagos integros in eâ provinciâ seduci.

Ibidem subdit, insignem quendam & magnæ apud Episc. Trevirensem autoritatis virum Doctorem Flat, & duos sacerdotes (quorum alter canitie venerandus), & virum quem senatorii ordinis vivicomburii pœnas luisse. In episcopatu Herbipolitano (*Wurtsburch*) & vicinis locis simile quid circa annum 1630. evenisse conqueritur *Micrælius in syntagm. histor. ecclesiæ pag.* 1022. Disce præterea ex *Sprengero* & *Institore autoribus* mo-

mallei maleficarum, *Binsfeldii* suffraganei Trevirensis *tract. de confessionibus maleficiorum*, *Vairo* insuper & *Laymanno* & similibus *scriptoribus de magiâ*, quantus magorum in Papatu semper fuerit proventus.

Pag. 624. Ubi de Alberti M. statuâ loquente, Adde, autoribus Pontificiis *Delrio* & *Baranzano*, *Tostatum* episcopum Abulensem *in comment.* „ *ad Genes.* 31. ubi sic de *teraphim*: Erant quædam capita ex metallo in „ quodam certo tempore, & sub certis siderum aspectibus & conjun- „ ctionibus planetarum facta; ut inde virtus à cœlo derivaretur in illud „ caput, fieretque potens respondendi consulentibus & interroganti- „ bus ipsum: idque fiebat partim per astrologiam & partim per necro- „ mantiam. Fecit hujusmodi caput Albertus M. de ordine prædicato- „ rum quod discipulus ejus S. Thomas quodam die confregit. Hæc verba Jesuita *Kircherus* (forte eodem affectu, quo *Delrio*, erga ordinem Dominicanorum) ita exhibet in celebri opere *Oedipi Ægypt. tom.* 1. *syntagm.* 4. *cap.* 3. *p.* 256. Adjicit tamen (an schemate aut simulacro quodam, alii judicent) *Sed fabulæ sunt, quæ dicit de Alberto.* Cui ergo bonæ rei verba illa exhibet, an ut Alberto M. & in eo ordini prædicatorum, an vero ut Episcopo Tostato autoritatem & gloriam conciliet? Et cur lector magis credat Kirchero, quam Tostato, tantæ dignitatis & autoritatis viro? Et quidsi Dominicani eâdem facilitate negent, quæ Delrio de Jordano, de Catharinæ Senensis visionibus, de Magdalena de la Cruz, de prædicatoribus Bernensibus anno 1507. dilquisitionibus suis inserit; in honorem scil. ordinis prædicatorum.

Pag. 641. Cum tango barbariem Papatus, Adde, specialiter barbaries se prodit in ridiculis vocum lat. & gr. etymologiis, & perversis acceptionibus passim apud theologos, & in dictionariis *pag.* 685. indicatis, quibus tunc utebantur. Nec post renatas bonas literas malum illud ita emendatum est; ut barbaries de clericatu Papali (saltem quod ad potiorem partem) negari queat. Vide modo *dictionarium Theologicum Ioh. Altestaig* editum primo (ni fallor) Antwerpiæ 1577. & postea Venetiis an & alibi nescio, ac postremo Coloniæ anno 1619. recusum.

Pag. 692. Adde, Disputationi secundæ de doctâ ignorantiâ subjici possunt hæc problemata *I. Probl.* An docta ignorantia sit & rectè dici possit affectata & quidem inculpabilis? *Resp. Aff. cum Dist.* 1. *Absolutè* quod ad objecta non scibilia, aut quod ad modum sciendi non possibilem, nec voluntatem nec velleitatem ea sciendi habemus, quæ nunquam sciemus, nec scire possumus: ut e. gr. Deum comprehendere aut cognoscere per essentiam, & adæquatè, sicuti est. Aut omnia præsentia, præterita, futura nosse in Deo tanquam in speculo. Memores simus tentatio-

nis & seductionis Satanicæ Genes. 3. *aperientur oculi vestri & eritis sicut elohim* 2. *Hypotheticè*, quamvis in genere velleitatem & desiderium, non tamen voluntatem habemus aut habere debemus sciendi ea, quę pro statu hujus vitæ sciri non possunt, quæque Deus verbo suo noluit revelare. ut e. gr. de die judicii *Marc.* 13. *vers.* 32. cum *Actor.* 1. *vers.* 4. Et sic in genere, nolumus *sapere supra id quod scriptum est.* Et nolumus in hâc vitâ τὸ πλέον, & videre de facie ad faciem & cognoscere sicut cogniti sumus: hoc est, absque verbo externo, sacramentis, ecclesię institutæ communione. II. *probl.* An τὸ ἄγνωστον seu τὸ non cognoscibile sit objectum intellectus nostri cognoscentis an vero non-cognoscentis. *Resp. dist.* conceptus est *vel* objectivus *vel* formalis. Ille etiam est entis rationis, seu imaginarii, & puri nihili, & cujuscunque intelligibilis, de quo conceptus negationis formari potest. Hic est ergo mensis nostrę in talibus processus. *Primo* directè fertur in ἄγνωστον intelligibile, quatenus objicitur tanquam possibile in esse, saltē in concipi; & media disquisitionis per discursum aut per autoritatem adhibere conatur. *Secundo*, cum nihil tale invenit, aut inveniri posse deprehendit, quiescit & sistitur altitudine veritatis aut scibilis occulti, seu non-scibilis. *Tertio* reflexive cognoscit & perspicit suam privationem scientię quod ad illud intelligibile, hoc est, ignorantiam. *Quarto* in hâc evidenti cognitione mens acquiescit, & ab ulteriori disquisitione cessat. *Quinto*, concomitatur eam determinatio voluntatis; quâ non vult scire, seu vult non-scire. Quomodo voluntatis nostræ objecta sunt volita & non-volita. III. *probl.* An docta ignorantia formaliter sit scientia an ignorantia? *Resp.* formaliter est scientia tum τῶ ἀγνώστε, quod scil. ἄγνωστον sit; tum ignorantiæ meæ, quod scil. ego illud non scio, nec possum scire. Rursum directè & primò ratione objecti est ignorantia, & reflexivè ratione scientiæ τῶ vacui quod est in mente meâ, est scientia. IV. *probl.* An major perfectio sit docta ignorantia τῶ ἀγνώστων, quam docta scientia τῶ γνώστων seu veritatum cognoscibilium? *Resp. Cusanus tract. cit. pag.* 2. (edit Basil. operum ipsius in fol.) videtur inclinare in *aff. pr.* Sed nos nullam videmus rationem. Quamvis enim conceptus objectivus nobis ignotus e. gr. Deus adæquatè & per essentiam comprehensus sit perfectior: non tamen sequitur, ideo ignorantiam seu negationem conceptus istius objecti & conceptum formalem istius ignorantiæ esse perfectiorem scientiâ veritatum cognitarum. Ignorantia enim formaliter est defectus, si non privativus, saltem negativus: scientia autem veritatis scibilis est perfectio. Jam vero formalis defectus non est perfectior formali perfectione. Nec scientia reflexiva ignorantię meę, hoc est, negationis, perfectior est scientiâ reflexivâ scientiæ meæ; quæ simpliciter & absolutè dicit perfectionem. *Pag.* 709.

Pag. 709. Ubi vocem paradoxi in bonam partem accipi ostendo, Adde, *Isidorum Peluſiotam* qui *epiſtol. lib.* 5. (b Andr. Schotto edit.) *epiſt.* 434. sic describit: παραδοξόν ἐστιν τὸ τῆς κρατούσης δόξης κρεῖττον, καὶ τῆς συνηθείας ἀλλότριον, 1. *quod excedit opinionem obtinentem* seu quæ invaluit, (vel, *quod melius est opinione quæ invaluit*), *& ab uſu alienum eſt.*

Pag. 721. §. 8. Ubi de propositionibus suspectis, periculosis &c. adde, minutim magis secari propositiones in posteriobus edit. Paris. & Lugdun. anno 1646. & 1652. *Theologiæ ſcholaſticæ Becani.* in 15. scil. aut 16. species. Sed videntur aliquæ coincidere, & ad 2. aut 3. membra redigi posse, quæ respectu causæ aut effectus, aut adjuncti diversas sortiuntur denominationes.

Pag. 735. Ubi respondeo ad 1. quæst. Adde, *Bellarminus lib. de ſcriptoribus eccleſiaſt.*, præeunte *Augustino in præfat. ad lib. de hæreſibus*, monet *obſervandum multa à Philaſtrio inter hæreſes numerari, quæ vere hæreſes non ſunt: proinde cum prudentiâ legendum.* Idem ex Augustino monent *Poſſevinus in apparatu*, & *Sixtus Senensis lib.* 5. *biblioth. annot.* 27. Quod multo magis partium & calamniarum studio addictissimis *Lutsenburgio, Alphonſo à Caſtro, Prateolo, Medices, Cratepolio, Feuardentio, Gul. Lindano, Petrejo* applicandum est. Quid dicam de hominibus non-Pontificiis, qui heterodoxiarum & paradoxorum complures centurias ex uno atque altero theologi alicujus orthodoxi libro se exhibituros minantur. Sed hæc Deo veritatis & innocentiæ vindici committenda. Ipse faciet.

Pag. 780. Ubi regęs & principes apostatæ, Adde iis Antonium regem Navarræum Henrici IV. patrem. Cujus uxor Joanna in religionis orthodoxę professione usque ad finem perseveravit.

Ibid. Ubi JCC. apostatæ, adde iis Ælfricum Hunnium celebris theologi Ægidii Hunnii fil.

Pag. 781. Ubi nomino ministros quosdam, qui in Galliâ apostatârunt, Adde illis Joh. Plantanil dominum de la Pause ministrum in urbe Biterrensi anno 1604. Cujus dicta & facta quædam recenset Pontificius scriptor *Fitz Simon in miniſtromachiâ Britannicâ lib.* 2. *pag.* 125.

Pag. 785. Ubi nomino Hermannum Lignaridum de apostasiâ, tit. libelli est: *Antidotus contra ſcandalum apoſtaſiæ*, in 8. Bernę 1608. Addi potest ab iis, qui Anglica attingunt *Ioſephi Halli seria diſſuaſio Papatus ad VV. D.* qui ad eum defecerat. Ejusdemque *epiſtola* 5. *decadis* 3. *ad VV. LL.* (h. e. Wilhelmum Laudum postea factum episc. Londinensem, denique archiepisc. Cantuariensem, de cujus tragico exitu *historia nostri temporis*), plane instabilem in religione, & fluctuantem inter ecclesiam Romanam & reformatam.

Pag. 768. Ubi indico scriptores didacticos de hæresi. His adde, qui sub titulo de falsis Doctoribus, de hæresi tractant, ut *Aretius part.* 2. *problem.*

Pag. 786. Ubi de atheismo quem alicui satelliti Papali & Jesuitastro per consequentiam quis impegerat. Conferre potest, qui mysteria partim ignorantiæ partim profani scepticismi illius Libertino Papistæ penitus inspicere cupit, *scripta Iac. Revii, aliaque aliquot sine nomine autorum* Lugd. Batav., ut & *libellos aliquot*, ac *disputationes Vltraj.* editas; insuper *decreta. Illustr. D D. Ordd. Hollandiæ*, & *synodorum Hollandicæ, Geldricæ, Iuliacensis, Clivensis &c. Academiæ Vltraj.*, denique gravem & piam contestationem Cl. *Nicolai Arnoldi* theologi Franequerani *in præfat. ad Atheismum Socinianum* refutatum, variorum collegarum elogiis munitam.

Pag. 791. Ubi cito Pontificios scriptores de blaspemiâ addeex nostris *Aretium part.* 2. *problem. pag.* 376. edit. in 8.

Pag. 807. Cum dico approbatum fuisse supplicium Serveti à Melanthone, Bullingero &c. Adde citatę *epistolam Melanthonis*, quæ est inter *epistolas Calvini* 157., aliam ejusdem *ad Bucerum* (quæ 63. *in centuriâ epistol. theolog. ad Ioh. Schivvebelium* theologum Bipontinum) ubi in thesi hanc quæstionem determinat, & pluribus probat, cum solutione objectionum. *Idem in consiliis theologicis part.* 2. *pag.* 223. edit. in 8. eandem sententiam in thesi, & in Hypothesi (quod ad supplicium Serveti animosè defendit, & adversæ sententiæ patronis *detestandam impudentiam* tribuit. De Helvetiarum procerum & theologorum consensu, constat ex verbis Bullingeri, in apologiâ pro supplicio Valentini Gentilis, quibus testatur, non esse Servetum combustum, *citra consilium reliquarum Rerumpubl. Helveticarum euangelium profitentium, ab ampliss. Senatu Genevensi petitum.* Et Paulo post: *Quod cum ampliss. Genev. Senatus fecit, pro pio suo officio, quod debuit, fecit. Vnde ejus factum judiciumve sanctum, nunquam accusavimus &c. Quin potius fidem & integritatem ejus urbis candidè laudamus atque approbamus. Quod etiam Philippus Melanthon vir pius magnique judicii scriptis literis fecit.* Vide reliqua ejus verba exhibita à *D. Cloppenburgio* τῷ μεγάλῳ *in prolegomenis ad compendiolum Socinianum confutatum.* Idem *Bullingerus* in thesi sententiam hanc ex professo tuetur *lib.* 5. *contra Anabaptistas capp.* 1. 8. 9. 10.

Pag. 873. Imaginibus mendacibus num. 2. 3. 4. 5. notatis, adde imagines quæ finguntur à B. Luca pictæ, aut hominum terricolarum manu non factæ. De quibus deprehendo exstare peculiarem tractatum *Ioh. Floydi* Jesuitæ Angli tit. *Syntagma de imaginibus manu non factis, deque aliis à S. Lucâ pictis.* Talibus chimæricis imaginibus accenseri possunt, imagi-

imagines Christi in sudario Veronicæ, & Vesontino, de quo posteriori tractatus editus à *Ioh. Iacobo Chifletio tit. de linteis sepulcralibus Christi.* Qui *ibidem* agit de sindone Taurinensi, quam à *Philiberto Pingonio* Sabaudo barone Cusiacensi *peculiari tract.* anno 1581. descriptam dicit (*cap.* 16.) hoc titulo, *Sindon Euangelica.* Sindonem & effigiem corporis Christi eidem impressam tum verbis tum picturæ descriptam exhibet *Alphonsus Paleottus* archiepiscopus Bononiensis *libro peculiari tit. Iesu Christi crucifixi stigmata sacra sindoni impressa, cum additamentis quæstionum &c.* autore *Daniele Mallonio.*

Pag. 873. *§.* 3. Adde Cressi, Baillio, Waddingo ibi cit. Jesuitam *Dauroultum in catechismo historiali cap.* 3. *tit.* 63. *§.* 6. Ubi cum exemplo aliquo ostendisset, Dæmonem ægre ferre cultum (hanc vocem catè substituit voci *adorationis*, quæ est in historiâ ex *Sophronio* adductâ) imaginum, & inde sic concludisset, *Ergo non est abominabile eas colere*; mox subdit in notâ marginali: *Modus rectus colendi imagines est ut colamus earum prototypa, eos quorum sunt imagines.* Unde sequeretur, non esse modum rectum, si ipsa imago adoretur.

Pag. 874. Ubi nomino catechismum Malderi, adde, *Ioh. Malderus* episcopus Antwerpianus, antea professor theologiæ scholasticæ Lovaniensis edidit *catechesin controversiarum pro idiotis* tit. Catholyck onderwys/ in quâ *cap.* 19. & 20. materiam illam more Belgico tractat, quippe memor se scribere illis, ubi fulmine inquisitionis Romano-Hispanicę homines non prosternuntur.

Pag. 875. Ubi cito Riveti cathol. orthod. tract. 2. qu. 34. Adde *ejusdem commentarium in decalogum.*

Pag. 879. Adde autoribus citatis pro latriâ crucis aut imaginum trinitatis, & Christi, Ex Pontificali Romano (novæ scil. edit. seu jussu Clementis VIII. recognitum & Romæ anno 1602. exculum) pag. 672. *Crux legati, quia debetur ei LATRIA, erit à dextris.* Quod si hoc sedi Romanæ & Papæ, consequenter clericis & ecclesiis Papæ quâ tali voluntariè subjectis imputari non debeat, non video quid tandem illi imputari possit. Nec omittendus Gabriel Biel in expos. canonis missæ lect. 49. Breviter, *constans est theologorum sententia, imaginem eodem honore & cultu coli, quo colitur id cujus est imago:* Sunt Verba *Azorii part.* 1. *lib.* 9. *institut cap.* 6. Quinimmo Andradius in defensione concil. Trident. lib. 9. *§. Non tamen* pronunciat, *eos qui latriæ augustissimum cultum Christi cruci deferunt, non magis idololatriæ condemnandos quam qui eodem cultu Christum ipsum unigenitum Dei filium prosequuntur.* Confer infra *disp. de Staurolatriâ part.* 1. *§.* 3. Denique in *Antidoto animæ* (citante *Ioh. Raynoldo lib.* 2. *de Rom. eccles.* idolo-

idololatriâ cap. 3. §. 81.) tali oratione compellatur effigies Christi sudario Veronicæ impressa: *Nos ab omni maculâ purga vitiorum, atque nos consortes junge beatorum, Nos deduc ad propria, O felix figura, ad videndum faciem quæ est Christi pura.* Ubi figuræ seu imago faciei, distincta à personâ & facie personali Christi religiosè invocatur, & quidem cultu latriæ: quia illi tribuitur, & per fidem, fiduciam ac spem divinam abeâ exspectatur, quod Christus solus & merito & efficacia, confert ac conferre potest. Quomodo & in cruce spes ponitur, & ea *unica spes* appellatur, in *publicis ecclesiæ hymnis* modo cit. Adeo ut hic teneantur tanquam ἀντικαλκηδόνιοι, sententiam ferente *Concil. Tridentino sess.* 25. *cap. de invoc. sanct. & venerat. Imag.* ubi decernit, venerandas imagines, sed ita, ut *nec ab iis aliquid petendum sit*, nec *fiducia in iis figenda.* Vide porro de statu & cultu imaginum Christi in sindonibus Taurinensi, & Vesontina, in sudario Edesseno & Veronicæ, in variis imaginibus ἀχειροποιήτοις, i. non manu factis *Chifletium in crisi historicâ de linteis sepulcralibus Christi cap.* 28--36. Quod caput & totum librum concludit oratione ad imaginem Christi in sudario Vesontino, quâ petit cum æternâ salute temporales benedictiones.

Pag. 881. Post 8. Exceptionis solutionem, adde, IX. *except.* Nihil „ absurditatis continet precandi modus, *O crux ave spes unica* &c. *auge* „ *piis justitiam, reisque dona veniam.* Et *quod Germani* (Papistæ scil.) *lo gè* „ *antequam Lutheri aut Calvini abavus nasceretur* &c. *cantabant, hodieque* „ *cantant:* O du heiligs Creutze / behut uns Christen leute &c. Est enim locu„ tio tropica, perque metonymiam ad ipsum Christum refertur. Hæc ex *Gretsero tom.* 3. *de cruce lib.* 3. *cap.* 3. *Resp.* Effugium hoc refellitur, & Jesuitæ præ varicatio ac mala conscientia detegitur, ex inspectis modo hymnis, & preculis, in quibus exsertè distinguitur inter Christum qui in cruce pro nobis passus est & in cruce pependit, & inter crucem in quâ pependit, crucisque illius effigiem. Sicuti & *omnes libelli ipsorum devoti ac practici*, ut & *scriptores polemici* de cruce & de imaginibus distinguunt inter crucem aut imaginem non tantum materialiter, sed & formaliter in ratione imaginis acceptam, & inter crucifixum aut prototypon cruce & imagine designatum aut repræsentatum. Quin ipsi semper distinctè formant statum quæstionis, an crux aut imago Christi religiosè sit adoranda: non vero an Christus ipse, seu æternus filius Dei idemque ὁμοούσιος cum patre Deus, sive propriâ sive tropicâ voce significatus, sit adorandus. Græcorum idololatricæ preculæ, (*Crux salva, libera nos, miserere nostri*) quas *Gretserus ibidem* adducit, & pari modo defendit, manifestè distinguunt inter Christum & crucem: uti ex collatis ipsorum liturgicis cuivis constare poterit. Speciminis causâ ostendo in ipsorum Παρακλητικῇ fol. ελα.

(edit.

(edit. Venetæ in fol. anno 1610. apud Anton. Pinellum), ὁ σταυρός σου χε ἐι κὴ ξύλον ὁρᾶται &c. ὅν (σταύρον scil.) προσκυνοῦντες δοξάζομέν σε σωτὴρ &c. *crucem adorantes glorificamus te salvator.* Non tantum in cruce glorificant Deum (quomodo fideles in Paulo glorificabant Deum, *Galat.* 1. *vers. ult.* qui tamen ipsum Paulum religiosè non adorabant, idque ad honorem Dei) sed ipsam crucem adorant, & hoc facientes glorificant Christum. Hinc elucet, quâ pietate & quo judicio per tropum seu metonymiam, defendat *ibid.* precationes à *Daneo* & *Hospiniano* (addimus nos à *Sadeele c. Burdegalenses* supra in *disp. de sanctis chimericis*, cit.) Pontificiis objectas, *Sancte sudari ora pro nobis*, Et, *sudarium vel mappa Christi liberet nos à peste.*

Pag. 883. Ubi noto ab Hospiniano loc. cit. adductos aliquot testes veritatis contra adorationem imaginum. Adde, præter testimonia antiquorum patrum à *Dalleo* collecta, testes veritatis apud *Illyricum in catalogo*, & *Thomam Iamesium in Introductione ad theologiam pag.* 73. ubi ex quibusdam libris ineditis nonnulla exhibentur. Imprimis hic valere debent *decreta Concilii Francofurtensis*, & *Parisiensis contra imagines*, Et *decreta imperialia contra easdem* seorsim à *Goldasto* edita; nec non *liber Caroli M. contra easdem*, & *synodum Nicenam* 2. Hunc autem librum esse γνήσιον, à Carolo aut nomine Caroli editum, satis superque editor ejus anno 1549. *præfatione suâ* demonstravit. Cum quo conferri poterunt *Cassander in epistolis, epist.* 19. *pag.* 1103. & ex Antagonistis Papatus supra indicatis, *Dalleus*; qui unus quod ad hanc, omnemque controversiam de antiquitate, successione & catholicismo abunde suffecerit.

Pag. 889. Ubi de usu crucis in regimine hierarchico, Adde, Editus est liber in 4. Paris. 1621. hoc titulo: *Andreæ Sausaii de sacro ritu præferendi crucem majoribus prælatis ecclesiæ.* Apud *August. Barbosa in collectan. bullarii* &c. exstant variæ decisiones SS. congr. Rit. de eo, qui crucem episcopo urbem aliquam ingredienti deosculandam præbere debet. De novis insignibus & crucibus in processione deferendis aut non deferendis, & per quos, de crucibus in funere quot, qualibus, &c.

Pag. 891. Ubi de abusu crucis apud Orientales, Adde, à *Nicephoro Callisto eccles. histor. lib.* 18. *cap.* 54. recenseri varias sectas Jacobitarum, inter quas una dicta *Carinzariorum* seu *Staurolatrarum*, quod crucem tantum adorare & colere dicantur. *Ibid. cap.* 53. refert ab aliâ quâ sectâ Jacobitarum, tres cruces connecti, quas trinitatem cognominent. Imagines etiam patris & spiritus s. effigiari: *quod*, inquit, *perquam absurdum est.* Hoc tamen non obstante, à *Bellarmino, loc. cit. Possevino de atheismis hæreticorum c.* 16. imagines trinitatis defenduntur: quidquid *Monlucius* episcopus Valentinus cum associatis theologis in collatione aliquâ cum Beza & adjunctis

ctis (de quâ *historia Thuani*) reformandum hic agnoverit.

Pag. 989. Ubi indico Azorium pro Jacobi adventu, adde, *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11. Ab aliis citantur etiam *septem libri Mariana de adventu Iacobi* &c. edit. Coloniæ anno 1609 Confer mox infra *pag.* 993.

Pag. 1003. Ubi de reliquiis, Adde ampullam Rhemensem, quæ juxta cum vexillo quo, quasi cœlitus demisso inter prærogativas regni Galliæ ostentantur ab *Aroyo in refutatione Martis Gallici*, autore (uti putatur) *Corn. Iansenio* tunc theologo Lovaniensi. De dictâ ampullâ edita est Antwerpiæ anno 1651. *nova & accurata disquisitio Ioh. Iacobi Chifletii*, in fol.

Adde *ibid.* reliquiarum topographiam editam esse à *Ioh. Baptistâ Signio*; & aliam ab abbate *Maurolyco.*

Pag. 1014. Ubi noto laudes & encomia Mariæ carminibus decantata, adde Proteum Parthenium Bernardi Bauhusii: ubi unus hic versus, (*Tot tibi sunt dotes, virgo, quot sidera cœli*) 1022. modis ad numerum stellarum mutatus est, iisdem vocibus & sensu metroque servato.

Pag. 1015. Ubi numero varias Marias cultu & miraculis celebres. Adde & confer plures supra *pag.* 427. Et duas alias tunc præteritas, *Nostre dame de la breschе*, & *Nostre dame du four.* ex Jesuitâ *Anton. Balingen in Kalendario Mariæ pag.* 131. 185.

Pag. 1090. *num.* 4. Ubi de infusione spiritus sancti in oleum, Adde ex Maximiliani ab Eynatten manuali Exorcismorum approbato à Maldero episcopo Antwerpiæ pag. 304. *Emitte, quæsumus domine, spiritum sanctum paracletum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ de viridi ligno.*

Pag. 1099. Ubi scriptores Pontificios indico, adde *Matheneſium in Theophoriâ Coloniensi dialogo* 3. *p.* 120--127. *Dauroultium in catech. histor. cap.* 3. *tit.* 20.

Pag. 1204. Adde scriptoribus de purgatione *Grotium de veritate religionis pag.* 63.

Ibid. Ubi de duello, adde, *Hotomannus lib.* 3. *observationum cap.* 15. notat, Non tantum Francos, Longobardos, Gothos in rei vindicatione duelli judicio usos esse, sed & veteres Romanos: sive id suâ sponte instituissent, sive ex Germanorum institutis sumsissent. Unde *manu confertum* vocare dicebantur (uti idem in *commentar. ad* XII. *tabul.* exposuisse se dicit & in *commentar. ad orat. Cicer. pro Cœcinna*) *Agellius lib.* 20. *cap.* 9. Huic malo mori apud Romanos sublato, successit duelli ac dimicationis quoddam simulacrum, quod *vim festucariam* appellabant. Porro Germanorum antiquorum duella judiciaria probat *ibid.* ex legibus Alemanorum *tit.* 85. Conjicit *ibid.* Thuscos, quos *Livius lib.* 5. ante Romam

nam conditam in Latium colonias duxisse testatur, *Tacito* dictos Theutones & Theustios (*Theutsch*) fuisse Germanos.

Pag. 1208. Ubi adduco libellum Plutarchi de serâ numinis vindictâ, adde *hil. Camerarii centur.* 1. *cap.* 98 & 99. Et *Specula tragica principum; procerum* &c. Latinâ & vernaculis linguis conscripta.

Pag. 1232. Ubi de hæreticis sabbathariis. Ab illis distincti sunt Sabbathiani, à Sabbathio presbytero ita dicti; qui decretum synodi Aëtianorum anno 368. collectæ in vico Pura, de paschate cum Judæis celebrando ursit & multis persuasit, inde dictis Sabbathianis. Videndi de hoc *Sozomenus lib.* 7. *cap.* 18. & *Libellus synodicus à Ioh. Pappo* gr. lat. editus *num.* 68.

Pag. 1233. Ubi de ineptiis superstitionis Judaicæ in observando sabbatho. Adde, confer infra *pag.* 1251.

Ibid. Adde citato *Drusio*, *eundem lib.* 2. *de sectis Iudæorum*, & *Ludovicum Capellum in Matth*, 12. & 24.

Pag. 1236. Ubi cito autores de totius diei sanctificatione adde *Ioh. Spinæum in tract. de ægrotis consolandis*, ubi docens quomodo ex lege peccata ægrotis ante oculos ponenda, inter alia vult eos recordari ad 4. præc. „*Diebus sacris & dicatis sanctificando nomini Dei, non penitus rebus supernis & „spiritualibus meditandis & exercendis fuisse addictum.* Paulo post p. 755. „*Non docuisse nec instituisse uxorem, liberos, servos & ancillas, sicuti tenebatur, „non convocasse mane & vesperi ad communes preces, non exhortatum esse ad le„gendum ac meditandum verbum Dei, ad canendos Psalmos & hymnos in illius „laudem, ad conferendum inter se & colloquendum de rebus sacris & ad ipsorum „ædificationem pertinentibus.* Diebus Dominicis, à sacris cœtibus reversum, „quod supererat lucis non impendisse invisendis captivis, consolandis æ„grotantibus, quærendis & sustentandis pauperibus.

Pag. 1239. *lin.* 5. *à fine.* Ubi finio catalogum autorum pro moralitate sabbathi, adde, *Nicol. Arnoldum in refutatione cateches. Socino-Racovianæ.* Et *VVendelinum in theologiâ suâ ad* 4. *præc*, qui hanc sententiam suam contra Lutheranos ex professo defendit, *Exercit.* 138. Denique *theologos Anglos* qui episcopale regimen & ceremonias non ita probabant. Ut & *Scotos* ejusdem, hâc in parte, cum Anglis sententiæ. Aliquos etiam episcopali regimini & ceremoniis Anglicanis faventes. Qualis *Ludovicus Baylly* episcopus Bangorienſis, in *praxi pietatis*; & *Richardus Cracanthorp* sacellanus regius *in defens. ecclesiæ Anglicanæ contra Marcum Anton. de dominis cap.* 68. ubi dicit in quarto præcepto esse distinguendam substantiam & circumstantiam: quarum *illa* sit juris naturalis, perpetui, & immutabilis de publico Dei cultu & religionis exercitio, deque die aliquo ad divinum & publicum cultum consecrando: *ista* sit juris positivi, tem-

porarii, & mutabilis, de determinatione illius diei, quo Deus publicè colendus sit. *Hoc vero* (inquit) *non ab hominis ullius, non à populi, non ab ecclesiæ quidem arbitrio, sed à Dei ipsius voluntate pendet, semperque pependit. Ille & ante legem datam, & sub lege, & post legem tempore euangelii diem illum, quo publicè coli vult, voluitque, determinavit.* Et paulò post, *Ille diem illum septimum sub euangelio abrogavit.* &c. *quod clarè indicat apostolus*, Nemo vos judicet &c. Coloss. 2. 16. &c. *Et quia decalogi Lex diem unum è septem, publico Dei cultui consecrandum docet, Deus ipse per apostolos loco diei septimi & sabbathi Iudaici primum hebdomadæ diem in memoriam resurrectionis suo cultui determinavit.* Quod *ibidem* probat ex *Ioh.* 20. 19. *Apoc.* 1. 10. 1. *Corinth.* 16. 1. 2. adducto insuper consensu *Iustini Martyris & catechismi concil. Trid. in explic.* 4. *præc.*

Pag. 1251. Ubi de Judæo die sabbathi ex cloacâ extrahi nolente. *Willetus in commentar. ad Levitic.* 23. *qu.* 6. *pag.* 569. sic refert historiam ex *Ranulpho lib.* 7. *histor. cap.* 37. Tewkesbury in comitatu Gloecestriensi in Angliâ Judæus die sabbathi in foveam (vel foricam) cum cecidisset, nec inde extrahi vellet, comes Gloecestriensis inde eum extrahi vetuit: ita ut partim frigore partim fœtore illic miserè periret. *Cornelius à Lapide in Deuter.* 5. *vers.* 14. eandem historiam sic refert ex *annalibus Angliæ*, (quos & cujus autoris, non indicat), Judæum illum dictum Salomonem coactum fuisse die dominico ibidem remanere: mortis vero non meminit. Sed introducit ex annalibus Judæum ita loquentem: *Sabbatha sancta colo, de stercore surgere nolo.* Et judicem ita respondentem: *Sabbatha nostra quidem, Salomon, celebrabis ibidem.*

Ibid. Historiam de Judæo Magdeburgiin cloacam lapso præter *Hospinianum* & *Munsterum* à me cit. habet *Manlius in collectan. locor. commun. ad* 3. *præceptum*; ubi & hypocriseos ac ineptiæ Judaico-sabbathicæ exemplum refert, de Judæo fœneratore, cui religio erat mutuo petentibus die sabbathi numerare pecunias; sed dabat illis clavem mensæ, jubebatque numerare, quantum vellent: ipse interea astans aspiciebat, ne fraudem aut dolum committerent. Confer supra *pag.* 1233.

Pag. 1278. Ubi de sabbatho δευτεροπρώτῳ indico Scaligerum lib. 6. de emendat. *adde*, eundem *in appendice pag.* 54.

Pag. 1330. Ubi nego dicta quædam festa esse antiqua, & ablego lectorem ad Hospinianum pag. 31. adde, Conferatur *Zanchius in explic.* 4. *præc.* & *Altare Damascenum pag.* 650-660.

Pag. 1376. Ubi indico scriptores Pontificios de Jubileo, Adde ex antagonistis Papatus *Hospinianum lib. de templis cap.* 30. 31. 32. 33. *Rivetum in Iesuitâ vapulante cap.* 22. *Matt. Sutlivium de Iubileo & indulgentiis, Ægidium Hunnium de iisdem.* Sed qui duo postremi principaliter agunt de indulgentiis.

INDEX

INDEX RERUM

MAXIME OBSERVANDARUM

In Tertiâ Parte Disputationum Theologicarum.

A.



Abstinentia superstitiosa, 98. 99.
Adami primum peccatum quodnam? 696.
Adiaphororum prætextus. 246.
Adiaphora quomodo toleranda? 1332.
Admiratio. 682.
Adoratio imaginum vide Imagines.
Adorationis ritus apud diversas nationes & religiones. 269. &c.
Adorationis distinctio in absolutam & respectivam est absurda. 879. &c.
Adulatio hæresium causa. 732.
Adulteratio monetæ, Scripturæ &c. *vide* Falsificatio.
Ἀγνῶται *sunt in omnibus disciplinis.* 674. &c
Agrippa (Corn.) qualis? 616.
Agni Dei abusus, & unde ejus ortus? 935. 936.
Agni consecratio, & ejus requisita. 937.
Agni significatio, Devotio, Impetratio, & operatio. 938. 939. 940.
Agni abusus refutatur, 941. 942. *Et exceptiones diluuntur.* 943. 944. 945.
Aimondi quatuor filij (sancti). 508. 719.
Ἀλαζονευόμενοι. 40, 51, 52, *an Theologi tales sint?* 742.
Altare an adorandum, aut versus illud? 202. *ad* 216.
Amor erga Deum quis? ejus causæ, media, proprietates, effecta, &c. 80. &c.
Amuleta. 576, *eaque contra pestem.* 606.
Anathemata. 1083.
Annuli Sacri. 109. 110. *magici* 553.
Annus climactericus an alicujus efficaciæ? 147. 148.
Antiquitas historica plane dubia & ignota. 674.
Antitrinitarij quotuplices, 810. *Sunt illi in Belgio.* 811. 812. *Vide* Sociniani.
Apostasia quid & quotuplex? 768. &c. *remedia.* 784.
Apostatarum exempla, 775. &c. 779. &c.
Apotheosis quid? 388, & 400.
Apparitiones spirituum. 699. 700.
Arbor Jovis. 259.
Argumentorum historicorum sedes quænam. 476. 477.
Ars memoriæ. 560.
Ars Passavensis. 561.
Asiarchæ quales. 312. 376. 377.
Assertiones vide Propositiones.
Astrologia judiciaria. 258.
Atheismi variorum. 785.
Audæ Episcopi Persici factum. 309. 458.
Αὐτὸς ἔφα *vide* Pythagoras.

B.

Bacchanalia. 1389.
Baptismus hæreticorum an irritus? 759.
Baptistæ Pharisæi. 100.
Barbarus quis? 634. *Barbaries clericorum.* 667.
Beatificatio quid, & quomodo distinguatur à Canonizatione? 392. 526.
Benedictionis vox. 1077. 1078. *Benedictionis natura explicatur.* 1079. 1080.

&c. *Pseudo Benedictiones papisticæ.* 1085 1086. &c, *refutantur.* 1088. 1089. &c,
Bernulphus Episc. Ultraject. 524.
Bertius (Pet.) *qualis?* 780.
Beza de Anglicanâ Ecclesiâ 916.
Blasphemia quid & quotuplex? 786. &c. *Semper peccatum mortale esse negant Pontificii.* 789.
Bona Ecclesiastica Ultrajectina 453, 454.
Boutermanneken. 118.
Buscoducensium Sancti tutelares, 423.

C.

Calvinus defensus. 532.
Calumniæ contra pios. 51. &c. 40. 41. & 732. &c.
Canonici Ultrajectini quales? 453,
Canônicatio quid, quotuplex? 387. &c, *est illicita.* 398. &c.
Canonum Ecclesiasticorum hypotheses tres. 1341. 1345.
Capillos alere illicitum. 42. 43. 54. 57.
Carmina magica. 551.
Casus conscientiæ quid sint? 28. *quid ad eorum determinationem requiratur?* 29. & 31, &c.
Casuistæ laxi. 38. 49. 50. 53. 58. & 68. & 727.
Catharina (Sancta) 503.
Censura Eccl. circa quales hæreticos exerceatur? 744. & 762.
Charismata quid sint? 1137.
Choreæ. 46, 47.
Christophorus 504. 519.
Christus quomodo unctus sit? 171. 172. *quatenus sit servator?* 178. & *quomodo adorandus?* ibid.
Christus duplici respectu dicitur agnus Dei. 934. 935.
Chronologia etiam Sacra, exacta non habetur. 675.
Citatio ad tribunal Dei. 1205. 1206. 1207.
Clericorum barbaries. 667.
Cœnæ ritus idololatrici, an permitti possint? 3021
Cognitio Dei quot modis superet cognitionem creaturarum? 691.
Collectæ. 1060.
Comœdiæ 46. 47. *gentilium.* 288. 3071
Computus Ecclesiasticus vide kalend.
Confraternitas Mariana. 319. &c. *vide* Fraternitas.
Conscientia naturalis an extingui possit? 662.
Conscientia dubia quæ? 827. *quotuplex* 828, 829.
Conscientiæ casus vide Casus.
Consilium Theologicum quid & quotuplex? 29. & 30. *quid ad determinationem requiratur?* 31. &c.
Consilium pœnitentiale. 986. 987.
Conspuitio Idololatrarum. 154.
Corpus quomodo alicui fiat invisibile? 583, 584. *vide* Illusio,
Crucis vox, lignum, imago quotupliciter sumatur. 885.
Crucis privilegia, & effecta. 886.
Crucis abusus in S. Cœna, 266, 267.
Crucis Imagines in Papatu adorantur cultu latriæ. 877.
Crucis adorationis fundamentum. 887.
Crucis cultus, seu religio quotuplex? 887. 888.
Crucis usus religiosus, vel in cultu publico vel extra cultum narratur. 888. 889, 890.
Crux quâcumque notione acceptâ nec civili honore, nec religioso Cultu adoranda, ne crux quidem in quâ Christus pependit. Rationes veritatem probantes, una objectiones refutatæ adferuntur. 894. 895. 896. 897. *Neque Crucis imago adoranda* 898. *vel etiam Character crucis colendus.* 899.
Crucis usus in sacris, 900. 901. *an cruces in turribus templorum sint ponendæ?* 901. *ad* 914. *Problemata historica de cruce.* 919. 925.
Cultus politicus superstitiosus. 289.
Curiositas. 70. & 683.

An Constantinus usum crucis religiosum instituerit? 919.

D.

Dagobertus Sanctus qualis? 523.
Decalogus quomodo explicandus? 33.
Deistæ in Gallia. 610.
Depositiones seu sponsiones. 1215. &c.
Desputatio antiquis usitata. 309. *vide* Exsufflatio.
Dei cognitio, vide Cognitio.
Deus an autor peccati? 697.
Diaboli opera uti illicitum. 577. *ejus potentia in homines sub N. T. quanta?* 618. *quomodo decipiat homines?* 699, 700.
Dies dominicus vide Sabbathum.
Diploma Archiepiscopi Colonienſis. 960, 961, 962.
Disquisitio judiciaria ex cruentatione cadaverum. 1209. 1214.
Disquisitiones in utramque partem, vide quæstiones.
Disquisitiones sunt necessariæ ad veritatem quærendam. 846. 848. &c. 853. &c.
Divorum *nomen an Sanctis tribuendum?* 286. & 534.
Docta ignorantia, vide Ignorantia.
Dominica lætare, vulgo, De dagh van de Roos / *quæ sit, & cur ita vocetur?* 1292.
Dormientes Septem. 506. 507.
Δοξοπανσοφία *quid?* 684.
Dubitatio quid non sit? 825. & 845, 846. 848, &c.
Dubitatio fidei non licita. 826. *Dubitatio conscientiæ.* 828. *Theologiæ.* 830. *dubitatio non est medium ad Theologiam Christianam.* 831, *quousque licita Theologis.* 834. & 852. &c. *Nec est medium ad Theol. naturalem.* 841. *Sed tantum terminus à quo & defectus,* 843, &c.
Dubitatio de certissimis non est necessaria ad disciplinas. 847. & 859, &c. *Quomodo illa in S. Script. voceturi?* 858. *improbatur illa in S. Scriptura* 859, & 868. *non approbatur ab* Augustino, Beza, Perkinso &c. 861, &c
Dubitationis patroni sibi non constant. 850. &c. 860. *extendunt eam etiam ad Theologica.* 858. *ad* 869. *quæ certa sunt Theologicè an in dubium vocari possint Philosophicè?* 863. &c.
Dubius in fide an hæreticus? 745. & 746.

E:

Ecclesiæ antiquæ status 470. 471.
Ensalmadores *in Hispaniâ qui?* 582.
Ἔποχή *in Theologia quandoque licita,* 834. &c.
Ἐφέσια γράμματα. 606.
Episcopi Angliæ quales nuper fuerint? 732.
Eretrici quales? 842.
Error quid & quotuplex? 693, 703. &c. *in quibus sit.* 695. *ejusdem causæ.* 697, 698. *remedia,* 703. *An homo ab omni errore possit in hâc vitâ immunis esse?* 714.
Error popularis. 712. *Causæ ejus,* 713. *eorum catalogus.* 714. &c.
Euangelium Johannis ad superstitionem adhibitum. 114, 115. *Et an scriptio principii Euangelii Johannis inter Sacramentalia Papistica numerari debeath?* 1098.
Excæcatio an peccatum? 652.
Exsufflatio. 154, 155. *vide* Desputatio.
Exorcistæ magos imitantur. 603 606.
Exorcismus verus, & vocis explicatio, 1135, 1136, *potestas.* 1137. *propria & adjuncta.* 1138, &c. *fines.* 1141. *Effectus* 1142. &c. *Actus ipse* 1144, 1145. &c.
Exorcismus Ethinico Magicus? 1147. *Judaicus* 1148. *Ars exorcistica Angeli in libro Tobiæ.* ibidem.
Exorcismus superstitiosus. 1150. *Rerum inanimatarum ejurationes.* 1150.

1151. *earumque ex communicationes.* 1152. 1153. *principia.* 1153. &c. *potestas ejectiva.* 1154. 1155. *ars exorcistica papalis.* 1156, 1157. 1158. *forma exorcismi* 1160. *consequentia* 1162, 1164. *refutatur.* 1165. 1168. *Objectiones.* 1169. 1172.

Exorcismus infantum baptizandorum, quid sit? 1173. *Ejus antiquitas.* 1174. *Cypriani verba expenduntur* 1175. 1176, 1177.

Hic Exorcismus apud Græcos Orientales non est usitatus. 1178.

Exorcismus Lutheranorum. 1179. 1180.

Exorcismi justiæ abolitionis rationes dantur. 1181. 1182. *rationes oppositæ solvuntur* 1184. 1187; *& aliquot problemata.* 1188 - 1193.

F.

Falsificatio scriptorum quot modis fiat. 705.

Feriæ Civiles, 1283.

Festa idololatrica non servanda. 264.

Festa Pontificia quomodo aliquamdiu tolerari possint? 304. 305.

Festum quid sit? 1229, 1230. &c.

Festorum oppolita. 1280.

Festivitas Kal. Januarij, 1281. *Natalitia,* 1282.

Festa papistarum. 1285. *eorumque multitudo* 1287. *variæ divisiones,* 1288. *ad* 1292.

An sint festa in N. T. 1294. *Status controversiæ.* 1295. *Veritas probatur* 1298. *ad* 1305. *Objectiones adversariorum* 1306 - 1313. *Festa Ecclesiæ orientalis.* 1317. *& occidentalis, Anglicæ.* 1318. 1319. *Germanicæ* 1320 - 1323. *Helveticæ,* 1324. *Hungaricæ, Bohemicæ, Belgicæ.* 1325. *Variæ quæstiones.* 1326, &c. *Objectiones & exceptiones à festorum Zelotis excogitatæ considerantur.* 1328, 1340.

Ficus multiplices. 702.

Fides quotuplex? 771. *& 825. non debet esse incerta & dubitans.* 826.

Fides humana. 694.

Figuræ efficacia & inefficacia. 147.

Flamines vide Sacerdotes.

Fluvius Sabbaticus. 1273.

Fœminæ causæ hæresium. 729. *aliquando constantes in religione.* 776.

Forum Ecclesiasticum à politico distinguendum. 625. 627.

Franciscus (Sanctus) 514.

Franciscus Spira qualis? 778.

Franciscí Assisii desipiens devotio. 941.

Fratres quomodo se invicem Christiani in antiquâ Ecclesiâ vocabant? 383, &c.

Fraternitas Mariana an licita? 278. &c. 319. &c. 358. &c.

Funera, 289, 302. 303.

Funera deducere, Comitari ubi Cruces præferuntur, an tutum sit? 916.

G.

Galliæ monarchia & insignia. 111. 112.

Gaufredus Monometensis. 498.

Genealogiæ incertæ. 675.

Genebrardi dictatum in commentar: ad Psal. 78. 47. 927.

Genius quid significet? 609.

Genuflexiones variæ. 159, 160. *ad nomen Jesu.* ibidem & seq. *Ad orientem* 131. *&* 267, *ad* 277.

Georgius (Sanctus) 504, 505.

Globuli precatorii. 1023, 1024. &c.

Goclenius fil. notatus. 589,

Goëtia quid? 543.

Gregorius 7 Papa an magus? 615.

Gulielmi Gardineri factum, 310.

H.

Hæresis quid? 722. &c. *ejus causæ.* 725. &c. *proprietates.* 733 &c. *Quæ pertinacia & scientia ad eam requirantur?* 737. 747. 748. *an debeat esse contra conscientiam?* 760. *an possit esse per consequentiam?* 761. *media*

dia & remedia contra hæreses. 792. &c.
Hæresis Speculativa peccatum est. 646. &c. 744, 761. 762,
Hæretici an regenitti? 758. *an Christiani?* 759. *eorum pœnæ.* 795. &c. *tam illegitimæ.* 797, &c. *quam legitimæ.* 800. &c. *an occidendi hæretici?* 804. &c,
Helper (*Sanctus*) 519.
Heterodoxia quæ & quotuplex? 706.
Hippolitus (Sanctus) 506.
Historiæ antiquitatum fabulosæ. 674.
Historicorum antiquorum fides. 471. 492. 502. *Ut & Papistarum.* 615.
Horas canonicas canere an licitum? 285. 301. *vide etiam,* 1070. 1071. 1072. &c. *quare canonicæ dicantur?* 1056. *Objectum* 1060. *Adjuncta* 1061-1062. &c. *Comparata,* 1064. 1065. &c.
Horæ canonicæ B: Mariæ. 1068.
Huguonots, *unde dicti Reformati?* 610.

I,

Iconoclastæ *Anni* 1566. 310. &c.
Idololatria quid & quotuplex? 234, 235. & 238. &c. *quatenus permittenda?* 294, &c.
Idololatria civilis quænam? 289. &c.
Idololatria indirecta est idololatria. 242. &c. *quomodo illa cognoscatur?* 251, 252,
Idololatrico cultui adesse quatenus licitum? 277, 296. &c,
Idolothyton quid & quotuplex? 236, 237, &c. 255. *qualis illius usus sit licitus?* 238. & 253, 254. *aut illicitus?* 255. 293. 434. *quatenus illa conficere & vendere liceat?* 305, 306.
Jejunium quadragesimale Papistarum rejicitur. 1383-1389.
Jesus *nomen an adorandum?* 157. &c. *quid significet?* 164, &c. 198 &c.
Jesuitæ pessimi casuistæ 22, 23. 49. 50. 57, 58. & 77. *illorum malæ artes,* 686, 687.
Ignorantia quid & quotuplex? 632. 634. &c. *an mala sit?* 642. &c. *quæ peccatum?* 645. &c. *quæ non?* 648. & 654. &c.
Ignorantia docta quænam? 668. &c. *quotuplex?* 672. &c. *media ad eam* 680. *opposita* 682. &c. *est licita.* 689.
Ignoti nulla cupido *quomodo verum?* 87.
Illusiones quotuplices. 693. 699.
Imaginum adoratio. 870. *Status controversiæ & quæstionum distinctio:* 870, 871. *Laicorum & clericorum prævaricatio in hac materia.* 872. &c. *quomodo convincendi?* 875 &c.
Imagines trinitatis, Christi, crucis adorantur cultu latriæ in papatu, 877.
Imaginum idolorum gentilium usus & abusus. 315, 316. *An possint excitare devotionem.* 177.
Inadvertentia. 665.
Iniectiones diaboli. 699, *an blasphemiæ?* 790.
Inquisitionis hispanicæ origo. 775. *quæ non sit inquisitio Hispanica.* 813.
Insignia Idolatrica. 289,
Insolubilia vide ἄλυσις.
Invidia hæresium causa. 726.
Jobus luis venereæ patronus. 435.
Johannis Nicomediensis factum. 309.
Joh. Indagine qualis? 617.
Jubileum 1354, 1375, *Argumentis refutatur* 1376. 1378. *Objectiones diluuntur,* 1379.
Jubileum Jesuiticum. 1381. 1382.
Julianus Apostata qualis? 778.
Juramentum super libro Euangeliorum 156.
Juramentum religionis quid. 1101. *quotuplex?* 1101. 1105.
Juramentum confessionis an sit licitum? 1105. *veritas probatur.* 1106 *Objectionibus satisfit.* 1107. 1108. *quæstiones minus principales tractantur.* 1109. 1113. *de Juramento contestationis quæritur an minister sponte in aliquo casu vivâ voce, aut scripto veritatem*

tatem? religionis. jurando confirmare, aut pro eâ animam suam oppignorare posit? 1113. *quæstio determinatur* 1114. 1115. *Et probatur.* 1116. *Objectiones refutantur* 1117. 1118. *aliquot problemata,* 1119-1122. *juramenti purgatorij quæstiones.* 1123. &c. *Et Inquisitorij.* 1126. *juramentum ex officio.* 1128. 1131. *quæstiones juramenti Conservationis,* 1132. 1134.

Juramentum Synodi Alezianæ. 1107.

Jus Canonicum notatum. 704.

K.

Kabbala quid & quotuplex sit? 226, &c.

Kalendarum Jan. observatio. 293.

Kalendarium Ecclesiasticum 1347. 1348. *Ejusque emendatio.* 1349-1353.

L.

Lapsi quales fuerint in veteri Ecclesiâ? 379.

Laxitas vide Casuistæ laxi.

Lazarus ulcerosus. 505.

Legenda aurea notata. 477.

Libertas Philosophica non omnis admittenda? 742. &c. & 869.

Libertinica Theologia quænam? 831. 835.

Licitis aliquando abstinendum est? 44. *licita à tolerandis distinguenda sunt.* 45. & 29. 30. & 50. 54. 55. 56.

Lipsius qualis? 781. 783.

Litaniæ quid? 1049. *earum divisiones.* 1051. *pars elenctica,* 1052. *Et quædam quæstiones.* 1055.

Loci observatio licita & illicita. 150.

Λογομαχία hæresium causa. 730.

Lorinus castigatus. 608, 609.

Loteriæ non sunt Licitæ. 1201.

Lotiones. 100. 108 & 126.

Lucas Euangelista an pictor fuerit? 435.

Lusus Chartarum, & taxillorum sunt illiciti. 1200.

Lutherus & Lutherani non voluerunt tollere à litaniis invocationem Trinitatis: 1054.

M.

Magia datur. 563. &c. *Scriptores ejusdem.* 568.

Magia quid & quotuplex? 539. &c. *Ejus causæ & fundamenta.* 543. &c. *Solemnitates.* 550. 551. *Magia indirecta* 559 577. *Remedia,* 562. *pœnæ* 571. 627. &c. *criminis cognitio & probæ.* 573. &c. *Magiæ origo,* 598. *an hæresis?* 749.

Magicarum formularum usus periculosus. 261. 605. *Magia alba.* 577. *magorum volatus* 579. &c. *potentia* 581. &c. *contra maleficia eorum remedia.* 621, 624.

Malderus notatus. 574.

Maledictiones licitæ. 1083. *illicitæ.* 1084.

Marcus Antonius de Dominis qualis? 781.

Marci Arethusæ Episcopi factum. 310.

Margareta (Sancta) 506.

Mariam variis modis in papatu coli. 1013, 1014. 1015. &c.

Martialis (Sanctus) 505.

Martini Turonensis laudes, 436. &c. *cultus.* 442. &c. *Gesta.* 446. &c. *Et eorum crisis.* 457. &c.

Martinalia festa. 443. 447. &c. 454.

Martyrologium Romanum. 497.

Medicis Judæis non utendum. 598.

Metaphysica non inutilis Theologo. 753.

Missæ quatenus celebrationem spectare licitum? 277. 296. 308.

Morbi & remedia superstitiosa. 128, 129.

Mortificationis nomen explicatur. 947. *papalis narratur.* 948. 949. 951 952, 953, 954. *Status Controversiæ formatur.* 955. 956. *Pseudo-mortificatio refutatur.* 957.

Musicæ efficacia, 151-152.

N.

Natalium celebratio an licita? 155. & 264, 265. & 290.
Necromantia quid & quotuplex? 558.
Nomina idolorum quousque usurpanda? 259, *ad* 264. vide Voces.
Nomina idololatrica dierum & mensium an abroganda? 285. 433.
Nomina qualia hominibus imponenda? 533. *Et templis.* 536.
Novitas. 11, 12.
Novitas Papismi. 882.
Numerus. 110. *illius usus & abusus.* 140. *ad* 147.
Numerus septenarius an Mysticus? 1058.

O.

Oblivio quid & quotuplex? 666, *Odium Dei.* 88.
Oratio dominica in antiquâ Ecclesiâ à Catechumenis non recitabatur, & quare? 385, 386.
Ordalium quid, & quotuplex? 1203.
Ordines Ecclesiastico militares quousque liciti? 264.
Oriens an præstantior Occidente? 131. 270. &c. *an ad orientem adorandum?* 267 *ad* 277.
Ossula superstitiosa. 120. & 126. & 278.

P.

Papismi mendacia. 881, *concordia discors.* 882. *novitas.* ibid. *Irreformabilitas.* 883.
Papistæ mythologiæ ethnicæ & idololatriæ convicti. 530, 531 *Exercent magiam,* 599. &c. *falso Reformatis magiam affingunt.* 608. *Operâ magiæ & diabolorum religionem suam confirmant.* 622, 623. *Tyrannidem docent & exercent.* 797. 800. *Subditos ad rebellionem excitant.* 798. *Fœdifragi,* ibid. & 799. *Sunt convicti de adoratione imaginum, crucis &c.* 875. &c.
Paradoxum quid & quotuplex? 708. &c.
Paralogismi consuistici. 39. &c.
Patronatus v. Tutela.
Paulus II, papa qualis? 639, 640. 735.
Peregrinationis Jacobi fabula 988, &c. *refutatur,* 990, 991. &c.
Peregrinatio Boxtelensis. 1004. &c.
Peregrinationes illicitas esse probatur. 996. &c.
Peregrinationes in terras idololatricas. 265, 308.
Peregrinatio Hierosolymitana. 999. 1000. &c.
Periapta. 577.
Pestis operâ magi Romæ sedata, 604. 606.
Petronilla (Sancta) 506.
Philosophia peripatetica an Platonica utilior? 754. &c.
Philosophiæ usus & abusus in Theol. 750. &c.
Philosophiæ errores unde? 698. *quotuplices?* 739. *An possint esse hæretici?* 740. *an compescendi sint?* 741. &c.
Philtra an dentur? 585.
Phrases Idololatricæ. 286.
Plato, ejusque Philosophia qualis? 755, 758.
Pocula votiva: vide Santeen.
Poetas gentilium quousque legere & docere licitum sit? 287, 288.
Πολυπραγμοσύνης *an Theologi qui cohibent licentiam Philosophorum?* 742.
Cibo potui, vestibus, similibusque rebus sub. N. T. non adest sanctitas. 1092.
Precatio versus Orientem. 934. *An quis sibi ipsi mala temporalia, aut spiritualia imprecari possit?* 1098.
Practica Theologia v. Theologia.
Præcipitantia in judicando vitanda, 853. &c,
Præcisitas quid? quotuplex? ejus affectiones & opposita. 59. &c. & 102.
Prædestinationis objectum. 711.
Præscriptio quando licita? 664.
Precatio vide Genuflexio & Adoratio.
Principia Theologiæ naturalis quænam?

819. 830, *processio Coloniæ habita*, 963. 970.
Processionis nomen. 971 972. *Genus*, ibid, *causæ efficientes*. 973. *Fines*, *usus & effectus*. 974. *Adjuncta* 975. *Comparata*, 976. *Divisiones*. 977. &c, *Argumentis processio refutatur*, 981, &c. *Objectiones diluuntur*. 984. &c.
Propositiones male sonantes. 721. *hæreticæ*. 736. *catholicæ & de fide*. 737.
Pseudographemata. 48. 49.
Purgatio vulgaris & Canonica. 1201. 1202.
Purgatorium quomodo probetur à Pontificiis? 699. 700.
Puritani quales. 17: 51. & 69.
Pythagoræ αὐτὸς ἔφα quibus familiare? 685. & 688. 689.

Q.

Quæstiones catecheticæ & quod libeticæ quomodo proponendæ? 849.
Quæstiones quod libetales quæ? 836. *disquisitoriæ in utramque partem*. 837.
Quantitatis usus & abusus. 146. 147.
Quodlibeta vide Quæstiones.

R.

Reditus Ecclesiastici an sint sacri: & an vendere, permutare eos liceat? 1094.
Reformatio sacelli, seu templi in arce Pragensi jussu Bohemiæ Regis. 926.
Raymundus Lullius. 522.
Relapsi qui? 776, 777.
Reliquiæ. 489. 510. 511. 531. 1002.
Remonstrantes an hæretici? 707, *qui admittendi in nostram Ecclesiam*? 708. *Ubinam statos conventus in Belgio habeant*. 765, *quam moderati fuerint in Reformatos*. 803. *Sunt promotores Socinismi*. 815. &c. *quamvis subinde id negent*. 818. &c. *Eorum Theologia vergit ad Sceptismum*. 832.
Rochus patronus pestis. 520. 521.
Rosa Hierechuntina. 717.
Rosarium quid? 1019, 1020. *& unde*? 1021. 1022, *ejus finis*. 1025, *Adjuncta*. 1026. *quotuplex*. 1029. *ad* 1032. *Prærogativæ Rosarii*. 1033. 1034. *affinia* 1035. *ad* 1037. *formam hujus cultus esse* ἐθελοθρησκείαν *probatur*, 1039. 1040, 1041. *Antithesis illorum* 1041. *ad* 1044. *& quædam specialia adduntur*, 1045, *ad* 1049.

S.

Sabbathi mutatio. 1232. 1243. *Sanctificatio* 1233 *ad* 1237. *moralitas* 1238-1242. 1246. *institutio*. 1245. *An Sabbathum Christianum requirat diem* 24. *horarum*? 1247, *An sit juris naturalis: an vero positivi*? 1254. *an sabbathum fuerit peculiare signum & typus quietis terræ durante captivitate, & liberationis populi ex eadem*? 1257. *quælibet profanatio sabbathi capitali supplicio non est puniendæ*. 1258, *quidam casus conscientiæ*, 1259. *ad* 1271, *An apud extraneos fuerit aliqua Sabbathi notitia, & unde*? 1272. *Et alia problemata magis philologica, & historica*. 1273. *ad* 1279. *Sabbathum Mariæ*. 1276.
Sacerdotia gentilium an non possent reformari retentis titulis? 317. &c. *quare à Christianis olim expetita*? 373. &c.
Sacerdotum illorum officia. 374. &c,
Sacramentalium efficacia inter Pontificios. 1096.
Sacrum, Sanctum, Sacrosanctum, religiosum, horum discrimen à philologis observatum, an phrasi scripturariæ accommodari debeat? 1090.
Saliva in superstitionem adhibita. 1061. 107.
Sancti quales à Pontificiis colantur? 407, 408. &c. *ad* 532. *Tutelares v.* Tutelares.
Sancti chimerici, 503. 773.
Sancti non Sancti. 512. &c, *quasi Sancti* 519. &c, San-

Sanctorum Pontificiorum numerus. 520.
Sanguis Christi non adorandus. 1010.
Sanguis Christi, quomodo lutrum dicatur? ibid.
Santeas esse illicitas probatur. 1217. Objectiones diluuntur. 1218.
Santeæ quid sint. 1220. &c.
Satyrica scripta an licita? 651.
Sceptica Theologia. 831. 834. &c.
Sceptici varii. 687. &c. 842.
Scientiæ desiderium omnibus innatum. 643. &c.
Scopelismus quid? 597.
Scripturæ S. Loca, & verba difficilia ac ambigua quomodo explicanda? 676. &c.
Sectarum divisiones. 762. &c.
Sensus quomodo fallibiles? 843.
Sigeberti historia. 499.
Similitudinis efficacia. 152, 153.
Singularitas quid sit? 60. & 70. & 72, & 102. & 682. causa hæresium. 726. vide Soli ipsi.
Slaetsius paricida quatis? 815.
Sociniani, latent in cœtibus Anabaptistarum & Remonstrantium, 814. &c. Quomodo detegendi. ibid. & 823.
Socinismi semina in Belgio quando sparsa? 811.
Solem rotari, an error sit popularis? 720, 741.
Sol pro Deo inter gentes habitus, 269, 270.
Soli ipsi quales? 685. &c. 726. Quæ sit illarum methodus? 845.
Sortiariorum, hæresis. 609, 610.
Sortis definitio 1194. Divisio 1195. 1196. An sortes ludicræ sint licitæ? 1197. 1198.
Spectatio idololatriæ quatenus licita? 308. vide Missa.
Staurolatriæ affinia quænam? 891. 892. 893.
Sternutatio quid sit. 132, 133. an reverentia sternutanti exhibenda. 134. &c.
Strenarum missio Kal. Jan. 155, 156.
Strigiportium. 579. &c.
Sulpitius Severus. 437. 438, 458. &c.
Superbia hæresium causa. 726.
Superstitio quid. 91. &c. Ejus affectiones, cognata, remedia, signa, species &c. 96. &c. Catalogus superstitionum, ibid. ad pag. 132. quando committatur. 140. quomodo evitetur. 153.
Suspensio judicii non est dubitatio. 825, 845. Est illa necessaria ad addiscendas disciplinas ibid, & 847. &c. 853. &c.
Sylvester 2. Papa an magus? 615.
Symboli Apostolici autor ignoratur. 675.

T,

Talisman quid? 553.
Temeritas quid? 666. 727.
Templum an honorandum? 204. &c. templa idololatrica cum utensilibus quomodo repurganda? 298. &c.
Temporis observatio licita & illicita, 147. ad 150.
Teraphim quid? 554.
Thaïs meretrix (Sancta) 508.
Theodori militis factum. 310.
Theologiæ distinctiones variæ. 1, 2. & 7. tota illa est practica. 3. 4.
Theologiæ practicæ excessus & defectus inter Remonstr. & Pontificios. 4, 5.
Theologia practica est necessaria. 6. &c. quomodo illa Ultrajecti doceatur. 8, 9, 24. Objectiones contra eam. 11. &c. quomodo discenda. 25. &c. Elenchi sophistici contra illam. 39. &c.
Theologiæ Scholasticæ vitia. 698. 836.
Theologiæ naturalis principia & primæ veritates. 829. 830. Datur hæc Theol. 839. & quidem certa, ibid.
Theologia Christiana non est dubia. 830.
Trituli idololatrici. 317. &c.
Trithemius an magiæ addictus? 560. 613. 614.
Tutelares Sancti quomodo distinguantur à titularibus? 415. quomodo & quare

re constituantur, abrogentur &c. 416. &c. *Eorum divisio & catalogus.* 426. &c, *& refutatio.* 431.
Typographi nostri quomodo de idololatria participent? 307.

V.

Venator (Adolphus) qualis? 815.
Veneti mare sibi desponsant. 156.
Verbum otiosum quid? 1215.
Veronica Sancta. 506.
Visibilitas corporis vide Corpus.
Visiones monachorum &c. 494, 495. 699.
Ultrajectini cives quomodo olim vocati? 424.
Ultrajectinæ civitatis templum cathedrale Martino Turonensi dicatum 451. 455. *templi & urbis insignia* 452. 453.
Unguentum Sympatethicum & armarium. 587. &c.
Vocum usus etiam abusus ad superstitionem, 150. 151. 317. &c. 533. &c, *vide* Nomina.
Vorstius (Conr.) qualis? 816. 821.
Ursula cum 11000. *virginibus nunquam fuit,* 472, *earum reliquiæ,* 489.
Usucapio quando licita? 664.
Usura trapezitica. 29. 42. 50 53. 54. 57.
Utensilibus non est attribuenda sanctitas? 1093.

INDEX LOCORUM
S. SCRIPTURÆ.

Qui vel explicantur, vel vindicantur ab Adversariis.

Cap.	Vers.	Fol.
	Genesis.	
3.	14, 15.	1328.
4.	4, 10.	1211.
8.	21.	219.
17.	3.	218.
19.	33. 35.	683.
28.	17, 18, 219, 266.	
35.	4.	255.
42.	15.	237.
44.	5.	ibid.
46.	7, 10.	1076.
	34.	98.
49.	10.	1328.
	Exodus.	
3.	5.	218, 897. 1335.
8.	26.	98.
	Cap. Vers.	*Fol.*
12.	7.	899.
	27.	218.
13.	3.	1338.
15.	25.	928.
16.	23, 28, 29.	1249.
22.	8.	1124.
	10.	1128.
	11.	1129.
	18.	628.
31.	15.	1258.
32.	6.	155.
	32.	86.
35.	2.	1258.
	Leviticus.	
5.	1.	790.

Cap.	Vers.	Fol.
9.	23.	1080.
11.	12, 15.	1099.
	22.	677.
19.	17.	790.
23.	39.	1240.
26.	1.	266.
	Numeri.	
5.	4.	1205.
	11.	1129.
	15.	1124.
	19.	1128.
	21.	1136.
6.	27.	1082.
10.	34.	114.
	36.	1189.
		13.

Cap.	Vers.	Fol.
13.	17.	162. 198.
15.	32,33,34.	1258.
20.	6.	218.
21.		928.
23.	20.	1082.
26.	11.	928.
32.	38.	533.
Deuteronomium.		
7.	1.	314.
13.	2.	604.
14.	21.	306.
18.	22.	1206.
22.	7.	1131.
Iosua.		
5.	15.	1335.
7.	6.	873.
	19.	1128.
20.	16.	693.
22.	10.	266.
Iudicum.		
6.	19.	219.
8.	27.	266.
9.	8.	178.
13.	16, 19.	219.
14.	12.	1215.
20.	16.	693.
1. *Samuelis.*		
6.	14.	198.
14.	41.	1207.
2. *Samuelis.*		
11.	11.	984.
14.	21.	1076.
1. *Regum.*		
2.	8.	228.
8.	31.	1128.
	64.	266.
18.	10.	296.
	27.	250.
2. *Regum.*		
2	8.	228.
4.	35.	134.
5.	17,18.	296.
		297.
17.	9,10,11.	243.
18.	2.	538.
	10.	266.
	33,34,35.	425.
	36.	1192.
1. *Chronicorum.*		
28.	2.	222.
2. *Chronicorum.*		
12.	2.	300.
15.	4.	538.
	14,15.	1101.
		1105.
25.	14,15,23.	425.
29.	29.	218,219.
30.	27.	1091.
32.	12.	220.
	13,14.	425.
35.	3.	984.
Ezra.		
10.	11.	1128.
Nehemia.		
10.	29.	1102.
12.	27.	984.
Esther.		
3.	2.	291.
4.	1,2.	952.
9.	27.	1333.
		1339.
Iob.		
3	1.	1098.
5.	23.	597.
26.	14.	682.
Psalmi.		
2.	6.	171.
5.	7, 8.	217.
11.	4.	1091.
16.	4.	240,260.
19.	13.	226.
36.	4.	639.
51.	6.	839.
62.	10.	669.
72.	9.	192.
78.	47.	927.
91.	10,14.	619.
95.	6.	219.
98.	5.	873.
99.	5.	218.
118.	24.	1319.
		1328,1339.
119.		133.
	106.	1101.
132.	3,4.	1098.
137.	4.	ibid.
138.	2.	217.
Proverbia.		
8.	23.	171.
21.	23.	1109.
		1121.
23.	23.	1109.
24.		1058.
25.	3.	679.
27.	17.	836.
30.	2,3.	669.
31.	7.	717.
Ecclesiastes.		
1.	17.	682.
7.	16.	74,75
	20.	866.
Canticum Canticorum.		
2.	1.	1019.
	4.	6.

Cap.	Vers.	Fol.
4.	6.	1149.
	Iesaia.	
6.	9.	697.
7.	14.	1328.
11.	6, 11.	1328.
36.	7.	220.
43.	11.	1721.
45.	22, 23.	189, 190, 220.
49.	23.	192.
54.	5.	261.
58.	13.	1248.
62.	4.	263.
63.	17.	697.
	Ieremia.	
4.	2.	1129.
10.	8, 14.	473.
18.	1, 3,	1143.
20.	14.	1098.
25.	26.	230.
31.	37.	679.
49.	13.	1002.
51.	41.	230.
	Ezechiel.	
2.	1, 3.	1143.
3.	16, 22, 24.	1143.
9.	4, 6.	899, 918.
14.	9.	697.
21.	21, 22.	1196, 1207.
	Daniel.	
4.	35.	669.
5.	25.	228. 233.
11.	36.	199.
12.	3.	171.
	Hosea.	
2.	15.	260.
	16, 17.	533.
7	5.	1283.
	Ioel.	
2.	15.	1338.
3.	12.	1207.
	Obadia.	
	2. 21.	173.
	Iona.	
2.	8.	1091.
	Habakuk.	
2.	1.	473.
	Zacharia.	
3.	8, 10.	1328.
10.	2.	473.
13.	2.	260, 533.
	Euangelium Matthei.	
2.	1.	503, 542.
4.	9.	571.
5.	13.	67.
	22.	652.
7.	1.	653.
	22, 23.	1137.
		1170.
8.	26.	1153.
10.	1.	1138, 1170.
12.	8.	1256.
	25, 26.	1147.
	27.	1139
		1170.
	45.	1143.
	47.	1148.
14.	30, 31.	1138.
15.	2.	126.
16.	17, 18.	1166.
17.	20.	1138.
	21.	1148.
18.	3.	647.
21.	19.	702.
23.	19.	917. 1091,
24.	10.	784.
	24.	86, 1099.
	30.	899.
26.	37.	86.
	63.	1163, 1131.
27.	24.	126.
	25.	1098.
	37.	167.
	40.	168.
28.	7.	984.
	18.	192.
	Euangelium Marci.	
3.	15.	1138.
9.	25.	1144, 1145.
11.	13.	702.
15.	23.	718.
14.	51.	677.
16.	7.	1245.
	17, 18.	619.
		1139, 1170.
	20.	1141.
	Euangelium Lucæ.	
1.	29.	848.
	34.	838.
	42.	1040.
2.	10, 11.	1328.
4.	41.	628.
6.	37.	848.
9.	49.	1170.
10.	8, 9.	1170.
	17.	1170.
	18, 19.	618.
21.	6.	1601.
32	41.	411.

Cap.	Vers.	Fol.
24.	13,18.	677.
	16,31.	583, 584.
Euangelium Iohannis.		
3.	3,5.	1116.
	19.	645.
4.	8.	1074.
5.	1,2,3.	1139.
	23.	177.
	24.	1116.
9.	2,3.	646.
	4.	1247.
	6.	1148.
	49.	1170.
10.	22.	1339.
11.	41,42.	
12.	31.	618.
19.	11.	800.
	19.	167.
20.	14,15.	583, 584.
Acta Apostolorum.		
3.	16.	192.
4.	12.	166,167.
5.	5,10.	1141.
8.	16.	826.
	27.	1275.
9.	40.	1146.
13.	2.	1082.
	6.	199.
	10.	544.
14.	10,11.	858.
16.	14.	515.
17.	11.	858.
	22.	98.
	26.	148.
19.	13,14,16.	1148.
	31.	313,318. 377.
20.	20,27.	35.
21.	22.	769.
23.	6.	321.
	20.	917.
26.	11.	1102.
	27.	339.
28.	11.	110,253.
Ad Romanos.		
4.	20.	858.
5.	4.	859,860.
8.	19,23.	87.
9.	1.	1123.
	3.	86.
10.	9,10.	193.
11.	29.	1139.
12.	2.	1092.
13.	1,8.	923.
	10,11.	190. 220.
	15.	144.
	17.	1093,
	5,23.	760.
1. *Ad Corinthios.*		
1.	12,13.	818.
4.	1.	1071.
5.	5.	1141.
	7.	1319. 1328.
6.	14.	1092.
8.	4.	895.
	6.	238.
	7,9,10,11.	243. 247.
9.	22.	74.
	25.	72.
	33.	958.
10.	7.	155,252, 325.
	13.	96.
	25,27.	237. 254.
	31.	1092.
11.	13.14.15.	58.
12.	10,11.	1137. 1140.
13.	9,10,12.	672.
	29.	677.
15.	58.	86.
2. *Ad Corinthios.*		
1.	23.	1116.
2.	11.	1145.
5.	1.	826.
	16.	1010.
7.	1.	1093. 1123.
11.	3.	696.
13.	10.	60.
Ad Galatas.		
1.	20,21.	191.
3.	1.	558.
4.	4.	1328.
	10.	1347.
5.	3.	260.
	15.	59,289.
6.	11.	1148.
Ad Ephesios.		
5.	12.	921.
	18.	897.
	29.	1129.
6.	16,17,18.	562.
Ad Philippenses.		
1.	10.	852.
2.	7.	669.
	10.	157,182. 184,188. 193.

Cap.	Vers.	Fol.
	22.	159.
Ad Colossenses.		
2.	8.	751,754. 755.
	16.	1243, 1255.
	20,21.	98.
1. *Ad Thessalonicenses.*		
5.	21.	858.
	22.	538.
	27.	1179.
2. *Ad Thessalonicenses.*		
2.	7.	1058.
	11.	697.
	9.	604.
1. *Ad Timotheum.*		
1.	4.	675.
	8, 15, 16.	1121.
2.	9, 10.	1092.
	14.	696.
	20.	1142.
	23.	44.
2. *Ad Timotheum.*		
1.	12.	826.
2.	19.	769.
4.	8.	826.
Ad Titum.		
1.	15.	1092.
2.	11.	1093.
3.	10.	800.
Ad Hebræos.		
1	6.	192.
2	4.	1141.
	7.	9.
6.	16.	1115.
11.	26.	86.
10.	38.	777.
13.	10.	917.
	13, 14.	1002.
Iacobi Epistola.		
1.	6.	858.
2.	12.	68.
	27.	1093.
4.	7.	921.
1. *Petri Epistola.*		
1.	15.	1092.
2.	1.	952.
3.	5.	1092.
	15.	35, 194.
4.	3.	662, 1227.
5.	9.	921.
2. *Petri Epistola.*		
2.	1.	733, 734.
	4.	609.
	21.	643.
1. *Ioh. Epistola.*		
3.	8.	618.
4.	1.	858.
5.	15.	170.
Iudæ.		
	2.	538.
	3.	1121.
Apocalypsis.		
2.	25.	1109.
3	11.	ibid.
	15, 16.	68.
6.	10.	1211.
7.	4.	899.
	5.	1058.
13.	18.	233.
14.	1.	899.
	8.	975.
18.	2.	308.
21.	8.	557.

INDEX AUTHORUM.
Citatorum.

A.

ABDIAS Babylonicus.
Abotus
Abrahamus Rogerius.
Abrenethus.
Abulensis.
Abulfarius.
Adams.
Adelboldus Episc. Ultraject.
Ado Viennensis.
Adrianus VI. Papa.
Adrichomius,
Ægidius Gelenius.
Ægidius de Coninck Bailleul. Widdows.
Æmilius Probus.
Agellius.
Agobardus.
Agrippa.
Alagona.
Alanus.
Alardus,
Alba spinæus.
Albertus

Albericus de Rosate,
Gentilis.
Albertus Magnus.
Pigius,
Rozcíszeuski.
Albinus Flaccus.
Alciatus.
Alcinous.
Alcoranus.
Alcuinus.
Aldrovandus.
Alegambe.
Alexander ab Alexandro.
Anglus.
de Ales.
Alexius Pedemontanus.
Alphonsus.
à Castro.
Ciaconius.
Gacone.
Mendosa.
Paleottus.
Rodriguez.
Alstedius.
Altare Damascenum.
Altenstaig.
Althusius,
Altingius.
Altisiodorienſis,
Amalarius.
Amandus,
Ambrosius.
Vicecomes.
Amelrius.
Amesius.
Ammianus Marcellinus.
Ammonius.
Anacletus.
Andradius.
Andreas
Crastovius.
Dudithius.
Essenius.
Jungius.
Osiander.
Ursinus.
Angelus Decembrius
de Clavasio.
Rocchatiorius.
Anselmus Boot,
Antonius.
Augustinus.
Ballimgen-
Blancus.
de Guævara.
Florentinus.
Margarita.
Marsilius.
Zadeel.
Apologia
Principis Auriaci.
Remonstrantium,
Apulejus.
Aratus.
Aretinus.
Aretius.
Arias Montanus.
Arminius.
Aristoteles.
Arnobius.
Arnold.
Boot.
Raissius.
de Villa nova.
Arriaga.
Astaphanus.
Athanasius.
Athenæus.
Athenagoras.
Atterſol,
Avalonius.
Aubanus.
Aubertus Miræus.
Aubry.
Augustinus.
Niphus
Wichmans.
Aulus Gellius.
Ausonius.
Azorius.

B.

Baldesanus.
Backhovius.
Baines.
Balduinus.
Balæus.
Balinges.
Balsamo.
Barbosa.
Barclaius,
Bariola.
Bandomina.
Barradius.
Baronius.
Bartholinus.
Bartholomæus
Laurentius,
á Pisis,
Sibylla.
Bartolus.
Basilius Magnus.
Seleucienſis.
Monachus.
Basin.
Bassæus.
Bauhinus.
Baunius.
Bayllius Jesuita.
Beaulieu.
Becanus.
Beda.
Beka.
Belethus,
Beliſter.
Bellarminus.
Bembus,
Ben Syra.
Bernardus de Lutzenburgo,
Comenſis.
Bernhardus.
Beroaldus,
Bertelius,
Bertius.
Besoldus.
Beverovicius.
Beumlerus,
Beza.
Bibliander.
Bibliotheca Oxonienſis.
Patrum.
Billius.
Binsfeldius.
Bisshopus.
Bivarius.
Bocacius,
Bochartus.
Bochellus.
Bodinus.
Boecoop.
Boenartius.
Bois,
Bolton.
Bonacina,
Bonaventura.
Bonfinius.
Bongus.
Borre.
Bosius.
Botereus.
Bradwardinus,
Brantius.
Brassica.
Bredenbachius.
Brentius.
Bresserus.
Breviarium Romanum.
Brissonius.
Brouchtonus.
Browne.

Brulifer.
Buchananus.
Bucerus.
Buchelius.
Bucherius.
Budæus.
Bullarium,
Bulengerius.
Bullingerus,
Burchardus.
Burgenſis.
Burges.
Buſbequius,
Buſæus,
Buxtorfius Pater.
Bzovius

C.

CAbrera.
Cæſar bovillus.
Cajetanus,
Cæſarius.
Calvinus.
Calviſius.
Camaldulenſis.
Cambdenus.
Camerarius.
Camero.
Camillus Fanucchius.
Campanella.
Camphuyſen.
Caniſius.
Canon Miſſæ.
Canones Eccleſ. Africanæ.
Canonhierus.
Cantacuzenus.
Canus.
Capitularia Caroli Calvi. Caroli Magni. Ludovici.
Capullus,
Caramuel Lobkowitz.
Carantza.
Cardanus.
Cardinalis de Turre cremata.
Carolus de Maets Borromæus, Scribanius, Magnus, Stengelius,
Carrio,
Cartarus.
Carthuſianus.
Caſaubonus.
Caſmannus,
Caſparus Ens,
Caſſander.
Caſſianus.
Caſſiodorus.
Caſtellinus.
Caſtellio.
Caſtellus.
Catecheſis Heydelbergenſis, Remonſtrantium.
Catharinus.
Cedrenus.
Celſus.
Cenſorinus.
Ceremoniale Romanum.
Chamierus.
Chapeaville.
Chaſſanæus.
Charaſſus.
Chemnitius
Chenu.
Cherubinus.
Chiefletius.
Chouetus.
Chriſtophorus Brouwerius, Marcellus.
Chryſoſtomus.
Chytræus.
Ciacconius.
Cicero,
Cicchus Aſculanus.
Cirvelus.
Clavaſius,
Claudius Rota, Solerius,
Clavis regia.
Clemens Alexandrinus. Pſeudo-Clemens. ſeu Romanus.
Clichtoveus.
Cloppenburgius.
Clots.
Cluto.
Conr. Heiſterbachenſis.
Coriolanus,
Coffetellus.
Cocus.
Codinus.
Codrongius.
Cœlius Calcagninus. Rhodiginus.
Collius.
Columella,
Comenſis.
Corutæus.
Concilium Africanum, Ancyranum, Ariminenſe. Aurelianenſe. Baſileenſe Braccarenſe. Carthaginenſe. Eboracenſe. Eliberinum. Gangrenſe. Laodicenum. Londinenſe. Mediolanenſe. Lugdunenſe, Moguntinum. Neo-cæſarienſe. Toletanum. Tridentinum. Wormatienſe.
Conclave Ignatii.
Conformitates Franciſci.
Condrochus.
Conradus, Ritterhuſius, Sittardus, Brunus,
Conſtantinus l'Empereur,
Conſtitutiones, Goldaſti. Pontificium,
Coole.
Copus.
Cordua.
Corduba,
Cornarius.
Cornelius Adrianus, Curtius, Decherus. Gemma. à Lapide, Lancelotus. De Sechis,
Coſmas Magalianus.
Coſterus.
Cotta.
Cotterius.
Cottonus.
Cozens.
Cracanthorp,
Cramerus.
Crantzius.
Craſtovius.

Cratepolius.
Crellius.
Creſpetius.
Crinitus.
Crocius Joh.
Crollius.
Cruſius.
Cujacius.
Cunæus.
Cuſpinianus.
Cypræus.
Cyprianus.
Cyrillus Alexandrinus,
Hieroſolymitanus.
Cythræus.

D.

DAlecampius.
Dallæus.
Damaſcenus.
Danhouwerus.
Danæus.
Daniel Dycke.
Caudrey.
Feathly.
Mallonius.
Davenantius.
David Blondellus.
Deckerus.
Dedekenus.
Delrio.
Dempſterus.
Diaz.
Dexter.
Diana.
Didoclavius.
Diedericus Camphuyſen.
Cornhert.
Dieſtius.
Dion.
Dionyſius Areopagita.
Carthuſianus.
Mutzart.
Voſſius.
Dodoneus.
Dominicus à Soto.
Dorſcheus.
Douwnamus.
Douza.
Dauroultius.
Dreſſerus.
Drexelius.
Druſius.
Dunconus.
Durandus.
Durantus.

E.

EBerus.
Eckhardus.
Ederus.
Edmondus Reeve.
Eduardus Brerewood.
Pocockius.
Egliſemmius.
Eiſengrein.
Elias Schedius.
Eimericus.
Einatten.
Eligius Baſſeus.
Elichmannus.
Elmenhorſtius.
Epiphanius.
Epiſcopius.
Epiſcopale Romanum.
Epo.
Eraſmus.
Eraſtus.
Eſpencæus.
Eſtius.
Eudæmon Johannes.
Eveillon.
Euripides.
Euſebius.
Euſtathius.
Euthymius.
Eutropius.
Ewich.

F.

FAber.
Stapulenſis.
Fabritius van Eyndhoven.
Paulinus.
Facultas Colonienſis.
Lovanienſis.
Pariſienſis.
Fagius.
Famianus Strada.
Fanucius.
Faſciculus Temporum.
Fayus.
Felix Mallonius.
Fernelius.
Ferrarius.
Ferrius.
Ferus.
Feſtus Hommius.
Feuardentius.
Fewrbornius.
Ficinus.
Fienus.
Fileſacus.
Filinus.
Filiuccius.
Finckius.
Firmicus.
Fitz Simon.
Flaccius Illyricus.
Flaminius.
Flavius Cherubinus.
Joſephus.
Flejenus.
Florentius vander Haer.
Fonſeca.
Fornarius.
Forbeſius.
Fordonus.
Foreſtus.
Forlivius.
Fortunatus.
Foucerius.
Foxus.
Fracaſtorius.
Franciscus Arias.
Caſa Magior.
Georgius.
Haræus.
Junius.
Juretus.
De la Croix.
Longus.
de Mendoza.
Paduanus.
Petrarcha.
Solier.
White.
Francolinus.
Fredericus Schenck.
Sylburgius.
Friſchlinus.
Froimundus.
Fruſius.
Fulco.
Fulgentius.
Fulginas.
Fumus.
Funes.

G.

GAbriel Biel.
Naude.
Sionita.
Gaffarellus.
Gaillimannus.
Galatinus.
Galenus.
Galeottus Martius.
Gallonius.
Garſus.
Garſias.
Gaufredus.
Gavantus.
Gejerus.
Gelaſius.

Gemma.
Genebrardus.
Gennadius.
Georgius
Codinus.
Downam.
Georgiovits.
Hornius.
Nyſſenus.
Wicelius.
Gerbrandus Leidenſis.
Germanus.
Gerſon.
Glanus.
Gilbertus Primoroſe.
Gilles.
Gobelinus Perſona.
Goclenius.
Godefr. á Driel.
Udemannus.
Viterbienſis.
Godelmannus.
Godeſcalcus Stewechius.
Gomus.
Gomarus.
Goropius.
Goulartius.
Graſſius.
Gratianus.
Gregorius De Valentia.
Magnus.
Nazianzenus.
Nyſſenus.
Turonenſis.
Gretſerus.
Grevinckhovius.
Grillandus.
Griſaldus.
Grotius.
Gruterus.
Guadagnolus.
Gualtherus.
Guinisius.
Gulielmus.
De Alvernia.
Apollonius.
Duchoul.
Eſtius.
Ladus.
Marquis.
Page.
Pepin.
Prynne.
Guodignius.
Guſtavus Selenus.
Gutherius.
Gyraldus.

H.

HAdrianus Junius.
Hampole.
Hannibal Roſſelius.
Haræus.
Harpius.
Hartungius.
Haſenmullerus.
Haymo.
Heda.
Heerbrandus.
Heidanus.
Heinſius.
Heiſterbachius.
Helvicus.
Hemmingius.
Henricus Cuylens.
De Haſſia.
Eckhardus.
Flokenius.
Kunrath.
Lindebrogius.
Sedulſius.
Stephanus.
Wilkinſonus.
Henriquez.
Hensbergh.
Heraldus.
Herbert Palmar.
Herſius.
Hermannus Hugo.
Herodianus.
Herodotus.
Heſiodus.
Heſhuſius.
Heſychius.
Heurnius { Johan. Otto.
Heyle.
Hieronymus
Magius.
Mengus.
Vida
Himmelius.
Hippocrates.
Hippolytus.
Homerus.
Honorius Reggius.
Horatius Turſellinus.
Hornius.
Hortenſius.
Hoſius.
Hoſpinianus.
Hoſtienſis.
Hottingerus.
Hottomannus.
Hugo Broughtonus.
De S. Victore.
Huttenus.
Hyperius.

I.

JAcobus Balmfordus.
Bonardus.
De Voragine.
Eueillon.
Goar.
Gothofredus.
Laurentius.
Martinius.
Payva.
Rex Britanniæ.
Rho.
Jamblichus.
Jameſius.
Janſſenius.
Jaquerius.
Javellus.
Jeremias Drexelius.
Ferrier.
Immanuel Sa.
Immanuel Savega.
Index Expurgatorius.
Innocentius.
Inſtitor.
Joachimus Perionius.
Jodocus Larenus.
Johan. Adami.
Argento.
Auratus.
Baptiſta Fragoſus.
Baptiſta Porta.
Bauhinus.
Bernardus.
Beuckelius.
Bourgeſius.
Büſæus.
Caſſander.
Coccejus.
Cognatus.
Coppenſteinius.
Crocius.
David.
De Graffiis.
De Laet.
De Sacro boſco.
Douwnamus.

Drusius.
Eusebius.
Forbesius.
Franc, Picus.
Frid. Matenesius.
Genesius.
Gerardus.
Gerhardi.
Hessels.
Hesronita.
Hoornbeeck.
Lambsheim.
Lanspergius.
L'Espine.
Lightfootus.
Lopardus.
Lud. de la Cerda,
Magnus.
Mattheus.
Michael Bentherus.
Molanus.
Nider.
Paludanus.
Prideaux.
Rivius,
Robert.
Rusbrochius.
Stephanus.
Sturmius.
Teutonicus.
Trithemius.
Vasæus à Wouweren,
Jonas Aurelianensis.
Jonstonus.
Jordanus Brunus.
Josephus, á Costa.
Hallus.
Mede
Scaliger.
Vicecomes.
Voisin.
Joubertus.
Irenæus.
Isidorus Clarius.
Hispalensis.
Isolanus.
Mosconius.
Judocus, Clichtoveus.
Coccius.
Juellus.
Julius Cæsar Bulengerius.
Firmicus,
Hadrianus.
Scillerus.
Junctis.
Junius } Franc. } Isaacus,
Ivo.
Juretus.
Jus Canonicum.
Civile.
Orientale.
Justinianus Nebiensis.
Valentinus.
Justinus Historicus.
Martyr.
Justus Lipsius.
Juvenalis.

K.

KAlendarium Eccles.
Keckermannus.
Kelletus.
Kempensis.
Keplerus.
Kesslerus.
Kircherus.
Kirchmannus.
Kóning.
Kornmannus.
Kuchlinus.

L.

LAbata.
Lactantius,
Lælius Zecchus.
Laertius.
Levinus.
Lemnius.
Wernerus,
Lancelottus Andrews,
Landulphus.
Langius.
Lansbergius.
Lapide.
Lappius.
Lavaterus.
Lavineta.
Launeus,
Laurentius Pignorius.
Laymannus.
Lazicius,
Lazius.
Legendæ.
Lempereur.
Leo Hebræus.
Papa.
Lessius.
Leunclavius,
Libavius.
Lignaridus.
Lincolnenses Ministri.
Lindanus.
Lindebrogius.
Lipomanus.
Lippelous.
Livius.
Loccenius.
Lombardus.
Lonicerus.
Lopez de Salsedo.
Lorinus,
Lubbertus.
Lucianus.
Lucifer Calaritanus.
Lucretius.
Ludolphus de Saxonia.
Ludovicus Bayllius.
Carrerius.
De Dieu,
De Ponte.
Vives.
Lutherus.
Lyranus.

M.

MAcarius.
Maccovius.
Macrobius.
Maestright.
Maetsius.
Mailiardus.
Majolus.
Major
Malderus.
Maldonatus.
Maldura.
Malevalette,
Malleolus.
Malleus.
Mallonius.
Mandosus.
Mantuanus.
Manutius.
Mapheus.
Marbachius.
Marbodeus.
Marchantius.

Marchinus.
Marcus Antonius de Dominis.
Flaminius.
Vigerius.
Margerinus de la Bigne.
Marianus Scotus.
Marinus.
Marius Equicola,
Marnixius.
Marsilius ab Ingē.
Ficinus.
Patavinus.
Martinus Arles.
de Groeneschilt.
Roa.
Polonus.
Martyr.
Martyrologium Romanum.
Massonus.
Matthæus Sutlivius.
Matheneſius.
Matthias Martinius;
Mathiolus.
Maurolycus.
Maximilianus.
Maximus Taurinenſis.
Tyrius.
Mayerus.
Maymonides,
Medices.
Medina.
Meierus.
Meisnerus.
Melanchthon.
Melchior.
Menander.
Mendoza.
Mengus.
Menochius.
Menotus.
Mentzerus.
Mercerus.
Mermannus.
Merſennus.
Merula.
Meſtlinus.
Metkercken.
Meurſius.
Mibchathappeninim.
Milton.
Michael Comnenus.
Ab inſulis,
Nonius.
Montanus.
Pſellus.
Micrælius,
Micrologus.
Mileterius.
Minutius Felix.
Miranda.
Mireus.
Miſſale Reformatum.
Romanum.
Mizaldus.
Molanus.
Molina,
Molinæus.
Mombritius,
Monarchia Soli-ipſorum.
Montacutius.
Morinus.
Mornæus Pleſſiacus.
Mortonus.
Mountacutius.
Munſterus,
Muretus.
Muſculus.
Mynſingerus.

N.

NAclantus.
Nageorgus.
Narratio Rerum Scoticarum.
Natalis Comes.
Navarrus.
Nauclerus,
Nazianzenus.
Neander.
Nethenus.
Nicephorus.
Nicolaus Burgundus.
Arnoldus.
Clemanges.
Collado.
De Cuſa,
Le Maiſtre,
Vedelius.
Niepoort.
Nierembergius.
Nizacchon
Novidius Flaccus,
Nyſſenus.
Numenius.

O.

OCeanus Juris.
Odo Epiſc.
Cameracenſis.
Cluniacenſis.
De Giſſey.
Oecolampadius.
Oecumenius.
Olaus Magnus.
Oldendorpius.
Oliverius Boenartius.
Olympia Fulvia Morata.
Onuphrius Panuinus.
Opmeer,
Oppianus,
Origenes.
Oroſius.
Orpheus.
Oſiander.
Oſvaldus Crollius.
Otto Friſingenſis.
Ovidius.

P.

PAchymerius.
Pagetus.
Pagninus.
Palæphatus,
Paleottus.
Palladius.
Paludanus.
Palude.
Pamelius.
Pancirollus.
Papa Pius. V.
Pappus.
Papyrius Maſſonus.
Paracelſus.
Paraphraſtes
Arabs.
Syrus.
Pareus.
Parkerus.
Paſchalius.
Paſchaſius.
Paſtorale Epiſcoporum.
Paulinus.
Paulus Comitolus.
Creſſius,
Diaconus.
Æmilius.
Guldin.
Jovius.
Layman.
De Middelburgo.
Riccius.
Pegna.
Pelargus.
Pelletarius.
Peltius,
Pererius.
Perezius de Ajalâ.

Per-

Perkinſus.
Perottus.
Perronus.
Perſius.
Peritus.
Petreus.
Petronius.
Petrus de Albano.
Bertius.
Blæſenſis.
Bongus.
Breſlayus de Ravenna.
Borre.
Bruis.
Caniſius.
Chalybs.
Correa Ulyſiponæ.
Equilinus.
Garſias.
Godefridus.
Matthæus.
Meſſias ſeu.
Mexia.
Molinæus.
De Natalibus.
Streithagen.
Reſtius.
Peucerus.
Pezelius.
Philaſtrius.
Philippus Alegambe.
D. Aquin.
Bergomas.
Ferrarius.
Guadagnolus.
Philo Judæus.
Philoſtorgius.
Philoſtratus.
Philotheus.
Phornutus.
Photius.
Piaſecius.
Picus Mirandula.
Pierius.
Pignorius.
Pineda.
Piſcator.
Piſtorius.
Pithæus.
Platerus.
Platina.
Plato.
Plautus.
Pleſiæus.
Plinius Secundus.
Plotinus.
Pocklingthon.
Pocoke.
Polanus.
Politianus.
Polyander.
Polydorus Virgilius.
Pomponatius.
Pontificale Romanum.
Poppius.
Porphyrius.
Porta.
Porchetus.
Poſſevinus.
Poſtellus.
Potter.
Prateolus.
Preſton.
Pricæus.
Primaſius.
Primoroſius.
Proclus.
Profeſſores Leydenſes.
Proſper Alpinus.
Propertius.
Prudentius.
Pſellus.
Puteanus.
Putherbejus.

Q.

Quaranta.
Quintilianus.

R.

Rabanus Maurus.
Rabbi Aben Ezra.
R. Alfchech.
R. David Gans.
R. David Kimchi.
R. Eliezer.
R. Jonathan Joſeph.
Bengorion.
R. Iſmael.
R. Juda de Modena.
R. Lipman.
R. Maymonides.
R. Menaſſe ben Iſrael.
Simon ben Johic.
R. Saadiah Gaon.
R. Selomoh Jarchi.
Raderus.
Ræmundus.
Raiſſe.
Raynoldus.
Raphaël de la Torre.
Raſiel liber.
Ravanellus.
Raule.
Razius.
Reginaldus.
Regenvolſcius.
Relationes de ſtatu Galliæ.
Remigius.
Renatus Benedictus.
Renaudus.
Reſendius.
Reuchlinus.
Revius.
Rhætorfortis.
Rhemenſes.
Rhodiginus.
Ribadeneira.
Ribera.
Richardus Præmonſtratenſis.
Montacutius.
Victorinus.
Richeomus.
Rigaltius.
Rittangelius.
Ritterſhuſius.
Rivetus.
Roa.
Robertus Bolton.
Licienſis.
Parkerus.
Stephanus.
Rodericus.
Rodiginus.
Rodolphus Petri.
Roeſtius.
Rogerius Bacon.
Ciſterſienſis.
Roiſſe.
Rota Romana.
Royas.
Rollocus.
Roſinus.
Rovenius.
Roſweydus.
Rubeus.
Ruffinus.
Rupertus Tuitenſis.
Rupeſſiſca.
Ruſca.
Ryntelen.

S.

Sadeel.
Sabellicus.
Sabbatinus de Urſis.

Salicetus.
Saligniacus.
Salmasius.
Salmuthus.
Salvianus.
Salustius.
Samuel Bochartus.
Petitus.
Wardus.
Sanchez.
Sanctius.
Sandæus.
Sanderus.
Sandis.
Sannazarius.
Santarellus.
Savanorola.
Sayrus.
Scaliger.
Schedel.
Schedius.
Schefferus
Schelfordus.
Schenckius.
Schichardus.
Schillerus.
Schindlerus.
Schot.
Schoranus.
Schlusselburgius
Schonbergius.
Schultetus.
Schultingius.
Schuttenius.
Sebastianus Brant
Costa.
Frank.
Medices.
Sedulius.
Seldenus.
Selneccerus.
Seneca.
Sennertus.
Serenus Sammonicus.
Serranus.
Serrarius.
Servius.
Sevartius.
Severus.
Sextus Empiricus.
Sibelius.
Sibylla.
Sidonius Apollinaris.
Sigebertus.
Sigismundus.
Sigonius.
Simon Boschus.
Sixtus Senensis.
Sladus.
Smithæus.
Snellius.
Societas Flandrica.
Socinus.
Socrates.
Somnia Hispanica.
Sorbonici Theologi.
Sosomenus.
Spanhemius.
Spartianus.
Spondanus.
Sprengerus.
Springlius.
Statius.
Stella.
Stengelius.
Stephanus Mathiæ.
Paschasius.
Quaranta.
Stevanus.
Strabo.
Strada.
Stratenus.
Stravius.
Streso.
Strigelius.
Strossius.
Stuchius.
Stupanus.
Suetonius.
Suidas.
Sulpitius Severus.
Surius.
Sylburgius.
Sylvester Prieras.
Sylvius.
Synesius.
Synodus Aurelianensis. A. 1562.
Comjathina.
Constantinopolitana.
Dordracena. A. 1578.
Londinensis. A. 1603.
Middelburgensis.
Noorthollandica.
Scotiæ.
Synopsis Theologiæ.
Profess. Leydensium.
Szydlovius.

T.

TAcitus.
Tassinus.
Talantonius.
Tapperus.
Targum.
Tatianus.
Taubmannus.
Teelinc { Evald.
gius. { Wilhel.
Tertullianus.
Thalmud.
Themesvar.
Theocritus.
Theodoretus Balsamo.
Theophrastus.
Theophylactus.
Thevetus.
Tholosanus.
Thomas Bartholinus.
Brodæus.
Brouwne.
Cooper.
Erastus.
Gerson.
à Kempis.
Laurence.
Zanchez.
Thomsonus.
Thuanus.
Thummius.
Thurpius.
Thyræus.
Tilenus.
Tirinus.
Titelmannus.
Toletus.
Torreblanca.
Torre.
Torrentius.
Tostatus.
Trallianus.
Transylvani Ministri.
Trelcatii.
Tremellius.
Trithemius.
Troilus Malvetius.
Turnebus.
Turnerus.
Turrecremata.

Turrianus.
Turſellinus.
Twiſſus.
Tyrius.

V.

VAlerius Maximus.
Valentia.
Valeſius.
Vallenſis.
Varcerius.
Varro.
Vaſcanellus.
Vaſquez.
Ubbo Emmius.
Udemans.
Vedelius.
Rhapſodus.
Vega.
Vegetius.
Velſerus.
Venantius Fortunatus.
Venator.
Vercellenſis.
de Verdier.
Vergerius.
Verſio Anglica.
Ariæ Montani.
Belgica.
Deodati.
Victor.
Vigilius.
Viguerius.
Vincentius Meuſevoet.
Bellovacenſis.
Cartarus.
Guiniſius.
Henſbergh.
Lyrinenſis.
Viretus.
Virgilius.
Vitas Cuniberti.
Vitruvius.
Vivialdus.
Ulpianus.
Volaterranus.
Volkelius.
Vorſtius.
Voſſius.
Vranck.
Uren.
Uſinus.
Uſſerius.
Uſuardus.
Uytenbogaard.

W.

WAddingus.
Walæus.
Walatradus.
Walterius.
Wandelbertus.
Waræus.
Weberus.
Weckerus.
Weemſus à Lothaquar.
Wendelinus.
Wichmans.
Widmanſtadius.
Widdows.
Wieringus.
Wierus.
Wigandus.
Wion.
Wilhelmus Abſalius.
Lantgravius.
Tyrius.
Willetus.
Wilſonus.
Withakerus.
Windheim.
Wiſſenbach.
Wollebius.
Wolphius.
Wouwerus.
Wyerus.

X.

XEnophon.
Xiphilinus.

Z

ZAbarella.
Zacchias.
Zanchez.
Zanchius.
Zecchus.
Zegedinus.
Zepperus.
Zigabenus.
Zonaras.
Zozomenus.
Zuarez.
Zwinglius.
Zylius Jeſuita.
Zypæus.

Errata Typographica.

Pag. 5. lin. penult. pro peccata lege peccato.
p. 7. l. 18. pro *the* lege *the*-
l. 34. pro inſignata lege inſignita.
p. 10. l. 26. nota c . . . .
p. 12. l. 26. pro ſcenicias lege ſcenicas.
l. pen. pro fraternatibus lege fraternitatibus.
p. 13. l. 8. pro captibus lege capitibus.
p. 14. l. 11. pro penitus lege penitius.
p. 15. l. 13. pro quodam lege quidam.
p. 19. l. 14. pro *Practiſiſtas* lege *Præciſiſtas*.
l. 16. pro ἀκριβείω lege ἀκριβείᾳ.
p. 22. l. 17 pro *exceptionem* lege *exceptionum*.
p. 28. l. 21. pro Caſuiſtæ lege Caſuiſta.
p. 31. l. antepen. pro *hypothetici* lege *hypotheticis*.
p. 37. l. 25. pro *dicalogia* lege *dicaologicâ*.
p. 41. l. 36. pro ἰσηχρία, lege ἰσορία,
l. ult. pro muſſim lege amuſſim.
p. 48 l. 35-36. pro Præciſiaſtarũ lege Præciſiſtarũ,
p. 49. l. antepen. pro curent, lege curant,
p. 57. l. 1. pro balletris, lege balletis,
p. 65. l. 17. lege (*Tuſcul qu.*
p 70. l. 18. poſt 1. Petr. 4. 8. colloca VIII.
p. 71. l. 4. poſt verb. mandatur, inſere (in ſpecie ſcil. & definitè)
p. 78. lin. 13. pro Quacunque lege Quicunque.
p. 84. l. 14. pro totus lege totos
p. 86. l. 17. pro *tractaculum* lege *tractatulum*.
p. 88. l. 13 pro proſtigatis lege profligatis
p. 93. l. 10. pro philogus lege philologus.
p. 94. l. 34. pro ingredienta, lege ingredientia,
p. 105. l. 29. pro *VVoringum* lege *VVieringum*
p. 111. l. 31. lege explodunt. dempto ſigno interrogat.
p. 118. l. penult. pro *Gomi* lege *Goar*.
p. 126. l. 1. pro hiſtoricæ lege hiſtoriæ.
p. 128. l. 19. pro Eſt lege Hinc eſt
p. 129. l. 25. nota *lib*. . . .
p. 135. l. 17. pro *Niphim* lege *Niphum*

ERRATA.

p. 136. l. 11. pro ἐκτικήν lege εὐκτικὴν
l. 32. pro *Elieveris* lege *Eliezeris*
l. penult. pro *Magnlib. 4. dual.* lege *Magn. lib. 4. dial.*
p. 137. l. 5. pro præcandi lege precandi
p. 138. l. 21. pro prima lege primam
à p. 144. ad pag. 153. numerus paginarum malè positus.
p. 146. lin. 35. pro optativum lege operativum
p. 147. l. 32 pro vitæ lege vita.
p. 152. lin. antepen. pro ἄλαγον lege ἄλογον
p. 158. l. 31. post verb. Chartertonum lege &
p. 165. l. ult. pro nomen lege non.
p. 171. l. 31. pro proprium lege propriam
p. 176. l. 7. pro solutionem lege solutionum
p. 189. l. ult. post quia dele τὸ non
p. 194. l. 15. pro professo lege professio
p. 201. l. 6. pro Posset lege Possent.
l. 11. pro nimiam lege nimia
p. 212. lineam 1. dele: excepta ultima Voce, omnis
l. 6. pro contemtum lege contentum
p. 239. l. 10. pro *nostro* lege *nostros*.
p. 256. l. 25. pro *Quinto* lege *Sexto*.
p. 267. l. penult. pro defessionem. lege defensionem.
p. 273. l. 11. pro conaerrentes, lege convertentes.
l. 19. pro apun. lege apud
p. 285. l. ult. pro parodieè lege parodicè
p. 297. l. 16. pro hæc lege non
l. 34. pro adque lege idque
p. 316. l. 23. pro *Pig rio* lege *Pignorio*
p. 331. l. 6. pro Xenedochii lege Xenodochii,
p. 343. l. 1. pro partem lege parem
p. 355. l. 33. pro testaret lege restaret
p. 370. l. 27. pro Illiberini lege Eliberini.
p. 461. l. 1. pro ἰδιογγώμονα, lege ἰδιογνώμονα,
l. 3. pro Delrii. lege delirii,
p. 475. l. penult. pro suæ lege seu
p. 480. l. 27. pro *Nicolaus* lege *Nicolao*.
p. 514. l. 34. pro Volito lege Voluit
p. 520 l. 25. pro varius lege varias.
p. 532. l. 17. pro Eartyribus lege Martyribus
p. 535. l. 4. pro tavat lege taxat
p. 641. l. 33. pro aera lege æra
p. 548. l. 3 - 4. pro *l'empe eur* lege *l'Empe-reur*
l. 15. pro periculosa lege periculosas
p. 551. l. 34. pro conse lege conser
p. 552. l. 22. pro ii. lege i. e.
l. 36. pro jusset lege jussit
p. 553. l. 28. pro confellatione lege constellatione
p. 554. l. 36. dele seu Characte
p. 566. l. 28 pro *VVillesus* lege *VVilletus*.
p. 567. l. 11. inter num. 1604. & verb. experientia. insere. *VII. Septimo*.
l. 34 pro refertas lege refert ab
p. 569. l. 11. Verbo *Arnobium* junge, *lib. 1.*
p. 585. l. 2. pro deccata lege peccata.
l. 35. pro accuratior investigatio lege, in accuratiori investigatione
p. 588. l. 12. pro Medicinæ Professoris Marpurgensis, lege. Professoris Marpurgensis Medicinæ Doctorem.
p. 600. l. 11. verbo quæso adjice.
p. 601 l. 29 pro *Brightmannus*. lege *Brightmannus*.
p. 604. l. 5. pro Φέσια lege Εφέσια
p. 607. l. 31. pro Cousultor lege Consultor
p. 618. l. 16 pro (*fictium*- lege *fictitium*-
p. 632. l. 20. pro absorptis lege absorptos
p. 678. l. 28. pro disciplinis lege disciplinis.
p. 680. l. 4. dele non
p. 784. l. 22. pro eum lege eos.
23. pro suum lege suos
p. 786. l. 15. pro intortum lege intortæ
p. 836. l. 1. post num. 2. pone *Resp.*
p. 860. l. 11. pro diei lege dici
p. 872. l. ult. post verb. *Consultatione* insere *c. de imagin.*
p. 874. l. 9. pro imsiginum lege imaginum,
p. 875. l. 23. dele 25. *artic.*
l. 25. post num. 4. iterum inserendum,
p. 891 lin. 24. pro p rjurus lege perjurus.
p. 942. l. 1. pro Urbano VIII. lege Urbano V.
p. 1010. l. 31. (in principio) lege ab
p. 1042. l. 17. pro ab Spiritu lege à Spiritu.
p. 1194. l. 12. pro editio lege editis.
l. 14. pro proferetur lege proteletur.
p. 1209. l. 33. pro repugna. lege repugnat.
p. 1238. l. 34. verbo cognovi junge ex
l. 35. pro *Spepard* lege *Shepard*
l. penult. pro *Farus* lege Fajus.
l. ult pro dispp lege disp.
p. 1400. l. 15. pro possn mus lege possumus.

FINIS.

N14<02300002022715

N14<02300002022715